COMMENTARII IN OMNES EPISTOLAS D. PAVLI, ET CANONICAS, itémque in Apocalypsin D. Ioannis:

A

D. BENEDICTO ARETIO, BERNENSI THEOLOGO,


facili & perspicua methodo conscripti.

Editio altera priore longè emendatior, vtilissimísque ad marginem notis illustrata.

Cum Indicibus locupletissimis.

SAPIENTER AGAS,

QVICQVID AGAS,



RESPICE FINEM.

Excudebat Ioannes le Preux.

M. D. LXXXIX.


SVB VMBRA ALARVM TVARVM PROTEGE ME DOMINE



AMPLISSIMO VIRO,

ET NON MINVS OMNIGENA VIRTVTE,

QVAM GENERIS NOBILITATE PRÆSTANTISSIMO,

DOMINO IOANNI VVATENVILLÆO,

BERNENSIS REIPVBLICÆ

Consuli, S.



ÆPè ex doctis&piis plerisque intellexi, vir clarissime, magnam semper fuisse in Ecclesia eorum hominum penuriam, qui & bene sentirent, & docendi dexteritate pollerent: nec minorem eorum, qui & in suę ętatis vsum, & ad posteritatis memoriam mandarent prudenter, &sincerè literis quę ore ipsi suo docebant. Hoc in genere cum excelluerit multorum iudicio post D. Vvolfgangum Musculum Theologiæ professor D. Benedictus Aretius, magnam proculdubiò eius morte iacturam fecerunt Dei Ecclesię annis superioribus, cùm flagrante peste, & pręcipuos etiam quosdam in ipsa vrbe, &non paruam hominum multitudinem tota regione interire videremus. Optimè verò factum, quod cum hac hominis mortalis vita, non sunt intermortui eius quoque labores, sed in eis viuit adhuc ipse immortalis quodammodo. Laude quidem certè dignissimi sunt mihi venerandi in Christo viri, Pastores eius quæ in vrbe est Ecclesiæ, qui tantum thesaurum (monumenta nempe continuatorum ad mortem vsque laborum optimi fratris sui D. Aretij) non passi sunt intercidere, sed Ecclesiæ Dei prodesse voluerunt. Ego verò commendatam mihi à tantis viris publicationem sanctarum Aretij lucubrationum, ea sum fide & cura prosequutus, vt loculis meis non pepercerim, quò emendatissima omnia prodirent. Itaq; cum vir optimus in manu sua pingendis literarum characteribus, & festinantissima scriptionis diligentia, celeritatéque (quod doctis plerisque vsu venit) cacographia laboraret, ære meo conductis quorundam operis (qui & ipsi in assequendis lectione Aretianis illis non parùm desudârunt, donec multo vsu assuescerent) omnia de integro transcribenda curaui. Opes certè, vt ita dicam, meas publicæ etiam modò hic modò illic calamitates attriuerunt, & imminuerunt non semel, operas etiam grassatæ his in locis pestes disperserunt repentinis pauoribus. Sed neque propterea minùs mihi fuit animi, vbi minùs virium esse videbatur reliquum in instauranda, & rursus concinnanda typographica omni supellectile, quò his præsertim Doctoris Aretij scriptis publico donandis, satisfacerem desiderio Pastorum Ecclesiæ vestræ, & aliorum plerorúmque. Nec me facti pœnitet, aut insumpti ea in re laboris pœnitebit vnquam: quia video audióque, & Dei gloriæ, & Ecclesiarum ædificationi inseruire. Audio quidem characterem dicendi eius, vel potiùs rerum tractandarum quam sequitur rationem, magis scholasticum aliquid sapere nonnunquam (id est ad scholarum receptam docendi consuetudinem sponte quadam sua ferri) quàm ad totius multitudinis captum &

popularem illam Dei veritatis enucleationem sese accommodare & inflectere. Sed qui sic iudicant, iidem quoque ipsi censent non ideo minoris facienda huius hominis scripta. Nam cum ex scholis prodeant, qui deinde in ipsa templorum frequentia Christi Ecclesiis explicent sacra Prophetarum & Apostolorum oracula: docti, & cordati homines parum interesse credunt, an quomodo apud omnium ordinum & ętatum personas dici hęc solent in sacris conuentibus, ita prudens scriptor & facundus ea scribat, an quemadmodum literatis, propter breuitatem faciliora sunt intellectu, pressiùs, prudens quoque hic, complectatur ipse. Imo futuris Ecclesiarum pastoribus, id est adolescentibus qui in spem ministerij Ecclesiastici Christianas scholas frequentant, opportunior ex multorum sententia videtur hæc præceptionum Theologicarum tractandarum forma: quia definitionum breuitate simul, & multitudine, partitionibus etiam vbi opus est in sua quædam membra ingeniosè excogitatis, & simili omni rerum artificiosa distinctione, discentium memoriam adiuuat, vt in promptu habeant quasi collecta in vnum, quæ deinde, prout res exiget, ad auditorum captum populariter enarrent, confirment, & commendent. Sed de his rebus bonorum & doctorum in Ecclesiis esto iudicium: ego audita tantum refero. Condonabis autem mihi, vir clarissime, si apud te hæc cogitabundus effundo: nec tamen sine occasione vlla. Qualis verò ea sit dum expono, patienter vt me audire sustineas, pro solita tua humanitate, precor.

Magna passim auiditate proximis hisce annis excepta fuerē D. Benedicti Aretij scripta in sacros libros, cùm primò in publicum exirent ex officina nostra typographica quasi nouus fœtus, aut potius posthumus quidam partus, iam scilicet vita functo ipso authore. Facit verò mirificum hoc nec immeritum quidem studium candidatorum Theologiæ erga tanti viri pias has lucubrationes, vt recudendæ etiamnum sint nobis, & earum quidem modo pars hæc, modo illa. Prodeunt itaque nunc Commentarij eius omnes in Apostolicas epistolas, & sacrosanctam Apocalypsin, maiore paginarum forma descripti, quasi digniore quodam vestitu, quàm anteà, à nobis exornati. Hos tibi, vir clarissime, inscribere dicaréque multis de causis æquissimum esse iudicaui. At, inquiet aliquis, vino vendibili hedera opus non esse. Vulgata enim res est, tritum etiam omnium sermonibus hoc prouerbium transferri ad librorum scriptionem. Iam si nouæ primùm editioni Aretianorum librorum tam fauens & propitia (vt ita dicam) fuit tota eorum natio qui Theologica ex professo tractant, minimè conuenire censebunt nonnulli, secundam hanc editionem quasi repositas quasdam dapes noui nominis inscriptione cuiusuis etiam, captare quoque nouæ gratiæ aliquid: tuo verò clarissimo nomini quòd ego dicare audeam, non magnam me apud te inire gratiam, suspicabuntur etiam fortasse aliqui. At ij te bene non norunt. Itaque ego quidem certè te longè aliter sensurum non dubito, pro ea ingenij animíque tui excelsa indole, qua literarum amans ipse, literatos quoque omnes eximia beneuolentia complecteris. In iis me quidem non censeo (vt sciunt omnes) sed quia ars mea literis ancillatur ipsis, labósque omnis literatis est destinatus: hac de causa amari me à te sensi semper, & posthac amatum iri confido non ingratus. Cæterùm de Aretio loquebar, Aretiíque similibus omnibus. Sic ergo constituo hoc nomine Aretium cum suis omnibus longè gratissimum tibi semper fore, quòd in ea vrbe per annos complures scholam administrarit, & Theologica fidelissimè docuerit, in qua vrbe tibi primùm videre datum est non modò solem hunc toti mortalium generi communem, sed multò magis Dominum Iesum Christum solem illum iustitię, Dei Ecclesiis & solis verè fidelibus hominibus illucescentem. Porrò non dissimulabo, & vt boni consulas quæso, dum tibi dedico, clarissimóque tuo nomini inscribo volumen hoc Aretianum, in animo certè mihi fuisse gratulari tibi hunc consulis

Bernen

Bernensis eximium honorem: non nouam quidem dignitatem clarissimæ vestræ Vvatenuillæorum genti, imò cum magna & vetusta laude coniunctam, sed superiore hoc anno felicissimè in te renouatam. Quid verò dico, me tibi hunc tam excelsum in vrbe vestra honoris gradum gratulari? Ipse, ipse, licet mortuus, hoc idem tibi gratulatur quodammodo Aretius. Ego tamen cuius officina typographica fidelem semper operam nauauit, vt fruerentur Ecclesiæ vtilissimis scriptis Aretij, siue viuentis, siue morientis, aut nunc etiam mortui, non malè fortasse quod nunc ille pręstare viua voce, aut literis exarare non potest tibi de illo, si viueret adhuc his in terris, non modò probabiliter testor, sed verissimè prorsus confirmo. Neque propterea tam tibi gratulor de noua hac dignitate, aut mihi ipsi qui tam potentem, ac fauentem patronum istic sim habiturus, quàm toti Reipublicæ, & ecclesiis Christi in omni Bernensi ditione, ipsi præcipuè Lausanensi tum Ecclesiæ, tum scholæ. Et ideò tamen hoc ipsum mihi gratulor, id est, typographiæ meæ, quæ tanquam diligens quædam ancilla (vt antè dixi) Ecclesiæ Lausanensi & scholæ ministret, inseruiátque. Nam cum maiores vestri, fortissimi & prudentissimi Reipub. administratores, veritatisque Euangelicę amantissimi propugnatores, Lausanam literarum alumnam, & tanquam Kiriath-sepher quandam esse voluerint: tu etiamnum cum aliis præstantissimis Dominis, & Senatus principibus, de ea tuenda, augenda, ornanda, & amplificanda studiosissimè cogitas. Non nego quotidie in oculis versari vestris Bernensem ipsam Academiam, neque Lausanensis (quippe quæ Bernam vt matrem libenter agnoscit) nominatur à me tanquam ei obtrectans, aut vitiosa illa æmulatione, quæ riualitati similis est, æmulans. Odiosam, inquam, comparationem nullam talem fingo, vt reuera nulla est. Hoc tantùm dico, annis circiter ab hinc quinquaginta, maiorum vestrorum (quos perpulchrè imitamini) zelum in promouendo Christianismo, Lausanæ etiam eluxisse, postquam Deus gratia sua nouam hanc prouinciam Gallicæ linguæ, Bernensi imperio adiecerat: quum, inquam, sponte cessissent, vel Panico quodam pauore correpti in fugam se proripuissent nonnulli sacrificuli, Canonici, monachi, iis scilicet exceptis, qui sinceram Christi pietatem, depositis Antichristi laruis amplexi sunt non illibenter, hortatoribus illis sanctissimis viris maioribus vestris. Et toto quidem hoc Domini in negotio, felicissimæ (inquam) rerum mutationis primordiis, non dubito fidelem imprimis operam enituisse Vvatenuillæorum. Cum enim gens vestra in vrbe ex honorificentissimis fuerit, patrui quidem certè tui recens adhuc est memoria, quippe qui annis abhinc circiter viginti vita functus, in Consulatu isto perseuerat ad mortem vsque. Quid autem dicam de optimo viro patre tuo, quem accepimus ex primis Euangelij defensoribus extitisse, & cuius domum audiuimus commune quoddam hospitium piorum exterorum in vrbem aduentantium, eorum præsertim quos Ecclesiæ sancto ministerio, & scholarum Christianarum gubernationi inseruire, fidelémque operam nauare confidebat? Ita totus ardebat studio rei Euangelicæ promouendæ. Nec facere possum vt prętermittam clarissimum quoque virum fratrem natu maiorem D. Petrum Vvatenuillæum. Is enim cùm per annos complures Lausanensem præfecturam teneret, me quoque quasi in clientum suorum numero habebat. Ei tu in eo honore successisti aliquot tamen annis interiectis postquam expleto, & prorogato etiam toto Lausanensis præfecturæ tempore in vrbem euocatus, & senator, & tribunus Quartumuir rationum reddendarum fuerat creatus. Tu verò moriente postea illo, cum vixdum tamen dimidium legitimi temporis Lausanensis præfecturæ confecisses, in vrbem reuocatus, & eundem quem ille tenuerat locum obtinuisti, & idem quod ille munus tibi mandatum obire cœpisti: donec paulò post etiam clarissimo Consule D. Ioanne Steigero ex hac vita in beatam quietem migrante, Consul

ipse renunciatus es prudentissimi Senatus decreto, & magna bonorum omnium approbatione. Faxit verò Deus Opt. Max. (quod & facturum confido pro suo in Rempubl. Bernensem amore) vt quem patruus ille tuus locum tenebat, (non dicam adeptus: neque enim quærebas illud, contentus vtique sorte tua) longissimo tempore sustineas. Ignosces autem mihi, clementissime Domine, quod ita familiariter tecum agam, neque assentationi tribues vlli: potius verò, vt antè dixi, hæc omnia Aretium ipsum apud te effari cogitabis, cuius laborum partem hanc non minimam tibi offert typographia nostra: & se quidem, quemadmodum cœpisti, vt fauore tuo prosequi semper velis, obnixè petit. Deplorant multi variis in populis profanari excellentissimum Dei donum, typographicam scilicet artem, nonnullorum auaritia, quibus lucri bonus odor ex libro quolibet: atque adeò præstare censerent in totum aboleri, & Turcicam quandam vastitatem, literas propemodum omnes vel de medio tollere, vel ad ignominiosam raritatem coarctare. Sed iniquissimè comparatum est illud, vt ex paucorum fortasse (sic enim malo interpretari) vitio malè audiat, quinimò pessimè etiam tractetur res in se non minus sancta, quàm admirabili pulchritudine decora, & conspicua passim. Ego quidem certè semper operam dedi (quod citra iactantiæ, & vanitatis notam vllam à me dictum accipi velim) & dabo semper Deo fauente, ne minùs vtilibus voluminibus excudendis malè operam posuisse meam, bono cuiquam videri possim. Sic enim vitam institui meam, rationésque omnes subduxi meas, vt sacrosanctum hoc opificium optimè collocarem, & (si dabit Deus) quasi hæreditarium meorum etiam fortasse alicui relinquerem. Et quidem rogatus sæpe de libris aliis nonnullis, iisque vtilibus certè, at profana (vt dici solet) tractantibus, prælo nostro committendis, excuso quoad eius fieri potest: nisi scilicet fortassis aliqua eiusmodi necessaria sunt scholæ Lausanensis iuuentuti. Malo enim quantisper sacrorum mihi est copia, iis operam nauare typographicam. Nunc restat eximie Domine, vt boni consulas, quod te Reip. curis districtum interpellare sum ausus. Veniam quidem certè dabis honestæ confidentiæ meæ: ídque vt facias, etiam atque etiam peto. Aretianos ergo hos sacros Commentarios in Apostolicas omnes Epistolas, & Ioannis Theologi Apocalypsin, clarissimi nominis tui inscriptione gaudere & exultare libens patieris. Vicissim autem & ipsi nec fuerint generi indecores vestro, vt ad illud Poëtæ alludam. Imò vt eiusdem Poëtæ hemistichio rem totam concludam; Hæ sacræ (Aretij etiam) syluæ, syluæ sunt Consule dignæ. Vale fœliciter in Domino vir præstantissime. Ex typographia nostra Calend. Mart. Anno Domini 1583.

T. D. Ioan. le Preux.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HISCE Commentariis in Pauli epistolas continentur.

A

Apost

D

M


Mulieri

Pœni-

Q

R

FINIS.



INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN COMMENTARIIS IN EPITOLAS Canonicas, & Ioannis Apocalypsin continentur.

A

B

C

D

Dilectio

E

F

Laborum


FINIS.



D. BENEDICTI ARETII
BERNENSIS THEOLOGI
EFFIGIES.



Aretium si nôsse velis, hîc aspice totum
In scriptis animum, corpus in effigie.



DISPOSITIO IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

QVIS FVERIT AVTOR EPISTOLÆ ad Romanos.



DE PAVLO Apostolo primo loco dicendum est, quia communi consensu, nō solùm huius, sed sequentium etiam Epistolarum est autor, eóq; liberiùs, ne deinceps in hunc locum nobis sit digrediundum. Duo extant illius nomina: nā Act. 7. 9. 13. Saul dicitur, & eodem 13. mox Paulus appellatur, quo nomine deinceps historia semper vtitur, adeóq; constanter, vt D. Petrus in 2. Epistola capite 3. Paulum maluerit dicere, quàm Saulem. Saul indubitanter Hebræū est, ac sonat postulatum, quod nomen à parentibus Hebręis in Circuncisione, sine dubio accepit, quemadmodum nos hodie in Baptismo nostra accipimus nomina: & videntur eius parentes illustri nomine, illum voluisse ornare, quale in tribu Beniamin magnificum erat, propter primum regem Israëlis, qui eiusdem nominis fuit. Pauli autem nomen variè interpretantur, alij Hebræum, alij Græcum, alij Latinum faciunt. In primis autem mihi placet Augustini sententia, qui contendit Latinum esse, & rectè à paruo, id est modico, deriuat, nam antiquitus Pauli dicebantur parui. Qui à Græcis deriuant, quietum interpretantur, hoc enim παῦλα sonat. Verum apud Græcos historicos nullibi reperies hoc nomen proprium esse, neque apud Thucydidem, Herodotum, alióſque, imò ne apud Poëtas, Hesiodum & Homerum: itaque nō est proprium nomen vetustum. Apud recentiores quidem historicos reperitur, sed qui historias Latinas in Græcam linguā transtulerunt, qualis est Appianus, Dion, Plutarchus, & similes: ex quo euidenter constat, nulla probabili ratione, Pauli nomen Grecum posse dici, sed planè Latini sermonis esse propriam vocem. Minùs probabilia dicunt, qui originem ad Hebræis repetunt, cùm ex propriis linguis nominum sit deriuatio petenda, necdum probatum sit vocem esse Hebræam, quod quidem vtiliter admonet D. Hieronymus, quanuis id non seruet vbique. Nam in commentariis in epistolam ad Philemonem, initio & fine, admirabilem interpretatur, quia Pelé talem significat apud Hebræos, quasi Paulus à Pelé deriuetur. His vicini sunt, qui cùm non ausint fateri Hebræam esse dictionem, tamen asserunt à Saule defluere: sed his obstat, quod Latini Paulos habuerunt, priusquam vlla communione innotescerent ipsis Iudæi. Itaque non est probabile Latinos Paulum à Saule sumpsisse. Hæc de Pauli nomine dicta sufficiant.

Pauli nomen duplex. — *Saul.* — *Paulus. August. Psal. 72. & homelia 71.* — *Hieronymus.*

Quæritur iam de tempore, quando scilicet cœperit dici Paulus, quod quidem magis curiosè fit quàm vtiliter, nam scriptura nihil certi habet hac de re. Ac quanquam de Saule quoque nihil expressum sit, extat tamen lex & consuetudo Circuncisionis, in qua simul octauo die nomina imponebantur: itaq; hoc ex consequenti demonstrari potest.

Quando cœperit dici Paulus.

Quod de Pauli nomine dici non potest, cùm non gemina nomina simul imponerent suis infantibus: quare hîc coniecturis & probabili sententia agendū est. Hieronymus indicat ex regesta illi hoc nomen contigisse. Nam cùm Sergium Paulum Cypri Proconsulem, vt est Act. 13. conuertisset, ex eo facto, & deinceps semper dictū esse Paulum. Nec obstat huic sententiæ quod idem eodem capite dicatur Paulus, priusquam conuertisset Proconsulem: nam historiam postea conscripsit Lucas, nec erat cogendus contra leges narrationis, quibus liberum illi erat boni ominis causa Paulum nūc dice-

Hieronymus in Ecclesiasticis scriptoribus.

re, cuius historiam mox narraturus erat, vt constaret lectori quid de successu in hac narratione illi sperandum esset. Augustini verò est sententia, hoc nomen illi accessisse ob mutatam religionem, quam habet ab Ambrosio: Probabile & hoc est, quandoquidem & hodie Iudæi cum religione mutant nomina. Sed in Apostolo nostro illud obiicitur, quod post mutatam religionem bis adhuc nominatur Saul, verùm id ratione non caret. Nam Spiritus S. Iudæum inter Iudæos Saulem nominat, & iam segregandum ad ministerium Ecclesiæ Gentium vltimò: inde Lucas commodè ad nomen Pauli transit: Saulus, inquit, qui & Paulus, ita transit à veteri nomine ad nouum, nec deinceps priori nomine ampliùs vtitur. Chrysostomi & Theophylacti est, diuinitus illi mutatum nomen, quemadmodum Petro, qui dictus est Cephas à Domino Christo, & filij Zebedæi vocati sunt Boanerges, quibus ne esset inferior, vt ait Theophylactus, mutatum est illi nomen. Sed tamen in eo inferior est, quod de illis extat scriptura mutati scilicet nominis diuinitus: de Pauli verò nomine sic mutato nihil extat. Aliis placet, ob ius Romanæ ciuitatis sponte ab ipso mutatum. Nam Tarsus illius patria, iure Romanæ ciuitatis fuerat donata à M. Antonio. Itaque vt Hebræo nomine se fatebatur Iudæum simpliciter, sic Latino ciuem Romanum se profiteri voluit. Hi verè consentiunt cum Origene, qui illum facit binominem, quam sententiam etiam libenter amplector. Non solùm quia affinitas est inter ipsa vocabula aut quòd reges in veteri Testamento, aliique multi binomines fuerunt: sed quòd videam hoc in primis Iudæis fuisse familiare, vt scilicet Gentium quoque nomina apud quas exularent, interdum assumerent. Nam Ioseph certè apud Ægyptios Saphnat dicitur. Sic Daniel in Babylone Belsazar, Ananias Sedrac. Azarias Abdenago, Misael Mesac appellantur, vt constet priora nomina esse Hebræa, Ioseph, Daniel, &c. reliqua verò assumpta certa ratione ex lingua Gētium, cum quibus versabantur. Sic omnino probabile est, Paulum Iudæis fuisse Saulem, sed quia idem in Romano imperio peregrinabatur, Romanum quoque assumpsisse nomen, quamcunque tandem ob causam, siue ad declarandum ius Romanæ ciuitatis siue ob mutatam simul religionem, quam cupiebat Romanis etiam inferre populis, siue ob conuersum Sergium Paulum, siue diuinitus, siue humanitus, siue ob ista omnia, dici facilè non potest: hoc tamen certum est, Deo sic ordinante factum esse, quod declarauit euentus, cùm magna dignitas, & gratia ministerio suo inde accesserit, adeò vt tanquam hominis Romani vbique videamus, non solùm nomen, sed & doctrinam fieri plausibilem, & hoc consilio indubiè in omnibus Epistolis suis, potius voluit doctrinam ornare Pauli nomine, quàm Saulis.

Augustinus. Ambrosius. Chrysostomus. Aliorum sententia. Origenes.

Patria illi splendida fuit: Tarsus scilicet ciuitas Ciliciæ, quod ipse Apostolus indicat Acto. 22. Tarsi, inquit, natus, nutritus in hac vrbe. Cæterùm ad Philipp. 3. capite, & in 2. Epistola ad Cor. 11. 22. etiam exprimit genus ex Israële, tribum Beniamin, & similia. D. Hieronymus aliam indicat patriam, quòd scil. oriundus fuerit ex Giscalis oppido, de tribu Beniamin, vnde cum parentibus, capto nimirū Giscali à Romanis, in Tarsum Ciliciæ commigrarit. Verùm non congruunt hæc cum Pauli narratione, Act. 22. vbi fatetur se natum Tarsi, neque est credibile, eum quicquam ibi tergiuersatum esse, præsertim inter Iudæos & hostes, qui hoc tanquam mendacium arripuissent: tamen fieri potuit, vt parentes illius, inde in Tarsum profugerint.

Patria Pauli. In Ecclesiasticis scriptoribus.

Præceptorem habuit in lege Mosis insignem illum Gamalielem Pharisæum, ad cuius pedes enutritus est, Act. 22. Quanta autem fuerit Gamalielis authoritas, cōstat ex 5. cap. Actor. Hieronymus addit studiorum gratia Hierosolymam missum à parentibus, & hunc electum sibi præceptorem. In Christianismo præceptorem habuit ipsum Dei filium Act. 9. Hinc ad Gal. 1. cap. audacter profitetur se neque ab homine neque per hominem doctum esse: itaque verè fuit θεοδίδακτος, vnde etiam est factum, vt non diu manserit cum Apostolis Hierosolymis, ne quid videretur ab homine didicisse, ad Gal. 2. Quæ omnia faciunt ad maiestatem scriptorum eius.

Præceptores.

Vitæ genus per omnia castum & sanctissimum fuit, quemadmodum ipse fatetur, secundum exquisitissimam legis sectam, Act. 22. Porrò ad Philip. 3. & ad Galat. 1. magnas sibi vsurpat virtutes, diligentiam scilicet defendendi patrias traditiones, eruditionem in lege, zelum erga Deum, fœlicitatem in discendo, qua etiam anteuerterit multos coæquales, sectæ genus præstantissimum. Erant enim Pharisæi reliquis tolerabiliores.

Vitę genus.

Cum his virtutibus quoque inhæsit illi, non animi, sed sectæ potius morbus & vitium, quòd scilicet persecutus est Ecclesiam Dei, Acto. 9. & 22. Hanc viam, inquit, persecutus sum vsque ad mortem, vinciens & tradens in carceres, tam viros quàm mulieres, ad Gal. primo, supra modum, inquit, persecutus sum Ecclesiam Dei. Sic priori ad Corinthios 15. non sum dignus qui vocer Apostolus, qui persecutus sum Ecclesiam Dei.

Ante conuersionem.

Ad

Ad Philippenſes 3. Quod zelum attinet, perſequens Eccleſiã Dei. Priori ad Timotheum 1. cap. prius eram blaſphemus, perſecutor, & iniurioſus.

Mores in conuerſione.

Verùm hunc animi morbum, & acerbitatẽ depoſuit mox in conuerſione, in qua prẹter ſpem & illius meritum, omnia illi miraculoſo, & ſtupendo modo contingunt fœliciſſima, Act. 9. Ante conuerſionem lupum dixeris & vaſtatorem gregis dominici: in conuerſione verò ouem, quæ ſe Deo libenter ſubmittat, adeò vt quærat, quid vis me facere Domine? Inde in priori ad Timotheũ 1. capite excuſat, quòd ignorans hæc omnia fecerit, & in priori ad Corinthios 15. Gratia Dei ſum id quod ſum.

Mores poſt conuerſionẽ

Poſt conuerſionẽ autem eſt doctor Gentium & Eccleſiæ propugnator, vt non malè de illo citetur illud Gen. 49. Beniamin lupus rapax manè diripit prẹdam, veſperi diuidit ſpolia: nunc enim nulli cedit, adeò vt nullis Apoſtolis velit eſſe inferior, 2. ad Cor. 11. ad Rom. 15. Nam prẹter nouas regenerationis virtutes, priores quoque auctẹ & confirmatæ ſunt, qualis imprimis fuit eloquentia, & peritia non ſolum legis Moſaicæ, ſed Gentilium quoque literarum. Ac eloquẽtem fuiſſe, arguunt illius conciones, præſertim in Actis, qualis eſt illa 17. capite inter Philoſophos habita, & quas Hieroſolymis habuit, Actorum 22. & 23. & ſequentibus capitibus, in quibus apparet eum valuiſſe vi quadam perſuadendi, quam Græci δείνωσιν vocant: tales etiam ſunt eius diſputationes, qualis eſt Actorum 13. contra Magum illum, & capite nono contra Iudæos. Huc pertinent etiam epiſtolæ illius, eloquentiæ illius, & eruditionis locupletes teſtes. Ac Gentilium literarum fuiſſe peritum teſtimonia ſunt ad Titum primo capite, vbi Epimenidis citat verſum. Sic Actorum 17. Arati hemiſtichium citat, priori ad Corinthios 15. Menandri Iambum, quæ omnia arguunt Philoſophiæ & politioris literaturæ fuiſſe peritum, imprimis verò Dialectices, quam non aliunde poterat diſcere, quàm ex humanioribus literis. De quibus ne ſim prolixior, vide Hieronymum ad Oratorem magnum Romanum & aduerſus Ruffinum, & quæſtione 10. ad Algaſiam, & 11. ad Hedibiam. Euſebium libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 24. capite, Origenem in Canticis, & Chryſoſtomum in octo Homiliis, quas de laudibus Pauli reliquit, Auguſtinum libro quarto de ciuitate Dei capite nono, & contra Creſconium Grammaticum, capite decimo quarto: Cyrillus in caput 16. Ioannis, receptaculum myſteriorum Dei vocat illum, vno faſce omnes illius laudes comprehendens.

De matrimonio Pauli.

Expedienda etiam hic eſt quæſtio de Apoſtoli matrimonio. Negat hoc Auguſtinus capite quarto de operibus Monachorum, & γυνὴ illi mulier eſt, & non vxor. In eadem ſententia eſt Epiphanius, ratio illius eſt, quòd Apoſtolus ſuo exemplo ſuadet cœlibatum. Idem multis placuiſſe doctoribus teſtatur Nicephorus lib. 2. cap. 44. & comparem ait σύζυγον poſſe intelligi viri nomen quem ſalutet. Sed multis contrà placet ſententia Clementis Alexandrini, qui lib. 3. ςρωμάτων teſtatur Paulum fuiſſe vxoratum, & locum ad Philippenſes 4. rogo te σύζυγε γνήσιε compar germana, de vxore interpretatur, nec me fallit interim σύζυγον etiam ſignificare conſiliorum ſocium, & commilitonem & ſimilia, verùm concedendum tamen eſt, hac voce etiam ſignificari vxorem. In hac ſententia eſt Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 30. Vbi Petro & Philippo vxoratis etiam connumerat Paulum. Clementis ſententiam refert etiam Nicephorus lib. 2. cap 44. Cæterùm parum refert, habuerit nec ne, ſatis eſt hoc illi licuiſſe, ſiquidem voluiſſet, aut inſtituto ſuo expediuiſſet 1. ad Cor. 9.

Res geſtæ.

Porrò his tantis virtutibus, & conatibus, non defuit ſucceſſus & docendi felicitas, nam à Hieroſolymis & regionibus circuniacentibus vſque ad Illyricum omnia compleuit Euangelio Chriſti. Id quàm verè de ſe dicat, teſtantur peregrinationes, quas obiit in Pamphylia, Piſidia, Lycaonia, Syria, Cilicia, Myſia, Macedonia, Achaia, Galatia, Phrigia, Cypro & aliis Inſulis, ſicuti deſcribuntur à Luca in Actis, à cap. 13. vſque ad finem: & Euſebius eaſdem lib. 3. cap. 4. copioſè explicat. Item Nicephorus lib. 2. bonam partem conſumit illius laboribus enumerandis à capite 19. vſque ad 38. vbi ſolùm Pauli res geſtas perſequitur, & Athanaſius affirmat ad Dracontium, illum Hiſpanias quoque adiiſſe, quod factum eſt, poſt illius primam defenſionem, cùm à Nerone eſſet dimiſſus: & 15. ad Rom. ſcribit ſe cogitare eò proficiſci, & probabile eſt, ſi in Hiſpaniam, vt ſperabat ſit profectus, eum ſimul adiiſſe varias & procul diſſitas prouincias.

Opera illius genuina.

Sed nos veniamus ad eius opera, quæ quidem omnia conſcripſit epiſtolari genere, ac ſunt bipartita. Aut enim dedicauit integris eccleſiis, aut priuatis perſonis. Illius generis ſunt, Ad Romanos, ad Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes, Theſſalonicenſes, & ad Hebræos: huius verò generis ſunt, ad Timotheum, ad Titum & Philemonem. Præter illa ſcripta olim circunferebantur quædam Apocrypha illius nomine in Eccleſia, ſed falsò. Talis erat Epiſtola ad Laodicenſes, cuius meminit Hierony-

Apocrypha.

mus, & August. in 16. caput Ioānis, citat Pauli Apocalypsin, cuius meminit etiam Nicephorus lib. 12. capite 34. quam dicebant repertā in Pauli domo paterna, Tarsi, in theca quadam marmorea, temporibus Theodosij imperatoris, quod tamen falsum esse ostendit, cuiusdam senis confessione. Idem Nicephorus libro duodecimo, cap. 46. refert librum quendam Actorum Pauli, & Clemens Alexandrinus citat quędam Paulina alia, tamen nō sunt recepta. Sed reuertamur ad illius scripta germana: in his duplex ordo considerari debet, temporis scilicet & editionis. Temporis ordinem intelligo, quo sunt scriptæ, editionis verò quo extant in Canone. Scriptæ ergo vt doctis placet, sunt hoc ordine: omnium primò scriptæ sunt duæ ad Thessalonicenses ante reliquas omnes, idque Athenis, quod testatur etiam subscriptio. Hos instituerat feliciter in religione Christi, mox inde digressus in via ne deficerent à noua religione, gemina epistola eos confirmauit. Tertia inde videtur scripta, prior ad Timotheum, Laodiceæ, Phrygiæ Pacatianæ. Quarta ordine, fuerit prior ad Corinthios ex Epheso scripta, quò facit historia Actorum 19. Quinta, illa ad Titum ex Nicopoli Macedoniæ. Sexta, posterior ad Corinth. ex Philippis. Septima, ad Romanos, quos nondum viderat, sed audierat solùm rectè institutos: eos igitur absens cōfirmat ex Corintho in itinere, cùm vltimo iam ascenderet Hierosolymam vnde mox Romam captiuus pertractus est. Postea Romæ in vinculis, & libera custodia, integro illo biennio sequētes scripsit, & hoc, vt apparet, ordine. Primùm illā ad Philippenses, quod testatur subscriptio. Et cap. 1. meminit suorum vinculorum, tanquam rei nouæ, vt hoc vel nomine haberi possit prima: & cap. 4. familiæ Cæsaris meminit. Deinde subsecuta est illa ad Colossenses. Tertiò illa ad Philemonem, sunt enim nomina salutantium hæc eadem fermè, quæ in illa ad Colossenses, vt eodem tempore videantur scriptæ. Quarta, illa ad Ephesios in qua est argumenti magna similitudo, cum illa ad Colossen. Quinta posterior ad Timotheum, in qua conqueritur, se desertum ab omnibus ferè, adeò vt Demas quoque, qui dum scriberetur illa ad Colossenses, adhuc fuerit constans, illum quoque deseruerit, vt appareat hinc illam esse posteriorem. Sextò illa ad Galatas, in qua seuerissimè inuehitur in ceremonias, adeò vt non dubitet dicere: Si vel Angelus aliud Euangelium annunciauerit vobis, pręter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit, & cap. 5. simpliciter pronunciat de circuncisione: Si circuncidamini Christus nihil vobis proderit, & capite 6. quasi ad metam properās, ait, ne quis deinceps mihi molestus sit, ego enim modò immolor. Vltima habetur illa ad Hebræos, quæ ex Italia scripta est, vt testatur subscriptio, & sunt salutationes Italorum nomine, de qua suo loco copiosiùs diximus. Hic ordo (vt dixi) placet eruditis, ex veteribus habes Hieronymum, in Epistolam ad Philemonem Nicephorum lib. 2. cap. 34. ex recentioribus Bucerum in προλεγομένοις in Epistolam ad Rom. & in eandem D. Hyperium, cuius tamen nondum extant commentaria.

Ordo Paulinorum scriptorum.

Alter ordo editionis est, qui diligenter à studiosis debet edisci, vt constet, quo ordine se sequantur epistolæ, Item quot capitibus singulæ constent. Prima igitur est illa ad Romanos, cap. 16. Deinde duæ ad Corinthios, prior 16. posterior verò 13. capitum. Sequitur ad Galatas capitum 6. Ad Ephesios itidem 6. Ad Philippenses 4. Ad Colossenses 4. Ad Thessalonicenses duæ, prior 5. posterior 3. capitum. Ad Timotheum duæ. Prior 6. posterior, 4. Vna ad Titum trium capitum. Ad Philemonem vnius capitis. Ad Hebræos 13. capitum. Hoc ordine prima est Epistola ad Romanos: id cur sic factum quæsitæ sunt rationes. Respondemus primum id curiosè fieri, nam quid si alia prior esset, quid respōderent? liberum fuit Ecclesiæ iudicium ex cuius cōsensu hunc ordinem habemus, nec dubitamus quin Spiritus sanctus hoc ita disposuerit, cuius iudicium & voluntas nobis debet esse regula: atque hæc apud nos vera, & indubitata debet esse ratio. Huic addimus probabiles. Primùm quòd in hac Epist. tractetur primaria quæstio, de salute nimirum hominis, eáque copiosiùs & dilucidiùs explicatus, quàm in aliis, hominem non priuato operum respectu, sed fide in Christum iustificari, quæ equidem quæstio, quanuis in aliis quoque tractetur, tamen non ita diffusè, & tanta argumentorum copia. Deinde scribitur ad sedem Imperij & quasi ad arcem mundi, qualis erat Roma, gentium nimirum domina quo nomine digna visa est, vt primum teneret locum. Præterea prolixitate reliquas superat, si non capitum numero: tamen argumenti varietate, & stili grauitate, & quæstionum difficultate, quales sunt de abrogatione legis, de gentium vocatione, de Iudæorum reiectione, de naturæ humanæ cæcitate, de gentiū sceleribus, Iudeorum pertinacia, de renati hominis operibus, & similia.

Ordo editionis.

Ad Ro. cur prima.

De morte Apost. constans est ferè totius historiæ narratio, adeóque consensus perpetuus, eum Romę, sub Nerone, gladio esse percussum. Annus fuit 37. à passione Domini, imperij verò Neronis 14. vt scribunt, Euseb. Hieronymus, Augustin. Niceph. & alij: in qua

Mors Pauli.

in qua narratione, tria in primis admiratione digna occurrunt. Primùm quod omnes consentienter scribunt Paulum eadem die cum Petro esse passum, id affirmat Hieronymus in Ecclesiasticis scriptoribus. Eusebius lib.3.cap.25. Nicephorus lib.2.cap.36. & 37. Augustinus libro de consensu Euāgelistarum cap.10. Hinc factum est vt multis probabile fuerit visum, Petrum Romam venisse, & ibi secundum hosce passum esse. Alterum quod solus refert Nicephorus, Paulum, scilicet, ante mortem cum Nerone esse colloquium, eique tandem promisisse suum reditum, tertio à morte die, idque ita contigisse, adeò vt viderit expressam Pauli vmbram Nero, eámque voluerit apprehendere sed non potuisse. Id si factum est, indubiè ad terrorem Tyranni contigit, & ad confirmationem innocentiæ Pauli, adeóque ad defensionem veræ religionis. Tertium huic non dissimile est, quod refert Augustinus in oratione quam habuit de sanctis, Paulo & Petro, quòd scilicet in decollatione Apostoli Pauli, pro sanguine lac eruperit, quod faciebat ad innocentiam eius, si ita contigit. Cæterùm vt multa ad rerum miracula conficta sunt antiquitus, fortasse hæc quoque in illo censu haberi possunt. Sepultus est Romæ in via Ostiensi, iisdem autoribus, quos suprà retulimus, quod confirmat etiam hodie publicus consensus. Sepultura.

QVIBVS SIT SCRIPTA EPISTOLA.

Scribitur Romanis, id est fidelibus, qui tum temporis Romæ ex Iudæis & Gentibus Christum erant amplexi. Non enim cogitare debes, senatum, populum, & Imperatorem hîc contineri, qui serò tandem ad Christum conuersi sunt, sed misellam quandam turbam, & bona parte constantem ex exulibus & peregrinis, de quibus Apost. audierat, eos bene, & feliciter esse institutos, nec dum viderat, sed tamen ad eos proficisci decreuerat, hinc in Hispaniam iturus. Itaque prius & confirmat in fide, & sibi reddit familiares. Porrò per quos his Romanis prædicatum fuerit Euangelium, hîc etiam quæri solet, cùm certum sit Apostolum & doctorem gentium Romam nondum peruenisse. Quidam respondent hoc à Petro factum esse, qui 2. anno Claudij Imperatoris venerit Romam, & nonnullos ibi conuerterit. Sed mallem hoc tribuere Andronico & Iuniæ. Nam infrà 16. cap. inter Apostolos numerantur, & quidem primarios, qui ante Paulum in Christo fuerint. Romæ autem erant eo tempore, cùm scriberetur Epistola, quod ibidem constat, ideo probabile est, illos ibi docuisse. Quòd sine hi quidem hoc fecerunt parum interest: posuerintne alij fundamenta prima, quibus hi superstruxerint, quod ædificium Apostolus Paulus postea confirmauit. Cæterùm nobis etiam scripta est, sumus enim Imperij Romani reliquiæ, & ex gentibus quoque conuersi. Eleganter inquit de Roma Ouidius.

Locus 2. quibus sit dedicata Epistola.

Chrysostomus.

Gentibus est aliis, tellus data limite certo:
Romanæ spatium est vrbis & orbis idem.

Ouidius.

Quod si ita est ad nos certè pertinebit hæc Epistola, & ad totum orbem. Vbiq; enim sunt dissipati Romani imperij quasi membra. Et quanquam nec sedem, nec fidem Romanam, qualis hodie est, agnoscamus: tamen hanc doctrinam sequimur, quam Apostolus Romanæ Ecclesiæ suo seculo commendabat, fidem scilicet in Christum, cuius vnius merito, nos profitemur iustificari, secus quàm hodie, qui sedem Petri occupant, & Romanæ Ecclesiæ tenent gubernacula.

OCCASIO.

Hactenus de personis, nunc rerum locos explicemus, inter quos ordine primus est, qua occasione scripta putetur epistola. Oblata occasio multis videtur & rectè, fortè tamen non eadem de causa: nonnulli enim dicunt propter falsos doctores subingressos, qui synceritatē doctrinæ corrumpebant, scriptam esse. Asserebant isti sine legis obseruantia, & circumcisionis vsu, Christū nihil prodesse fidelibus. Sed in tota Epistola eius non fit mentio, tantum cap.16 hortatur vt caueant dissidiorum autores, magis scilicet metuens corruptelam apud eos, morū, quàm doctrinæ. Deinde 1. capite doctrinæ puritatem illis tribuit, ideo illa occasione non videtur scripta, sed potius hac, quòd fides ipsorum ab omnibus laudaretur, ideo in eadem eos confirmare voluit: huc facit quod ibidem cupit illos videre, vt illis impertiatur aliquod donū spirituale, & mutuam inde accipient cōsolationem. Deinde est etiam hoc modo oblata, quòd ab aliis Ecclesiis rogatus videtur id facere, quò faciunt salutationes vlt. capite tam anxię, Ecclesiarum gentium quæ Romanos salutant, quo satis indicat Asiaticas Ecclesias, & Europeas per Græciam singulari amore Romanos esse prosequutos, neque alia de causa, nisi propter similitudinem fidei, vnde stimuli ad scribendum orti sunt. Porrò videri potest e-

Occasio Epistolę.

tiam quæſita occaſio, nam certum eſt, Spiritum ſanctum in Apoſtolo hæc agere, qui reſpexit ad illud, vt extaret aliquod ſcriptum perfectius & abſolutius, de præcipuis articulis religionis Chriſtianæ, ex quo ſciri poſſet, quid poſteritati ſentiendum eſſet de tota religione.

Tale opus ad Imperij ſedem conſultò miſit. Hoc fit probabile, ſi hâc Epiſtolam cum reliquis conferas. Nam certum eſt, in hac, cauſam iuſtificationis copioſiùs tractari, in reliquis non pari diligentia & copia, quamuis perſtringatur.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

Romanos quos nondum viderat Apoſtolus, confirmat in vera Chriſti cognitione, docens quid ſentiendum ſit de præcipuis noſtræ religionis articulis, de operum dignitate apud Deum, tum quę præſtabant gentes, ex morali diſciplina, tum quæ præſtabant Iudæi ſecundum legem Moſis. Item quid ſentiendum ſit de peccato, & contrà, de fide, gratia, de veris cauſis iuſtificationis, de vocatione gentium, de reiectione Iudæorum, de renati hominis operibus, aliíſque locis. Tandem pia, & copioſa ſalutatione concludit Epiſtolam.

PROPOSITIO GENERALIS.

Quæſtio principalis eſt de Iuſtificatione, quam Iudæi tribuebant operibus legis Moſaicæ, contrà Gentes virtutibus moralibus, & naturali cognitioni, quam habebant de Deo, aliíſque rebus: & ita quod Chriſto debebatur, totum aſcribebatur operibus. Conſtituatur igitur propoſitio hoc pacto. Homines iuſtificantur non aliqua dignitate, aut reſpectu operum ſuorum, ſed merito Chriſti gratuito, fide ſcilicet apprehendente miſericordiam Dei.

CONFIRMATIO.

Confirmatio propoſitionis dependet ex vi ſyllogiſmi diſiunctiui hoc pacto. Aut iuſtificamur operibus, aut fide. Totum connexum, vt vocant Συνημμένον verum eſt, quia conſtat ex duabus propoſitionibus diſiunctiuis immediatis, in quibus non poteſt dari tertium. Aſſumptum verò remotionem habet primę partis totius connexi, & in hac latet controuerſia, ideò huc incumbit tota probatio, inde naſcitur ſpecialis propoſitio negatiua, Homines non iuſtificantur operibus, probatio eſt, quia Ethnici, qui præſtantem de Deo habuerunt cognitionem, & moraliter videbantur iuſtiſſimè viuere, tamen non poſſunt iuſtificari operibus coram Deo, ita nec Iudæi ex operibus legis, licet diuinitus data ſit, coram Deo iuſtificari poſſunt. Argumentum valet ex plena diuiſione, in qua remotis partibus omnibus remouetur totum, plena autē diuiſio eſt, qua diſtinguit homines in Græcos & Iudæos, & vtrique operibus iuſtificari non poſſunt, ſequitur ergo hinc principalis concluſio primi ſyllogiſmi: ergo fide iuſtificantur, quæ erat altera propoſitio totius connexi, & quidem vera. Porro à tota propoſitione diſiuncta, ad alteram eius partem remota prius altera, valet argumentum.

STATVS.

Statum conſtituo definitiuum, quia definit Apoſtolus in quanā re conſiſtat vera iuſtificationis cauſa, quæ valeat coram Deo. Definitiua quoque hîc ſunt alia, vt quid ſit Euangelium, lex, gratia, peccatum, mors. Item quæ ſint opera renati hominis, de quibus omnibus, quia Apoſtolus veram & indubitatam pronuntiat ſententiam, meritò definitiua conſtitutio haberi debet.

GENVS.

Genus multiplex eſt, ſed principale & prædominans omnino eſt Demonſtratiuum. Nā ſumma certitudo profertur de articulo iuſtificationis, quæ aliunde nō cōſtat, quàm apodixi, ſed meminiſſe oportet hanc eſſe γραφικὴν hoc eſt, quæ nititur oraculis diuinis: eſt λογικὴ quam relinquimus Philoſophiæ, & conficitur certa quadam rerum analogia. Acceſſoria deinde genera hîc conſiderentur, quæ illuſtrant principale, & illud confirmāt, aut certa ſaltem ratione ei inſeruiunt: quale eſt Syſtaticum, quo ſe Romanis commendat, Romanos itidem commendat Deo, & in fine ſanctos ipſis tanquam fratribus itidem commendat. Gratulatorium, quo illorum fidem laudat, & ipſis ob ſynceritatem fidei congratulatur. Επιτωμητικὸν quo inuehitur in ſcelera: primùm in genere mortalium omnium: deinde ſpeciatim in flagitia Ethnicorum, & ſupercilium Iudaicum: in ſumma omnes de gradu dignitatis deiicit, ac Chriſto pauidos adducit, in quo omnes coniungit.

coniungit. Paraenaticum quo hortatur ad bonorum operum studium,& commendat renatos à nouis virtutibus Spiritus sancti. Εὐκτικὸν quo facit vota pro piis, & indesinenter orat,vt in primo capite. Item quo optat ad Romanos venire, sic in fine votum repetitur,& similia.

PARTES EPISTOLÆ.


Partitio aut sumitur à præceptis artis, aut à subiecta materia quæ explicatur. Præcepta artis has nobis proponunt partes. Titulum, qui constat persona scribentis,& eius ad quem scribitur, illis additur suauis comprecatio,& solet in sacris literis inseri sæpe prolixior aliqua tractatio de vocatione, aut de genere doctrinæ, quod in primis seruauit Apostolus Paulus. Deinde est exordium. Tertiò propositio. Quartò Narratio,aut confirmatio, vel confutatio,aut simile. Quintò salutationes, seu Epilogus aliquis.Sextò demũ subscriptio de loco,internuntio aut persona scribente aliquid continens:sic quidem artis pręcepta cõstituunt.Materia verò sæpe hæc variat,vt in hac epistola,si ad materiam respicias illas habebis partes. Prima est, Homines non iustificari operibus,quæ tota constat remotione. Altera, Homines iustificari fide,tota hæc constat asseueratione. Tertia,meritum Christi pertinere etiam ad Gentes,à quo Iudæi exciderint bona parte, proprio quodam vitio. Quarta,renatos homines professionem suam ornare omni bonorum operum studio. Quinta demum, sequuntur salutationes & commendationes vice Epilogi. Sed connectamus ordine partes omnes hoc modo. Primùm Epistola habet iustam epigraphen,hoc est,titulum.Secundo loco habet exordium Eucharisticum, cui additum est votum. Tertio loco est Protasis: Homines secundum doctrinam Euangelij iustificandos esse, non secundum doctrinam hominum,hanc summo ex primo capite, vers. 16. & 17. Quarta pars est Anasceue,hoc est, confutatio,homines non iustificari operibus. Principium confutationis constitue, à vers.18.cap.1.vsque ad ver.21.capitis tertij. Quinta pars est Catasceue,confirmatio,cuius propositio est affirmatiua nos iustificari fide in Christum. principium illius à vers. 21.capitis tertij,continuatur per consequẽtia capita,vsq; ad principium 9.capitis. Sexta igitur pars est ἐπιδήλωσις,hoc est,declaratio totius disputationis.Nam cùm docuisset Gentes non iustificari operibus moralibus,& tamen iustificandos, operæpretium fuit explicare locum de vocatione gentium.Sic cùm docuisset Iudæos non iustificari operibus legis, ipsis datis necessarium erat ostendere cur reiecti sint Iudæi. Hoc igitur argumentum ad lucem disputationis tractat 9.10.&11.capitibus.Septima pars igitur est deinceps,Paraenesis scilicet ad opera nati hominis:ostendit enim quid pij debeant,tum proximo tum magistratui,tum domesticis.Itaque hîc concurrunt loci Ethici,Politici, & œconomici & quædam adiaphora, tractantur hæc cap. 12.13. 14. & principio 15. Octaua pars constituatur cap.15.ver.15.estque Epilogus,in quo agit de rebus priuatis, vt quòd se excusat de proxilitate: item quòd commendat fratres, addit præterea amicas, & copiosas salutationes,resalutationes,atq; illa vsque ad finem explicantur.Vltimo loco est Hypographe,subscriptio,vbi admonemur de loco scriptæ Epistolæ & de internuntio,quamuis ista non à Paulo,sed ab aliis addita videantur.

DE VTILITATE SCRIPTI.

Loci primarij,qui ad vtilitatem declarandam faciunt præsentis Epistolæ.

Meritò haberi potest compendium nostræ religionis hæc Epistola,quandoquidem præcipuos locos & maximè necessarios perspicuè explicat, de quorũ numero aliquos perstringemus. Et statim quidem in titulo locus illustris est de vocatione Apostolica: item de antiquitate & dignitate Euangelij.Sic duo sunt illustres loci,de vtraque Christi natura:humana,quam duxerit secũdum carnem ex semine Dauid: & diuina,secundum quam sit declaratus filius Dei potenter ex resurrectione.Deinde in exordio locus illustris est de synceritate fidei ecclesiæ Romanæ, deinde locus est etiam de cura Apostolica pro ecclesia Romana,non in defendendis feudis & priuilegiis, sed pro synceritate fidei.In propositione loci sunt,primùm illustris definitio Euãgelij,deinde de iustitia Dei,item de fide. In confutatione occurrunt loci,de ira Dei cõtra peccatũ, de gentium corruptela,de cognitione Dei illustri apud gentes,de Iudæorum induratione, de legis transgressione,& eiusdem impotentia,de circũcisionis natura, de præputij conditione,de Iudęorum propriis quibusdam sceleribus,de æquata sorte omnium mortalium.Transeamus ad confirmationẽ vbi loci occurrunt,primũ de iustitia,quæ est ex operibus,de gratia,de prædestinatione, de promissionum certitudine, & quod sint vni-

uersales, de dilectione Dei, de origine peccati, & vnde sit illius cognitio, de vsu legis, de electione diuina, de renatorum moribus & natura. Sequitur disputationis declaratio cap. 9. vbi loci occurrunt insignes. Primùm de veteris populi prærogatiua, quibus mox subiicit locum de Vocatione gentium, item de Iudæorum reiectione, de iure electionis diuinæ, de prædestinatione & eius viribus. Postea capite 10. locus copiosius tractatur de reiectione Israëlis, de gratia Dei, quæ vera causa est electionis, & iustificationis. In Parænesi loci sunt admodum multi, ac commodè distinguntur in tres ordines. Sunt enim Ethici loci, quales propriè considerat Euangelium, de concordia, de consensu in articulis fidei, de fraterna dilectione, de diuersitate donorum, & legitimo illorum vsu, de diligendis etiam inimicis. Deinde Policiti sunt, vbi tractatatur ius Magistratuum, de conditione subditorum, de rerum proprietate, de publicis oneribus, de tributo, censu & huiusmodi, de honorandis præsidibus. Adduntnr istis capite 14. noui qui ad Ethicos pertinent, vt de tolerandis infirmis. Sequuntur deinde Adiaphora, vt quid sentiendum sit de cibo, potu, diebus festis, & similibus locis. Capite 15. & 16. de arrogantia fidelium, qua solent contemni debiliores, qui locus iterum ad Ethicos pertinet. Postea sequitur Epilogus, qui cõtinet elegantes locos, vt locus ciuilitatis, excusans audaciam & prolixitatem scripti. Deinde locus dignus est scitu, de propagata doctrina Euangelij, temporibus Apostoli. Item locus de peregrinationibus eius. Item de contributione fidelium in vsus pauperum. Itẽ locus de intercessione sanctorum, sed qua viui pro viuis intercedunt. Præterea elegans est locus de more salutandi recepto inter pios. Item commendandi absentibus pios fratres, & ita concluditur Epistola.





IN EPISTOLAM D. PAVLI AD ROMANOS.

προλεγόμενα.

DIVISIO LIBRORVM NOVI TESTAMENTI

Nomen Pauli, patria, praeceptores, vitae genus, eruditio, scripta, matrimonium.



RIA sunt scripti genera in nouo Testamento. Est enim historicum, didascalicum, & propheticum: historicum dico, quod res gestas continet, vel ipsius Saluatoris, vel etiam Apostolorum eius, ac habet præteriti temporis seriem. quò pertinent Euangelica scripta, de Christo, & liber Actorum de Apostolis, nominatim de Pauli gestis. Didascalicum verò genus scripti est, quod ad doctrinam magis est accommodatum, & mores fidelium instituit, ac præsentis temporis habet formã, quò pertinent Epistolæ Paulinæ & Canonicæ reliquæ septẽ. Propheticum verò mores futuræ Ecclesiæ adumbrat, iudiciũ infidelium & præmia sanctorum exprimit, qualis est liber Apocalypseos.

Ac de primo quidem genere, hactenus nobis sermo fuit: nunc Domino bene fortunante, alterum in manus sumemus, in quo διδασκαλία magis, quàm historia proponitur. Ad quam tractationem decet adolescentes conuenire noua quadam & alacri diligẽtia non solùm quia Christus iubet Scripturas scrutari (quanquam hoc maximum sit) aut quia officij est & vocationis nostræ, qua de re sæpe auditis: sed quia temporis hodierni ratio hoc postulat, finis enim feriarum est, vt alacrius ad studia reuertamur. Hæc considerantes debent cogitare, vt post ferias nunc cum libris & musis in gratiam redeant. Si enim libris nostris patronus daretur, inprimis desiderarent hoc in nobis, ne situ & puluere eos pateremur obduci, tum blattis ac tineis colluctari, sed manibus nostris diurna nocturnáque euolueremus eos diligentia.

Et imperatores, qui priuilegia scholis dedére, voluerunt, vt isti, qui habitum Philosophiæ indebité, & insolenter vsurparent patriæ redderentur, h.e. vnde venerint, remittãtur, quod hodie dicimus ad stiuam relegari: hoc sanè aduersus eos pertinet, quibus nihil, quàm otium & feriæ in ore est.

Mea nunc sententia est, studiosis nihil melius, aut salubrius committi, quàm literas eásque occupatissimas, &, vt ita dicam, negotio plenas. Scipio Affricanus dicere solebat populo Romano melius negotium, quàm otium committi: id verissimum est de studiosis, melius his negotium, quàm otium committitur. In otio animus ad praua conuertitur, otiosus enim esse non potest: id vt præcaueatur curandum est, vt iuuenes sæpe habeant quàm honestissimas occupationes, nunc audiant, nunc ipsi legant, componant, recitent, memoriæ mandent, scribant, &c. ita fiet, vt assequantur, quod in literis quærunt.

Otium certè, vel hoc nomine nobis esse debet suspectum, quòd naturà nobis arrideat. Quo sanè argumento à Stoicis voluptas Epicuri in primis refutata est: cùm enim hinc illam astrueret, quia natura omnia animalia ad voluptatem ferantur, hoc illi excepére, eo nomine damnari, quia natura ad optimum fertur, quod non cum belluis sit cõmune, aliud enim bonum hominis est optimum, aliud videtur bestiis naturali inclinatione. Suspectum igitur habeamus omne otium, nisi quod in literis negotiosum est.

Et experientia satis testatur diligentiam in omni negotio præstare: quis enim vnquã otiose tractando propositum, quicquam laudabile effecit? Multa tulit, fecitque puer sudauit & alsit. Abstinuit vino & venere, qui Pythia cantat. Hoc suasi diuinus ille Plato,

qui præcipit, vt in quo quisq; velit excellere hoc ipsum ἐκ παίδων ἀσκεῖν δεῖ παίζοντα καὶ σπουδάζοντα. & D.Paulus Timotheo,alioqui docto,præcipit,vt lectioni incumbat,quæ nobis dici existimandum est,quia & iuuenes,& ad idem munus præparamur.

Noua etiam lectio,nouam postulat diligentiam,καινὸν ἀκρόαμα, καινὸν σπούδασμα. Qui nouos emunt libellos,oblectare sese in illis solent:& noui authores,nouos ad audiendũ animos postulant,qualis noster præsens erit Diuus Paulus ad Romanos. Etenim Epistola talis est,in qua & Græci & Latini, veteres & recentiores ad summum sese defatigarunt:ad hanc,si otiosi,segnes,& imparati accedamus,certum est nihil effecturos. Magna est in hac difficultas quæstionum,insunt nodi, labyrinthi, sunt aliquando digressiones,sunt reditus ad principale institutũ,sunt argumentationes accuratè cõfectæ,quas nisi sagacissimus nemo alius deprehendat. Sed fortè nimis in hac parte sum prolixus,nõ enim erat instituti nostri huc digredi. Summa est,de vobis sperare possum diligentiã:de me verò seriò vobis polliceri,vos efficite,vt & frequentia vestra me excitetis & spẽ meã non fallatis. Ego bona fide præstabo,quod Christus requirit in bono œconomo,vt noua & vetera de penu suo promat suæ familiæ. Nam quicquid vel apud veteres aut neotericos deprehendam, bona fide in medium proferam, nec suspensos vos dimittam, si quando dissidentes in rerum explicatione deprehendero, sed diuersis commemoratis sententiis,quæ mea sit libenter proponam:dicitur enim doctrina categorica esse,vt sciat auditor,quid sequi tutò possit,sed ad rem.

Matt. 13.

Dixi secundum scripti genus nobis iam enarrandum esse,ad quod epistolæ referuntur. Differunt autem epistolæ secundum personas & suos authores : aliæ enim Paulinæ sunt numero 14. aliæ Iacobi,vnica:aliæ Petri, duæ : aliæ Ioannis, tres:quanquam non vnius & eiusdem esse quibusdam videtur: aliæ Iudæ, vnica. Sic quinque ordines sunt secundum authorum diuersitatem,ac Paulinæ quidem,aliæ integris Ecclesiis dedicantur, aliæ priuatis discipulis. Ecclesiis integris scribuntur istæ decem,ad Romanos vna,ad Corinthios duæ,ad Galatas,vna,ad Ephesios vna,ad Philipp. vna,ad Coloss. vna,ad Thessa. duæ,ad Hebræos vna. Priuatis verò dedicantur quatuor,ad Timotheum duæ,ad Titum vna,ad Philemonem vna. Atque illa generatim sufficiant.

Iam quod illam ad Romanos attinet illius considerationem ad illa tria reuocabimus capita,quæ in aliis hactenus etiã obseruauimus. Quis scilicet scribat,cui scribat, & quid scribat:ad ista enim facilè reliqua omnia accommodari possunt, quæ in generali consideratione explicanda sunt.

Pauli nomen.

De authore igitur priore loco dicemus,& eò liberius nunc,quòd Pauli nomen se hîc offert,deinde,ne sæpius deinceps in hunc locum sit nobis digrediendum. Duo illius nomina extant in Actis, nam Act. 7. ad pedes illius deposuere vestes, qui lapidabant Stephanum: Saul autem illic dicitur. Et Actor. cap. 9. Saul adhuc spirat minas. Et capite 13. Separate mihi Barnabam & Saul. Pauli verò nomen cap. 13. primitus exprimitur,ac deinceps frequenter in Actis, & in omnibus Epistolis ipsius, ac Petro quoque Paulus non Saul dicitur, 2. Petri capite tertio.

Nomen Saulis indubitatò est Hebręum,quod ab Hebręis parentibus in circumcisione accepit,quemadmodum nos hodie in Baptismo infantibus nomina imponimus. Ac videntur parentes,illustri nomine illum voluisse ornare,quale in sua tribu Beniamin magnificum habebatur,cùm primus rex Israelis Saul quoque inde fuerit.

Pauli nomen planè Latinum est,& rectè quidem Augustinus à pauco hoc est modico deriuat in Psalmum 72. & in homil. 17. nec malè huc accommodat illud Apostoli de se.1. Cor. 15. Minimus sum Apostolorum: vt enim Latinis pauli primitus dicti sunt parui,ita non malè Apostolus Paulus, ipso nomine, humilitatis suæ admonebatur. Qui à Græcis deriuant,quietũ interpretantur,hoc enim est παῦλα :sed non video vnde à Græcis illa vox defluxerit,deinde apud Græcos nullibi legimus,hoc nomẽ proprium in vsu esse. Neque Homerus,neque Hesiodus,Thucydides,aut Herodotus,vllum habent Paulum:in aliis etiam scriptoribus Græcis nulli extant,nisi qui ex Latinis transtulere, vt apud Plutarchum,Dionem,Appianum,& similes. Nulla igitur probabili coniectura probari potest,Græcum hoc nomen esse proprium,sed planè Latini sermonis est.

Non Græcam esse vocem.

Minus probabilia dicunt,qui de Hebræo originem repetunt,non enim vocum origines ex peregrinis linguis repeti debent,sed sua natiua. Id quidem D. Hieronymus rectè contra alios dicit,non tamen seruat in hoc nomine. Nam in commentariis suis in Epist. ad Philemonem,in initio & fine commentariorum interpretatur, Paulum admirabilem, secundum Hebræos,quia *Péle* talem significat,quasi Paulus à *Pelé* deriuetur, quum nomen hoc Latinis historiis solùm notum sit.

Non Hebræam esse vocem.

Nec Paulus à Saule deriuatur,aut defluxit,quod hodie quidam affirmant. Qui etiam negant

negant binominem fuisse, hoc affirmant, quemadmodum idem sunt Ioannes, Ιωάννης, *Iochanan* & *Hans*, in diuersis linguis, Græca, Latina, Hebræa, & Germanica, & Ludouicus idem est cum *Luduoig*. Sed longe quidem illi falluntur, certum enim est *Iochanan* Hebræum nomen. Græcis suum dedisse Ιωάννην, Latinis Ioannem, & Germanis suum *Hans*: sic contrà indubitatum est. Germanos suum *Luduoig* cõmunicando effecisse apud Latinos Ludouicum, adeò vt *Luduoig*, fons sit, vt est Iehoua apud Hebræos: non ita Saulus & Paulus idem sunt, quum illud Hebræum sit, hoc verò Latinum. Itaque nec inde deriuatur, nec cum illo idem est, nisi quatenus vnius personæ duo sunt nomina diuersa. Statuamus igitur quod verum est, Saulum à parentibus dictum Iudaico nomine, significat autem postulatum a *schaal* Paulum verò gẽtibus vocatum & fidelibus post conuersionem.

Qui hîc quærunt de tempore, quando cœperit dici Paulus, curiosè magis id faciunt quàm vtiliter: scriptura.n.nihil hac de re habet. Et quãquam de Saulis appellatione nihil sit expressum: tamen est consuetudo, & lex de circuncisione octauo die, quando nomina quoque imponebantur. Itaque illud demonstrari potest ex consequentia, de Pauli verò nomine non potest: non.n. in circuncisione legimus gemina imposita fuisse nomina Itaque hîc coniecturis est agendum & probabili ratione. Quando cœperit dici Paulus.

Diuus Hieronymus ex re gesta hoc illi nomen obuenisse indicat: nam cùm Sergium Paulum ad Christum conuertisset Cypri proconsulem, hinc eo deinceps vsum nomine, à re feliciter gesta, Act.13. Hoc pacto Metellus Creticus dictus est, Scipio Africanus, alius Numidicus alius Asianus, Torquatus etiam, & quomodo illa sententia sit probabilis, diximus Act.13. Nec obstat, quod ei hîc obiiciunt, in historia Lucæ dici Paulum, priusquam converteretur Sergius: nam respici debet ad temps, quo illa scripta sunt. Historiam Lucas postea descripit, nec erat cogendus ad leges, sed liberum narrationi vniuersæ nomen Pauli ei tribuere boni ominis ergò, vt constaret lectori, quid de successu esset illi sperandum.

Augustini est, nomen hoc illi accessisse ob mutatam religionem, quæ & Ambrosii est. Hodie sanè Iudæi cum religione mutant nomina: in Apostolo tamen videmus prius nomen post conuersionem cap.13. bis, quod tamen ratione non caret. nam Spiritus sanctus Saulum vocat inter Iudæos, & iam segregandum ad ministerium Ecclesiæ. Deinde verò Lucas, vt ad Pauli nomen transiret, Saulus qui & Paulus, nec deinceps illo vtitur amplius.

Theophylacti & Chrysostomi est, diuinitùs illi mutatum quemadmodũ Petro, qui à Christo Cephas dicitur, & filiis Zebedei, qui Boanerges dicti sunt, quibus ne esset inferior, ait Theophil. Sed in eo inferior est collatio, quòd de horum nominum mutatione certa extat scriptura, de Pauli nomine nulla,

Aliis placet ob ius Romanæ ciuitatis, vt quemadmodum Iudaico nomine Hebræum profitebatur: ita Latino ciuem Romanum, quod eo niti videtur, quòd Tarsus patria illius, iure Romanæ ciuitatis fuerit donata à M. Antonino.

Hi fere consentiunt cum Origene, qui binominem facit, quam sententiam libenter ego etiam sequar, non solùm, quia affinitas est inter nomina Saulis & Pauli, aut quòd reges in veteri testamento, aliíque multi binomines leguntur: sed quòd videã, hoc in primis Iudæis fuisse familiare, vt gentium quoque nomina quædam assumerent, apud quos exularent. Exempla sunt, Ioseph in Aegypto, non solùm Ioseph dicitur, sed Aegyptiacè Saphnath, vt credibile sit ab Hebræis Ioseph dictum, ab Aegyptiis verò sua lingua Saphnath. Sic Daniel in Babylonicum nomen Belsdtasar: Ananias dicitur Sadrach, Azarias Ebednego, Misael Mesach. Hæc non malè huc afferri possunt. Paulus certè Iudæis Saul erat: sed quia idem peregrinatur in Romano imperio, & exul est in Tarso, Romanum assumit nomen, quacunque tandem de causa, siue ad declarandum ius ciuitatis Romanæ, siue ob mutatam religionem, siue ob conuersum Sergium Paulum, siue diuinitus illi, aut humanitus sit impositum, siue ob ista omnia, dici facilè non potest: hoc tamen certum est, Deo sic disponente, hoc esse factum, & illo nomine non modicam dignitatem & gratiam ministerio accessisse inde manifestum, quòd in omnibus inscriptionibus Epistolarum illo solo gaudet, repudiato vetere. Hæc de nomine Pauli libuit in præsentia afferre, ne deinceps nos illud remoraretur.

Patria illius splẽdida fuit ciuitas Tarsus Ciliciæ, hanc indicat ipse Paulus Act.22. Tarsinatus, nutritus verò in hac vrbe. ad Philipp. cap.3. versu.5. circuncisus est octauo die, ex gente Israel, tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus. 2. Corinth.11. v.22. Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sicut & ego. Quibus locis, non solùm patriam indicat, sed tribum etiã & genus. D. Hieronymus inducit aliam Patria Pauli

etiam patriam, quòd fuerit oriundus ex oppido Giscalis, de tribu Beniamin, quòd cùm à Romanis captum esset, cum parentibus suis in Tarsum Ciliciæ commigrarit. Verùm non congruit cū Pauli verbis Act.22. vbi inquit, γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ, natus sum in Tarso. Itaque non credibile est Paulum ibi quicquam tergiuersatum esse. fieri tamen potest vt parentes illius ex Giscali profugerint in Tarsum.

Præceptorem in lege habuit insignem virum Gamalielem. Act.22.v.3. ad pedes Gamalielis enutritus. Qualis autem fuerit Gamaliel, 5. capite Actorum audiuimus, quòd totus populus illum in pretio habuerit. Hieronymus ait, studiorum gratia Hierosolymam missum à parentibus, & à viro doctissimo Gamaliele eruditum esse. In Christianismo præceptorem habuit ipsum Christum Dei Filium, Act.9. & Spiritum sanctū. Hinc illud Galat.1. Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum verè theodidactus fuit. Inde factum vt non diu cum Apostolis manserit Hierosolymis, ne quid ab homine didicisse videatur, quod ipsum disertè indicat ad Gal.2. & hoc nomine graniora apud nos debent esse illius scripta.

Ante conuersionē. Vitæ genus sanctum fuit & castum secundum exquisitissimam legis sectam. Act. 22. In hac ipsa vrbe institutus ad exquisitissimam formam patriæ legis, zelo Dei accensus. ad Phil.3.5. Religione Pharisæus, secundum iustitiam legis irreprehensibilis. & ad Gal.1. v.14. Profeci in Iudaismo supra multos æquales meos in gente mea, cùm vehementiore studio tenerer paternarum traditionum. Magnæ sunt virtutes, quas sibi tribuit, eruditionem Legis, diligentiam defendendi traditiones paternas, zelum erga Deum, h.e. pietatis studium, felicitatem in discendo, qua anteuertit multos coæquales, sectæ genus præstantissimum: Pharisæus enim fuit, qui reliquis tolerabiliores erant. Hinc vitium quoque non animi, sed sectæ morbus & cæcitas, quod scilicet persequutus sit Ecclesiam, de quo act.9 & cap.22.v.4. Hanc viam persecutus sum vsque ad mortem, vinciens ac tradens in carceres, tam viros quàm mulieres. Et ad Gal.1. v.13. Supra modum persecutus sum Ecclesiam Dei. 1.Cor.15.v.9. Nō sum dignus vt vocer Apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei Philip.3.v.6. Quod zelum attinet, persequutus Ecclesiā Dei. 1. Tim. 1.v.13 Prius eram blasphemus, persecutor & iniuriosus.

In conuersione. Talis illius vita & mores ante conuersionem. In conuersione autem omnia humilia in ipso, præter spem & meritum illi accidunt, omnia miraculosa & stupenda, de quibus vide Act.9. Ante conuersionem dixeris lupum esse, & vastatorem gregis Domini: in conuersione verò ouem, adeò nihil recalcitrat, sed submittit se, & quærit, Quid vis me facere Domine? ad Timot.1. Epist, cap.1. excusat se quòd ignorans omnia fecerit in incredulitate, significans zelum suum caruisse veri notitia, animū verò cupidū veri fuisse, Sic 1.Cor.15.v.9. Gratia Dei sum id quod sum.

Post conuersionē. Post conuersionem doctor est Gentium, & propius vacat Ecclesiæ: & non malè de illo citatur illud Gen.49. de Beniamin, Beniamin lupus rapax, manè diripit prædam, vesperi diuidit spolia. Zelo enim nemini cedit, nec diligentia, labore, & vigilantia in docendo, vlli Apostolorum inferior est: quod ipse constanter quoque affirmat contra suos calumniatores, 2.Cor.11. Rom.15.v.19.

Res gestę. Nec defuit felicitas in docendo. Ab Ierosolymis vsque ad Illyricum omnia compleuit Euangelio, de Iesu Christo Dei Filio. Quàm verum hoc sit, testantur illius peregrinationes, de quibus in Actis á capite decimo tertio vsque ad finem illius operis, copiosè scriptum est. Et Eusebius libro 3. cap.4. nonnulla habet. Nicephorus certè libro 2. bonam partem illius laboribus & peregrinationibus tribuit: nam à capite 19. vsque ad 38. solùm Pauli res gestas persequitur. Athanasius ad Dracontium Hispanias quoque adiisse Paulum affirmat, quod factum oportuit post primam illius defensionem, quum à Nerone dimissus esset.

Eruditio. Eloquentem fuisse & disertum, testantur illius conciones, quas in Actis habemus, vt illa Athenis inter philosophos, & Ierosolymis ca.22,23. & sequentibus habitæ: valuisse autem vi quadam persuadendi, quam δείνωσιν vocant, apparet ex illius disputationibus Actorum 9. contra Iudæos. 13 contra Magnum. Sed epistolæ ab eo relictæ certissimum sunt eloquentiæ & eruditionis ipsius argumentum. Et seculares literæ eruditū arguunt. Tit.2. Epimenidis citat versum. Actorum cap.17. Arati hemistichium. 1. Corinth. cap. 15 Menandri iambum, de quo aliâs diximus. Hieronymus, copiosius egit, ad oratorem Romanum Magnum, & aduersus Ruffinum, eloquentiam illi tribuit: & ad Algasium, quæstione 10. & ad Hedibiā, quæstione vndecima. Eusebius lib.3. Hist. cap.24. eruditiorem inter Apostolos fecit: & Augustinus aliquoties supra omnes doctores extollit. Origenes in Cant. illud Solomonis, Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam nō custodiui, eleganter ad Paulum transfert, quia pro omnium salute solicitus, suæ vitæ

nullam habuit rationem, adeò omnibus omnia factus est.

Sed nostri instituti non est, laudes illius & virtutes nominatim persequi: qui has cupit, legat Chrysost. homilias octo quas de laudibus Pauli composuit, & August. lib. 14. De ciuitate Dei cap. 9. & contra Nestorium cap. 14. vbi Dialectices notitiam singularem illi vindicat. Epiphanius alibi tribuit illi singularem authoritatem transferendi quædam ex veteri in nouum Testamentum. Cyrillus in capite 16. Ioannis, receptaculum mysteriorum Dei vocat, quasi vna fasce omnia complexus. Optima illius laus tamen est ex Deo, Act. 9 erit mihi vas electum. vt & Pet. 3. singularis ei tribuitur sapientia, & in scribendo quædam sublimitas.

De matrimonio illius quæri etiam solet. Augustinus De opere monachorum cap. 4. non habuisse vxorem refert. Et γυνὴ illi mulier est, non vxor. In eadem sententia est Epiphanius, quia suo exemplo suadeat cœlibatum. Hoc idem multis placuisse doctoribus indicat Nicephorus lib. 2. cap. 44. ad finem, & comparem, ait, intelligi posse viri alicuius nomen, quem salutet. Sed placet multis sententia Clementis Alexandrini 4. libro tertio Στρωμ. expressè testatur contra contemptores matrimonij, Paulum vxoratum fuisse: & rectè quidem locum ad Philip. 4. vers. 3. rogo & te σύζυγε γνήσιε compar germana, de vxore intelligi. In hac sententia est quoque Eusebius lib. 3. capite 30. vbi Petro & Philippo vxoratis Paulum connumerat. Clementis sententiam refert & Niceph. citato iam loco. Sed parum id retulerit, habuerit néc ne, satis est hoc illi licuisse, si voluisset, & si expediuisset instituto suo, 1. Cor. 9. Matrimonium

Veniamus ad scripta Pauli, quæ non minimum locum habent inter labores illius. Opera sua epistolari genere conscripsit, quæ bipartita sunt: aut enim Ecclesiis dicauit, vt ad Rom. ad Corinth. ad Galatas, ad Ephes. ad Philipp. ad Colos. ad Thessal. ad Hebr. aut priuatis discipulis, vt ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem Epistolæ. Præter ista olim fuerant quædam apocrypha, quæ in Ecclesia circumferebantur illius nominis falsò, qualis erat epistola ad Laodicenses, cuius facit Hieronymus mentionem. Et Augustinus in cap. 16. Ioannis Apocalypsin Pauli citat falsò illi tributam. Nicephorus libro 12. capite 34. eiusdem libri Apocalypseos facit mentionem, quem dicebant repertum in Pauli domo paterna Tharsi in theca marmorea, Theodosij tempore, quod tamē falsum esse ostendit senis cuiusdam cōfessione. Idem Nicephorus libro secundo capite. 46. refert librum Actorum Pauli: citat & Clemens Alexandrinus quædam tanquam Paulina, quæ tamen non sunt recepta. Opera eius.

ORDO SCRIPTORVM PAVLINORVM, MORS eiusdem, & quibus dedicata sit præsens epistola.

IN explicandis authoribus duplex solet adhiberi consideratio. Prior generalis est, posterior specialis: illa προλεγόμενα continet, quæ ad illa tria reuocauimus, quis scribat, cui, & quid scribatur. Hæc verò ipsa verba authoris expendit, locos communes, quæstiones, & quicquid explicatione dignum est in suscepto authore. Nos quæ hactenus attulimus ad generalem pertinent considerationem: nam de persona scribētis diximus, scilicet de nomine illius, patria, præceptoribus, vitæ genere, matrimonio, ac scriptis illius, quo in loco substitimus. Addemus igitur nunc superioribus illa: primùm, ordinem scriptorum Paulinorum, deinde mortem eius. Tertiò adiungetur etiam illis locus alter, hoc est, quibus dicata sit præsens epistola.

Ordo scriptorum ob id vtilis erit, ne putemus eodem ordine scriptas epistolas quo videmus hodie illas editas. Duplex igitur consideratur ordo temporis, quo scriptæ sunt, & editionis, quo hodie ordine leguntur in Canone.

Scriptæ autem videntur hoc ordine, duæ ad Thessallonicenses, primò antè reliquas omnes Athenis, quod subscriptio quoque habet. Instituerat illam Ecclesiam fideliter & alias multas, digressus ab ea confirmare in fide suscepta, & contra falsos doctores munire eandem voluit. Secunda ordine videtur prior ad Timotheum, Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ scripta. Quo ordine scriptæ sint Pauli Epist.

Tertia prior ad Corinthios, ex Epheso data, quò venerat secundo iam Act. 19. Nam in hac colligi iubet eleemosynam, quam se cum deferat in Iudæam. Græca quidem subscriptio habet, ex Philippis Macedoniæ, verùm vix fit probabile: nam cap. 16. salutes habet nomine Ecclesiarum Asiæ, quod non videtur commodè facere potuisse in Macedonia, in qua Philippi sunt. Præterea significat, quàm diu sit mansurus adhuc Ephesi eodem capite, significans indubie tempore scriptionis, se ibidem fuisse. 1. Cor. 16.

Quartò, ad Titum ex Nicopoli Macedoniæ, quod subscriptio etiam habet.

Quintò posterior ad Corinthios ex Philippis scripta censetur.

Sextò ad Romanos demum ſcripta putatur. Nondum viderat Romanos, ſed rectè inſtitutos audierat: hos igitur abſens confirmat, Corinthi ſcripta eſt, ex itinere, quum vltimò iam aſcenderet Ieroſolymam. Atque hæ ſeptem Epiſtolæ ſcriptæ putantur priuſquā veniret Romam.

Romæ deinde, in illo biennio liberæ cuſtodiæ, has ſcripſit.

Primò illam ad Philippenſes. Subſcriptio quidem habet Romæ ſcriptam eſſe. Et ca.1. meminit ſuorum vinculorum, tanquam rei nouæ, & cap.4. familiæ Cæſaris: prima igitur editur.

II. ad Coloſſenſes, ſubſcriptio Romæ datam eſſe teſtatur.

III. ad Philemonem, nomina ſalutantiam eadem ferè ſunt, quæ in Epiſtola ad Coloſſ. vt videri poſſint eodem tempore datæ.

IIII. Ad Epheſios, in qua magna eſt argumenti ſimilitudo, cum illa ad Coloſſ.

V. Secunda ad Timotheum, in qua conqueritur ſe ab omnibus eſſe deſertum. Demas quoque, qui dum ſcriberetur illa ad Coloſſ. adhuc conſtans permanſerat, iam illum quoque deſeruit, vt vel hoc nomine poſterior ſit.

VI. Ad Galatas, in qua grauiſsimè in ceremonias inuehitur, adeò vt non dubitet dicere, Si quis aliud Euangelium anuntiet, ſiue Angelus etiam de cœlo, anathema ſit. Et de circuncìſione capite 5. ſimpliciter pronuntiat, Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Non ita grauiter in aliis epiſtolis cauſam hanc agit, vt cap.6. tanquam ad metā properans, ait, Ne quis illi deinceps moleſtus ſit, ſe enim mundo crucifigi.

VII. Epiſtola ad Hebræos ex Italia quoque ſcripta eſt, & habet ſalutationem nomine Italicorum. De authore eius tamen dubitatum eſt olim magis, quàm hodie, Tertullianus eam Barnabæ tribuit: alij D. Lucæ, tanquam diſcipulo & comiti Pauli: alij Clementi Romano, de quo vide Euſeb. libro quarto capite decimo octauo. Sunt qui putent Hebraicè ſcriptam à Paulo: à Clemente verò, vel Luca, aut alio Græcè verſam & terſius, vnde quoque varietas aliqua ſit enata, vt à Paulino ſtylo remotior doctis ſit viſa.

Hic ordo ſcriptionis videtur doctis, de quo habes quædam apud D. Hieronymum in comment. in epiſtolam ad Philemonem, & nonnulla apud Niceph. lib.2. capite 34. Inter recentiores hanc rem diligentius tractat D. Bucerus pręceptor meus, in προλεγομένοις epiſtolæ ad Romanos. Diligentiſimè verò hanc rem proſequitur D. Hyperius itidem præceptor meus, cuius commentaria tamen non extant, ideóque minus priuari ſua debet laude. Bis hunc audiui explicantem hanc epiſtolam ad Romanos.

Ordo editionis.

Alter ordo editionis, diligenter conſiderari debet & ediſci à ſtudioſis, vt quo ordine quælibet epiſtola poſita ſit, ſimul & capitum numerum in promptu habere. Ad Romanos vna eſt, capitum 16. Ad Corinthios duæ ſunt, prior capita habet etiam 16. poſterior 13. Ad Galatas vna eſt cap.6. Ad Epheſ. vna cap.6. Ad Philip. vna cap.4. ad Coloſſ. vna capitum 4. Ad Theſſ. duæ, prior habet capita 5. poſterior. 3. Ad Timotheū duæ ſunt, prior capita habet 6. poſterior 4. Ad Titum vna capitum 3. Ad Philemonem vna eſt huius caput ſolùm vnum: ad Hebræos habet capita 13.

Cur hæc ad Rom. prima ſit ordine.

Hoc ordine prima eſt ad Romanos, cur id fit, quæſitæ ſunt rationes, nos reſpondemus curioſè hoc quæri: nam quid ſi alia prior eſſet, quid reſponderetur? Liberum fuit Eccleſiæ iudicium, ex cuius conſenſu, hic ordo ad nos peruenit, nec dubitamus, quin Spiritus ſanctus hoc ita diſpoſuerit, cuius voluntas & iudicium nobis regula eſſe debet: hæc verò & indubitata eſt apud me ratio. Probabilia huic accedunt, ſcilicet quòd primaria quæſtio ſalutis noſtræ diſertè, & copioſius etiam, quàm in aliis explicetur in hac epiſtola: illa autem eſt, per quid iuſtificemur, fidéne an operibus: remouet autem opera, quia nec Ethnicus ſuis moralibus, nec Iudæus ſuis legalibus iuſtificari poteſt. Itaque fide neceſſe eſt nos iuſtificari. Deinde ad ſedem imperij, & tanquam arcem ſcribitur, qualis tū Roma erat, gentium domina: vel hoc ergo nomine digna eſt, vt prima habeatur ordine. Præterea prolixior eſt aliis: nam quanquam prior ad Corinthios capitum numero huic par ſit: tamen longior eſt aliquanto hæc, & grauior ſtylo & obſcurior quæſtionibus.

1. A materiæ præſtantia. 2. A dignitate imperij. 3. Grauiſſima quæſtionibus & difficultate.

Demum omnibus videtur ſcripta magis, quum Romæ Iudæi & Gentes, promiſcuè & multi crediſſent, ideóque Gentium vocationem hîc diligentiùs explicat, & Iudæorū reiectionem: in Chriſto tamen vtrumque populum ſtudioſè coniungit & conciliat.

4. Omnibus ſcripta.

De morte illius conſtans eſt hiſtoriæ conſenſus, cum Romæ à Nerone gladio percuſſum eſſe. Annus fuit à paſſione Domini 37. imperij Neronis 14. Hoc ſcribunt Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, Nicephorus, aliique omnes, quos quidem licuit inſpicere. In qua relatione illa tria in primis admiror, primùm, quod omnes magno conſenſu dicant Paulū eodem die cum Petro Romæ occiſum, quod affirmat Hieronymus in ſcri-

in scriptoribus Ecclesiasticis. Eusebius libro 2. historiæ Ecclesiasticę cap. 25. Nicephorus libro 2. cap. 36. 37. idque ex Caio veteri scriptore, & Dionysio Corinthiorum episcopo probat, quod idem facit Eusebius Augustinus libro. 1. cap. 10. De consensu Euangel. adeò vt probabile sit Petrum Romam venisse, quanquam id historia in Actis Ap. non explicet. Sed de ea re nolim contendere, dicemus de ea plura infrà, si Dominus dederit, vbi ad illius ventum fuerit epistolas.

Alterum est, quod solus refert Nicephorus, Apostolum Paulum cum Nerone loquutum, & promisisse suum reditum tertio à morte die: idque contigisse, vt vmbra Pauli Neroni visa sit, adeò, vt sit conatus eam apprehendere, non potuerit autem. Quod si contigit, reuera ad terrorem impio principi factum est. Sed vt aliâs multa conficta sunt olim ad rerum miracula, ita fortè etiam hoc fuerit. Tertium huic non dissimile est quod refert Augustin. in orat. de SS. Petro & Paulo, quòd in decollatione eius pro sanguine lac eruperit, quod ad innocentiam eius faciebat, si verum est: sed oratio illa non videtur Augustin. esse, sed assuta illi, vt alia multa. In medio illa relinquimus, fieri potest esse conficta: nihil tamē absurdi est, si statuantur facta. Sepultus est Romæ in via Ostiensi, vt iidem referunt scriptores, & hodie vulgò creditur. Atque hactenus prior locus (hoc est de authore huius epistolæ) expositus sit, in quo breuem totius vitæ illius ideam proposuimus. Sequitur alter locus, cui dicata sit præsen epistola.

QVIBVS SCRIPTA SIT PRÆSENS Epistola.

Scripta est ad Romanos, hoc est, eos fideles, qui tum temporis Romæ ex Iudæis & Gentibus, Christum erant amplexi, hos nondum viderat: audiuerat autem eorum fidem prædicari. 1. Romanis.

Porrò, per quos Euangelium illic sit prædicatum, cùm Apostolus gentium. Paulus scilicet ad eos nondum venisset, diuersæ sunt sententiæ. Sunt qui hoc tribuant D. Petro, qui secundo anno Claudij imperij Romam peruenisse dicitur: malim hoc ego tribuere Andronico & Iuniæ, nam hos cap. 16. ad Romanos inter Apostolos numerat, & quidem doctos fuisse, & ante Paulum in Christo, ex quo satis constat, illos duos obiuisse munus Apostoli, docendo hinc inde, & cùm Romæ tum fuerint, docuisse etiam illic credibile est. Quòd si, ne hi fundamenta illic posuerunt fidei, parum interest, fecerint id alij.

Deinde nobis omnibus scripta esse credi debet, nam Romani imperij adhuc sumus reliquiæ, & ex Gentibus conuersi ad Christum. Ouidius de Roma dicit. 2. Nobis.

Gentibus est alius tellus data limite certo:
Romana spatium est vrbis & orbis idem.

Quòd si ita est, nobis vtique omnibus scripta est, imò toti mundo: nobis verò eo magis, quòd Christum agnoscimus Dei beneficio, & hanc doctrinam sequimur, quam Romanæ Ecclesiæ illo seculo commendauit. Præterea & membrum sumus (vt dixi) dissipati Romani imperij, & quanquam hodie nec sedem nec fidem agnoscamus Romanam, qualis hodie est, attamen agnoscimus Christum in hac epistola, doctrinam Pauli, fidem iustificantem, non nitendum esse nostræ dignitati, aliósque locos, quos eruditè diuus Paulus hîc declarat, secus quàm faciunt hodie, qui sedem Petri occupant, & Ecclesiæ Romanæ gubernacula tenent, &c.

DISPOSITIO TOTIVS EPISTOLÆ, HOC EST *quæ sit eius occasio, quòd argumentum, quæ propositio, quis status, quod genus, quæ partes.*

SEquuntur rerum loci, qui sunt expendendi ante ingressum epistolæ: quæ enim hactenus diximus, ad personas spectabant, tum scribentis, tum auditorum, quæ lucem quidem afferunt negotio præsenti, ex sequentibus tamen optimè perspici poterit œconomia & dispositio totius causæ, si nimirum considerauerimus occasionem, argumentum, propositionem, statum, genus, partes huius epistolæ. Ex quibus omnibus facilè erit de locis præcipuis & vtilitate eius statuere. De his igitur agemus breuiter.

Occasio oblata putatur, quòd apud Romanos fideles, subingressi sint quidam falsi doctores, qui doctrinæ sinceritatem corrumpebant, asserentes sine legis & circumcisionis obseruantia, Christum etiam nihil prodesse credentibus, hunc errorem corrigendum susceperat absens Apostolus. Verùm in tota epistola non fit mentio certorum hominum, qui Ecclesiam hinc corruperint. Solùm cap. 16. v. 17. Hortor vos, vt obseruetis dissidiorum authores, & scandalorum contra doctrinam, quam vos didici- Occasio oblata.

stis, vt declinetis ab eis: vbi magis metuere videtur corruptelam morum quàm doctrinæ. Deinde cap. primo, doctrinæ puritatem illis tribuit, quia gaudet illorum fidem prędicari in toto mundo: & infra cap. 16. illorum obedientiam in Domino ad omnes peruenisse dicit, ideóque non videtur hac occasione præcipuè scripta. Sed potiùs, si oblata est illi occasio, inde est, quòd cùm ab omnibus Romanæ Ecclesiæ fides & constantia laudaretur, in hoc ipso cursu eos confirmare voluit, & hoc ipsum est, quod cap. 1. dicit, cupere se ipsos videre, vt impertiatur illis aliquod donum spirituale, hoc est, vt confirmarentur, & mutuam consolationem acciperent. Deinde oblata esse potest, quòd ab aliis Ecclesiis hoc sit facere rogatus, tum priuatim, tum publicè, quò spectant, quæ habet infrà, cap. 16. Salutant, inquit, vos Ecclesiæ gentium, quo satis indicat, Asiaticas Ecclesias & Europæas per Græciam, Romanos singulari quodam amore prosecutas, propter fidei sinceritatem: inde stimuli fortè ad scribendum. Verùm quæsita quoque esse potest occasio, nam certum est, Spiritum sanctum in Apostolo illa agere. Apparet igitur illuc respexisse, vt scilicet extaret aliquod scriptũ perfectius & absolutius de præcipuis articulis religionis Christianæ, quod apud posterós testaretur, quid sentiendum esset de nostra natura, de meritis, de gratia iustificante, de peccato, & similibus, & tale opus ad arcem imperij mitteret. Hoc vt credamus, efficit aliarum epistolarum ad hanc comparatio, in quibus sane quæstio iustificationis, non pari diligentia & copia absoluitur.

Argumentum.

Romanos quos nondum viderat, in vera Christi cognitione confirmat, docens, quæ sit sua de primariis articulis nostræ religionis sententia, de hominis dignitate apud Deum, de causis iustificationis de fide, gratia, peccato, lege, vocatione Gentium, reiectione Iudæorum, operibus renati hominis, aliísque similibus locis, tandem pia & copiosa salutatione totam concludit epistolam.

Πρότασις.

Principalis propositio est, homines iustificari merito Domini gratuito, fide apprehendente misericordiam Dei sine operibus: quęstio enim est de iustificatione, quàm Iudæi operibus legalibus ascribebant, Gentes autem moralibus suis & naturali cognotioni. Ita, quod Domino tribui debuit, operibus tribuebatur passim.

Confirmatio illius propositionis sumitur ex vi syllogismi disiunctiui. Aut iustificamur operibus, aut fide: sed non operibus: ergo fide. Totum connexum συνημμένον verum est: nam constat ex duabus disiunctiuis propositionibus immediatis, in quibus tertium membrum nullum dari potest: assumptum autem remotionem habet, Non operibus iustificantur homines, prima fuit pars, & propositio connexi totius. In hoc nodus est, ideo huc incumbit probatio, quæ talis ferè est. Ethnici qui natura habuerunt notitiam de Deo, &, moraliter iusti visi sunt: nec Iudæi ex lege sua licet diuinitus data, iusti coram Deo sunt, sed omnes iræ filij. Ergo nemo prorsus operibus suis iustificatur coram Domino. Vis est argumenti à diuisione plena, in qua remotis partibus siue membris omnibus, remouetur etiam totum. Plena autem est diuisio, qua mortaliũ genus in Græcos & Iudæos diuiditur, & vtrumque membrum operibus iustificari non potest. Sequitur hinc illatio principalis syllogismi, Ergo fide iustificamur, quæ altera erat propositio connexi & vera. A tota disiuncti natura ad alteram eius partem, remota altera, valet argumentum.

Syllogismus.

Status.

Statum constituo definitiuum, quia definit, in quanam re consistat vis iustificationis, quæ ad στάσιν ὁριστικὴν pertinent. Definiuntur etiam hîc alia, vt Euangelium quid sit, quid lex, quid gratia, quid peccatum, quid mors, quid opera renati hominis, de quibus omnibus, quia certa & indubitata affert ex sacris literis, idcirco definitiuum statum dicimus esse.

Genus.

Genus varium est: attamen vnum prædominans est domonstratiuum, ἀποδεικτικὸν. Nam summa certitudo debet esse in articulo iustificationis, in cognitione peccati, gratiæ, quæ non aliunde constat, quàm ἀποδείξει: sed est illa γραφικὴ, hoc est, quę nititur oraculis diuinis, non λογικὴ, quæ Philosophica est, & certa analogia conficitur.

Accessoria tamen multa sunt, quæ principale genus illustrant, confirmant, aut alia quadam ratione illi inseruiunt, qualia hîc sunt συστατικὸν quo se Romanis commendat, Romanos Deo, alios etiam sanctos illis tanquam fratribus. Gratulatorium, quo illorum fidem commendat, & illis ob sinceritatem congratulatur. Ἐπιτιμητικὸν, quo vitia mortalium in genere aperit, inuehitur in Gentium scelera, in Iudæorum supercilium, omnes de gradu dignitatis deiicit, & in Christo coniungit: παραινετικὸν,

παραινετικὸν, quo ad bona opera hortatur, & mutuam beneficentiam, εὐκτικὸν quando vota pro suis facit, pro Iudæis cupit esse anathema pro sanctis indesinenter orat, ad Romanos optat commodam profectionem, & similia, &c.

Partes.

In diuisione spectantur partes epistolæ; quæ sumuntur aliæ ex præceptis artis: aliæ ex materia subiecta, quæ tractatur. Artis ferè sunt eædem in omnibus epistolis: materiæ autem pro diuersitate causæ variant. Artis prope sunt partes ἐπιγραφὴ, hoc est, titulus, in quo, vt plurimum exprimitur persona scribentis, & cui scribatur, & quædam comprecatio, quæ εὐχὴ dicitur. Has partes prophani scriptores paucis complectuntur: vt. M. T. Cicero Pompeio salutem. Verùm in sacris authoribus, additur aliquid semper, vel de vocatione, aut de materia, aut genere doctrinæ. Post titulum sequitur προοίμιον, exordium epistolæ. Tertiò πρότασις, cui annectuntur partes, vel narratio, vel confirmatio, aut confutatio. Hinc ἀσπασμὸς additur, demum ὑπογραφὴ, quæ habet locum, tempus, & similes circunstantias. Hæ sunt epistolares partes, quas non est difficile in hac quoque demonstrare.

Materiæ partes, vt dixi variæ sunt, quemadmodum varia est causa, quæ explicatur. In præsenti negotio, materia has ferè habet partes. Homines non iustificantur operibus. II. Homines iustificantur fide: prima huius est quædam προκατάστασις. III. Meritum Christi ad Gentes etiam pertinere, à quo bona parte Iudæi exciderant suo vitio. IIII. De moribus renati hominis. V. Diuersas salutationes, & commendationes Sunt igitur istæ partes integrales huius epistolæ. Prima, Ἐπιγραφὴ. hoc est titulus. 2. Προοίμιον, hoc est, exordium. 3. Ἀνασκευὴ, Opera non iustificare coram Deo. 4. Κατασκευὴ, Fide nos iustificari. 5. Ἐπιδείκνωσις, Meritum Christi etiam ad Gentes pertinere, vbi agitur de vocatione Gentium, & reiectione Iudæorum, cap. 9. 10. & 11. 6. Παραίνεσις, ad officia renati hominis, quæ partim est ἠθικὴ, partim πολιτικὴ, partim ἀδιαφορικὴ, cap. 12. 13. & 14. 7. Ἐπίλογος, continens priuata quædam, qualis est, sui excusatio, commendatio fratrum, & amicorum salutationes. cap. 15. & 16. 8. Ὑπογραφὴ, vnde scripta sit epistola, & per quem missa, &c. Hunc partium ordinem sequitur in explicatione.

LOCI PRÆCIPVI, QVI AD VTILITATEM faciunt Epistola.

COntinet hæc epistola locos præcipuos nostræ religionis, vt meritò compendium æstimanda sit pietatis Christianæ. Ex illis paucos indicabimus, de reliquis suo loco dicetur copiosius & opportunius. In titulo illustris locus est de vocatione Apostolica, de antiquitate & dignitate Euangelij. In exordio locus est de sinceritate fidei Ecclesiæ Romanæ, cura Apostolica pro Romanis, de Euangelij definitione, &c. In confutatione, locus est de operibus, de peccato, de Gentium peculiari corruptela, de Iudeorum supercilio, de legis vi, impotentia, transgresione, de Iudæorum propriis vitiis, de æquata sorte omnium mortalium, Iudæorum & Gentium.

In confirmatione, illustris locus est de iustificatione, de fide, de gratia, de promissionibus, prædestinatione, de peccato vsu legis, de electione, de renatis in Christo. In declaratione, locus est de vocatione Gentium, de reiectione Iudæorum, iure electionis, prædestinatione, vis prædicationis quæ sit, &c.

In parænesi, ad opera renatorum multi loci sunt Ethnici de concordia alenda in Ecclesia, de sincera dilectione fraterna, de diligendis inimicis. Politici quoque sunt loci, vt de autoritate magistratus, cui fideles etiam sponte parere debent, de charitate, de tolerandis infirmitatibus, de iudicio rerum mediarum, qualis est cibus, potus.

In epilogo locus est de propagata Euangelij doctrina tempore Pauli, de peregrinationibus Pauli, de contributione in pauperes fideles, de sanctorum intercessione pro viuis in hac terra, de salutandi consuetudine fidelium & commendandi absentibus fideles vtilitate, &c.

Hæc de totius Epistolæ dispositione præmonuisse fortè non fuerit inutile: sic enim melius omnia intelligemus, & lectioni eius maiori cum studio incumbemus, & sententiam Apostoli tenacius memoria retinebimus. Iam quod superest ad considerationem specialem, nos conuertamus, in qua verbis Apostoli insistendum est, præmisso iam ordine. Dominus addat gratiam & successum conatui nostro, Amen.



Ἐπιγραφή.

QVIBVS NOMINIBVS SE ROMANIS, DEINDE SVAM QVOQVE doctrinam commendet, quæ duo priora sunt ἐπιγραφῆς membra.



AVLVS seruus Iesu Christi: vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei.
2 *Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.*
3 *De filio suo, nato ex semine Dauid, secundum carnem.*
4 *Declarato Filio Dei in potentia, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*
5 *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum in obedientiam fidei, in omnibus gentibus, pro nomine ipsius.*

Inscriptio Epistolæ his verbis & aliquot sequentibus continetur: spectat autem tota inscriptio, ad conciliandos sibi Romanorum animos, vt libenter & attentè audiant eam doctrinam, quam illi iam profitebantur, tanquam ab Apostolo Christi ordinario, & rem minimè nouam afferente. Summa igitur est.

Argumentum. Apostolus acturus cum Romanis de re omnium grauissima, animos illorum, initio ad audiendum & intelligendum præparat, asserendo suam vocationem ordinariam esse, doctrinæ suæ dignitatem ab ipso Deo & Prophetis pendere, Romanos quoque ipsos titulis negotio præsenti congruis exornando.

Propositio. Πρότασις verò est, Paulus Apostolus Iesu Christi optat Romanis gratiam & pacē. Hæc ex tota ἐπιγραφῇ decerpi possunt. Nam reliqua ad exornandam doctrinam, & asserendā vocationem suam pertinent, vt videbimus.

Partes. Partes quatuor sunt. Nam initio de se suáque vocatione disserit. II. de antiquitate & dignitate suæ doctrinæ. III. Romanos ciuiliter & pietati congruis titulis compellat, IIII. subiecta est tandem εὐχὴ salutatio vel comprecatio, qua singularem amorē erga eos spirat. Hæc in tota epigraphe sunt, ex quibus in præsentia duo priora persequemur, reliqua conseruaturi in proximam horam.

I. De se suáque vocatione sic agit, vt initio exprimat nomen suum: ac Pauli nomen suprà diximus, nec Hebræum esse, vt censuit alibi Hieronymus: nec Græcum, vt nonnulli hodie putant, nec ortum ex Hebræo Saule: sed purè putam Latinę linguæ esse vocem. Cur à suo nomine sit exorsus. Sed quod à suo orditur nomine obseruatione dignum est, significans in negotio religionis oportere ingenuè & candidè agere, non supprimere nomina docentium: sed ingenuæ doctrinæ nostræ addere nostra nomina. Contrà faciunt impostores & hypocritæ, aliud stando, aliud sedendo docent: quod vt possint, supprimunt nomina, aut illa mutant. Deinde videtur hoc facere exemplo Prophetarum, qui passim, vt suam vocationem vindicarent, expressè sua posuere nomina. Sic Moses passim nomen suum scriptis suis inseruit: Sic loquutus est Deus ad Mosen: ita Esaias, Ieremias & reliqui Prophetæ. (Isaie. 1. Ierem. 1. Ezech. 1.) Cæterùm quòd initiis sua nomina non addidére, ratio est, quòd inscriptiones non sic accommodarent, vt videre est in principio Geneseos: tamen Ieremias simili modo à suo exorditur nomine, sic Esaias, Ezechiel, Oseas, aliíque: faciebat hoc ad certitudinem doctrinæ, quam afferebant, ne auditores errarent in doctorum nominibus, qui candor hodie omnibus doctoribus sequendus est, nec pudeat doctrinæ nostræ præfigere nostra nomina.

II. Vocat se seruum Iesu Christi, hoc est, vult se Christianum dicere, quasi dicat, Christianus sum, quales etiam vos: Christianus Christianis scribo, quę res mirificè facit ad conciliandos animos. Eos enim solemus imprimis libenter audire, qui sunt nostræ Religionis, nostræ professionis: secus eos, qui dogmatibus & religione à nobis discrepant. Porrò admonet nos hæc compellatio de multis scitu necessariis. Primùm enim

quòd

quòd tam adeò inuisam religionem audet palàm citare, imò se illius sectatorem profiteri, ostendit oportere pietatem nostram profiteri, vt vt inuisa sit mundo: qui enim confessus fuerit Christum hic, illum confitebitur in resurrectione iustorum, & quem puduerit Christi in hoc mundo illius pudebit etiam Christum tunc. Deinde quia seruum se facit, Christum agnoscit Dominum, relatiua enim sunt. Seruus autem est vel conditione, qualis seruitus ciuilis olim erat: hæc quanquam in Christo non sit, in quo nec seruus, nec liber, sed noua creatura: attamen admonet nos, qui Christo debeamus, quantum seruus debet hero suo,& fortè quid amplius. Seruus plenè est in potestate domini sui, huic laborat, huic acquirit, huic viuit & moritur, omnia impendit ad illius gloriam & vtilitatem. Tales nos Christo debemus,& eò magis, quia condidit quoque nos,& redemit nos & conseruat nos: itaque quicquid sumus, hoc totum illi debemus, & ob id omnia nostra ad illius gloriam oportuit impendere, vitam, bona, sanguinem quoque. Præterea seruus religionem domini sui debuit profiteri,& circuncidi quoque,vt,est Exo.12. Quòd si serui Christi igitur esse volumus,in illius religionē non fictè transeundū est,sed corde circūciso:hoc est,vt quod agimus,agamus seriò. Seruus quoque omnia à domino suo sperat,ab eo recipit necessaria, nec aliūde: à Christo quoq; omnia felicia nobis debemus polliceri,illū solū inuocare,colere,& adorare. Talis seruus Dei fuit Iob cap.2.& 42. Dauid Psal.116. Ego sum seruus tuus & filius ancillę tuę: hoc est,verus tui cultor: tales serui omnes facti. Hęc & similia seruis Dei omnibus cōmunia sunt. Est autē aliud,quo Paulus seruus est,h.e.organū quoque inter reliquos Dei seruos: videtur enim ministrum sese velle dicere,qualis seruus Dei fuit Moses. Dauid,aliique Prophetæ,qui inter fideles munere docēdi fungebantur. Hoc pacto seruus,superiores cōditiones serui imprimis seruare debet ac meminisse, non sibi natū, sed vt Christo & Ecclesiæ se suaque omnia impendat: quum enim seruus est Christi, liber debet esse à carne & illius dominio. Sic argumentatur Apostolus infrà.cap.6. Quum serui essetis peccati,liberi eratis à iustitia:& mox. Nunc verò liberi à peccato,serui estis Dei. Seruitus enim Christi ac Dei,inducit libertatem à peccato: liberi autem ab eo sunt, quos non regit,& in sua rapit desideria.

Galat. 3 & 6.

III. Vocatus Apostolus, hoc est, ordinariè vocatus, non obiter nec vltro me ingessi, sed de vocatione mea sum certissimus. Sic oponit vocatione suæ certitudinem calumniatoribus suis & falsis doctoribus. q.d. quanquam non sim vocatus cū illis duodecim, nec Dominum in carne sim secutus: tamen illis non sum inferior, qui illos vocauit, idem me quoque vocauit, vt est Act.9.

Obseruahic, quid sit Apostolus, scilicet persona immediatè vocata ad docendum Euangelium vbique gentiū, habens testimonium S.sancti, quod non erret. Hanc muneris sui autoritatem hîc asserit: immediatè. n. ab ipso Christo se dicit vocatū, quod infrà mox vers.5. indicabit,& valere hanc vocationē apud omnes gentes ibidē affirmat. Quod eò facit, vt intelligamus, in Ecclesia Christi, summā authoritatē post Christum, esse penes Apostolos. In veteri Test. illa erat prophetarū, qui maiores erant Leuitis, sacerdotibus, pōtificibꝰ: sic in Nouo Test. Apostoli superiores sunt episcopis, doctoribꝰ, presbyteris, diaconis,&c. Itaque horū vox audiri debet in rebꝰ cōtrouersis,& valere autoritas, quicquid episcopi statuāt aut cōcilia, hi errare possunt & errant, Apostoli autē minimè.

Apostolus quid sit.

Deinde oratio sensim descendit ad specialia. Exorsus est à generali appellatione, Paulus sum, sed quid iam? addit, Christi etiā seruus sum, quo se cōiūgit Romanis in causa religionis. Tertiò magis specificat res suas: varia enim sunt seruitutis genera, Ephes.4. Alij Apostoli, alij doctores, alij aliud munus obeunt: se igitur in primo genere collocat & Apostolum vocat, hoc est, cuius vox, tanquam Dei vox, sit audienda. magna igitur debet illius apud nos esse (vt est) authoritas. Augustinus alibi dicit vocari Paulum Apostolum, quemadmodum Virgilius poëta: quum enim non additur aliud nomen, Paulum intelligi: quanquam alij etiam fuerint, hoc est, per antonomasian appellari sic: vel κατ' ἐξοχὴν,& rectè quidem: nam sic citantur Pauli scripta passim, tanquam summi & primarij Apostoli.

Tertiò, nomen hoc per se grauitatem muneris declarat. nam στόλος est classis,& præfectus illius ἀπόστολος qui alius quoq; fuit magistratus: ita Christi legati Apostoli dicūtur, tanquam gubernatores Ecclesiæ Christi in hoc mundo, quærentis hospitia. Si roges nauem Christi quis regit? respondeo Christum imprimis, post quem Apostolorum vox & doctrina eam debet regere, non alterius vox.

Quartò quòd vocatum se dicit Apostolū, admonet nos etiam, vt de vocationibus nostris simus certi. Quis illum vocarit mox sequitur,& extat Act.9.& ad Gal.1. Nos videamus, vt simili confidentia, de nostris vocationibus possimus gloriari,&c.

IIII. Segregatus in Euangelium Dei. Apostolis se æquauit, nunc specialia vocationis suæ profert testimonia. ἀφωρισμένος separatus est de cœtu aliorum: vt separari dicebantur Leuitæ & sacerdotes ab alio populo, in ministerium Dei: ita de se hîc loquitur, Segregatus sum in Euangelium Dei. Hæc habes Act. 13. vbi Spiritus iubet sibi Barnabã & Paulum segregari. & ad Galat. 1. Ab vtero matris inquit se ad hoc destinatum. Itaque gemina hîc est doctrina: prior, quòd ab æterno hoc munus illi sit destinatum, quod opponitur priori suæ vitæ, in qua persecutor fuerat: quasi dicat, quum aliud agebam, ad quod delectus non eram, per accidens & παρέργως hoc fiebat, &, alibi loquitur, Per ignorantiam in incredulitate: at iam sapio tandem, & facio ad quod verè sum conditus. Posterior doctrina est, quòd specialiter sibi delegatum sit munus docendi inter gentes, ideóque Romanis spem facit fructuosæ doctrinæ, tanquam ab ordinario Gentium Apostolo.

Separatus dicitur gemino sensu.

Euangelium Dei dicitur, cuius Deus est author, quale erat de Christo nato, passo, suscitato à mortuis, & iam in cœlis regnante cum Patre. hoc ergo, doctrinæ genus plausibili hac differentia ornauit Deus, vt nos in sui admirationem raperet. Nam vox illa significat etiam sermonem læta nuntiantem: sic lætissima est vox Apostolorum, Christum iã exhibitum esse, redemisse nos, reconciliasse nos Deo Patri, &c. Ac opponit se hac doctrina doctoribus aliis, qui legem vrgebant & miscebant cum Euangelio: quasi dicat, doctrina mea pura est Euangelica, non Legalis. Quod autem Dei vocat Euangelium, admonet non temerè esse contemnendum: dona enim Dei non sine pœna solent cõtemni, præsertim singularia, quale hoc est de filio Dei iam exhibito.

Dei Euangelium.

Hactenus vocationis suæ certitudo, ex quo efficitur illum diligenter audiendum tãquam Dei legatum: ratio est, quia seruus Christi est quem nos profitemur, quia vocatus est Apostolus, quorum summa est authoritas, quia segregatus est ad docendum Euangelium Gentibus, hoc est, diuinitus ad hoc ordinatus: audiendus est igitur.

II. Quæ deinceps sequuntur habent ἐπιμβολήν, qua agit de præstantia suæ doctrinæ: nam noua videbatur multis, ideóque de illius genere disserit hac occasione, quòd Euangelij Dei iam facta sit mentio, excurrit igitur ad illius declarationem, vt hoc totum opponatur calumniatoribus, qui doctrinam illius, tanquam nouam ac nuperam traducebant. Quæratur igitur Euãgelij origo, Deus, inquit, hoc pridem promiserat: respicit enim ad sua tempora, quibus iam erat reuelatum, iam enim Dominus natus fuerat & passus, & ascenderat cœlos, sed hoc, inquit, non nouam efficit doctrinam: Nam Deus illud promisit iam olim, hoc enim significat verbum προεπηγγείλατο: est igitur vetus hæc doctrina, quia antiqua est eius promissio. Promisit Euæ & Adamo, quòd semen mulieris contriturum esset caput serpentis, quæ promissio repetita est Noacho, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauidi, &c. Sic nos quoque statuamus de doctrina nostra, innitimur Apostolicis scriptis, quæ vetustatis habent commendationem, vt hîc Paulus asserit, nòn igitur noua, ac nuper nata est doctrina: sed hinc inde à patribus profecta, deinde Deum habet authorem: est igitur audienda.

Euangelium commendatur à vetustate.

Gene. 3.

Adduntur causæ efficienti organicæ causæ: Deus enim mediatè cum hominibus agit. Itaque Euangelium quidem ortum à Deo habet: sed per Prophetas eius traditum est. Prophetas Dei dicit homines θεοπνεύστους, diuino spiritu afflatos, qualis fuit Moses, qui promissiones Euangelica primitus publicauit, Gen. 3. de semine mulieris, Ge. 49. de aduentu Silo, Deut. 18. de Propheta illo magno, Esa. 7. Virgo concipiet & pariet. 9. 11. 45. 49. 52. 65. Ierem. 30. 31. & alibi passim.

Causæ mediæ.

Magna est commendatio doctrinæ Euangelicæ, quòd Prophetica sit, vnde refutantur Manichæorum furores, qui vetus Testamentum ab Euangelio ita separabant, vt dicerẽt, illud à malo quodam authore profectum & irato Deo. & hodie inter Catabaptistas, quidam fuerunt reperti, qui illud reiicerent: nos discamus fontes Euangelij in Prophetis quærendos esse. Deinde magna laus est Prophetarum, quòd illi Dei sint organa: itaque augustè & magnificè de his sentire decet, sed addit notanter αὐτοῦ, vt intelligamus non quibusuis credendum esse, qui mentiuntur nomen Prophetæ.

Ad medias causas pertinet etiam Scriptura sancta, ideóque dicit Euangelista, promissionem esse traditam in Scripturis sanctis. Quia enim populus Dei, aliquot seculis caruit Prophetis, qui viua voce docerent, ideo Scriptura mansit, vt hinc cognoscerent Dei mentem. At, quod Prophetæ viua voce docebant, hoc literis consignatum est, vt posteri scirent, quid sequendum sit. Hinc Christus iubet scrutari scripturas, has enim de illo testimonium ferre: hos fontes igitur accedamus, vt consensum Noui & veteris Testamenti intelligamus, cuius vtriusque finis Christus est, nisi quòd illud de venturo loquitur, hoc verò iam exhibitum proponit.

Ioan. 5.

Docemur

Docemur eandem esse doctrinam. Veteris & Noui Testamenti, eadem quoque vtrique est salutis ratio. Hunc consensum scripturæ diligenter obseruare debemus.

Tertiò commendatur doctrina Euangelica à materia subiecta, seu à materia circa quam, quod obiectum dicere solent: qua enim de re agit Euangelium? Respondet, de Filio suo, hoc est Dei filio patribus promisso, & iam exhibito. Sic quidem in genere proponit personam filij Dei explicari in Euangelio. At mox subiicit διάκρισιν naturarum. Vna persona duabus constat naturis, humana & diuina: humanam sumpsit ex semine Dauid, vt testatus est Esa. 11. Egredietur virga de radice Iesse & Ier. 30. Seruient Domino Deo suo, & Dauid regi, quem suscitabit eis. Psalm. 78. Elegit Dauid seruum suum. Ier. 23. Suscitabo Dauid germen. Amos cap. 9. Tabernaculum Dauid. Hinc Matthæus & Lucas magno consilio natiuitatem Christi per Dauidem & eius posteros deducunt, vt constet humanam naturam inde sumpsisse Christum. In act. 2. Ex lumbis illius ortum dicit Petrus, secundum carnem Ac vtiliter additur discrimen κατὰ σάρκα vt excludantur errores asserentium. Christi carnem cœllitus allatam, aut diuinitatem cœpisse cum humanitate, quod Arrius asseruit. Naturarũ in Christi persona distinctio.

Statuamus igitur humanam naturam verè ex virgine Dauidica assumptam, nec obstat corruptio naturæ, quia sine virili semine assumpta est.

Diuina verò ingenita est, coæterna Deo Patri, & quanquam natum ex Patre dicamus, tamen natiuitas illa ἄχρονος est. Porrò hunc Mariæ filium verè Deum esse, tribus rationibus cognosci potest δυνάμει, hoc est, potentia edendorum miraculorum, qua Christus singulariter polluit. Excitauit mortuos, sanauit claudos, cæcos, paralyticos, leprosos: ac quanquam similia legamus de Prophetis, & Apostolis, tamen illi fatentur, se aliena virtute hoc egere, Christus verò propria potentia. Deinde Apostoli manifestè sua miracula in nomine Christi edunt: est igitur Deus Deique filius. Secundo Spiritus sanctificationis idem demonstrat: videtur autem dici spiritus sanctificationis pro Spiritus sanctus: hunc autem confert Christus, Ioan. 21. 15. Act. 2. In die Pentecostes effudit illum in Apostolos, quem dare nemo potest, nisi sit natura Deus. Dicitur autem eleganter Spiritus sanctificationis, quia hos, quibus datur sanctificat, hoc est, nouos animos, affectus inspirat alios, aliam mentem, quod est regenerare, Deo consecrat & dedicat. Hic Spiritus igitur testatur Christum esse filium Dei. Tertiò idem approbat resurrectio Christi ex mortuis: quia enim potenter resurrexit tertia die, Deum esse oportet. Cur sanctificationis spiritus dicatur.

Hæc præsentis loci interpretatio mihi præ cæteris placet: nec enim ignoro alios, hæc tanquam vnum argumentum accipere, alios mortuorum resurrectionem trahere ad fidelium corpora, qui tempore passionis Christi scribuntur surrexisse.

Hactenus doctrinæ Euangelicæ authoritas & antiquitas declarata est: ex quibus statuamus hanc Euangelij definitionem.

Euangelium est promissio facta à Deo per Prophetas in Scripturis sanctis, de filio suo, nato ex semine Dauid, & declarato Deo, Domino & redemptore humani generis. Definitio constat ex causis, quas ordine in contextu iam indicauimus, Deus promittens, illius est efficiens causa: Prophetæ & sancta Scriptura organa quibus ad nos peruenit. Filius Dei, Deus & homo illius materia, redemptio humani generis, finis eius est. Euangelij definitio. Gratiæ definitio.

III. Ἐπάνοδος ad officij sui commendationem versu 5.

5 *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum, in obedientiam fidei, in omnibus gentibus, pro nomine ipsius.*

Redit his verbis ad intermissam officij sui commendationẽ, ac pergit indicare, à quo sit vocatus Apostolus, quod suprà non expressit, solùm dixit, se vocatum esse Apostolũ. Iam igitur obiectioni occurrit, Quis me vocarit rogas? Christus, inquit, qui alios vocauit, me quoque vocauit. Cæterùm duo proponit, primò quid à Christo acceperit deinde ad quid. Quid acceperit? gratiam & Apostolatum, ad quid verò? ad obedientiã fidei inter omnes gentes, & pro nomine ipsius: vtrumque igitur geminum est, duo accepit, duo quoque respicit tanquam finalia: accepit gratiam, hoc illi commune est cum omnibus fidelibus, ideóque tanquan generale primo loco ponit. Gratia autẽ est gratuita acceptatio & fauor, quo Deus nos complectitur, nihil tale merentes. Hæc gratia est miserantis Dei sortem nostram, & vocantis ad filij sui cognitionem, hoc beneficium tam Apostolis, quàm auditoribus collatum est, ideóque in eo se Romanis coniungit, quasi dicat, quod sumus fideles, hoc gratiæ Dei omnes debemus. Sed est alius quoque sensus, nimirum gratiam accepimus docendi Euangelium, vt id cum fructu fiat inter omnes gentes, quasi hoc sit testimonium legitimæ vocationis in Paulo, quia magno successu docet vbique, quod Deus non promittit falsis doctoribus. Huc facit sequens clausula, Ad obedientiam fidei: quasi dicat, Quod passim gentes obediunt doctrinæ meæ, hoc ipsum

Dei donum est, & gratia agentis in me Christi, sed prior sensus magis mihi arridet, nam se fidelibus omnibus coniungit, nominatim Romanis, quos in eo cursu mox collocabit: Apostolatus verò est speciale donum, quod Paulo, tum Apostolis solùm, ac doctoribus Ecclesiæ erat commune. Gratia totius Ecclesiæ donum est à Deo concessum: Apostolatus verò doctoribus datur, nec tamen omnibus, sed propriè Apostolis dictis, quales erāt illi 12. & alij nonnulli extraordinariè hoc munere fungentes, vt Paulus, Andronicus, Iunias, &c. Huius muneris author Christus est, Marci 3. in Paulo Act. 9. 13.

Ἀποστολή.

Obserua Christum non solùm salutem & gratiam nobis impetrasse: sed media ordinaria eò perueniendi procurasse, hinc Apostolatus & munus docendi. Deinde diligenter consideremus ministerij certitudinem, ne rem leuem reputemus in Ecclesia docere: à Christo institutus est hic ordo, ideóque constanter conseruandus est, vt semper sint qui doceant, hoc quod contulerit. Alterum est, ad quid illa Paulo dederit. Fines gemini sunt, prior respicit Apostolatum Pauli, posterior omnes fideles, &c. Nam quod obediētiam fidei attinet, hoc Paulus quærebat docendo inter gentes, vt omnes obedirent doctrinæ illius. Est igitur obedientia fidei professio ac approbatio doctrinæ Christianæ, quam qui admittebant, dicebantur obedire fidei, tanquam discipuli nouo præceptori obedientes, transeundo in illius statuta. Deinde obedientia fidei est quum quæ profitemur, re ipsa præstamus, ne fides tantum in ore sit & verbis. Hæc vera est obedientia, quæ factis constat, qualia fides ista requirit & dictat. Hic finis docentis Pauli est vtroque modo, nam primum quærit, vt in illius doctrinam transeant homines: deinde, vt hanc nouā professionem vita & moribus exerceant: nam professio hypocritarum quoque est, sed exornatio solum fidelium. Nos meminerimus, quid fidei debeamus, hanc ipsam obediētiam, quæ opera postulat. Huic subnectit ἔκθεσιν, quousque extendatur sua vocatio, *in omnibus*, inquit, *gentibus*, quasi dicat, munus verum docendi, non est vni loco vel Ecclesiæ alligatum, sed in omnibus gentibus oberro & doceo, non est episcopale, sed Apostolicum, hoc est, omnibus operam meam debeo. Hinc construitur plena Apostoli definitio, quòd sit persona immediatè ab ipso Christo vocata, ad docendum Euangelium vbique gentium, habens testimonium Spiritus sancti, quod non errat. Itaque episcopi, doctores, ministri, pontifices, cardinales etiam, & quicunque tandem sunt in Ecclesia columnæ, subiecti sunt Apostolicæ authoritati & doctrinæ.

Obedientiæ fidei definitio.

Plena Apostoli definitio.

Alter finis est, *pro nomine ipsius*, hoc est, pro Christo legatione fungor, vt alibi dicit. Admonet totius ministerij finem esse gloriam Christi, in hoc toti desudant ministri vt Christus celebretur: Christo non sibi laborant, illius gloriam non opes & priuata quærunt. Deinde auditorum quoque hic scopus esse debet, vt omnia fiant ad gloriam nominis Christi. nam gratia nobis à Deo data hoc postulat. Tertiò pro nomine ipsius depugnandi, certandi, & moriendi tandem: sic Paulus pro nomine Christi mortuus est, ita Petrus, Stephanus, Iacobus & infiniti alij: nam quod docuerunt, re ipsa compleuerunt.

2. Cor. 8. Eph. 6.



QVIBVS TITVLIS ROMANOS ORNET, & quid iisdem comprecetur, quæ posteriora duo sunt membra ἐπιγραφῆς.

6 *IN quibus estis & vos, vocati Iesu Christi.*

7 *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, &c.*

Quatuor diximus membra esse in titulo, de quibus duo nobis iam explicata sunt: diximus enim, quibus nominibus Paulus sese commendet Romanis, non sanè fucatis titulis, sed quos vocatio & officij grauitas requirebat. Deinde diximus, vnde nobis illius doctrina commendetur, ab authore Deo, antiquitate & materia: testimonium enim habet in Prophetis & scriptura sancta. tractat quoque de Filio Dei, Deo & homine declarato certissimis rationibus. Quibus omnibus eò respicit, vt fidem & authoritatem apud Romanos obtineat.

Repetitio ordinis.

Nunc illis duobus addamus in præsentia reliqua duo membra, ac audiamus, quibus

Noua propositio.

bus titulis Romanos ornet: deinde, quid illis comprecetur. Prius apostrophen habet, posterius salutationem: de his igitur agemus concinnè & breuiter.

I. Ornaturus suos Romanos veris & minimè fucatis titulis, ait, *In quibus estis & vos, vocati Iesu Christi.* Cohærent aptè superioribus per μετάβασιν: quæ enim in genere dixit, iam conuersa oratione ad Romanos applicat, quod vocant, θέσιν ad ὑπόθεσιν deducere.

Atque vt emphasin haberet argumentum, apostrophen instituit, nominatim eos cõpellando. Argumentum tale est, Gentes meam doctrinam diligenter debet audire: Vos Romani estis de numero Gentium, Ergo meam doctrinã audire debetis. Maior suprà probata est ab officij genere, quia omnium gentium Apostolus est ad obedientiam fidei. Minor hîc iam ponitur. In quibus estis & vos, hoc est, in censu Gentium vos quoque estis. Primus igitur hic titulus est, quo Romanos ornat, sumptus à priori conditione, qua extra Christum reputantur natura gentiles, & hostes Dei, Facit hic titulus ad doctrinam, hoc pacto: Primùm, si Paulum respicias, excusationem habet consilij ipsius, quòd ad eos scribat. Ratio defensionis est, quia sunt quoque de gẽtium numero. Omnium est debitor, vt est Gentium Apostolus & doctor. Ergo Romanis quoque suam operam debet. Deinde nos hîc discimus, illam Ecclesiam bona ex parte constitisse ex gentibus: nam Iudæorum hîc nulla fit mentio, gentibus simpliciter connumerat hunc cœtum. Interea certum est, Romæ multos fuisse Iudæos, quorum primores Paulus cap. vlt. Actorum ad se conuocat, ex his multi etiam crediderere: ex maiori tamen parte gentiles facit.

Denique Romanos hîc titulus conditionis suæ admonet, supercilium carnis mitigat. Origine gentes estis, quibus Deus non dedit sanctos panes, nõ promissiones, nõ testamentum, quibus rebus Iudæi gloriantur, quæ doctrina ad nos quoque spectat: ex his enim & nos sumus, Secundò alium addit titulum, *vocati Iesu Christi*, quasi dicat, Origine quidem gentiles estis, sed iam vocati Christi: est enim quædam hîc antithesis cõditionis & vocationis. Illa impura est, hæc verò sancta: illa naturæ, hæc adoptionis: illa meriti, hæc gratiæ. Hoc titulo animantur iterum, nam Iudæis æquantur, quibus, promissionibus aliisque dotibus pares esse non poterant: gratia vocationis tamen illis fiunt pares. Deinde hoc titulo, Romanos sibi quoque æquat, priùs se vocatum dicit, & nominatim à Christo accepisse gratiam & Apostolatum: iam idem Romanis tribuit, quòd & hi sunt vocati, eatenus igitur pares sunt. Quid inde? audiendus igitur illis est, tanquam ab eodem vocatus & missus. Par est vocatio, & gratia: igitur familiariter audiendus est. Adde, his addi illis seriò stimulum: nam ad magna vocati, & à magnis dominis vocati, summa diligentia inniti debent, vt spei respondeant. Romani à Christo Dei filio vocati sunt, curandum est igitur, vt tanto authori & domino probè respondeant. Idem de nobis dicatur. Possunt etiam intelligi vocati Iesu Christi, hoc est, denominati: nam à Christo iam Christiani dicebantur, qui prius gentili ortu Romani fuerant, in quo sanè vis est argumenti: nam nouæ Reipublicæ nouos ciues facit, noui imperatoris, nouos tyrones.

2. Vocati Iesu Christi.

Tertiò, *Omnibus qui sunt Romæ*, hoc est, Romanis veterem titulum non delet nec improbat: sed Romanos incolas relinquit. Ostendit autem specialia, ad quos spectat sua oratio in hac epistola, scilicet ad Romanam Ecclesiam fidelium. Romam prius dictam, aiunt, Valentiam à Latina iuuentute, mox Euander, homo Græcus, mutato nomine Ῥώμην vocauit, sonat autem robur, quod sanè Latina Ecclesia declarauit in Christo, diutius aliis omnibus in Christi professione durat, quanquam fœdata sit multis superstitionibus. Vbi enim Ecclesiæ illæ tam insignes? vbi Antiochena? Alexandrina? Ierosolymitana? Constantinopolitana? &c. Romana vt cunque retinet vmbram Ecclesiæ Christi, cuius nos cùm simus membrum hanc epistolam nobis dicatam exstimemus.

3. Incolæ Romani.

Quartò, vniuersalem titulum limitat, non enim simpliciter Romanis scribit, non senatus, non Cæsari, non vrbibus: sed ἀγαπητοῖς Θεοῦ, hoc est, qui à Deo gratuita dilectione vocati sunt, ad cognitionem Filij sui, quales quales per cætera sint, siue nobiles, siue ignobiles, de plebe, vel proceribus, Iudæi, vel Gentes. Porrò dilectos Dei vocat, non diligentes Deum, quia prior ille nos dilexit, vt est 1. Ioan. 4. Dum essemus hostes & inimici nos vocauit, Ἀγαπητὸς passiuè, non actiuè dicitur, & sic multò rectius statuitur de salute nostra, vt collocetur in Dei dilectione, qua nos prosequitur, non in nostra, qua illum diligimus. Nam illa firma est & constans, de nostra sæpe dubitare cogimur ipsi: illa præcessit, nostra verò ex illa, vt fructus, est effecta. Admonentur hoc titulo mutuæ dilectionis: qui enim à Deo diliguntur, meritò à nobis diligi debent, Deinde vt nos Deo approbemus, ne moribus nostris testemur nos parum curare, diligamúrne à Deo, an verò à Satana.

4. Dilecti Dei.

Quinto, *Vocatis sanctis*. Insignis hic titulus est, vocatos iterum dicit, quod prius iã di- 5. Vocati sancti.

x[illegible]rat vocati Iesu Christi. Iudæis æquat Gentes in Christo & in vocatione, quasi dicat, pari gradu in Christo subsistitis, nec est quod de carnali prærogatiua quisquã glorietur, Porrò, vocationis hîc exprimit finem, sanctitatem scilicet, quasi dicat, Ad sanctitatem vocati estis. Ex quo colligi potest alter terminus vocationis, à quo: duo enim termini sunt à quo, & ad quid. Ad quid vocati sunt: iam dixit, ad sanctitatem. A quo vocati sunt? ab impuritate, gentilismo. Vides igitur hîc gratiæ diuinæ sanctitatem, vocatione facti sunt, quod natura non erant extra hanc vocationem futuri. Natura impuri & maledicti erant: vocatione verò Christi, iam sancti sunt.

Quo sensu dicti sint sancti.

Quæri hîc solet, quomodo sancti dicantur, cùm certum sit apud eos multos rudes in fide, imò palàm impios fuisse. Respondemus, rectè dici sanctos, propter finem vocationis: ad sanctitatem enim vocati sunt, hoc est, vt tales sint. Deinde, ad hanc preparati quoque donis Spiritus sancti, & noua Christi obedientia. Præterea respicit ad meliorem Ecclesiæ illius partem, potior pars melior erat & sancta: adde, quòd vox Sancti, non significat perfectionem, quales diui sunt exempti à labe corporis: sed significat, destinatos ad sanctitatem, sanctè pièque viuentes, quales pietatis mores in hac vita homines præstare possunt. Hinc Augustinus, Nullus sanctus, inquit, caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus, vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem: non enim naturæ humanæ viribus, sed propositi adiumento, per Dei gratiam acquirimus sanctitatem, & ideo, veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, &c. Hinc videmus in Apostolicis scriptis, hunc titulum Ecclesiis tribui, & priuatim fidelibus, quanquam habeant sua adhuc peccata.

2. *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.*

Romanos ciuiliter, titulis pietatem decentibus conuenit, nunc eosdem breuiter salutat. Habent hæc verba εὐχὴν vel ἀσπασμὸν, qui locus inscriptionis quartus est. Porrò quia salutatio nihil aliud est, quàm oratio, quia initio hominibus boni aliquid cõprecamur, videamus, quid Romanis comprecetur, deinde à quo illa comprecetur: duo enim hîc sunt, quid & à quo: quid? Gratiam & pacem: à quo veró? à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo: vtrinque gemina sunt, bona duo sunt, causæ etiam bonorum duæ ponuntur. Bona sunt, primùm gratia, χάρις, iam dixi, hac voce denotari beneuolentiam Dei vltroneam, qua nos in Christo, nihil tale promerentes, amplectitur, quò pertinent remissio peccatorum, adoptatio in Filios Dei, regeneratio & similia. Hæc gratia gratos faciens, in Deo posita est, extra nostra merita & nos: admonet autem nos illa gratia, vt grati simus Deo nostro, & gratiam hanc retineamus, ne excidamus nostro vitio & damno Hũc fauorem comprecatur illis, tanquam fontem omnis boni.

Per pacẽ quid intelligendũ.

Deinde pacem optat in eis. Pax, successum & prosperitatem significat in Scriptura, vt, Estne pax puero Absalom? 2. Sam. 18. Psalmo 119. Pax multa diligentibus Legem. Ieremiæ 29. de Babylone, In pace illius, pax erit vestra. Sed quia hîc de gratia adoptionis dixit, ideo pacem quoque altius consideremus, vt sit, non solùm felicitas in rebus agendis, sed etiam conscientiæ tranquillitas agnoscentis sibi placatum Deum, cõdonata esse peccata sua. Hæc pax verè Christi est, quam promisit discipulis suis, Ioann. 14. Pacem meam relinquo vobis, &c. Nos docemur hîc pacificos oportere esse eos, qui vnam & eandem profitentur religionem, quòd præcipuè verum est in his, qui vnam eandémque consequuti sunt gratiam: nam illa causa est efficiens pacis, nec constare potest pax nisi gratia præcedat. Demus igitur operam, vt pacifici simus, quò declaremus, verè nos gratiam Dei obtinere: Spiritus enim pacis eam comitatur.

Paria paribus relata.

A Deo Patre & Domino Iesu Christo.

Duo precatus est illis, duas iam subnectit causas largientes, ac singula singulis reddit. Deus Pater, gratiæ fons est: hinc in omnibus salutationibus, gratiam videtur ad Deum Patrem referre. Consolatorium autem est, quòd Deus iam Pater noster dicitur, quẽ vetus Testamentum magis Dominum vocat. Pax verò Christo accepta refertur: nam hic reuera ast εἰρηνοποιός, infrà cap. 5. Iustificati pacem habemus, per Iesum Christum. & ad Eph. 2. Ipse est pax nostra, qui fecit ex vtrisque vnum, & interstitium maceriæ diruit. Colos. 1. Placuit Patri in eo sibi reconciliare omnes, pacem faciens per sanguinem crucis ipsius. Mediatori igitur Christo debemus pacem, quæ inter Deum & genus mortalium constituta est, cuius bona electi sentiunt.

Quæri hîc solet, quare Christus Dominus tantùm dicatur, Pater verò Deus, ac fuerũt, qui hoc traherent ad proprietates personales, quasi Patris proprium esset, Deum esse, & dici: filij verò, non Deum, sed Dominum vocari, verùm aliter se res habet. Primùm Apostolus hîc paria paribus retulit. Patrem gratiæ fontem, Filium, pacis, hinc Patrem Deum, Filium Dominum dixit. Deinde Domini appellatio, non excludit Deũ esse, sed

quia

quia omnia Filio à Patre tradita sunt, hinc propriè vocatur Dominus: est enim Dominus qui rerum plenam habet potestatem. Hanc Christus habet à Patre, etiam secundum humanam naturam, Dominus igitur reuera est Christus homo Deus, Dominus, inquam, mortis & vitæ, cœli & terræ, & omnium creaturarum. Accedit, quòd vox Domini, Κύριε respondeat Hebræo Iehoua, hoc est nomini Dei ineffabili: quod septuaginta sæpe verterunt per Κύριον, ac indubie Hebraicè scribens dixisset *Iehouah Ieschuangh Maschiach*, & à Iehoua Iesu Messia. Itaque tantum abest, vt discrimen hoc Deitatem in Filio excludat, vt eam maximè cõfirmet. Dominum enim esse rerum omnium, & Deum, idem est. Deinde Κύριος & Θεὸς idem hîc sunt, quemadmodum Hebraicè El & Iehoua. Ipsius itaque diuinitas hîc astruitur. Deinde, disce hîc, per quem dentur nobis omnia bona, per Filium, in quo solo pacem habemus, denique per quem nobis omnia sunt petenda. Iusta est orandi formula vt conuertamus preces nostras ad Deum Patrem, eáque petamus per Filium Iesum Christum, Dominum nostrum, &c.



EXORDIVM EPISTOLÆ. QVID ABSENS Apostolus in gratiam Romanorum apud Deum præstet.

8. P*Rimùm quidem gratias ago Deo meo, per Dominum Iesum Christum, pro omnibus vobis, &c.*

Absoluimus inscriptionem epistolæ, in qua se primùm, deinde doctrinam suam Romanis commendauit. Tertiò ipsos Romanos honorificè dignis ornauit epithetis. Quartò, demum salutationem continuam subiecit, quæ duo continet, quid precetur illis, hoc est, ipsa bona, & vnde eadem proueniant ostendit, à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, de quibus ordine à nobis dictum est.

Iam alteram Epistolæ partem ingrediamur, hoc est, ipsum exordium. Nam post inscriptiones exordia proximè subiiciuntur. In exordio illis congratulatur, ob fidei incrementum, pro illis etiam significat se orare, idque frequenter in omnibus precibus suis: præterea ostendit, quantopere cupiat eos coràm videre, docere, idque nõ tam ipsorum, quàm sua quoque vtilitate, in quo desiderio persistit, donec tandem hoc ipsum à Domino impetret. Argumentum exordij.

Ex quo colligimus, totum exordium ad beneuolentiam esse accommodatum, nã cautè illorum animis illabitur, se illis commendat, à sua in eos pietate, vigilantia, videndi desiderio, &c. Genus illius geminum est, primum συςατικὸν est: nam suæ personæ est non obscura commendatio, quia pro illis gratias agit, pro illis orat, intercedit, &c. Deinde est etiam εὐκτικὸν, nam in videndi desiderio sic perdurat, vt non desinat id à Domino efflagitare, donec voti compos fiat. Finis exordij.

Πρότασις illa est. Absentem se pro Romanis seriò orare ad Dominum, quos non minori desiderio coràm videre & docere cupiat, suo & ipsorum emolumento. Duo igitur illius in vniuersum sunt membra. Prius (de quo iam agemus) quid D. Paulus absens in gratiam Romanorum faciat: hoc membrum totum εὐχαριςικὸν est, nam Deo pro illorũ fide gratias agit. Posterius, quid coràm illis conferre cupiat, εὐκτικὸν est, vt diximus, de quo suo loco. In præsens considerabimus absentis in Romanos pium affectum. Propositio.

Exorditur à propositione, primùm quidem εὐχαριςῶ, hoc est, pro acceptis beneficiis ago gratias, εὐχαριςία accepti beneficij est commemoratio & deprædicatio. Continet εὐχαριςία primùm beneficij memoriam, deinde confessionem gratiæ, tertiò etiam δοξολογίαν, quæ in diuinis Scripturis passim gratiarum actioni adscribuntur: sic quidem nuda foret propositio in Apostolo, sed adhibuit explicationem elegantem per adprædicata, προσκατηγορούμενα enim sunt. Primùm, quòd non simpliciter Deo agit gratias, sed Deo meo, inquit, in quo singularis est pietatis ardor: nam tota mente rapitur in clementiæ diuinæ commemorationem. quid enim Deum suum facit, quum Deus communis omnium sit? Primùm propitium sibi agnoscit, in cuius tutela ipse cum omnibus fidelibus sit constitutus. Impij in genere Deum agnoscunt, aut vix etiam hoc, non tamẽ sibi appli-

cant, vt salutarem & propitium sibi fateri possint, iustum & rigidum iuris vindicem fatentur, vt videre est in Iuda, Saule, Caino: at piorum est, Deum communem sibi applicare, & salutarem concipere. Sic Esa. 44. Sic dicit Dominus factor tuus. Et Dauid Psalmo 45. Quia Deus meus es tu. Psal. 118. Deus meus es tu, tibi confitebor. Item Psal. 62. Deus meus & adiutor meus. Deuteronomij cap. 3. Deus tuus transibit ante te. Leuitici capite 18. Ego sum Dominus Deus vester. Exodi cap. tertio, Deus patrum nostrorum, &c. Ex quibus apparet, Deum hoc nomine, separasse suos semper ab aliis, hinc Deus Isaac, Deus Abraham, Deus Iacob, dici, voluit, & sancti Deum suum, passim faciunt. Ita quidem, & nos in orando nostrum faciamus, vt mens sibi applicet Dei gratiam & misericordiam.

Quomodo preces nostræ sint instituendæ.

Deinde altera est exornatio adhibita à causa instrumentali, *per Jesum Christum*. Quod eò facit, vt intelligamus, quomodo institui debeant preces nostræ. Ad Deum Patrem dirigi debent, tanquam ad fontem bonorum: per Iesum autem Christum petendum est, quia Pater per hunc nobis omnia largitur: par igitur est, vt per eundem referamus etiam gratias, quasi eadem via incedentes, reddendo gratias, qua Pater conferendo sua dona. Hinc mediator etiam est, vt sine illo nihil nobis agendum apud Deum, vt ad Hebr. 13. Per illum offerimus sacrificium laudis, &c.

Tertiò additur propositioni etiam illud, *Pro omnibus vobis.* Materia gratiarum actionis sunt Romani, aut certè bonum quoddam à Deo illis concessum. In quo veri amici officio est functus, is enim alienis bonis delectatur & congratulatur, quo distinguitur ab adulatore & inuido, qui dolet & ringitur alterius successu. Facit igitur ad declarandũ sincerum Apostoli pectus. Deinde Apostolici muneris curam adumbrat, cuius est, omnium saluti inuigilare apud Deum, quod ad ministros quoque pertinet, aliis Ecclesiis congratulari, & Deo pro illis supplices efferre preces.

Auditores quoque discunt, pro suis donis, singuli se Deo gratos præstare: nam si pro alienis donis gratiæ Deo redduntur, quantò magis pro donis propriis? Pensitemus, quãta accipiamus in dies, & quàm his minimè digni simus: hinc excitemus nos ad Dei Patris δοξολογίαν, per filium suum Iesum. Christum. Hactenus propositio eleganter exornata ab Apostolo, sequitur illius ratio.

Quia fides vestra annuntiatur in toto mundo.

Ratio propositionis sumitur ab incremento fidei illorum, quia enim dixerat, se pro illis omnibus Deo gratias agere, rectè producitur bonum aliquod alienum, hoc est, non Paulo, sed Romanis collatum, id igitur nominatim indicat, *Fides vestra laudatur iu toto mundo.* Facit igitur ex officio apostolico, Deo pro eo gratias persoluendo. Porrò, fidem illorum, intelligimus fidei professionem, religionis Christianæ admissum & receptum dogma, explosis idolis & ceremoniis Iudaicis. Illud in gentilibus, hoc in Iudæis erat nouum. Hæc professio, inquit, καταγγέλλεται, hoc est, laudatur & commendatur ab omnibus: quasi dicat, Quicunque vel sermone, vel scripto, apud me vestri mentionem faciunt, hi omnes mirificè commendant pietatem vestram, & in Christianismo sinceritatem laudant. Sic quidem facit iste locus ad commendationem sinceræ professionis: non enim simpliciter annuntiatur illi fides Romanorum, sed cum laude & commendatione, quemadmodum. Thessalonicenses quoque laudat à pari sinceritate, & aliis exemplaria facit. Alij vocem interpretantur *annuntiatur*, quasi Paulo passim ex diuersis locis relatum sit, Romanos professionem Christi admisisse. Placet mihi prior interpretatio, quòd passim laudata & commendata sit, non simpliciter annuntiata. In toto mundo, hoc est, ex diuersis & præcipuis mundi partibus, hoc mihi refertur, magna cum laude. Aut certè inter fideles omnes, qui passim in toto mundo sunt dispersi: nam in Asia multæ erant Ecclesiæ, in Europa similiter, & in Africa quędam eius seminaria. Itaque passim fideles laudabant Romæ quoque institutam esse Ecclesiam Christi. Vides tempore Pauli, quantum creuerit religio Christi, præcipuas mundi partes inuasit, adeò vt caput imperij Roma quoque incipiat sese summittere Christo Domino. Hodie si eadem loca consideres, vides omnia retrò cecidisse. Roma adhuc nomen Christi retinet in magna hypocrisi & corroptela morum: mutat Ecclesia hospitia, nunc illuc migrat. Oremus Dominum vt diu illi apud nos conseruet hospitium qualecũque. Magnum est beneficium Dei, quòd Principes tuentur Ecclesiæ reliquias, & cœtus discentium ac docentium. At metuendum est ne incidant etiam apud nos breui difficilia tempora, vt dissipatis cœtibus, pauci aliqui in angulis mussitent, conserendo reliquias veræ doctrinæ de Christo.

Sinceræ professionis commendatio. Thess. 1.

Testis enim mihi Deus est.

Altera ratio, quòd Deo gratias agat pro incremento fidei illorum, à Dei testimonio, seu

seu conscientia. Prior ratio expressit τὸ διὰ τί hoc est, cur ageret Deo gratis, quia fides vestra prædicatur passim ab omnib. Hæc verò τὸ ὅτι indicat, quod id faciat seriò & sine fuco, quasi dicat, Quod verò pro vobis Deo gratias agam, non possum alium testem certiorem quàm Deum ipsum proferre: preces enim ad hunc fiunt secretò, sine arbitris, secundum Christi mandatum, Oraturus intra conclaue tuum, & clauso post te ostio, ora Patrem in abscondito & reddet tibi in propatulo. Rectè igitur Deum testem facit rei arcanæ, cuius nemo alius testis esse poterat. Deinde, quia res grauis est, quæ non abhorrebat seueriorem contestationem, & testis talis est Deus, qui periuros solet grauiter punire. Discamus igitur, non esse alienum à pietate in re graui, vbi fides nostra requiritur, Dei testimonio fidem nostram approbare, quæ formula est iuramenti. Quod facit contra Anabaptismum, qui tollit sine discrimine omnem iuramenti vsum: hîc contrà vides à Paulo adhiberi graue iuramentum, Deus mihi testis est. Addit expolitionem subiecti, à sua in Deum religione, *Cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij ipsius.* Seruio λατρεύω, hîc idem quod δουλεύω. Suprà se vocauit δοῦλον Iesu Christi, quare Deo dicitur δουλεύειν, vt & λατρεύειν, & contrà hominibus λατρεύειν. Deuteronomij capite vigesimo octauo, seruio illi, hoc est, religiosè colo. In spiritu meo differentia cultus est, quasi dicat, Seruio Deo, non vt hypocritæ ceremoniis: sed pura mente secundum dictum Christi, Ioannis quarto, Veri adoratotes adorabunt in spiritu & veritate, quia Deus spiritus est. Deinde altera differentia est in Euangelio Filij ipsius, hoc est, ministerio docendi, qui gradus supremus est cultus diuini, docere scilicet Christum. Matth. 6. v. 6.

Quòd vestri mentionem faciam.

Prædicatum est ac redditio, quæ superiorem sententiam absoluit: exornat autem hanc quoque. Quòd verò mentionem illorum facit, indicat, non solùm gratias Deo ab eo persolui, sed etiam ab eo fieri intercessionem, vt quod bene cœperunt, auctius in illis reddat: hoc enim mentio illorum in suis precibus videtur velle. Obserua ardorem ministri Christi, semper fidelium meminisse inter orandum, deinde precum hîc verum vsum habes, vt his inseruiamus aliis Apostolus pro Romanis absens duo præstitit insignia pietatis officia: Deo agit gratias, propter concessam Filij sui cognitionem, & vt donum hoc auctius redderetur, intercessit. Diligentiam suam in hac causa iam ornant temporis notæ ἀδιαλείπτως, indesinenter, & πάντοτε, semper. Prior indicat constantiam, posterior frequentiam, &c.

CORAM ALIQVANDO, IDEM APOSTOLVS, IN quo & sibi & Romanis prodesse cupiat.

IN exordio Apostoli versamur, de quo diximus nuper, quæ scilicet illius sit in genere dispositio, deinde quid absens pro Romanis præstet: nunc alteram illius partem subiiciemus, in qua declarat promptam ad illos veniendi mentem: nec id frustra, sed desiderij sui grauissimas affert rationes, quas partim à Romanorum commodè, partim sua etiam vtilitate, necnon officio, desumit.

Dispositio talis est, initio πρότασις est satis illustris. nam expolita ponitur, deinde rationes subiectæ sunt. Tertiò, ad rei certitudinem repetit πρότασιν, cum præ occupatione necessaria. Quartò, noua argumentatio est, continens nouas rationes sui aduentus. Quintò, illatione concludit locum hunc. De his igitur, breuiter audiemus Apostolum loquentem Romanis. Partes.

10. *Rogans, si quo modo tandem, prosperum iter mihi concedatur in voluntate Dei veniendi ad vos.*

Declarat mentem suam, quid scilicet absens pro illis faciat: sententia est, Cupio coràm vos etiam seriò conuenire, quod ad beneuolentiam & animi affectum non parum facit: siquidem totum se Apostolus Romanis tribuit, absens pro illis indesinenter orat, præsens etiam cupit eos docere. Propositionem tamen exornat per causas, efficiens est, voluntas Dei: inuito enim Deo non veniet, mox deinceps Hierosolymis, de voluntate certior factus est, Act. 23 hanc voluntatem continuis precibus efflagitauit. Nos admonemur, vt de futuris, semper Dei voluntatem excipiamus, quod Iac. cap. 4. etiam mãdauit: interim tamen, vt ad vota tam sancta perueniamus, precibus Dominum sollicitemus, vt Paulus: adiuuans enim causa preces hîc afferuntur, δεόμενος ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, hoc est, precibus hoc indesinenter peto. Formalis causa est εὐοδωθήσομαι, hoc est, vt prospera mihi detur peregrinatio: non enim quouis modo ad eos venire cupit, nec interim deprecatur omnia pericula: sed vt Romanis vtilis sit suus ad eos aduentus. Nam in via multa illum exceperunt pericula, naufragium, morsus viperæ, insidiæ aliæ, quæ om-

nia non deprecatur,sed contemnit potius pro Christi gloria:facilem autem aduentum deprecatur.

11. Rationes instituti Paulini sunt. Primum, *desidero enim vos videre*: vis est ab animi sui desiderio. tanquam á causa impellente. vis ad nos venire, cur illud? quæ est causa tanti desiderij? respondet, Animi mei impetus est & affectus, seriò vos diligendo sic expressus. Amantes enim non contenti sunt, vt absentes cum absentibus per epistolas loquantur: sed quærunt omnem occasionem, vt coràm colloqui possint, hic idem amor impellis Apostolum, vt suos Romanos cupiat videre. Deinde à fine addit, *Vt impertiar vobis aliquod donum spirituale.* χαρίσματα sunt quæ Spiritus sanctus in primitiua Ecclesia conferebat fidelibus, qualia commemorantur, 2.Cor.12. Verùm, quia de se loquitur, & quid ipse collaturus sit, intelligo hìc χαρίσματα, ipsam doctrinam Pauli, & eiusdem fructum, vt, quòd eo præsente institui in multis melius possent, confirmari consolari: nec interim negari potest fieri potuisse, vt his quoque quemadmodum aliis, eo docente, Spiritus sanctus largiretur aliqua χαρίσματα, hoc est, donum Prophetiæ, vel donum sanationum, interpretandi Scripturam, linguarum, aut simili. Nos discimus hìc modestiam Apostolicam, docere illos vult: tamen adeo modestè loquitur, vt donum, & doni collationem potiùs dicat. Deinde donum vocat, quia gratuitò ipse accepit etiam & gratis aliis est erogaturus. Hæc facilitas in nobis esse debet, vt non inuitè, non grauatè conferamus aliis, quæ Dominus liberalitate in nos effudit, ne offendamus Dominum Deum nostrum, vt μεταδῶ, inquit, hoc est, vt conferam, quasi ex vbere vase repleto variis donis, in aliud transfundam. Magna est in Apostolo facilitas conferendi aliis sua dona: aliis prodest coràm docendo, aliis absens scribendo, aliis vtroque, aliis per discipulos, aliis orando & intercedendo apud Dominum.

1. Sincera dilectio.

2. Donum spirituale.

Modestia Apostolica.

Tertia est ratio itidem à fine, *Vt confirmemini vos.* quo videtur innuere illos nonnihil vacillasse, in quibusdam: nam hoc videtur τὸ στηριχθῆναι sibi velle. Attamen responderi potest, non solùm confirmari nutantia, sed quæ primum eriguntur, & de quibus magna spes est in futurum, vt ædificium nouiter erectum confirmatur in suo statu, columna ad regulam erecta confirmari dicitur. Sic de Romanis dici potest: non est tamen absonum infirmos multos in eo cœtu fuisse, dubitationem quoque de multis, hæsitantiam aliísque modis infirmitate aliqua laborasse, quæ omnia longè meliùs Apostolus absens iudicare poterat, quàm ipsi fideles Romæ, qui sibi indubiè omnes rectissimè instructi videbantur: Paulus autem agnoscit illos confirmatione egere.

3. Confirmari.

Quartò, quia nonnihil visus est notasse illorum infirmitatem, quasi opus habeant magna confirmatione, tanquam nutantes, causam communem facit, commoda interpretatione, hoc est, *communem capiam consolationem in vobis*, &c. Qua sententia, iterum eos extollit & erigit, quantum priori deiecerat, quasi dicat, Confirmationem non sic intelligo, quasi vos soli confirmandi sitis, imò, confirmabor ego quoque in vobis. Commune bonum igitur expectab tur, & Paulo etiam expedit venire Romam Obserua nullum tam sapientem, qui non indigeat interdum inferiorum quoque exhortatione. Paulus enim tantus doctor agnoscit in se istud. Deinde, quæ debeat esse modestia ministrorum, quos decet infirmitatem auditorum non nimium exaggerare: initio potiùs communi confessione debilitatis erigendi sunt, & causa priuata ad communem est trahenda, ne soli videantur velle sapere. Tertiò, quæ sit congressuum vtilitas inter fideles, vtile est, doctos & pios sæpius conuenire, vt fides mutua cohortatione crescat, audiuntur aliorum iudicia, sententiæ, videntur exempla constantiæ in idiotis aliquando, quæ magnos viros sæpe confirmant: sic veterum congressus fuerunt, vt conferrent doctrinam, mutuò audirent, & confirmarent in proposito.

Superiores inferiorum exhortatione indigere.

13 *Nolo autem vos ignorare fratres, quòd sæpius proposui venire ad vos.*

Repetitio est propositionis, qua maiorem certitudinem negotio astruit. q. d. Seriò hoc ego & hactenus egi, id quod mihi affirmanti credere debetis, fratres, nihil hìc fucatè ago. Testimonium huius vnum extat Act.19.21. Præoccupatio est, quod sequitur, *sed impeditus sum hucusque.* Dicere enim poterant, Dicis voluisse te sæpius venire, & adhuc id enixè cupis, cur ergo non venis? Respódet, impeditus sum. Sed adhuc quæri poterat, quid impedit te? causas moræ non expressit: possunt tamen vt cũque aliunde colligi. Primùm impediuit fortè illum Spiritus Dei, quod, quanquam nouisset Romam aliquando eundum, tamen momenta non determinauerat, quando scilicet Romæ illi esset docendum, Sic Act.16. prohibetur in Asia docere, vbi tamen alio tempore docuit posteà: aut impediuit illum Ecclesiarum Orientis cura & sollicitudo, quas in dies cõstituebat, exornabat & confirmabat, quæ etiam ægrè tantum doctorem à se dimittebant, vt exempla extant in Actis 20. quò facit etiam, quod infr.15.ca. refert, v.22.23. Aut certè loquitur de impedimentis

Act.23.v.11.

mentis Satanæ, qui omnibus modis conatus est impedire, ne Paulus Romam veniret, quòd sanè in ipsa nauigatione satis declarauit : naufragio cupiuit illum opprimere, quod cùm non succederet, viperam immisit in eum, quod cùm ipsum quoque frustra tentasset, Romæ Iudæos illi infensos reddidit, &c. Sic de impedimentis loquitur 1. The. 2. ver. 18.

IIII. Nouæ rationes propositioni iterum additæ sunt: prior, *vt fructum aliquem habeam in vobis etiam, quemadmodum & in alijs Gentibus.* Ratio est à commodo & vtili. Cupio venire ad vos, cur? vt fructum habeam in vobis. Quis ille autem est fructus, quem Apostolus quærit? Non defuerunt, qui mercedem interpretarentur, quasi Apostolus mercedem quæreret apud Romanos: sed impudentius est hoc, quàm, vt piè cogitari de tāto Apostolo possit. Passim testatur se gratis docuisse, aut aliūde accepisse, vt doceret alios, aut manibus suis laborasse, ideóq; nihil tale de Paulo hîc somniare debemus. Quem fructū quæsierit Apostolus.

Fructus autem est. primùm gaudiū Apostoli, quod capiet ex Romanorū congressu, consolatio itē, exhortatio, & similia. Deinde fructus Apostoli est, fidelium profectus, quē capient ex sua præsentia, quemadmodum boni præceptoris fructus est discipulorū profectus, quos alius monstrando, solet dicere, Hic meus fructus est. sic Apostolus fructū suę doctrinæ extare vult in Romana Ecclesia. Argumentum hoc munit valido præsidio, vt in aliis Gentibus, quasi dicat, omnes Gentes me audiunt magno cum fructu, Ergo, & vos idem facietis. Fructuosa fuit hactenus mea doctrina apud reliquas gentes, ergo apud vos idem fiet. Exemplo Gentium excitat Romanos ad diligentiam : nam similium debet idem esse iudicium, similes discipuli eundem profectum debent,

Altera ratio est, *Græcis simul & Barbaris, sapientibus simul & insipientibus debitor sum.* Argumentum est, à necessitate officij sui: vis est, à natura relationis. Debitor respicit creditorem, cui debet, Paulus hîc debitor est omnium Gentium, Ergo Romanorum est, qui non minima sunt portio Gentium. Consideremus hîc debitorem, necessitas illi incūbit præstandi fidem. Illud fortè est, quod alibi dicit, Væ mihi nisi euangelizauero: incumbit igitur illi necessitas docendi Gentes, quia debitor illorum est. Itaque non frustra cupit Romanos conuenire. Cogitent hîc ministri, eos nihil aliud esse, quàm debitores Ecclesiarum, quas nisi seriò, & diligenter docuerint, secundum debitum, eos impostores & desertores esse. Hinc illa quoque Apostolica cura pro omnibus Ecclesiis, quæ Paulo incubuit, hęc eadem ministros debet ad vigilantiam stimulare. Deinde, considera creditores Apostoli, quia enim debitor est, creditores habet. Hoc distributione proponit Græcis, & Barbaris: Græcos vocat, cultiores ingeniis, exceptis Iudæis: Barbaros verò, ingenio minus culto & à studiis humanitatis alienos. Deinde idem videtur repetere altera distributione καθ' ἑρμήνειαν, sapientibus & insipientibus, quasi Græcos interpretetur, iam sapientes Barbaros verò, insipientes. Faciunt ista, primùm ad Apostoli dignitatem : mirabilis enim debitor est, qui eruditos & ineruditos, sapientes & stultos, Græcos & Barbaros docere possit. non certè pudebit Romanos ab illo discere. Deinde faciunt ad præstantiam Euangelij commendandam: magna enim illius laus est à facilitate, quòd ab insipientib. quoque capi possit, à Barbaris, ab infantilibus ingeniis. In Philosophia multi desperant propter rerum subtilitatem & argutias, quas non omnes assequi possunt. sic in Mathesi, in Physica in aliis artibus sublimitas rerum multos absterret. At in Euangelio, nihil tale metues, infans, stolidus, hebes ingenio, hic assequi potest præcepta. Huc pertinet facilitas pręceptorum Christi, de sola dilectione in Deum & proximum, & iugum quoque suum facile ac suaue pronuntiauit, non alia ratione, quàm quod intellectu ab omnibus capi posset, seruatu quoque non esset impossibile. 1. Cor. 9. Ministros debitores esse Ecclesiarum. 2. Cor. 11. ver. 28. Mat. 11. x. 29. 30.

Præterea præstantiam Euangelij indicat, quòd sapientes & Græci habent, quod hîc discant: hos enim quoque refert in censum suorum auditorum. Ne igitur putemus Euāgelium, stultis tantùm & idiotis, præcepta dare: Philosophi & docti hîc discant, & exerceant sua ingenia. Doctus Plato hîc hæret: obmutescit Aristoteles, tota Philosophia fasces suas submittit. Hoc illud præconium est Euangelij, mare esse, in quo agnus peditet, Elephas autem natet. Faciunt illa ad consolationem, nemini enim est desperandum de successu: doctus es, audis te cum Græcis & sapientibus hîc posse discere, ne spernas tuum debitorem, sed postula ab eo debitum tuum, fidem tibi soluet, modò attentè exigas, & ad calculū reducas summas. Si rudis es, & rerum ignarus, idiota, ne desperes : audis enim te cum insipientibus & barbaris reputari: accede igitur alacer, disce vt rudis, aut vt insipiens, aut vt barbarus, ne desperes de successu, facilis est doctrina, quæ infantes quoque non excludat, hæc laus solius doctrinæ est Euangelicæ. Euangelij præconiū.

V. Συμπέρασμα est. *Sic quod me attinet, promptus sum, vobis etiam, qui Romæ estis, euangelizare.* Aperta est illatio, debitor sum omnium, ergo vobis quoque debeo operam Cōclusio.

meam. Illud est τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον, hoc est, opera mea & facultas vobis prompta est, hac, si Dominus concesserit, vobis impendam. Interpretatur autem hîc obiter etiam, quid sit conferre donum spirituale, quis item fructus ille, quem in Romanis cupiat habere, quid sit confirmare, & συμπαρακληθῆναι, scilicet Euangelium illis prædicare de Filio Dei: hic illius quæstus est, fructus & merces. Hactenus exordium, in quo declarauit affectum suũ erga Romanos absens, vberius aliquando eundem declaraturus, coràm præsens, tum sua tum ipsorum vtilitate.



Tertia pars Epistolæ.

CONSTITVTIO PRINCIPALIS QVÆSTIONIS, declaratio definitionis Euangelij, iustitia Dei quomodo in nobis reueletur per Euangelium, vt quæ sit iusti hominis vita ex fide.

16 *NOn enim pudet me Euangelij Christi. Nam potentia Dei est, ad salutem omni credenti, Iudæo imprimis, tum Græco.*

17 *Iustitia enim Dei reuelatur in eo, ex fide in fidem. Sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuet,* &c.

Diximus de titulo & de exordio, hoc est, duabus huius epistolæ partibus: superest, vt de tertia deinceps loquamur, in qua, contra operum dignitatem & iustitiam disseri indicauimus, quòd scilicet ex operibus nemo posit iustificari coram Dei iudicio, ideóque formam confutationis habet: nam in gradu iustificationis, operum dignitas deiicitur de sua putatitia dignitate. Quam rem, priusquam iusta acie aggrediatur, priùs commodè aditum facit, plena propositione disputationis indicata. Consideremus igitur in præsentia, quis sit status controuersiæ, deinde, quid apud Apostolum sit Euangeliũ: tertiò, quid sit iustitia Dei, & quomodo illa in Euangelio, & in nobis quoque reueletur: demũ, quomodo iustus ex fide viuat, & quis sit dicti illius sensus.

Principalis quæstionis status.

I. Κατάστασις, seu constitutio quæstionis principalis desumi debet ex præsenti loco Apostoli, quo docet, in Euangelio reuelari iustitiam Dei per fidem, omnibus credentibus, hoc est, solis credentibus applicari Dei iustitiam, quòd infrà explicat per vocem Gratis, δωρεὰν, item ne quis glorietur. Idem igitur sunt gratis iustificari, fide iustificari, omni credenti ad salutem facere, sola fide iustificari: ac de particula Sola, dicemus in locis seorsim. Hîc seruatur quæstio principalis, hoc syllogismo: Aut iustificamur operibus, aut fide: Sed non iustificamur operibus, Ergo iustificamur fide. Connexum verum est & perfectum, quia ex disiunctiuis constat partibus. Nec est, quod cauilleris tertium membrum, operibus & fide simul iustificari nos posse, quia Apostolus illa separat, cùm de fide iustificante loquitur, de causarum numero, opera secludit, vt non sint causa iustificationis: fides autem sit causa apprehendens iustitiæ promissiones, ideóque nullum hîc, tertium est membrum. Nec locum habet etiam illa obiectio, opera à fide malè separari, quia in hoc argumento, vt in quæstione de iustificatione, merito operibus nullus tribuitur locus. Alia autem est quæstio de fructibus fidei & renati hominis, in qua de operibus vtilis & necessaria est quæstio: nam fides iustificans, vtique viuida est & operosa, quanquam operum dignitati non innitimur, coram Dei iudicio.

Syllogismus.

Minor seu assumptum verum est, quia id probat Apostolus hoc capite & secundo infrà, vt declaratur hoc argumento, à plena distributione: Iudæi non possunt iustificari per opera sua legalia, siue illa sint ceremonialia, siue etiam moralia: Gentes item, non iustificari potuerunt suis operibus, sed ira Dei omnes in genere depresit.

Manifestum igitur est in genere, nos omnes operibus iustificari non posse. Quod si nõ operibus, sequitur altera pars disiunctiuæ propositionis nos fide iustificari: valet enim argumẽtum ab altera disiunctiuæ propositionis parte ad alteram eiusdem partem, cùm nulla tertia dari posit. Hæc manifesta est & perspicua quæstio totius negotij: nec alia dari aptior huic instituto potest.

Hîc

Hic quæri solent duo, primùm, cur operum non fiat mentio, imò excludantur in hac quæstione. Deinde, quænam illa sint opera, omniáne sint, an quædam certa & specialia, vtrique breuiter satisfaciemus. Quod priorem attinet quæstionem: non immeritò quæritur cur opera excludantur: nam quæstio illa Iudæos imprimis exercuit, necnon Gentes, qui virtutibus moralibus multum tribuebant. Respondemus igitur excludi opera, ne illis tribuatur meritum, aut dignitatis opinio, ne illis homines fidant, vel vt cum Apostolo loquar, ne quis glorietur: vt igitur gloriatio sit exclusa, excludantur opera. Nam in gradu iustificationis, omnia Christo debent accepta referri, nihil nobis, nihil etiam operibus & dignitati nostræ. Ita explicatiùs solemus interdum dicere, sola fide amplectente meritum Christi, iustificamur, hoc dicit Apostolus, gratis propter Christum, nos saluos fieri. Interea fatemur opera fidei coniungi debere: viuida enim est fides & actuosa, sed alia est quæstio, de fructibus fidei, & alia de iustificante fide loqui. Hoc satisfacit hominibus seriò quærentibus salutem, per fidem. Qui verò operum dignitatem extollunt, fide depressa, vt plurimùm operibus etiam suis declarant, quàm impertinenter de bonis operibus glorientur, cùm verè bonis operibus careant. Quæstio duplex.

Altera quæstio est, quæ opera hîc excludantur. Respondemus in genere omnia etiam moralia. Ac scio quidem, Origenem intelligere ceremonias solùm excludi Iudaicas, ac fidem iustificare, cæteris adiunctis virtutibus moralibus, quæ ferè quoque est sententia Hieronymi, & Chrysostomi interdum. Fortè quòd in Actis capit. 15. de his solùm sit determinatum, & ad Galatas cap. 1. Dissidium Paulo cū Petro fuerat propter cibos fortè & commercium cum Gentibus, & infrà, cap. 4. Abrahamus sine Circumcisione iustus sit pronuntiatus. Verùm hoc non satisfacit disputationi huic, quę in hac epistola tractatur. Primùm enim omnes homines rei constituuntur hîc qualescunque sint, siue in ceremoniis, siue extrà vixerint etiam ciuiliter iusti. Præterea simpliciter excludi dicitur gloriatio, quæ non excluderetur, si moralia aliqua bona opera iustificarent imò maximè stabiliretur. Item, non cōsisteret propositio gratis iustificari nos, qua sæpe vtitur, vt Abraham sine operibus dicitur iustificatus, cui ceremoniæ nondum erant traditæ. Item opera legis simpliciter damnantur à Paulo, qualia nos facimus. Itaque statuere debemus, nullum esse opus adeò perfectum, quod hîc fidei annumerari possit, hinc gloria Dei, meritum Christi, nostra infirmitas & inhabilitas naturalis, cognosci optimè potest. Ad hunc modum igitur constituamus de causa præsentis disputationis, vt & gloriæ Dei inseruiat & Christi meritum illustret, & nos nostræ infirmitatis admoneat, neque hîc velimus sapere vltra vires nostras. Nunc verba expendamus. 2. Quæstio.

Non enim pudet me Euangelij Christi. Μετάβασις est, quæ tamen superioribus inseruit, nam quædam confirmatio est superiori illationi annexa: concluserat autem, Paratus sum vobis, qui Romæ estis, etiam euangelizare, ratio est, quia non pudet me Euangelij, Ergo euangelizare etiam vobis me non pudebit. Facit hoc, primùm contra obtrectatores doctrinæ Pauli, quasi dicat, vt vt sint calumniatores prompti ad reprehendēdū, attamen palàm profiteor doctrinam meam, nec illius me pudet. Deinde facit ad institutionem, vt doctores norint doctrinæ reddendum testimonium palàm: ne pudeat nos ergo doctrinæ nostræ, pudet autem eos, qui, quod docent, ipsi non præstant, sed vt campanæ aliis tantùm sonant: ipsi nihil commouentur, quales fuerunt in Papatu multi, & hodie inter nos, qui satis esse putant populum docere, vt vt ipsi per cætera viuāt: his obiiciendū ne pudeat te Euangelij, sed quod doces, vita & moribus exorna. Deinde in confessione quoque valeat eadem sententia, Non pudet me Euangelij Christi: debeo igitur hilari fronte illi reddere testimonium, requisitus. Sed ad consolationem quoque Romanorum spectabat, Nam si Paulum non pudet doctrinæ, ne pudeat eos discere ab eo: par enim ratio dicitur esse docentis & discentis. Trāsitio. Quid sit pudere aliquem Euangelij.

II. *Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti.* Superioribus hæc per αἰτιολογίαν subiiciuntur. Cur te non pudet Euangelij Christi? quia est potentia Dei. Argumentum sumitur à præstantia & vsu Euangelij: ostendit enim quid sit ex causis & effectu, quæ præstantiam rei declarant. Nam res commendantur rectè ex causa efficiente, à fine vel vsu, à materia & similibus. Ex his igitur conficit argumentum confirmationis, quæ si cōnectantur, definitionem efficiunt plenam. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Iudæo simul & Gentili. Causæ redditio.

Definitio integra est, genus enim habet legitimum, quod est potentia Dei, & quia ex causis constat definitio, genus ad causam efficientem pertinet. Porrò δύναμις dicitur ὀργανικῶς, quia Deus per Euangelium efficaciter operatur salutem in credentibus, fides enim ex auditu est, auditus per prædicationem Euangelij. Et quanquam fides donum Causa efficiens potentia Dei.

Dei sit, tamen hoc donum sic illi placet conferre hominibus, per prædicationem Euangelij. Aut potentia Dei dicitur, quia in eo Christus docetur: summa enim, & scopus totius Euangelij est Christus Dei Filius, qui potenter resurrexit, & potenter in suis regnat. Hinc Euangelium potentia dicitur, quia doctrinam de Christo habet, & Christus Dei virtus dicitur fidelibus, quia operatur virtutes in suis, Gal. 3.

1. Cor.

Facit generis consideratio, ad commendationem Euangelij: videmus enim, non à leui origine ortum, non etiam esse doctrinam humanitus repertam: sed vt Ioannes inquit, Filius Dei illam nobis reuelauit ex sinu Patris. Deinde ad consolationem facit, quia doctrina hæc cum virtute diuina coniuncta est, quæ non solùm electos nouis imbuit affectibus, sed potenter defendit, contra omnes hominum insidias.

Ioan 1.

Causa finalis ad salutem. Causa finalis in definitione sequitur, ad salutē: si enim quæras, ad quid nobis prodest noua illa doctrina? respondet, ad salutem facit. σωτηρίαν intelligamus iustificationem coram Deo, seu vitam æternam. Docet enim, quomodo coram Domino iustificemur, quæ sit via ad vitam æternam. Christum nobis proponit mediatorem, iustitiam, expiatorem delictorum nostrorum, & in hunc iubet nos confidere, illius iustitia nos ornari dicit, quia coram Deo iudice mundi consistere possumus. Sic Ioan. de illo ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, 1. Pet. cap. 3. Christus pro peccatis nostris mortuus est. Et Christus ipse, Oportet Filium Dei exaltari, vt Moses exaltauit serpentem in deserto. Cùm sic passim Christus nobis proponitur reconciliator, hinc Euangelium doctrina est salutis, quia illam monstrat: & quemadmodum electis ad salutem facit, ita reprobis facit ad cōdemnationem, quia oblatam gratiam respuunt.

Ioan. 1.

Ioan. 3

Causa formalis vel organica. Tertiò additur in definitione, *Omni credenti*, quæ sententia primùm facit ad differentiam: indicat enim, quibus salutaris sit illa doctrina, credentibus scilicet: hinc efficitur à contrario, non credentibus, minimè esse salutarem. Itaque fides causa est ἄνευ οὗ μὴ id est, sine qua non confertur salus. Ac Græcè notanter scribitur παντὶ τῷ πιστεύοντι quasi dicat, soli credenti, nam τῷ emphaticum est, ac æquipollet exclusiuæ soli, quia de causa sine qua non, loquitur. Omni credenti, hoc est, soli credenti, alioquin fides non esset causa sine qua non, vt conferret Deus salutem etiam sine fide, infidelibus. Atque hoc falsum est, & manet fides perpetua causa sine qua non: rectè igitur per exclusiuam explicatur vniuersalis. Omni credenti, hoc est, solis credentibus, hinc efficitur illa propositio, Sola fide iustificamur: nam solis credentibus salutaris est Christus. Deinde facit clausula ista ad doctrinam: intelligimus enim, quod sit organum salutis nostræ in nobis, Fides scilicet. Per se quidem, & absolutè, organum salutis est Christus Dei Filius: in nobis tamen etiam organum est apprehensiuum, vt loquuntur, quemadmodum visus causa vera est lumen: attamen organum in homine rectè dispositum esse oportet, hoc est oculum bene affectum: sic Christus plena causa est salutis, in nobis tamen mentis oculus, hoc est, fides esse debet quæ meritum Christi amplectatur, & credat promissionibus. Et rectè quidem Chrysostomus dicit, iustitiam nobis offerri ἄνωθεν. Offertur enim cœlitùs per Christum, sed nobis οἴκοθεν afferri debere fidem, hoc est organum, quo apprehendamus & applicemus nobis, adeóque faciamus salutare meritum Christi: voluit. n. indicare in nobis necessariò requiri fidem, non quòd nostrum sit opus, aut natura insit, sed à Deo infusa, in nobis existat, cùm iustitia extra nos sit.

Fides causa sine qua non.

Fides organum in nobis.

Euangelij doctrinā ad omnes pertinere. Quartò additur, *Iudæo primùm & Græco*, Limitatio est, quousque pateat illa potentia per fidem, an solis Iudæis prosit, si credant? Respondet: non lex solis Iudæis data erat, sed Euangelij doctrina ab ea differt, quòd vniuersalis sit, pertinens ad omnes nationes, modò credant. Sic Christus inquit, Venite omnes ad me, & quicunque baptizatus fuerit & crediderit, saluus erit. Item, Ite in totum orbem, docete omnes gentes, quicunque crediderit in ipsum, non peribit sed habebit vitam æternam. Omnes vniuersales sunt clausulæ, quæ tollunt discrimina, hactenus inter Gentes & Iudæos seruata, atque ita cōmendatur doctrina hæc, quia pluribus vtilis est, quàm lex: dona enim quantò communiora, tantò meliora sunt. Tamen, ne omnis prærogatiua Iudæis adimeretur, addit Iudæis primùm, quod non ordinis est, sed prærogatiuæ: non enim Iudæi præcedunt Gentes, sed illis reiectis iam Gentes præcedunt. Erat tamen illa prærogatiua, vt Christi meritum ad illos præcipuè pertineret, quia Christus ex Iudæis est, & illorū sunt promissiones, patres &c. Habent igitur, quo se consolentur Iudæi, nos verò, quo maiorem agnoscamus gratiam Dei erga nos, qui populus non fuimus, iam facti sumus populus, non merito aliquo, sed gratia Domini. Hactenus definitio Euangelij, quam cum superiore diligenter confer.

Mat. 11. 28 Marc. 16. 16. 1. Ioan. 3.

III. *Iustitia enim Dei in illo reuelatur ex fide in fidem.* Et hæc superioribus cohærent, per αἰτιολογίαν: probat enim vim hanc Euangelij, quòd per fidem sit salutaris doctrina:

vsum igitur Euangelij explicat hoc loco, Argumentum est, à propriò illius officio.

Expendere autem hic, quid sit iustitia Dei deinde, quomodo hęc reueletur in Euangelio, & tertiò, quomodo ex fide in fidē. Iustitia igitur Dei dicitur tribus modis: primò, qua ipse per se iustus est, h. e. labe & vitio caret. Dan. 9. Iustus est Dominus Deus noster. Soph. 3. Iustus Dominus in medio eius. Hæc iustitia sibi constat, siue nos id credamus, siue minùs,

Dei iustitiam dici tribus modis.
1. Sine labe integritas.
2. Iustitiæ rigor & ius puniendi.
3. Iustitia imputatiua.

Deinde iustitia Dei est, qua iustitiam inter mortales exercet, hoc est, iustus iudex est, pœnis afficit sceleratos, sic iustitia Dei declarata est in diluuio, in Sodomorum pœnis, & aliis similibus exemplis, quò pertinet illud Psal. 8. Deus iudex iustus est. Et Psal. 119. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. De ea iustitia Dei, loquitur Abraham Gen. 18. Nunquid perdes iustum cum impio? Sed & ille iustitiæ rigor exercetur nobis etiam incredulis, imò eò rigidiùs exercetur, quantò homines pertinaciùs sese opponūt. Tertia est Dei iustitia, hoc est beneuolentia spontanęa qua nos gratis propter Christum amplectitur. Hæc iustitia nobis salutaris est, quia cum Dei sit, & in Deo propriè, nobis tamen applicatur & imputatur, adeò vt cum rei mortis simus, Deus nos absoluat à pœna, & iustos pronuntiet, imputata nobis sua iustitia, hinc imputatiua iustitia dici potest & gratuita. Hæc Dei iustitia in Euangelio proponitur, nō enim est doctrina legis. Reuelatur igitur in Euangelio, hoc est, vt res noua & mundo incognita proponitur: sic Ioannes, Filius, qui est in sinu Patris reuelauit nobis: aut certè reuelatur in Euangelio, hoc est, docetur per Christi meritū, nos iustos reputari: hoc enim tota doctrina Euangelij vrget: vel etiā in Euangelio, hoc est, illius prædicatione reuelatur, hoc est, cognoscitur applicata electis. A posterioribus enim cognosci potest, quibus illa iustitia sit imputata & applicata: nam illi deinceps iustè viuunt, nouis moribus professionem suam ornant, non sequuntur carnis studia. Atque hoc totum Dei opus est, nā iustitia imputatiua suos habet gradus, primùm suscipimur in filios Dei, gratuita Domini beneuolētia: deinde regeneramur, donamur Spiritu sancto, qui deinceps nouos in nobis efficit motus. Huic demum accedunt actiones conformes regenerationi, à quibus reuelatio iustitiæ incipit prodi hominibus. Additur autem ex fide in fidem, hoc est ex imperfecta ad perfectiorem: crescit. n. fides & datur secūdū mensuram, quemadmodum etiam S. sanctus: ex fide igitur reuelatur tenui, in perfectiorem, quemadmodum Dauid inquit. Ibunt ex virtute in virtutem. Aut ex fide reuelatur scilicet Dei, qua scilicet Deum videmus constanter seruare pacta, ex ea fidei constantia reuelatur iustitia, in nostram fidem, hoc est, vt nos quoque incipiamus nobis applicare Dei promissiones & illas nobis vtiles facere, sic Dei exemplum nostram excitat fidem, quæ & ipsa non incommoda est sententia.

Quomodo reueletur. Ioan. 1.

Quomodo ex fide in fidem. Psal. 84.

IIII. Sicut scriptum est, Iustus ex fide viuet.

Locus hic vltimus est propositi nostri: ostendit autem, iustitiam per fidem nobis rectè imputari. Ratio est à pronuntiatis, quia Abacuc dicit ca. 2. Iustus ex fide viuet. Fides hîc sit assensus promissionum diuinarum, amplectens meritū Christi: sic enim priùs de fide est locutus. Maneamus igitur in eadem significatione, sic iustus, hîc quoque est imputatiua iustitia reputandus iustus, quique eam iustitiam per fidem sibi vtilem fecit, hic, inquam, viuit fide, hoc est, non solùm vitam æternam consequetur aliquando: sed etiam in his terris hac ipsa spe, per fidem durabit, vt nullis malis hinc deiici possit, sed quantus quantus est, in Christo viuet. Hæc genuina est, & simplex dicti huius sententia. Porrò, quod indicat Hieronymus Hebr. legi *Beemunatò*, rectè quidem dicitur, nec impedit hanc sententiam: viuus enim est fide sua, hoc est propria viuet, aliena enim fides nō prodest ad iustificationem, prodesse quidem potest in his terris, vt eius beneficio nos alliciamur, & alia beneficia corporis consequamur: sed vt saluemur opus est propria fide. Hinc Christi vox, Fides tua te saluum fecit. Nec dicitur fides nostra, quasi à nobis orta: sed quia in nobis necessaria est, quanquam aliunde infundatur, nam Dei donum est, ac cœlitùs confertur: tamē nostra dicitur, quia, vt re propria vtimur, per illam negotiamur, illam possidemus, in hac viuimus: propria enim fiunt dona, postquam possessori conferuntur, sic iustus sua viuit fide. Græci tamen habent in fide mea, quasi legerent hebraicè *Beemunati*, in fide mea: est enim donum Dei, quanquam Græca nostra exemplaria legāt, ὁ δὲ δίκαιος μου ἐκ πίστεως ζήσεται, hoc est, iustus autem meus, ex fide viuet, quæ non reddit ineptam sententiam, quia verè iustus distinguitur à fictitiis & mundanè iustis, qui non fide, sed suo merito victitant & nituntur mediis aliis: sed Dei iustus, Christo per fidem tantùm nititur, habes idem testimonium infrà cap. 10. ad Gal. 3. & ad Heb. 10.

Fidei definitio.

Mat. 9. 22

Quomodo dicatur fides nostra.

Discamus, quę sit vita iustorum. Christus scilicet per fidem apprehensus. 1. Ioan. 5. Qui habet Filium Dei, vitam habet: qui illum non habet, vitam non habet. Phil. 1. viuere mihi Christus est.

Iustorum vita, Christus.

GENTES NON POSSE OPERIBVS SVIS iustificari coram Domino. Argumentorum aliquot ἀνάλυσις.

18. *Reuelatur enim ira Dei cœlitus contra omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent,* &c.

A.gum. Quæ sit principalis propositio nuper indicauimus, nimirum homines iustos reputari gratis, propter Christum, per fidem. Fluit illa ex illa disiunctiua, Aut operibus, aut fide iustificamur, sed non operibus, ergo fide, Minor, siue assumptum, iam declarandum est, scilicet quòd non iustificentur homines operibus. Locus totus confutationem habet, nam contra dignitatem & merita operum disputat: orditur autem rem ab ipsis Gentibus, mox idem declaraturus de Iudæis, vnde plena tandem inferet conclusione, Ergo nemo mortalium iustificari poterit propriis operibus.

Curà gentibus exordiatur. Porrò cur à Gentibus exordiatur negotium, non est obscura ratio: quia enim ad Gentes scribit, has primitùs admonet, quàm belli sint homines in primaria causa salutis nostræ. Accedit, quòd Gentium sit Apostolus, vnde ex officio hoc illis debuit, ne quid dissimularet, imprimis hoc idem mox quum sit contra Iudæos tractaturus: quare, ne quid illis deferre videretur præ suis, primitùs his detrahit supercilium proprij meriti.

Præterea hæc via vsurpata est à Christo ac discipulis suis, ipsisque Prophetis, vt primo loco peccata mortalibus proponerent, hinc demum salubria consolationis remedia subnecterent, quod ex Prophetis passim est perspicuum. Et Ioannes Baptista, Christus ipse à pœnitentia sunt exorsi, quum homines vix alia ratione admittant doctrinam salutis nisi priùs de suis viribus cœperint desperare, &c. Meminerimus igitur,

Propositio hanc esse quæstionem huius loci. Gentes non possunt suis operibus iustificari. Ad hanc conferemus argumenta ex Apostolo, plana via, vt nihil coactum & violentum videri possit, Obseruationibus non diu immorabimur, quòd alios ferè huc videam incumbere. Nos vim argumentorum proponemus, quam ἀνάλυσις demonstrat. Ratio prima est in istis verbis: *Palàm enim fit ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iustitiam hominum,* hoc modo: Omnium Gentium opera ex sua natura considerata, merentur æternas pœnas, iram Dei. Ergo Gentes, operum illorum respectu, iustificari non possunt. Antecedens est Apostoli versu hoc 18. Consequens vim habet à natura contrariorũ. Cõtrarij effectus non possunt eodem respectu, ab eadem simul causa fluere Iram Dei mereri effectus proprius operum est Gentium. Ergo eadem opera non possunt efficere iustitiam coram Domino, in Gentibus.

Argumenta confutationis. 1. A proprio effectu operũ.

Expositio argumenti. Sed expende verba, Ira Dei, inquit, hoc est pœna, quæ iratum nobis Deum declarat: ira in Deo, non est motus, vt in homine, sed dicitur iratus, quum sceleratos punit, vt in diluuio, in Sodomorum pœnis, aliisque. Quare ira, est fixa quædam declaratio irati Dei, seu pœnarum diuinitùs immissarum. Immittitur autem ob Dei contemptum vel proximi, hoc est, si quoquo modo violetur Dei, vel proximi charitas. Hinc dicitur ira, vindictæ cupiditas, propter contemptum, quæ faciunt ad expendendas causas iræ diuinæ: homines enim mox secum quærunt ac disputant, cur iratus est tibi Deus? curis punit? re uocemus igitur in his angoribus quæstionem ad suos fontes. Contempsisti Deum, aut

Cœlitus. læsisti proximi dilectionem. Additur, *Reuerali hanc iram cœlitus.* Reuelatur, hoc est declaratur exemplis, alioquin nobis parum curæ. Nec enim homines crederent Deum irasci peccato, & sceleratis hominibus, nisi exemplis conuincerentur: imò securè, vt aliâs solent, in peccatis dormiunt. Nunc quia vident Sodomitas dare pœnas, totum mundum diluuio deleri, Saulem miserè perire, puniri Iudam, Dauidem quoque vt alios, discunt: vtique est Deus in cœlis, qui odit scelera hominum. Hæc illa est declaratio, admodum vtilis & necessaria rebus humanis. Cœlitùs autem fit, h.e. habet testimonium authoritatis diuinæ: illa enim reuelari de cœlo dicuntur, quibus additur authoritas & pondus testimonij, non solùm, vt ignota priùs, sed vt minus animaduersa. Euangelium quidem vt Dei iustitia, reuelatur quoque cœlitùs, sed vt doctrina priùs nobis incognita: pœnæ autẽ scelerum, vt minus à nobis obseruatæ, quòd efficit hominis stupiditas, quam in peccando sibi fingit: reuelatur autem non sine causa, sed contra omnem impietatem & iniustitiam hominum, ἀσέβεια est peccatum contra primam tabulam in quo læditur verus Dei cultus: ἀδικία verò, qua læditur dilectio proximi. Quare bipartita diuisione complexus est omnia peccata: summa igitur est, Omnibus peccatis in genere irascitur Deus, & speciatim singuli: abstracto autẽ vsus est, quia in puniẽdo etiã Deus manet φιλάνθρωπος, hominẽ amat, peccata odit, ideóque pœnę videntur magis in delicta, quàm in personam facere, quemadmodũ pater in puniendo prodigo filio, dilectionẽ non exuit. Quæ faciũt ad con-

ad consolationem, nam Deus non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, id in pœnis diligenter considerandum est. Atque hactenus primum argumentum. Gentes secundum opera sua si examinentur, deprehenduntur omnes rei iræ diuinæ: Ergo secundum eadem opera non possunt iustificari. Hoc illud est, quod ad Eph. 2. dicit, Natura filios esse iræ, quemadmodum & cæteros, &c. Eze. 18. 32

Secundum argumentum contra opera. Gentes secundum sua opera detinent veritatẽ in iniustitia: Ergo secundum eadem opera non possunt iustificari. Antecedens iterum est Apostoli: consequens vim habet à natura pugnantium, quæ simul stare in eodem nõ possunt: pugnantia enim sunt, veritatem detinere captiuam & depressam, & simul velle iustificari, non sibi consistunt. 2. Argumentum.

Veritas hoc loco, est cognitio Dei, qualem Deus gentibus inseruerat, per naturæ principia & lumen rationis. Hanc notitiam detinent in iniustitia, primùm, quia malè abusi sunt, deinde, quia dum vident meliora, eadem non sequuntur, vident vnam quandam supremam mentem, quam tamen non adorant: sed captiuam densis tenebris retinent istã notitiam, vt maneat in eis otiosa speculatio. Mens aliud videt & approbat: affectus autẽ aliud sequuntur & dictant, & in hac lucta vincit ratio prior. Nos captiuã hoc pacto detinemus veritatem, si verbis de pietate philosophemur, reipsa aliud viuẽtes, vt bona parte fecimus: aut si violenter opprimatur veritas, quod faciunt tyranni, &c. Porrò Gentes hîc negare poterant assumptum illud, quòd scilicet veritatem detinerent in iniustitia. hoc non ferret de se dici Plato, Socrates, Aristoteles, Aristides, nec Alexander, aut Cæsar, similesve tyranni. Probat igitur Apostolus medium syllogismi sui, quòd rectè de illis hoc dicatur, inde etiam explicatur, quid voce Veritatis hîc intelligat. Expositio 2. argumẽti.

Probatio igitur secundi argumenti est vers. 19. & 20. vbi ostendit, diuinitùs fuisse Gentes ornatas Dei cognitione. Collectio talis est, Deus dedit vobis lumen naturæ, per quod Deum ex rebus conditis potuistis cognoscere : ea tamen cognitione, vt ipso lumine naturæ, pessimè estis abusi, quare fatendum est vobis, quòd veritatem in iniustitia detinueritis. Probatio 2. argu.

Proponit probandum. Τὸ γνωστὸν Dei est illis manifestum, hoc est, quod de Deo vos scire expediebat, hoc scire potuistis. τὸ γνωστὸν Dei vocat, id quod Gentibus naturaliter discere erat possibile, vt τὸ ὅτι, quòd sit Deus, cur sit Deus, qualis, quòd vnus, immensus, immobilis, ipse mouens & definiens omnia. Sunt enim alia ἄγνωστα Dei, hoc est, quæ lumine naturæ peruestigari non possunt, vt, quòd gratis per Christum homini velit parcere, quòd Filium in has miserias vitæ humanæ nasci voluit, mysterium crucis, passionis, resurrectionis, & similia. Hæc ἄγνωστα sunt, illa superiora nota sunt illis, vel vt Græcè est, ἐν αὐτοῖς, hoc est, principia cognoscendi illa intra sese habebant, acumen ingeniorum, lumen rationis, methodum colligendi consequentias : hæc intra se habebant. Sed quis patefecit illis ? Respondet, Deus. Itaque lumen naturæ, principia cognitionis, acies mentis dona Dei sunt, donum quoque cognitio rerum, quam illis organis acquisiuerunt. Quæ autem sunt illa ? respondet, *inuisibilia Dei per creaturas visibiles didicere.* ἀόρατα dixit illa γνωστὰ, hoc est, quæ Deus concessit Gentibus de se cognosci, vt quòd Deus sit, quòd causa omnium, quòd vnus, quòd immobilis & ἀόρατα sunt, quia Deus est ἀσώματος, ἀόρατος: fiunt autem νοούμενα homini, mentem in cognitionem illam intendenti: νοούμενον enim obiectum est τοῦ νοὸς, quemadmodum αἰσθητὸν τῆς αἰσθήσεως. Sed per quid Deus illis est νοούμενος? hoc est, quomodo intelligi & percipi potest ? respondet, ἀπὸ κτίσεως κόσμου καὶ τοῖς ποιήμασι, hoc est, per res conditas, quasi dicat, totus mundus nobis inseruiuit, ad Dei cognitionem. Κτίσις tota est fabrica cœli & terræ, aliarúmque naturarum in his contentarũ: sed ποιήματα specialia sunt, vt sydera, elementa, plantæ, animalia, sol, luna, &c. Hæc quomodo Gentibus inseruierint ad Dei cognitionem, norunt illi, qui libros illorum legunt. Plato illis plenus est, Aristoteles, ex consideratione motuum cœlestium vnam causam, motum esse concludit. Platò manifestè Deum condidisse mundum, & vnum esse fabricæ authorem, quia vnus sit rector. Sic Physici, medici, astrologi multa concluserunt ex rerum conditarum considetione, quibus Deum deprehenderunt. Nam vt Iudæis legem scriptam proposuit, ita gẽtibus naturam ipsam, quasi alterum librum à Deo descriptum, simúlque indidit desiderium cognoscendi res, hinc enatæ sunt artes. Ac si principiis bene positis inhæsissent, nõ ita fœdè lapsi fuissent. Expositio probationis.

Hic primus est modus cognoscendi Deũ, per res naturales, ex libro Dei physico, qui archetypum sapientissimum declarat esse, quia machina ista sapientissimè, ornatissimè, vtilissimè composita est. Alter modus est, quo Deũ cognoscimus ex sacris literis, minus hic falli potest, quia habet expressam Dei voluntatem, quid statuat de peccatis, de virtu- Huc pertinent quæ habentur. Psal. 19

19. 146. 147. Iob. 37. Es. 40. Act. 14. Heb. 11. tibus, de suo cultu, rebúsque aliis, hic liber Iudæis propositus fuit. Tertius modus est cognoscendi Deum, Filius ipse Dei: is enim est character Dei, & imago Patris, qui Filium videt, Patrem videt, hic modus ad electos solos pertinet. Hactenus probatio secundi argumenti, Accepistis naturalem de Deo cognitionem, qua estis abusi, Ergo veritatem in iniustitia detinuistis: verum enim erat, quod cognouistis, iniustum autem, quia oppressistis.

3. Argumentum contra opera. Tertium argumentum, contra opera est. Quia eò tandem faciunt, vt Gentes reddantur inexcusabiles, hoc modo: Opera in Gentibus considerata, illos reddunt inexcusabiles: Ergo per illa eadem opera, non possunt iustificari. Antecedens Apostoli est ad finem v.20. consequens valet, quia contrarij sunt effectus. Qui inexcusabiles sunt propter opera, hi non possunt iustificari propter opera. Nouum hic constituo argumentum, quia superioribus cohæret, tanquam non causæ effectus alienus. Nam Deus non propterea sui cognitionem dederat Gentibus, vt redderentur inexcusabiles, sed vt eo ad gloriam creatoris vterentur. Verùm eo abutentes dono, præter consilium Domini, per accidens accessit hic euentus hominum vitio, pertinétque ad illorum opera, à quibus proditi sunt inexcusabiles: valet igitur collectio, Qui propter opera declarantur inexcusabiles, hi operibus illis non possunt iustificari: Sed Gentes abutentes naturali cognitione illis diuinitùs concessa, declarantur inexcusabiles. Ergo propter illa eadem opera, non possunt iustificari.

4. Arg. Quartum, *Deum non glorificarunt quem cognouerant: nec gratias egerunt*, hoc est, Deo nō fuerunt grati, nec coluerunt cognitum: itaque operibus non possunt iustificari. Nam operum bonorum prima, sunt religionis, quæ in prima tabula præcipiūtur: illa autē Deo non contulerunt, Ergo nec aliis minoribus iustificari possunt. Antecedēs duo habet vera iustificandi hominis officia, δοξολογίαν & εὐχαριστίαν: prius gloriam omnem vero Deo defert, posterius soli Deo in acceptis gratias agit, vtroque Gentes errarunt Deum cognitum non coluerunt sed statuas & idola: in secundis illi gratias non egerunt, sed fortunæ bonæ, casui, opi, terræ, stellis, aëri, ingenio suo, viribus suis, & aliis mediis, Dei veri nulla fuit, aut rara mentio. Quomodo ergo ingratissimi, operibus suis iustificari possunt?

5. Arg. Quinto, *In cogitationibus suis ἐματαιώθησαν, vani redditi sunt*, hoc est, præcipuo fine operum suorum aberrarunt: sic igitur colligit, Qui operibus suis præcipuo fine aberrant, his non possunt iustificari: Sed Gentes operibus suis, præcipuo illorum fine aberrarunt, Ergo his non possunt iustificari. Minor Apostoli est ver. 21. Significat autem μάταιον, quod ad finem destinatum non peruenit, quod inutile & vanum redditur, vt pro thesauro quæsito, reperis carbones: hinc ματαιοῦσθαι vanum reddi, quod verè cōpetit operibus, quibus quum vellent ad felicitatem summam peruenire, aberrarunt. Hinc illi διαλογισμοὶ, hoc est, accuratæ rationes, quas secum meditabantur de vita beata, de finibus bonorum, de summo bono, de felicitate, & similibus grauibus quæstionibus, in quibus omnibus verè stulti redditi sunt, quum opera non ad vnius Dei cognitionem dirigerent.

6. Argumentum. Sextò, *Obtenebratum est insipiens illorum cor*. Alium malum est, ex superiori fluens. Cor insipiens est redditum ματαιώσει illa cogitationum, in omnes partes: hinc subsecutæ tenebræ Cymmeriæ, vnus enim error infinitos parit, quod Philosophi quidem agnouerunt, cauere non potuerunt. In his tenebris cordis quomodo iustificabuntur? aut quomodo opera bona erunt ex polluto fonte promanantia? corde enim infecto, infecta hinc edentur opera.

7. Argumentum. Septimò. *Cùm dicerent, se sapientes esse, stulti facti sunt ἐμωράνθησαν*. Respicit ad superbum Philosophorum titulum, qui antiquitus sophi dicti sunt tanquam sapientiæ doctores Hunc titulum dicitur Pytagoras primitùs correxisse: vidit enim non posse tanto nomini respondere mortalium ingenia: mansit tamen nomen apud Sophistas, qui non solùm σοφοὶ, sed σοφισταὶ dici voluerunt: sed reuerare & nomine Sophistæ sunt, in rebus diuinis, hoc est, impostores. Tanti igitur sapientes, turgidi illo titulo, stulti redditi sunt. Apud ipsos Græcos pro impostoribus habiti sophistæ, & ipsi Philosophi ciuiliores, vide vt dementati sint. Socrates sapientissimus, fatuus redditur moriturus, iubes gallum gallinaceum Aesculapio offerri, quid istæ nugæ? Aristoteles argutissimus, in piscatorum ænigmate emoritur. Hæc moria est mortalium, verè stultitia, summa sapientia. Vide in Cicerone, quàm abiectus ad mortem? in Alexandro Magno, in summis ingeniis verè stultitia regnauit, & quomodo igitur operibus iustificabuntur? ineptum est, vel tale quid cogitare.

GENTIUM OPERA DILIGENTIUS EXCUTIUNtur secundum species suas, ut constet eas his iustificari non posse.

23. *ET mutarunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & reptilium.*

24 *Quare etiam tradidit eos Deus,* &c.

Magna quæstio est de iustificatione, quæ coram Domino valere possit. Ethnici suis viribus & virtutibus ciuilibus ad beatitudinem contenderunt, quòd Philosophi traderent, in virtute satis præsidij esse ad vitam beatam. Hanc opinionem euellit ex illorum animis Apostolus, & ostendit aliunde quærenda esse præsidia ad vitam beatam, quàm ex propriis virtutibus. Quod, vt efficiat, depingit eos suis coloribus, quales sint natura sua, si deponatur larua. Ac quæ hactenus dixit in genere contra illorum opera valent, ideóque simpliciter resoluimus in argumenta, vt vis collectionis esset apertior. Sed nûc descendit ad specialem operum considerationem, vt tandem plena enumeratione inferri possit, opera non sufficere ad salutem. Argum. huius loci.

Sunt igitur tres gradus operum, hoc loco propositi. Aut enim præstantur Deo, vt illi cultus aliquis exhibeatur. Aut faciunt ad proprij corporis ornatum & dignitatem. Aut denique tanquam officia ciuilia præstantur proximo. Primi generis sunt, religionis opera, & cultus diuini, secundi castitas corporis & pudicitia in matrimonio ordinario: tertij verò ordinis sunt, opera charitatis erga proximum. De his tribus agit, vsque ad finem capitis, & concludet eos mereri mortem potiùs, quàm iustificationem coram Domino. Nos ordinem seruabimus argumẽtorum, adeóque in ἀναλύσει suscepta progredimur. Octauum igitur argumentum est, à specie præcipua operum, hoc est, à cultu diuino qui apud gentiles in pretio fuit. Si homines operibus iustificantur, tum iis in primis, quæ præcipua sunt, qualis est ipsa religio, & opera diuini cultus: At secundum hæc opera declarantur idololatræ, Ergo secundum illa opera iustificari non possunt. Minor est controuersa, ideóque ab Apostolo declaratur adeóque plena diuisione probatur. Idololatras fuisse hinc constat, primùm, quia mutarunt gloriam incorruptibilis Dei, hoc est, Deum spoliarunt sua debita gloria: hoc enim mutare est, scilicet à Deo vero transferre in Deos fictos, quantum in ipsis erat. Nam Deo nihilominus mansit sua dignitas, nec minor reddebatur, quanquam homines illam in mundo offuscarent. Deinde mutarunt etiam, quia falsa pro veris Deo vero attribuerunt, vt quòd finxerunt illum negligentem res humanas, otiosum, seuerum, inclementem, &c. Sed ad priorem significationem magis facit sequens ἔκθεσις, scilicet quòd transferendo mutarint. Honores diuinos primùm transtulerunt in homines corruptibiles, vbi est elegans ἀντίθεσις, Deus ἄφθαρτος est, homines φθαρτοί: indignum igitur est, commutari inter eos honores, vt illi mortalium, hisce autem immortales tribuerentur honores. Gentes tamen ita permutarunt in Hercule, Ioue, Saturno, Diana, Minerua, Alexandro Magno, Cæsare, Nerone, &c. qui omnes, partim viui, partim post mortem, in Deos relati sunt, statuas illis erexerunt, sacra instituerunt, thura adoleuerunt, &c. Ac puto hîc ὁμοίωμα & εἰκόνα idem esse, vt significaret imagines seu pictas, seu sculptas, seu fusas, quæ humanas referrent formas, nisi εἰκὼν sit imago ὁμοίωμα autem illius quædam imitatio, quæ magis recedat à vero, quemadmodum Pindarus dixit, Σκιᾶς ὄναρ, hoc est rem planè vanam, vmbræ somnium. Itaque bis hîc peccatum est, primò quòd viuis detulerunt diuinos honores, vt Alexãdro magno fecerunt sui adulatores: deinde, quòd post mortem illorum imaginibus idem præstiterunt. Altera species est idololatriæ, quòd ad volatilia eosdem honores transtulerunt: hinc cignus inter sydera, aquila, coruus, accipiter, & ciconia ab AEgyptiis culta fuit. Tertia est, quadrupedum vt taurus, vitulus, aries, canis, felis. Quarta, quia ad serpentes etiam deuentum est, hinc hydra, draco inter sidera, Crocodylus AEgyptiis etiam sacer est. Est etiam quinta species, qua compositas formas ex diuersis speciebus coluerunt, vt Iupiter Lybicus arietis capite, vt canino capite latrator Anubis, huc pertinent Fauni, Satyri caprinis pedibus, Naiades, Tritones, ex piscium & hominis forma. Hæc gentiũ fuit ἀλλαγὴ, hoc est, permutatio honorum diuinorum. Operum gradus tres. 8. Argumentum.

Nonum argumentum, *Ideo tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem vt deformarent corpora sua.* Vis argumenti est, ex secundo genere operum, quæ propria concernunt corpora, qualis est castitas corporis, & licitus vsus veneris in matrimonio. In quibus non minus peccarunt Gentiles, quàm in priori gradu, itaque ne his quoque operibus iustificantur, collectio talis est: 9. Argumentum.

Opera, quæ ad iustificationem facere debent, eadem etiam ad ornatum corporum &

dignitatem faciunt: sed Gentium opera non ad dignitatem, sed ad ignominiam spectant igitur his minimè iustificantur.

Expositio 9. argum. Cohærent illa superioribus per illationem, nam ex causa infert effectum: quasi dicat, ex illorum idololatria, nata est præpostera quoque Venus, & corporum suorum ignominia. Dicit autem Deum *eos tradidisse in cupiditates & impuritatem, vt fœdarent seipsos*: volens dicere, hoc illos promeritos esse, vt peccata peccatis punirentur: & reuera vnus error infinitos parit: sic vbi semel à vero Deo recessum est, infiniti errores emerserunt. Nec est, quòd ob id Deum peccati causam arguamus, cùm posteriora peccata priorum sint pœnæ, de quo, vide in locis nostris, scilicet in loco de induratione, & altero de tentatione, quomodo scilicet Deus dicatur tradere, & indurare, & tentare.

Qui veritatem in mendacium commutarunt & coluerunt. Continet hic versus 25. ἔκθεσιν octaui argumenti, nam redit ad explicandam breuiter idololatriam. Veritatem Dei mutarunt in mendacium, hoc suprà dixit, veritatem in iniustitia detinere, & mutare gloriam Dei in homines, hoc est, transferre ad creaturas, quod hîc dicit colere & seruire creaturis, παρὰ τὸν κτίσαντα, hoc est, contra creatoris mentem: manifestè enim hoc prohibuit, etiam lege naturæ, aut supra creatorem, hoc est, plusquam creatorem, quasi vtrumque coluerint, creatorem & creaturam simul: sed hanc magis, illum minus, vt hodie fit in Papatu, vero Deo, in cultu & adoratione, coniungunt multos, qui dij non sunt, & hos plus colunt, illum minus. Omnia enim sacra verè sanctis fiunt, & inuocatio ad sanctos ferè semper dirigitur, rarò ad ipsum verum Deum.

Aut certè Gentes totaliter neglecto vero Deo, omnem cultum idolis impenderunt, Additur clausula, *Qui est benedictus in secula, Amen*, Quo videtur præoccupare, hanc idololatriam tamen Deo nihil nocuisse: quasi dicat, mansit tamen, manétque Deus semper benedictus, vt vt homines illius honores opprimant & dissimulent. Hac clausula infrà, cap. 9. de Christo quoque loquitur, ex quo, æqualis asseritur Patris & Filij diuinitas. Vers. 26. *Quare tradidit illos Deus fœdis affectibus.* Hoc versu habet ἔκθεσιν noui argumenti, in quo de turpi venere, & ignominia corporum propriorum est locutus: nam hîc pleniore ἐκθέσει, rem spectandam proponit, de mulieribus & viris, vt ignominiosè propria tractarint corpora. Repetit autem traditos esse, quia causam mali repetierat, & explicat ἐπιθυμίας, vocem: hîc enim vocat πάθη ἀτιμίας, hoc est, ignominiosos affectus, aut potius morbos, nã reuera furor est potiùs, & morbus, illa Venus, quàm naturalis appetitus. Hinc subiicit distributionem. *Fœmina permutarunt vsum naturalem*, vt mulier, non cũ viro, sed cum muliere libidinosè ageret: sic viri non amplius mulieribus delectarentur, sed euirati, iuuenes in delitiis haberent, vt norunt omnes, qui historias legunt. Socrati quoque obiectũ est, hinc de amore tam curiosè disserit: quanquam hanc Venerem damnet Plato, quemadmodũ & alteram cum iumentis, quia εἰς πέτρας σπείρουσι, ideóque de medio tollendos censet: hodie Italis non ita peregrina. Ac reuera, furor contra naturam pugnans, hinc Apostolus exarsisse dicit: flamma enim est, &c.

10. Argu. *Et compensationem dignam erroris sui in seipsis recipientes.*) Decimum hinc desumatur argumentum: quæritur enim operũ merces & præmiũ, hoc eleganter vocat ἀντιμισθίαν, hoc est, compensationem, seu mercedem, pro mercede numeratam ac repositam: quasi dicat, malè grati fuerunt Deo, hinc similem recipiunt mercedem, ac videtur respexisse ad mercedem aliam, quam illi sperabant ex operibus, scilicet vitam beatam. Sed tantum abest: illam accipiant ex operibus suis, vt turpitudinem propriam tandem videant se recipere: sic igitur collige. Gentes ex suis operibus consequuntur confusionem & ignominiam. Ergo ex illis non possunt iustificari. Argumentum satis perspicuum est in Apostolo, in voce, ἀντιμισθίας. Pretium quæris ex operibus? Habes proprium operum præmium, ignominiam.

11. Argu. X I. Argumentum ver. 28. sumitur à tertio genere operum, quod est erga proximum. Gentes etiam officiis erga proximum, & in leges dilectionis deprehenduntur rei, non igitur possunt ne secundum hoc quidem genus operum, iustificari.

Expositio Cohæret superioribus per collationem, quasi dicat, quales erga Deum fuerunt, talia receperunt præmia: ingrati autem fuerunt, itaque ingratitudinis præmia tulerunt. Ingratos enim declarat, quod ait, *& vt illi noluerunt Deum retinere cognitum*: δοκιμάζειν enim hîc significat iudicium, seu intellectum, siue voluntatis assensum: quasi dicat, Deum quidem cognouerunt, sed non placuit eis, Deo cognito, contentos esse, illius veris cogitationibus incumbere: sed maluerunt, Deo vero relicto, rebus friuolis sese exercere, hæc summa fuit illorum ingratitudo. Hinc Deus, quid fecit? *tradidit eos in reprobum mentem*, hoc est, lege talionis in eos animaduertit. Eadem phrasi vsus est suprà versu 24.

& hîc

& hîc iam versu 28.significans, Deum non solùm permittere, sed etiam operari in cordibus impiorum, ad inclinandas illorum voluntates quoquò velit, semper iusto iudicio, de quo vide locum tentationis & August. cap. 21. de gratia & libero abitrio. Ἀδόκιμος νοῦς dicitur reproba mens, quæ ad bona inepta est, & inhabilis, quales sunt impij ἀδόκιμοι: nam vsu & consuetudine vitiorum, habitum contrahunt, vt non possint deinceps aliter agere. Hinc fi, vt faciant τὰ μὴ καθήκοντα, hoc est, ea, quæ sunt contra officia humanæ societatis, quam vita & moribus lædunt, vt proximo sint intolerabiles, aut certè vehementer molesti.

Nero etiam amicis molestus est, nedum ciuibus. Alexander toti orbi, &c. Hinc subiicitur catalogus vitiorum ciuilium, quo confirmatur antecedens argumenti vndecimi, ac orditur rem à genere: genus enim omnium vitiornm est ἀδικία, vniuersalis iniustitia, proximo non reddens, quod debet. Ac magna emphasi inquit, plenos esse omni iniustitia, quasi dicat, non leuiter peccarunt, nec vno modo, aut pauci, sed omnes diuersis modis. Vitia satis nota sunt: nec est, cur singula iam perstringamus hoc loco, cùm singula peculiarem tractationem requirant, quæ res ad locos communes spectat.

Conclusio vers. 32. infertur, nam ostendit, non ignorantia lapsos esse, sed intellexisse decretum Dei contra scelera: δικαίωμα enim hîc accipio pro decreto & iure fixo, quales sunt leges ciuiles, quæ pœnas decernunt sceleribus, hoc, inquam, decretum nouerant, ex quo discimus ius naturæ donum Dei esse. Nam ex iure naturæ illa didicerunt, hinc effectum ius gentium, quod habet regulas honestatis, menti impressas diuinitùs, vt cuique suum reddere, neminem lædere, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c. Hinc subiicitur δικαίωμα generale, hoc est, decretum Dei, & regula naturaliter illis nota, ex qua cōstruitur maior propositio syllogismi. Quicunque talia cōmittunt, digni sunt morte: sed Gentes talia commiserunt, Ergo Gentes dignæ sunt morte. itaque ex operibus non poterunt iustificari. Nam plena est operum enumeratio præmissa, & remotione probatum, nullo genere illis tribui iustitiam posse. Aut enim iustificabuntur operibus religionis, at illis declarati sunt idololatræ: aut operibus, quib. propria corpora ornantur, sed his ignominiam contraxerunt: aut denique operibus dilectionis, sed his desertis in contraria vitia inciderunt. superest igitur, nullo operum genere eos iustificari posse.

XII. Argumentum ad finem adiectum est, per occupationem. Nam dicere poterāt, non omnes ita enormia flagitia commisére: sed habemus multos ciuiliter iustos apud nos, vt Aristidem, Socratem, Catonem, & similes, qui excellentibus sunt præditi virtutibus, quid de illis dices? Respondet ne illos quidem puros esse: nam Deum etiam tacitas animi cogitationes damnare, itaque & hos perstringit sic: Quicunque vel faciunt peccatum, vel consentiunt peccato, digni sunt morte. Omnes gentes idem faciunt, cùm consentiunt facientibus peccatum: Ergo omnes digni sunt morte. Est autem συνευδοκεῖν simul approbare, εὐδοκεῖν dicitur, qui beneuolentia aliquid prosequitur, & consensu serio approbat. συνευδοκεῖν studio & fauore aliorum iudicia confirmare, quo declaratur, consensum ad peccatum, inter Gentes fuisse catholicum. 12. Argu.

Consentiunt autem, primùm, qui laudant scelera, & virtutum loco habent: deinde qui consulendo iuuant: tertiò, qui operam præstant, defendunt sceleratos, de quo vide Psal. 50. Cum adulteris pars tua, cùm vidisti furem, currebas cum illo: quartò, qui non seueriter puniunt peccata, quemadmodum Dominus iussit, isti meminerint seipsos commaculari alienis peccatis, & damnari eodem argumento, quo damnantur factores scelerum cùm Deus non solum manifesta flagitia damnet, sed abditas etiam cogitationes cordis, & qualemcunque consensum ad peccatum.





CAPVT II.

REPETITVR PRINCIPALIS LOCI PROPOSITIO *nimirum, Omnes homines coram Deo esse inexcusabiles, quod variis rationibus probatur, imprimis contra eos, qui reliquis videbantur sapientiores & iustiores.*



RIPLEX est peccantium genus: primùm eorum, qui contra Deum peccant, quales sunt idololatræ. Alterum eorum, qui in propria peccant corpora. Tertium qui in proximũ delinquunt, hos omnes Apostolus in superioribus pares fecit, in eo, quòd omnes sint inexcusabiles. Et quanquam, alij aliis grauius peccent: tamen in genere peccati cõcurrunt, nec excusat eos, quòd ali j facto, alij cogitatione vitia tractant, quia cogitationes etiã, coram Deo, peccati nomine traducuntur. Nunc his subiungit quartum peccatorum genus, eorum scilicet qui flagitia illa cognoscunt in aliis & damnant: in seipsis autem non agnoscunt peccatorũ pœnas, seu quia facto non committunt, seu quòd Deus illa non curet, aut successu rerum, videatur testari se illis propitium & placatum esse, quibus omnibus ita respondet, vt doceat, vanas esse illas excusationes, stareque fixam illam regulam, secundum opera examinatos, fore omnes inexcusabiles, siue Gentes sint siue Iudæi. Hinc transit ad causam Iudæorum, num isti consistere possint, in conspectu Domini, & iusti pronuntiari secundum opera sua. *Argumẽtum.*

Partes. Duo igitur sunt membra huius capitis, prius superioribus cohæret, vt declarentur Ethnici etiam iustissimi, impij coram Domino: posterius ad Iudæos spectat, quos, vt damnationi obnoxios, suo videbimus loco. Præsens locus tria complectitur membra, πρόϑεσιν, qua repetit principalem quæstionem: κατασκευὴν, quæ rationes ex communi iudicio affert, quæ nos omnes damnant. Συμπέρασμα, hoc est, conclusionem, quæ generalẽ habet θέσιν, Omnes in genere perire iudicatos secundum opera, illos per legem, istos sine lege scripta: sed propria conscientia, quæ damnat Ethnicos. *Præsentis loci dispositio.*

1 *Quapropter inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas alios.*

Renouata propositio Repetitio propositionis, quam Rhetores ἀνακαίνωσιν προτάσεως vocant, vsus huius est post longam argumentationem, vt auditori scopus principalis reuocetur in memoriam, videatque, quò omnia sint referenda, ideoque vtiliter, post multa argumenta, hac iam infert. Forma illationis est, quasi dicat, hoc ex tota oratione efficitur, omnes homines inexcusabiles esse in iudicio Dei. Id suprà mutatis verbis proposuit, Reuelatur ira Dei cœlitus aduersus omnem impietatem, & iniustitiam hominum: & versu 20. inexcusabiles esse dixit & vers. 32. tam factores, quàm consentientes omnes esse dignos morte. Idem hîc dicit συμπερασματικῶς *Quare inexcusabilis es ô homo, quisquis iudicas alium.* Aucta est propositio additione, quisquis iudicas alium, hoc est, qui aliis iustior videris, & de aliorum vitiis ex alto pronuntias. Necessaria fuit additio, quia iam contra nouum genus hominum disserit. Prius iam tria genera hominum damnationi subiecit inter Ethnicos idololatras, peccantes in propria corpora, & in proximum: nunc iustissimos etiam sub censuram mittit, quales erant Ethnicorum Philosophi, sancti & iusti habiti, vt Socrates, Atticus, Plato, Cato & similes. Hi censores morum publicè habebantur, & ob id ipsi videbantur inculpabiles: quasi dicat, tu qui damnas peccata in aliis, & rectè quidem, sed de te, quid statuet Deus? vtique in illius iudicio non minus culpa teneris, quàm miser homo in tua censura.

Vsus propositionis. Hæc mens est propositionis, quæ nos admonet de vtili doctrina, quales scilicet natura omnes simus, tam subditi, quàm iudices, publici peccatores, & in speciem iusti, Plato & Dionysius, Socrates & Atticus, qui quanquam in hominum iudicio multum differãt, Socrates enim iustus est, Atticus iniustus: Plato sapiens & vir bonus, Dionysius imprudens tyrannus: tamen in Dei censura, Socrates quoque & Plato, impij & inexcusabiles sunt

sunt. Hinc Dauidis illud, Domine, ne intres in iudicium cum seruo tuo: non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. Deinde iudicibus memorabile esse debet exemplum, vt quoties de aliorum peccatis est eis pronuntiandum: faciant hoc cũ timore Domini, memores huius sententiæ, In conspectu Domini, ipsos quoque, non carere culpa. Interea non de officio suo quicquam remittere debent, non enim iudicũ officia reprehendit, sed dicit eos apud Deum iudicem non vacare culpa, si operum debeat haberi respectus. Demum damnantur hîc hypocritæ, qui suis superstitionibus, ac ciuili iustitiæ innituntur. Sed ad rationes veniamus. Psal. 143

II. *Nam hoc ipso, quòd iudicas alium, te ipsum condemnas: eadem enim facis, qui alios iudicas.* Confirmatio.

Apostolo probandum est, iustissimos etiam Ethnicorum culpa non vacare, si in iudicium Dei veniant. Probat id inde, quia quæ in aliis damnant, eadem etiam ipsi committunt. Ergo vel proprior iudicio erunt inexcusabiles. Nam turpe est doctori, si culpa redarguit ipsum, hoc Ethnicorũ sapientissimus Cato dixit. Ergo Cato doctor, id docendo se condemnat. Apostolus duo facit, confirmat propositum, hinc cõfirmationis addit rationem. Damnando alios te condemnas, hoc est, inexcusabilem constituis. Confirmatio est propositionis: ratio autẽ est, quia eadem cõmittis, vt ita colligas: Quicũque in aliis damnat, quod ipsemet committit, inexcusabilis est coram Deo: sed Ethnicorum sapientissimi & iustissimi committunt, quod in aliis damnant: Ergo sunt coram Deo inexcusabiles. Maior vera est ex iudicio rationis. Minor Apostoli est, obseruemus hominem, non solùm à Deo iudicari, sed à seipso: suus ipse enim iudex est, quoties de his pronũtiat peccatis, quibus ipse detinetur. Sic Dauid seipsum dãnat, pronuntiãs de pœnis raptoris. Deinde considera, quomodo Gentium iustissimi eadẽ fecerint? Alius facto, alius consensu, alius appetitu, alius cogitationibus idem fecit: non enim hîc loquitur solùm de facto externo, sed quid sit corã Deo iudicat, in cuius oculis facere, est etiã concupiscere mala cogitare, consentire. Nã Deus de cogitationib. nostris malis, nõ secus pronũtiat, quàm de ipso facto: sic Deus interpretatur decalogũ, vt irasci quoque fratri, homicidiũ sit, & aspicere alterius vxorẽ cupiditate improba, sit adulteriũ: ita hoc loco de facto statuamus. Iudex quisque suus. 2. Sam. 12. Matt. 5.

Altera ratio, *Iudicium Dei est secundum veritatem aduersus eos, qui talia faciunt.* Argumentum est ab integritate iudicij diuini: opponit enim externæ iustitiæ hypocritarum & Philosophorum, iudicij diuini rigorem: quasi dicat, Deus falli nõ potest, habet ἔκδικον ὄμμα, & omnia intuetur verè, non fallaciter. ἀλήθεια hîc opponitur opinioni, secundum quam homines sæpe iudicant: sed errant & decipiuntur. Ita Deus non iudicabit, sed ex rei veritate & causæ natura: quasi dicat. Deus in suo iudicio non decipitur, non secundum opinionem pronuntiabit, sed ex veritate ipsa.

Docemur seueritatem iudicij diuini infallibilem esse, quæ res nos in officio continere debet, vt minus peccemus clàm, quasi Deus ignoret aut palàm etiam securius, quasi flecti possit illius seueritas.

Tertia ratio, *Putas autem hoc ô homo, qui damnas eos, qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu possis effugere iudicium Dei?* Occupationi occurrit, nam Ethnici sic solebant sua velare peccata, quòd Deus illa non obseruaret, aut certè non tanti faceret, vt singula in censuram vocaret: hinc Epicuri doctrina, quòd Deus plenè res humanas non curaret. Hinc Dauidis etiam, Deus in cœlis habitat: terram autem dedit filiis hominum. Hanc opinionem hîc euertit. Apostolus, Tu inquit, ita cogitas, sed falleris: impossibile est quemquam effugere iudicium Dei: igitur impunitatem nemo sibi debet promittere. Tu facis eadẽ, quæ in aliis damnas: igitur iudicium etiam metue. Vis argumẽti talis videtur à pari, Peccatores in hac terra, tuam censuram non possunt effugere: Ergo nec tu Dei censuram effugies: tu hîc pronuntias de aliorum delictis. Ergo Deus etiam de tuis pronuntiabit, quę ratio æquissima est. Psal. 115.

Quarta ratio, *Aut diuitias bonitatis illius & tollerantiæ ac lenitatis contemnis? ignorans quòd benignitas Dei te ducit ad pœnitentiam?* Hoc quoque argumento obiectioni occurrit, itaque altera hæc est prę occupatio. Nam Ethnici, se Deo placere hinc colligebant. quòd successu rerùm eos ornaret, quæ res fauoris est argumentum. Deus non punit nos, imò omni rerum successu ornat nos, igitur non est nobis malè propitius, alioquin puniret nos. Aut dicito tu nobis, si omnes ita scelerati sumus in conspectu Domini, cur tandem nos fert Deus? cur non punit? cur non de terra, vt improbos delet? Respondet igitur Apostolus ac refert veras causas nostræ conseruationis, verum etiã finem: non enim quia peccato caremus nos conseruat, nec quia nostris hoc meremur virtutibus.

Causæ veræ conseruantes sunt, Dei mera bonitas, quam illustrat πλοῦτον χρηστότητος vocando, hoc est copiosam bonitatem, copiam ipsam, ac nisi bonitas abũdaret, actum erat.

Admonemur hîc de magnitudine bonitatis diuinę, in tolerandis nostris vitiis. Altera est causa ἀνοχὴ, quæ est virtus abstinens à pœnis quas meritò poterat infligere, aut tolerans peccatores. Tertia est, μακροθυμία, patientia in ferendis peccatoribus, & de emendatione non desperans. Hæc virtus à Mose Domino tribuitur, & Dauide aliisque sanctis, *erech appaim.*

Hæ veræ causæ sunt conseruationis. Finalis autem est ad pœnitentiam allicere, quasi dicat, concedit vitam & felicitatem prorogat, vt sit spatium emendandi mores. His abutimini cùm falsas pro veris fingitis causas, hoc illud est καταφρονεῖν vt in causa finali errare, quod est ἀγνοεῖν vsum vitæ suæ. Summa est, non ideo aufert pœnas Deus, quia differt, sed allicit ad emendationem peccatores.

Quinta ratio, *Sed secundum duritiem tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij* Dei. Ab euentu argumentatur in pœnitentiam, & ostendit, quæ sit vera causa damnationis. Σκληρότης durities est, indurationi proxima, de qua diximus in loco indurationis. Ἀμετανόητος καρδία, cor alienum à pœnitentia, quod est peccantium contra agnitam veritatem, videre errorem & illum non corrigere videre meliora & deteriora sequi. Quæ vitia sunt extrema, & summa, cùm illi hanc constantiam in sententiis & moribus, tanquam summam virtutem admirarentur. Habes vitia enormia pro virtutibus: vide iam euentum illarum virtutum, speras magna præmia tuæ constantiæ, iram in die iræ colligis. Rem illustrat verbo θησαυρίζειν, quod significat copiose reponere in futurum εἰς ἄυελον θέσιν ὁρίζειν. Habebis ergo thesaurum, sed iræ, non præmij. Obseruemus igitur, quàm dolenda sit merces operum nostrorum, & quàm minimè votis nostris respondeat. Nouissimum iudicium describit notis quibusdam: primùm est dies iræ, hoc est, in qua iam non amplius misericordia, sed iudicium exercebitur: deinde est ἀποκάλυψις, reuelatio, quia tum reuelabuntur secreta cordium & iusti reuelabuntur, & impiorum pœnæ, gloria Filij Dei & oraculorum diuinorum certitudo, aliáque multa, vt rectè dicatur ἀποκάλυψις. Tertiò iustum est Dei iudicium, quia falli non potest, nec fallit etiam, nulli parcit, neminem etiam defraudat præmiis suis.

Sexta ratio, *qui reddit cuique secundum opera sua.* Comminatio est noua, nam vult, vt actiones nostras meliùs expendamus, ne fallamur opinione nostra. Fixum est, Deus secundum opera vobis reddet: at illa omnino impura sunt extra. Christum, & damnabilia. Ergo mera damnatio hinc vobis est metuenda. Idem habes Matth. 16 Apoc. 22.

7. *Iis quidem, qui secundum patientiam, boni operis gloriam, & honorem & incorruptibilitatem, quærunt vitam æternam.*

8. *His verò qui sunt contentiosi,* &c.

Diuisio est, qua per distributionem enarrat diuini iudicij æquitatem. Duplex est hominum conditio, alij ab eo præmiis ornantur, alij contrà, pœnis afficiuntur. De primo genere, sese Ethnici sapientes iudicabant, ab eo igitur quàm procul distent, edocet. Qui quærunt vitam æternam per tolerantiam boni operis, his, inquam, dat gloriam, honorē & incorruptibilitatem, & vitam æternam. Quibus igitur datur? his, inquit, qui per tolerantiam quærunt vitam æternem, hoc est, qui propter Christum persecutionem patiuntur, & in hac persistūt. Hæc est tolerantia boni operis, quę Christi merito nititur, & illius nomine quæuis suffert. Sed Ethnici non sic loquuntur de bonis operibus, aut de tolerantia, ideóque non est quod sperent illa præmia. Incitat autem eos ad hanc contentionem, vt deinceps Christi nomine quiduis subeant, quæ sancta est patientia.

Alterum diuisionis membrum est, de impiis, quales natura omnes sumus, qui veritati non credunt, hoc est, Christo non nituntur: nam hanc veritatem intelligo Ioan. 14. Ego sum via, veritas & vita. Itaque veritati credere, est per tolerantiam boni operis vitam æternam quærere. Nunc veritati non credit sed iustitiæ, qui non per tolerantiam boni operis quærit vitam æternam: sed contentiosus est & pro defendendis suis dogmatibus pugnat, non pro Dei gloria. His soluetur θυμὸς καὶ ὀργὴ, hoc est, diuinitùs contra tales declarabuntur pœnæ.

9. *Oppressio verò angustia.* Noua antithesis superiori par, nisi quòd ordo mutatus est. Prius à iustis cepit collationem, hîc ab iniustis, sententia eadem manet. Impij pœnas expectant, quas comitatur θλῖψις, afflictio, & στενοχωρία, hoc est, animi anxietas, quæ mala hîc quoque impij sentiunt: pios manet gloria, honor, & pax, hoc est, vita æterna. Vtrinque primum locum dat Iudæo, inter damnatos, extra Christum si referantur: minus habent excusationis propter expressam Dei voluntatem in lege. Sin in Christo computantur inter electos, prærogatiuam habent propter Patres & Christum. Æquantur autem illis Ethnici, illic propter legem naturæ, hîc propter Christi meritum.

CON-

CONCLVDIT OMNES HOMINES DAMNABILES esse, tam Gentes, quàm Iudæos, quia inexorabilis sit Deus iudex occultorum delictorum.

Durat adhuc suscepta disputatio contra Ethnicos, tantùm quòd specialiter contra iustiores inter eos argumenta dirigit, qui videbantur se posse tueri iustitiæ titulo. Hoc peragit etiam reos ab initio capitis secundi, quò spectant etiam sequentia à versu 11. vsq; ad finem 16. Habent igitur præsentia verba argumentum ordine septimum, quod à persona Dei iudicis sumit, est hic inexorabilis, ideò nemo hîc se tueri poterit: mox ἐκ θέσει argumentum explicaturus rem deducit ad θέσιν, h. e. hoc verum esse non solùm in Ethnicis, sed etiam respectu Iudæorum. Hoc vt declararet, ostendit, quomodo Ethnici damnentur sine lege: item Iudæi secundum legem. Ad finem, locum conclusionis, iudicij illius seuerissimi circumstantias exprimit, hoc est, quis sit iudicaturus: 2. de quibus pronunciaturus: 3. secundum quam formulam: 4. quis præses iudicij sit futurus. Quibus omnibus terrorem incutit hominibus, vt tandem discant ad Christum confugere, cúmque tanquam ordinarium iudicem, sibi discant conciliare. Argum.

11. *Non est enim personarum acceptio apud Deum.*

Argumentum est septimum: nam sex hactenus indicauimus, hîc septimum constituimus. Sentētia est, Si exorabilis esset Deus extra Christū, sperari poterat aliqua defensio peccatorum: at non est exorabilis, nec personam respicit: igitur frustra speratis excusationem peccatorum vestrorū. Cohærent superioribus per αἰτιολογίαν: nam dixerat, præmia vitæ æternæ tribuenda, sed his qui veritati, hoc est, Christo crederent, idque fieri sine respectu personarum, hoc est, vt tam Ethnicus, quàm Iudæus admittatur. Sic extra Christum omnes iræ diuinæ reos esse pari iure, vt nec Iudæi, nec Ethnici habeatur ratio, cuius rei causa est rigor Dei iudicis. Nouum autem constituo argumentum, quia non solùm proximè præcedentia confirmat: sed etiam docet extra Christum hoc ipso nos esse inexcusabiles, quia personam Deus non accipit. Si enim acciperet, iustus philosophus ingredi poterat ad vitam æternam sine Christo, Deus illius personam ciuiliter iustam admitteret: sic Iudæus intraret propter Mosen, aut quia semen esset Abrahæ: sed falsa illa sunt, quia personam non accipit: manet igitur πρόθεσις firma, extra Christum omnes esse dānatos in conspectu Dei. Cæterùm personam accipere est, non ex natura causæ iudicare, sed personæ conditionibus aliquid tribuere: vt in foro ignoscitur sæpe mulieri, in quo non ignosceretur si vir esset: puero datur venia, si adultus fecisset, non daretur venia. Sic ætati, sexui, aliisque conditionibus aliquid tribuitur, id in Dei iudicio non fit: Deus non curat, puérne sit, an adultus, vírne an mulier, Iudæus an Ethnicus: sed his neglectis, secūdum ipsam causam iudicat, peccauit, moriatur igitur: hinc, nec puer vnius diei mundus est coram Domino. Eandem sententiam habes ad Gala. 2. Deus personam hominis non accipit, Ephes. 6. Non enim personarum acceptio apud illum. Coloss. 3. Non est personarum acceptio apud Deum. Act. 10. non est acceptor personarum. Admonet nos iste rigor, quàm nihil prosint omnes excusationes, quas homines sibi fingunt: nec id ignorarūt Ethnici, hinc finxerunt & ipsi iudices quosdam apud inferos causarum humanarum, qui prorsus essent inexorabiles, qualis est Æacus, Radamantus, Minos, quod sanè vestigium fuit cordibus illorum impressum, Deum iudicem, extra Christum mediatorē, planè esse implacabilem. Quid sit personam accipere.

12 *Quicunque enim sine lege peccarunt, sine lege peribunt, & qui in lege peccarunt, in lege damnabuntur.*

Ἔκθεσις est propositionis positæ, quomodo scilicet Deus sit implacabilis extra Christum. Rem explicat ex præsenti negotio: quæstio est, an secundum opera aliquis possit iustificari extra Christum: respondet, non potest, nec Ethnicus, nec Iudæus, vtrisque enim sic implacabilis est Deus. Gentes sine lege peccarunt, hoc est, sine lege Mosis, non quod planè nullam habuerint legem, sed Mosis non habuerunt: aliàs nulla gens tam barbara fuit, quin habuerit aliquas leges, vel saltem pro lege consuetudines, peccarunt igitur sine lege Mosis in suas leges ciuiles, & in legem naturæ. Damnantur igitur etiam sine lege Mosis, secundum legem naturæ, & sic erunt inexcusabiles: Iudæi verò peccarunt in Lege, hoc est, sub lege Mosis scripta, cui non satisfecerunt. Damnantur igitur isti secundum hanc legem Mosis, vt superiores secundum legem non scriptam: itaque Deus vtrisque est implacabilis.

13. *Non enim auditores legis: sed factores.*

Superior explicatio bimembris fuit, priore de Gentibus, posteriore de Iudæis est locutus. Nunc eadem membra persequitur latiùs, ac posteriori respondent ista, hoc est, Iudæis respondet.

Iudæis.Iudæi enim totam hanc diſputationem contra opera ſuſceptam, conuertunt in querelas,ac indignum iudicant,ſe per omnia æquari Gentibus,quibus tamen Deus legē dederit,cuius authoritas aliquid valere debeat apud Iudicem Deum. Reſpondet igitur Apoſtolus,& inquit,Lex quidem vobis eſt data, modò illam ſeruaretis:oportet enim in legis iuſtitia,perfectam eſſe obedientiam legis,hanc vos non præſtatis. Et habet argumentum vim à pronuntiatis,quaſi dicat,De illa vox eſt de legis obſeruantia:nam Deute. 27.Deus inquit,Maledictus,qui non permanſerit in ſermonibus legis huius,quod Apoſtolus ad Gal.3.cap.citat paulò expreſsius,Maledictus omnis,qui non manſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis iſtius,vt faciat ea. Idem hoc loco vrget, Deus vult factores non auditores.Diſce duplices etiam homines, alij auditores ſunt, qui philoſophantur μέχρι τῶν λόγων, tales Chriſtianiſmus multos quoque habet. Alij factores ſunt, qui præter auſcultationem,adiungunt quoque operis complementum. Atque illi dupli ces ſunt,alij perfectè præſtant,alij imperfectè : ex primo genere oportuit eſſe Iudæos,ſi per legem vellent excuſari,ſed ex poſteriori genere ſunt,hoc eſt,eorum,qui imperfectè omnia agunt,ideóque manent extra Chriſtum damnati. Nobis, qui in Chriſto ſumus, eadem ſententia prodeſt:non enim ſatis eſt ore tenus credere,ſed debemus facta addere,vt vita & operibus comprobemus fidem:non enim auditores Chriſtianiſmi, ſed factores iuſtificabuntur.Hinc Iacob.ca.1.monet,Eſtote factores verbi, nec ſolùm auditores,fallentes vos ipſos.& cap.4.de obtrectatoribus,Non es factor legis obtrectando fratri,ſed iudex legis.

14 *Quando enim Gentes,quæ legem non habent,natura,quæ legis ſunt,faciunt.*

Alterum membrum,quo reſpondet priori parti ἐκθέσεως,hoc eſt,his quæ Gentes afferebant.Nam vt iſti rem ad querelas referunt,iniuriam illis fieri,quòd Iudæis per omnia æquarētur cùm illi legem habuerint ſcriptam vnde meritò ſint inexcuſabiles,ſi quid contra legis præſcriptum fecerint:ſed miſeros Ethnicos immeritò damnari cum Iudæis, cùm Deus illis nullam dederit legem ſcriptam,in quam peccarint:ſed omnia illorũ delicta meram habere ignorantiam.Reſpondet igitur Apoſtolus, non planè caruiſſe lege, & quod prius dixerat ſine lege peccaſſe,intelligendum eſſe de lege Moſis.Sed illos,præter hanc,habuiſſe legem triplici modo.Primùm ſibi ipſis fuerunt lex,hoc eſt, conſtituerunt ſibi leges ciuiles, ſecundum quas honeſtè viuerent, inter quas, licet multæ fuerint abſurdæ leges,vt in Republica Platonis,Laconica aliiſque, attamen multæ fuerunt honeſtiſsimæ leges,planè congruentes cum Dei & Moſis legibus. Cùm igitur ſibi fuerint lex,non poſſunt dicere,ſe caruiſſe omni lege.Secundò,hoc nomine habuerunt etiam legem,quòd ſcripta ſit in cordibus illorum honeſti & boni lex, id quod re ipſa declarant, dum iudicium honeſtorum & inhoneſtorum approbant. Loquitur hîc de lege naturæ, quæ ἄγραφος νόμος dicitur, hoc eſt, lex non ſcripta, vnde conſtructum eſt ius Gentium, Quod non poſuiſti,ne tollas:quod tibi nolis fieri,alteri ne feceris:alterum ne lædas,cuique ſuum reddas. Hæ & ſimiles regulæ iuris ſunt naturalis, quod ſcriptum non eſt, ſed cordibus impreſſum diuinitùs,& hoc illos damnat.

Gentes habuiſſe legem triplici modo.

Tertiò legem habent conſcientiæ,quæ conteſtatur cum lege naturæ & ciuili,Ethnicos eſſe peccatores,quandoquidem non obſeruant regulas communes,quas Deus naturæ impreſsit.Porrò teſtimonium conſcientiæ nihil aliud eſt, quàm pronuntiatũ Dei de vita noſtra bene,vel ſecus acta. Hoc pronuntiatum,etiam damnat nos extra Chriſtum, quod inde probat,quia cogitationes hominum,tum excuſant,tum damnant eos : quod quid eſt aliud,quam infallibile delictorum argumentum ? mille teſtium eſt conſcientia, perſequitur abdita etiam delicta,quò aliâs nullus teſtis penetrare poteſt,illic conſcientia nos ſpeculatur & accuſat.Nos diſcamus metu horum teſtium cautius viuere,ne facilè offendamus conſcientiam noſtram.Hactenus probauit Gentes habuiſſe legem non ſolum accuſantem,ſed etiam damnantem:nunc tandem concludit,inquiens.

16 *In die,quo iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum.*

Tertius locus eſt præſentium verborum. Explicat autem iudicij illius ſeueriſsimi contra peccatum,quaſdam circunſtantias, vt quando futurum ſit, à quo, de qua materia,ſecundum quam formulam,quo præſide. Quando futurum ſit?in die quo iudicabit Deus. Suprà dixit diem iræ reuelationis, & iuſti iudicij Dei, exprimens vltimum iudicium 2. à quo celebrabitur?à Deo,quem dixit perſonam non recipere, itaque implacabilis erit 3. materia iudicij quæ erit ? τὰ κρυπτὰ hominum, hoc eſt,occulta delicta, ſignificans multa hîc occulta manere,de quib.Dominus ſit iudicaturus,ideóq; manifeſtabũtur tacitæ etiã cogitationes:deinde peius iſtos habituros,qui hîc puniti non ſint.q.d. his præcipuè iudicium illud inſtitutum eſſe,vt dent pœnas,qui in his terris omnem cen-

suram subterfugerunt. Itaque scortator & impostor, qui sua scelera hîc contexit, vt non daret pœnas, illic eò peius habebit. Non igitur est, quod de impunitate gloriari possint. 4 quæ sit formula iudicij futura: respondet, secundum euangelium meum. Magna est commendatio doctrinæ Apostolicæ, quòd Deus Opt. Max. non sit alia vsurus formula in illo iudicio, quàm quæ est expressa in doctrina Apostoli: illa autem est, Quòd sine fide nemo possit Deo placere: extra Christum non esse salutem: secundum hoc Euangelium pronuntiabitur contra incredulos. Vocat autem suum magno affectu: quæ enim intimè diligimus, nostra solemus vocare, licet nostra non sint. Deinde illi concreditum est inter Gentes: item quia illius præco est præcipuus apud Romanos. 4. Laborauit in eo multum. 5. Vt authoritatem sequenti doctrinæ obtineat apud Romanos: nam sequens disputatio de iustificatione per fidem, huc pertinet. Vltimo loco, quo præside peragendum hoc iudicium sit: respondet, per Iesum Christum: Christus ergo præsidebit. Sic Ioann. 15. Pater omne iudicium dedit Filio. Act. 10. Constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Roman. 14. Mortuis & viuentibus dominatur. Ibidem Omnes statuemur ad tribunal Christi. 1. Thessalon. 4. Christus veniet cum voce Archangeli, &c. Facit hoc vehementer ad causam præsentem, Christus erit iudex: Ergo danda opera Iudæis & Gentibus pariter, vt huius gratiam sibi comparent: qui enim iudicis habet gratiam, non cadet sua causa. Hoc in mundo adeò verum est, vt nihil potiùs curent partes litigantes, quàm vt iudicis fauorem obtineant: id faciunt muneribus, obsequio, aliisque quibuscunque artibus. Idem igitur faciamus in causa salutis nostræ, nihil triste erit metuendum, Christo recepto & placato, &c. Quo sensu suum vocet Euangeliũ.

ALTERA PARS PROBATIONIS, QVOD IVDÆI quoque operibus non possint iustificari.

17. *Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, &c.*

Hactenus de Ethnicis actum est. Nunc pari diligentia aget contra Iudæos, quæ altera pars est loci propositi, vnde conficitur generalis illa. Nulli homines operibus iustificari possunt, quia nec Gentes nec etiam Iudæi operibus iustificantur. Sit igitur propositio, Iudæi non iustificantur operibus suis. Tractatio, illa habet membra, initio per concessionem enumerat speciosos titulos, quibus Iudæi sese ornabant ex lege diuina: secundò ostendit his titulis eos minimè respondisse: tertiò per occupationem tollit etiam prærogatiuam circuncisionis: quartò idem mox confirmat distinctione vocum, qua duplicem facit Iudæum, & duplicem circuncisionem, internam, & externam, carnis & cordis, spiritus & literæ, vnius laus apud Deum, alterius apud homines, de his igitur in præsentia agendum est. Propositio. Partes.

1 Titulos recitat originis, cognitionis, & docendi muneris. Primùm, ecce tu Iudęus vocaris: sonat Iudæus cognitionem, hoc est, hominem veræ religioni deditum, quem titulum habent à tribu Iuda. Nam quum reliquæ tribus defecissent à domo Dauid, tribus Beniamin & Iuda solæ remanserunt, dictúmque est regnum Iuda, reliquæ decem regnũ Israel. Postea in perpetuis captiuitatibus, à principali tribu Iuda, Iudæi ceperunt dici, quòd ex hac sperarent omnes Messiam & hinc etiam imperium erat promissum. Alij à Iuda Machabeo dictos Iudæos volunt, quod infirmum est, quia ante illum sic dicti fuerunt. Sed expendo Apostoli emphasin, Iudæus diceris, inquit, hoc est, tibi nomen quidem concedo, sed rem nominis non do, nomine, non re Iudæus es, nec satisfacis tam specioso nomini. Nos admonemur nomina speciosa originis non prodesse, nisi maiorum quoque exempla imitemur, & quod dicimur reuera simus: sic Christiani dicimur, vtinã re ipsa quoque essemus. Secundò requiescis in lege. Επαναπαύειν significat securè rei alicui inniti, vt illius patrocinio se suáque committat: in lege igitur acquiescis, hoc est securiter illius authoritati incumbis, securè in illa viuis, quasi illi indormiens, non solicitus, quomodo castos addas mores quasi sit satis legem te habere, quemadmodum mali ciues suam Reipub. formam laudant, aliísque præferunt, quanquam minimè legi satisfaciant. Vt igitur nomini non respondent: ita nec legis mentem exprimunt. Iudæi tituli.

Tertiò, gloriatis in Deo, hoc est, quòd verum Deum cognoscas præ cæteris nationibus solúsque tu sis Dei electus populus quod magna est gloria: sed oportebat tantæ vocationi & gratiæ melius respondere, quod non animaduertis. Moses in Deuter. 4. rectè inquit, reliquas nationes admiraturas Iudæos, propter veri Dei cultum & legis præstantiam, quod verum erat, si vocationi semper respondissent. Et Dauid eo gloriatur, Non fecit sic omni nationi: sic hodie gloriamur de Christo, malè respondentes vocationi. Psal. 147.

Quartò, *nouisti illius voluntatem* ex lege scil. scripta, qua carebant Gentes: sed vt cognitio sola non satis est ad salutem: ita illis, quum malè viuant, minimè prodest, res alioqui optima: cognoscunt, qui iudicium habent discernendi honesta & impia, & cognoscunt, qui assensum addunt, cupidi ita viuere, quemadmodum cognouerunt, hoc illis deerat.

Quintò, δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, hoc est diiudicandi authoritatem tibi sumis, quid honestum, quid vtile, quid non: ac differentias rerum accuratè exponis, vt in cibis, qui liciti, qui minus: in præceptis, quod sint negatiua, quot affirmatiua, quis sit ordo in præceptis, quæ quibus præstent, in summa, de omnibus subtiliter philosopharis.

Sextò, *Bene institutus etiam es in lege vel ex lege*, hoc est, ab infantia didicisti legem, memoriter illam tenes, in fronte geris, & phylacteriis, & nihil non præstas. Hæc catechesis erat, hoc est disciplina pietatis, quæ pueritiæ proponebatur. De voce & officio catechumenorum alibi diximus.

Septimò, *Videris tibi etiã doctor esse cæcorum, & lumen in tenebris*. Τυφλοὶ & σκότος contemptu quodam, per imitationem dicuntur Gentes, quas cæcorum nomine & tenebrarum loco habebant superciliosi Iudæi. Vt tales quidem reuera erant sua natura Gentes: sed cùm Iudæi nihilo melius viuerent, mera est arrogantia, cùm se ὁδηγοὺς & φῶς appellant. Christus rectè dixit, duces esse cæcorum, Matt. 15. & Luc. 11. Lumen in ipsis obtenebratum, & totum corpus tenebræ sunt.

Octauò, παιδευτὴς ἀφρόνων & διδάσκαλος νηπίων. Munus & authoritatem alios docendi plenius explicat: quasi dicat, non satis est tibi nouisse omnia mysteria legis: sed eadem aliis obtrudis, tanquam præceptor imperiosus. Idem sunt hoc loco παιδευτὴς monitor & διδάσκαλος doctor ἄφρονες autem & νήπιοι, idem quod prius cæci & tenebræ. Christus hanc diligentiam docendi legem in illis etiam reprehendit, Matth. 23. Circumeunt mare & aridam, vt faciant vnum proselytum, quasi re optimè sint perfuncti: sed interea clauem scientiæ auferunt, vt nec ipsi ingrediantur, nec alios sinant ingredi.

Luc. 11. Nonò, *habes formam cognitionis & veritatis in lege*, hoc est, ideam veræ cognitionis, aut etiam speciem externam, secundum quam te ostentas mundo, hypocriticè viuis, & imponis grauia onera aliis, quæ tu ne digito quidem attingis, Matth. 23. Luc. 11.

Hi tituli sunt Iudaicæ gentis, in quibus expende concessionem esse valde ironicam, nam liberaliter dat nomina illa, cùm rem planè neget.

Deinde quæ laudis esse poterant, conuerti in causas grauioris damnationis. Sed facile est ex singulis doctrinam amplissimam elicere, nos pergamus.

1. Arg. cõtra operũ iustitiam in Iudaismo. Colligamus hinc primùm argumentum, contra iustitiam operum in Iudaismo. Qui legem Dei habent & intelligunt, eam tamen vita & moribus non exprimunt, secundum illam iustificari non possunt. Sed vos talem habetis legẽ, quam intelligitis probè, sed vita non ornatis. Ergo secundum illam non potestis iustificari operibus. Huc refer etiam, 2. Doctores solùm non factores. quòd præcedentis capite dixit, Non auditores, sed factores legis iustificantur: vel vt his respondeat, non doctores legis, sed factores: at vos solùm estis doctores legis, non factores. Ergo non iustificabimini secundum illam.

3. Arg. 21. *Quid igitur doces.*

Tertium argumentum ab absurdo, quasi dicat, valde absurdum est aliis tantùm sonare, non tibi ipsi etiam prodesse. Hoc de campana & statuis Mercurialibus dicitur: illa conuocat plebem ad verbum Dei, hę autem monstrant erranti viam, quam ipsæ nunquã ingrediuntur. Tales vos estis, docetis alios, vos minimè. Hoc illud est onera imponere, quæ nolis attingere, & clauem scientiæ tollere, nec ingredi, aliósque etiã impedire. Apostolus rem confirmat, subiecta enumeratione crassiorum vitiorum, quale est furtum, scortatio, idololatria.

23. *Qui in lege gloriaris.*

4. Arg. Quartum argumentum. Quorum opera faciunt ad nominis diuini dedecus & ignominiam, hi per illa non iustificantur: sed vestra opera faciunt ad nominis diuini ignominiam. Itaque per illa non iustificabimini. Minorem confirmat authoritate Prophetarum: profert enim duorum simile testimonium, nam Esa. 52. habetur, & Ezech. 36. quæ ipse diligentius inspice.

25 *Circumcisio quidem prodest, si legem seruaueris.*

Occurrit Iudæorum defensioni, quam sumebant ex circumcisione, quasi in hac subsisteret præcipua religionis portio: quemadmodum hodie bona pars Baptismo tribuit omnia, qualiscunque vita sit. Respondet igitur externa symbola, sacramentalia, nihil pro-
5. Arg. desse sine vita & moribus bonis. Sumatur hinc quintum argumentum, à fine circumcisionis, quæ est, vitam accommodare ad formulam legis, sine quo, circumcisio à præputio non

tio non differt, hoc est, Iudæus ab Ethnico nihil differt.

26. *Si igitur præputium iura legis seruet.*

Sextum argumentum à contrarij consideratione, inest tacita collatio, quemadmodū circumcisus impurè viuens, non differt ab Ethnico, imò illo deterior est: sic contra pius Ethnicus, secundum legem viuēs, pro Iudęo circunciso potest haberi, vósque malos Iudæos condemnabit. Apostolus rei tribuit, quod est personarum. Præputium naturale, quod seruat legem iudicabit te, qui per literam & circumcisionem legē violas, hoc est, condemnabit te Ethnicus sanctè viuens: quemadmodum Christus loquitur de Niniuitis & regina Austri, Matth. 12. Luc. 11. Hic verum constituitur esse, quod Apostolus scribit 1. Cor. 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Sic de nostris symbolis sacramentalibus dicamus, Baptismus nihil est, audire verbum nihil est interesse Cœnæ nihil est, sed Christi seruare mandata. 6. Arg.

Deinde considera hîc, ad quos iudicandi prærogatiua pertineat, non ad eos, qui symbola fœderis Dei habent: sed ad sanctè viuentes, quicunque tandem sint. Sic 1. Cor. 6. dicitur, An nescitis quòd iudicaturi sumus Angelos?

29. *Non enim qui in aperto Iudæus est.* Cœpit contra circumcisionem symbolicam agere, iam rem confirmat distinctione vocum, quam diuisionem sumit ex scriptura. De circumcisione, nominatim gemina habes Deuter. 10. 30. Ierem. 4. 9. Ezech. 44. ex quo fundamento, duplices etiam facit Iudæos. Alius est in aperto, alius in occulto, hoc est, alius titulo tenus, alius reuera. Similiter circumcisio, alia est in propatulo, alia in abscondito: item alia in corde, alia in carne, alia in spiritu, alia in litera: alia laudem apud Deum habet, alia apud homines. Antithesis quadruplex ad copiam orationis facit, & rem graphicè proponit. Idem sunt Iudæus in aperto, carnalis, literæ, laudem habens apud homines: sic contrà Iudæus in oculto, cordis, spiritus, laudem habens apud Deum. Sic paria sunt cirrcumcisio aperta, carnis, literæ, landem habens apud homines, & in antithesi circumcisio cordis oculta, spiritus, laudem Dei habens. Possunt interim, in eodem, locum habere ambæ circumcisiones, & Iudæus ille vnus & idem esse potest: sed in præsenti causa contraria sunt, & ostendit, quales sint sua natura æstimati Iudæi: quasi dicat, externa habetis solùm & non interna, carnales estis, laudem apud homines quæritis, literam sectamini, ideóque omnia in propatulo facitis. Veris dotibus caretis, cordis circumcisione, spiritualibus ornamentis, laudem apud Deum non quæritis, inde nihil seriò & ex animo intra conclaue pectoris vestri oratis, vnde fit, vt Deo sitis abominabiles. Hæc illa est insignis iustitia, quæ vobis debetur, si secundum opera vestra sitis iudicandi.



CAPVT III.

DISPOSITIO CAPITIS PRÆSENTIS, DEINDE quid Iudæi à Gentibus differant.



ABSOLVTA videri poterat disputatio, quia operum dignitatem confutaui: plenis enim rationibus ostendit, opera non posse iustificare homines coram Deo, extra Christum. Cæterùm, quia hanc rem egit non solùm contra Gentes, sed etiam contra Iudæos, qui natura plus sibi tribuebant, facilè vidit, quid hi essent obiecturi: ideóque priusquam ab hac causa discedat, respondet etiā illorum obiectionibus, ac largitur quidem primitus aliquam esse differentiam, de qua præ Gentibus possint gloriari: sed eam esse magis Dei respectu, quàm Iudæorum. Mox ad eorum considerationem conuersus ostendit ipsorum respectu planè nihil interesse, Iudæus sis, siue Gentilis, ad quod confirmandum, ex Psalmis illorum vitam ac mores accuratius depingit, vt tandem concludat ex operibus legis, eos non posse iustificari. Hinc transit ad nouam quæstionem, scilicet, Argumētum.

fide nos iustificari coram Deo. Ac naturalis hîc ordo admodum conueniebat præsenti negotio: primùm enim demolienda erat dignitas operum, ideóque remotione docuit, quid non iustificet coram Deo, opera scilicet, adeóque in genere tam Iudæos quàm Gentes. Huic proximũ erat docere, quid iustificet, fides scilicet de quo videbimus suo loco.

Partes. Sunt igitur duo membra huius capitis, prius ad superiora refertur, Iudæos Ethnicis nihilo esse meliores, posterius initium habet nouæ disputationis de iustitia per fidem. Prius membrum initio complectitur obiectiones aliquot, quas Iudæi vrgent, quibus mox satisfacit: deinde æquat eos iterum Gentibus in peccati magnitudine. Tertiò, tandem concludit vniuersali clausula hunc totum locum. Obiectiones duas cum responsionibus Paulinis iam expendemus.

1. Obiectio Iudæorum. 1 *Quæ igitur est præstantia Iudæi, aut quæ vtilitas circumcisionis.* Primo obiectio Iudæorum, nam quod Apostolus eos ęquauit Ethnicis, & circumsionem externam pręputio, imò præputium pro circumcisione posuit: hinc exasperati, non tam pro sua causa, quam ad vindicandam circumcisionis gloriam insurgũt: est autẽ ὑποφορά, hoc est, schema, quod aduersarij habet obiectionẽ: ac duo cõplectitur, primũ, nihil ne differat Iudæus ab Ethnico, alterum, quæ sit circumcisionis vtilitas. Prior quæstio pertinet ad differentiarum inquisitionem, posterior ad vtilitatem circumcisionis.

Docemur his quæstionibus, quale sit hominis ingenium, non facilè admittimus ceremonias, sacra, sacramẽta nostra nobis culpari, etiam si manifesti sint abusus & palpabiles errores. Iudæi tum summis viribus circumsionem, aliásque ceremonias propugnabant, cùm errores essent manifesti: sic in Papatu, nihil non affertur ad defensionem cultus idololatrici, & tamen errores aperti sunt.

2 *Multum per omnem modum,* Ἀνθυποφορά quæ complectitur Apostoli responsum ad priorem obiectionem: in prioribus induerat personã aduersariorum, nunc sua loquitur persona. Respondet autem ad prius membrũ, hoc est, quare differat Iudæus ab Ethnico, quod arguit simile genus, πολὺ enim respondet τῷ περισσόν. Respondet etiam primò per concessionẽ, est enim ὁμολογία in verbis, fatetur ingenuè, magnũ esse discrimẽ.

Liberalis concessio facit ad maiorem illorum condemnationem, quo genere vsus est etiam in priori capite, deinde indicat aliquod discrimen, *Concredita sunt vobis eloquia Dei*, est igitur aliquod discrimen, λόγια Dei sunt ipsa Scriptura, & hæc expressa Dei voluntas, quare differebant ab omnibus nationibus: soli enim habebant legem Dei, & certi erant de voluntate & religione Dei. Deinde λόγια sunt præcipuæ promissiones de Messia: quasi dicat, thesaurus generis humani nobis concreditus est & tanquam custodiendus traditus, tanquam fidis custodibus, is iam distribuitur in omnes nationes, cùm eundem superciliosè cõtemnatis. Ac reuera latuit iste thesaurus apud Iudæos multis seculis, ita vt ad eos solos pertinere videretur. Similiter sacræ literæ huius gentis solæ erant, hoc indicat verbum ἐπιστεύθησαν, hoc est tanquam thesaurus in custodiam vobis traditus est. Differtis igitur ab Ethnicis, sed Dei bonitate, qui hunc thesaurum apud vos deponere voluit, non vestra dignitate tale quid promeriti, poterat enim aliis Gentibus idem concedere. Admonemur de præstantia Scripturę sacræ, & de negotio redemptionis, quòd apud Deum singularis thesaurus est hominibus commissus, item veram prærogatiuam electorum non esse meriti, sed gratiæ.

3 *Quid enim, si quidam increduli fuerunt? num incredulitas illorum fidem Dei inanem reddet?*

2. Iudæorum obiectio. Secunda obiectio Iudæorum, quæ ex proxima responsione fluit. ὑποφορά Iudeorum est, Tu dicis nobis commissa esse Dei oracula, sed interim nos omnes æquas Ethnicis, & dicis peccasse non minus quàm illos. Quid prodest ergo nobis etiam hoc quòd Deus crediderit nobis sua oracula, si perinde, vt Gentes, damnamur in illius conspectu? Ἀνθυποφορά Apostoli est, quid tum, primùm enim non omnes, sed quidam increduli manserunt: sed Ethnici omnes infideles sunt, magnum igitur discrimen est Iudæorum & Gentium & alia ratio amborum est.

Vos multos habetis sanctos partes, Gentes nullos. Deinde fœdus Dei vos concernit, hoc est fœdus Dei ad vos pertinuit, quod paucorum, adde etiam multorum incredulitas non eneruat, quasi dicat, Deus constanter vobis seruat promissa, quanuis non omnes capiatis ea. Itaque manet differentia & peccatum vos damnans, illa manet Dei bonitate & miseratione, hoc autem vestro vitio & dedecore. Apostolus hoc interrogatiuè proponit. vt eos vrgeat ac monstret, non hoc inde consequi, quod illi putabant.

Absit, imò Deus sit verax Alia responsio ad eandem obiectionẽ, per ἄρνησιν, simplex enim est inficiatio: habet autẽ formam abominationis, qua vti solemus in re vehementer absurda, deinde mox contrarium infert, Deus verax deprehenditur, & omnis homo mendax.

mendax. Locus est ex Psal.116.Dixi in exstasi mea,omnis homo mẽdax. Apud Hebræos est, *Col haadam cozen*, Omnis homo mendax. Similis sententia est Psal. 59. *Ach col hével, col adám*, Verumtamen vanitas omnis homo. Et mox, *Ach hével col adám*. Verumtamen vanitas omnis homo. Hoc tribuit homini tanquam proprium etiam hoc loco, mendax autem est homo multis modis, primùm naturæ suæ inconstantia, quòd sententiam in horas mutat, etiam in eadem causa, nunc hoc nunc aliud approbat: deinde quòd in negotio pietatis non seruat Deo fidem, quam debet. Olim Adam mendax sic deprehensus est: nos hodie in Baptismo promittimus fidem, renuntiamus diabolo, mundo, & affectibus, quibus mox obsequimur relicto Deo, & in vita communi, quotus est, qui fidem constanter in promissis seruet? Contrà Deus verax est hoc est seruat constanter, quæ promisit, etiam homine perfido deprehenso.

4 *Vt iustificeris in sermonibus.*

Aetiologia est, cur Deus passim deprehẽdatur verax: homo autem sæpe deprehendatur in vanitate sua ex mẽdacio. Vtrúmque ad eundẽ finẽ inseruit, ad Dei scilicet gloriã. Sententiam sumpsit ex Psal.51. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quũ iudicaris. **Causæ redditio.**

ALIIS IVDÆORVM OBIECTIONIBVS RESPONDET, quos depingit ex Prophetis, vt concludat eos non minus, quàm Ethnicos, secundum opera sua damnabiles esse.

5. *Quod si iniustitia nostra, Dei iustitiam commendat, quid dicemus? non iniustus est Deus, qui infert iram? humano more loquor.*

6. *Absit, alioqui quomodo iudicabit Deus orbem?* &c.

PRobauit hactenus Apostolus Gẽtes & Iudæos extra Christũ nullis operibus posse iustificari: & id adeò euidenter, vt res negari non possit, etiam à contentiosis aduersariis Attamen cùm natura hominis semper aliquid ad sui excusationem conquirat, Imprimis Iudæi hoc vitio laborabant, quos mordebat illa adæquatio, quod nihilò meliores prophanis Ethnicis haberentur, ideo ad finem locum dedit illorum obiectionibus, quas cœpit examinare ab initio capitis huius tertij: nam ad plenum audiendi erant, ne quid amplius causari possent. Ac in superioribus duas obiectiones remouit, priorem, an ob id nihil differant ab Ethnicis? concessit eos multùm differre, si Dei promissiones respiciant, ac bonitatem in seruandis pactis. Alteram, an peccata illorum Dei irritam faciant fidem? Respondit, minimè, quia hominis proprium est peccare, & mendacem esse: Dei verò, esse veracem in promissionibus,

Nunc tribus aliis occurrit argumentis, quæ tamen parum à se distant: nam priora duo similia sunt, tertiũ verò ad primam occupationem refertur, an differant ab Ethnicis. Hinc quarto loco ad rei cõfirmaitonẽ, d greditur in testimonia quædam Scripturæ, quibus vita & mores Iudæorum propriè describũtur. Quintò demũ concludit vniuersaliter, neminẽ ex operibus iustificari posse. De his quinq; mẽbris in præsentia audiamus. **Loci huius argum.**

Quod si iustitia nostra. Tertia est obiectio Iudæorum. Ὑποφορά est Nostra peccata commendant Dei iustitiã, Ergo iniustè nos punit. Antecedens sumunt ex doctrina Apostoli, nam dixit, veracem deprehendi in eo, quòd paucis præstitit, quòd multis promisit: aut quòd simpliciter seruat, etiamsi omnes sint peccatores. Vnde colligunt, quantò pauciores igitur crediderint, tantò Deus videbitur veracior. Hinc iniustitia Iudæorum, hoc est, ἀπιστία quia promissionibus diuinis nõ adhæserunt, vt debuerũt. Hæc simpliciter hîc dicitur iniustitia, quia caput & fons est aliorũ peccatorũ, vt sit quasi vniuersalis iniustitiæ forma, ipsa incredulitas. Hæc, inquiunt, confirmat aut commendat Dei iustitiam, nam συνίστησι vtrumq; significat, quasi dicat, nostra incredulitate stabilitur Dei iustitia & commẽdabilis redditur, alioqui talis non futura, nisi enormiter nos fuissemus increduli. Sed falluntur: nam per se iustitia Dei, nec stabilitur, nec commendatior redditur hominum iniustitia, sed fit hoc per accidens. Commendatur per se sua natura, benefaciendo, conseruando, liberando: per accidens autem fit, vt in peccatis nostris hoc declaretur vberius, cùm nebuloni parcit, quem iure poterat subitò perdere. **3. Obiectio.** **Iustitiam Dei per se nõ stabiliri aut commendari hominum iniustitia.**

Consequens de suo afferunt, Ergo Deus iniustus est nos puniendi. Dubitãter autem hoc inferunt: nam Apostolum volunt admonere absurdæ doctrinæ. Quid dicemus? quasi dicat, hoc ex tua doctrina sequitur absurdissimum. Inferre irã est pœnas diuinitùs declarare, ideóque ab absurdo ad principium redire volunt, Absurdum est Deum iniustum declarare, Ergo falsa est ὑπόθεσις tua, ex qua hoc est extructum, Iudæos scilicet maiori in parte incredulos fuisse.

Secundum hominem loquor. Responsio est Apostoli, qua ostendit argumentum hoc

esse hominũ carnalium malè de iustitia Dei iudicantium: secundum hominem enim loqui, est de rebus carnaliter iudicare, quare damnat impietatis, & ipsum argumentum, & autores illius. Deinde addit inficiationem, ἀπαλὴ enim est ἄρνησις, vt superius quoque, absit, μὴ γένοιτο: abominantis autem est formula in re vehementer impia & absurda. Tertiò addit κατασκευὴν ab officio Dei, quod à contrario inducit. Dei, inquit, proprium officium est iudicare mundum, quandoquidem ipse solus hunc condidit, & iustus sit oporter, vt iustum sit eius iudicium. Valet argumẽtum à toto ad aliquam eius partem, vt, Deus iustè condemnat totum mundum, Ergo vos quoque Iudæos, qui pars estis mundi. Vera igitur est collectio, vos & peccatores esse & operibus vestris excusari nõ posse coram iudicio Dei, manétque Deus & iustus & iudex, vt vt vos impij sitis, & iustitiam illius per accidens illustrioré reddatis. Respexit Apostolus ad locum Genes. 18. vbi Abraham hoc vtitur argumento, non esse perdendos bonos cum malis apud Sodomitas, quia iudicas orbem: absit hoc abs te Et iudicandi potestas Deo tribuitur, Psal. 96. 98. in Actis 17. Apostolus ait, Deum per Christum iudicaturum mundum.

7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundat, in gloriam eius.*

4 Obiectio Iudæorum. Quarta obiectio, quæ tamen potius habet repetitionem prioris: eam enim clarius explicat, tuto quodam exemplo proponit. Prior generalis erat, hæc ad personam vnius accommodat. Deinde iustitiam hîc explicat per veritatem Dei, & iniustitiam Iudæorum per mendacium vnius: Et verbum confirmare seu commendare dicit esse in gloriam Dei facere aliquid. Sententia igitur eadem est, meum mendacium cedit ad gloriam Dei, Ergo non debeo, vt peccator, damnari. Antecedens falsum est per se, per accidens autem aliquid facit ad gloriam Dei Consequens planè est falsum, quia à non causa procedit.

8. *Ac non potius sicut de nobis.*

Expositio obiectionis. Ἔκθεσις planior consequẽtis, non debeo, vt peccator damnari, imo facienda erunt mala, vt veniant bona. hoc est, peccandum est, vt Dei veritas maior reddatur. Atque hoc dogma tribuebant aduersarij Paulo non quidem apertè, sed quòd ex illius doctrina flueret. Doctrina est illustris hîc, bonis doctoribus imponi sæpe per calumniam, quæ nunquam docuerunt. Christo impositum est, quòd negaret tributa dare Cæsari, quòd tolleret legem Mosis. Apostolis similiter, quòd turbarẽt pacem publicam. Paulo hîc, quòd doceret absurda, fenestram peccatoribus aperiret ad licenter & impiè viuendum.

Modestiæ exemplũ in Paulo à se calumniam depellente. *Quorum iudicium iustum est.* Responsum Apostoli ad præsens argumentum: duo autem ad solutionem eius pertinent, primùm, quòd calumniam interpretatur, significat enim hoc à se, & sua doctrina alienissimum esse. Itaque innocentiam suam protestatur: facit tamen hoc summa modestia, ostẽdens piis satis esse indicasse innocentiã suam, quæ modestia nobis sequenda erat. Alterum est, quòd iustum Dei iudicium contra tales pronuntiat. Seuerissima est λύσις: nam authores argumenti illius, & ipsum argumentũ damnandos prædicit: quasi dicat, vel hoc negotio declarant se à gratia Dei esse alienos, finendi igitur suæ damnationi, his modis soluendi contentus est in præsens. Aliâs seuerius incumbit in causam aduersariorum: sed quia iamdiu & copiosè contra eos egit, ac videt eos induratos esse qui talia obiiciunt, non dignatur pleniori responso.

9. *Quid igitur? præcellimus? nullo modo.*

5 Obiectio. Quinta obiectio, quę ad primam referri debet, nam mens eadem est. Instant enim Iudæi, ex tuis verbis conficitur, ô Paule nos differre plurimùm ab Ethnicis, & ideò malè nos adæquasti illi.

Nullo modo. Responsio est Apostoli, non differtis ab Ethnicis, rectè igitur vos eis adæquaui: expende hîc, ad eãdem quæstionem diuersa afferri reponsa. Nam initio per concessionem dedit, multum per omnem modum eos differre: hîc iam idem negat, nullo modo differtis, videntur in speciem pugnantia, cùm minimè pugnent. Nam cõcesio illa data est, respectu beneficiorũ Dei. ideo meminerat solùm eloquiorũ Dei, & fidei ipsius, seruando promissiones etiam diffidentibus Iudæis: hoc igitur respectu differunt, cùm Ethnicis nihil promissum sit. Iudæis autem & eloquia his, non illis commissa sint & sint electus populus. Hîc autẽ, quum nudè hoc ipsum negat, nullo scilicet modo illos differre, facit hoc respectu Iudæorum. Nam si eos sua natura & ingenio examines, nihilo sunt Ethnicis meliores: peccatum enim illis natura inhæret hinc impij, increduli, contumaces vt, nihil non sint & hunc sensum sequentia nobis suppeditant.

(Margin: Quo sensu dicuntur Iudæi differre ab Ethnicis.)

Prius enim rationibus allatis ostendimus.

Redditio causæ. Aetiologia est, confirmãs eos nihil ab Ethnicis differre: remittit autem lectorem primùm ad superiores rationes, quibus hoc primo & secundo capite demonstrauit, quorum omnium hæc fuit ferè propositio, Iudæos pariter, vt Gentes reos esse in conspectu Do

ctu Domini. Sic igitur collegit. Quicunque similiter naturam corruptã habent, illi quod hanc attinet nihil differunt: sed Iudæi & Gentes similiter corruptam habent naturam, Ergo, quod hanc attinet, nihil differunt. Maior per se vera est, nam vnius & eiusdem respectu tollitur differentia, quæ alterius respectu statui potest. Minor vera est ex superioribus rationibus, quas hic solùm innuit.

10. *Sicut scriptum est.*

Probatio Minoris, quòd Iudæi non minus corruptam habeant naturam, secundũ quã à Gentibus non differant. Porrò testimonia colligit ex Psalmis & Esaia, quibus peccata Iudæorum depinguntur ad viuum. Primum testimonium sumptum est ex Psal. 14. Hebraicè est. *Enngh osse tob, en gam ecchád*, non est faciens bonum, non est, nec vnus quidem. Alterum ex eodem, vt Psal. 33. qui similes sunt. Tertium ex Psalmo 5 Quartum ex Psalmo 140. quintum ex Psalmo 10. Sextum ex Esa. 59. Septimum ex Psal. 36.

19. *Scimus autem, quòd quæcunque lex dicit.*

Assumptio est, quam opponit tacitè Iudæorum occupationi: dicere enim poterant, illa testimonia loquuntur de Ethnicis. Respondet Apostolus, minimè, imò ad vos Iudæos pertinent, ratio est à proprietate legis. Lex illis loquitur, quibus est lata: sed vobis lata est, Ergo vobis proponit vestra peccata. Lex sumitur hîc, pro Testamento Veteri, quatenus etiam propheticos continet libros & Psalmos: patet igitur ex vestra lege, vos Ethnicis nihilo esse meliores.

Vt omne os. Altera ratio à causa finali. Prior ratio ab authoritate propriæ legis ducta est, Illa vos damnat, tanquam peccatores, idque ad vnum omnes, vt nullus hîc excipi possit, Ergo Ethnicis pares estis. Altera est à fine consilij Dei, Vt omne os obturetur, hoc est, vt tollatur gloriatio: vos enim gloriari possetis, si natura meliores essetis. At hoc gloriæ Dei repugnat. Ergo detrahendum est vobis hoc superciliũ, vt non possitis gloriari.

Tertia est, *Vt totus mundus subijciatur condemnationi* Dei, quasi dicat, estis etiam vos ὑπόδικοι. Ergo sequitur vos etiam cum Gentibus peccatores esse. Dicũtur verò ὑπόδικοι, qui ex confesso rei sunt, nec habent, quò se purgent, Totus mundus ὑπόδικος est. Ergo vos Iudæi quoque, tanquam mundi pars.

20. *Quapropter ex operibus legis.*

Conclusio generalis loci illius, quòd nemo ex operibus possit iustificari. Omnis caro, est scripturæ phrasis, pro omni homine. Omnis caro non iustificabitur ex operibus legis, æquipollet vniuersali negatiuæ, hoc est, nullus homo ex operibus legis iustificatur. Ac lex significat hîc, tam naturalem secundum quam Ethnici non possunt iustificari: quàm Mosaicam scriptam, secundum quam damnantur Iudæi. Addit autẽ coram ipso, quia coram hominibus iustificantur homines, vt politicè iusti sint & integri: sed alia est ratio in foro Dei, illud nullos ex operibus admittit iustos, sed damnat omnes suorum operum respectu. *Legis significatio hoc loco.*

Per legem enim agnitio peccati.

Noua est ratio, cur secundum opera non iustificemur apud Deum: ratio est à natura legis: quæ est patefacere peccatum: quasi dicat, aliud est delere peccatum, & aliud peccatum indicare & patefacere: lex autem non delet, sed patefacit peccatum, igitur non iustificat. Euidens est argumentum contra meritum legis, quomodo autem per legem sit cognitio peccati infr. 7. declarat, quia monstrat facienda, & prohibet contraria. Hinc fit, vt agnoscamus vbi delinquimus, & quàm grauiter, quia lex concupiscentiam etiam prohibet. Quod nisi lex diceret, ignorabamus peccatum esse, monitor igitur est, & peccatum indicat. *Legis natura.*





QVARTA PARS EPISTOLÆ. CONFIRMATIO, quòd fide in Christum gratis iustificemur, sine operum nostrorum respectu.

21. *Nunc autem absque lege iustitia Dei patefacta est testimonium habens à lege & Prophetis*, &c.

Huius 4. partis argum.



ACIT Apostolus more optimi artificis, qui ad ædificij futuri laudem iudicat, non parum facere, quomodo area prius repurgetur. Nã ruderibus, aliáque pari materia, bene repurgata area, optimè & solidè imponitur nouum ædificium. Paulus igitur prudenter hactenus confutauit merita operum nostrorum adeóque in totum, vt nec Gentes amplius suis operibus confidere possint, nec Iudæi suis inniti queant, quæ tamen hactenus, tanquam fundamentum iustificationis, æstimata fuerunt. His igitur abundè confutatis, nunc ad noui ædificij constructionem accingitur, docetque fide nos iustificari, idque adeò plenè & apertè, vt deinceps electis non possit aliqua oboriri dubitatio. Prouehitur hæc pars, vsque ad caput nouum. Propositio est, homines fide apprehendere meritum Christi, iustificari gratis sine operũ respectu. Hanc sententiam explicat causis iustificationis nostræ, mox rationibus confirmat, interim obiectionibus quoque occurrit, exponit quoque fructus huius doctrinæ, vim legis, peccati, gratiæ, &c. De quibus ordine agemus. De iustificatione plenius dicemus in locis, similiter de hac exclusiua particula. SOLA: proinde ad præsentia nos conferamus.

Propositio.

Partes huius loci.

Locus præsens duo habet, propositionem, & propositionis explicationem, secundum ordinem causarum, Propositio est in his verbis, *Nunc autem absque lege iustitia Dei patefacta est, testimonium habens à lege & Prophetis*. Quibus verbis illa insunt, primùm, quæ sit iustitia Dei, deinde, quomodo nunc sit patefacta, tertiò, quomodo absque lege, quartò, quale testimonium habeat in lege & Prophetis. Iustitia Dei est, qua nos ornat & vestit imputando, quod natura nostra non habemus. Suprà diximus triplicem esse Dei iustitiam, primùm, qua ipse sua natura iustus est: deinde, qua pœnas iustè exercet, punit sceleratos, defendit bonos: tertiò, qua nos iustos facit, hæc imputatiua est, nam aliena iustitia imputatur iniustis per se, de hac loquitur in præsentia, & sup. cap. 1. ver. 17. Iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem. Hæc iustitia, in nobis tres habet gradus, primus cõdonando peccata, alter regenerando tertius ornando vita & moribus professionem nostram, efficax est. Dei autem iustitia est, quia donum illius est, quo ornatur peccator, & docet hæc differentia, quæ iustitia apud tribunal Dei valeat, Dei scilicet, qui iustos reputat homines alieno merito. Alia autem est iustitia hominis, quæ politicè iustos in mundo efficit, & reputat ciuiliter bonos viros & iustos: sed illa apud Deum non valet, Dei iustitia sit oportet, quæ nos Deo auprobet.

Iustitia Dei quid hoc loco significet.

Iustitiæ imputatiuæ gradus.

Deinde patefacta est (inquit) *iam*. Suprà dixit ἀποκαλύπτεται reuelatur, hîc πεφανέρωται manifesta est, sensu eodem: vtroque enim in loco significat, Euangelium doctrinam continere diuinitus reuelatam, quæ in ratione hominis non sit nata, hinc mysterium dicitur quod absconditum sit à sapientibus huius mundi, reuelatum autem paruulis. Hæc est illa φανέρωσις, καὶ ἀποκάλυψις iustitiæ Dei, est & illa, quod à posterioribus relucet postea, in vita & moribus sanctorum: non enim fieri potest, vt arbor bona, bonos fructus non ferat. Item manifesta est in doctrina Euangelij, quam passim mundo proponunt Apostoli, quò facit notatio temporis NVNC, νυνὶ δ: quasi dicat, doctrina legis patefecit iustitiam legis, vt iustus sit qui fecerit omnia opera legis huius. Sed contrà, alia iustitia in Euangelio patefit, Dei scilicet: quæ fidem requirit, & imputatiuè iustos facit, ideóque temporis notationem opponit veteri doctrinæ, vt ex contrario monstretur, quæ iam sit doctrina Apostolica. Ac de imputatione eum loqui sequentia manifestè docebunt.

1. Cor. 2. Ephe. 3. Coloss. 1. Matt. 11. Luc. 10.

Tertiò

Tertiò patefacta est absque lege, χωρὶς νόμου hoc est, citra legem, quasi dicat, iusti pronuntiantur à Deo homines etiam qui legem implere non possunt: imò non solum non adiuuat ad hanc iustitiã Dei consequendam, sed etiam non seruata, non impedit electos, quò minus eam obtineant. Ac legem intelligo hîc in genere de tota lege, hoc est tam naturali, quàm scripta: loquitur enim de lege, quemadmodum hactenus de illa disputauit. Docuit autem, Gentes ex lege naturali non posse iustificari, nec Iudæos ex lege scripta, ideóque de tota sumatur. Et manifesta est exclusiua χωρὶς νόμου, hoc est, sine operibus legis imputatur nobis iustitia, quemadmodum infrà versu 28. colligit, nec simpliciter opera excludit, sed legem ipsam quoque, quia ad iustitiam hanc conferendam, non est lata à Domino Hinc efficitur, sola fide nos iustos pronuntiari.

Quartò, addit in propositione, *Hanc iustitiam Dei, testimonium habere à lege & Prophetis.* Legis testimonium habet, vt intelligas legem non prorsus damnari ab Euangelio, nec legi hîc fieri iniuriam, sed Dei æterno consilio fuisse sic comparatum, vt hæc ratio iustificandi, per imputatiuam iustitiam testimonia habeat in lege. Nam Abraham sic iustificatus est, Credidit Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Sic Isaac, & Iacob iusti fuerunt: & typi legales imputatione iustos efficiebant peccatores: sacrificia quoque, & oblationes, peccata non delebant, vt non essent, sed ne imputarentur. Deinde hîc cõsideratur consensus legis & Euangelij: lex ad Christum ducit, hinc prædagogus dicitur ducens ad Christum: Euangelium autem præsentem monstrat, Hic est agnus ille Dei: Scopum igitur eundem habent.

Quo sensu dicat hanc Dei iustitiam testimonium habere à lege & Prophetis. Inf. cap. 4. Gal. 3. 24. Ioan. 1.

Sic Prophetarum habet testimonium, itaque non est noua doctrina, quando docemus, imputatione nos iustos esse coram Deo: hoc enim docet hîc Paulus, & ait, eã doctrinam testimonium habere in Prophetis. Psal. 52. Beatus vir, cuius Deus non imputat peccatum. Esa. 53. Seruus meus iustis, iustificabit multos, & ipse iniquitates nostras portauit. & Dauid, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo. Hæc & similia indicant iustificationem in Prophetis quoque, ex gratia Dei imputari nobis, non ex merito.

22. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes eos, qui credunt, nõ enim est distinctio.*

Proposuit, iustitiam Dei reuelatam esse in Euangelio, iam explicat, quæ sit illa iustitia, & quomodo reueletur. ἔκθεσις rectè ad causas applicari potest, nam ostendit, quæ sit efficiens causa iustificationis, quæ organica, quæ formalis, quæ materialis, item quæ finalis. Efficiens est Deus, quia iustitia Dei dicitur, significãs donum Dei esse, Eph. 2. Gratia estis seruati: idque per fidem, non ex vobis, donum enim Dei est, & infrà. ver. 25 Deus proposuit Christum, vt esset propitiatorium. Eph. 1. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. 2. Cor. 5. Deus erat in Christo mundum reconciliãs sibi. Organica causa est fides Iesu Christi, hoc est, iustitia illa Dei imputatiua applicatur nobis per fidem in Christum elliptica enim est constructio, per fidẽ Iesu Christi. Organum iustificationis geminum est, aliud respectu Dei, aliud respectu nostri. Si Deum respicias, organum iustificationis est Christus Filius Dei: per hunc enim placuit Deo, nos sibi reconciliare, hinc mediator & propitiator dicitur. Nostri verò respectu, organũ salutis est fides, de qua hîc loquitur, quòd Dei iustitia nobis applicetur per fidem, nec aliud est reuelari per fidem: nam reuelatur dum nobis innotescit, quod fit applicatione: electi enim spiritum simul accipiunt attestantem & clamantem, Abba pater, cum spiritu nostro. Deinde reuelatur per confessionem & doctrinam: sancti enim hanc iustitiam Dei, sibi per fidem reuelatam & applicatam, publicè docent & profitentur. Sic Apostoli Act. 15. fidem in Christum præferunt legalibus oneribus, & circumcisioni. Denique reuelatur per fidem, dum externa professione & moribus, ornant hanc doctrinam.

1. Iustificationis nostræ causa efficiens. 2. Organica, seu instrumentalis.

Materialis causa est, hoc est, in qua efficaciter operatur iustitia hæc Dei. Sunt credentes omnes, quod Apostolus geminata sententia extulit in omnes, & super omnes qui credunt. Idem est εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας, excludit autem prærogatiuam Iudæorum, vt mox sequitur. Porrò propositio vniuersalis est, sed ad speciem certam astricta: non enim simpliciter in omnes valet hæc iustitia, sed in omnes credentes. Propositio est καθόλου ὡς μὴ καθόλου, quales in Euangelio multę sunt. Porrò hinc statuitur, promissiones vitæ æternæ esse vniuersales, à quibus sola excludit incredulitas.

3. Materialis.

Non enim est distinctio.

Ratio est cur vniuersales sint promissiones de merito Christi, quia, inquit, apud Deũ non est διαστολὴ hoc est, Deus non seruat hîc discrimẽ nationum. Suprà capite 2. dixit ad hunc modum, Apud Deum non esse personarum respectum: ad hunc modum hîc interpretor, non esse diastolem. Nam hominum respectu certè erat discrimen admodum ma-

gnum: sed Dei clementia hoc sustulit, vt Iudæo & Ethnico, Græco & Barbaro accessus pateat pari modo. Est igitur argumentum Apostoli. Apud Deum non seruatur discrimen, Ergo omnes credentes iustitiam Dei obtinere poterunt.

Omnes enim peccarunt.

Rationis confirmatio: ostendit enim quomodo nullum sit discrimen apud Deum, in communicanda sua iustitia per fidem, quia materia obiecta, hoc est mortalium genus tale est sua natura, vt discrimen non admittat. Omnes peccarunt, deinde omnes destituuntur gloria Dei, igitur discrimen nullum est. Confirmatio sumitur à natura hominis, quæ in omnibus æqualiter est corrupta: duo autem affert in confirmatione, primùm, quòd omnes peccarint, hoc est non solùm Ethnici, sed Iudæi quoque. De illis vide caput primum, quomodo peccarit, primùm in Deum, deinde in propria corpora, tertiò in proximum, nec solùm facto, sed consensu quoque: de Iudæis verò per caput secundú & hoc tertium disseruit, ne vnum quidem reperiri, qui faciat bonum, quod de actualibus quidem intelligi potest, sed de originali imprimis verum est, nam ad naturæ corruptionem videtur hic respicere, vt argumentum: Par est omnium naturæ corruptio, Ergo illius respectu nullum est apud Deum discrimen. Alterú quòd omnes destituantur gloria Dei, hoc est, quæ apud Deum valere poterat, qualis est naturæ integritas, vitæ innocẽtia, Dei imago, aut est gloria Dei, quam Deus in nobis obtinere debebat, & vera illius agnitio, vera obedientia, perfecta legis Dei completio. Hac gloria, inquit, omnes destituuntur, quasi dicat, veris causis ad salutem necessariis in seipsis destituuntur. Nam per remotionem ostendit in nobis planè nihil esse, quo iustificari possimus, vnica excepta fide, quę apprehendit Dei beneficium nobis applicatum.

Natura æqualiter est corrupta.

Gloria Dei pariter omnes destituuntur.

23 *Iustificantur autem gratis illius gratia per redemptionem, quæ est in Iesu Christo.*

Pertinent ista ad formalem causam: quæri enim solet, quomodo iustificemur per fidẽ, solàne, an aliis coniunctis operibus virtutum: respondet Apostolus, applicari nobis diuinam iustitiam δωρέαν, hoc est, gratis: Ergo non ponderantur hîc aliæ virtutes, aut bona opera, alioquin non fieret hoc gratis. Quod igitur suprà dixit, sine lege patefieri Dei iustitiam nobis, id hîc explicat, nihil aliud esse, quàm δωρεὰν, & vocabulum explicat, quid sit gratis, seu frustra, vel gratuitò, hoc est, ipsius gratia. Ac vt χάρις excludit meritum: sic δωρεὰν, opera. Nihilne igitur respicit Deus iustificando nos? imò respicit aliquod meritum & pretium: sed illud in nobis non est, verùm in Filio suo, proinde subnectit, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Quare δωρεὰν καὶ χάρις excludunt nostra merita & opera: non autem significant sine omni pretio, nos iustos pronuntiari. Porrò ἀπολύτρωσις significat propriè redemptionis pretium, quale pro captiuis solet hostis hosti persoluere, hoc Christus persoluit morti & Satanæ, vt nos redimeret. Quatenus igitur satisfacit, dicitur ἀπολύτρωσις, quatenus autem placat Deum, dicitur ἱλαστήριον. Sumpta est vox ex lege, in qua erat arca fœderis, quæ tecta fuit tabula, in qua erat sedes Dei vacua, vtrinque duo cherubim, ac sedes Dei propitiatorium dicebatur, quia Pontifex Deo hîc consulebat, ac placabat quotannis semel populo, aspergens illud sanguine, quæ vmbra significabat Christi satisfactionẽ. Hinc 1. Ioan. 1. ἱλασμὸς dicitur Christus, quia impleuit illud, quod Mosaicum propitiatorium figurabat, ideoque hîc etiam fit mẽtio sanguinis: nam hostia opus erat, & illius sanguine imbuebatur propitiatoriú, sanguis Christi nobis effecit illud, est igitur quasi obiectum fidei sanguis Christi, hoc est, meritum mortis illius Sic de sanguine Christi loquitur, ad Ephes. 1. In quo habemus redemptionẽ per sanguinem illius. Coloss. 1. Pacificati per sanguinem crucis illius, ad Hebri. 13. Per sanguinem Christi nos ait sanctificatos. Act. 20. Ecclesiam Dei, Christi sanguine esse acquisitam Similia habes 1. Petri 1. & 1. Ioan. 1. & alibi multis in locis.

Formalis causa.

δωρεάν.

χάρις.

ἀπολύτρωσις.

24. *Ad declarationem iustitiæ suæ per remissionem præteritorum peccatorum.*

Finalis causa hîc explicatur, cur iustificamur gratis? respondet, Deus voluit declarare suam iustitiam, quod non poterat melius fieri, quàm applicando & communicando eã aliis: gratis igitur communicauit. vt maior esset, quemadmodum diues opes suas declarat, communicando egentibus, & fortis declarat robur animi, pugnando pro patria. Finis igitur principalis est Dei gloria, quam reportat ex patefacta sua iustitia in nobis: & quomodo illa patefactio contingat, repetit, per remissionem peccatorum, significans gratis remitti, nullo nostro merito, sed Christi beneficio. Præterita autem vocat peccata respiciens vim propriam remissionis: omnis enim remissio est præteriti peccati quum futuri peccati non dicatur propriè remissio, & quòd nondum sit actu. Alter verò finis est, declaratio tolerantiæ illius: nam non vna solum virtus Dei in iustificatione nostri illustratur: tolerantia, quia peccatores non subitò è medio tollit: iustitia, quia illa nos ornat: amor, quia ab æterno dilexit. Tertius est, vt constaret iustitiam, fide in Christum

Finalis.

Cur dicat præterita peccata.

solùm

solùm niti, nec alterius cuiusquam respectu nobis imputari, quibus addi potest supremus finis, vt in æternum essemus felices.

FIDE NOS IUSTIFICARI, TUM UT ARROgantia humani ingenij deprimatur, tum vt cognoscatur Deus etiam Gentium esse Deus, tum vt Lex stabiliatur.

26 *Vbi igitur gloriatio? exclusa est per quam legem? operum? non, imò per legem fidei.*

VTile est, scopum disputationis sæpe habere ante oculos: nam argumentorum vis non facilè perspici potest, nisi ad institutum dirigantur. Hinc fit, vt Apostolus nō contentus sit semel proposuisse, sed idem aliquoties repetit. In his verbis semel repetitur, & eidem tria adhibentur argumenta, de quibus in præsentia nobis erit negotium.

1 *Vbi igitur gloriatio?*

Argumentum est à forma veræ iustificationis, cuius proprium est omnem laudem & gloriam soli Deo in solidum ascribere: sed id fieri non potest, nisi fidei & gratiæ ascribatur. Ergo per gratiam fide iustificamur. Formam habet argumentum obiectionis, aut potiùs exprobrationis. Nam, quòd Iudæi simul & Ethnici gloriantur de virtutibus suis, hoc totum hic deijcit. Est enim hîc gloriatio, illud supercilium humanæ rationis, quæ solet suas virtutes ostentare in causa iustificationis. Has omnes deridet Apostolus, quasi paleas, & ipsos tanquam iam victos interrogat, Vbi sunt nunc virtutes vestræ? quasi dicat, cum doctrina vera de iustificatione subsistere non possunt. Mox sibi respondens ait, ***exclusa est***, q. d. Cecidit hoc Ilium & magna Gentium & Iudæorum gloria. Exclusa autem est per se, & causa iustificationis, cùm dignitas & meritum inter causas efficiētes reponi non posit, alioquin opinione hominum manebat & etiam hodie adhuc manet: sed qui rectè iudicant, agnoscunt Paulum rectè dixisse, exclusa est. Quomodo autem exclusa sit, mox infert, per legem operum? non: sed per legem fidei, hoc est, per doctrinam fidei, quæ & ipsa lex rectè dicitur: habet enim facienda & omittenda, nec irregularis est illius formula, non minus, quàm lex Mosis, aut lex naturalis. Sententia est, fides sola excludit supercilium iactationis, Ergo hæc sola veram constituit formam iustificationis. Antecedens manifestum ex Paulo, qui remouet opera, non alia de causa, nisi quòd in solidum Deo non reddunt debitam laudem: fidés autem hanc nouit Deo reddere, nec debet iustificatio coram Deo aliqua fingi, quæ sit coniuncta cum Dei ignominia, aut quæ gloriam illius imminuat, quod sanè grauissimum debet esse argumentum in oculis nostris. Gloriatio.

27 *Concludimus igitur.*

Illatio, quæ propositionem repetit & argumentum ad scopum accommodat. Ex natura operum & fidei, item ex forma veræ iustificationis, id colligitur, hominem fide iustificari sine operibus legis. Ratio in superiori argumento est posita, quia fides Deo in solidum ascribit gloriam: opera verò homini aliquid tribuunt, quod quantulumcunque sit, Dei gloriæ detrahit. Nec est hîc sententia dubia, nam λογίζεσθαι significat certò colligere, vt fit in proportionibus, vbi duobus aut tribus numeris datis, colligitur tertius, vel quartus incognitus prius. Sic in Dialecticis est, ex dato medio inferre aliud quiddam, hinc etiam συλλογισμὸς eis dictus est. Porrò fide iustificari dicitur homo, quatenus fides est fiducia de merito Christi: nam illa nititur, non sua, sed aliena dignitate, & apprehendit Dei promissiones, vt ei patefactæ sunt. Quatenus verò qualitas est animis nostris inhærens, non iustificat: hoc enim esset suis viribus aliquid tribuere. Repetit autem exclusiuam sine operibus legis, quia fidei opponit opus ex diametro vt lex accipiatur tam naturalis, quàm scripta, & damnet omnia in genere opera, tam moralia, quàm ceremonialia: sic enim hactenus de lege & operibus egit. Sic ad Ephes. 2. legitur, Gratis iustificati estis per fidem, non ex vobis, nequis glorietur. Et Luc 17. dicit Christus, Si omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Quo sensu dicantur fide iustificari homines.

28 *An Iudæorum Deus solùm?*

Alterum argumentum, quod ad absurdum ducit: si enim per opera iustificaremur, tū Iudæorum solùm esse, cùm illis solis præceperit opera sibi placentia: Sed id valde absurdum est, & à natura Dei valde alienum, Deus enim omnium Deus est: oportet igitur cō munem iustificationis modum statuere, per quam tam Ethnici, quàm Iudæi iustificari posint, non autem potest per opera communis statui, quum communiter omnibus præcepta non sint: Ergo per fidem, cuius omnes capaces esse possunt electi. Deum omniū Deū esse & ita communē esse omniū iustificationis modum.

29 *Siquidem vnus Deus est, qui iustificabit.*

Confirmat argumentum à natura Dei: subest autem comparatio sic, Quemadmodum

Deus vnus est sua natura, sic vnum approbat iustificationis modum, eum scilicet, qui gloriam illius maximè inseruit. Sed is est per fidem, ergo hic vnicus modus est. Assumptum probat ex Apostolo: Deus enim iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Plena diuisione ostendit vnitatem iustificationis, conformem esse vnitati Dei: ponit autem abstracta pro concretis, aut signa pro signatis, per metonymiam, q.d. Iudæos & Ethnicos eadem ratione iustificabit vnus & idem Deus. Porrò ex fide & per fidem idem denotant: significant enim organicam causam respectu nostri esse vnicam fidem.

30. *Legem igitur irritam facimus per fidem? minimè, sed legem stabilimus.*

Tertium argumentum, quòd fide iustificemur, sumptum à natura fidei: habet autem præoccupationes, nam aduersarij ex doctrina Pauli concludunt illum legem planè tollere aut euertere. Sed hic fructus, non est proprius doctrinæ Pauli, nec fidei, sed per accidens subsequitur apud impios, & petulantes homines. Respondet igitur, absit, hoc est, rem tam absurdam nec doceo nec approbo: imò legem stabilimus. Argumentum tale est, per fidem impletur lex, Ergo per fidei doctrinam non tollitur: impletur autem lex per fidem, primùm, quia fides perinde requirit bona opera, atque ipsa lex, non igitur illam tollit. Deinde, quia pædagogus est ad Christum, quo fides solo innititur, igitur illã non tollit. Tertiò, quia fides sola legem implet, nec alius est modus, quo lex possit impleri, excepta fide, credenti enim omnia sunt possibilia, & quicquid sine fide fit, peccatũ est: tantum igitur abest, vt legem deleat, vt illam impleat. Hinc colligitur ad institutum Pauli, demonstratio, Sola fides legem implet, Ergo sola fides iustificat. Antecedens hîc Apostoli est, fides legem non tollit, sed confirmat. Consequens itidem Apostoli, est suprà 28. versu: sed & hinc confirmatur à coniugatis, soli credentes fideles iustificantur, Ergo sola fides iustificat, de quo in locis agemus.

Quomodo per fidem lex impleatur. Marc. 9. Rom. 11.



CAPVT IIII.

PARTICVLARE EXEMPLVM DE ABRAhamo iustificato, à cuius forma ac modo varijs argumentis probatur, homines non operibus, sed fide iustificari.



PLVRIMVM valent exempla præsertim si sint domestica, & in causa pari adhibeantur. Et quanquam in Philosophicis facilè sit illa refutare, tamen in sacris apodictica sunt, modò rectè tractentur: faciunt enim inductionem, per quam facile est vniuersalẽ construere regulam, vt Abraham fide iustus habetur, Dauid etiam, Solomo, Esaias, aliíque sancti: Ergo omnes ad vnum modum iustificabuntur. Quare non bene debet videri argumentum, quod hîc persequitur Apostolus: nam ex vnius forma, generalem ostendit modum, hinc in eodem diu commoratur, nam multis modis concludit, quod in exemplo deprehenditur verum. Scopus igitur est, nos omnes ad modum Abrahami iusti, iustificandos. Partes in tractatione duæ sunt, prior habet demonstrationem exemplarem: ostendit enim quomodo, per quid, & quando Abraham sit iustificatus. Posterior applicat exemplum præsens, ad generalẽ doctrinam: ostendit enim eandem esse rationem iustificationis in Abrahamo, & nobis omnibus, quod est ἀπὸ θετον deducere ad θέσιν. In vtraque nos considerabimus argumenta, quibus principalis propositio confirmari potest.

Propositio. Partes.

1 *Quid igitur dicemus. Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem?*

2 *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriationem: sed non apud Deum.*

1. Argumentum Abrahæ exemplo.

Primum argumentum, quod in genere ab exemplo Abrahæ ducit. Si Abraham operibus est iustificatus, habet καύχημα, sed non habet καύχημα apud Deum, Ergo operibus no

non est iustificatus. Connexum verum est, quia opera meritoria sua natura sequitur gloria, sicut virtutem comitatur laus. Assumptio habet remotionem consequentis, & est Apostoli, sed non apud Deum scilicet habet καύχημα.

Hinc sequitur destructio antecedentis, ergo non operibus est iustificatus. A destructione consequentis, ad destructionem antecedentis valet argumentum. Hæc vis est argumenti, tractatio autem ita instituitur. Initio statuit propositionem per interrogationem, deinde mox subiicit syllogismum: propositio habetur in primo versu, Abraham secundum carnem nihil habet, de quo gloriari possit apud Deum, aut Abrahā secundum carnem iustificatus non est. Ita simplex erat propositio, Abraham ex operibus non est iustificatus, sed mutatis verbis rem exornat, primùm, quòd secundum carnē dicit nihil inuenisse, quod interpretor, non esse iustum pronuntiatum ex operibus: hoc enim secundum carnem fuisset, hoc est, rationi humanæ accommodū & probabile. Sic Christus loquitur, Matth. 16. Caro & sanguis hoc tibi non reuelauit. Item Ioan. 1. Quod natū est ex carne, caro est. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Aliâs, secundum carnē significat prosapiam ex aliquo ducere, vt Rom. 1. Qui natus est ex semine Dauid secundum carnem: Et Rom. 9. Cognati mei secundum carnem: & ibidem, Ex quibus est & Christus secundum carnem. Sed aliquid inuenire secundum carnem, dicitur aliquid laudabile & gloriosum habere, de quo possis gloriari: & quia caro iustitiam suis operibus ascribit, idcirco dixit secundum carnem inuenire. Deinde personam Abrahæ exornat, patrem nostrum vocans, id fecit quidem secundum consuetudinem Iudæorum, quibus hoc solenne erat in ore, vt videre est Ioann. 8. Pater noster Abraham est, & semen Abrahæ sumus. Item Luc. 19. de Zachæo, quia & ipse filius est Abrahæ, tamen hîc Apostolus graui ratione adductus, eadem nititur phrasi. Primùm enim inuitat Iudæos, vt optimi parentis vestigia sequantur, nec velint illo plus sapere in causa iustificationis. Deinde se etiam profitetur illius optimi parentis filium, significans causam hîc tractari communem. Tertiò & illud obseruandum est, quòd totam propositionem interrogatione intendit: nam mox negaturus est, ideóque in dubitationem ponit, quod apud Iudæos videbatur indubitatum. Quod sit aliquid inuenire secundum carnem

Propositionis confirmatio, in secundo versu est expressa, ex qua construitur syllogismus, quem iam posuimus, à constructione consequentis, ad destructionem antecedentis. Connexum totum est, si operibus, tum habet καύχημα, vera est consecutio, quia virtus & laudem meretur, & meritum postulat mercedem, & bona opera gloriam: hic enim æquitatis mos est, paria paribus reddere, bene merentes ornare laudibus, bene facta commendare & prædicare. Assumptum, sed non habet apud Deum καύχημα, hoc suprà dixit cap. 3. ver. 27. Exclusa est καύχησις, hîc limitat καύχημα, quòd scilicet apud Deum nullum habeat. Nam apud homines, multis modis poterat gloriari Abraham. Nec illius virtutes contemnit Apostolus, nisi quatenus opponebantur iudicio Dei. Aliud est apud homines gloriari, hoc est, iustum sese ex operibus tueri, aliud apud Deum. Coram Melchisedech, Abraham gloriatur de iustitia & diuitiis, ne dicas tu, Abrahamum ditaui, sed coram Deo nullæ virtutes opponi possunt iudicio diuino, quæ iram Dei mitigent. Rectè igitur dicit, coram Deo illum non habere καύχημα. Nos discimus sanctissimorum etiam hîc agnoscere imperfectionem: quid enim de nobis dixemus, si id Apostolus de tāto viro dicit? Deinde, aliud esse apud Deum gloriari, aliud in Deo, illud arrogantis est & sua merita Deo recitantis, hoc verò fidelium, de suis viribus desperantium & in omnibus, Dei præsidium agnoscentium. Sic Apostolus. 1. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur, infrà 5: Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, Ierem. 9. &c.

3. *Quid enim Scriptura dicit? credidit Abraham Deo, & imputatum est ei.*

Secundum argumentum ex loco Scripturæ, quæ & ipsa vim demonstrationis habet. 2. Arg. Argumentum tale est, Abraham iustificatus est fide, Ergo idem Abraham non est iustificatus operibus. Antecedens probat ex historia Gen. 15. Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei pro iustitia, quod Heb. legimus *vehemin badonai vaiachscheuëha-lo kátzeda*, hoc est, & credidit in Deum, & imputauit ei Deus iustitiam, quod est, fidē gratam habuit, adeò vt iustum ex eo haberet, iustitia imputatiua, quæ in operibus illius non reperiebatur. Consequens verum est, quia fides & opera hîc sunt opposita propter verbum Imputandi, alioqui fides & opera coniungi possunt, imò in electis necessariò fides operibus ornatur. Sed in disputatione iustificationis se non ferunt, cùm imputatio fidei coniungitur: imputare enim est, tribuere, quod per se non inest, vt Deus hominem iniustum iustum facit, & reputat, quia natura id non habet. Itaque valet argumentum, fides imputatur pro iustitia, Ergo opera non iustificarunt eum.

4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ex gratia sed ex debito.*

3. Argu. Tertium argumentum ex vi relatiuorum, opera postulant mercedem suo iure ac debito, non ex gratia: sed Abrahamo iustitia non debito, non suo iure, sed ex gratia est collata. Ergo Abraham iustificatus est non, operibus, sed fide apprehendente gratiam Dei. Vno relatiuorum dempto, tollitur illius correlatiuum.

5. *Ei verò, qui non operatur*, &c.

4. Arg. Quartum argumentum à propria significatione verbi imputari, quod significat κῦ φάειν acceptum habere. Cui fides imputatur pro iustitia, eidem non possunt opera imputari pro iustitia: sed Abrahamo fides imputata est, igitur eidem non opera: nā si opera, nō opus fuisset imputatione, sed tanquam ὀφείλημα, postulasset meritorum suorū debitam mercedem. Similia hîc sunt, non operari, hoc est, operibus non fidere, & credere, hinc imputatio locum habet. Porrò, quæ sit fides illa explicatur, credere in eum qui iustificat impium, hoc est, Deo tribuere gloriam, qui possit & velit delere iniquitates nostras. Hæc fides pro iustitia imputatur: hinc imputatiua iustitia ortum habet. Itaque non loquitur Apostolus de iustitia ciuili, siue illa sit commutatiua, siue distributiua, vniuersalis, siue particularis: sed de ea loquitur quæ in conspectu Christi nos tuetur.

6. *Quemadmodum, & Dauid dicit.*

5. Argumentum. Quintum argumentum iterum à pronunciatis: confirmat autem vim verbi λογίζεσθαι, quòd scilicet fiat sine operum respectu. Beatitudo vera consistit imputatione iustitiæ sine operibus. Ergo sine operibus iustitia imputatiua iustificamur. Antecedens est Dauidis, cuius dictum citat in Psal. 32. statim ab initio Psalmi, in quo, obserua prius summatim comprehendi mentem Psalmi, his verbis, Dauid μακαρισμὸν definit, quo Deus imputat iustitiam sine operibus, quum tamen in Psalmo non addatur sine operibus. Attamen quia mens Dauidis ea est, non dubitat Apostolus exclusiuam addere, Imputare iustitiam sine operibus, est beatitudo. Hinc addit verba Dauidis, quæ loquuntur de remissione peccatorum gratuita, in quo istud considera, non imputari peccatum quod inest homini: sic contrà in iustificatione imputari iustitiam, quæ non inest homini, hinc sumpsit exclusiuam sine operibus.

9. *Ista igitur beatitudinis prædicatio, in circumcisionémne, an etiam in præputium cadit?*

6. Argumentum. Sextum argumentum ex loco causarum. Causa semper præcedit suum effectum, aut certè cum ipso est coniuncta: sed circumcisio & lex tota Mosis non præcessit iustificationem Abrahæ, nec cum illa fuerunt coniuncta, Igitur eiusdem non possunt esse causa efficiens.

Hoc argumentum copiosè tractat & illustrat variis modis. Nam magni erat momenti scire tempus, quo iustus habitus est Abraham: initiò igitur instat aduersariis interrogatione, μακαρισμὸς ille ex Dauide descriptus, Abrahamo competit: nam & Dauid beatum pronuntiat, cui Deus non imputat peccatum, sed iustitiam sine operibus: ita Abrahamo imputata est per fidem iustitia, sine operibus, & peccata illi imputata non sunt. Vos iam mihi respondete, quando hoc sit factum, in præputione, an in circuncisi n? Res aperta est proposita interrogatione: sed aduersariis difficilis, responsione enim vera, iugulari se vident.

Dicimus enim, quòd imputata sit. Αἰτιολογία est erotematos, imputata est illi iustitia fidei, quærendum igitur de tempore, vt constet de causa.

Circumcisionem nō fuisse iustitiæ causā. 10. *Quomodo igitur imputata est?*

Instat rogando, vt respondeat ipse tandem sibi. In præputio hæc contigerunt, inquit: nam cap. 16. iustificatur per fidem. cap. 17, demum accipit circumcisionem, tempore igitur distant. Itaque circumcisio non potest iustitiæ esse causa efficiens.

11. *Et signum accepit.*

In quem finem sit data circuncisio. Per occupationem reddit rationem, cur data sit circumcisio, nam morosi Iudæi hoc mouere poterant: quid ergo circuncisio accessit, si per illam non fuit iustificandus Abraham? Respondet circumcisionem suū habuisse vsum in Abrahamo & posteris eius: prius enim fuit signum, deinde fuit obsignatio, illud latius patet, hoc angustius est: signum enim fuit tam piis, quàm impiis Iudæis, hoc enim segregati sunt ab aliis nationibus, quę ad posteritatem Abrahæ non pertinebāt. Sic Isaac, & Ismael circumciduntur, & per consequens omnes illorum posteri, Σφραγὶς autem fuit propriè respectu electorum nam in his geminum vsum retinuit, scilicet obsignare iustitiam eis collatam. Sic de Abrahami circūcisione hîc loquitur, quòd signaculum fuerit iustitiæ, per fidem in præputio ei collatæ. Hinc iustitiam obsignauit, hoc est, illum certum reddidit de fœdere inito & acceptatione gratuita. Deinde sic confirmauit eum, quòd ad exemplum eius omnes præputiati iustitiam per fidem possint impetrare, quod Apostolus dixit, vt etiam ipsis imputaretur iustitia, itaque non fuit otiosa circumcisio.

Deinde

Deinde vtilis fuit etiam Iudæis, quòd ideam habent in patre Abrahamo, quomodo ad veram iustitiam peruenire possunt, insistendo illius vestigiis simili fide, quali præditus fuit etiam in præputio. Itaque Abraham vtriusque populi pater est, incircumcisorum & circumcisorum, sed in eo coniungendi sunt, vt fidem Abrahæ imitentur, sine qua nō magis proderit circumcisio, quàm obsignata opera sine pecunia, & literæ signatæ principis sigillo, sed sine priuilegio.

IVSTIFICATIO NOSTRA NECESSARIO MIsericordiæ Dei ascribitur, quam fides amplectitur, tum, quia lex posterior est, tum, ne fides irrita fiat, tum, quia lex iram efficit, tum, vt firma sit promissio. Quibus insignis commendatio fidei Abrahæ subijcitur. Deinde vniuersalis hinc de omnibus constituitur regula.

13. *Non enim per legem promissio facta est Abrahamo, aut semini eius, vt hæres esset mundi: sed per iustitiam fidei.*

PErsistit in disputatione de iustificatione Abrahami, à cuius forma, nostram constituet. Hactenus igitur sex argumentis docuit, eum non operibus, sed fide misericordiæ diuinæ esse iustum pronuntiatum. Quò etiam referuntur sequentia argumenta, quale est, quod de causa promissionis affert, de absurditate quæ inde sequitur, si legi tribuatur, de effectibus legis, de imbecillitate nostra, de certitudine promissionis diuinæ. Quib. subnectitur plena conclusio, fide consistere totum negotium iustificationis diuinitùs promissæ. Secundo deinde loco, Abrahami fidem mirificè extollit, quòd in Dei potentia & promissione penitus acquieuerit, contemptis omnibus, quæ eum reuocare poterant. Ad finem, ostendit vsum totius argumēti, quod ab exemplo Abrahæ induxit. Priora duo consideranda iam nobis sunt, tertium conseruabimus sequenti lectioni. Huius loci argumentum.

Non enim per legem promissio. Septimum argumentum, quo propositio principalis confirmari potest. Cohæret tamen superioribus per redditionem: nam ostendit cur de posteritate Abraham sit iudicandum ex fide. causa, inquit, est, quia per iustitiam fidei data, est illi, eius rei promissio, & eam fide apprehendit, non autem lege, ideo ex fide statuendum est de semine illius: tamen ad principale institutum referri potest. Promissionis causa est, iustitia fidei, non autem lex, quia posterior est: Ergo eadem promissio, fide apprehendente, in nobis completur. Hîc quæri solent duo, primùm, quæ sit illa promissio facta Abrahamo, alterum, quomodo non per legem data sit, sed per iustitiam fidei. Quod prius attinet Apostolus promissionem explicat his verbis, promissio Abrahæ facta, aut semini eius, vt esset hæres mundi. At si requiramus apud Mosem, hanc promissionem Abrahæ factam legimus Gen. 13. v. 64. & 65. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo in æternum, faciámque illud, vt puluerem terræ. & cap. 15. v. 5. Suspice in cœlum & intuere stellas si potes, tale erit semen tuum: & cap. 22. v. 17. Multiplicabo semen tuum, vt stellas cœli, & vt arenam, quæ est in littore maris: possidebit etiam semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes nationes terræ: Quibus locis 4. illi promittit, terræ Canaan hæreditatem, numerosam sobolem, & victoriam contra hostes, & benedictum illud semen, in quo relinquæ nationes sunt benedicendæ. Apostolus hîc elicit quintum, hæreditatem scilicet mundi, hoc quidem verba non habent expresse: sed quum victoriam promittat contra hostes, & benedicendas Gentes in suo semine, manifestum inde est illi etiam hæreditatē mundi promissam esse. Nos admonemur in hoc sensu, quàm solerter tractandæ sint Scripturæ. Non dubitat dicere Paulus, hæredem esse mundi, quum Moses hoc non dicat, attamen idem sensit. quid dicerent nostri hodie, qui literæ sic incumbunt, vt nullam interpretationem conformem admittant, nisi verbis expressam? Est tamen alius etiam hîc sensus: semen Abrahæ habuit hanc promissionem, semen autem Christus est, vt est ad Galat. tertio, versu 10. Et cùm Christo sint datæ Gentes in hæreditatem & fines terræ, rectè hæres dicitur terræ. Huic tamen sensui græca verba refragantur: nam disiunctiua est oratio, Abrahæ aut semini eius, qui Abraham futurus esset hæres mundi, nam αὐτοῦ non ad σπέρμα referri potest, quum masculinum sit. Itaque priorem sequor sensum. Hactenus de promissione Abrahamo facta, nunc quærendum, per quid illi data sit. Apostolus ait, *non est illi data per legem*, membrum hoc remotionem habet: ostendit enim, per quid data non sit, hoc est, dicere, quæ non sit causa. Acsi dicat, lex illius non est causa, est enim posterior: Ergo nec circumcisio, quæ sub lege comprehenditur, quæ & ipsa posterior est. Hinc infertur, igitur lege non completur in nobis promissio illa, quia per illam data non est. Alterum membrum ponit veram causam, pro- Duplex quæstio.

misſio illa data eſt ei,per iuſtitiam fidei,hoc eſt,iuſtitiam imputatiuam,qua Deus Abrahamum gratis acceptauit iuſtum propter Chriſtum promiſſum, & hanc iuſtitiam fide amplexus eſt, hinc iuſtitia fidei dicitur. Perſpicua & ſimpliciſsima eſt ſententia, hinc illud efficitur, Per iuſtitiam fidei hoc eſt, gratuitam acceptationem, quam fides amplectitur, data eſt ei promiſsio benedicti ſeminis:igitur eadem promiſsio eiuſdem benedicti ſeminis nobis per iuſtitiam imputatiuam applicatur. Quid ſi mihi dicas, non hîc agi de promiſsione iuſtificationis,ſed de hæreditate mundi, reſpondebo tibi, Apoſtolum ad totam promiſsionem reſpexiſſe,cuius fundamẽtum erat Meſsias, quia in promiſsione citanda hîc non verba,ſed mentem ſequitur. Moſes enim non ſcribit,fore hæredem mundi (quanquam hoc veriſsimum ſit,vbique enim habiturus eſt fideles) ſed ſemen eius hoſtium portas occupaturum,& in eo benedicendas omnes nationes : ad hanc igitur benedictionem mentem intendit, quæ per iuſtificationem nobis applicatur, in ſanguine Chriſti.

14. *Si enim illi qui ſunt ex lege*,&c.

8. Arg. Octauum argumentum, quod & ipſum ſuperioribus per ætiologiam cohæret: nam oſtendit,cur fide apprehendatur promiſsio,& non lege,quia,inquit,fides fruſtra requiritur,ſi operibus ſit acquirenda promiſsio. Deinde quòd promiſsio fieret irrita, quia opera irrita ſunt,hoc eſt non ad amuſsim reſpondet Dei voluntati,quæ in lege eſt expreſſa.Sed accommodemus argumentum ad primariam quæſtionem:Si hæredes eſſent ex lege,irrita eſſet fides & vana promiſsio: at hoc abſurdũ eſt, igitur hypotheſis illa falſa eſt, Argumentum hoc ad Galatas 3. ver.18. idem argumentum explicatur.Si ex lege hæreditas,hoc eſt,ſi ex lege hæredes,ſcilicet gratiæ Dei,fides eſſet inanis, hoc eſt, fruſtra addita eſſet,aut fruſtra poſtularetur.Quid enim opus eſt fide,ſi legis operibus eſt acquirenda gratia?hoc totum de fide eſſet inane. Deinde alterum abſurdum eſt, promiſsio eſſet eneruata:nam fruſtra promittitur gratia,ſi requirantur opera,ita lex & promiſsio gratiæ pugnantia ſunt,& ad Gal.3.

15. *Nam lex iram efficit.*

9. Argumentum. Nonum argumentum ab effectis legis,lex inquit,iram operatur,itaque manifeſtũ eſt, quòd non operetur gratiam:nam eadem cauſa eiuſdem reſpectu,in re eadem, non efficit contrarios effectus.ad Gal.3. ſimile habes, Qui ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt. Maledictio & ira legem comitantur, non quidem ſua natura, lex enim bona eſt & ſancta,ſed fit hoc noſtra culpa,qui ei ad amuſsim non ſatisfacimus. Hinc addit alterum à noſtra imbecillitate,*Vbi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſsio.* Idem ad Gal.3. à contrario dicit,Lex propter tranſgreſsionem addita eſt, hoc eſt, tanquam pædagogus nobis addita eſt monſtrans,qua parte peccemus: peccatum enim ignoraremus, niſi lex diceret hîc peccas, illic erras, hoc factum oportuit, illud omiſiſſe. Et quia lex ſola eſt, quæ monſtrat peccatum, rectè hîc loquitur, vbi non eſt lex, ibidem nulla eſt tranſgreſsio.

16. *Itaque ex fide,vt ſit ſecundum gratiam.*

Concluſio,quæ fluit ex ſuperioribus argumentis. Ex fide ſcilicet eſt hæreditas promiſsionum Dei,vel ex fide datur iuſtitia nobis à Deo.Ex fide autem eſſe,vel dari,eſt gratis,ſola miſericordia diuina nobis dari, ſine operum reſpectu,quod mox nouis rationib. confirmat,vt ſit ſecundum gratiam,hoc eſt,vt Dei gratia in dono illo illuſtretur,non no-

10. Argu. ſtra quæratur dignitas.Argumentum iterum eſt à fine,Gratia Dei debet agnoſci in promiſsione,Ergo non debet adſcribi noſtris operibus.

11. Argu. Accedit alterũ argumentum,à qualitate promiſsionis,*promiſsio debet eſſe certa*:ſed ex cõditione legis non poteſt eſſe certa promiſsio,quia noſtra impedit imbecillitas,nec firma eſſe poteſt fides,quæ non operibus niti poteſt fluxo fundamento, nititur autem firmiter gratiæ & promiſsioni,igitur non legi aut operibus,ſed gratiæ,ac fidei tribui debet.

Omni ſemini,non ei ſolùm quod eſt.

Applicat ad Gentes quoque, propter quas legi malè tribuitur hæreditas, quia tum Gentes excluderentur.

17. *Quemadmodum ſcriptum eſt.*

Hactenus argumentoſa fuit oratio Apoſtoli,iam deinceps dilatat orationem amplificatione,quia nobis commendat Abrahami fidem:initio autem confirmat,quod dixerat ad Gentes pertinere etiam paternitatem Abrahæ,quod à verbo promiſsionis probat, quæ habet patrem multarum GENTIVM: Ergo Gentium reuera etiam pater eſt Abraham.Mox additur ratio confirmationis,quo modo ſit pater Gentium. Argumentum ſumitur à ſimili, vel comparatis.Quemadmodum Deus dicitur Deus Iudæorum & Gentium,ſic Abraham dicitur pater fideliũ,tam ex illis,quàm ex iſtis:ſic κατέναντι, nota erit ſimilitu-

similitudinis,ac si esset ὡς. Aut significat coràm,vt sit à differentia sumpta ratio, quasi dicat,pater dicitur Abraham,non secundum carnem,sed secundum spiritum :nam si carnē respicias,tum pater est tantùm Iudæorum:sin Deum respicias, Pater dicitur & Gentium fidelium. Vel est rationis particula, κατέναντι οὗ ἐπίστευσε, hoc est, eò quòd credidit, vel quatenus credidit,qui sensus argumentum suppeditat etiam in differentibus,quasi dicat, quatenus fidelis fuit,eatenus pater omnium fidelium est, quatenus verò circuncisus,solùm Iudæorum.

Reliqua Deinceps ad commendationem fidei illius pertinent,primùm,quia potentiæ diuinæ innitebatur.

Credidit,inquit,*Deo viuificanti mortuos.*

Itaque falli non potuit. *Et vocanti ea,quæ non sunt,vt sint*,hoc est,creanti suo omnipotēti verbo quicquid voluit:solo enim verbo producit omnia,vt testatur historia creationis. Deinde in regeneratione idem præstat, vocat quæ non sunt vt sint, iniustum iustificat, peccatum quod inest remittit,iustitiam,quæ non est,imputat. Causa efficiens.

18 *Qui contra spem credidit*,&c.

Formam fidei illustrat, ostendit enim fidem esse fiduciam, quod est credere contra spem in spem, hoc est vbi humanitus sperari nihil poterat, ibi sperauit firmiter. ἐλπίδα igitur accipe ἀνθρωπίνην,ἐλπίδι verò diuinam intelligo,vbi alij desperassent, ibi materiā credendi accepit. 2 Forma.

Secundum id quod dictum ei fuit,&c.

Obiectum fidei,indicat scilicet promissionem,cui soli nititur,quò pertinet etiam versus 20.contra promissiones Dei, non disceptauit incredulitate, sed robustus est factus fide.Inducit obiter impedientes causas,vt ætas sua & Saræ inepta ad sobolem, quibus nō potuit aliter,nisi plena fide resistere. 3.Fidei obiectum.

20. *Dans gloriam Deo.*

Finis fidei est,Deo gloriam tribuere. Gloria Deo tribuitur, quum summè timetur, summa illi potestas tribuitur,vt in proposito exemplo, Abraham plus Deo tribuit,quàm emortuum suum corpus valere putet.Potentior Deus est,quàm mea senecta. 4.Finis.

22. *Quare imputatum est ei ad iustitiam.*

Plenior & apertior iam affertur conclusio:fides igitur tam firma,& tam pia,pro iustitia ei imputata est, quia hac apprehendit misericordiam & propositam promissionem, hinc iustitia ei etiam imputatur.

23. *Non scriptum est.*

Altera pars capitis,qua totum argumentum ad nos trahit:ostendit enim historiam illā ad communem omnium fidelium cōsolationem pertinere,nos illa hîc cōsideremus. Primò,quid non respexerit Spiritus sanctus in illa historia,vt scil.ad solū Abrahamū pertineret promissio illa. Verùm quid est,ad illum primitùs ea pertinere,sed nō solùm,vt hoc etiā Iudæi agnoscebāt:sed errant in eo,quòd ad carnalem illius posteritatē traherēt. Magna autem est Abrahæ dignitas,illi factā promissionem,quæ ad multos alios extendatur.

Deinde ad quos amplius spectet,ad fideles Christi. Obseruatione dignum est, nō remitti nos ad decreta hominum,sed ad Scripturas,ex quibus consolationem nobis conficit,qui vsus Scripturæ etiam distribuitur 2. Tim.3.Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum,&c.Præterea vides,vsum Scripturæ ad fideles pertinere, Ad nos, inquit,illa pertinent,qui credimus:igitur ad impios & infideles, Scripturæ vsus non spectat,quia non audiant ad salutem. Denique in quo consistat hic vsus, credere Messiam mortuum esse propter peccata nostra,& eundem resurrexisse propter iustificationē nostram.In morte & resurrectione Christi,præcipuus est vsus Scripturæ fidelibus.De morte illius sic etiam loquitur 1.Tim.2.& 1.Ioan.1.





CAPVT V.

DE FRVCTIBVS, QVI AD ELECTOS EX *Iustificatione proueniunt, superiori disputationi, tanquam effecta causis, subnectuntur ista.*

tumumẽ-iu' hu-cap.



SATIS confirmata est Apostoli sententia, per fidem scilicet iustificari homines, hoc est, fide apprehendẽte misericordiam Dei, & promittentis in Filio suo gratiã. Nunc igitur rem concludit, & explicat fructus tãti beneficij, qui ad pios redeunt in hac vita, optima sanè docendi ratione, nam causis rectè subnectuntur effectus, & res ab effectis rectè explicatur, & in vita hominis Christiani optimè illustratur iustificatio, de qua omnes gloriantur, ab affectis, quæ in vita cõmuni relucere debent. Cõsiderent igitur singuli, an istos fructus in cordibus ardere sentiant, nam vita externa, satis ab aliis iudicari potest. Ac ne nos fallamus, frustra iustificationem prædicamus, frustra de fide gloriamur, nisi illa apud nos reperiamus. Altera parte huius capitis, confert damna, quæ per Adamum ad nos deriuata sunt, cum commodis, quæ Christus secundus Adam, nobis impetrauit. Hæc duo toto capite tractantur, in præsentia de fructibus iustificationis agemus.

1. *Iustificati igitur ex fide, pacem habemus apud Deum.*

Superioris disputationis conclusio. Initium capitis sumitur ab illatione: est enim συμπέρασμα superioris disputationis, Iustificatur igitur fide. Ac fides non intelligatur nuda qualitas animis vtcunque inhærẽs: sed quæ promissionibus Dei firmiter innititur, suo loco etiam & tẽpore ornata vitæ innocentia & morum integritate. Verùm quia Apostolus voluit ab effectis rẽ illustrare, ideo phrasim mutauit, Iustificati igitur fide, hoc est, vera ornati iustitia, quæ ad salutem sufficit, ista ornamenta etiam habere debent, vnde propriam electionem cognoscere possint. Et mox illa subiicit, verùm interiora tantùm hîc recenset, quia electos sibi ipsis spectandos proponit. Infrà cap. 12. ornamenta exteriora persequitur, vbi proximo cognoscendos describit. Ideo ne ordinem perturbemus, de interioribus fructibus hîc agemus: nec illa surda ore percurramus, certos enim de salute esse nos oportet, quod fieri non potest, nisi in Christo simus iustificati, id non contingit mortalibus, nisi ornamenta hæc, vel omnia, vel aliqua ex his, in animis suis sentiant.

1. Pacem habere cũ Deo. Primùm est, *Pacem apud Deum habere*: sic enim effectum subiicit, *Iustificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum.* Pax est conscientiæ tranquillitas, agnoscentis Deum sibi reconciliatum, donorum omnium facilè primum: Deus enim rerum omnium princeps, si hostis sit, omnia hostilia efficit, illi militant aër & sydera: idem conciliatus & amicus, facilè omnia amica facit, omnia faciunt pro nobis Deo placato. Hoc quantum sit, norunt illi solùm, qui pacis huius dulcedinem sentiunt. Porrò quòd ait, apud Deum nos habere pacem, admonet aliam esse, quæ non apud Deum, sed homines sit: hanc non promittit iustificatio, nec illam efficit, Christo dicente, Mundus vos odit, quia non estis de mundo, & non veni mittere pacem. Non igitur est, quod illam speremus, imò confirmatos nos efficit, quum non adest: Christi enim pax est, quam suis reliquit, hæc etiam ipsa, quã efficit iustificatio fidei. Addit vltimo loco commendationem huius pacis ab authore: ostendit enim per quem habemus hanc pacem, nam homini Deum pacificare arduum erat: respondet igitur, Dei Filium illam conciliasse pacem, inde colligit firmã esse & seriò initam. Docemur eandem esse causam iustitiæ & pacis, idem enim est, qui iustificat in Dei conspectu, & pacem dat. Christi beneficium est, pax nostra cum Deo: sic ad Coloss. 1. ver. 20. Pacem fecit per sanguinem crucis ipsius. Ephe. 2. ver. 14. Ipse est pax nostra, qui vtraq; fecit vnum, medium interseptum soluens.

Luc. 12.

2. Fructus est certitudo salutis, quam proponit ab eodem authore salutis prodire, aditum ad gratiam vocat, quia Euangelij promissio & doctrina, vniuersalis est. Aditus au tem

tem à Christo aperitur,& *per fidem in eo ambulamus*,quæ si vera est,certos reddit de salute: est enim fides certa persuasio facta à Spiritu sancto in animis nostris: ideo Apostolus hinc dixit,*nos in gratia stare*,firma enim videntur,quæ immota stant.

3. Fructus est,*gloriari sub spe gloriæ* Dei.Fructus iste dignitatē filiorum Dei illustrat: soli enim isti gloriari possunt de bonis vitæ æternæ. Habes hîc gloriationis speciem bonam,& quæ non est exclusa per legem fidei, καύχημα sanctum est, quòd pij concipiunt in spe gloriæ Dei:nam primum ad Dei gloriam facit,in Domino enim solùm gloriantur 1. Cor.1. deinde hoc sibi arrogant, quod Deus illi promisit, quo testantur fidem se habere Deo 2. Cor.10. Ierem.9. promittenti, impij illa rident,tanquam impossibilia & fabulas: nos autem scimus fore nos hæredes Dei,visuros de facie ad faciem gloriam Dei. Ac intelligamus hîc gloriam 1. Cor.13. Dei,qua nos aliquando ornabit cum filio suo de qua soli electi gloriantur.

4. *Gloriari etiam in afflictionibus.*

Subiicitur hîc fructus superiori per correctionem: nam prior gloriatio est rerum futurarum.Et quanquam magna sit illa maiestas,qua sumus ornandi, tamen calamitatibus huius vitæ obscuratur hîc,adeò vt nihil minus appareat in sanctis, quàm hoc ipsum de quo gloriantur. Addit igitur aliam quoque gloriationem, quæ à priore efficitur. *Gloriamur etiam*,inquit,*in oppressionibus*:& cur hoc?quia sub spe est illa superior,sed ita firma, vt omnia dulcia reddat sui recordatione. Hinc tanta alacritate ad mortem accedunt,libenter perferunt omnia,vident acerbissima quæque:hinc Apostoli gaudentes discedebāt pro Christo cæsi,quæ mundus pro summa interpretaretur ignominia.Hic spiritus datur solis iustificatis,sed curant iidem ne vt malefici patiantur,nō vt fures,sed pro Christi gloria,& veritate,de quo 1.Petr.3.2.Tim.1.Apostolus de se inquit,se pati, sed nō cōfundi,hoc est,in pia causa affligi innocēter. Et Philippensibus ait, Datum esse pati pro Christo.2.Cor.affligimur,sed non angustiamur.Sancta est illa passio, in qua regnat illustre illud καύχημα. Act.5.v.41 Philip.1. v.29.

V. Accedit & ille fructus,quòd sciunt vsum afflictionum. Verius iudicare norūt de cruce & rebus aduersis,quàm alij homines,ac nisi eousque profecerimus in pietate,nihil nos scire fatendū est.*Scientes*(inquit)*quòd afflictio tolerantiam efficit*,hoc est, verum vsum, cuius respectu Deus suis imponit crucem:facit autem hoc illorum bono, quod eleganti gradatione explicat.Afflictio efficit tolerantiam,non vt causa per se efficiens,sed tanquā organum:Deus enim illas virtutes sanctis dat,sed placet illi his vti organis, itaque affligit,vt constet illorum tolerantia,Tolerantia efficit probationem,hoc est, vt sibi & aliis probati, reperiantur inuicti in proposito. Probatio spem auget, vt lidius lapis aurum probat,vt ignis purius reddit aurum:ita electi per afflictiones ad has virtutes ascendunt. Quo sensu dicatur afflictio tolerantiam efficere. *Spes autem non confundit*. Loquitur de sanctorum spe,nam est spes etiam quædam maledicta, quæ confidit in hominem & brachium carnis.Spes impiorum perit,itaque ignorant huius sanctæ spei energiam, quæ non confundit, hoc est, ad propositum finem emergit. Confunditur enim is qui ad optata non venit,cuius vota tandem irrita deprehenduntur.

VI. Fructus est, *Dilectio Dei in cordibus nostris effusa*:intelligo autem dilectionē Dei qua nos illum diligimus,illa effusa est in sanctorum cordibus tanto ardore, vt Deum omnibus præponant,in omnibus quærant,ardenter ament. Id indicauit verbo Infundendi,nam copiam significat:non enim leue quid est dilegere Deum. Hinc Dominus totum Deut.6. Matt.22. cor,vires omnes,& animam ipsam, huic virtuti mancipari voluit:id quidem præceperat Moses Iudæis.Hic autem causa conferens indicatur,nō enim cuiusuis est ita Deum seriò diligere,sed eorū solùm quibus datur.Datur autem per Spiritum sanctum his, qui iustificati sunt.Hi diligunt Deum,vt patrem,ardenter vt summum benefactorem,reliqui, vt tyrannum metuunt,vt carnificem fugiunt.Sed ne fallamus nos opinione, si Deum seriò diligimus,proximum non negligemus De quo vide 1.Ioan.4.

VII. Ornamentum est, *Spiritus sanctus*, de quo hîc ait,*qui datus est nobis*. Dilectio Dei ardens,datur per Spiritum sanctum,& is idem Spiritus sanctus donum est.Datus est nobis quia hunc nobis impetrauit Christus,vt videre est Ioann.decimo quarto,ver.15. & 1.Corinth.6.Sanctificati estis per Spiritum Dei vestri. & infrà 8. Spiritus Dei habitat in vobis.Hic Spiritus Dei testatur vnà cum spiritu nostro,nos esse filios Dei. Accipi etiam potest hîc Spiritus sanctus,pro donis illius,quæ in sanctis operatur:sed quia interna hîc persequitur ornamenta,rectius de motu interno intelligemus, qui obfirmat animas & certificat nos de salute nostra.

6. *Quum enim adhuc infirmi essemus,Christus pro nobis mortuus est.*

Superiora ornamenta confirmat demonstratione firmissima: confert autem statum nostrum priorem cum præsenti, prius enim eramus infirmi & iniusti, imò etiam impij,

pro his tamen mortuus est Christus ipse:igitur nihil ornamentorum suis negabit. Valet autem argumentum à maiori: nam qui maiora dat, is etiam minora non negabit quum sint necessaria.

7. *Vix enim quis pro iusto moritur*,&c.

Argumenti explicatio est latior, amplificat autem beneficium Christi quo pro nobis est mor uus,ac habet collationem quandam. Apud homines nemo pro improbo & hoste moritur: Christus autem pro hostibus mortuus est,illustre igitur est beneficium. Mox enim se explicat, pro iusto fortè aliquis moreretur: vix tamen,hoc est,etiam huius rara sunt exempla,vt quis pro iusta causa & honesta velit mori,vt pro patria, pro liberis, pro domino,pro benefactore,rara quidem sunt,attamen aliqua:nulla tamen,vt quis pro cognito nebulone velit mori.

8. *Commendat autem suam.*

Assumptio est minoris,Christus autem pro peccatoribus mortuus est:igitur superat illius dilectio omnem dilectionem.

9. *Multò igitur magis.*

Accommodatio continens primariam illationem, Si quid minus videbatur facturus pro nobis,attamen fecit, Ergo faciet etiam id,quod magis videbatur facturus:minus, videbatur autem velle mori pro impiis,attamen fecit: igitur magis iam iustificatos seruabit ab ira.

10. *Si enim quum essemus inimici.*

Repetitio argumenti,qua idem clariùs proponit,Hostes reconciliauit Deo patri Christus,Ergo reconciliatos seruabit.Est autem noua antithesis mortis & vitæ:mors reconciliauit nos, vita autem conseruat reconciliatos. Pertinent hæc ad octauum ornamentũ, quòd in iustificatis confirmatur dilectio Dei,qua Deus illos diligit.Hæc dilectio illis innotescit à posterioribus,quia Filium proprium dedit pro peccatoribus in mortem: itaq; de aliis bonis dubitare non poterunt.

11. *Non solùm autem*, &c.

Nonum ornamentum sanctorum, gloriari de certitudine reconciliationis:habet autẽ formã correctionis, nam fidem redemptionis confirmat certitudine reconciliationis. Atque hactenus fructus interni iustificationis,qui per Dei bonitatẽ efficiũtur in electis.

COLLATIO CHRISTI ET ADAMI, QVA Declaratur, quanta damna ab Adamo acceperit posteritas, & vicissim, qualia beneficia ad nos à Christo fluant.

12. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, ac per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors transiit, quatenus omnes peccarunt*,&c.

Fructus iustificationis gemini. FRuctus iustificationis gemini sunt,alij enim ad ipsos fideles spectant, quos intra sese post regenerationem sentiunt. Alij ad proximum referuntur, quem iuuare debent sua opera sancti,de his infrà agetur,vbi renati hominis mores describentur. Priores explicuit prima huius capitis parte,docendo quales mores intra sese sentiant pij. Primùm pacem se habere cum Deo animaduertunt per Christum, deinde aditum ad gratiã Dei, 3. gloriantur etiam de spe gloriæ Dei, 4.in afflictionibus etiam infracti manent, 5. melius iudicare norunt de cruce, quàm alij homines,6. dilectio Dei effusa est in cordibus illorum,7. Spiritum sanctum habent, 8. certi sunt de salute,denique de reconciliatione quoque confirmati sunt, quæ omnia vni Christo per gratiam Dei ascribunt. Hæc quidem explicata sunt prima parte capitis.

Huius partis argum. Iam altera parte capitis instituit collationem Christi & Adami, qua declarat, quid vtrique sit commune,scilicet quòd vterque tanquam stirps & origo suis communicet naturæ conditionem: Adam omnibus corruptionem & peccatum, Christus suis omnibus iustitiam & integritatem,ex quo mox persequitur,quid vterque ab altero differat. Nam collatio rerum, quam σύγκρισιν vocant, id habet sua natura, vt rerum ὅμοια, aut ἀνόμοια persequatur. Itaque cùm personas conferat, διάκρισιν & σύγκρισιν instituit,similia,& differentiam explicando.

Quid in Christo & Adamo simile, quid dissimile. Conferamus igitur omnia ista ad duo capita,primùm qua ratione pares sint,alterum in quo differant. Quod prius attinet,pares in eo sunt, quòd vterque rationem originis & stirpis habet:deinde quòd vterque naturæ suæ conditionem ad alios trãsfundit:tertiò quòd vterque in carne verè humana partes suas est executus. Hinc vterque Adam dicitur,ille primus carnalis propagationis fons: Christus autem secundus spiritualis posteritatis scaturigo: quartò ortus vtriusque admirabilis est, & præter naturæ cursum, ille ex

terra

terra sumptus sine virili semine carnis: Christus etiam ex virgine natus, sine patre carnem assumpsit: quintò vterque iustus & innocens initio conditus: sextò ortum suum vterque ad Deum cœlestem refert: septimò imago Dei vterque est, quamuis prior suam corruperit, Christus integram conseruarit. Sed differentiam prosequamur, quam hîc Apostolus peculiariter instituit. Adam suo lapsu peccato apperuit viam in mundum, Christus cōtrà induxit innocentiam. Hoc Apostolus voluit per comparationem afferre, sed ductu orationis abreptus in altera parte hæsit, vt omissa sit redditio, & superioribus inseruit loco confirmationis, nam effectus istos præsertim certitudinē salutis & reconciliationis probat à comparatis, quemadmodum Adam induxit peccatum, sic Christus induxit innocētiam, valet argumentum ab analogia personarum & effectuum.

Primus iste fructus est ex Adami lapsu, *quod peccatum ingressum est in mundum.* ἁμαρτία sumatur pro tota corruptione naturæ nostræ, quæ cum lege Dei & æterna illius voluntate pugnat: qua significatione comprehendimus peccatum originis, quod in Adamo personale, in nobis iam naturale est, deinde actualia peccata quæ nos accumulamus nostra tum corruptela, tum leuitate & indulgentia carnis. Hoc peccatum infrà vocat παράπτωμα, quadam ratione consequentis: nam ἁμαρτία error est præcedens, ex quo mox sequitur παράπτωμα, hoc est casus, quales tragici sunt & similes casus. Hinc facile est statuere de causa peccati, nam Satan quidem mouens est & suasor, organum verò Eua, quā opera serpentis induxit: sed Adami accessit voluntas, sine qua imperfectum foret peccatum & hebes. Hinc fit, vt illi ascribatur hîc peccatum: nam quòd nonnulli, per vnum hominem accipiunt Euam, leuius est, quàm vt mouere nos debeat, licet & illa peccarit: sed Adamus radix est, quia ab illo deinceps sumetur genealogiæ initium, vt ad illum ascendunt quoque Euangelistæ. Forma peccati posita est in corruptione totius naturæ, hoc est, rationis, iudicij, voluntatis, & actionum nostrarum: item in propagatione, quòd hoc non permansit in persona solùm Adami, sed nos etiam inuasit, præterea tota creatura propter hominem subiecta est vanitati. Hinc statuitur duplex genus peccati, vnum originale, quod nos accumulamus cogitationibus prauis, dictis & factis. Porrò dicitur intrasse in mundum, significans peccatum sua origine non ortum esse à Deo, nec in hominis natura fuisse conditum: sed aliunde inductum, hoc est, Satanæ astutia, ex quo statuitur Satanæ lapsum iam præcessisse, vt qui iam author fuerit homini ad lapsum.

1. Fructus lapsus Adæ.

Rom 8.

Duplex genus pecca ti.

Alter fructus est, mors: *nam per peccatum mors dicitur ingressa*, hoc est, obiter irrepsit, homine id non animaduertente. Deus quidem nouerat rerum sequelam, sed Adamo liberam dederat eligendi potestatem, vt vellet, quod sibi videretur, tamen vt regeretur voluntas ad meliora. Addiderat expressum mandatum, hoc contempsit Adam, hinc peccatum, inde mors. Non igitur immediatè ingressa est, sed habuit causam antecedentem, cuius opera vsus est Satan. Ac mors quidem, vt finis Satanæ erat, quem mendacio velauit, Eritis vt dij, promittit contrarium, vt ad lapsum impellat incautos. Infrà 6. Mors stipendium peccati dicitur, quia illius proprius est effectus, & peccatori debita mors. Hinc videtur sapiens sumpsisse sententiam illam cap. 2. Inuidia diaboli ingressa est mors in mundum ἐφ' ᾧ accipio causaliter: ostendit enim quatenus ingressa sit mors, non quatenus Adā à Deo fuit conditus, aut quatenus corpus habuit de terra: sed quatenus peccarūt omnes, hoc est aliunde accesit mors ea de causa, quia in Adamo, vt parente omnes peccarunt: deinde quia omnes peccatum hoc actu patefaciunt, & testatum reddunt se esse peccatores, eatenus mors ingreditur in omnes.

2. Fructus.

Tertius fructus lapsus Adami est, quòd posteritas nouis legibus fuit coercenda: nec enim sufficiebat lex animo impressa, quæ dictaret honesta, sed infinita mole præceptorum fuerunt coercendi, partim ab Idololatria, vt vni adhærerent Deo, partim ab iniuria proximi, partim ab ignauia & otio, aliisque sceleribus. Ac ostendit, qualis fuerit peccati conditio ante legem in Mose latam: ea nimirum vt licenter regnaret, adeò vt peccatum non reputaretur, sed virtutes magis enormia flagitia haberentur. De lege autem Mosis præcipue loquitur, quia habet rationem eorum, ad quos scribis: erant enim Romæ in Ecclesia illa multi Iudæi, deinde causæ habetur ratio, quia contra legem Mosaicam differit in hac epistola. Alioqui lex fuit ante Mosen, patriarchis natura nota & reuelatione diuina, qualis Abrahæ de circumcisione, & inter Ethnicos multæ extabant saluberrimæ leges. Fuit igitur peccatum in mundo ante Mosen, sed non reputabatur, inquit: ratio est, quia lex non erat indicans peccatum: ita suprà 4. dixit, Vbi non est lex, ibi non est transgressio, hoc est, non arguebantur flagitia adhuc ita seueriter: nam legis est patefacere peccatum, vt dixit cap. 3. v. 20. Fuit igitur semper peccatum à lapsu Adami, etiamsi non esset planè cognitum: vides enim enormia flagitia inter Ethnicos haberi pro virtutibus, vt videre est in Heroibus, inde heroicæ virtutes, ingentia flagitia se-

3. Fructus.

cum habent, adulteria, rapinas, oppressiones, idololatriam, incestus, & infinita alia, quæ non habita sunt, vt peccata. Itaque imperium hoc peccati fuit plane impudēs tyrannicū.

Quid sit peccare ad similitudinem Adami.

Regnauit autem mors. Coniungit imperium mortis cum peccati regno, quia consequētia sunt, mors & peccatum. Emphatice autem amplificat tyrannicum illorum imperiū, in illo primo seculo: ratio est, quia regnauit mors etiam in eos, qui non peccarunt ad similitudinem Adama, hoc est actualia peccata nondum commiserant,, quales sunt infantes, qui illo seculo mortui quoque sunt, cùm actu non peccarint. Manifestum autem est argumentum, corruptos fuisse peccato Adæ, ob quod debuerunt mori cùm propria nōdum haberent actu: deinde intelligi possunt etiam Ethnici, qui mortui sunt in propriis flagitiis quanquam non peccarint ad similitudinem Adami, quia ille Dei legem habuit expressam, illi verò non, nisi quatenus naturæ fuit impressa. Prior tamen sententia magis arridet, quia vim peccati & tyrannidem mortis rectius proponit. Itaque ab Adami lapsu habemus legem: sed à Christo habemus illius impletionem, quę nobis erat impossibilis.

Quartò differunt etiam ita, quia Adami vnius casu multi, hoc est, omnes moriuntur: Christi autem vnius gratia multi seruantur. Differentia apertior erit, si opponas ipsa vocabula, Adami παράπτωμα, in nobis etiam sunt παραπτώματα vt in naturam transeant, sed Christi χάρισμα, in nobis δωρέα est, non nobis naturalis, & excellit Christus in dono, Adamum in natura: potentius enim oportet esse donum, quia naturam mutat & frāgit.

Quintò differunt, quòd Adam suam naturam transfundit ad cōdemnationem nostri: Christus autem χάρισμα, ad iustificationem. Euentu igitur & fine differunt, reatum habemus ex Adamo, pœnas ex merito, χάρισμα à Christo, sed δικαίωμα ex gratia.

Sextò, quia Adami lapsu regnum mortis constitutum est, sed Christi gratia regnum multis fidelibus confectum est. Excellit iterum Christus, quia non sibi, sed infinitis fidelibus acquisiuit regnum: Adam autem sibi amisit, & vni morti constituit tyrannicum imperium.

Itaque quemadmodum per vnius. Illatio principalis argumenti à comparatis, non esse absurdum, vnius Christi iustitiæ & gratiæ ascribere fidelium omnium communem gratiam: ratio est, quia vnius Adami lapsus adeò fuit efficax ad damnandos omnes, Ergo multò magis efficax ad bonū censeri debet Christi iustitia, ad saluandos omnes fideles.

Quemadmodum enim. Repetitio argumenti, aliis verbis expressa sententia, vt illustrior esset collatio. Vnius Adami lapsus potuit constituere multos peccatores, igitur vnius Christi obedientia perfecta potuit constituere multos iustos: vtrinque paria enim sunt, Adam vnus est causa mali, Christus quoque vnus causa boni. Efficientia autem bona efficaciora sunt corrumpentibus, præsertim cùm in corrumpentibus agat solùm creatura, in conseruantibus autem Deus ipse creator.

Cur lata sit lex.

Lex autem. Redit ad causam latæ legis, ostenditque finem illius esse, patefacere peccatum, vt suprà dixit: dicit autem obiter ingressam, vt ferè locutus fuit de peccato, significans illa non fuisse opus, nisi peccatum prius inualuisset, quasi inuito Deo dicatur lata, quia alia ratione occurri peccato non potuit. Cur igitur data est lex? vt abundaret delictum, hoc est, vt innotesceret, & homines discerent, quid esset, & quàm multiplex peccatum, quod ignorabant, nisi lex dixisset. Ac consecutus est ille effectus per accidens, nā lex data est propriè, vt seruaretur: id cùm non fieret, multiplex patefecit peccatum, multorum capitum beluam. Id Adamo debemus, impotentiam seruandi legem: Christo autem, quòd in auctione peccati attulit auctionem gratiæ, id quod Adam non potuit, solū perdere potuit: Christus autem seruare per gratiam, ille perdere per meritum. Septima igitur est differentia Adæ & Christi: ille per meritum solùm nouit perdere, cui cooperatur lex patefaciens peccati cognitionem: sed Christus nouit per gratiam seruare, implens legis rigorem, quam nos seruare minimè poteramus.

Octaua est oppositis organis, In Adamo regnat peccatum, in morte vel ad mortem: in Christo autem regnat gratia, per iustitiam ad vitam æternam. Ostendit autem fontem gratiæ diuinæ, esse Christum Iesum, finem esse vitam æternam, applicatio fit per iustitiā, qua nos ornat natura peccatores. Quibus luculenter commendatur nobis Christi beneficium, ac comprobatur facilitas ac possibilitas redemptionis tractatione loci contrarij perditionis: opposita enim iuxta se posita magis illucescunt, vt loquuntur.

CAPVT



CAPVT VI.

QVÆSTIONI RESPONDET DE EXTERNIS fructibus iustificatorum, scilicet proprium illis esse non peccare petulanter, quod tamen aduersarij ex illius doctrina conabantur astruere.



SEQVENTIS disputationis ex superioribus pendet occasio: nam dixit Apostolus abundasse gratiam, vbi abundauit peccatum, id nonnulli auidè in contumeliam rapuerunt, & concludunt, peccemus igitur vehementer, vt gratia vehementior abundet. Inde nascitur seria tandem quæstio, an piis sit peccandum: respondet Apostolus, minimè illis peccandum esse, ac manet in significatione præsentis quæstionis, qua illi peccatum accipiebant de licentia & petulantia, alioquin satis constat, vel ipsius Apostoli confessione, omnes nos esse peccatores, nec bonũ habitare in carne nostra: sed de illo genere peccati hîc non est sermo, verùm de licentia, quam maligni interpretes dicti Pauli, conabantur elicere. Quæstionem hanc toto capite tractat, ideóque vna est propositio, scilicet non indulgendum esse peccatis à fidelibus, posteaquam semel per gratiam Dei redempti sunt. Partes duæ sunt, nam aliis verbis bis idem proponit: prior est, an peccandum sit eo fine, vt gratia abundet, posterior verò an peccandum sit, ea de causa, quia liberi sumus à lege, & sub gratia iam viuimus, quæ licet verbis discrepant, reuera tamen scopus idem est. An aliqua causa, vel fine concessa sit electis peccandi licentia: prior ex causa finali mouetur, altera ex causa efficiente. Priorem iã examinabimus, quę sua tractatione trimembris est: initiò enim expressum est ζήτημα, deinde subiicitur κατασκευὴ Paulinæ sententiæ, quæ formam tamen habent confutationis: conclusio enim semper negatiua infertur, Ergo peccandum non est. Tertio loco addit epilogum exhortatorium, quo excitat fortes milites certa spe victoriæ, vt animosè pecca to sese opponant: hæc igitur tria in præsenti loco explicanda nobis sunt.

Occasio.

Propositio.

Distinctio peccati Partes.

Partes prioris loci.

1 *Quid igitur dicemus, manebimúsne in peccato, vt gratia abundet?*

Dixi ex superioribus illa pendere, nam maleuoli hoc consequens eliciunt ex doctrina Apostoli, quod per se inde minimè fluit, ideóque Apostolus ad hoc responsurus rem proponit, vt aduersarij volebant, ac initio, tanquam in bona causa confidenter interrogat, quid dicemus? quasi dicat, sed quid respondebimus aduersariis meis, qui aliud, quàm nos velimus, hinc accipiunt? respondẽdum enim & his est, non tam illorum causa, quàm fidelium, ne illi in aliud trahantur genus doctrinæ, quàm par sit. Deinde vera doctrina digna est defensione, contra calumnias & obtrectatores doctorum quanquam ne dum veritatem docent, falsa docere videantur. Hæc fuit in Apostolo facilitas respondendi, ad quæstiones sæpe inutiles & absurdas: sed infirmioribus debuit etiam consuli, ne in ruinam pertraherentur. Secũdò addit ζήτημα principale, an manẽdum sit in peccato: hoc dogma inauditum est, sed ab aduersariis in odium Pauli excogitatum. Manere in peccato est petulanter peccare quocunq; prætextu, in voluptatibus volutari, excusare peccatũ, & fauere vitiis: duplex enim peccantium genus est, alij peccant impudenter, de quo mox dolenter lugent, à quo genere etiam sanctissimi non sunt alieni. In illo numero Paulus etiam est, qui dicit, Scio quòd non habitet in carne mea bonum. Et Dauid, qui in iniquitatibus conqueritur, se corruptum & natum esse. Aliud est peccantium genus, qui scientes volentes peccant, quò pertinent, qui admoniti pergũt vitam non emendare, rident in sinu commisso scelere, triumphant & superbiunt in malitia, contra hos est suscepta præsens disputatio. Tertio loco, additur hîc breuis confirmatio aduersariã causam muniens: si enim quæras, & cur dicitis manendum esse in peccato? quæ est ratio, qua hoc stabilitis? respondent, vt abundet gratia, habes causam petitam ex doctrina Apostoli in fine præcedentis capitis versu 20. Sed expende, quomodo hoc sequatur, In peccati magnitudine abundauit Dei gratia, Ergo semper peccandum est, vt semper abundet gratia, itáne? Cer-

Quid sit manere in peccato.

Duplex peccantiũ genus.

Infr. 7.

Psal. 51.

te argumentum est petulantis animi & lasciuientis in re seria, nondum satis animum peccando satiasti vir bone, libidinari, scortari, superbire, helluari, & forsan vomere adhuc placet. Nam in peccato abundauit gratia, quia maius erat, quàm vt pro eo satisfieri per nos posset. Deus verò gratis nobis in Christo remisit, magnam oportet hanc fuisse gratiam, quæ gratis tot vitia condonauit. Erat igitur per se magna gratia, in remissione autem gratuita nobis innotuit, quæ prius nos latebat: itaque peccatum non erat vera causa gratiæ, sed obiecta materia, in qua declarata est. Quare malè procedit argumentum à non causa, vt causa, quod nasutos homines nō decebat. *Ein galgen rute folget daruff.* Quid enim, si fur ita colligat, In furto meo declarata est magna clementia magistratus, quia gratis remisit mihi omnem noxam, digno alioqui patibulo, Ergo pergam deinceps diligenter furari, vt non desit materia exercendi clementiam: quid dicet pius magistratus ad tale argumentum? Ad furcas, ad coruos rapiatur argumentator iste, vt à cornicibus accipiat solutionem dignam tanto ingenio. Discimus hîc quàm impudens sit & effrons malorum petulantia, quos non pudet absurdissima quæque colligere ex bonis principiis. Imitantur aranei ingenium colligentis ex bonis floribus venena. Hoc contingit Apostolo in præsenti negotio, & hodie impij sic versantur in concionibus p orum ministrorum. Deinde consolationem habet locus his qui docent, ne offendantur, si doctrina pietatis habuerit suos obtrectatores, imò peruersores: vides enim optimo Apostolo hoc contingere, cum suis auditoribus. Nos discamus more apum versari in concionibus, & lectione Scripturæ, quæ ex floribus etiam venenatis mella norunt colligere, magis ex bonis hoc faciunt. In primis cauenda est illa petulantia in causis grauibus licenter ludens.

Altera pars. 2 *Absit qui mortui sumus peccato, quomodo in illo adhuc viuemus?*

Altera pars sequitur, in qua melius ad causam respondet, habétque vim confirmationis, aut si voles confutationis: conclusio enim semper est negatiua, quæ cum principali propositione congruit, Iustificatis hominibus non esse indulgendum peccato. Initio per negationem respondet, μὴ γένοιτο, quasi dicat absit, vt rem adeò absurdam committant: abominantis enim est oratio, *dass si fer*, ne fiat, tam à cogitationibus, quàm factis abesse dicit, nam vtroque modo absurdum est, si vel ita sentiamus clàm, vel factis etiam id declaremus. Colligamus igitur ordine argumenta, statuamúsque hoc primum.

1. Argu. Quicquid scriptura, vt extremam absurditatem damnat ac respuit, hoc meritò alienū esse debet à moribus & cogitationibus iustificatorum: sed peccare licenter homines, Scriptura hoc loco respuit, vt extremam absurditatem: igitur alienum esse debet à moribus & cogitationibus iustificati hominis.

2. Argu. Qui dicātur mori peccato. Coloss. 2. v. 13. Ephe. 4. 24. II. A proprietate redemptorum, & natura rerum inter se pugnantium, Redempti mortui sunt peccato, non ergo in eodem viuere possunt. Mori peccato dicūtur, qui illius grauitatem agnoscunt, & seriò horrent, innocentiæ student, & professionem suam moribus ornant, hoc Scriptura vocat abnegare seipsum, exuere veterem hominem, carnem domare, mori mundo, induere nouum hominem, viuere Deo, &c. Vim autem habet argumentum à pugnantia rerum naturali: contraria non possunt simul in eodem consistere, eiusdem respectu. Vt idem viuat & mortuus sit simul, fieri non potest, vt idem album & nigrum sit, impossibile est: sic pios mortuos esse peccato, & viuere in peccato absurdissimum est. Eodem respectu viuunt quidem in peccato, hoc est, in peccatrice hac natura & carne: sed de illo respectu hîc non quæritur, verùm de petulantia peccādi, in qua non viuunt, quia huic mortui sunt.

3. Argu. Duo in Baptismo considerāda. III. A natura baptismi, qui nos admonet mortificationis peccatorum, & renouationis spiritus. Ergo contra naturam Baptismi nostri faceremus, si peccare licenter velimus post conuersionem. Proponit hoc argumentum, vt prius etiam per interrogationem: nā admonet, vt rem penitius considerent, nec esse obscuram eius absurditatem. In Christū baptizari dicit, conuersos ex Gentilismo & Iudaismo, quos decet aliis moribus deinceps viuere. Conuersio ista obsignata est symbolo externo Baptismi, in quo duo sunt, quæ in morte Christi quoque ad nos spectant. Est immersio in aquam, quæ significat mortificationem carnis, vt Christus mortuus est, nos in illius gratiam mortificaturos nostros affectus. Deinde est emersio, significans vitam in Christo renouatam, meliores mores, & honestam conuersationem. Baptisamur igitur in mortem Christi, hoc est, consecramur illi in Baptismo, vt deinceps libenter omnia extrema perpessuri simus illius nomine, vt ille mortuus est pro nobis, spondemus nos carnis mortificationem: & vt ille resurrexit ad immortalitatem, sic nos victuros in vitæ nouitate. Pertinet huc vsus Baptismi, qui in eo præcipuè positus est, vt nostri officij nos admoneat, mortificationis & renouationis. Idem ferè habemus ad Gal. 3. v. 27. & Coloss. 2. v. 12. Consepulti cum eo per Baptismum, per quem etiam resurrexistis per fidem.

5. Insiti

5. *In sitsamus facti morti Christi, Ergo eiusdem resurrectioni.* 4. Arg.

Vim habet argumentum à natura rerum insitarũ: nam sumpsit à simili metaphoram. σύμφυτα dicuntur, ex insitione coalescunt in vnam naturam: sic surculi decerpti ex natiua arbore, & pirastri stipes coalescunt, vt nouum ferat fructum. Hinc ad fideles translata ratio à pari valet: sunt insiti Christo, ergo cum illo debent coalescere, & non cum peccato. Absurdum igitur est illos velle licenter peccare, repugnat enim naturæ insitionis: in eo discrepat tamen ratio analogiæ, quòd in naturalibus surculi præualent, tanquam naturæ melioris, & hos alit stipes peioris naturæ, tanquam pirastri: nos contrà deterioris naturę sumus, & radicis Christi naturam sequi debemus, in genere tamen congruit, quia noui fructus requiruntur in electis.

V. A fine cõiunctionis cum Christo, qui est, vt vetus homo crucifigatur cum Christo, hoc est, deponatur mortificãdo, vt mortuus est Christus. Id quid sit mox explicat, scilicet vt deleatur corpus peccati vel eneruetur, debilitetur: corpus autẽ peccati vocat, habitum peccandi in nobis declarans, quasi nihil aliud, quàm peccatum sit totũ corpus nostrum, quantum quantũ est. Accedit altera explicatio causæ finalis, vt nõ seruiámus peccato. Idem igitur est vetus homo, corpus peccati, peccatum: item crucifigere, debilitare, non seruire, quæ eò recidunt, electos non debere indulgere peccato. imò potiùs totos in eo esse, vt expugnetur. 5 Arg.

VI. A natura mortis, quæ priuationem indicit ab actionibus vitalibus: sic mors peccati debet afferre vacantias à peccato. Emphaticè autem loquitur Apostolus δεδικαίωται, *Er ist gerecht fertiget, von der sundt*, hoc est, tanquam liberum, emisit à suo iure peccatum: declarat autem hoc argumentum, cur vtatur Scriptura metaphora mortis in hac causa, scilicet ad declarandam priuationem. Vt enim mortui à naturalibus actionibus vacant: sic peccato mortui dicuntur, quòd ab illius actionibus debeant esse alieni. 6. Arg.

VII. A natura mortis Christi, quæ vitam largitur solùm his, qui cum illo moriũtur, dicuntur autem cum illo mori, qui renuntiant peccato. Ergo soli isti cum illo viuẽt, qui peccata deuitant. Hoc Apostolus dixit per conditionẽ. Si cum illo morimur, spes est nos cùm illo victuros, hoc est, soli moriẽtes in Christo, spem habere possunt vitæ beatæ: itaque peccatores petulantes hinc arceantur. 7. Arg.

VIII. Ab analogia mortis Christi. Christus semel mortuus est pro peccato, viuit autem nunc semper: igitur & electi eius semel renuntiantes peccato, deinceps semper in Christo viuere debent, ne recedant ab analogia mortis Christi & vitæ: quid enim aliud faciunt, quàm petulanter peccãdo, vel in illo mori, vel sæpius dolere & resurgere, quod nihil aliud est, quàm & sæpe mori, & sæpe viuere, quod repugnat analogiæ mortis & vitæ Christi: oportet igitur ad exemplum Christi semel mori peccato, & deinceps constanter viuere Deo in Christo Iesu. 8. Arg.

12. *Ne igitur regnet peccatum in mortali nostro corpore, vt obediatis ei in concupiscentiis eius.*

Epilogus est, continens grauem exhortationem ad constantiã, ne patiamur nos vinci à peccato: vtitur autem eleganti idea, inducit enim in homine, quasi duos imperatores pugnantes præsidere rebus, quorum vterque ad suas res repudiandas ambiat ab homine sua membra, tanquam organa & arma militaria. Vnus tyrannico vtitur imperio & ob id merito homo debet illi recusare omnẽ obedičtiam omnium membrorũ suorum. Alter paterno, & verè regali vtitur imperio: huic igitur membra sua homo tanquam milites promptissimos cõcedere debet. Prior ille & tyrãnus, peccatum dicitur: posterior verò & pater, Deus est. Hinc iã facile est intelligere mentem Apostoli ad hanc ideam conferentis omnia: Peccatum nõ regnet, inquit, significat illius imperium præpotens esse, sed planè tyrannicum: regum enim magna est licẽtia, ingens libido, nominatim si sint tyrannici apud quos pro ratione valet ipsa voluntas: cauẽdum igitur tale imperiũ. Ratio est addita à natura regeneratorum, qui corpora habẽt mortua ad peccatũ: itaque eidem peccato non debent militare, nam à mortuo corpore frustra exiges naturales functiones, sic peccatum frustra exiget ab electis obsequẽtiam, quia languidi sunt & mortui ad illius actiones. Congruit argumẽtum cum secunda ratione suprà posita, addita est explicatio à causis finalibus, quas peccatum quærit in nobis, scilicet obedire peccato omni cupiditatum genere, quo admonemur cupiditatem quoque peccatum esse. Conclusio.

13. *Neque exhibeatis membra vestra.*

Repetitio seu plenior explicatio prioris argumentationis, quæ alterã partem imaginis continet. Quod prius dixit, Ne regnet in vobis peccatũ, hîc dicit, Ne exhibeatis mẽbra vestra illi arma: prius dixit corpus, iam membra corporis: suprà peccatũ, hîc iustitiam: supra obedire, hîc exhibere arma. Idem igitur est peccatũ in nobis regnare, & illi obedire

ad sua postulata exequēda. Eleganter autē dicuntur membra nostra arma illius, quia consi derat peccatū, vt tyrannū, qui ad sua flagitia exequenda opus habeat nostra opera. Solet igitur nos conuenire peccatū, quæso cōcede mihi tuas manus ad illud homicidium conficiēdum, pedes ad effundendū sanguinem, oculos ad libidinem, os ad scurrilitatem, stomachum ac crapulam, &c. Si ita nos conueniat, Apostolus iubet cōstanter recusare, tanquam tyrāno, cui fidē non debeas, & à cuius imperio recēter exemptus es. Similiter alter facit imperator, conuenire solet nos Deus, concede mihi membra tua, arma ad meam obeundum militiā, manibus tuis vtar ad honestam defensionē, ad eleemosynā & beneficia, ad pios labores, ore tuo ad vtilē doctrinam, auribus ad castitatē, oculis ad continentiam, stomacho ad sobrietatem & ieiunia. Huic tam pio principi debemus hilari vultu milites nostros concedere. Ratio est addita, quia recens ex morte peccati ad vitam Dei transiuimus: nouo igitur principia approbāda est opera & fides nostra, quod solent diligenter prouinciales obseruare, vt nouis principibus in quorum ditionem recens transi-
9. Arg. uerunt, operam suam commendent. Sit igitur hoc nonum argumentum à simil i tu dine Quemadmodum qui ad noui regis trāseunt imperium, illi soli seruire debent, nec amplius priori tyranno, à quo liberati sunt. Sed electi à peccato, tāquam tyranno, redempti sunt, & transierunt in Dei obdientiam: igitur deinceps peccato non amplius seruire debent: sed totos sese iustitiæ & innocentiæ vitæ debent mancipare.
10. Arg. X. Exhortationi addit nouum argumentum, quod vltimum est à spe magnæ victoriæ: *Peccatum enim vobis non dominabitur*: hoc est, confidite de successu, & resistite peccato Sic victoria poterit esse firma & reuera firma erit, modò certemus: ratio est, quia sumus sub gratia, hoc est, ornati donis Spiritus sancti, quæ gratia est. Hactenus prior pars.

REPETITA INSTITVTI SVI PROPOSITIONE, alijs argumentis ostendit iustificatis non licere peccato indulgere.

1. *Quid igitur peccabimus, quòd non sumus sub Lege sed sub gratia? absit.*

An in Christo renatis liceat peccare. VTilis & necessaria est quæstio, an in Christo renatis liceat peccare? ac dum hoc quæritur, non illud agitur, an simpliciter peccatores sint: hoc enim negare insani est hominis, quod Ioannes dixit mendacium esse: sed an peccato indulgere liceat, hoc
1. Ioan 1. demum est quod in præsentia tractatur. Et quanquam de eo iam pronunciarit, adeòque multis rationibus euicerit, nos deinceps oportere quàm alienissimos esse ab omni peccandi libidine, tamen rem eandem nouis vrget machinis, ne putemus obiter hoc illi verbum excidisse. Sed rem esse in primis non solùm scitu, sed lōgè maximè factu necessariam. Duo igitur hîc consideremus, primò, vt rem eandem repetat, deinde, vt idem nouis rationibus confirmet.

15. *Quid igitur, peccabimúsne?*

Repetita est propositio principalis per interrogationem: nam validius vrget, tanquam ab aduersariis re proposita. ζήτημα igitur est, an liceat Christianis in Christo renatis licenter peccare. Quæstio ab aduersariis mouetur & proponitur, ideo per præoccupationem res agitur: nam videbantur hoc ex doctrina Apostoli colligere, & vt rē absurdissimam, publicè in inuidiam & odium Apostoli iactare, ideo Apostolus illius occasione, sibi ipsi quæstionem mouet, vt ad eam liceat respondere scripto.

Quod non sumus sub lege, sed sub gratia.

Ratio est aduersariorum, quam itidem ex Pauli doctrina accipiūt: docet enim is contra legis obseruatores, eam non esse necessariam ad salutem fidelibus, hoc ferre nō possunt morosi illius assertores. Sic igitur colligunt. Paulus docet nos iam esse sub gratia Christi, & non sub lege Mosis, Ergo licebit nobis quoduis peccatum committere, vt qui legem non curent, qua liberati sunt per gratiam.

Absit Respondet Apostolus ad quæstionem opportunè mortam: sensus est, non lice-
Apostoli responsio. re piis sub gratia viuētibus peccare, ac per abominationem ait, μὴ γένοιτο, ex quo iam suprà formauimus primum argumentū. Nam reuera, quod Scriptura tanquam absurdissimum abominatur, hoc nobis minimè concessum est: at hoc, de quo iam agitur, abominatur, tanquam rem absurdissimam, igitur hoc ipsum nobis minimè est cōcessum. Hoc argumentum vim habet vel ab authoritate saltem Pauli, si non aliunde: nam par est, vt ipse suorū verborum sit interpres. Quod si ex eius doctrina flueret ordinariè & piè, vtique idem affirmaret: at sanctè hoc abominatur, ne igitur vel hodie id credamus ex Euangelio fluere.

16. *An nescitis.* Confirmatio plenior, habétque alterum argumentum à vi relatiuorum. Et debetis seruire, cuius imperium cognoscitis: sed Christi agnoscitis imperium,

Igitur non peccato, sed Christo debetis seruire. Hæc argumenti mens est, sed copiosius tractatur: nam singulis membris, sua ferè adiecit probationes, vel saltem explicationes. Maior interrogatiuè ponitur, nam taxat fidelium oscitantiam: valde enim stolidum est, hoc sibi persuadere, pios peccare posse licenter, non minus, quàm si seruus alium agnoscat dominum, & alteri inseruiat interim. Quid enim audiret ille aliud, quàm quod hîc Apostolus dicit. An ignoras hominum stolidissime, tibi ei seruiendum, esse, quem agnoscis dominum? nam domini ius hoc ipsum postulat.

Siue peccato ad mortem siue, &c.

Explicatio est per distributionem, qua maiorem propositionem illustrat: significat autem duplicem esse seruitutem spiritualem. Alia enim est, qua seruimus peccato, illius finis est mors: alia, qua Deo seruimus, cuius finis est iustitia, hoc est, vitæ innocentia, & vita æterna. Iam, quum duo sint diuersi domini, non oportet vnius agnoscere dominiū & alteri seruire: hoc enim hypocriticum est, & per se impossibile, quis. n. duobus pugnantibus seruiat? Matt. vers. 23.

17. *Gratia autem, sit Deo,*

Minor propositio cuius mens est, Sed vos Christi agnoscitis dominium? Hanc sententiam duplici modo exornat: nam primò per doxologiam eam effert, quo declarat animum prorsus Apostolicum erga fideles, Gratias agit Deo pro fide Romanorum, ac videmus hîc officium ministrorum fidelium, quo animo erga Ecclesias affecti esse debeant. Deinde magna est confidentia Apostoli in hac causa: nihil enim hîc video coactum & affectatum, sed in ipsis probationibus tanta facilitas & confidentia, vt erumpat in Dei laudes. Secundò confert statum illorum præsentem cum superiore, Olim, inquit, fuistis serui peccati: dum scilicet sine Christo vixistis, at iam seruitis Christo. Antithesis habet euidens argumentum, non est seruiendum veteri domino, cuius iugum vix effugistis: acsi dicas seruo, Ecce vix tandem tyranni illius euasisti pistrinum, igitur eidem ne amplius te committas: es autem iam sub clementi principe, & in libera Repub. huius igitur libertate te conserua, & fruere.

Obseruandum est in his liberale testimonium Apostoli, quod Romanis præbet de conuersione illorū: dicit enim ex toto corde illos obediuisse, significans non ficto animo & hypocriticè transiuisse ad Christum, quod ad laudem illorum pertinet. Vnde autem Apostolus hoc sciret, respōdemus, ex euentu hoc eum cognouisse, aut quod est certius, Spiritus scilicet qui illi olim multa suggessit, quæ hominis captum superant, hoc quoque dictauit. Quis illi significauit vltimorum temporum statum? quis formam futuri iudicij? modum resurrectionis? Antichristum? & alia multa, quæ esse verissima credimus: Idem significauit, fictène, an seriò Romani ad Christū sint conuersi. ac traditos ait huic doctrinæ, h. e. totos, quanti quanti sint, eidē adhærere. Formam autē doctrinæ vocat professionē Christianismi, in qua præcipuū est caput moris nos peccato, & victuros nos deinceps Christo. Hęc forma doctrinę satis ostendit, quid faciendū nobis sit.

18. *Liberati autem à peccato.*

Tertium hinc sumimus argumentū, quod à cōtrariis vim habet, ac duplici modo concludit: primùm, à peccato estis liberati, ergo illis seruiendum non est. Deinde transiuistis in seruitutem noui domini, iustitiæ scilicet, hoc est, innocentiæ vitæ, quam in Christo profitemur. Itaque manifestum est, nobis peccandum non esse. 3. Arg.

19. *Humanū dico.* Arctius stringit pios, nam à pari ostendit, quid innocentiæ vitæ debeant. In priori statu membra vestra exhibuistis seruilia organa libidini: Ergo multò magis æquum est vt in noua hac conditione, eadē præbeatis organa iustitiæ. Initio mollit argumenti genus. Humanum se ait dicere, hoc est, popularia proferre argumēta, quum accuratiora proferre possit. Etenim à metu pœnarū, à seueritate iudicij diuini, ab exemplis Sodomorum, primi mundi, casu Luciferi, & grauissimis prophetarum sententiis rem hanc arctius poterat constringere: sed vulgata & intellectu facilia profert. Hoc illud humanū est. Mox addit causam, *Propter imbecillitatem carnis vestræ*, hoc est, captui vestro me accommodo, non altiora prrfero, quàm ittelligere possitis. Memorabile exemplum ministris vt ad captum auditorum sese accommodent: quare peccari sæpius videmus, vt alta & grandia detonent, quæ ad ædificationem nihil, aut sanè parum faciunt.

Hinc mox sequitur argumentū, à prioris conditionis similitudine: inest autem eadem metaphora, qua vsus est suprà à re militari, Militastis prius impuritati & iniquitati, ad iniquitatem, hoc est toti dediti fuistis sceleribus, quemadmodum miles totus deditus est militiæ sui ducis. incumbit, vt ei soli & placeat & seruiat. Ergo iam exhibete eodē modo membra iustitiæ serua, ad sanctimoniam. Vis argumēti est ab æquitate humana. Si illud æquū videbatur, hoc multò iam æquius est, quia illud videbatur, quum nō esset: hoc 4. Arg.

& est sua natura, & sanctis ita etiam videtur teste conscientia.

20 *Quando enim serui fuistis peccati.*

5. Arg. Quintum argumentum, à conditione prioris vitæ, quæ seruitutem habuit peccati, & libertatem iustitiæ, hoc est, vt alieni essetis à iustitia: ita non mirum erat, vos peccatis inseruire. At iam verò alia est conditio, serui enem nunc estis iustitiæ: à pari igitur sequitur solutos vos esse à peccato, hoc est, ita liberos ab eo, vt illi non seruiatis. Itaque peccandum vobis non est.

21 *Quem igitur fructum habebatis?*

6. Arg. Aliud argumentum à fructu prioris vitæ. Illius memoria iam erubescitis: ergo non amplius ad illud est redeundum. Dignum est obseruatione, peccati & libidinosæ vitæ fructum esse ruborem: rubor autem argumentum certissimum peccati alicuius, quod in iuuenibus obseruari potest & pueris, qui increpiti mox erubescunt, metuentes alicubi peccatum esse ab ipsis.

Finis enim illorum mors est.

7. Arg. Septimum argumentum, à fine iterum peccati: Peccati finis est mors, nemo autem volens mori volet, Ergo nemini licenter est peccandum. Loquitur autem de fine vltimo: nam intermedij alij multi sunt fines peccati, qui non mortis, sed boni alicuius speciem habent, vt lucrum, suauitatem, voluptatem, honores, & similia, sed vltimum finem peccati si expendas, mors est. Prædo rapit aliena, vt ditescat. non vt moriatur, fur similiter, adulter, vt re cupita potiatur, voluptatem expleat: sed demum hos intermedios fines excipit vltimus finis, ipsa mors æterna.

22. *Nunc verò liberati,* &c.

8. Arg. Octauum argumētum à fructu innocentiæ vitæ, quæ est sanctificatio, hoc est, iusti & puri sint apud Deum. Itaque non est licenter peccandum.

9. Arg. IX. Argumentum à fine innocentiæ, qui est *vita æterna*: sic duobus superioribus argumentis opponit duo noua, fructus fructibus, & finem vltimum fini vltimo opponit, vt idem concludat ex contrariis locis.

23. *Stipendium enim peccati mors est.*

10. Arg. Vltimum argumentū superiori simile, nisi quòd aliis verbis proponitur: prius enim mortem peccato assignauit, tanquam finem vltimum, iam vt debitam mercedem. Nam vtroq; modo se habet ad peccatum, vt finis, quia in hanc terminatur, vt merces quia merito infligitur. vtitur autem metaphora à re militari sumpta. Nam militi olim numerabatur ὀψώνιον, hoc est, frumentum, non pecunia, & illud ὀψώνιον ei ex pacto soluebatur: sic mors stipendium est peccati, quia pro illa militatur in peccato, & meritò soluitur. Contrà verò vita æterna, non stipendiū, sed donatio dicitur quod discrimen studiosè est obseruādum: non enim cohæret innocentiæ vitæ, quemadmodum mors peccato cohæret. Mors vt debitum soluitur, vti militi stipēdium suum ex pacto: sed vita æterna morti opposita soluitur innocentiæ, non vt debitum, sed vt χάρισμα: ratio est, quòd bonis operibus semper deest perfectio, quum peccatis non desit. peccatum per se causa est mortis innocentia autem vitæ non per se, quia est imperfecta in hac corrupta natura. Itaque prudenter vocat χάρισμα, quum ratio oppositionis postularet ὀψώνιον vocari. Itaque vita ex gratia datur, mors ex condigno merito: quod Syriaca etiā obseruauit versio, ὀψώνια vertens *Taagurtá*, quod Hebraica voce significat *Sacar*, mercedem debitam: χάρισμα autem *Mauhauthaé*, quod est *Mattán*, vel *Mattáth*, hoc est, donatio grauita. Vide Basil. in Psal. 116. & August. 98. & nostros locos.

Discrimen notandum.



CAPVT VII.

Argum. cap. 7. *PERSISTIT IN SVSCEPTO ARGVMENTO, CHRIstianis in Christo renatis, non esse indulgendum peccato: id supra varijs probauit rationibus, in præsentia verò à lege abrogata hoc efficit. Qua occasione de vsu legis disserit, quos apud homines peccato deditos effecit, non tam sua, quam hominum culpa. Hinc legis*

legis quandam diuisionem obiter affert, vt declaret vim illius non in litera, sed spiritu positam sed eidem non indulgere, alioqui sibi pugnaret Apostolus quod non est.



PROPOSITIO eadem manet, quæ in superiori capite, meo quidem iudicio: non enim video, cur hæc à superioribus diuellamus, nec mihi dubium est, Apostolum semper ad eundem scopum collimasse. De Legis abrogatione suo dicetur loco: hic potius expendi debent argumenta, quare electis sint cauenda peccata: illud ergo accommodabimus. Propositio.

1. *An ignoratis fratres?*

Aditum sibi parat ad nouam argumentationem: nam cùm à natura legis abrogatæ vellet docere non concessam esse peccandi licentiam piis, prius emollit argumenti nouitatem. Iudæi enim vix ferebant vlla ratione culpari legem, imò ne tolli, aut impossibilem argui. Apostrophen igitur instituit, ac primùm fratres appellat: nam fratrum non est acerbius litigare in causa honesta, sed consensus fraternus declarandus est. Deinde concedit illis legis peritiam, ex quo declaratur sermonem hunc imprimis ad Iudæos spectare: nam Ethnici non perinde legis periti erant. Cum fidelibus igitur ex Iudaismo agit, ac peritiam legis concedit, quod non parum ad beneuolentiam captandam spectabat: non enim falli possunt periti facilè: deinde confidentia est magna in bona causa, concedit peritiam, ideo magis sperat victoriam, quò facit interrogatio ipsa: nam tantùm admonitos de vi argumentis, confidit sua sponte cessuros veritati, quasi dicat, non operosa vtar argumentatione, res ipsa loquitur, ideóque monebo solùm. Expende quid sit cum peritis & tractabilibus ingeniis agere: contrà quæ sit molestia luctari cum imperitia & stupiditate, quæ plerunque cõiunctam habent contumaciam & impudentiam.

Quod lex dominatur. Hactenus additus ad argumentum vtili mitigatione, nunc subiicit argumentum, id hoc syllogismo potest colligi.

Lex imperium habet in homines tantùm dum durat, hoc est, non abrogatur & moritur. Sed in Christo electis lex mortua est, & ipsi eidem mortui sunt, Ergo lex illis non amplius dominatur. Syllog.

Maior ab Apostolo seorsim tractatur similiter & minor, singulis suas adiecit cõfirmationes, ideóque de singulis ordine audiemus Apostolum, Lex inquit, dominatur homini, quãdiu viuit, lex scilicet Mosaica scripta: non enim placet de lege Euãgelij accipere, nam confirmatio mox speciem legis Mosaicæ subiicit, Dominatur, inquit, tota lex Mosaica in hominem, hoc est officium suum exequitur, monstrat facienda & prohibet contraria, id dominari intellig. (quamdiu viuit) Lex nimirũ, vel homo eius imperio subiectus. Nam confirmatio sequens accommodat mori ad legem sub typo mariti, sed minor deinceps ad personas hominum, parum tamen refert, vtrinque enim vim habet, dominatur lex homini, quamdiu viuit lex, hoc est, non abrogatur, cessata enim lege, non curant eam viuentes: & lex dominatur homini, quamdiu viuit homo, nam in defunctos nullum amplius habet ius, vtro modo accipias conficitur conclusio, vt videbimus. Hactenus maior, lex imperium habet in homines, donec abrogatur. Legem Mosaicã intelligi hoc loco.

Nam mulier subiecta est viro.

Confimatio maioris propositionis, ab exemplo legis specialis: lex de matrimonio durat tantùm in vita mariti, eo mortuo vxor non tenetur amplius illa lege, sed licet ei ad secundas transire nuptias, sine ignominia: igitur in genere tota lex tantùm durat, donec tollatur, vera est collectio, quod enim speciei competit, id etiam generi competere necesse est. Confirmatio sumpta est à natura speciei, in qua analogia quædam est, nam legem facit, quasi maritum, homines verò vxorem: hinc argumentum valet, Quemadmodum maritus solùm in vita sua imperium habet in vxorem, moriens illam absoluit à suo imperio: sic lex Mosis maritus hominum, solum dominatur dum viget, ea autem sublata, non ligat amplius pios. Ita mori est abrogari & tolli, quod factum est aduentu Christi: lex enim vsque ad Ioan. Baptistam. Lex, maritus. Matth. 11. Luc. 16. vers. 16.

Itaque viuente marito. Porisma est confirmationis, quo indicat vim legis dominantis ante mortem, quæ tanta est, vt constituat adulteram mulierem, si velit alteri nubere, eadem verò mortua concedit nubendi potestatem. Sic ante Christi aduentum meritum fuisset adulterium, legem Mosis repudiare: sed post illum, dementia est eidem velle seruire, non aliter, ac si defuncto marito seruiat vxor, non intelligens se alterius mariti factam coniugem.

Itaque fratres mei. Minor propositio syllogismi, in qua vides mortem etiam accom-

modari ad homines,tanquam vxorem,quod prius fecerat de lege & marito. Vos estis mortui legi,tanquam marito,ergo eidem non oportet inseruire,mori legi est mori peccato,vt infrà dicet,vim illius non amplius sentire,hoc est,per se præstare facienda,etiam non iubente lege,etiam tacente Mosè,pius non furabitur,non scortabitur,nō rapiet aliena,non concupiscet etiam illicita. Nos sic colligamus minorem,Lex nobis mortua est,& nos legi,quemadmodum maritus vxori & vxor marito, Ergo legi nobis non standum est,hoc est,non præferenda Christo,non iungendus etiam Moses Christo,sed illo deserto Christus nouus maritus sequendus est. Mori igitur legi,est illam præ Christo relinquere,inferiorem iudicare,Christo adhærere. Sed consideranda est explicatio huic propositioni annexa:ostendit enim,per quid mortui simus legi, per corpus Christi, significans morte illius nos redemptos à iure peccati & legis,quæ nos damnabat:mortui sumus legi in Christi morte & resurrectione. Deinde ad quid,hoc est, ad quem finem simus mortui legi, vt scilicet ad secundas nuptias transiremus, illius scilicet qui resurrexit à mortuis. Finis est abrogatæ legis:simul enim stare non poterant Moses & Christus,ideo lex Mosis abolita est,vt ad Christum esset accessus: sponsus enim est,qui sponsam habet, (Ioan.3.) & Christus quomodo sponsus esset sine Ecclesia? 2. Cor. 11. Desponsaui vos vni viro,& ad Eph.5. Vir caput est mulieris,vt Christus Ecclesiæ,tollenda igitur fuit lex. Tertiò addit etiam vltimum finem nuptiarum,fructum scilicet ferre Deo,quod est induere nouū hominem,qui secundum Deum conditus sit ad iustitiam & sanctimoniam veram,quod nihil aliud est,quàm innocenter viuere,impollutè,ambulare. Itaque hoc ius matrimonij, quod in Christo habemus,omnino requirit,vt à peccatis temperemus.

Cùm enim essemus in carne. Alterum argumentum à contrario, Priori marito , hoc est, legi peccati copiosum attulimus fructum:Ergo par est,vt nouo marito,hoc est. Christo quoque fructum & sobolem afferamus. Vis argumenti aperta est,cùm soboles peccati non possit negari,& accedat agnitionis iudicium:conscientia enim illa damnat,in Christo autem cogitur probare vitæ innocentiam:æquissimum est ergo , vt Christo marito sobolem afferamus,hoc est illo dignè ambulemus. Loquitur de fructu vitæ nostræ, nam aliter afferimus Christo fructum,dum docemus & lucrifacimus alios:sed de eo genere hîc non agit,illa est noua conspersio de qua agit 1 Cor.5. Et noua creatura in Christo est 2. Cor.5. Et nouum hominem induere,quod est ad Eph.5. Col.3. In carne esse idem,quod in peccato,& sub lege,ideo mallem hæc omnia de lege peccati intelligere. In carne sunt, qui peccatis indulgent,carnaliter viuunt:affectus peccati sunt desideria praua,qui in carnalibus efficaciter erumpunt & operantur. Quod fit per legem , inquit, nam lex prohibendo efficit,vt magis nobis incipiat arridere,sed finis illorum est mors. Idem suprà dixit cap.6. v.21 & 23.

6. *Nunc autem liberati à lege &c.*

Contrarij illatio,Ergo iam magis oportet Christo fructuosos esse. Liberum esse à lege explicat,mortuum esse peccatum,itaque lex peccati est,cui morimur , & cui prius viximus. Nouitas spiritus,est vitæ innocentia & morum probitas : nouitas autem dicitur, (Nouitas spiritus.) quia non nisi in renatis est,deinde,quia spiritus ille nouos indit affectus , ardorem cordis,dilectionem Dei & proximi. Hæc quia in natura veteri non sunt, adduntur autē per Spiritum sanctum in regeneratione,ideo nouitas est. Ei opponitur vetustas literæ , hoc est,qualis qualis externa legis obseruantia:litera enim & Spiritus opposita sunt , de quo suprà capite secundo.

7. *Quid ergo dicemus?* Altera pars capitis sequitur de vsu legis. Hanc partem superioribus addit per obiectionem:nam legem & peccatum videtur in eo æquasse , quòd lege dixit nos solutos,eo ipso quòd peccatum sit mortuum:itaque lex & peccatum simul moriuntur,& abrogantur,hinc illa obiectio. Ergóne lex est peccatum? hoc est, cooperatúrne peccato? vt illis idem sit finis,mors scilicet.

Absit. Respondet per inficiationem,vt suprà aliquoties, ex quo intelligis prauā fuisse sequelam,ex doctrina Apostoli,quam nullo modo agnoscit. Hinc mox infert necessariam legis operam,quam præstat nobis:primò facit ad cognitionē peccati. sup.3. Per le- (Legis vsus.) gem agnitio peccati. Et reuera infinita sunt,quæ hominis ratio , non vt peccata æstimaret,nisi expressa esset Domini lex. quod igitur peccatum agnoscimus. legi debemus. Secundò facit ad coercendas cupiditates:nam non solùm actualia peccata damnat lex, verum etiam abditas cordis latebras aperit,hoc ignorat ratio humana,quæ actiones solùm castigat. Atque illa propria sunt legis officia Accedit tertium, quod illi magis per accidens inest,excitare scilicet cupiditatem:proinde per μετάςασιν,tranfert causam mali à lege in naturæ nostræ malitiam. Fingit autem peccatum , tanquam personam,quæ efficiat in homine omne genus scelerum. Intelligamus igitur personā peccati esse ipsam naturæ

corruptionem, illa operatur omnem concupiscentiam, hoc quidem semper, sed omnium efficacissimè dum ostendit concupiscentiam prohiberi à lege: Nitimur enim in vetitum, cupimúsque negata. sic occasio rapitur, vbi rapi non debuit.

Nam absque lege peccatum est mortuum.

Confirmat priorem sententiam generali clausula, significat semper inesse peccatum in carne radicatum, sed mortuum quasi obsopitum: excitari autem legis voce, vt sine lege fuerit peccatum, tanquam ignis in silice, sed lex, vt ferrum est, cuius attritu incipit sese prodere peccatum. Alioqui peccatum nunquam mortuum fuit, etiam ante legem: nam vt prius dixit, admodum fructuosum erat, sed nostri respectu dicitur mortuum, quia videbamur id non tanti facere, donec vidimus, quæ & quanta lex prohiberet. Peccatum mortuum fuisse qualiter intelligendum.

9. *Ego autem viuebam sine lege.* Antithesis, peccatum sine lege fuit mortuum in me, & ego viuebam, hoc est, videbar mihi bellè sanus, & optimè habere apud Deum: lege autem veniente, res inuersa est, peccatum cœpit viuere & ego mori. Hoc igitur officium legis est, excitare peccatum vt viuere, hoc est, dominari videatur: homo autem moriatur, quia videt quantum à sanitate absit.

Et repertum est mandatum. Porisma, quod infert de lege, distinguēs officia sua propria, ab accidentalibus, Proprius finis erat vita, & ob id proprium eius officium, ad vitam perducere per obseruātiam sui. Et reuera si quis talis extitisset, qui ad amussim respondisset legi, vitam habuisset. Nunc verò, cùm talis non sit repertus, lex per accidēs induxit mortem pro vita, non quidem suo vitio, sed nostra culpa, qui ei non respondemus: Facit igitur ad mortem lex, quia omnes damnat, quicunque non perstiterint in libro legis huius.

11. *Nam peccatum occasione sumpta.* Cœptam ἀποτύπωσιν absoluit per αἰτιολογίαν: ostendit enim quomodo lex per se bona, & organum vitæ, conuersa sit in organum mortis. Transfert culpam in peccatum, quod fraudulenter egit causam suam, nam irritatum prohibitionibus legis, magis cœpit ebulire, & me decepit ac vi sua occidit me: nō enim cedere voluit legi, sed me blandiciis suis inescauit. Non est tanti momenti hæc res, vt lex illam facit, securè licebit tibi, ô homo, liberius aliquantò viuere: sic pessimus consultor est peccatum, suadet voluptates mortiferas. has illecebras vocat deceptionem: mors igitur proprius effectus est peccati, non legis. Quomodo lex per se bona conuersa sit in mortis organum.

12. *Itaque lex ipsa quidem sancta.*

Conclusio argumenti est, quo tutatus est partes legis, tanquam rei optimæ, & quæ sit vitæ organum. Ergo lex per se nō est mala, aut mali causa, hoc est, peccatum & mortem proprie non efficit, sed nostro vitio consequuntur. Obseruanda hîc primùm vocum æquipolentia: νόμος enim & ἐντολὴ idem sunt, nisi quòd illud generis habet vim, hoc verò speciei: νόμος enim quasuis leges significat, ἐντολὴ verò affirmatiua præcepta videtur significare: nam Hebræi in affirmatiua & negatiua distinguunt, quanquam hîc æquipollenter vtraque vox vsurpetur.

Deinde quibus epithetis ornet legem, vocat eam sanctam, quia sancta præcipit, νόμος ἅγιος & ἐντολὴ ἁγία idem sunt, minimè terrena præcipit, à carnalibus & mūdi affectibus reuocat ad Dei volūtatem, deinde ἐντολὴ δίκαια opponitur illi, quod prius dixerat, ὁ νόμος ἁμαρτία? léxne est peccatum? absit: imò ἐντολὴ est δίκαια, quia iusta præcipit, consentit cum Dei voluntate, & est iustitiæ æterna regula, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Denique ἐντολὴ ἀγαθὴ opponitur occasionibus peccandi, quia dixerat peccatum occasionem accepisse per legem, operandi omnem cupiditatem. Hoc vitium, non legis culpa, sed nostra fieri improbitate, qui lege abutamur, aut certè indulgentia nostra: nam Apostolus culpam etiam à se remouit & in peccatum transtulit, quòd fraudulenter hominē deceperit 1. Tim. 1. vers. 8. Scimus quòd lex sit bona, siquis ea rectè vtatur. Et in Psal. 19. Dauid multis ornat legem Domini, Lex Domini immaculata, conuertens animam, testimonium Domini firmum, sapienter erudiens simplicem, commissione Domini rectæ, letificantes cor, præceptum Domini purum, illuminans oculos.

LEGIS PLENIOR DEFENSIO, QVOD SCILICET non sit causa per se mortis, nec etiam homo iam renatus: sed eidem tamen inhærens naturæ corruptio, quæ etiam in sanctis varia peccata efficit, vnde mortis vis, à qua sola Christi liberat gratia. Argum. huius loci.

13 *Quod igitur bonum, mihi factum est mors? absit: sed peccatum, vt appareat peccatum, &c.*

Tertia pars sequitur huius capitis, in qua differit de causa mortis propria, hoc est, de peccato: nā tria sunt, quæ rationem causæ habere possunt, aut enim lex illius est

causa,quòd videntur sibi aduersarij ex doctrina Pauli collegisse, aut ipse homo etiam iã conuersus ad Christum,aut denique ipsum peccatum.Sed priora duo vera iam non sunt itaque causa propria mortis est ipsum peccatum: quod ex lege sumpsit occasionem vehe mentius peccandi,in quo argumento diutius commoratur:nam lex erat defendenda , & homo in Christo renatus quoque excusandus.Hinc tota culpa residet in naturæ malitia: hinc duplex illa hominis consideratio interni & externi, duplex quoque lex , mortis & membrorum.Quibus absolutis graui affectu deplorat naturæ nostræ deprauationẽ,quæ in sanctis etiam dominatur:sed mox sese reuocat,& in Christo amplam proponit consolationem.Tria igitur hîc sunt consideranda,quæstio noua , secundò quæstionis explicatio,tertiò epilogus totius causæ,

Partes.

Quæstio.

I. Ζήτημα per occupationẽ mouetur, nam aduersarij libertatis Euangelicæ mouent hoc ex doctrina Pauli,Lex igitur est mihi facta mors,quũ natura sua bona sit?P. r ἀγαθὸν legem intelligo,quia sic illam laudauit *factum est mihi mors?* θάνατος, hoc est, θανατώδες, mortiferum,lethale,ac si dicas causa mortis,cùm sit causa vitę.Dicitur autem causa mortis,vt prius causa peccati,non per se,sed nostra culpa,seu naturæ nostræ malitia , quæ dũ legi Dei nulla ratione satisfacit,lex pergit suo officio fungi, & nos reos mortis peragere, quæ nos libentius absolueret monstrata vita,siquidem eidem satisfaceremus.

Remotio falsæ causæ.

13. *Absit.*Pergit respondere ad quæstionem,ac duplici vtitur forma primùm enim simplici inficiatione reiicit totam quæstionem,tanquam absurdam & suæ doctrinæ minimè conformem.Ita prius confutauit quæstionem,an lex peccatum esset, v. 7. & c.6.v. 2.non esse peccandum,& eodem capi.v.15.Facit hoc argumentum ad commendationem legis,quæ natura sua bona est,ab Apostolo nullo modo causa mortis esse conceditur. Atque illa remotionem habent, mox subiicit θέσιν,quæ veram complectitur causam mortis:*Sed peccatum,vt proderet ingenium suum,per id,quod est bonum,operatur mihi mortem* , hoc est re bona abutitur.Et vt priùs dixit versu 8 & 11. Occasione sumpta irritatius factum est:nitimur enim in vetitum,hinc causa mortis aggrauata est.Itaque lex solum monstrat qua parte delinquatur:corruptio naturæ autem se hîc prodidit,quam minimè carere velit peccatis.Hinc factum est peccatũ ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία, quasi dicat impiã impietatem, sceleratum scelus,iniquam iniquitatem:deinde καθ' ὑπερβολήν.h.e. excellenter proditum est,quæ omnia magnitudinem peccati produnt:primùm enim per legẽ φανεῖ,hoc est,detegitur,& in lucem protrahitur,deinde κατεργάζεται,hoc est,viuidius redditur,3.ὑπερβολικῶς crescit,4.pertinax fit impietas,non vult enim cedere legi Dei.

Vera causa.

Legem non esse causam mortis veram. Quo sensu dicatur lex spiritualis.

14. *Scimus enim quòd lex spiritualis est.*Explicata quæstione iam subiicit κατασκευήν,ac primùm de lege affert argumentum,quòd non sit causa mortis vera: deinde de peccato, quòd illud vera sit causa.Prius membrum probat à natura legis:Lex est spiritualis , ergo nõ est causa mortis.Vera est collectio,qui a spiritus potius vitæ author est,quã mortis, & lex spiritualis est , ergo non potest mortis per se esse causa. Dicitur autem spiritualis, primùm à causa efficiente,quia Deus,qui Spiritus est,illius est author:deinde quia spiritum hominis pertingit,perfectam enim requirit obedientiam , vt tota anima, omnibus viribus,Deus & proximus diligatur.Hæc spiritualis censenda est,quasi allegoricè vt non secundum literam sit intelligenda. Altera pars confirmatur ab obligatione hominis, qua deuinctus est peccato in carne. Ego autem carnalis sum,hoc est , infirmus & peccato obnoxius,quasi dicat lex totum requirit,cùm ego ne partem præstare possim, quod ex carne est, caro est, hoc est,imperfectum,debile, corruptioni & peccato obnoxium: ita hîc suam infirmitatem opponit legis acumini.mox addit proprium carnis, venditus sub peccatum,hoc est,illius plenum mancipium. Peccatum tyrannus est , qui ius in me acquisiuit,& illius arbitrio morior,itaque illud mortis vera est causa. Sed quis vendidit? Facilis est responsio,primus homo peccando vendidit:peccatum emit, hoc est in suum ius plenè nos recepit,instar ementis.

Regenitos etiam sub peccati tyrannide viuere.

15 *Quod enim operor non agnosco.*Confirmationis ratio,nominatim posterioris mẽbri,quòd scilicet sub tyrannide peccati viuat etiam regenitus, & reluctante spiritu interioris hominis. Ὑποτύπωσις autem est, nam se proponit spectandum, in quo tanquam speculo fideles omnes sese contemplentur.Seruitutis tyrannicę argumentum illustre est quod inuitus facio, quod imperat : imò vertigine quadam affectus, non satis intelligo etiam:sic enim accipio quod scribit, quod enim κατεργάζομαι,hoc est,imperante peccato perpetro οὐ γινώσκω,non agnosco,hoc est,nõ satis intelligo,& ob id nec probo etiam, itaque inuitus illa facio,quatenus sum regenitus.ἔκθεσις adiecta est, Non enim quod volo, hoc facio,sed quod odi,illud ago : vides manifestam luctam spiritus & carnis in eodem homine.

16 *Si autem quod nolo,hoc facio.*Corrolaria iam colligit,nam ex probatione allata,duo efficiun-

efficiuntur, primùm legem bonam esse, etiam iudicio conscientiæ propriæ, quæ in eo cõsentit cum lege Dei honesta præcipientis, atque huc etiam tendit voluntas spiritus regeneratorum, sua igitur natura lex est bona. Alterum, causa mortis pertinere ad inatam prauitatem, quam nec regenitus Paulus posset euitare: ideóque de peccato loquitur, tanquam imperioso tyranno, qui hominem, vt propriam domum sic occupat, vt omnes illius partes rimetur: dicitur autem inhabitans peccatum, quia in materia carnis hæret, ex quo inficitur totus homo, commercio pessimi domicilij & impurissimi hospitis. Porrò Paulus non hîc agit, quatenus scilicet renatus est in Christo, sed idem agit, quatenus in hac carne viuit tamen in peccatum transfert culpam, & de eo loquitur, tanquam de persona ipsum compellente, vt exprimat illam luctam spiritus & carnis.

18 *Noui enim, quòd non habitet in me.* Confessio plenior luctæ spiritualis, noui quòd in me, hoc est, in carne mea non habitet bonum, significans iustitiam & innocentiam per se alienam esse ab homine carnali, qui renatus non est: natura enim filij iræ sumus, alieni à Deo.

Mox addit pugnã, *Velle adest mihi, sed vt ad effectum perducam conatus illos bonos, non reperio.* q.d. vincit me caro mea. Nam duas contrarias leges constituit, ab vna parte legẽ Dei hortãtem ad honesta, ab altera parte legem peccati suadentem contraria: medius autem est homo, qui deliberabundus cui accedat, reperit in se duos consultores, vnum Dei spiritum, ex quo renatus est, qui hortatur ad vitæ innocentiam, alterum reliquias veteris carnis quæ sua dent, quod peccatum & libido dictat. inde fit, vt superatus homo à peccato validiore suasore carnis, iustè quidem habeat, sed ad opus, vt procedat non reperit. Carnis & Spiritus pugna.

19. *Non enim quod volo facio,* &c.

Confirmatio luctæ ab euentu, repetit autem sententiam ex versu 15. Bonum quod approbo, non facio: & malum, quod non volo, id ago, illud suadet spiritus regenerationis, hoc efficit peccatum, cui caro mea obsequentior est, quàm spiritui, quia infirma est, & subacta à peccato, itaque remoratur me, quanquam nitar in contrarium.

20. *Si autem quod nolo ego illud facio.*

Μετάστασις, hoc est translatio culpæ: ostendit enim hominem renatum inuitum rapi ad deteriora, non quòd non sit assensus, sed quòd assensus iste damnetur à spiritu Dei, qui ad meliora vocat.

21. *Reperio igitur legem.*

Illatio continens argumentum à proprio hominis, quod vocant quarti modi, hoc est, quod ita illi inhæret, vt separari ab eo in hac vita non possit. Illud autem est, vt semper peccatum nobis sit molestũ, vtut simus regeniti, caro semper manet infirma, semper nos in cursu moratur. Reperio hanc legem, hoc est, vsu & experiẽtia edoceor, verũ esse, & legem dicit conditionẽ hominis, cui est subiectus etiam renatus in Christo: illa autem est conditio, vt volenti facere bonum, adsit malum, hoc est, vt conatus pios semper remoretur imbecillitas carnis, quæ per se est mala. Itaque illa duo circunstant hominẽ, velle bonum quod habet à spiritu regenerationis, & impediri infirmitate carnis, hoc illi adiacet. Atque hoc ita proprium est hominibus, vt in sanctissimis etiam sit, dum hîc viuunt, & id νόμον hîc appellat: itaque alienum est, quod de lege, vel Mosis, aut naturæ, aut Euangelij, quidam hîc disputant.

22 *Condelector enim lege Dei.*

Clarior explicatio indicatæ proprietatis humanæ naturæ: affert autem distinctionem. In vno & eodem Paulo, duplex consideratur homo, vnus interior dicitur, qui regenitus est & Christo insitus: secundum hunc, legem Dei approbat, eadem delectatur & bonum vult. Alter dicitur exterior, qui nondum est renatus, vel carnalis, qui corruptionem naturæ humanæ retinet, is legem mẽbrorum sequitur. Hinc ἀντιστρατεία, hoc est, contraria militia in eodem homine: ab vna parte militat lex membrorum, quæ facit pro lege peccati, & hominem captiuum rapiunt per carnis infirmitatem, ab altera parte, est lex Dei, cui astipulatur renatus spiritus: homo totus, quasi in medio positus communis est præda. In vno & eodem regenito duplicem cõsiderari hominem.

24. *Miser ego homo,* &c.

Post rem propositam & explicatam, subiicit ecphonema, tanquam negotij totius epilogum: deplorat autem naturæ humanæ prauitatem & miseriam, nec debet hîc admitti, vt nec in superioribus, personæ mutatio, sed loquitur Apostolus in sua persona, & depingit naturam hominis etiam iam renati, ex cuius accurata contemplatione, iam erumpit in illius miserias deplorandas: nam quasi dubius hæret, vnde huic luctæ possit afferri remedium, mox sese colligit, & monstrat in Christo medelam. Gemina enim est exclamatio: prior animi videtur abiecti, vel saltem affectum exprimit deplorantis miseriã naturæ nostræ, *miser ego homo.* Re vera & seriò hoc agnoscunt renati in Christo, cùm alij nõ Exclamatio gemina.

renati sibi bellè habere videantur: igitur vox est non desperantis, sed agnoscentis carnis infirmitatem. *Quis me liberabit ex hoc corpore mortis?* q.d. nemò sanè, ne quidē totus mundus sufficit, vt huic morbo medelam adhibeat, & *corpus* vocat *mortis*, ipsam nostram carnem, quam circunferimus post regenerationem, tanquam mortis corpus: nam reuera in carne manet peccatum actu, & manet in eodem originalis corruptio, hinc mors corporis, rectè igitur corpus peccati dicitur, quia in eo actu habitat.

Posterior exclamatio, quia sibi ipsi respondet Apostolus & consolatur se, monstrato medico contra malum naturæ nostræ: docet nos quò sit recurrendum in miseriis nostris, ad Christum, in quo olim plenè victores erimus.

25. *Itaque ego ipse, mente quidem seruio.*

Illatio per distinctionem, facit enim in vno & eodem homine duplicem seruitutem legum contrariarum, & dominorum diuersorum: persistit autem in cœpta hypotyposi, qua se in exemplum proposuit. Ego ipse, inquit, seruio, hoc est, deditus sum etiam post regenerationem, & ad meum exemplum omnes quoque renati hanc sentiūt apud se geminam seruitutem.

25. *Mente seruio legi Dei, &c.*

Mentem intelligit regeneratam. Hoc est, quatenus sum renatus & Christum Dominū meum agnosco. νοῦς aliàs significat rationem in homine, vim illam præstantiorem, quæ discernit inter honesta & turpia: sed quia eadem νοῦς Christo imprimis repugnat & legi Dei, nisi illustrata sit spiritu regenerationis, ideo intelligo νοῦν non simpliciter λογιστικόν, sed regeneratam mentem, quæ sola legi Dei cupit seruire: Lex Dei verò est, non solùm scripta per Mosem, sed æterna Dei voluntas, quam declarat doctrina Euangelij: huic seruiunt rdnati, & ob id Mosis quoque decalogum soli rectè sequuntur & intelligunt.

Altera seruitus est in eodem homine renato, quia idem carne adhuc vestitus obambulat, & caro menti opposita, significat totam naturæ debilitatem, quam habemus ex peccato, & per peccatum declaratur: illa, inquam, caro, hoc est, homo renatus quidē, sed à carnalibus tandem nondum liberatus, ille idē homo seruit legi peccati. Discamus hinc, primò, quanta sit ista lucta sanctorum quam intra sese sentiunt, quæ facit ad vigilantiam & necessariam institutionem: non enim res contemnenda est, Deo seruire, & à carne aliò rapi. Hanc passim nobis inculcat scriptura, ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Et ibidem, Desideria carnis nolite perficere. 2. Cor. 10. Caro & sanguis regnum Dei non potest possidere. Rom. 8. Qui secundum carnem sunt, Deo placere non possunt, & si secundum carnem vixeritis, moriemini. Ad hāc luctam igitur alacres accedamus vt spiritu & mente opera carnis mortificemus, ita enim fiet, vt viuamus victores in Domino. Secūdò obseruanda est diligenter gemina illa seruitus: prior seruitus Dei est, quā suprà libertatem dixit, & infrà, 8. Non accepistis spiritum seruitutis, sed libertatis. Dicitur seruitus, quia ad voluntatem astringitur vita sanctorum, à cuius legibus non licebat, vel latum vnguem recedere: eadem autem seruitus libertas dicitur, quia summa voluptate in his occupatur homo pius, nihil coactum & metu pœnarum facit, sed ardore & amore Dei, totus in illa rapitur, quæ Deus præcipit. Deinde quia ab illis externis liber est, vt sunt ceremonialia & alia hypocritarum opera, & fuco mundano aliisque multis sese expeditè euoluit, itaque diuerso respectu eadem est libertas & seruitus Dei. Sic posterior seruitus, qua seruitur peccato, libertas suprà dicta est, à spiritu scil. Dei, & iustitia: qui. n. seruit peccato, à Dei iugo, quod excussit, liber est, & quia carnis proprium est seruire peccato, ideo superest tertia seruitus, qua caro subiici debet menti & spiritui, & redacta in arctum non effusè sequitur desideria carnis, de hac loquitur 1. Cor. 9. Castigo corpus meum in seruitutē redigo. Hanc in primis meditari debent homines Christiani, quomodo carnem doment, modum tandē statuant peccatis, ne effusè, & ita licenter erumpant in quæuis flagitia. Certissimum enim est, qui secundum carnem viuunt, Deo placere non possunt: videamus igitur, cui tandem placere velimus, & à quo vitæ actæ recepturi simus retributionem.

Gemina seruitus obseruanda. De priore.

De posteriore.

CAPVT



CAPVT VIII.

PII QVANQVAM IN PECCATRICE VIVANT carne: tamen condemnationem inde non metuunt.



DE vsu legis cœperat disputare superiore cap. ostendendo verum vsum illius esse monstrare viam ad vitam æternam, seruando scilicet mandata Dei: accessorius autem vsus enatus est nostra culpa, quia enim in nostram naturam corruptam incidit, quæ legis rigori non respondit, euenit vt lex inciperet nos damnare propositis peccatis nostris, atque hîc accidentalis vsus mansit, sublato proprio: atque adeo omnes in genere damnat, vnde nata est quæstio de electis, quomodo illi hâc legis damnationem effugiant. Ad finem prioris capitis medium in Christo monstrauit, id iam explicatius in consequentibus deducit: ostendit enim, quomodo in Christo liberati sint pij ab illa legis maledictione, deinde ad quem etiam finem, nimirum vt deinceps, non secundum carnem, sed secundum spiritum regenerationis viuant, qua occasione orationem eò conuertit, vt palàm Romanos hortetur, nominatim ad vitæ innocentiam & constantiam in aflictionibus, quem locum à capite sexto iam ingressus est. Argumētum huius capitis.

Πρότασις. Pij condemnationem ex peccato natam non metuunt, quia à Christo redempti sunt, & vitæ innocentia ac constantia in professione vocationem suam ornabunt quoad fieri potest. Propositio.

Partes Duo sunt membra, prius de liberatione à condemnatione facta merito Christi: posterius de vita secundum spiritum instituenda, ac patientia in aduersis. Prius membrum nunc persequemur, additis etiam argumentis quibusdam, ad vitæ innocentiam nos cohortantibus, reliqua conseruaturi aliis horis. Partes.

1. *Nulla igitur iam est condemnatio.*

Propositio est noua, piis non est metuenda damnatio: illam superioribus annectit, tāquam illationem, vel συμπέρασμα, nam ex superioribus id efficitur: si enim in Christo paratum est remedium non est metuenda damnatio: atqui est, vt significauit versu 25. prioris capitis, itaque piis non erit metuenda: obserua hîc quomodo vniuersalis propositio & regula constituatur ex priuata consolatione Pauli, qui dum sentiret carnis prauitatem etiam in suo corpore, adeò vt meliora probaret, peiora autem sequeretur, coactus est exclamare, Miser ego homo, quis liberabit me? moxque resumpto animo, gratias agit Deo per Iesum Christum, significans in Christo se reperire consolationem. Hinc iam animo contemplatur meritum Christi, & vniuersale beneficium contra vim legis, peccati & mortis. Vide autem primùm quid sit κατάκριμα, scilicet imperium legis omnes dānationi subiiciens, ob quod prius exclamauit, Miser ego homo, &c. Nam rigori illius nemo respondit, vnde pergens omnes damnat, adeò vt sit opus alio consilio ad vitam consequendam. Deinde vide, ad quos beneficium Christi pertineat, ad eos qui sunt in Christo Iesu, hoc est, qui illi insiti eodem spiritu viuunt & reguntur: par enim est, vt idē semper caput & mēbra regat. In Christo sunt hoc modo soli electi. Tertiò vnde illi cognosci possint, si non secundum carnem, sed spiritum ambulent, hoc est, vita & moribus, hoc ipsum exprimant, quod profitentur. Subiicit autem hoc membrum, tanquam explicationem prioris, vt intelligas quid sit esse in Christo, idem scilicet quod ambulare secū dum spiritum regenerationis, hoc est, secundum Spiritum sanctum, quem Christus electis largitur, cui opponitur ambulare secundum carnem hoc est, peccatis ansas concedere, & occasiones suppeditare, vel saltem peccato non resistere, & consentire. Quid vocet. κατάκριμα. Ad quos pertineat Christi beneficium.

2. *Nam lex spiritus vitæ in Iesu Christo.*

Hactenus propositio explicata est piis, non esse metuendam damnationem legis: nūc propositioni annectitur confirmatio, quia lex Christi superueniens, inquit, liberauit me, à iure legis me damnantis. Notum autem est superiores leges tollere inferiores, vt potē- Legē Christi superio

rem esse lege damnante.

tior tollit infirmiorem : at lex Christi superior est lege damnãte, igitur illius vim abrogat. Hæc simpliciter est mens argumenti, sed verborũ quædã est obscuritas, quæ explicãda erit. Initio cõsideretur antithesis legum, alia est peccati & mortis, hoc est, lex impressa naturæ, & scripta de moribus, quæ quia peccatum patefecit, lex peccati dicitur: deinde quia eadem lex nos damnat, lex mortis dicitur. Vna igitur & eadem est lex peccati & mortis, à diuersis officiis assumptis nominibus. Huic opponit legem Christi nouam, quia, prior antiqua est, vna cum homine orta, quæ iubet facienda & prohibet contraria.

Lex spiritus vitæ quo sensu dicatur.

Dicitur ista Christi lex spiritus vitæ, hoc est spiritualis vitæ vita autem spiritualis opponitur vitæ carnali, vt caro spiritui opponitur. Spiritualis vita propriè est regeneratorum, qui cœlestia meditantur: hęc lex Christi inquam, spiritualis vita vel spiritus vitæ dicitur, propter Christum autorem, qui vita est & spiritus. Ioan. 6. Verba mea, quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita, hoc est, spiritualem vitam vos docent, & Ioan. 5. In illo scilicet Christo vita erat mundi. & Ioan. 5. Quemadmodum pater in se vitam habet ex semetipso, ita dedit Filio, vt vitam habeat. Et in Epistola prima, Qui Filium Dei habet, is vitam habet æternam. Quia igitur Christus vita est fidelium, & in spiritu eosdem regit & illuminat, lex illius dicitur spiritus vitæ, quia multum à carnali vita discrepat. Atque hæc lex hoc est, vis Filij Dei, nos redemit à priore lege.

3. *Quod enim impossibile erat legi.*

Sequitur tertio loco confirmationis ratio, seu dilucidior explicatio, vt vis argumenti perspici possit: ostendit autẽ cur opus fuerit auxilio Filij Dei, ratio, inquit, est, quia lex ad vitam non potuit nos perducere. Quæritur igitur de impossibilitate legis, ac legem hic iterum intelligas de moribus scriptam tum à Mose tum impressam pectoribus: impossibilitas autem eius dicitur, in quo defecit, respicit enim conatum illius, ac de lege, tanquam de persona, loquitur. Conabatur nos ad vitã perducere, sed in eo nisu defecit, vt destitueretur viribus idoneis, non quidẽ sua culpa, sed nostro vitio: nã lex sancta erat, & vitam nostram ac salutem vnicè desiderabat, quia verò incidit in nostram carnis debilitatem, illius prauitate effectũ est, vt frustra laboraret. Itaque culpa nostra est, quod lex damnat, quia idonei non eramus ad illius completionem. Deinde expende Christi

Quo sensu dicatur Christus in similitudine carnis missus.

missionem, illa tribuitur patri Deo, ad distinguendas personas, nõ separãdam Diuinitatem: misit autem eum in similitudine carnis, non quòd reuera carnem nõ assumpserit veram & natiuã, sed quia diuinitas humanitatem non exhausit aut absumpsit, mansit verus Deus, vero assumpto homine. Deinde quia non nudus est homo, nã illius habet formam, latet tamẽ aliquid altius in illo homine Christo. Denique adeò verus homo est, vt affectus humanos etiam retinuerit, adeò vt affectus carnis peccatricis, quoque videatur habuisse: quò facit, quod ait in similitudine carnis peccati, hoc est, carnis peccatricis, quasi dicat, visus est aliis peccatoribus similis, quum ab omni peccato esset alienus. Atque hoc modo fefellit Satanam, mundi sapientiam, Iudæorum supercilium, vt non diiudicarent inter Christum & alium hominem. Tertiò & illa phrasis consideretur, *De peccato condemnauit peccatum in carne*, hoc est, nostrum peccatum in carne nostra totum hoc damnauit propter peccatũ, hoc est, hostiam huic peccato destinatam: est autem Christus agnus Dei tollens peccata mundi, & agnus ab origine mundi immolatus. Hic agnus dicitur peccatũ, quia in lege hostiæ peccatum dicuntur, pro quo offeruntur, hinc est quod ad Gal. 3. maledictus dicatur idem filius Dei Christus. Et 2. Cor. 5. Factus peccatum à Patre, qui peccatum non fecit. In carne ambiguè poni videtur, nam referri potest ad peccatum damnatum in nobis, hoc est, in carne nostra, vel ad hostiam expiaturam in carne, quia Christus sua carne & corpore nos redemit.

Ioan. 1. Apoc. 13. 8.

4. *Vt iustitia legis impleretur in nobis.*

Quarto loco rem explicat à causa finali: ostendit enim, ad quid redemerit nos Christus, scilicet vt iustitia legis in nobis impleretur. δικαίωμα est perfecta completio legis, de qua quæstio erat inter legẽ, & hominem. Lex semper instigauit ad accuratissimam obedientiam: homo contrà vix primis labris eam degustauit, hinc illa contentio accusantis conscientiæ. Hoc δικαίωμα prorsus fuit complendum, etiam in nobis, ideóque Christus induens nostram carnem, nostro nomine perfectè præstitit legem, Matth. 5. Nõ veni soluere legem. Et Luc. 16. Facilius est cœlum & terram transire, quàm vnicum apicem de lege. Pertinet hoc membrum ad beneficij Christi applicationem ad nos, deinde repetit, ad quos spectet, nõ certè ad omnes, sed specificè loquitur ad eos, qui secundum spiritum viuunt, hoc est, vt regenerationis spiritus iubet, & non viuunt secundum carnem, hoc est, petulanter.

5. ***Illi enim, qui secundum carnem sunt, illa quæ carnis sunt, sapiunt.***

Hactenus expedita est quæstio, cur piis nõ sit metuenda damnatio. Locum hunc quatuor

tuor membris absoluit, propositione, confirmatione, confirmationis ratione, & explicatione causæ finalis. Nunc ad alterum locum sensim descendit, quo nobis suadet vitam illam secundum spiritum. Sit itaque noua propositio, pij curabunt, vt deposita carnis malitia, deinceps secundum spiritum regenerationis mores instituant. Argumenta ordine colligemus, ac primum quidem ex superioribus depromamus. Qui secundum spiritum viuunt, in illis solis est efficax Christi meritum, igitur prorsus omnibus curandum, vt ita viuamus. Propositio. 1. Argumentum

Secundum itidem inde pro mamus. Qui sic viuunt, illi soli legem implent in Christo redēptore, reliqui omnes sub illius maledictione manent: ergo sic viuendū, vt legi satisfiat in nobis quoque. Tertiū ex præsenti versu à pari, quemadmodum carnales carnalia sapiunt: ita renatos oportet spiritualia sapere, decet enim quemuis sui ingenij documenta edere in vita & moribus. Fabrum ex moribus etiā deprehendis & vestitu: sic carnalem ex studiis carnalibus, electum ex studiis spiritualibus. Argumentum vim habet proprij per antithesin: si enim carnales ex suis deprehendis studiis, quid causæ esset cur non eodem modo renatum ex spiritualibus occupationibus deprehenderes? 2. Argu. 3. Argu.

Quartum à contrariis effectis, vt enim causæ contrariæ sunt: sic etiam effecta pugnantia esse oportet: causæ contrariæ sunt, caro & spiritus, illorum contrarij effectus sunt, illius quidem mors, huius verò vita & pax. φρόνημα vtrique tribuitur, vt vox media, non ita Latinis scriptoribus prudentia, nisi Ecclesiasticis: prudentia autem carnis est ipsa ratio, diiudicans secundum carnalia, illa in impiis ita corrupta est, vt & voluntas, & mens, & iudicium corruptum sit. Spiritus autem φρόνημα, est homo renatus ex Spiritu Christi, prius illud φρόνημα est mors, hoc est, mortiferum & lethale, posterius autem φρόνημα, est vita & pax, hoc est vitale & pacificum. Geminum igitur est argumentum, prius à metu pœnarum, si carnaliter vixerimus, nam mortem sic incurremus: posterius à spe præmiorum, si secundum spiritum vixerimus, nam ita vitam & pacem consequemur: vitam intelligamus æternam, quæ finis est regenerationis: per pacem autem, tum conscientiæ tranquillitatem coram Deo, quia certi reddimur in regeneratione nobis ignosci merito Christi: deinde pacis studium, est enim sententia prudentia spiritus est pacifica, hoc est, pacem inter fideles seruat, imò cum impiis quoque, quoad fieri potest. Cognoscamus igitur, cuius spiritus sint isti turbulenti homines, qui ad omnem sententiam cœlum & terram commiscent, Deum & homines acclamant, quum interim illi neque religionem, neque pacem vllam satis colant. 4. Arg. Duplex φρόνημα carnis & spiritus.

7. *Propterea quòd prudentia carnis.*

Confirmatio præcedentis argumenti, quomodo scilicet prudētia carnis sit mors, hoc est, mortifera: ratio est, quia inimicitia est in Deum. Emphaticū autem est ἔχθρα εἰς θεόν, hoc est, in naturam etiam Dei fertur, adeò vt si posset, Deū de natura rerum tolleret, tanta est prauitas humanæ naturæ. Porrò Deus solus vita est, & in Deo viuit quicquid viuit, itaque prudentia carnis hostis Dei capitalis, hoc est vitæ necessariò est mortifera quum vitam ipsa impugnet. Sed dices, quomodo est inimica Deo? respondet, quia legi Dei non subiicitur: vis est à proprio: inimici enim est alterius legibus repugnare, illas quoquomodo tollere & pedibus conculcare, hoc facit prudentia carnis, itaque est ἔχθρα in Deum. Sed iterum dices, cur non subiicitur? respondet, quia non potest, scilicet tanta est contumacia & prauitas superbiæ, vt nihil minus ferat, quàm Dei iugum. Quemadmodum pardalis hominis iugum non fert, quia non vult, non excusat ista impotentia, quum volūtaria sit. Damnantur hîc plenissimè omnes vires humanæ, quales quales sint ante regenerationem, vt frustra sit, quicquid docetur de prima gratia & præparationis meriti, congrui, quia legi Dei non subiiciuntur, imò ne possunt quidem. Hinc efficitur, & primam & secundam gratiā, Dei donum esse, & qui in carne sunt, quales omnes sumus ante regenerationem, illi Deo placere non possunt. Quomodo prudentia carnis sit Deo inimica.

9. *Vos autem non estis in carne.*

Θέσιν accommodat ad ὑπόθεσιν, nam quæ in genere dixit, de his, qui carnaliter viuunt, & spiritualiter accōmodat ad Romanos, ac remotione vtitur prioris partis, mox affirmatione alterū infert, non estis in carne, sed in spiritu, hoc est, carnaliter non viuitis, significans illos tales esse oportere, quales depingit, non quòd omnes tales sint: habuit enim Ecclesia suos etiā næuos. *Non estis in carne.* hoc est, nō debetis esse, sed debetis posthac in spiritu viuere. Ratio à cōsequēte, si spiritus Dei habitat in vobis, tales esse debetis, atqui is habitat in vobis, igitur tales esse oportet. εἴπερ accipio conditionaliter, quasi dicat, si modò in vobis habitat Spiritus Dei, quemadmodum oportet. Et habitandi verbum, significat plenam potestatem imperandi & regendi. Sancti templa sunt Spiritus sancti, valet à decenti argumentum. Mox addit comminationem à contrario, in quo metus est, si

quis spiritum Christi non habet, is non est eius, hoc est, illi meritum Christi non prodest, alienus à spiritu, alienus quoque est à meritis Christi. Inest tacita comminatio, cogitare enim debent quàm sit periculosum Christi spiritum iactare frustra, vbi reuera non sit.

5. Arg. Quintum hinc petatur argumentum à præstantia donorum *Spiritus Dei habitat in vobis*, ergo par est, vt ei innocentia vitæ respondeatis, illud autem est secundum spiritum viuere, ex quo cognoscitur, an spiritum Christi habeatis necne.

6. Arg. Sextum, qui secundum Spiritum viuunt, illi soli Spiritum Christi habent, oportet igitur secundum illum viuere, ne aliter viuendo alieni à Christo deprehendamini.

10. *Si verò Christus in vobis, corpus quidem.*

Obiectioni occurrit, quum enim toties Spiritum ingeminet, dicere poterant, atqui reliquias peccati sentimus, vtut secundum Spiritum ambulandum agnoscamus. Respōdet Apostolus hoc verum esse, nec excludi Christum inhabitantem, corpus quidem peccato inquinatum morte aliquando repurgabitur. Interim in eodem homine spiritus regenerans vitæ sit seminarium, per iustitiam imputatiuam.

7. Arg. Septimum argumentum à spe resurrectionis, qui secundum Spiritum viuunt Christi, illi ad exemplum Christi quoque resuscitabuntur, ab eodem inhabitante Spiritu. Itaque sic viuendum est, ne spe resurrectionis beatæ excidamus. Hinc est quod Apostolus hypotheticè loquatur, si Spiritus Dei excitantis Christum à mortuis habitat in vobis, vt scilicet videri cupitis & omnibus affirmatis, idem Spiritus vitæ, restituet etiam vestra corpora.

Primùm, hoc argumento confirmatur resurrectio iustorum, quam vt singulare donū recenset, Nam impij quidem resurgent: sed quia ad pœnas resurgunt, ideo vt rei luctuosæ non solet cum electorum computari illius mentio. Deinde vis resurrectionis vtrinq;, tam de Christò, quàm de electis tribuitur vni causæ efficienti, scilicet Spiritui Dei, non quòd idem spiritus nō sit etiam Christi, sed quòd dispensationi inseruiat, & diuinitas sit suscitans, humana autem natura suscitata.

Tertiò spes resurrectionis pendet à conuersatione vitæ innocentis, quæ est secūdum spiritum, itaque frustra prædicamus fidem, & iactamus Euangelium, nisi hoc ipsum vita & moribus declaremus. Philosophari vita optimum erat olim: sic vita Christianum esse felicissimum est, nos nimium theoretici sumus, suffugimus praxim, vt malè feriati discipuli, repetitiones.

ELECTOS DEI IMPRIMIS DECET VITÆ innocentia & constantia in afflictionibus, ad quas virtutes, vt maximopere necessarias varijs argumentis hortatur.

Argum. huius loci. DVo sunt quæ vitam Christianam exornant, theoria & praxis: prior monstrat credenda de Deo & salute nostra, aliisque rebus quæ sub cognitionem fidei necessariò cadunt: posterior vitam instituit ac mores, quibus professio nostra demonstratur hominibus. Ac quanquam prior illa magni sit iudicij, vt laudem non mediocrem mereatur: tamē sine praxi mortua est, & vix vmbram pietatis retinet, nam & impiis interdum excellens eius datur donum, & in malis spiritibus magna est rerum cognitio, sed posteriore planè destituuntur. Itaque cogitare debemus, vitam Christiani homini magis esse actionem, quàm contemplationem, quò facit Christi sententia, Ioan.13. Cùm illa sciatis, beati vos si illa feceritis, quo primas dat actioni, quanquam cognitioni multum concedat. Hanc doctrinam Apostolus quoque hîc vrget, postquam enim iustificationem per fidem vrsit, pergit iam bonos informare mores, adeòque palàm hortatur, tum ad vitæ innocentiam, tum ad patientiam sub cruce.

Partes. Itaque duo supersunt nobis explicanda, prius vita secundum spiritum instituenda, quem locum suprà cœpit vrgere, & eundem tractare pergit pluribus argumentis. Hactenus septem rationes expendimus, sequuntur ad eandem rem aliæ septem.

Alterum est de patientia Christiana, quam variis quoque argumentis suadet sanctis, vtrūque considerabimus, & argumenta resoluemus, vt appareat, cur quæq; sic cōcludat.

12. *Itaque fratres debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus.*

De vita secundum Spiritum instituenda acturus, iam in genere hactenus tractatā, semel breui cōclusione cōstringit: & quia conclusiones habent primariam negotij propositionem, eam hîc repeti certum est, mens est, Ex superioribus rationibus efficitur, ô fratres, nos carni nihil debere, sed totos nos spiritui regenerationis. Fratres compellat, quia cum electis agit, & his, qui videri & haberi tales volebant, quos monet, ne seipsos fallant: sed quod dici volunt, seriò esse curent. Quid autem sit viuere secundum Spiritum, & nō

Proposi-tio.

secundum

secundum carnem, iam diximus, superest, vt rationes & argumenta consideremus. 1. Argumentum

I. Ratio à necessario seu obligatione officij, quod debemus Deo non carni. Ὀφειλέται sumus, hoc est, obligati debitor, nam debitor creditori obligatus est necessitudine quadã, quam nisi præstet, desertor officij est, & viri boni nomen perdit. Sumus autem nos debitores, non carni, contra hanc enim militamus, & vix illius iugo liberati sumus, sed Deo qui nos redemit à lege carnis, & suo spiritu nos subiecit. Itaque huic fides est præstanda. Sic argumentatur Apostolus, 1. Cor. 9. necessitas mihi incumbit euangelizandi, & vę mihi, nisi docuero: ratio est obligationis quæ hîc quoque valet.

II. Argumentum ab euentu sumitur vitæ carnalis, iam hanc sequitur proprius effectus, mors: sed terribilium omnium maximè horremus mortem: vis illam vitare? caue igitur eius causam efficientem, quæ est vita carnalis. Non vis in æternum mori? ne viuas secundum carnem. Vis argumenti est, à natura causæ & effectus, & inest ei metus pœnarum. 2. Argu. Vitam carnalē quid sequatur.

III. Argumentũ à contrarij effectu, in quo est spes maximi præmij, vita carnalis, cõtrariam habet vitam spiritualem, quæ effectũ habet vitam æternam, nam causæ pugnantes, effectus pariunt etiam pugnantes. Vis æternum beatus viuere? viue igitur hîc secundum spiritum, hoc dixit Apostolus, *mortificare actiones corporis per Spiritũ*: & rectè loquitur de actionibus, quia vitam & mores instituit. Inest autem etiã antithesis vitæ & mortis, carnis & spiritus, in eodem homine, eodem respectu, non possunt contraria locum habere, vita & mors. Vis viuere? oportet igitur illam hîc ordiaris, & aut viuat in te caro, aut spiritus: si illa, tu morieris, sin iste, viues, & caro morietur. 3. Argu.

IIII. Argumentum, *Qui Dei spiritu aguntur illi filij Dei sunt*, hoc est, ex eo declarantur filij Dei: vis in eo est, quòd filios decet ingenia bonorum parentum imitari, quasi dicat, vultis haberi filij Dei, sequimini igitur illius optimi parentis spiritum, alioqui degeneres & maligni eritis filij: impossibile est, bonos Dei filios, non illum sequi. 4. Arg.

V. Argumentum à præstantia doni, quod illis in memoriã reuocat, vt meminerint id vita exprimere. *Accepistis spiritum adoptionis*, hoc est, adoptati estis in nouam familiam Dei, par igitur est nouæ familiæ mores imitari, hoc est, in vitæ innocentia viuere. Ac vt maior esset vis argumenti, opponit Spiritui hunc spiritum seruitutis, nã filij reuera liberi sunt, quum serui alieno regantur arbitrio. Hinc fit, vt seruos premat timor seruilis, in filiis autem sit libertas & gaudium: sua enim sponte iusta faciunt, quæ parenti placent. Deinde differunt inuocationis genere, seruus dominum non inuocat vt patrem, sed filij solùm, illi vt vindicem horrent. 5. Arg.

VI. Argumentum à testimonio Spiritus sancti in inuocatione nostra: nam duos facit spiritus, vnum hominis, hoc est, mentem piam quæ Deum inuocat, alterum Dei & adoptionis, qui se coniungit in precibus, & testatur nos filios Dei esse, dum iubet Deum vt patrem inuocare. 6. Arg.

VII. Argumentum, à consequẽtibus, *Nam si filij sumus, hinc fit, vt hæredes etiam simus*: hoc enim ius est adoptionis, vt scilicet adoptati noui filij succedant cum naturalibus liberis, in partem hæreditatis. Hinc est, vt Dei respectu dicamur hęredes, quia is adoptauit nos: respectu autem Christi dicimur cohæredes, quia Christus naturalis Dei filius est & hæres primus, nos secundarij hæredes, cohæredes filij Dei, hoc ius hæreditatis debemus innocentia vitæ ornare, ne illo nostra excidamus culpa. Hactenus prior pars exhortationis, quæ continet argumenta 14. ad vitam secundum spiritum cohortantia. Singula vberem materiam doctrinæ & obseruationem suppeditare possunt, cui non est, vt in præsens immoremur. 7. argum.

17. *Siquidem cum illo patimur vnà cùm illo etiam glorificabimur.*

Altera pars exhortationis, nam absoluta vitæ puritate, nunc ad patientiam sub cruce hortatur, & est certè nulla virtus perinde necessaria, atque hæc ipsa: qui enim perseuerauerit vsque ad finem, is saluus erit. Noua igitur ista est propositio, Pij innocentiam vitæ ornare etiam debent obfirmata constantia & patientia, in quauis fortuna, Ad hanc iam spectant sequentes rationes. Matt. 24.

Prima ratio ab exemplo Christi, non soli patimur, sed patitur nobiscum Christus, Ergo patienter ferenda est crux. nam magna est consolatio in socio calamitatum, & dum duo idem onus mouent, aut tollunt, leuius ferunt. Cùm Christo patimur, ergo bona spe perduremus cum Christo, ne desertores videamur.

II. Ratio à spe compensationis, *Si constantes mansẽrimus sub Christi cruce, vna cum illo glorificabimur.* Gloria est virtutis præmium, quod tanti fit apud homines, vt non dubitẽt omnia sua in discrimen ponere, modò gloriam consequantur, quid igitur non facient electi, pro gloria æterna, cùm mundana gloria tanti fiat apud mundanos?

III. Ratio à proportione ærumnarum & præmij, quæ ita sese respiciunt, vt infinitis partibus præmium excellat ærumnas, adeò vt nulla hic sit proportio: nam æternũ ad finitum tempus non habet rationem, tanta est præmiorum excellentia, si ærumnis huius vitæ conferatur. Hoc dixit Apostolus ἄξιον, hoc est, correspondens, nam labores al j pro gloria terrena, aliquo pacto respondere possunt: imò superant aliquando præmiorum dignitatem, sed hic nihil est ἄξιον. Tollitur hoc argumento dignitas operum, & verbum λογίζομαι non est dubitantis, sed firmiter statuentis, vt infrà verbum πέπεισμαι vers. 38. Et quia loquitur de præmiis sanctorum, addit illa iam sentiri in hac vita, ac solùm opus esse reuelatione, quasi dicat, iam initia gloriæ illius æternæ possidemus, quamuis mundus illa non videat, retegentur autem in resurrectione: sunt illius initia conscientiæ tranquillitas, lætitia, cognitio, quæ tanta sunt in electis, vt interdum confidenter omnes cruciatus contemnant, & rideant. Hic ille thesaurus est, quem testaceis vasculis, hîc circumferimus.

Aduersus operũ dignitatem.

IIII. Ratio ab exemplo creaturarum, nam vt Filij Dei illustrius sit exemplum, proponit nobis totam creaturam spectandã, quę nostro vitio subiecta est vanitati, & nostris calamitatibus condolet. Habet hoc argumentũ singularẽ δείνωσιν, nam creaturæ personam tribuit intelligentẽ & condolentem, ex compassione quadã, nec est quòd hîc de vocabulo creaturæ anxiè disputemus: nam Apostolus propriè loquitur & intelligit mundi machinam cum suis membris. Huic tribuit ἀποκαραδοκίαν hoc est, solicitã speculationẽ: vt enim vigilantes speculatores caput in omnes partes mouent, ad aduentantes obseruãt ita creatura multo cum desiderio, aduẽtum Filij Dei expectat. Ratio vero huius expectationis est, quia est subiecta vanitati à Deo, propter peccatum hominis, ideóque in hac confusione seruit homini inuita, cùm condita sit primitùs ad integritatem: mallet igitur perfectis hominibus seruire. Deinde ad sympthaiam istam facit, quòd ipsa creatura sui restitutionem non prius accipiet, quàm in restitutione filiorum Dei, hanc igitur desiderat, vt illam obtineat. Itaque vnà nobiscum ingemiscit pondere pressa, & nobiscũ parturit in omnia momenta: nam in horas expectatur. Respexit ad dolores prægnantis mulieris, quæ absoluto tempore gestationis incipit parturire, quamuis in aliquot dies adhuc differatur partus, parat sese tamen.

Quid per creaturæ vocem intelligendũ sit.

V. Ratio à suo & similium Apostolorum exemplo, qui inter fideles excellunt vt sydera quædam: nam primitias spiritus habent, hoc est, primi illi sunt, in quos est effusus. Deinde primitias habent quoque, quia primitias spiritualis vitæ habent, hoc est, ampliorem sentiunt eius gustum. Magna est consolatio sub cruce, quòd Apostoli in sua vita iam cœperint capita exerere ad hanc reuelationem, quasi iam iam immineat, quid ergo hoc nostro tandem faciemus tempore?

Primitiæ spiritus Apost.

VI. Ratio à natura spei, quæ est futuri boni expectatio: oportet igitur illa bona futura patienter expectare, ne irrita sit spes nostra, quæ ex fide promanat,

VII. Ratio ab auxilio Spiritus sancti, quem habemus opitulatorẽ in aduersis, nõ est igitur animus abiiciendus. non autem solùm iuuat infirmitatem nostram, sed precandi formulam dictat, nam nos ignoramus interdum, quid & quomodo orandum sit, nisi Spiritus sanctus dictaret: is igitur suas preces nostris coniungit, & suspiria nostris addit ad Deum, euentum autem Dei voluntati subiicit.

VIII. Ratio à fine afflictionum, in quo elucet singularis Dei cura pro electis, adeò vt mala, hoc est, quæ talia nobis videntur, illis ad bonum faciant.

IX. Ratio ab ordine diuinæ prouidentiæ, qui sic est diuinitus institutus, vt oporteat nos Christo similes fieri prius in ærumnis, priusquam ad gloriam euehamur.

Epilogus, *Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, qui contra nos?* Re satis probata tandem ex gloriæ magnitudine rapitur in exclamationes & interrogationes, quibus omnes conscientiæ coguntur assentiri. Sunt autẽ plura hîc argumenta, quæ superioribus addi debẽt.

Decima igitur est ratio à potentia Dei, qui in aduersis etiam pro nobis facit: quæ ergo sit illa timiditas, qua nos vellemus subtrahere, cũ Deũ habeamus stãtẽ à partibus nostris?

XI. Ratio à bonorum collatione, qui dedit maiora, quomodo is nõ daret etiam inferiora bona? Deus dedit pro nobis filium charissimum, quomodo igitur non alia bona omnia concedet? quasi dicat, fieri non potest.

XII. Ratio à præsentissimo Dei auxilio, quis accusabit electos Dei? Deus est, qui absoluit, hoc est, frustra illis insidiatur totus mundus, cùm Deus absoluat, quid enim accusator faciet, si iudex absoluat. His addit Christi alia beneficia specialia, quæ nos concernunt, & per contrariorum contentionem rem mirificè illustrat. Christi beneficia principalia quatuor sunt, mors resurrectio, mansio ad dextram Patris, & intercessio pro nobis, hæc opponi debent omnibus calamitatibus huius vitæ.

Christi beneficia principalia.

XIII. Ra-

XIII. Ratio ab imbecillitate causarũ præcipuarum, quæ nos ad inconstantiam & impatientiã poterant trahere. Causæ sunt corrumpentes patientiam, sed adeò debiles, vt nec seorsum, nec iunctim omnes quicquam valeant: sunt autem θλίψις *afflictio*, στενοχωρία *animi anxietas*, διωγμὸς *hostilis persecutio* λιμὸς *inedia*, quo nomine paupertatem accipit γυμνότης *nuditas*, præsidij destitutio, κίνδυνος *periculum*, tandem gladius ceruicibus imminens. pathetica est malorum cõgeries. Ac ne putemus leuia esse quæ electis eueniunt in his turbis, ex Psal. affert versiculum, quo suas querelas sancti Deo proponunt, Tota die propter te occidimur, & reputamur tanquam oues mactationis, hoc est, sine misericordia trucidamur, vt pecus. Psal. 44

Vers. 37. addita est subiectio, quæ argumenta absoluit, nam ostendit causas corrumpẽtes plane esse infirmissimas, nam electi interim viuunt: imò emphaticè inquit, ὑπερνικῶμεν, quasi dicat, infinitis enim partibus superiores sumus, adeò vt interdum irrideant tyrannorum sæuitiam, in faciem quoque redarguant, imò prouocent, & alia insolita aliquando edant, vt hostes cum rubore cogantur abire. Addita est causa tanti roboris, dilectio scilicet Dei, qua nos ipse prior in Christo dilexit.

XIIII. Ratio. Idem ferè habet, quod prior, nisi quòd alias partes enũ erat inductione: nam ascendit Apostoli consideratio ad maiora, ad ipsum Satanã & miracula, adeóque totam creaturam, quæ tota iunctis viribus, nihil possit contra electos Dei. Argumentum principio munit asseueratione, πέπεισμαι, hoc est, planè sic persuasus sum, vt nulla sit firmior demonstratio. Ita suprà verbo λογίζομαι est vsus vers. 18. Deinde inductione percurrit res maximas, quæ ad defectionem solicitare poterant pios, vt est mors, cuius metus multos sæpe terruit, vita, cuius amor multos decepit, Angeli mali, qui ad fallendum paratissimi sunt, vel etiam boni καθ' ὑπόθεσιν esto, si vellent decipere: & anathema esse debet, si de cœlo veniens Angelus, aliud docere vellet Euangelium. Principatus & potestates, vel de dominiis Angelorum, vel magistratibus intelligantur. Instantia & futura, quæ in præsenti vel futuro vim habere possunt impediendi, altitudo cœlestis: profunditas terrena. Demum vniuersali clausula reliqua omnia carptim includit, *neque vlla alia creatura*. Causæ magnæ sunt, at maior constantiæ in nobis suasor, Dei dilectio, qua nos diligit, in Christo Iesu Domino nostro. Significat, à quo nobis proueniat ille dilectionis fons.



CAPVT IX.

QVINTA PARS QVÆ CONTINET ἔκθεσιν

Quomodo iustificatio per fidem, & alia Christi beneficia, etiam ad Gentes pertineant, qua occasione de reiectione Iudæorum, & vocatione Gentium differitur.

Argum. cap. 9.



VIDERI poterat absoluta præcipua quæstio huius Epistolæ, scilicet de iustificatione per fidem, quæ non operibus nostris, sed solis Christi meritis niti debet. Verùm, quia pios etiã multa hîc remorabantur, necessarium fuit, vt Apostolus rem altius explicaret: Erat autem illud piis quoque perdifficile, quomodo scilicet Christus Iudæis in primis promissus ab iisdem repudiaretur, interim promissionibus sua constaret veritas, & Deus iustus ac verus, etiam in illorum cæcitate permaneret. Hoc & similia, cùm pios quoque dubios reddere possunt, Apostolus pergit differere de Iudæorum reiectione & Gentiũ insitione: nam promissiones de Messia, non solis Iudæis inseruire, sed cõplecti quoq; Gẽtes. Res igitur in eo hærebat, vt constaret, quis esset verus Dei populus. Iudæi.n. hunc metiebantur ex carnali prosapia, vt qui de semine Abraham essent, in numero populi Dei quoque censerẽtur. Sed falli eos docet Apostolus, quia populi Dei vera descriptio cõstet morũ & fidei Abrahæ imitatiõe, ad quã perueniũt soli electi, libera Dei volũtate. Quo posito

magna pars Iudaici populi corruit, vt persistant soli electi tā ex Iudæis, quàm ex Gētibus. Hinc manifestum etiam fit, cur Iudæi Christo repugnent, ratio est, quia de numero electorum non sunt, cur autem non omnes sint electi, vetat vlterius, quàm ad Dei liberum voluntatem procedere. Similiter de vocatione Gentiū agit, causas enim illius in sola Dei misericordia reponit: nihil enim in illis reperit dilectione dignum, quum electio præcesserit libera totum tempus existentiæ illorum. Itaque & horum reprobatio, & illorū electio ad vnam causam, scilicet Dei voluntatem reducuntur. Hæc sequentibus tribus capitibus explicantur. in summa loci duo sunt, prior de reiectione Iudæorum, posterior de vocatione Gentium: speciales verò loci alij interseruntur, qualis est de prædestinatione, de promissionibus, de iustitia diuina, de ira Dei, de impotentia hominis ad salutem & similes.

Partes. Quod præsens attinet caput, primo proponit, abiectionē populi sui se dolēter intueri, quod eò faciebat, ne videretur priuato odio, quicquam hîc in gentem suam acerbius scribere: deinde validis argumentis, hunc suum animi dolorem nobis confirmare instituit.

Tertiò negotium ingressus obiectionibus Iudæorum respondet, primùm non esse irritas promissiones Dei, si maximè Iudæi publicè Christum non recipiant: secundò non ideo etiam censendū esse iniustum, tertiò iustè quoque irasci illorum pertinaciæ, quāquā Deus, quos velit solùm vocet, hæ tres obiectiones ad disputationis cardinem spectant.

Quartò loco, Gentium vocationem incipit probare, Scripturæ testimoniis.

Quintò Iudæorum reiectionem ex Scriptura quoque approbat: in primis verò, quare illam externam iustitiam Israelis Deus non approbarit, cùm tamen hanc præceperit, & Iudæi in ea consectanda admodum studiosi fuerint.

Exordium planè ἠθικὸν est, nam declarat Apostoli candidum pectus, & ingenuos mores, ne quid hîc vel odio, vel inuidia scribi videatur, quod in hac causa maleuoli imprimis poterant calumniari: habet autem exordium duas partes, πρότασιν & κατασκευήν, quas ordine explicabimus.

PROPOSITIO.

Πρότασις. Secunda est propositio ex versu secundo, in quo iustitię suæ & doloris facit mentionē, potestque sic comprehendi. Apostolus magno dolore, populi sui Iudæi reiectionē animo suo contuetur, dolorem pluribus persequitur: sed reiectionis non facit apertam mētionem, quia inuidia non carebat ipsa appellatio: deinde doloris magnitudine adductus, rem efficientem dolorem non vult vel nominare, quod solent homines rebus aduersis facere, vt casus acerbos ne nominent quidē. Nec est contentus dicere, dolor est mihi: sed addit λύπη μεγάλη. Dicitur propriè λύπη præsentis mali ægritudo, ob quod contrahi & submitti iustum esse videtur, qua voce appositè hîc vtitur, quia rebellio Iudæorū nota erat, passimque fideles persequebātur, quæ res tristitiam magnā efficiebat apud Apostolum. Deinde repetita sententia, rem eandem dicit: ἀδιάλειπτος ὀδύνη enim, idem est, quod λύπη μεγάλη, nisi quòd posterior sit significantior. Ὀδύνη dolor est parturientium, qui solet indesinentes cruciatus efficere, quæ vox λύπην explicat: ἀδιάλειπτος verò, quomodo μεγάλην, scilicet duratione & periculo, parturientis enim dolor sępe diuturnus est, & cum periculo vitæ coniunctus. Tertiò addit affectuum istorum obiectum, *In corde meo*, quo ἦθος exprimit, quia alienos casus non securus, nec cum gaudio intuetur. Hactenus verba propositionis quæ nos docent.

Primùm, quanta vigilantia minister Christi debeat cursum Euangelij spectare & expendere. Sonat illius quidem doctrina passim omnibus, idque ex mādato Christi, Ite, docete omnes Gentes. Et Marc. 16. Prædicate Euangeliū omni creaturæ. Et Apostolus scribit, Deus vult omnes peruenire ad cognitionem veritatis. Interea dum omnibus proponitur eadem doctrina, euentus non respondet, alij tardius credunt, alij planè indurati manent: quidam peiores redduntur & exasperantur, hæc dum videt minister, debet cogitationes altius subleuare, exemplo Apostoli, & expendere harum rerum causas. (1. Tim. 2. 4)

Deinde decet pium ministrum, istis casibus reproborum ingemiscere, & condolere etiam impijs, quos iusta Dei ira persequitur, tamen condolendum est, vel ratione humanitatis & massæ communis, de qua omnes prodimus pariter corrupti. Sed ad confirmationem procedamus.

Confirmatio propositionis.

Quòd dolenter inspiciat populi sui reiectionem, non temerè dixit: voluit enim ab odio & inuidia quàm alienissimus esse, contrà verò animi sui pietatem omnibus quàm testatissimam esse, ideo firmissimis rationibus dolorem hunc probat. Ac vtitur artificioso ordine in collocatione argumentorum, robusta in prima acie collocat, more periti ducis, reliqua postea per cōglobationē subiicit, in medio locat ipsam propositionē, quasi cōmunem

munem scopum & signum, quò omnia tendant. Primùm argumentum à testimonio ducitur, & quia testes in re graui graues adhiberi debent, ideo grauissimos adducit apud fideles, eósque numero tres, qui numerus quoque sanctis est sacer: nec contentus istis, iuramentum etiam adhibet. 1. Argumentum

Testes doloris sunt, primùm Christus, in quo nollet fallere Apostolus, cùm pro illo etiam mori paratus sit: alter est propria conscientia, quam non potest fallere, quum oculatissima sit & mille testium loco: tertius testis Spiritus sanctus, qui non permittit fallere, quum sit Spiritus veritatis. Itaque dolenter intuetur populi sui reiectionem.

Altera ratio est, quòd iuramento adhibito id dicit: pij apud pios iniurati fidem merentur, multò igitur magis iurati. Cur verò adhibeat formulam iurandi, ratio est, quòd obtrectatores Pauli totam illius doctrinam traducebant, præsertim verò, quicquid de Iudæorum reiectione scripturus est, in odium & calumnias vertebant: his calumniis, ne pij crederent, opus erat grauiori asseueratione. *Veritatem dico in Christo, non mentior*, conduplicatio est contrariorum: idem enim est non mentiri, & verum dicere. 2. Argu.

Tertia ratio est, quia cupit *ipse pro Iudæis suis esse* anathema à Christo, hoc est ad tempus alienus à Christo, vt suæ genti interim daretur locus in Christo, ipse quoque tandem saluandus. Aut anathema à Christo, hoc est, in æternum damnatus, si fieri posset, vt vnius animæ iactura, multorum millium salus redimeretur: qui sensus maiorem euidentiam affert argumento, solet enim affectus amanter loquentium, interdum ad impossibilia procedere. Nam per se, nec possibile erat, vt Apostolus sua perditione redimeret Iudæos incredulos, & impium fuisset, hoc etiam sentire, quum meritum Christi solius sit propitiatorium, nec licebat hoc Apostolo, se offerre sacrificium piaculare pro aliorum salute. Sed considerandus est Apostoli affectus ardenter loquentis, & optantis etiam impossibilia desiderio honesto. Potest autem intelligi oratio in perfecta, quasi dicat, optarim hoc si mihi liceat salua pietate, facerem etiam pro Christi gloria, cui non deesset ratio, me restituendi ex anathemate isto. 3. Argu. Pauli affectus pro suorū salute.

Quarta ratio, quia *Fratres sunt & cognati secundum carnem*, quorum casus & interitus, mihi debet meritò dolorem conciliare. Superiora firma fuere, hoc vltimo subiectum probabile est, verum tamen, quia cum veris coniungitur: frater sum, igitur dolenter inspicio illorum & fratrum reiectionem, rectè sequitur. 4. Argu.

Quinta ratio à prærogatiua illorum, qua in aliis nationibus fuerint diuinitus ornati: faciebat autem tantarum rerum prærogatiua ad id, vt veniente Christo promisso, facilius crederent: quæ res cùm frustra sit, meritò illis condolet, quasi dicat, suas miserias non intelligunt, nec vident illam prærogatiuam eximiarum rerum frustra iactari sine Christo, quem data opera respuunt.

Est in hoc argumento, primùm ἔκθεσις superioris quarti argumenti: ostendit enim, qui sint hîc intelligendi nomine fratrum, Israelitæ scilicet, hoc est, Iudæi adhuc increduli, alioquin Apostolus fratres vocat sanctos & fideles, de quibus hoc loco non est sermo. Deinde obseruanda est liberalis illa cōcessio maximarum rerum, de quibus meritò gloriari poterant. Similem ferè habuimus suprà cap. 2. vers. 17. 18. 19. 20.

Israelitarum nomen speciosum erat, propter Iacobi luctam, in qua superior fuerat, & ad Angelo hoc, quasi trophæum reportauerat. 2. Adoptio est, quia neglectis mortalibus, soli asciti erant in populum Dei, adeóque filiorum loco erant apud Deum, reliqui, vt seruitia. 3. Gloria erat veri boni, quum alij gloriam quærerent in caducis extra Deum. 4. Διαθῆκαι fœdera sunt cum Deo, vt Abrahami, Isaaci, Iacobi: singulis enim repetita sunt, & de nouo confirmata. 5. Νομοθεσία Mosis intelligatur, nam prioribus quidem leges datæ sunt, paucæ tamen: sub Mose plena tandem Reip. forma est instituta, probatis legibus de toto religionis cultu. 6. λατρεία cultus veri Dei, reliquæ enim gentes idololatriam habebant, & humanitùs repertam religionem, quæ Deo displicebat. 7. Promissiones de Christo, & redemptione populi sui, & per consequens externæ etiam promissiones illarum appendices, vt de terræ Chanaan possessione. 8. Patres veræ Ecclesiæ, & veræ posteritatis filiorum Dei. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, ex Iudæis scilicet, quorum sortem nunc deplorat. Vltima grauissima est prærogatiua. Messias ex illis nasci debuit, idque iam adeò impletum est: dolēdum igitur eos tanta bona præsentia contemnere. Tertio in hoc argumento consideretur quoque laus Christi, quem illi respuunt. *Qui est*, inquit, *supra omnia Deus laudandus, vel benedictus in secula, Amen.* Hoc Iudæi negabant, ideóque reiectos à Christo dicit, & de illorum reiectionis causa disserit, ideóque confessionem breuem addit diuinitatis Christi apud fideles, vt constet, quis sit Christus, quem illi respuebant. Porrò Christus Deus dicitur, non communicatione solùm nominis, quemadmodum homines interdum, vt, Dixi, vos dij estis & Gen. 32. 28 Testimonium diuinitatis Christi.

Psal. 82. 6. Ioan. 10. 34 filij altissimi: iam illi ad tempus hanc denominationem retinent deorum, vt dum in magistratu sunt, aut simili aliqua ratione Dei vices in terris gerunt, non autem in æternum sic dicuntur: Christus autem Deus in æternum est. Deinde hîc dicit de Christo, non quòd dicatur Deus, sed quòd sit Deus, quod ad naturam diuinam pertinet: quia.n. in persona Christi duæ sunt naturæ vnitæ, humana & diuina, totus Christus Deus dicitur & est quia præstantior in eo natura est diuina, vel est Deus: vt homo dicitur rationalis à præstantiori parte, nec deletur interim humana in Christo natura.

Præoccupatio obiectionum.

6. *Non autem id dico, quòd exciderit sermo Dei: non enim omnes, qui sunt in Israele sunt Israel:*

Ad obiectiones responsio. 1. Obiectio. Sequuntur tres occupationes ordine, quibus respondendum est: nam Iudæi, quum audiunt Apostoli querelas & deplorationem sortis, quod scil. Iudæi reiecti sunt à Christo iam exhibito, primùm illis etiam, qui minimè mali erant, occurrebat grauis illa cogitatio. Video quidem Christum esse exhibitum, & gentem nostram Iudaicam illũ non recipere, imò oppugnare modis omnibus, quomodo ergo implebitur promissio Dei? quum nobis in genere sit promissus: aut igitur ad omnes pertinebit, aut certè promissio erit irrita. Huic obiectioni hîc occurrit.

Quæstio obiectionis est, an inanis sit promissio Dei, qui obiectionem mouent, dicũt inanem esse: ratio illorum est, quia Iudæi publicè Christum repudiant, Ergo inanis est promissio.

Apostolus respondet, hoc ne inde sequi, sed simul vera esse & Iudæos reiectos à Deo, & veras esse illius promissiones. λόγος Dei hîc est promissio de redemptione in Messia populi sui, is dicitur excidisse si non impleretur: excidunt enim, quæ vel temerè dicuntur sine considerata ratione, vel non perueniunt ad destinatum finem, à quo excidunt, dum eo frustrãtur. Propositio igitur est vera Apostoli, Promissio Dei non est inanis & irrita facta, Iudæorum reiectione. Confirmatio sumitur à distinctione, quia non statim verus est Israelita, qui ab Israele natus est carnali propagatione.

Versu septimo, Confirmationis ratio ponitur, quæ sumitur ab exemplo Abrahæ, is quidem promissionem accepit à Deo, non tamen ad totam pertinuit posteritatem, quia Ismael reiectus fuit: Isaac verò solus verus mansit promissionũ hæres. Versu octauo additur rationis explicatio, aliud est carnalis posteritas & propagatio, ad quam solam non pertinuit promissio: aliud est propagatio promissionis, quæ sola firma est in electis, qui Spiritum & fidem Abrahæ sequuntur. Locum de Isaaco probat ex Gen. 21. & 18.

10. *Non solum autem sed & Rebecca.*

Promissiones Abrahæ factas non pertinuisse solùm ad carnalem posteritaté. Altera probatio, quòd non pertineat ad nudam carnalem propagationem promissio, quia Rebecca geminos concipiens, audiuit vnum electum esse, alterũ reprobatum. Nec in eo exemplo locum habet respectus aliquis operum, nam in vtero facta est illa electio: itaque propositum electionis vnum acceptauit, alterum repudiauit, vide Gen. 25. Ac nudæ Dei voluntatis esse hoc ius, quæ tamen abditas suorum consiliorum habet rationes firmissimas, probat ex Malach. 2. Iacob dilexi, Esau verò odio habui, illa πρόθεσις est κατὰ ἐκλογὴν quia Iacobum voluit frugi hominem esse & vas electionis: Esau verò reliquit in materiæ suæ naturali malitia: quæ verò sit huius voluntatis causa mouens, difficile est explicare. Reprobationis Esau, certum est causam in naturæ corruptione latêre, in qua Deus nihil reperit amore dignũ: itaque si reliquit qualẽ reperit, non mirum est. Contrà in Iacobo nihil tale proferre possumus, nã & is nihil habuit in vtero, ob quod præferretur fratri, ideóque gratiæ id debetur & misericordiæ diuinæ, ex paribus & pariter corruptis vnum sibi adoptantis: ac reprobationis causa est malitia naturæ nostræ, electionis verò sola Dei gratia. Hæc breuissima via est, in hac materia per se obscura & lubrica interpretum variatione, sed in locis diligentius rem persequemur.

14. *Quid ergo dicemus?* &c.

2. Obiectio. Altera obiectio. Quia ex pariter corruptis vnus eligitur, vt sit electus & frugi, alter relinquitur in naturæ suæ malitia, Deus iniustus erit, vt qui paribus non reddat paria, vterque vel relinquendus erat, vel vtrique concedenda erat gratia.

Respondet huic obiectioni inficiatione primùm, μὴ γένοιτο, absit, hoc est, falsa est illa consequentia: nam Deus non soluit ex debito, sed ex gratia Iacobo. Si enim debitum soluerет, tum paria paribus deberet, verùm quum gratia sit quicquid Iacobo præstat, & misericordia nuda, nulla hinc Esauo fit iniuria, quum suæ malitię relinquatur: poterat enim & Iacobum relinquere, nec haberet, de quo conqueri posset. Iniustus igitur non est Deus eligens ex pariter damnatis alterum ad vitam æternam, alterum deserens in naturæ malitia.

15. *Nam*

15. *Nam Mosi dicit, miserebor cuius miserebor.*

Altera ratio, quod Deus non sit iniustus sua libera electione, quia Deus est agens liberrimum. Locus est Exo.33.vers.13. Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Itaque Deus non debet, nec potest in ordinem redigi, vt nobis miseris mortalibus consiliorum suorum cogatur rationes reddere: ac certum est consiliorum esse certas apud ipsum rationes, quæ nobis incertæ esse possunt, iniustæ autem minimè esse possunt.

16. *Itaque non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

Illatio vnius membri, quòd scil. respectu electorum, vel in eligendis bonis causæ non pendeant in nobis, vel nostris meritis, sed sint extra nos quærendæ, in diuina misericordia & gratia. Boni igitur non eliguntur respectu alicuius dignitatis, vel rei quę amore digna haberi possit.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam.*

Respondet ad alteram partem propositi, hoc est, ad reiectos, quorum respectu Deus quoque iniustus esse non potest. Exemplum producit ex cap.9. Exod.v.16. Ideo posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, vt narretur nomen meum in omni terra, quo ostēdit Dei authoritate, Deum, Pharaonem ad nominis sui gloriam reiecisse, nec relinquit hîc aliquem locum scrupulositati humanæ.

18. *Itaque cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Conclusio generalis ad secundam obiectionem, Deum liberè agere in eligendis bonis, & reprobandis malis: Deus absolutè liberè agit, ergo iustè omnia agit, Iacobum elegit, Pharaonem & Esau reiecit, ergo iustissimè vtrumque egit. De voluntate constat, quia effectus iam declarat eam: de causa verò voluntatis non satis, cur scilicet, Deus ita magis voluerit quàm aliter agere. Et quanquam abdita sit, esse tamen firmissimam causam certum est, & eam quoque iustissimam esse oportet, quia Deus ipsa est iustitia. Quod si dicendum sit id, quod videtur aptissimum, electionis causa est gratia quæ cum voluntate concurrit, reprobationis autem nostræ naturæ malitia, quam Dei voluntas abominatur, in illis declarans misericordiæ opes, in his verò iræ iustæ thesauros. Electionis causa. Reprobationis causa.

DEVS RECTE IRASCITVR PECCATO, QVANuis peccatores quosdam prætereat, & gratiam illis non largiatur: deinde vocationem Gentium ex Prophetis approbat, similiter & reprobationem Iudæorum demum causam mediam, tam electionis quam reprobationis aperit.

19. *Dicis ergo mihi, quid adhuc irascitur Deus peccato? nam voluntati eius, quis potest resistere?*

Tertia illa est obiectio, cui in præsentia respondet: nam cùm audiunt Deum absoluta voluntate prædestinare illos ad salutē, alios verò ad interitum, mox ratio humana quærit immunitatis defensionem: si enim mera voluntate reprobat, non debet postea irasci peccatori, qui talis manet Dei voluntate: sed quæstioni præscindit ansas, non decere vltra voluntatem Dei progredi, sed in illa acquiescere. Hinc testimonia adhibet ex Prophetis de vocatione Gentium, & reprobatione Iudæorum loquentia ex Hosea & Esaia. Demum media declarat, per quæ illa æterna Dei prædestinatio tandem euentu declaratur, scilicet fidem & bona opera fidei: & contra reprobationis æternæ media, per quæ declaratur, scilicet contemptus Christi, offendiculum in illius humilitate, confidentia in propria merita, & operum legalium hypocrisis, de his igitur audiamus Apostolum disserentem.

Dices ergo mihi, quid adhuc irascitur?

Propositio est tertiæ obiectionis, Deus iniquè irascitur peccatori, quia, vt ex superioribus constat, Deus quem vult indurat, & cuius vult miseretur. Cùm igitur nuda Dei voluntate ista constent, etiam priusquam nascantur, tam boni, quàm mali, non debet irasci his, qui illius nuda voluntate tales manent. Illud est μέμφεται, hoc est, irasci peccato & peccatorem ob id damnare, quemadmodum Sodomitæ damnati sunt propter peccata, mundus illuuie periit, Iudas & Cain, ac similes damnantur ob peccata: scilicet scortatores, ebrij, adulteri, vsurarij, non habent partem in regno Dei, & tamen secūdum doctrinam Apostoli, tales sunt Dei reprobatione, quæ nititur æterna & immobili illius voluntate. Tertia obiectio.

Voluntati enim illius quis restitit?

Propositionis est confirmatio, à firmitate diuinæ voluntatis, quæ immobilis est, & flecti non potest: itaque alij esse non possunt quàm quales immobilis illa volūtas decreuit. Similis est Stoicorum excusatio, reiicientium culpam peccatorum in fatum quoddā im-

mutabile. Hæc est illa curiositas naturæ malæ, quæ quærit corruptionis suæ aliquem prætextum & excusationem.

Simul optime ista constare, Dei voluntatem causam esse electionis & reprobationis & tamen Deum iuste irasci peccato.

20. *Imò verò ò homo tu quis es, qui ex aduerso,* &c.

Responsio ad obiectionem superiorem, qua ostendit Dei voluntatem quidem esse causam infallibilem electionis & reprobationis: sed non ob id sequi, quòd Deus non debeat irasci peccatoribus. Itaque meminerimus vtrunque simul iustissimè consistere, & Dei immobilem voluntatem, eligendo & reprobando, & iustissimè simul irasci peccato, ipsósque peccatores reiectos tandem iustissimè damnari. Nec affert Apostolus rationes, quomodo hoc faciat, vt & simul Deus reprobet, & reprobatos iustè dãnet: sed in hoc incũbit, vt me ab illius inquisitione scrupulosa reuocet, primùm quia hoc absurdum est, vt homo Deum vocet ad reddendas rationes suorum consiliorum & factorum: itaque piorum est abstinere à tali inquisitione. Addita est ἔκθεσις à cõparatis, *Num dicet figmentũ fictori, cur me taliter fecisti.* πλάσμα nos sumus, quod Deus cõditor suo arbitrio finxit: & vt figmento non conceditur querela aduersus figulũ, ita homini aduersus Deum. Sed scire debemus voluntati huic subesse iustissimas causas, quas licet nec assequamur, nec Deus teneatur illas nobis explicare, tamen esse certissimum est: non enim tyrannica est.

1. Ratio.

21. *Aut non habet potestatem figulus?*

2. Ratio. Altera ratio, qua nos reuocat ab inquisitione, Nititur hæc absoluto iure, quasi dicat, simpliciter Deo licuit ab æterno quosdam prædestinare ad salutem, alios præterire & reprobare. Absoluta est defensio iuris diuini, non igitur debemus in id curiosè inquirere. Argumentum explicatur per simile. Figulus in lutum absoluta vtitur potestate, vt ex eadem massa aliud vas faciat ad honorem, vt poculum vel vrceum, quæ in mensa ad honorem adstent: aliud ad ignominiam, vt matulam, quæ sub lecto & in angulo in tenebris solum expectat, vt excipiat sordes, nec interim vel matula conqueri potest, quòd non sit facta potius vrceus: sic Deus absoluto iure & plena potestate agit in massa humani generis, adeò vt nulli liceat conqueri. Et vt voluntas figuli massam antecedit, & vasa inde facienda: sic Dei æterna voluntas erat, antequam massa hominis vlla extaret in natura rerum. Similitudo vim habet argumenti, quia desumpta est ex Prophetis, vt ex Esaia cap. 45. vers. 9. Væ qui contradicit fictori suo, nunquid dicet lutum figulo suo, quid facis & opus tuum absque manibus est? Ierem. 18. v. 6. vt lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. Sap. 15. vers. 7. & 8.

22. *Si verò Deus volens declarare iram, & notam facere potentiam.*

3. Ratio. Tertia ratio à causis finalibus, nam ostendit tam electionem, quàm reprobationem ad Dei gloriam facere: in reprobatis enim declaratur ira Dei & potentia, quæ cum summa iustitia est coniuncta, in electis verò declaratur Dei misericordia, quæ non potest non esse iustissima. Atque illi fines sunt vltimi, ira, quia iustè irascitur peccatis & potentia, quia fortiter deprimit omnes suos aduersarios: sed priusquam hoc faciat, prius fert leniter vasa iræ, hoc est, impios iam declaratos vita & moribus tales, qui destinati tamen sunt ab æterno ad interitũ, quia massa per se corrupta est, & malitia per se meretur perniciem: itaque illis non facit iniuriam, relinquendo tales quales reperit. Sic contrà vasa misericordiæ sunt, quæ ad misericordiam, & per misericordiam adoptata sunt, & habilia facta, vt caperent Dei dona. Interim sunt alij fines medij electionis, vt vitæ sanctitas, Ephe 1. v. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram ipso.

24. *Quos etiam vocauit nos, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus.*

Probauit hactenus contra tertiam obiectionem, Dei decretum non debere culpari, nec inquirendum in abditas illius rationes. Nunc exemplum proponit de Iudæis & Gẽtibus, vt scilicet probet beneficia Christi Messiæ ad vtrosque pertinere, idque effici mera Dei libera electione: habet autem ἔκθεσιν superioris metaphoræ, quid scilicet sint vasa misericordiæ, sunt homines electi, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus. Propositio igitur hîc constituatur, Promissiones de Messia etiam ad Gentes pertinent, quemadmodũ non ad omnes Iudæos referri debent. Ac primùm hoc effici poterat ab effectis, quæ manifestum dant argumentum à posteriori, Simul cum Iudæis paucis multi Ethnici inuocant Christi nomen: ergo ad salutem simul cum illis sunt diuinitùs prædestinati in Christo: tamen Apostolus maluit locum hunc Scripturæ testimoniis tractare, ne quid inuidiosè hîc agere videatur, ideóque subiicit mox propositioni confirmationem à pronunciatis. Ac primùm ex Hosea profert locum ex cap. 2. v. 23. Miserebor eius, quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu, hoc est, Gentium miserebor, & efficiam ex eis populum electum cũ Iudæis. Et ex eodẽ Hosea cap. 1. adducit v. 10. Et erit in loco, vbi dicetur eis, nõ populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuẽtis.

Propositio huius loci.
1. Ab effectis.
2. A testimonio Oseæ.

De

De reprobatione Iudæorum autem affert locum ex Esa.cap.10.v.22.& 23.Si fuerit populus Israel,quasi arena maris,reliquiæ saluabuntur: consummationem enim & abbreuiationem faciet Dominus Deus exercituum in terra.Quo significat copiosum quidem fore populum externum Iudæorum tempore Christi exhibiti, attamen ex illis paucos quosdam saluandos:arena enim copiosa est,sed sterilis,tale quid passus est ille externus populus Israelis. Et ratio est,quia Deus concisionem iustam inducit, & hypocritas ab electis segregat: pauci igitur ex illis electi sunt. De eadem paucitate idem Esaias loquitur cap.1.vers.9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus,& Gomorræ assimilati essemus, hoc est,diuina bonitate ex tanto populo pauci aliqui conseruati sunt,non hypocritæ, significans in eo populo semper regnasse magnam hypocrisin,sub qua latuerunt insignia flagitia, quod Christus illis quoque sæpe obiecit, vt Mat.6.7.15.23.hîc 6.12.13. Et Ieremias in Trenis cap.4 Peccatis Sodomorũ æquat Iudæorum scelera.Idem Ezech.19.Amos 4,& Christus Matth.10. Tolerabilius fore Sodomitis ait,quàm rebellibus Iudæis.Ac quod non omnes tales sint,Dei gratia est, vnde ait, Nisi Deus nobis reliquisset semen.

Dicitur *Dominus Zebaoth*,hoc est,exercituum,quia illi omnia militant in cœlo & terra,elementa,illi subseruiunt Angeli,sydera,homines,& quicquid natura rerum continet Deo & summo imperatori obtemperat.Hic est idem ille imperator,electionis & reprobationis moderator ad suam gloriam.

30. *Quid igitur dicemus? Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam,*

Epilogus loci de prædestinatione sanctorum & reprobatione damnatorum: ostendit autem per quas causas medias illa æterna Dei electio tãdem manifestetur in sanctis, scilicet per fidem, ad quam ordinariis mediis suo tempore vocantur,& quemadmodũ gratis electi sunt,sic eadem gratia vocantur.Idem declarat ex præsenti causa:quia.n.Ethnici multi conuertebantur ad Christum,cui solida fide adhærebant,concludit ex eo,illos esse de numero prædestinatorum. Et contrà Iudæi pertinaciter Christum respuunt, ergo sunt de numero reprobatorum ab æterno. Hoc modo fides & infidelitas causæ mediæ sunt, per quas declaratur illa suprema & prædestinatio & reprobatio. Id totum initio proponit interrogatio,quid igitur dicemus? quasi dicat,quomodo iudicabimus de prędestinatione æterna & reprobatione? Res difficilis est & abdita in Dei thesauris, quo ratio humana non potest penetrare:iudicandum tamen est aliquo modo de his rebus, scilicet à posterioribus, vt qui vocantur ad veram Christi cognitionem iudicentur de electorum numero, qui eandem pertinaciter oppugnant, de numero reproborum. Prioris exemplum esse possunt Gentes,quæ sine meritis erant simpliciter impij, quod dixit iustitiam non sequebantur,hoc est non solùm illa naturaliter carebant,sed ne quidem curabant assequi,illud enim est μὴ διώκειν. Ac iustitiam intelligamus non Mosaicam solùm à Deo præceptam,sed naturæ insitam,quæ quamuis iuberetur à naturæ principiis, tamen illam contemnebant. Duo autem vitia,sunt,prius iustitia naturaliter destitui, posterius, illius adipiscendæ nullo teneri affectu.Hæc Ethnicorum opera erant præparatoria, & in hoc tamen statu apprehenderunt iustitiam,quasi dicat,nullo suo vel merito, vel etiã proposito,vt quod ipsos concernit planè casu eis obuenerit, aut certè diuina quadam sorte, id enim est καταλαβεῖν, aliud agendo in aliud incidere, vt qui carbones fodit, incidat in thesaurum. Gratuita igitur est vocatio Gentium. Iustitiam autem distinguit:alia est operum ciuilium & legalis,qua & ipsa caruerunt;inciderunt autem non in illam primitùs,sed in aliam quandam,quæ dicitur fidei vel ex fide,quia fides præcedit,ex qua demum boni formantur mores & opera dilectionis, in hanc inciderunt vocati ad Christi agnitionem.

Conclusio nis argu.

A posterioribus faciendum esse iudicium.

31. *Israel autem qui sectabatur.*

A contrario declarat mediam causam reprobationis,idque exemplo Iudæorum proposito,qui legem iustitiæ Mosaicæ sequebantur:sed ad finem illius non peruenere, h.e.à Christo exciderunt,qui finis est legis.

32. *Quare? quia non ex fide.*

Rationem reddit reprobationis,non enim se habet,vt electio:nam in sanctorum prædestinatione ad salutem, causa sola hæret à Dei gratia eligentis ex corrupta massa quosdam ad salutem:In reprobatione autem malorum causa est quærenda in massæ peruersitate.Itaque Apostolus hic ait,quia Iudæi reprobi noluerunt in Christum credere,sed omnia opera sua hypocriticè præstiterunt,ad ostentationem,nulla fide adhibita, meritis enim suis nitebantur. Altera ratio est, quia in lapidem offensionis impegerunt, hoc est, Christi humilitate offensi sunt:hæc ratio iterum nos ad abdita Dei consilia reuocat, vt prior à posterioribus ducta est.Qui enim palàm Christo repugnant non mirùm est, si ad

Reprobationem nõ se habere vt electio.
2.Ratio.
3.Ratio.

iustitiam non perueniant: sed cur Iudæi impingunt in Christum lapidem offensionis? ratio non est, nisi quòd Deus illos sua gratia præterit.

Quòd autem hoc fieri debuerit Dei consilio probat vltimo versu, Ecce pono in Sion lapidē offendiculi & petram offensionis, & quisquis crediderit in eum, non pudefiet. Locus est, Esa. 8. v. 14. Simile est, quod scribitur eiusdem capite 28. vers. 16. Et Psal. 117. v. 21. Lapidem quem reprobarunt ædificantes factus est in caput anguli. à Domino id factum est, & est mirabile in oculis nostris. Christus dicitur lapis offensionis, quia in eius humilitate offenditur mundus, quem in sensum citatur 1. Pet. 2. v. 7. & 8. Luc. 2, ver. 34. à Simeone sic citantur illa Christi epitheta.

1. Qualis Christus sit impiis. 2. Qualis sit fidelib.

Porrò duo hîc consideranda sunt, prius, qualis sit Christus impiis, πρόσκομμα & σκάνδαλον, quia Iudæi dignitatem in Messia quærunt: Gentes verò sapientiā, vtrinque impingunt: illi enim pauperem vident Christum, hæ autem stultam prædicationem crucis. Posterius verò qualis sit Christus in se credentibus, illis petra est, adeò, vt nō pudefiant. Illi pudefiunt, quia corruunt, hi non, quia subsistunt in Christo. Bene concludit hac clausula, Iudæos & Gentes pariter excitando, vt Christo fidant intermissa curiosa illa inquisitione secretorum Dei, de æterna prædestinatione, quinam electi ab æterno sint, & qui reprobati, quæue sit voluntatis huius impellens vel efficiens causa. Satis est piis à posterioribus tales vtcunque cognoscere, pręcæterà dabunt operam, vt re ipsa declarent sanctimonia vitæ, se de electorum numero esse, déque vocatione sua se minimè dubitare, &c.



CAPVT X.

EADEM QVÆSTIO MANET, SCILICET IVdæos meritò reiectos esse, subrogatis Gentibus, Res à posterioribus probatur, quia suam iustitiam stabilire volunt, Dei neglecta, quam rem ἠθικῶς accedit.

Argum. cap. 10.



DE reiectione Iudæorum cœpit agere, in qua adhuc persistit quæstione: eam tamen alio genere probationis tractat. Nam cap. 9. probauit illorum reiectionem à priore, hoc est attulit veram & supremam illius causam, quæ est volūtas Dei æterna & immobilis, quia sic prædestinauit Deus, ne electio carnali prosapiæ applicaretur, sed libera esset. Hinc enim factum est, vt Ismael negligeretur, electo Isaaco, & eadem factum est, vt Iacob amaretur præterito Esau. Et quia voluntas Dei suprema est causa dispensans & ordinans singula ad fines suos, ideo voluit voluntatem hanc in ius vocari à nobis: sunt enim eidem coniunctæ iustissimæ causæ, quas licet non semper possimus explicare, vel etiam apprehenderè, non tamen ideo sequitur nullas esse. Atque hæc demonstratio est à priori, quia resoluit ad primam & supremam infallibilem causam. Nunc idem argumentum demonstrat à posteriore, nam affert effectum, ex quo declarat causam: quia enim illi suam iustitiam stabilire volunt & Dei iustitiam in Christo oblatā respuunt, firmissima est demonstratio eos meritò reiici. Ac habet se conatus iste præposterus, ad reiectionem vtrinque, vt effectus, & vt causa: si enim ordinem prædestinationis consideres, quà à suprema causa per medias causas ad hoc deuenitur, effectus est reiectionis. Sin ordinem cognitionis nostræ respicias, non malè causa haberi potest, quia enim videmus illos contemnere Christum, & conari suam stabilire iustitiam, hanc ipsam pronunciamus causam proximam, cur Deus id faciat: non enim eadē est ratio electionis & reprobationis, nam illius mera causa est misericordia Dei, quæ vt extra nos est ita nihil reperit in nobis amore dignum. Reprobatio autem causam in nobis habet non in Deo, vt non sit opus nouas causas odij & iræ comminisci extra nos cùm corruptio naturæ sufficiens sit, & erumpens malitia prouocatam iram confirmet.

Propositio est specialis huius capitis, Apostolus Paulus dolenter inspicit etiam populi sui præposterum studium affectandi iustitiam. Proposi-tio.

In hac propositione duo sunt membra, prius de affectu Apostoli erga suam gentem quòd scilicet dolenter inspiciat, quod facit ad amoliendum omnem suspicionem sinistram odij vel inuidiæ. Posterius membrum causam habet iustæ reiectionis, quia enim sua opera ornare volunt Christo neglecto, meritò colligimus reiectos esse. Partes propositionis.

Porrò in tractatione huius capitis alia etiam latet partitio, quæ ab ipsa materia sumenda est. Sunt.n. illa quinq; hîc ordine explicata, primùm ciuile exhordium continens pij affectus argumenta. II. quæ sit causa reiectionis, præpostera scil. affectatio iustitiæ, III. ἔκθεσις vnius speciei, humanæ scilicet iustitiæ & diuinæ. IIII. quis sit ordo vocationis, quia enim ad iustitiam fidei non casu peruenimus, nec fortuito euentu, sed diuina quadam virgula & sorte, ostendit quo ordine Deus vtatur, vt plurimum, non quod aliter non possit, sed quòd sic illi placeat ad ministerij conseruationem in Ecclesia facere. V. & vltimò redit ad principalem scopum, scilicet de gentis suæ reiectione, & Gentium substitutione, quorum vtrumque oraculis Scripturæ confirmat. Nos priora tria in præsentia complexi sumus, de quibus sic agendum. Partitio huius capitis.

1. *Fratres, propẽsa quidẽ est volũtas cordis mei, & deprecatio ad Deum, pro Israele ad salutem.*

Exordium est planè ἠθικὸν, quod institutũ est ad conciliandos sibi Iudæorũ animos, éstque admodum argumentosum: nam habet multa boni affectus indicia, vt nemo possit iustis causis obiicere, quicquam hîc odio vel inuidia ab ipso disputari. Itaque hîc expendenda sunt argumẽta, quę priorem partem propositionis confirment, scilicet dolenter ab Apostolo hæc in suis Iudæis considerari. Primùm quia fratres adhuc agnoscit: requirit autem fraternus affectus candorem & ingenuitatem, quam nõ possumus Apostolo negare: Est quidem fratrum quoque gratia rara, sed illi seriò fratres non sunt. Apostolus hic non solùm carnali copula frater est, sed affectu etiam & religionis communione. Similem affectũ habuimus supra. 9. cap. vbi anathema cupiebat esse pro fratribus. Deinde loquitur de tota illa gente, in qua multi erant fideles, alij etiam adhuc infirmi, qui in dies erant conuertendi & confirmandi, verè igitur fratres vocat respectu melioris partis. Ciuile exordiũ.

Secundò quia propensa est illius animi voluntas erga eos, εὐδοκίαν vocat, non simpliciter beneplacitum, sed cum condolendi affectu coniunctum, quod fieri solet, quum alios errare perniciosè videmus, nõ tamen affectata malitia, approbamus quidem zelum, malemus tamen meliore fine, aut iustioribus mediis incedere. Nam quod illorum errores simpliciter non probet, satis ostendunt sequentia. Quemadmodum igitur Christus Marci 10. v. 21. dicitur dilexisse illum qui dicebat, Magister hæc omnia seruaui à iuuentute mea, quum tamen satis constaret neminem legi satisfecisse ante Christum & post illum etiam, ita hîc Apostolus εὐδοκίαν habet in Iudæorum præpostoro zelo: eorumq; affectum probat, sed non probat finem, & quòd hoc modo procedunt. 2.

Tertiò, quia pro illis orat, *Et deprecatio mea apud Deum*, δέησις malorũ deprecatio, vt quòd Apostolus orat Dominum, vt illa Iudęorum pertinacia in respuendo Christo deleatur, dentur illis meliores mentes, vt præsentem suum Mesiã agnoscant. Vera erat deprecatio, & firmum argumentum, quod nihil odio hîc ageretur, sed potiùs condoleret illorum vicem. 3.

Quartò à fine *ad salutem*, potest accipi tanquam communis finis, tam εὐδοκίας, quàm δεήσεως, vt sit sensus, non simpliciter approbo conatus vestros, sed mallem eos ad verum collimare scopum, quem vos negligitis, & vt id fiat, preces quoque ad Deũ fundo. Aut certè finis est orationis illius, nam aliter oramus contra hostes Ecclesiæ desperatos, quos vt è medio tollat, & deleat sæpe orãt electi: aliter oramus pro his quos æstimamus adhuc sanabiles. Magna est consolatio in his verbis, quia enim Apostolus orat pro eis ad salutem, sperare poterant, vtique nondum desperatum esse de omniũ salute & cõuersione. 4.

Quintò à testificatione zeli, *Testimonium enim illis exhibeo, quòd zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam.* Testimonium Apostoli videtur habere quãdam excusationem, quod facit, quòd mox per trãslationem rethoricam criminis, bonam partem transfert in inscitiam. Disce malis interdum exhiberi testimoniũ posse, sed faciendum hoc exemplo Apostoli, sine veritatis iactura. Deinde duplicem hîc habemus zelum: alius enim est bonus qui fine bono & legitimis fertur mediis, alius, malus qui seu fine aut mediis errat, de quod diximus suo loco, inter locos quære. 5.

Queri hîc solet, quomodo eos excuset, quũ certũ sit perniciosè & affectatè bona parte errasse. Deinde, si ita est, an illa bona intẽtio, de qua hîc loquitur Apostolus, non suffecerit. Ad primum respondemus, rectè & pietatis affectu eos excusari in genere, non in specie per singula indiuidua: respexit enim ad meliorem & sanabilem turbã apud Iudæos, Quomodo Iudæos excuset Paulus.

& hoc sensu indefinita propositio vera est ignoranter illos errasse zelo Dei, sed præpostero, quia maior pars ignorabat meliora, reliquam turbam affectatè errantem non excusat. Sic Petr. in Act. c. 3. v. 17. dici se scire, quod Iudæi ignoranter occiderint Christum, quum certum sit Scribas, Pharisæos, Pontifices, Iudam, aliosque non ignoranter hoc fecisse: verum tamen est, quod dicit Petrus respectu miseræ plebeculæ, quæ exemplo seniorum seducta errabat.

Non sufficere bonam intentionem.

Quod verò bonam intentionem attinet, hîc facilè probari potest, illam non sufficere, quid.n. Apostoli intercessio pro illis apud Deum? quid ille condolendi affectus? quid illa distinctio nõ secundum Deum esse? & mox quòd bona vt vt sit intentio: tamen abalienat eos à Dei iustitia, à Christo ipso, & vita æterna. Itaque nulla est illa bona intentio, quæ nos possit vel Deo conciliare, vel mouere ad alia bona conferendum.

3. *Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam stabilire volentes, iustitiæ Dei non subiecti sunt.*

Hactenus argumenta candidi affectus, nunc cur illa adducta sint profert, scilicet quia præpostero zelo affectant iustitiam. Est que illa altera pars propositionis, Apostolus dolenter inspicit Iudæorum suorum præposterum studium affectandi iustitiam. Ac potest hoc etiam trahi ad nouum argumentum iusti doloris, quia scilicet videt eos grauiter errare, iustus est igitur Apostoli dolor. Causam doloris diuisione probat, iustitia alia Dei est, alia hominum: Dei est iustitia, de qua suprà 3. cap. Quæ cœlitùs reuelatur iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes eos, qui credunt. Illam diximus esse imputatiuam, & est totum Dei condonantis nobis peccatum & pœnas: & quia extra nos est, & ei non cooperamur, propriè Dei dicitur, & est. Nostra verò iustitia alia est, quæ regenerationem antecedit, qualia sunt politica bona opera, alia quæ regenerationem subsequitur, quę nostra quidem dicitur, quia illi cooperamur, & in nobis est, Dei tamẽ quoque est, quia illius donum est, & illius Spiritu in nobis efficitur. De hac posteriore non loquitur quia illa cum Dei illa prima iustitia non pugnat, sed est illius effectus, & subalternatè sese ad illam habet, loquitur autem de illa, quæ est in hominibus nondum renatis. Nam huius est proprium, Dei iustitiam ignorare, Deinde opus semper habet stabilitione: est autem στῆσαι, nutantia & casum ac ruinam trahentia erigere, talis verè est omnis humana iustitia sine Deo. Passim infirma deprehenditur, & vt ruinosum ædificium vndique exigit stabilimenta, quia semper nutat. Tertiò ex antithesi euertit Dei iustitiam, nam quicquid in eius subsidium confertur, dei iustitiæ detrahitur. Quartò homines eximit subiectioni diuinæ, nam quum illius regulam sequuntur, Dei media præscripta negligunt. Periculosissimè igitur errabant Iudæi, & adhuc quicunque suam iustitiam stabilire volunt, quod considerent Iustitiarij. Nos cum Apostolo semper hoc studium fugiamus, & in hac consideratione dicamus coram Domino, comperiamur coram te Domine, non habentes nostram iustitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, id est, eam, quæ est ex te Domine Deus, per fidem

Qualis sit humana iustitia.

Philip. 3. ver. 9.

Atque hæc est illa causa grauissima, ob quam reiecti sunt à Deo iustissima de causa, quia contẽpto Dei consilio de redimendis hominibus, in Christo, suã per opera pergunt iustitiam exornare. Ratio verò huius est, quia Christus est finis legis, ad iustitiam omni credenti, hoc est, vna via & medium à Deo ordinatum perueniendi ad veram iustitiam est à Christo, quem dum illi repudiant, quis non videt sua malitia eos sese alienare à iustitia Dei? Porrò Christus dicitur finis legis, hoc est perfectio: τέλος enim consummationem & completionẽ significat, q. d. est completio legis. Hinc Christus, Non veni soluere legem, sed complere. complet eam quod omnibus mortalibus erat impossibile. Deinde finis dicitur illius, quia eum respexit per infinitas vmbras & ceremonias, quo sensu dixit idem ad Gal. Legem esse pædagogum ad Christum. Est etiam τέλος Christus legis, hoc est, tributum, quod legi debebamus. Nam cùm impletionem sui non obtineret apud nos condemnauit nos ad mortem æternam. Ab ac pensione liberauit nos Christus factus obnoxius morti. Hinc facti sumus ἀτελεῖς, hoc est, *Zollfry*, quia Christus pro nobis soluit, quæ res magnam habet consolationem. Sed obserua limitatam esse propositionem ad solos credentes, de quo numero Iudæi quum non essent, nihil habebant, quo sese excusarent: spem tamen habebant, si ad Christum sese conuerterent, futurum, vt bonorum illorum quoque redderentur participes.

Christus quo sensu dicatur finis legis. Mat. 5. 17. Galat. 3. 24.

5. *Moses enim describit iustitiam, quæ est ex lege, quòd qui fecerit illa homo, viuet in eis.*

Exposita est causa cur Iudæi meritò sint reiecti à Deo, scilicet quia illi Christum vnicum salutis organum repudiant. Nunc quia duplex est inducta iustitia, vna Dei altera hominum, iam tertio loco vtranque speciem explicat, vt constet, quomodo sese mutuò habeant.

De vtriusque speciei collatione.

Ac

Ac primùm de iustitia hominis agit, est autem idem hic iustitia legis, & iustitia hominis vel propria: nam oppositiuè consideratur, quatenus Dei, vel fidei iustitiæ opponitur. Itaq; illa proprium hoc habet, quòd requirat perfectam & integrã completionem alioquin iustitia rectè dici nõ potest, Deinde si quę particulæ in ea deprehenduntur iustę, non autem sit completa, vitam nõ dati: Itaque frustra est portio illa, nisi totum accesserit. Vides igitur vitam quidem promitti à lege, sed si tota obseruetur, Nec est cur vitam hic externam accipias, cùm de illa propriè non agat Moses, cùm in homicidio sæpe admitteretur dispensatio, licet à peccato non absolueretur. Deinde Deus bonam partem mundi sine lege Mosaica pertulit in erroribus: ita vitam intelligamus æternam, quam daret legis iustitia, si integra foret. Nunc quum vndiquaque nutet, vides quam frustra stabiliatur, locus est Deut. 18. Repetitur ab Eze. 20. v. 12. Et citatur infrà ad Gal 3. v. 12.

9. *At quæ ex fide est iustitia.*

Altera pars antitheseos de iustitia fidei, huius naturam depingit per prosopopeiam, & locum citat ex Deuter. 30. cuius verba, iustitiæ fidei tribuit, *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum*, hoc est, ne dubites de Christi in cœlis pro te intercesione apud Patrem, hoc est, *esset Christum inde detrahere*, & de capite salutis periclitari, sed firmiter crede illum mediatorem & intercessorem esse apud Patrem, hæc vox iustitiæ fidei est. Deinde eadem iustitia dicit, *Ne dicas, quis descendet in abyssum*, scilicet, vt illic viderit victam esse mortem æternam, & inferni potestatem expugnatam *: nam hoc esset Christi mortem irritam facere*, quod Apostolus dixit *Christum ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.* Atque hoc modo iustitia fidei duabus dubitationibus occurrit, quæ fundamentum salutis nostræ euerterent, de merito mortis Christi seu effectu, ac de mediatoris officio apud Patrem. Atque Mosem talia cogitasse inde colligi potest, quod de vera ibi circumcisione loquitur, cordis scilicet, quæ per Christum solùm nobis in regeneratione confertur Itaque omnem solicitudinem iubet fides deponere, ac addit, *Prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo*: verba sunt Mosis retinentis populum in officio, à facilitate, quam Deus in eo negotio promiserat, & quod Deus promiserat sese effecturum, Apostolus declarat factum esse per fidem in Christum, in quem fides habitat in cordibus electorum, confesio autem in ore. Hinc sic totum applicat. Hoc illud verbum est fidei, quod prædicamus, hoc est, hoc ipsum est Euangelium, vel doctrina Euangelij, quam nobis proponimus. Itaque Verbum illud Christus est, ac Græcè quidem dicitur ῥῆμα, apud Hebræos verò *Dauar*, quam vocem aliâs verterunt λόγον, vt Ioan. In principio erat λόγος.

9. *Nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum & credideris corde.*

Illustrat illam particulam ex Mose, quomodo hîc verbum in ore sit & corde, & ob id facile, vt non sit opus tanta dubitatione, scilicet quòd confesio oris sit necessaria, & fides cordis. Præmittit autem confesionem, qua nos à posterioribus iudicamus de fide, ab effectis ad causam, ideóq; ordinem sequitur cognitionis non rerum: ore igitur confitendus est Christus, propter alios, corde autem credendum est mysterium resurrectionis, ex quibus consequitur salus. Docemur duo esse capita Christianismi, prius fidem, posterius confesionem, illa obiectas promisiones amplectitur, hæc verò exemplo est aliis. Ac damnat locus iste eos, qui confesionem vel negant, vel disimulant. Demum salus illis tribuitur, non vt proprius effectus, sed vt consequens: nam salus pendet à sola Dei gratia per meritum Christi, non à nostris qualitatibus, quas tamen subsequitur. Duo Christianismi capita.

10. *Corde enim creditur ad iustitiam.*

Epiphonema, quo reddit rationem superioris explicationis, ac fidei tribuit iustitiam, tanquam proprium indumentum, quod apprehendit ex Dei promisionibus: confesioni autem salutem, hoc est, profectum in studio salutis, non enim solùm ipsi proficimus, sed etiam alij, dum Christum confitemur, aut certè salus vt cõsequens, ac finis vltimus additur, propter quem suscipitur tandem etiam confesio: cur enim pij martyres contemptis tot tormentis Christum confitentur? non est alia ratio, nisi quia salutis habuerunt rationem, quæ cum Dei gloria est coniuncta.

11 *Dicit enim Scriptura.*

Confirmatio alterius partis de fide. Locus est ex Esa. 28. quæ verba ad finem noni capitis prius etiam posuit. Ac dum de fide loquitur, simul intelligamus cõfesionem, nam illa semper est opus, confesione verò non semper, & illa si vera sit, hanc semper procurat & meditatur, vt si sit opus, eadem sit instructa.

12 *Non enim est distinctio*, &c.

Locum collationis concludit, negotium totum ad thesin reuocando, nam hactenus de solis Iudæis egit. Nunc addit quod maius est, in genere scil. hanc esse rationem vt ne in Ethnicis quidem sit aliqua exclusio. Atque illa ad generalem spectant propositionem

huius loci, quòd scil. beneficia & meritum Christi etiam ad Gẽtes pertineant. Hanc rem proponit. *Non est distinctio Iudæi vel Græci*, hoc est, Deus non alligatur personis, nec habet respectum carnalis prosapiæ, vt vos Iudæi putatis. Atque hic error diu etiam prius tenuerat Apostolos, quòd iudicarent Christum ad solos Iudæos pertinere, ideóque eundem errorem in reliquis Iudæis fuisse, ex hoc loco colligi potest. Suprà cap. 3. simile quid dixit, an Iudæorum Deus solùm? certè etiam Gentium. Ratio propositionis est à communione dominij, sumus omnes sub eodem Deo qui pari iure & potestate omnes possidet, ergo vtitur pari in omnes misericordia, cæteris scil. adhibitis. Deinde satis est diues, vt non penuria alios prætereat alios eligat: sed voluntate potius πλουτῶν abondans, quo exprimitur singularis aliqua abondantia & sufficientia omnes iuuandi. Sed quia illa ad reprobos trahi etiam poterat, proinde rem iterum limitat ad speciem, dominus scil. est abondans misericordia in eos, qui inuocant eum. Itaque fidelium est illa communio iuris & gratiæ. Aliter Dominus est etiam impiorum, in quos diues est declarando iram suam, quia vasa sunt ad interitum præparata, & vt declaretur ira eius & potentia. Sed de his nihil hîc, solùm conatur euellere errorem Iudæis, ideóque ostendit donum fidei etiam dari ex gratia Ethnicis, ideo non mirum illis videri debet, si ad Christum conuertantur.

13. *Quisquis enim inuocauerit nomen Domini.*

Quid sit intelligendũ per inuocationem. Aliud testimonium, quo ostendit gratiam Dei, per Christum omnibus communem esse, nec ad prosapiam carnalem debere alligari. Sumptum est ex Ioele cap. 2. vers. 32. Porrò inuocatio nominis diuini significat, veras preces, adorationem veri Dei rebus aduersis, qualis Ioelis tempore status erat rerum in populo Dei, cuius rei medela à solo Deo erat petenda: sic in Ecclesia Christi manet eadem inuocatio, vt non ad alium pro salute æterna sit currendum, quàm ad patrem Domini nostri Iesu Christi, atque id tam Ethnicis, quàm Iudæis commune esse refugium.

ORDO VOCATIONIS, QVO DEVS IN ECCLESIA per ministerium verbi vtitur, deinde reiectionem Iudæorum & vocationem Gentium nouis testimonijs confirmat.

14. *Quomodo igitur inuocabunt eum in quem non crediderunt? quomodo autem credent de quo non audierunt?*

Argumentum huius loci. PRincipalis quæstio est, de reiectione Iudæorum & vocatione Gentium. Hanc probauit à præpostero studio Iudæorum, stabiliẽdi suam iustitiam: mox oppositas iustitiæ species declarauit à proprietatibus: demum ad thesin sese reuocauit, quod beneficia Christi communia sint etiam Gentibus quę tanquam cõclusio ex superioribus fluit, Hinc dixit, non est distinctio Iudæi & Græci, idem Dominus omnium, & diues in omnes inuocantes se. Duo breuiter complexus est argumenta, potentiæ & voluntatis Dei.

Proximum igitur est quærere, de vocationis ordine, quo scilicet tam Ethnici, quàm Iudæi ad salutem perueniunt. Locus est de ordinaria & consueta ratione, qua ad cognitionem peruenitur. Quibus mox addit præoccupationem, Iudæos audiuisse quidem, quãuis ad finem non peruenerint: Gentes verò vocatas, non tamen vllo suo merito, vel consilio, quum aliud agendo, illis omnia diuina quadam sorte contigerint.

Quomodo inuocabunt?

Climax. Gradatio est in verbis Apostoli, qua ab vltimo effectu, ad primam & supremam resoluit causam, per medias causas, hoc pacto, salus est ex inuocatione, inuocatio ex fide, fides autem ex auditu, auditus, ex prædicatione, prædicatio ex missione, missio consistit Dei mittentis voluntate. Itaque Deus suprema causa est, vltimus effectus est salus, Quòd si iam vltima primis connectas soritem efficies, Ergo necessum est, vt à Deo mittantur doctores, vt ad salutem perueniant homines. Hic ordo cõsuetus est, quo Deus vtitur, per prædicationẽ scilicet Euangelij: alia est ratio, quando Deus aliquos seorsim tacito afflatu trahit sine prædicatione aliqua, quod vt Deo est possibile, ita non tollitur hoc consueto ordine: non tamen mediocriter commendatur ministerium verbi ex hoc loco. Sed nos partes gradationis expẽdemus, Primũ illius membrũ est, salus est ex inuocatione, id in priore versu ex Ioele probauit, Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Ac salus ex inuocatione dicitur esse, non tanquam vera causa efficiente, sed adiuncta, sine qua non: nam salutis causa efficiens vera, est Christi meritum, organica verò, fides in nobis, donum quoque Dei, quæ appræhendit dona oblata. Huic coniuncta est vera inuocatio, tanquam proprius habitus, aut certè inuocatio pro vera religione, ac Dei cultu accipietur,

accipietur, quæ consistit in inuocatione, tanquam principali suo membro.

II. *Inuocatio autem ex fide.* Aptè vera redditur causa, ne enim putes cultum qualemcunque efficere salutem, remittit nos ad veram illius causam, & ad ipsos fontes. Fides vt causa est, inuocatio verò proprius effectus: est enim fides, vera persuasio Spiritus sancti in animis nostris, de merito Christi, ex qua fluit vera inuocatio, dixit enim Christus, Inuocabunt Deum in Spiritu & veritate. Fidei definitio.

Fides ex auditu vt organo proximo, quo vtitur consueta ratione: hinc mox 17. versum concludit, *Ergo fides ex auditu*, hoc est, ordinaria prædicatione, & doctrina sonante in Ecclesia: non tamen est necessaria connexio inter auditum & fidem, quum mox de Iudæis dicat, illos audiuisse, sed non credidisse. Sed vt plurimùm Deus sic agit daturus fidem suppeditat occasiones audiendi, & legendi veritatem, atque eo modo flectit animos ad credendum.

IIII. *Auditus ex prædicatione*, hoc est, aures imbuuntur voce docentis: auditus enim capit solùm sonos & voces, ita vox clamantis ferit aures, quæ rem auditam ad animum referunt, animus attentus capit intelligẽdo, & approbat voluntate. Itaque oportebat indesinenter sonare vocem doctorum in Ecclesia, vt omnia personarent docentium voce, quum tanta sit commoditas, vt fidem efficiat, legendum est igitur, audiendum, canendum verbum Dei passim & semper, vt aliqui ad hunc fructum perueniant.

V. Prædicatio autem pendet ex missione, hoc est, ordinaria doctrina requirit ordinariam vocationem. Est autem illa duplex, mediata, qua Deus per homines vocat doctores homines in Ecclesia, sic Titus & Timotheus vocati sunt per Paulum ad munus docendi: immediata est, qua Deus ipse mittit interdum extraordinem aliquos, quales erant ferè Prophetæ omnes à Deo missi, non per alios Prophetas, quanquam aliqui per Prophetas inaugurati fuerint, vt Samuel ab Heli: Elisæus ab Helia, alij ab aliis: Moses tamen immediatè per Dominũ vocatur & mittitur, sic Ieremias ab vtero matris, Esaias, Daniel, & similes: in Nouo testamento Apostoli immediatè vocantur, & mittuntur à Christo, sic septuaginta illi discipuli, & Apostolus Paulus. Hæc missio ordinaria est, & veræ doctrinæ causa: nam qui sponte sese ingerunt, vt vera carent vocatione, sic veram doctrinam non afferunt, sed illorum à quibus missi sunt. Duplex vocatio.

6 Missio autem pendet à voluntate Dei mittentis: illius enim solius est mittere, hinc Christus inquit, Rogate Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suã, Matth. 9. Reliqua gradationi huic inserta videntur per parenthesin (*vt scriptum est, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. sed non omnes obediuerunt Euangelio: Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro?*) Hæc parenthesis iniecta est gradationi, ac duo habet membra: primùm enim missionis dignitatem declarat verbis Esaiæ, locus est cap. 52. Transfert verba de nuntiis relaxatæ Babylonicæ captiuitatis, ad nuntio Euangelij: si enim illi tanto gaudio excepti sunt, quanto decet excipere præcones Euangelij? Illi pacem & bona terrena annuntiarunt solùm, hi æterna. Itaque rectè huc accommodauit verba illa, argumento à minori, quia vtrinque est similitudo. Annuntiant autem pacem conscientiis, quas fide imbuunt de placata ira Dei patris. Deinde quia verè pacificos efficiunt fideles, adeò vt inter se coniunctissimè viuant, renuntient omnibus affectibus: noui enim reddũtur, ex efferatis placidissimi, denique cum aliis quoque omnibus pacem seruant, quantum in ipsis est, infr. 12. Interim verum manet etiam, quod dixit Christus, se non venisse vt mitteret pacem, quia doctrina veritatis in corruptum obiectum incurrit, Satanæ scilicet conatus, & improbitatem mundi. Hinc motus & bella, non veritatis causa, sed hominum malitia: sic bona etiam annuntiant æterna, scilicet vitam æternam, quæ est fundamentum nostræ doctrinæ. Hæc non poterant prædicare, si non essent missi à Deo: sola enim doctrina est veræ Ecclesiæ & verorum doctorum. Matt. 10. Luc. 12.

Alterum parentheseos membrum est, non omnes attẽdunt huic doctrinæ: sed inquit, hoc nihil impedit missionem & prædicationem veritatis, quia hoc sic fore prædixit Esaias: locus est cap. 53. Domine, quis credidit auditui nostro? Querela est doctorum paucos seriò afficit ex doctrina veritatis, ideóque minimè mirum videri debet, si eadem sors maneat Euangelium.

19 16 *Sed dico, nunquid non cognouit Israel?*

Quintum membrũ est huius capitis, redit autẽ per occupationẽ ad primariã quæstionem, dixit enim prædicationem Euãgelij vniuersalẽ, adeò vt in toto mũdo sit prædicata. Hinc obiiciũt aduersarij cognouit ergo Israel quoq; Dominũ Deũ suũ: quomodo enim omnibus prędicatũ esset si Iudęis nõ innotuisset? reddit igitur rationẽ, audiuisse quidem, sed stupidos nõ resipuisse. Ac quod publicationem Euangelij attinet illã probat ex Psal.

19.vbi loquitur Dauid de cognitione Dei, quæ ex cōsideratione cælestium corporū haberi potest: cœli enim enarrāt gloriā Dei, dum illius opificium nobis proponūt spectandum, vt rectè quidem liber Dei dicatur: sed ita scriptus est, vt non facilè legi posit, deinde muti sunt illi præceptores, tamen ita vocales, vt sonus illorum in totam terram, & verba illorū ad fines orbis exeant. Quoquò enim te vertas habes Dei opera ante oculos. Hæc transfert ad ministerium Euangelij, ac promulgationem, quæ iam tempore Apostolorum longè latéque sparsa erat. Et si naturalis doctrina ex operibus tantum potest, quantò plus Apostolorum doctrina poterit? deinde reipsa competit causæ, nam Apostolorum tempore, totus mundus fuit repletus doctrina Christi, infrà 15. testatur se vnicum ab Ierosolymis, vsque in Illyricum omnia complesse Euangelio, & suprà cap.1. fidem Romanorum annuntiari dixit in toto mundo. Et Coloss.1. In toto mundo, dixit annuntiari Euangelium. Latisimè igitur sparsa est, & breui tempore, veritas, non quòd magistratus publicè admiserint, sed quòd securè licuerit Christi dogmata sequi sub Ethnicis magistratibus. Demū etiam principes & magistratus admiserunt professionem, vt Constantinus, Theodosius, & similes. Verum igitur, omnibus prædicatā esse veritatem.

Hîc iam excipit aduersarius, *an igitur Israel quoque non cognouit?* quid enim causæ est, cur totus mundus impunè ferat hanc doctrinam, & soli Iudæi resistant tam pertinaciter? Respondet Apostolus verbis Prophetæ, nec dicit, quòd non cognouerint, sed quòd cognitam non coluerint: nam apud Iudæos extra controuersiam erat, quis esset verus Deus, is scil. qui legem dederat, & patribus apparuerat, à quo habebant promissiones de Messia, hunc cognouerunt, sed non coluerunt, vt oportuit, quod de gentibus dixit capite primo, non glorificasse Deum, vt ab illis sit cognitus, Esto igitur cognouerint, interim quum non honorauerint, maior est illorum damnatio, hoc ex Mose & Esaia probat.

De Mose ait, *primus Moses dicit.* In discedis testimoniis duos producit testes, eo respectu de Mose inquit *primus*, quia Esaias secundus est testis: inepti igitur sunt qui nescio quem secundum Mosem somniāt & expectant. Deinde testimonium affert ex cap.32. Deut. in quo primùm obserua, quid Deo tribuat, deinde quid Ethnicis, tertiò quid Iudæis: Deo tribuit irritare ad æmulationem & iram, hoc ideo, quia illi priùs Deum irritarunt per idola & eos, qui dij non erant: lege igitur talionis contra eos vtetur. Ac manifesta est Scripturæ phrasis, quæ Deo affectus tribuit hominum more. De Ethnicis autem dicitur, quòd non sint populus, hoc est, non de electorum numero, quales erant Iudæi, qui singulariter Dei peculium dicebantur, deinde populus stultus dicūtur ἀσύνετος hoc est, homines bardi, stupidi, asini, quales reuera omnes præ se iudicabant, quos Græci postea Barbaros appellabant. Sic de illis loquitur Scriptura, ex sententia Iudæorum, & reuera quod Dei iudicia attinebat tales erant. De Iudæis verò, quò Ethnicos indignos putarent gratia Dei, imò nulla re magis ad irā commoueri poterant. Vtitur Deus illa imprimis via, qua res facillimè conficitur. Irritabiles effici poterant multis modis, sed nullo magis, quàm hoc ipso, odium partum erat ex dissimilitudine religionis, sed crecit, quia in Dei gratiam succedant, & vendicent sibi, quæ Iudæorum fuerant, vt nomen populi Dei, vsum Scripturæ, sacramenta, Spiritum sanctum, Prophetiam, apparitiones Angelorum, in summa omnia bona cœlestia, qua re attoniti Iudæi, verè irascuntur Ethnicis & inuident hanc felicitatem.

Ex illo testimonio vtrinq; probatur, tam reiectio Iudęorum, quàm Gentium vocatio: non populum assumet, & qui fuerat populus, eum reiicet.

20. *Esaias autem dicere audet.*

Isa.65.1. Alterum testimonium, quo eadem duo complectitur, primùm autem agit de vocatione Gentium, postea de reiectione Iudæorum, Ac vocationem ita proponit, *Repertus sum ab his, qui me non quærebant, conspectus sum ab his, qui de me non interrogabant.* Initio testimonium commendat, quòd audacia quadam, hoc est, libertate dicendi Propheta vtatur, significans rem hanc semper inuisam fuisse Iudæis, adeò vt Prophetis non semper fuerit tutum hoc negotiū patefacere, vt videre est in Ieremia & Esaia. Sic tēpore Christi, Christus ob id destructor legis, & seductor est habitus quòd contra sanctum templum loqueretur, & Apostoli defectores, quòd legem destruerent: Paulus quòd Gentiles in templum induceret Hæc suprema apud eos habita est prophanatio religionis, itaque audacia, & verè παῤῥησία fuit in Esaia, quòd tam audacter contra Iudæos loquitur, & affirmat alios esse aliquando vocādos, qui verè populus Dei futuri sint, hoc nomine postea interfectus est, similiter etiam Ieremias, & alij: deinde inducit loquentē Dominum ex Prophetæ cap.65. quod faciebat ad causæ defensionem: nam quum acerbissimum hoc esset Iudæis, sine inuidia ab Apostolo non poterat dici, ideò Prophetæ citat verba, ac ne tanquam hominis contemni posset iudicium, ideo Dominum fecit loquentem sua persona.

persona. Tertiò vide, quomodo vocationem Gentium exprimat, *Repertus sum ab his, quis me non quærebant, conspectus sum ab his, qui de me non quærebant,* significat Gentes quidem vocatas esse, sed sine omni illarum consilio, vel merito. Illæ Deum non querebant, nec de illo interrogabant, hoc est, per se curam veri Dei abiecerant, nec ab his etiam cupiebant, discere, vnde potuissent proficere. Duplex malum est, ignorare aliquid, nec velle doceri, potuissent apud Iudæos proficere in cultu veri Dei, sed noluerunt. Hinc Plato, Pythagoras, aliique philosophi, quanquam discendi causa omnes ferè nationes accesserint, Aegyptios, indos, Babylonios, tamen nemo illorum Iudæam accessit discendi causa. Nec desunt qui putent diuina prouidentia factum esse, ne id facerent, vt maneret occultum mysterium Mesiæ, néve glorientur postea, pridem se illa intellexisse. Itaque sine illorum merito vocantur, denique incidunt in Deum, vt illis fiat manifestus, significans respectu quidem Ethnicorum, fortuitò quodam modo esse factum: sed respectu Dei, singulari quodam consilio, & certa voluntate effectum, quo misericordiam immerentibus voluit declarare. Hoc pacto illustratur Christi beneficium.

Duplex malum in Ethnicis notatur.

Altera pars testimonij loquitur de reiectione Iudæorum. Initio exprimit Dei curam pro ingratis Iudæis, *Tota die expandi manus meas.* Mos is est cupientium iuuare, vt manum cadenti, ægro, submerso porrigant. Id Deus singulariter præstitit in Aegypto, Babilone, Assyriis, Persia, aliisque calamitatibus, quod testatur finis vltimi libri Regum & Paralipomenon. Sed dum frustra omnia moliretur Dominus, tandem retraxit manum suã, relinquens eos suis morib. Huic Dei studio per ἀντίθετον opponitur populi ingratitudo, quæ suis epithetis est expressa. Dicuntur ἀπειθεῖς καὶ ἀντιλέγοντες, prius, quòd vera docentibus non crederent, posterius, quòd etiam contumaciter veritatem oppugnarent: latius enim patet non credere, quàm contradicere, vt multi non credunt, qui tamen non mox murmurant & seditiosè insurgunt. Vtroque autem modo illi peccarũt, primùm sanè ἀπειθεῖς fuere tum ipsi Deo, mox in deserto, egresi vix dum Aegyptũ, & in terra promissionis, quoties in dubium vocarũt Dei oracula, deinde quia Prophetis suis non credidere, sed vt deliria contempsere, quicquid illi Dei nomine afferrent. Hinc etiam processere ad ἀντιλογίαν, palàm in facie illis contradicunt, Ieremię, ipsum Amos in faciem percutiunt, Esaiam fugant, tandem occidunt: sic Christo resistunt, Apostolis inhibent, ne doceant in nomine Iesu. Hæc est tandem ἀντιλογία qua scelerum mensura completur adeò, vt his missis, Deus ad aliam gentem conuertat gratiam suam, &c.

Iudęorum incredulitatem, & contumaciam reiectionis ipsorũ suis se causam



CAPVT XI.

CONSOLATORIA AFFERT MVLTA ARGVmenta, quòd de *Iudæorum salute non sit desperandum, ideò, quòd reiecti iam sint à Deo.*



NEGOTIVM prædestinationis duos insignes complectitur locos, alterum de electione, alterum de reprobatione, vtrumq; Apostolus Paulus propositis exemplis illustrauit: nam electionis exemplum attulit vocationẽ Gentiũ, reprobationis verò, Iudæorum excæcationem. Priorem absoluimus ad finem præcedentis capitis, qua occasione copiosiùs etiam diximus de vocatione Gentium: superest, vt de reprobatione quoque concludatur negotium. Ac quod Apostoli exemplum attinet, duo adhuc restant, quibus satisfaciendum est, scilicet: An omnes Iudæi sint reiecti, alterum an in æternum duratura sit illa reprobatio, vtrique respondet hoc capite. Nam quod prius attinet, ostendit non omnes esse reprobatos, idq; multis rationibus, posterius quoque soluit, foret sub finem mundi vbertim conuertãtur ad Mesiã suum Hinc elicit doctrinã vtilẽ, primum de populo illo nobis semper esse bene sperandũ, deinde non esse superbiendum nobis,

Argum. cap. 11.

fore, ut

nam illorum exemplo, & nos cadere possumus, denique diuinorum consiliorum in hoc negotio adorandam esse abyssum, non perscrutandam, Hæc fermè hîc explicantur,

Partes. Nos in duo omnia distinguemus, quemadmodum orationis series postulare videtur: primò enim multis argumentis confirmatur de Iudæis non esse in vniuersum desperandum. Huc pertinet ζήτημα, πρόςασις, & κατασκευή. Deinde ἀποςροφὴ instituitur ad nos Gentes, ne superbè de nobis sentiamus, & illos contemptin despiciamus, quæ superioribus, quasi epilogus cohærent. Prior pars ad consolationem Iudæorum spectat, posterior ad Gentium modestiam.

Propositio. Propositio sit illa, Iudæi nō ita reprobati sunt, quin singulis ætatibus aliqui cōuertantur: sub finem verò mundi vbertim redituri sunt ad Dominum Deum suum, ideóque & bene de illis sperandum semper, & nobis Gentibus minimè contemnendi superbè.

Genus. Omnia ista ἀγωνιςικῶς proponuntur hoc est, more disputantium: nam aduersario dat locum obiiciendi, excipit illius argumenta, ad eadem respondet, distinguit prudenter, docet diligenter, argumentatur copiosè, paratas habet Scripturas, ad quas, tanquam ad portum semper reuocat totam rei controuersiam. In præsentia videbimus

Præsentis loci dispositio. quid aduersarius ex doctrina Apostoli afferat, deinde quid respondeat Apostolus ad quæstionem propositam, tertiò quibus argumentis suam confirmet sententiam, Primum habet ζήτημα, alterum πρόςασιν disputationis, tertiū κατασκευήν. Rem sic exorditur.

1. *Dico ergo num Deus reiecit populum suum?*

Aduersarij sunt verba, quæ Apostolus per ὑποφορὰν inducit: colligitur autē hoc ex superiori doctrina prædestinationis, quasi dicat, audio quid dicas de reprobatione, quam, vt electionem ac Dei voluntatem, tanquam supremam causam resoluis. Quid igitur restat, quàm vt dicamus Deum populum suum totum abiecisse? At quia Dei est, quomodo potest illum abiicere? nemo vtique, nisi insanus res suas abiicit, ne hominum quidem, quomodo igitur hoc tu Deo audes tribuere? Hæc aperta est sententia, & loco huic aptissimè quadrat: nam verbum λέγω, idem est, quod ἐρωτῶ hoc est, interrogo abs te, qua significatione suprà aliquoties hac voce est vsus, & deinceps sæpius vtetur. Deinde illatiua est particula οὖν, quæ sequelam quandam ex superiori doctrina infert. Et quia pro aduersario contra Paulum videbatur facere, ideo non ex Apostoli, sed aduersarij mente fluit oratio. Denique emphaticum est pronomen αὐτοῦ: nam quædam est tacita relatio inter Deum & Iudæos, quæ subsistere non potest, si concedantur ab eo reiecti, si enim eius sunt populus, non erunt reiecti, sint reiecti sunt, vt tu dicis, non erunt amplius Dei populus. Hinc ζήτημα constituitur, an Deus Iudæos in vniuersum reiecerit.

Apost. responsio. II. Respondet Apostolus ad propositam quæstionem negatiuè, μὴ γένοιτο, qua phrasi sæpius vsus est suprà: significat autem rem absurdam proponi ab aduersario, nec esse hanc suæ doctrinæ sententiam. Itaque πρόςασις sit ex collisione aduersarij & Apostoli, non omnes Iudæi simpliciter à Deo sunt reiecti: ille interrogauit, an suum populum abiecisset Deus, simpliciter scilicet, vel in vniuersum, respondet Apostolus, hoc absurdum esse, imò impium, restat igitur particularis propositio. Quidam reiecti sunt & quidam non sunt.

Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin.

Ex suo exemplo probat Iudæos non esse in vniuersum reiectos. Contra aduersarium suum iam agit rationibus & argumentis, ad perspicuè probat, vniuersalem propositionem esse falsam, scilicet quòd omnes Iudæi sint reiecti. Ac prima ratio sumitur à suo exemplo ad hunc modū, Ego sum Iudæus, & tamē non sum reiectus, Ergo non omnes Iudæi sunt reiecti: firma est collectio, quia satis est, vel vnum speciale afferre exemplum, vt vniuersalis affirmatio monstretur falsa. Porrò se vocat non Iu-

Cur se Israelitam nō Iudæū dicat Apostolus. dæum, sed Israelitam, quia nomē Iudaicū iam in odium transibat, nō perinde Israelis, inde 2. Cor. 11. Israelitā se quoq; vocat. Et suprà cap. 9. v. 10. Iudęos Israelitas potiùs dixit, tāquam plausibiliore vocabulo: non tamen nego, quin Iudæos aliquoties dicat, vt ad Gal. 2. Nos natura Iudæi & non ex Gentibus peccatores, sed illud plausibilius fuisse dico. Hinc idem maluerunt Apostoli adhibere in exordiis, ad conciliandos illorum animos, vt est videre Act. 2. 13. 21. & alibi. Huc faciunt etiam reliqua duo ornamenta, vt quòd semen est Abrahæ, & de tribu Beniamin, illius meminit, quia primæ ab eo habentur promissiones: huius verò, quia magna illius erat dignitas. Beniamin ex dilectissima erat vxore, & in senio natus, tanquā senectutis baculus, & tribus illa vnita fuit Iudæ præstantissimæ tribui, primus inde etiam rex Saul, & templum Solomonis in ea conditum, omnia ad ornamenta personæ faciunt. Hinc infert, *Ergo non abiecit Deus populum suum*, scilicet simpliciter, vel in vniuersum, vt nullus in gratia remanserit, ac retinet in cōclusione verba aduersarij data opera, quò constet, nihil illum subterfugere, nec illum tollere relationem necessariam inter Deum & Iudæos.

2. *Quem*

2. *Quem præcognouit.*

Altera est ratio, quòd non omnes sint reiecti, quia electi sunt à Deo, ergo reiecti omnes esse nō possunt. Vis argumenti est à causa efficiente, cui necessariò respondere debet aliquis effectus in suo genere: causa autem efficiens bona est, electio scilicet, ergo bonus aliquis hinc sequitur effectus, vt scilicet aliqui manserint non reprobati. Ac præcognitionem hic intelligo, non nudam notitiam, sed efficacem actionem eligentis, alioqui nullum hic esset argumentum, & frustra allegaret præcognitionem. Præcognouit eos, hoc est, efficaciter quosdam elegit ad salutem, ergo non omnes reiecti sunt. sic directè concludi. Disce duplicem esse præscientiam, aliam esse, quæ nudam habet notitiam, quæ non causa est rei præstitæ, vt scio cras fore æquinoctium vernum, quia sol ingreditur arietem, & erit initium veris. Hæc quidem præscio, mea tamen præscientia, non est agens causa aut efficiens, cur sic cras sit futurum: erit enim, si maximè ignorem. Alia quæ ab scibile se habet vt causa efficiens, sic Dei est præscientia, respectu populi sui ad salutem, de qua hîc loquitur Apostolus. — 2. Arg. — Quid hoc loco significetur voce præcognitionis. — Duplex præscientia.

An nescitis quod in Heliæ historia dicit Scriptura?

Tertia est ratio ab exemplo simili: concludit autem efficaciter, quia congruunt tempus, rerū status, & similia. Helias putabat in illo dissolutissimo statu, vnicū se esse superstitem pium, cùm Dominus dicat, *sibi 7. millia esse reseruata.* Ergo hodie in Iudæorum calamitatibus & reprobatione manifesta, nō est desperandum, quia Deus aliquos fideles inter eos sibi reseruet. Locus argumenti est 1. Reg. 19. tractationem argumēti, in contextu Apostoli expende. Primùm ad scripturas sese recipit, quia de his non licet aduersario dubitare, si ignorat, fateri tamen non audet, illius tamen eum insimulat. Deinde historiam Heliæ dicit, illius respectu quodammodo fortuitam esse, quanuis omnia respectu Dei summa ratione fiant. Sic intelligo verbum ἐτυγχάνειν, vt non solùm interpellantis sit, sed illa excipientis omnia sine suo consilio. Tertiò contra Iudæos & illum eg[...] se, non minus quàm Apostolus iam contra sui temporis reprobos. Quartò quamuis in errore versaretur, tamen audacter sententiam animi sui aperit, *Domine* inquit, *occiderunt Prophetas tuos, & ego solus sum relictus*, quod manifestè falsum erat, quanquam hoc ignoraret Elias: nam multi absconditi erant in cauernis montium, hinc inde quinquageni & quinquageni, interim feruorem animi sui Domino proponit. — 3. Argum.

Quintò *altaria tua subuerterunt*, id fortè erat simpliciter verū, quia passim lucos Idolis Achab & Iezabel extruxerant, patriarcharum aris dirutis, quanquam Ierosolymitanum altare Domini, non legamus subuersum, attamen contaminatum fuit idololatria.

Sextò, *quærunt animam meam*, hoc ad Iezabelem solùm spectat, quæ ex cæde sacerdotum Baal commota, quærebat illius mortem. Septimò, istis omnibus simplex Dei vox magna consolatione satisfacit. *Reliqui mihi 7. millia, quæ non flexerunt genu coram Baal*: significat autē infinitum superesse numerum fidelium quos Helias nesciat. Disce sanctissimos sæpe errare, dum de Ecclesia militante iudicant: membra illius non sunt omnia semper & vbique conspicua, Deus solus est, qui nouit suos. Deinde idem Deus mirabili ratione suo in hac mundi confusione seruat, vt incontaminati maneant: quis enim diceret, nisi Deus illos tanto numero, ne genu quidem flexisse, cùm esset catholica corruptela, & publicè ab omnibus hoc idolum coleretur edicto regis & reginæ? vbi manserunt ista 7. milia? certè non fuerunt dissimulatores, vt adorarint externe, intus autem solius vnius Dei cultū retinuerint? nam Deus testatur de his, quòd ne genu flexerint, ergo reliqua minus præstitêre. Sonat Baal dominum & maritum: significat igitur Deus nulla ratione illos præseruatos communicasse illius abominationi. — Ecclesiā Dei non esse semper visibilem.

5. *Sic ergo etiam in hoc tempore.*

Applicatio est argumenti tertij, quasi dicat, similibus casibus similia fiunt, vt non sit de Iudæis, ne nunc quidem desperandum: vocat autem electos λεῖμμα, quasi dicat, præseruationes, vel præseruatos, relictos, quia Dominus dixerat, reliqui mihi, κατέλιπον, quo verbo admonitus, mox λεῖμμα dixit. Et quia insperata est tantorum electorum præseruatio, reuocat rem ad suam causam efficientem: nā vtrinque hoc etiam congruit. Vt enim Eliæ tempore, illorum 7. millium præseruatio solius Dei opus erat, non hominum, adeò vt ne ipsorum præseruatorum dici posit: sic Pauli tempore, gratiæ diuinæ est, siqui in vocatione manent. Apostolus vocat ἐκλογὴν χάριτος, h. e. electionem gratię, quasi dicat, gratiosam electionem scilicet Dei, ne putes electionem ad hominem referri. — 4. Arg. De Iudęis etiam Apostoli tēpore non esse desperandum.

6. *Si autem per gratiam, non amplius ex operibus.*

Transfert argumentum ad generalem statum: nam electionis & iustificationis eadem est causa efficiens, gratia scilicet Dei. Itaque ex eodem fonte colligit ius conseruandi apud Deum esse, nec aliter consistere, nisi mera gratia. Ne putes præseruatos, vel Eliæ — 4. Ratio. Gratia causa est cōseruās, nō apparentia merita.

Gratia & meritum contraria. temporibus, vel Apostoli ætate, hoc promeruisse suis operibus apud Deum argumenti vis est ex natura contrariorum, qualia sunt gratia & opera: si quid gratia datur, idem non potest dici merito conferri, & contrà, si quid merito operum datur: idem non datur gratia. Sed λεῖμμα sub Helia conseruata sunt χάριτι, ergo etiam tempore Pauli manserunt λείμματα ex eadem causa.

7 *Quid igitur, quod quærit Israel.*

Redit ad institutum, nam quod de natura pugnāte inter opera & gratiam dixit, obiter videtur addidisse, consideratione principalis quæstionis de iustificatione per gratiam, & non operum merita.

5. Argumentum à distinctione. Estque hîc constituendum quintum argumētum, nam totum Israelē iterum sibi proponit, in quo videt quidam omnibus esse commune, scilicet ἐπιζητεῖν, hoc est, vt suprà dixit c.9. quærere legem iustitiæ. Hoc desiderium omnibus Iudæis est commune, sed non incidunt omnes, ratio est, quia in duas partes dirimuntur: alij excæcati sunt. De his suprà dixit, quòd ad legem iustitiæ Dei non peruenerint: ratio erat, quia suam iustitiam voluerunt stabilire: alij verò electi sunt, quos hîc ipsam electionem vocat, sic enim abstracta sæpe pro concretis sumuntur, vt ipsam pietatē dicis hominem pium, ipsum scelus pro scelerato. nec frustra id hîc facit, nam electio rectè assecuta est, quod voluit, non electi hoc est, quicquid hîc fit, Deo refertur acceptum, vt illi non glorientur. Quemadmodū igitur illorū est excæcari, sic horū pertingere ad id quod quærebatur: ac cæcitatem diuturnā dicit esse, quia ab Heliç tēporib. & suprà durat, vsq;.ad Apostoli tēpora & vltra.

8. *Quemadmodum dicit Scriptura*

Alteram partem diuisionis probat Scripturis, nam odiosum erat dicere de cæcitate Iudæorum, quam in Prophetis etiam taxari per molestè semper tulerant. Itaque iterum sese recipit ad tuta loca, tanquam ad portum. Scriptura, inquit, hoc membrum excæcatorum vestrę gentis nobis proponit, non igitur molestè debitis id ferre, si à me distinguamur in electos & reprobos. Tria autem citat testimonia, primū ex cap.29. Esaię, quo loco disserit de reiectione Iudæorum & supina ignorantia. Alterū ex Esa. 6. quem locum Christus etiam citat Matt.13. Ioan. 12. & in. Act.28. Paulus Romæ contra pertinaces Iudæos. Tertium ex Psal.69. qui locus propter cæcitatem duas quoque videtur continere imprecationes, de quibus diximus in locis nostris, ideóque in cœpta argumentorum resolutione pergemus.

11. *Dico ergo non impegerunt?*

6 Argumentum à finali causa. Post probationem quinti argumenti redit ad aduersarium, & argumentatur à causa finali, non esse desperandum de salute Iudæorum. Occasio argumenti est sumpta ab aduersarij assignatione mala causæ finalis: is enim suo more semper absurda conatur inferre ex doctrina Pauli. Ac nunc quidem, quia Apostolus Scripturis probauit illorum cæcitatem, mox ille assumit, impegerunt ergo aliqui de nobis, & ita, vt corruerent, hoc est, planè perirent. Finis igitur miseriæ nostræ est interitus, quem nobis procurat Deus sua illa dispensatione. Mox adest Apostolus, ac refellit calumniam, absit, inquiens, quasi dicat, blasphemum est, id de Deo & populo suo dicere, alium tibi meliorem finem monstrabo, & hunc ex Dei arcano consilio, qui est, vt illis reiectis, ostium salutis pateret Gentibus, quasi Deus nolit ambos populos simul admittere, nō quidem quòd non possit, aut non satis ampla sit ianua ad salutem, sed quia illi sic placet. Deinde hîc aditus Gentium, cui occasionem præbet Iudæorum casus, post se trahit æmulationem Iudæorum, vt & illi conentur ad Mesiam suum redire, quod prius ex 32. Exod. dixit. Hi fines ordine cohærent, & depromuntur ex arcana Dei prouidentia agente in his rebus.

12 *Si autem illorum casus diuitiæ sunt mundi.*

7. Argumentum à minore & consequēte. Argumentum septimum est, non esse desperandum de Iudæorum salute. Ratio à minori ad maius ducitur: hæret autē ex superiore argumento, quo dixit finem esse bonum, scilicet vt Gentibus præberetur occasio ad salutem, hoc iam dixit πλοῦτον κόσμου, hoc est, diuitem occasionem ad veritatem: κόσμον pro gentibus poni manifestum est ex serie argumenti παράπτωμα autem & ἥττημα synonyma sunt, moliter exprimentia reprobationem Iudæorum publicam & manifestam hominibus, πλήρωμα autem complendum electorum numerum ex Iudæis accipio. Hinc iam procedit argumentum, si illorum manifestata reiectione Gentes admittuntur ad salutem, ergo multò magis illorum completio est nobis adhuc speranda, vt respiciat ad vniuersalem illorum cōnuersionem, de qua infrà dicet & hoc comprobat mox sequens etiam argumentum.

13. *Vobis enim dico Gentibus.*

8. Arg. à suo exemplo. Octauum argumentum est, à suo iterum exemplo, ac studio, Prius argumētum ostendit sperandam nobis Iudæorum pleniorem aliquam conuersionem, ad quam debemus etiam

etiam incũbere, ex ratione gratitudinis mutuæ: si enim illi nos admittunt sua reiectione: decet ergo nos innocẽtia vitæ ipsos vicissim ad æmulationem prouocare tãti boni, à quo exciderunt nostri causa, vel odio nostri, vel quia Deus sic dispensat, vt illi submoueantur ad tempus propter nos. iam huius diligentiæ se proponit exemplum. Paulus ideo tanto studio Gentes passim docet, vt Iudæos excitet ad cognoscendũ & amplectendũ Messiã suum. Ergo de illorum salute non est desperandũ: nõ enim vanus est Apostoli labor, sed regitur consilio certo Spiritus sancti. Argumentum manifestam habet personæ mutationem, nam superiora cum Iudæis videtur disseruisse, iam pro Iudæis cum Ethnicis loquitur, quid illos deceat, & quid ipse præstet in hac causa. Deinde argumento addit dignitatem à genere officij sui, sum Apostolus Gentiũ, ergo hoc tanquam oraculum diuinum à me habetote. Tertiò vides diligentiæ laudem sibi tribui, ministerium meum illustro, δοξάζω, hoc est, honoro, orno, scilicet docendo. Expende in quo posita sit dignitas ministerij, & vera ornamenta, non in titulis & habitu, aut præbendis, vel loco & gradu: sed in diligentia docendi, & promouendi pietatem, tam doctrina, quàm moribus, nam δοξάζειν tam ad mores, quam ad doctrinam pertinet. Quartò, addit finem suorum laborum, quatenus huic argumento inseruit, scilicet suos Iudæos saluos reddere. πάθος habet, quòd carnem suam vocat, quasi dicat, intimè sibi charos, quis enim odio habet carnem suam? Phrasis Scripturæ est cognatos vocare carnem suam, deinde constat hinc Apostolum omnia non odio, sed amore singulari erga Iudæos facere.

In quo posita sit dignitas ministerij.

15. *Si enim abiectio illorum reconciliatio est mundi, qualis erit assumptio?*

Nonum est argumẽtum à contrariorum consideratione, nam habet quandam cõtentionem maiorum & minorum. ἀποβολὴ est reprobatio, quam nunc παράπτωμα, nunc ἥττημα, nunc πώρωσιν vocat, illa peperit καταλλαγὴν, hoc est, reconciliationẽ mũdo, hoc est, Ethnicis, quos secundò iam κόσμον vocat, καταλλαγὴ autem iam propriè dicitur reconciliatio cum Deo, quam prius κατὰ μεταφορὰν dixit πλοῦτον. Et sanè, inquit, hoc minimè sperabatur, & tamen consequutum est: magis igitur speranda est illorum πρόσληψις. Ac hic quoque πρόσληψιν accipio reditum Iudæorum ad Messiam, vt prius vers. 12. πλήρωμα plenam illorum conuersionem complendo ex illis electorum numero. Argumento pondus addit interrogatione, qualis erit illa assumptio, hoc est, reditus ille? respondet sibi, nihil aliud, quàm vita ex mortuis, h.e. perinde insperata & firma & plausibilis, acsi ex mortuis quis rediret. Hæc mea est sententia, quæ nititur argumentorum firma resolutione: non ignoro interim, quid alij de his scribant.

9. Arg. à consequẽte.

16. *Si autem primitiæ sanctæ & conspersio.*

Vltimum est argumentum, quod habet conglobationem quandam plurium consequentiarum. Nã Apostolus abreptus in considerationem populi sui, & ornamentorum illius non potest non aliter statuere, quàm omnino necessarium esse ex his superesse multos electos: rem tamen summis tantùm labris degustat, monstratis solùm fontibus. Duo autem indicat, ex quibus colligi hoc possi, primùm quia sunt ἀπαρχὴ, nec simpliciter, sed ἁγία, aut certè illorum ἀπαρχὴ est ἁγία, ergo fieri non potest, quin φύραμα et am sit ἅγιον. Respiciunt se ἀπαρχὴ & φύραμα tanquam relata, vt sint primitiæ oblatæ Deo ex liquoribus & frumento φύραμα autem conspersio vel massa hinc facta ad sacrificium, vel illæ materiam habent, hæc ipsum confectum sacrificium. Aperta est igitur sententia per allegoriam vel metaphorã, quemadmodũ ex primitiis sacris Deo, oblatis nõ potest non sacrificium sanctum confici, modò non peccet persona offerens, sed Iudæorũ primitiæ sanctæ sunt, hoc est, patres, quorum illi sunt φύραμα, ergo fieri non potest, quin ex Iudæis adhuc multi supersint electi, de quibus minimè est desperandum. De primitiis vide Mosen Exod. 23. 22. 25. 34. Leuit. 2. & alibi.

10. Arg. per congeriem ornamentorum iudicorum.

Alterum est, quia sunt κλάδοι, hoc est, rami radicis sanctæ, ῥίζα ἁγία sunt patres iterũ, vt prius ἀπαρχὴ: & quemadmodum ἀπαρχὴ sancta, sanctificat φύραμα, sic ῥίζα ἁγία sanctificat suos ramos, vt fieri non possit ramos omnes malos esse in bona radice, quemadmodum bonæ arboris oportet aliquos existere bonos fructus. Iudæi autem sunt rami, hoc est, soboles sanctæ radicis, hoc est, Patriarcharum, itaque non est desperandum de illorum salute, oportet aliquos à sancta radice sanctificari. Nec est ob id, vt ad carnis prosapiam religetur sanctificatio, quia allegoricum argumentum solùm valet, quatenus similitudo vtrinque hoc fert. Deus est sanctificans tum radicem, tum surculos & ramos: sed Apostoli scopus est ostendere non esse desperandum de omnium in genere salute. Et huic instituto rectè inseruiunt illæ rationes. Hactenus confirmatio propositi instituti.

AD MODESTIAM GENTES VARIIS RATIONIbus cohortatur, ne Iudæos præ se superbè contemnant.

17 *Quod si nonnulli rami defracti, tu vero quum esses oleaster insitus es, &c.*

Argum. huius loci.

PRæcipua virtus est Ecclesię Christi pax & concordia, quam multis nominibus passim nobis Christus commendat, ad hanc tamen non licet peruenire, nisi modestia & humilitate mediante: nisi enim modestè de nobis & humiliter sentiamus, proximum est, vt in arrogantiam & fastum incidamus, inde mox aliorum contemptus & nostri nimia admiratio. Apostolus 1. Cor. 1. ait, Deum ideo elegisse humilia, vt illa, quæ esse aliquid videbantur, cōfunderet. Et 2. Cor. 10. sermonem Euangelij contemptibilem fuisse affirmat. Et Christus Matt. 18. nullum etiam ex minimis contemni vult. Et 1. Cor. 11. Corinthiorū priuatas cœnas ad contēptum veræ Ecclesiæ facere inquit. Hoc vitio laborabant Ethnici in primitiua Ecclesia, ideóque ab eo variis rationibus Apostolus eos reuocat, præsertim quum ad consolationem Iudæorum aliquid illi esset dicendū contra tremendum reprobationis iudicium. Estq; altera hæc præsentis capitis pars, ne Iudæos superbè contemnant. Tota oratio argumentosa est, nam infinitis propè rationibus est instructa. Genus est προτρεπτικόν: scopus enim est, modestiam fidelibus & Ethnicis commendare.

Propositio.

Πρότασις. Ethnici non superbè debent contemnere Iudæos induratos, sed humiliter potiùs in eis adoranda sunt Dei iudicia.

Partes.

Tractatio tribus membris absoluitur, primùm enim est πρόθεσις, quæ scopum habet omnium argumentorum. II. est κατασκευή, hoc est, confirmatio propositi, continens varias rationes. III. Epilogus est, quo iubet Dei consilia potiùs reuenter adorare, quàm curiosè perscrutari.

Hæc considerabimus more nostro, & argumentorum vim expendemus, ad quā rem opus est ἀναλύσει, reliquas curiosas digressiones & disputationes relinquemus intactas, quoad fieri potest.

I. Πρόθεσις, *Ne glorieris contra ramos.* Exorditur hunc locum à præoccupatione, nam aduersarios inducit, qui occasionem contemnendi Iudæos inde arripiunt, quòd sint illi reiecti, ex quo illi mox iubilandi arripiunt occasionem, tanquam contra defractos ramos. Itaque mox statuit Apostolus ἀντιπρόθεσιν, ne glorieris contra ramos; hoc est, de te altiùs non sentias, néve contemnas miseros Iudæos: ramos per metaphoram Iudæos significans, quia reiecti, non aliter quam rami defracti, humi videntur prostrati, omnium pedibus subiecti. Idem mox ver. 20. repetit μὴ ὑψηλοφρόνει, ne altum sapias. Et v. 25. Ne sitis apud vos ipsos φρόνιμοι, ex quo patet illa tria idem hî esse κατακαυχᾶν, ὑψηλοφρονεῖν, & φρόνιμον εἶναι ἐν αὐτῷ: differunt tanem, quòd φρόνιμον esse, iudicij sit priuati, quod de se singuli concipiunt in aliorum cōtemptum. Ex quo mox sequitur sui propria admiratio, quod est altum sapere, hoc est, sibi tribuere nimia. Hinc tertio loco sequitur κατακαύχησις, hoc est, alterius despectus ac contemptus: nam quicquid nimium nobis tribuimus, in eo fraudamus proximum, ac fratri detrahitur, falsóque nobis ipsis affingimus, hæc natura rerum est. Apostolus prudenter à postremo orditur, & notat propositionem ab effectis ne contemptim Iudæos despicias, deinde ad causam procedit ne altum de te sapias: cohærent enim, vt causa & effectus, demum fontem notat & primam causam, ne sis φρόνιμος apud teipsum: hæc enim communis est, & prima scaturigo, atque illa ad propositionem pertinent, cuius doctrina multiplex est in Ecclesia Christi. omnibus seculis, in primis hodie: sed nolo in eum digredi locum.

II. *Tu verò cùm sis oleaster, insitus es eis, & particeps & radicis & pinguedinis oleæ factus es.*

Confirmatio.

Reliqua iam habent vim confirmationis, probandum enim est Apostolo, Iudæos non esse contemptim habendos, præsertim quum aduersarius habeat nonnihil causæ, scilicet quia defracti sunt. Vt enim rami in terram sparsi, de arbore auulsi, securè ab omnibus contemnuntur, confringuntur, colliguntur ad ignem, aut alios vsus, quandoquidem vitam ex arbore nullam amplius habent: sic de Iudæis iudicari poterat contemnendos scilicet ob hoc ipsum, quia à Deo reiecti, à promissionibus auulsi, à Messia exciderūt, vt Deo meritò possis dicere odibiles, & cur non contemnam, quos videas Deo contemptibiles? Hæc quidem ita sunt, sed vide, quibus rationibus in contrarium nitatur Apostolus. non contemnendi sunt Iudæi, quare hæc ô Paule?

1. Ratio cur non sint contemnendi Iudæi.

Primò, quia tu fuisti, imò es natura tua oleaster, hoc est, vitiosa arbor, & siquid iam habes boni, hoc ex insitione tibi accidit. Quemadmodum igitur non decet oleastrum insultare oliuæ defractis ramis: ita nec Gentilem decet Iudæo misero & indurato insultare. Argumentum vim habet à decente: seruandum enim est vbique decorum, deinde admonet nos tacitè sortis nostræ, iubétque redire ad ortum nostri, quasi dicat, Considera manticam tuam, quam à tergo geris, illam excute, & explora tuam supellectilem domesticam, videbis quantis tu scateas sordibus. Sic ad Ephes. 2. Fuistis olim ἄθεοι,

sine Deo & longè, nunc verò propè. Tertiò collatio illa satis ostendit Iudæos, quod originem attinet, nobis facilè posse præferri, nam si externa sunt consideranda, illi omnia habent potiora nobis. Huc facit oppositio oleastri & oleæ, olea passim commendatur in Scriptura, & collatio eius in bonam partem affertur, vt Psal. 52. Ego verò, vt nitens olea. Psalm. 128. Filij tui vt frondosa oliua, tibi ad mensam sedebunt. Ieremiæ cap. 11. & alibi.

Altera ratio est, *Et factus es particeps radicis & pinguedinis oliuæ.* Ratio firma est, nam in quorum bona transimus sine nostro merito, plena gratia, illos vtique non decet contemnere: sed vos Ethnici transiuistis, sine merito vestro in bona Iudæorum, itaque non decet eos contemnere. Hoc Apostolus proponit translatis adhuc verbis, nam incœpta metaphora manet: radicem & pinguedinem oleæ intelligit bona illa spiritualia & externa quoque, à quibus exciderunt Iudæi. Olea vt stipes, est sanctorum communio, corpus Ecclesiæ illius radix est promissio, vel si placet etiam Abraham & sancti Patriarchæ. Huius particeps sum, qui fidem illius consequor in Christo & gratiam, vt illam imiter, & ego iam filius Abrahæ dicar, carnis autem filij explosi sunt: pinguedo autem dona spiritualia, quæ in Ecclesia regnant. Hæc, inquam, ad Gentes sunt translata vera gratia Dei. 2. Ratio.

Tertia ratio, *Non tu radicem portas, sed radix te.* Argumentum ducitur ab ordine naturæ, qui est ad eos spectare gloriam, qui potiores habent partes, vt in arbore radix potissimas habet partes. Vt igitur sit absurdum ramos contra radicem insurgere: sic Ethnicos Iudæos contemnere. Radix ramos portat, huic illi debent laudem potius. Est in argumento iterum metaphora, radix significat vel patres sanctos, vel ipsam promissionem, cui tanquam radici omnes sancti innituntur, aut certè ipsum Christum, qui ex Iudæis est secundum carnem, ex illo spiritualiter vegetamur. Itaque nullo pacto Iudæi sunt contemnendi ob incredulitatem. 3. Ratio.

19. *Dices igitur, defracti sunt rami, &c.*

Ὑποφορὰ est Gentium, causam suam contra Iudæos defendentium, *Defracti rami sunt, vt ego inserar,* itaque non sum ita contemnendus: sed ex eo ipso præstantior illis sum, & ideo meritò, tanquam dignior, illos vt peiores contemno: & illos lapsos esse, vt Gentibus obueniret salus, iam suprà dixerat.

20. *Bene dicis, &c.*

Responsio Apostoli per concessionem, sed simul indicat inconsequens, nondum enim sufficiens est causa contemnendi Iudæos, si maximè hoc illis largiatur, ideóque emendat illius argumentum ab explicatione causæ efficientis: cur enim defracti sunt isti rami? respondet, propter ἀπιστίαν quam similiter metuere adhuc debes, *& tu stas fide, quid igitur gloriaris?*

Quarta igitur hinc petatur ratio. Qui stat proximus est casui, tu fide stas, igitur cauendum ne cadas: nam fides primum est donum Dei, itaque non gloriandum. Deinde prudentiæ tuæ potiùs est circunspicere, ne cadas: sic 1. Cor. 10. Qui videtur sibi stare, videat ne cadat. 4. Ratio.

V. Ratio eodem versu continetur, *sed time,* ἀλλὰ φοβοῦ Argumentum valet à periculo futuro, quod ingruere potest, ideo potiùs tibi metuas, quàm aliũ despicias: tu enim non es extra omne periculum adhuc positus. Sic ad Philippens. capite 2. Deus iussit cum timore & tremore nostram salutem operari. Et aliud est timere fideles quotidianos lapsus tum in seipsis, tum in aliis, & aliud dubitare. De sua non dubitant salute verè electi, non tamen carent omni timore: vt filius timet patrem, quamuis de illius non dubitet bonitate: sic pij non alieni sunt à timore sancto, 1. Corinthio. 7. commendat eos, quòd Titũ cum timore & tremore exceperint. Et ad Ephes. 6. iubet, vt serui fideles cum timore obediant suis dominis: quid ergo sancti, non cum fide timorem Dei coniunctum haberent? 5. Ratio.

21 *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit.*

Ratio sexta est ab exemplo Iudæorum: vis autem est à maiore ad minus, non sunt cõtemnendi Iudæi, quare? quia Deus naturalibus ramis non pepercit, ergo multò minus tibi parcet, qui ramus es non naturalis, sed syluestris & translatitius. Dicuntur Iudæi hîc naturales rami, vt pius oliuæ rami: naturales autem ideo dicuntur, quia sunt naturales, secundum carnem filij Abrahæ, Isaac & Iacob, hoc est, sanctorum Patrum liberi carnales. Sed quia degenerarunt à maiorum virtutibus, Deus illos repulit, nullo habito respectu maiorum sanctissimorum Etiam hinc cogitare potes, Deum tibi longè minus parsurum si etiam tu degeneres: vt enim illis non erat naturalis sanctitas, nec per successionem carnis ad eos deriuata, sic in Ethinis nihil est boni. 6. Ratio.

22. *Vide igitur bonitatem & seueritatem Dei*

Septima est ratio à fine liberæ voluntatis diuinæ, quæ in his rebus agit, tam reproban- 7. Ratio.

do, quàm eligendo, ad hanc aliis omissis omnibus vult nos respicere, ac inde colligere exempla seueritatis, quò facit reprobatio Iudæorum, quam vocat ἀποτομίαν, hoc est, dum ad viuum omnia resecantur, quod reuera cum Iudæis Dominus fecit, punit eos stricto iure, nulla habita ratione fœderis, promissionum patrũ. Contrà in electione & vocatione Gentium, iubet colligere exēpla bonitatis h.e. misericordiæ Dei nec latiùs extenditur bonitatis præsumptio, quàm quatenus constantia in fide extenditur, sin excidas è fide, paratum habes periculum. Disce quomodo ad consolationem & emēdationem nostri, locus hic sit tractandus, non autem ad exagitandos alios, aut perturbandas hominum conscientias.

23. *Alioquin & tu exscinderis, & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.*

8. Ratio. Octaua ratio à metu diuini iudicij, nam gratia Dei à posterioribus declaratur. Qui in fide manent, hi de salute certi sunt, qui deficiunt, reprobantur, & potest Deus hoc absoluto iure, facitque vt semper aliis reprobatis, alij succedant in illorum locum: sic Ethnici in locum Iudæorum successere, fiet igitur vt illi denuò in locum Gentium succedant, metue igitur Domini iudicium, & alios noli contemnere. Simile est argumentum fere cùm sexto: est tamen hîc illustris tractatio additis rationibus, primùm quod hoc Deo sit possibile, deinde quia maior est affinitas natiui rami ad natiuam oleam, quàm sit peregrini rami ex oleastro, ad eandem oleam. Iterum natiuos ramos Iudæos facit, respectu carnalis propagationis.

Nona ratio. 25. *Non enim volo vos ignorare fratres.*

Nona ratio ab arcano Dei consilio, speciosum & illustre argumentum est, ideóque cōmodè ad id accedit. Primùm beneuolentiam captans, fratres vocat Ethnicos, contra quos pro Iudæis differit, frater fratribus non nisi sanctissima consulet. Deinde vocat ipsum argumentum, mysterium, authoritatem negotio facturus. Dicuntur mysteria, quæ nos vel latent, vel non satis à nobis intelliguntur, vel tacitè nobis aliud insinuant: ita in præsentia mysterium dicit conuersionem Iudæorum sub finem mundi, quia res est arcana & minimè probabilis rationi humanæ. Fiet enim præter spem ipsorum Iudæorum, & citra illorum consilium: itaque rectè est secretum, quod Gētes attinet, tum quod ipsos quoque Iudæos spectat, denique quod Deum etiam concernit. Hinc demum aperit mysterium, hoc scilicet omnino constitutum esse diuinitùs, vt sub finem mundi conuertantur Iudæi vbertim ad. Dominum & Messiam suum. Hoc prius dixerat fieri posse, nunc affirmat certò futurum, itaque non sunt contemnendi. In argumento obseruanda sunt illa, quòd ex parte cæcitas illis contigerit, hoc est, non omnibus, nam semper aliqui mansere fideles. Deinde cæcitas eos, quos oppressit, non penitus oppressit, quin semper aliqui resipiscant: denique non æterna est, sed erit aliquando illius finis in tota etiam illa Gente. Secundò obseruetur in argumento, quæ sit plenitudo. Gentium, scilicet non omnes simpliciter complectens, sed electos omnes. Itaque plenitudo est, quæ colligit numerum completum electorum, qui quia magnus est, & est perfectus, ideo plenitudo dicitur: plenus enim erit, interim multi relinquentur damnati. Tertiò quòd totus Israel saluabitur, hoc est, perfecta erit, & generalis illorum conuersio, vt maior pars tum viuentium, agnitura sit Christum suum. Iterim multi relinquentur, vt est extra Gentium plenitudinem multitudo damnatorum: sic extra hunc totum Israelem, vel omnem, sui manebunt reprobi.

Hoc illustre est mysterium, quòd quia nondum completum est, implendum seriò credamus, antequam Domini dies ingruat. Veniat, Domine Deus æterne & omnipotens, gloriosa illa populi tui carnalis conuersio, vt Dominum & Messiam suum, nobiscum vna voce agnoscant & laudent in æterna secula.

26. *Sicut scriptum est*, &c.

Iterum sese recipit ad Scripturas, tanquam portum tutissimũ, ideóque affert testimonium Scripturæ, quòd de Iudæis non sit desperandum. Locus prior sumitur ex cap. 59. Esaiæ, vbi promittitur liberator, qui deleat peccata Iacob, hoc est, pleniorem Iudæorum numerum conuertat. Et quamquam is iam venerit, Iudæis tamen sub illam generalem conuersionem dicitur primùm venturus, quia tum primùm illum venisse agnoscent. Et hoc erit illis à me testamentum, scil. quod constat remissione peccatorum pleniore. Itaq; fœdus cum Iudæis nondum sublatum est, necdum illorum respectu completum, quia complendus electorum numerus, ex illis adhuc expectatur. Reliqua videntur addita ex Esaia 27. & Ier. 31. v. 34.

10. Ratio. 28. *Secundum Euangelium quidem.*

A distinctione alia affertur ratio, nimirum ordine decima: nam Iudæi si considerentur secundum cursum præsentem Euangelij, hostes quidem sunt, idque propter nos, hoc est, odio,

odio, non tam veritatis, quàm Gentium, non accedūt: sæpe enim fit, vt dum videmus eos admitti, quos minimè sperabamus, tū indignitate moti, ipsi nolimus accedere, alioquin accessuri. Sin verò considerentur secundum æternam Dei electionem, tum amici Dei sunt, propter patres: itaque Deo non sunt simpliciter odibiles, sed dilecti adhuc propter patres, ex quo efficitur non esse superbè contemnendos.

29. *Sine pœnitudine enim sunt dona & vocatio Dei.*

Vndecimum argumentum à constantia promissionum diuinarum, seu ab ipsa Dei natura. Deus, quæ semel promisit, constantissimè seruat. Ergo Iudæos in vniuersum omnes non repudiauit, quia semper aliqui redeunt ad mentem. Apostolus ait χαρίσματα, hoc est dona gratuita Dei non in pœnitētiam recidere, & vocationem similiter, hoc est, ipse Deus non dolet ob illas promissiones factas, nec mutat consilium quadam pœnitudine facta. Sic loquitur Malachias cap.3. Ego Dominus sum, & non mutor. Et Moses de Deo. Num.21. Non est Deus, vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. hinc in præsentia concludit Apostolus, semper aliquos ex illis adhuc seruandos. 11. Ratio

30. *Sicut enim & vos olim.*

Argumentum 12. à pari, quemadmodum Gentes post suam incredulitatem consecuti sunt misericordiam, sic erit post Iudæorum incredulitatem, vt misericordiā consequantur. Additæ sunt euentuum occasiones, illorum ἀπιστία occasio fuit gentibus ad fidem: sic Gentium salus aliquando occasionem iterum dabit Iudæorum conuersioni, & in hanc rem erat nobis diligenter incumbendum. 12. Ratio.

32. *Conclusit enim Deus.*

Vltima ratio à causa finali, quæ vt superiores aliquot ex arcano Dei consilio fuit. Iudæi cum Gentibus concluduntur à Deo sub peccatum, bono fine, vt scilicet postea in gratiam suscipiantur. Quemadmodum igitur gentes prius conclusæ sunt, & postea ad gratiam admissæ: sic iam Iudæi conclusi detinentur sub incredulitate, vt postea illorum misereatur. sic ad Gal.3. sed ratio humana illa non sic interpretatur, nos discamus ad consolationem omnia referre. 13. Ratio.

33. *O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei!*

III. Sequitur epilogus, quem diximus tertium occupare locum in hac exhortatione. Cohæret aptè superioribus: quia enim vltima ratione attigit causam finalem admodum sublimem, & quæ superat omnem captum humanum, ideo in exclamationem prorūpit, suo exemplo docens, hanc traditionem non esse altius ingrediendam. Superat naturæ captum, ideóque hîc religiosè, tanquam ad sacram anchoram, & sacrosanctas aras subsistēdum est, omnia adoranda potius in Dei prouidentia, quàm scrutanda.

Propositio est, reprobatio Iudæorum, & alia prouidentiæ diuinæ opera, non sunt perscrutanda humana ratione, sed potiùs adoranda religiosè.

Rationes sunt, primùm exemplum Apostoli, qui eò progressus, non audet altiùs hoc negotium excutere, qui tamen illustri dono fuit præditus, & in cœlesti schola, ac tertio cœlo arcana multa didicerat, quid ergo nos homunciones faciemus, in cœno huius mundi volutati ab incunabulis? Rationes cur non sint scrutanda Dei consilia. 1.

Deinde quòd hæc materia in profundum mergat, adeò vt inexplicabilis maneat. Huc faciunt tres illæ Dei virtutes in epiphonemate, *O profunditas diuitiarum sapientiæ & cognitionis*! Profunditas diuitiarum dicitur, quia Deus sua natura est αὐτάρκης, hoc est, sibi suísque semper sufficit: diuitiæ enim dicuntur, quandiu manent inexhaustæ, sin exhauriantur, iam non diuitiæ, sed deficiæ dicuntur. Deinde profunditas sapientiæ est apud Deū, quia modus & initium statui non potest, excellit omnium mortalium acumen. Tertiò cognitionis est profunditas, quia ad fines suos nouit singula applicare vtiliter. Hæc Dei natura dehortatur nos ab inquisitione. Quartò quia iudicia illius inscrutabilia sunt & viæ imperuestigabiles, hoc est, fines consiliorum non humano more expenduntur, superant captum & rationem hominis, vis argumenti est ab impossibili: Impossibilia non sunt scrutanda, talia sunt illa, ergo, &c. 2. 3.

34. *Quis enim cognouit mentem Domini?*

Confirmatio est, impossibilia esse, quæ proposuit. Locus est à pronuntiatis, ex Esa.40 sic alter quoque ex Iobo cap.41.

36. *Quia ex ipso & per ipsum, & in ipsum.*

Quarta ratio, quòd non debemus arcana Dei prouidentiæ consilia scrutari, ratio est, quia simpliciter omnia in ipsum referūtur. Vsus est autem triplici distributione, primo membro de originali loquitur principio, quia ex illo sunt omnia scil. tanquam principio efficiente sine materia subiecta: fecit enim omnia ex nihilo, quod non vidit Galenus, qui 4. Gen. 1. Ioan. 1.

putauit non possibile esse Deo, ex puluere equum excitare, quum tamen omnia ex nihilo produxerit. Deinde in altero loquitur de organo opificij, & per ipsum scilicet omnia condita sunt ὀργανικῶς: non autem alio vsus organo est, quàm suo λόγῳ, Dixit & facta sunt, per verbum omnia condidit, non vt instrumento muto & rudi, sed quale est instrumentum ars, in mente artificis. Tertiò in ipsum omnia τελικῶς, scilicet condidit Deus ad gloriam nominis sui, & vasa iræ, malos & reprobos, nedum electos. Hæc quomodo sese habeant, ratio non potest explicare, ideóque stupens ad illa mysteria Apostolus, iubet hîc nos subsistere, totúmque locum concludit comprecatione, Illi sit laus in secula, Amen, &c.

Prouer.16.



CAPVT XII.

SEXTA PARS EPISTOLÆ HVIVS, QVÆ continet παραίνεσιν, ad officia renati hominis.

Argumentum.



OCTRINA fidei duabus ferè constat partibus, cognitione & actione. De cognitione hactenus abundè multa disseruit, adeóque omnia scitu necessaria, vt quæ sit causa fidei, quod eius obiectum, quod pugnans, ad quos spectet, ad quos non. Hæc omnia copiosè explicauit exemplis in medium propositis, in Ecclesia Romana de Iudæis & Gētib.

Nunc absoluta Theoria nos deducit ad praxin: nec enim satis est Apostolo fidem profiteri ore, sed requirit illius specimen in ipsa vita nostra. Id quidem cœperat suprà cap. 6. vbi docuit non ideo nos solutos à lege & sub Christo militare, vt in peccatis maneamus, idem tamen hîc demum iusto ordine absoluit: persequitur autem veros fidei fructus, & hominis renati officia, ex quibus de bonis operibus iudicium sumi potest, primùm, quòd illa non sint prorsus separanda à doctrina fidei sed eidem subiici debeant, tanquam veri fructus: deinde qualia illa sint, modestia, diligentia faciendi officiū, beneficentia in indigentes, obedientia erga superiores, patientia, constantia, cōdolentia, & similes virtutes, quæ fidem suo habitu expoliunt, & in theatrum mortalium producūt. Hæc elegantissima est politia Ecclesiastica, in qua singuli ad nutum Domini in statione vigilant, multóque formosior, quàm hesperus, foret Ecclesia, si in hanc partem vigilantes essemus. Verùm dum Democriti risu potius nostra & populi ludibria spectamus, quàm Heracliti lachrymis communia orbis scelera deflemus, fit, vt fidem mundus ore circumferat & μέχρι τῶν λόγων Christianus sit, vita & moribus nihil minus præstet. Consideranda igitur diligenter est Apostoli doctrina de renati hominis officio, vt discamus bene & rectè viuendi ratione etiam periti esse Christiani.

Propositio. Πρότασις. Scopus eorum, quæ sequuntur in his 12. 13. 14. & partim 15. capitibus est, Christiani homines professionem suam fidei, vita & moribus omni studio, singuli ornare debent citra arrogantiam.

Partes. Partes hoc ordine cohærent. Initio generalis est exhortatio, vt singuli dignè ambulent sua vocatione, mox vt res amplior sit, prosequitur officia eorum, qui in Ecclesia ferè præsunt, quales sunt ministri, diaconi, presbyteri, &c. Hinc communia etiam præcepta, quæ ad omnes spectant tradit, hæc omnia, quia ad priuatos singulorum mores spectant, ideò ἠθικὰ dici possunt. Secundo loco pios considerat relatiuè, respectu scilicet quatenus magistratibus suberant, tradítque salubria præcepta, ne sub specie religionis mouerent seditiones contra ordinatos magistratus, quare religio Christi in primis emersit inter Ethnicos, quòd videret Christianos in primis beneficos, & pacis amantes esse, sub qualicunque magistratu viuerent. Itaque hæc politica sunt, reguntur tamen superiori charitatis regula quoque.

Tertiò transit ad res medias, qualia sunt cibus, potus, dies festi, & similia: de his litigabant temerè, aliúsque singulis vtebatur pro re oblata, reliqui hunc damnabant, ipsi timidiores, aut ille magis temerarius libertate fretus, reliquos præ se cōtemnebat, & fortè in odium illorum audacior erat. Hæc corrigit, docens, quomodo rebus mediis sit vtendum,

dum, ista ἀδιάφορα liceat vocare.

Demum iubet vt infirmorum habeatur ratio, nam fides prouida esse debet, & regi dilectionis regula, quæ non permittet quicquam fieri cum fratris detrimento, qui in fide nondum profecit tantum quantum nobis videmur nos profecisse. Hæc ferè sunt, quæ his capitibus quatuor explicantur.

Ac quod præsens attinet caput tria ferè sunt, ad quæ omnia spectant: primùm enim multis rationibus hortatur omnes, vt dignè ambulemus vocatione nostra, deinde specialiter omnibus ordinibus in Ecclesia commendat modestiam, vt singuli sua curent sine curiositate. Tertiò communia dat præcepta, quæ tam doctores, quàm auditores concernunt, omnia autem communi charitatis regula limitantur.

1. *Precor igitur vos fratres, per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra.*

Transitio est à superiori doctrina fidei ad officia fidelium: nam cùm fides in animo hæreat, non possumus de illa iudicare, nisi à posterioribus, ideóque necessum fuit per effecta describi ipsos fideles.

Consideretur autem propositio loci, deinde illius confirmatio, hoc est, quibus rationibus subeat id, quod instituit, Propositio illis verbis constat, *Sistite corpora vestra Deo*, hoc est, dignè ambulate vocatione Dei, vel vita & moribus ornate fidei professionẽ. Vtitur synecdoche consueta, corpora iubet Deo sistere, hoc est, nos totos: à parte notatur totum, ac à parte deteriore: corpus enim deterius spiritu, alias caro & sanguis dicitur, alibi à præstantiore parte notatur, vt omnis anima corrupit viam suam, hoc est, omnis homo. Hîc à deteriore notauit hominem, quia à peccatis reuocat, quæ in corpore & per corpus committuntur. Et quia sistenda sunt Deo, intelligis ab alienata iam fuisse, tanquam iniqua tyrannide contra ius possideri à Satana: restituenda sunt igitur Deo, quod fit innouatione vitæ. Et huc facit verbum παραςῆσαι, quod non simpliciter significat offerre & reddere, sed spectandum & explorandum præbere, quasi dicat, ita viuite coram Deo, tanquam ab eodem probandi & examinandi. Hactenus propositio, quòd oporteat fidem ornare vita & moribus, vel coram Deo innocenter ambulare. Propositio

I. Rationes instituti multæ sunt, eas hoc ordine expende, prima à cõtestatione Apostoli valet, Obtestor vos vel precor vos, vt id faciatis. Idẽ est Apostolus, qui docuit iustificationem per fidem & nudam gratiam nobis dari, qui iam docet vita & moribus eandẽ fidem ornare, non igitur dubium est, quæ res sit necessaria. Nec contemni hoc argumẽtum debet, quia in Apostolo obsecrante, Deus est iubens & mandans, imò obsecrans: nã 1. Cor. 5. pro Christo, legatione fungimur, Deo in nobis obsecrãte, oramus pro Christo, vt reconciliemini Deo. Duo igitur sunt, qui nos rogant, Deus & Apostolus Paulus, vterque mandare poterat, ille tanquam creator, pleno iure, hic vt legatus Dei nomine, sed volentes ducere magis cupit, quàm inuitos trahere. Confirmatio.

II. Quia frater à fratribus hoc petit, ideo faciendum est, nam singulari affectu dicit fratres: erant in illa Ecclesia Iudæi & Ethnici, omnes promiscuè, fratres vocat, & se illis parem facit humilitate, studio innocentis vitæ, aliísque ornamentis, turpe igitur sit tantũ doctorem præeuntem non sequi.

III. A persona Dei, nã per eius viscera eos obtestatur, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ. Scriptura visceribus tribuit sedem miserationis, & misericordiam, suprà causam efficientem statuit electionis, & fidei nostræ, non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei: ideo eam supremam causam reuocat in mentem illis, q. d. per rem sanctissimam, & charissimã vos vrgeo, si vobis grata est Dei miseratio, si aliquando sensistis gratiam, facite, vt eidem respondeatis vita ac moribus. Solent homines, non nisi in grauissimis per res charissimas alios contestari: Ethnici per salutem, per capita filiorum, &c. Sup. 9.

IIII. A magnitudine rei, quia studium innocentiæ habet rationem sacrificij apud Deum, quæ res inter præclarissima semper fuit. Iudæi nouerãt suas hostias Deo placere, nec erat ferè peccatum, quin aliqua hostia expiaretur, vt in gratiam cum Deo redire possent. Tale sacrificium est innocentia vitæ, huic igitur imprimis est incumbendum: Græci θυσίαν ab offerendo & immolando vocarunt: Latini hostiam à deuictis hostibus, & victimam à victoria. Vide igitur, quanta sit vitæ innocentis dignitas, habita iustitiæ ratione apud Deum: vincimus enim mundum hoc ipso studio, & hostia est, quam Deus nõ minus gratã habet, quàm olim Mosaicas. Apostolus hostiã Christiani hominis magnificè illustrat: primùm est viua ζῶσα, quo distinguitur à Mosaicis, quæ mortuæ erant, & est ζῶσα quia à viuis in Christo offertur, deinde quia vitæ accedit, quantũ decedit peccatis. Peccatum res mortua est apud Deum, & tenebris digna: innocentia verò vitæ vita, adde quòd per hãc, gradũ figimus ad æternã vitam. Deinde est ἁγία sancta, remota à terrenis, sancta etiã, quia firma & diuina authoritate sancita, & sancta, quia sanguine sæpe est ob- Hostia Christiani hominis.

signanda. Tertiò εὐάρεστος Deo placet, significans studium innocentiæ certum esse de voluntate Dei: nam multa sunt hypocritarum opera, quæ non habent promissionem, quòd Deo placeant, vt peregrinationes, adorationes diuorum, monastica vita & opera, quæ & similia carent illo testimonio. Simplicitas vitæ & innocentia, certa est de voluntate Dei: placet Deo, igitur faciendum est.

Quartò est λογικὴ λατρεία, *Rationalis Dei cultus*, præfertur his vitæ innocentia, non solùm Mosaicis hostiis, sed Christianorum omnibus sacris, quasi dicat, hîc verus Dei cultus est, qui constat in vitæ innocentia. Valeant igitur reliqua omnia, hunc seriò amplectatur fidelis. Dicitur autem λογικὴ λατρεία, primùm, quòd in re prædita ratione fiat: homo enim de se suisque affectibus offert Deo, hoc est, in illius gratiam affectus deponit, peccatum domat, resistit cupiditati, materia subiecta λόγον habet. Deinde, quia constat ratione, mente & anima incipit hoc sacrificium, peragitur mox vita & moribus. Tertiò rebus feliciter succedentibus innocenter viuendo, hoc est, dum proficimus benefaciendo, mox Deo gratias offerimus, quod sacrificium est precum, laudis & gratiarum actionis. Psalm. 40.50. Adde quòd huius sacrificij certior est ratio, & vetera quoque explicat: nam cur Iudæi suas hostias occiderent, vix dicere poterant, nisi quòd Deus ita iussisset. Sed nos hostias dicimus occisas, quia peccator, pro quo offerebantur occidendus erat. Deinde adũbrabatur mors Filij Dei, quia vna & perfecta hostia satisfacturus erat pro peccatis electorũ. Sic nos occidimus nostras hostias, hoc est, affectus, quia Deus iussit & Filius Dei mandauit, vt innocentia vitæ illum imitaremur. Huc pertinent rationes, quas capite 6. suprà congessimus, & quæ ad Coloss. 3. Apostolus habet, ac alibi.

2. *Et non similes reddamini seculo huic.*

Speciosa & illustria fuere superiora argumenta ordine octo, iam hîc nonum subtexitur, sumitur à contrariis, nolite conformes fieri seculo huic, hoc est, mundo, qui Deo est per omnia contrarius. Et mundus mundanos significat, sic ad Ephe. 4. Ne ambulaueritis deinceps, vt reliquæ Gentes 1. Ioan. 2. Nolite diligere mundum 1. Ioan. 6, mundus totus in malo est: sic hoc loco prohibet, ne similes fiant mundanis hominibus. Emphasis autem argumenti est in eo, quod ait, nolite conformes reddi συσχηματίζεσθε. σχῆμα est figura rerum inanimatarum, id igitur vult, si reddamur illis conformes, nihil aliud agimus, quàm deposita naturali forma, quam à Deo habemus, transimus in brutorum figuras, insensati, stipites, trunci, duri lapides reddimur, stupida pecora, tales reuera sunt homines carnales, & qui seculi huius studia sequuntur: videant igitur illi, qui virtutem faciũt & studiosè agunt. *dass sy sich in die vvelt sickrem.*

1. *Sed transformemini per renouationem mentis vestræ.* 10. argumentum, studium innocẽtiæ & honestæ vitæ est ἀνακαίνωσις mentis, & est quædam μεταμόρφωσις, igitur studiosè est sequenda. Cùm metamorphosin vocat, satis indicat μορφὴν amissam fuisse, & iam reparari in Christo. Deinde opponitur figuræ σχήματι, quæ est mundi, & speciem habet elegantem sine solida veritate: μορφὴ contrà hominis est, & firma: nititur enim imagine Dei. Magna igitur est vis argumenti, si per innocentiæ studium redire licet ad amissa bona, vtique sectanda est. Deinde ἀνακαίνωσις renouatio amissam integritatem significat, quæ licet per opera per se non conficiatur, tamen per illa declaratur & cognoscitur, vt sit argumentum à posterioribus, cognoscemini per hoc renouati mente vestra, igitur in id incumbendum est.

Vt probetis, quæ sit voluntas Dei. Vndecimum argumentum à fine, voluntas Dei stabilitur studio innocentiæ, igitur, &c. δοκιμάζειν, primùm est explorare, quantum res ponderis habeat, deinde approbare illud cognitionis hoc vitæ est. Probatur voluntas Dei, h.
Ioan. 11. e. approbatur à sanctis: beati. n. non qui cognoscunt, sed si feceritis illa. Reliqua tria ad voluntatis descriptionem videntur pertinere, quia sit bona, accepta, & perfecta. Sed singula præstant etiam argumenta.

XII. Argumentum igitur sit, quia est ἀγαθὸς, hoc est, studium innocentiæ per se honestum est, etiam Ethnicis testibus, quanti hoc fecerint Philosophi, videre est apud Platonem & Ciceronem. Aristoteles in Ethicis primas non dubitat innocentiæ tribuere, & natura ipsa tales absoluit, vnde illud, Integer vitæ scelerísque purus, non eget Mauri iaculis nec arcu: magis igitur Christiani huc debent incumbere.

XIII. Est etiam εὐάρεστον, hoc est, Deo approbatur, Estote sancti, quia ego Dominus
Leuit. 11. 44. Deus vester sanctus sum. & Matthei 5. Estote perfecti, quia, &c. Et prius iam dixit sacrifi-
1. Petr. 16. cium hoc. Deo esse εὐάρεστον: constat itaque de voluntate Dei, nos addamus vitam.
Matt. 20. 16. XIIII. est τέλειον, hoc est, Christianismus his perficitur, Deus gratis adoptat in filios,
Matt. 7. 16. & 20. & prædestinat ad bona opera, in his igitur ambulandum est, alioqui imperfecta est vocatio nostra: & valebit, Multi vocati, pauci electi, item, ex fructibus cognoscite illos, non

potest.

potest mala arbor bonos ferre fructus, & bona arbor malos fructus. Nec est cur metuamus perfectionem nobis tribui, hinc perfecti cognoscimur, & nos agnoscemus Dei esse dare, & velle, & perficere. Sed quæ est ratio, cur tandem nolimus manum aratro apponere? certè prodimus nos, quòd nec velle, nec perficere habemus. Itaque foris manebimus: agamus ergo & viuamus, vt ornetur nostra professio.

3 *Dico enim per gratiam, quæ mihi data est, omni qui inter vos versatur.*

Secunda pars capitis: hactenus enim in genere exhortatus est ad vitæ innocentiam, nunc specialiter commendat nobis modestiam, idque adeò, vt neminem prorsus excipiat.. Propositio specialis est, non arroganter in donis nostris, sed modestè sentiendum est omnibus. 2. Pars cap. Propositio.

Confirmatio est, primùm, quia Apostolus hoc iã non orat, sed præcipit, λέγω vim habet præcipientis, quasi dicat, impero vobis, hoc volo vos in primis seruare, ne sitis arrogãtes.

II. Quia non sua authoritate facit, sed pro authoritate sibi diuinitus data, hanc vocat gratiam, quia nullo suo merito vocatus est ad Apostolatum.

III. Quia generale est præceptum, quo omnium hominum ordines tenentur, igitur singulis studiosè tenendum. His tribus rationibus subiecta est propositio, tandem sapere oportet, non vltra modum, sed ad sobrietatem. Græca habent elegans homio teleuton, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, hoc est, nemo de se arroganter sentire debet, sed summa modestia. Σωφροσύνη hîc modestiam accipe, quæ virtus est de se moderatè iudicans.

IIII. Argumentum à fine, Iudicium de nobis debet resipere σωφροσύνην, hoc est, sobrietatem, ergo modestè de nobis sentire debemus. Hinc dicta est σωφροσύνη, ὡς σώζουσα τὴν φρόνησιν. Prudentiæ comes est temperantia, hinc arrogantia stolidos & imprudentes comitatur.

V. Donorum author Deus est, igitur de his nos non debemus superbire: non. n. nos illorum authores sumus, dona Dei sunt, non tua.

VI. Ad modulum data sunt, quem transgreditur superbia & arrogantia, modestia hunc modum seruat.

VII. Fidei hæc est mensura, μέτρον πίστεως, igitur non ad excessum rapienda, μέτρον ἄριστον, igitur magis fidei μέτρον.

4. *Quemadmodum enim in vno corpore.*

Plenior sequitur confirmatio propositi loci de modestia, in iudiciis propriis de nobis ipsis. Sumpta est à simili, quo vsus est Menenius Agrippa quoque ad plebem seditiosam contra patres, vide Liuium. Tractatio apud Paulum duo habet, primò affertur simile, deinde applicatione inde efficitur argumentum. Similitudo habet illa, membrorum non esse eandem functionem, deinde eadem membra nõ inuadere alienas functiones, tertiò operam ad commune bonum conferre. Primùm varietatem donorum commendat, alterum πολυπραγμοσύνην prohibet, tertium finem vtilem indicat.

5. *Sic multi vnum corpus.*

Applicatio argumenti, ergo fideles non debent arroganter de se sentire, nec turbare vocationes, sed ad commune bonum labores conferre. Familiare est Apostolo fideles vocare membra, & corpus Christi, 1. Cor. 12. Ephes. 4. Col. 1. & 3.

6. *Habentes autem diuersa dona.*

Locum de modestia retinenda, contra πολυπραγμοσύνην, specialiter persequitur in his, qui Ecclesiæ præerant, vt videant singulis per ordinem modestè esse sentiendum. Initiò repetit per concessionem argumentum, quo suprà est etiam vsus, dona esse quidem multa & differentia in Ecclesia, sed interim illis esse considerandum, quòd sint χαρίσματα, & κατὰ χάριν δοθέντα, nihil igitur est causæ, cur de his superbiant. Sic nomen ipsum & origo, vel causa efficiens admonet mox nos modestiæ.

Huic additur enumeratio per distributionem, qua videtur ordinem quendam officiorum in Ecclesia illa notasse, ac singulos admonuisse modestiæ. Primi sunt Prophetæ, hoc est, doctores & interpretes Scripturæ, quales 1. Cor. 14. Nec enim hîc sunt illi, qui futura prædicunt, de his in Actis diximus, & in locis nostris His modestia est seruanda sic, vt secundũ analogiam fidei doceant. Id intelligi potest, primò vt nihil proferãt cum articulis fidei pugnans. Scripturam & fidem non cõmittant, sed concilient. Deinde modum sui doni respiciant non grandiora suo captu proferant, quod esset ὑπερφρονεῖν, nimis alta sapere, quod sæpe accidit in interpretatione Scripturæ & concionibus. Tertiò vt fideles sint, hoc enim requiritur in ministro, doceant igitur quod fides postulat, hîc nihil supprimant, nihil addant de suo. Denique ãnalogia fidei, quod ei est analogum, & correspondens, adeò vt non sit ad verba contextus ligatus, sed libera interpretatione vti possit, mo- 1. Prophetæ. Scripturæ interpretibus seruandam esse modestiam.

dò cogitationes illius consentiant cum loco proposito,& is dirigatur ad fidei capita, tanquam ad scopum.

2. Diaconi. 7. *Siue ministerium in ministrando.* A summo gradu Prophetarum exorsus, descēdit ad inferiores ordines. Præscribit igitur secundo loco modestiam etiam diaconis, quasi dicat, Diaconus nō sit curiosus de aliena functione, sed suam diligenter obeat, quæ summa est virtus, rem suam curare. Erant diaconi, bonorum Ecclesiæ dispensatores, ideóque in ministrando vult esse occupatos, hoc est, pauperibus, viduis, ægris, aduenis, pupillis diligenter subueniant, ne vnum pedem in curia, alterum in Ecclesia teneant. Huc pertinent officia præsidum xenodochiorum, publicæ eleemosynæ, leprosorum, mendicorum.

7. *Siue qui docet in docendo.*

3. Doctores. Tertius locus datur doctoribus, hoc est, qui in Ecclesia docent rudem populum: Ferè iidem sunt Prophetæ in veteri Ecclesia, hodie magis distinguerentur, Prophetæ nobis essent professores scholastici: doctores autem ministri Ecclesiæ. Debent hi quoque modestiam seruare, & rem suam curare, hoc est, docere, ne velint vno pede curiam, altero suggestum occupare, vna manu gladium, altera librum ostentare, fortè lapidem & panem, &c. Huius rei exemplum habes in Apostolis, Act. 6.

4. Visitatores ęgrotum. 8. *Siue qui exhortatur in exhortatione.* Quartū locū dat consolatoribus, vel exhortatorib. quales hodie esse possunt, qui ægris visitandis & captiuis consolandis præficiuntur, vtrique opus habent consolatione. In eo igitur officio positi, modestè agere debent, & curare vt παράκλησις iusta sit.

8. *Qui distribuit in simplicitate.*

5. Dispensatores eleemosynarum. Ioan. 12. 6. Quinto loco recenset distributiones eleemosynarum, pertinet illæ ad diaconos etiā, de quibus secundo loco dixerat. Debēt in simplicitate distribuere, quod duplici modo intelligi potest, tum vt sine fraude hoc faciant, ne quid interuertāt de bonis Ecclesiæ, vt Iudas fecit, vnde fur dictus est: deinde vt sine respectu personarum, & sine affectu id faciant, ne suis prospiciant, aut officio deuinctis, alios negligant. modestia igitur & hîc opus est, ne quiduis sibi licere putent.

6. Censores Ecclesiæ. 8. *Qui præest, in diligentia.* Sexto loco idem præcipit præsidibus Ecclesiæ, hoc est, presbyteris, qui mores obseruabāt publicos, & disciplina aliqua in ordine retinebāt singulos: erant isti tanquam censores, & magna illorum fuit authoritas. Erāt autem duplices presbyteri, alij in ministerio versabantur cum aliis doctoribus, alij de cœtu laicorum selecti disciplinæ custodes erant, homines ætate, prudentia, moribus graues, de quib. hîc loquitur, illi officio adsint omni diligentia hinc fit vt aliena minimè curent. De his 1. Tim. 5. Tit. 1. Act. 14.

8. *Qui miseretur in hilaritate.* Septimo loco redit ad diaconorum partes, vt illi officij memores sint. Porrò ἐλεῶν dicitur, qui ad hoc ordinatus est, vt miseris adsit, vt sint eleemosynarij, & ægrorū præfecti, quales erant olim viduæ, quę in hoc alebantur, vt ægros curarent, & senes aliqui, qui aduenas exciperent. In his requiritur hilaritas, vt ægri circumstātium hilaritate & consolatione subleuentur: sic aduenæ sine tristitia excipiantur, non rugata fronte, & dimisso supercilio videant omnia fieri. Hæc illorū est modestia, superciliū & tristitia videntur aliquid habere arrogantiæ, faciles igitur & affabiles esse eos oportet.

VIRTVTES OMNIBVS COMMVNES, QVIBVS singuli fidei professionem ornare debent.

9. *Dilectio sit minimè simulata.*

De bonis operibus doctrinam exorsus erat, à communi exhortatione, multísque argumentis indicauit, quod sit officium regeneratorum. Deinde contra πολυπραγμοσύνην modestiam commendans, accomodauit iam ad personas, quæ in Ecclesia ferè præsunt tum docendo tum subseruiendo, quales sunt doctores & diaconi.

Argum. huius loci. Nunc tertio loco catalogum percurrit virtutum diuersarum, quæ ad fidem ornandam & testificandam pertinent, nec intelligamus hîc ornatum fortuitum & leuem: sed qui sit proprius habitus fidei, sine quo non sit, aut certè admodum rarò sine quibusdam, nunquā verò careat omnibus, quin aliquas & insignes habeat. De his igitur, singuli quidem loci & libri poterant scribi, vt fit in Ethicis: attamen nostro more seriem orationis & vim argumentorum tantùm indicabimus.

1. Virtu renati hominis dilectio. Tobiæ. 1. 2. Sam. 6. 16. Prima virtus renati hominis est dilectio, quæ Græcis ἀγάπη, ab ἄγαν ποιεῖν videtur dici, quia operosa est, adeò vt interdum non careat reprehensione apud homines mundanos, quemadmodum in Tobia videre est, qui sepelit mortuos inter Ethnicos, colligit famelicos. Dauid saltat ante Arcam Domini, Christus benefacit quibusuis obuiis. Ioses vēdit agrū, & pretium defert ad pedes Apostolorum, Act. 4. Alij ęgros curant in peste, quos nemo

nemo adire dignaretur, multi sanguinem pro fratribus effundunt, id hominibus mūdanis insanum videtur. Sed Scriptura nos instruit hunc finem esse mandati, 1. Tim. 1. Ædificate, 1. Cor. 8. & 1. Cor. 13. præfertur linguis, Prophetiæ, dono miraculorum, nam hac vnica in primis indiget proximus. Qualis autem debeat esse hîc indicatur, scil. ἀνυπόκριτος: sic 2. Cor. non ficta dicitur: nam homines natura propensi sunt ad simulandum: dum enim esse non possumus, aut non placet, tamen videri volumus. Hinc nullus tam impius est, quin videri velit iustus & bonus: id in primis cauendum est in dilectione.

Secunda virtus odisse malum, & adhærere bono, dicitur Græcis μισοπονηρία & ἀγαθοφιλία coniuncta sanè sunt, qui odit mala, oportet vt bona amet: nam animus hominis non potest esse vacuus, dispositiones sese mutuò pellunt. Est autem μισοπονηρία naturale odiū erga vitia, quale erat Timonis erga homines, id Apostolus dixit ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν, ἀποστυγεῖν capitaliter est odisse, inde στὺξ, infernus sentina sceleratorum, vbi nihil nisi odium & inuidia regnat. Docemur hîc seriò detestanda esse vitia, & seriò amplectendas virtutes, ne vtrunque, vt fit, leuiter & aliud agendo faciamus, in conspectu Domini seriò & atrociter damnantur scelera, sic nos etiam de eis iudicare debemus. 2. Virtus, odisse malum.

Tertia est φιλαδελφία à fratrum amore ducta, vt ἀγάπη videatur latiùs patere, etiam ad ignotos, deinde in primis sumptus respicit, quos facit cibando, vestiēdo, &c. Hinc Agape dicta Cœna Domini, quia in ea pauperes reficiebantur. Sed hoc ad notos, aut iunctos sanguine, vel religionis vinculo obstrictos referatur: quatenus enim fratris nomen extenditur, eatenus etiam fratrum dilectio, qua significatione parum ab Agape differet. De hac vide Hebr. 13. & 1. Petr. 2. Omnes honorate, fraternitatem diligite. 3. Virtus amor fraternus.

Quarta est τιμὴ, hoc est, reuerentia, qua alios facilè nobis patimur præferri, imò ipsi id facimus, honore nos mutuò præuenientes, quod fit verbis, deinde reipsa concedendo digniorem locum. Damnat hęc virtus φιλοτιμίαν, quę ambitio multos vexat, fortè non reputamus id amplius verum esse, quod dixit Aristoteles, Honor non honorati, sed honorantis est. 4. Virtus reuerentia.

Quinta vigilantia, *studio non pigri* σπουδὴ dicitur tum illa diligētia quæ adhibetur à discentibus, tum illa quæ est in exequendis muniis, hinc σπουδαῖοι dicuntur boni viri, studiosi, his opponitur, ὀκνηρότης segnities, tarditas ingenij & voluntatis. Impigros vult fides nos esse paratos ad labores, hilares ad agendum, odit fides otium & pigritiam: dicta enim est, quòd fiat. 5. Vigilātia.

Sexta, *Feruor Spiritus*, quum enim fides sit donum Dei excitatum à Spiritu sancto in pectoribus nostris, fieri non potest, quin ζέσιν afferat. Dicitur autem ζέσις efferuescentia motuū vel spirituū circa cor. Hinc Aristoteles iram descripsit, quod ὀργὴ sit ζέσις αἵματος περὶ τὴν καρδίαν, hos motus sibi vendicat fides & reguntur Spiritu sancto, ideóque causam efficiētem addidit Spiritum. Et cùm Dei Spiritu excitetur feruor iste, noster quoque Spiritus, hoc est, animus feruet, ardet amore Dei & proximi, aliisque sanctis virtutibus. Hoc fortè est, quod dicitur ad Timo. Excita donum, quod in te est per impositionem manuum mearum. & in priore Epist. cap. 4. Ne negligas donum, quod in te est, quod tibi datum est per prophetiam, 1. Thes. Spiritum sanctum nolite extinguere. 6. Virtus, Spiritus feruor. 2. Tim. 1. 6. 1. Thes. 5.

Septima, *Tempori seruientes*, hoc est, occasioni, quid quoque tempore expediat, sic Paulus omnia omnibus factus est, fides enim prudentiam habet, & temporum momenta venatur. Paulus alibi Timotheum circuncidit, Titum verò minimè, iam radit caput, purificatur cum Iudæis, iam eadem fortissimè impugnat. Quòd si legas, Domino seruientes, significat omnia ad gloriam Dei, tanquam cinosuram per fidem referri, hunc supra omnia & diligit & metuit. 7. Virtus tempori seruire.

Octaua, *Spe gaudentes*, ἐλπὶς, futuri boni est expectatio, quod est vita æterna, cuius seminaria hîc Deus delibat suis electis. hinc fit, vt spes sine metu sit, quia certa est de euentu: habet autem gaudium, quod est præsentis boni opinio, ideóque non pugnant spes & gaudium. 1. Pet. 4. 8. Virtus, spes.

Nona ὑπομονὴ, *in afflictionibus perdurantes*, dicitur ὑπομονὴ, quæ aduersos casus irruentes fortiter sustinet. Est illa fortitudo Christiana, quæ cadere nescit aduersis, veræque fidei fructus & argumentum. 9. Ὑπομονή. fortitudo.

Decima, προσκαρτερία, refertur hæc sid orandi studiū, vt ὑπομονὴ ad aduersa. Deus enim non mox audire solet interdum, vult tamen indefessam inuocationem esse. Lucæ 18. 1. Th. 5. & in actis fideles orant sine intermissione. 10. Constātia. 11. Hospitalitas.

Vndecima, *Vsibus sanctorum communicantes*. Hospitalitatem & beneficentiam coniungit. Vtrique limitem ponit, quia χρεία, vsus & necessitas postulat has virtutes, hinc collecta fit 1. Cor. 16. pro pauperibus in Iudæa, & 2. Cor. 8. Vestra copia illorum inopiam subleuare debet, ideóque non voluptatibus inseruire debet. Habet autem hæc virtus tam

præſentium, quàm abſentium rationem ſi fieri poſſit. Hoſpitalitatem limitat ſtudio quærendi occaſiones benefaciendi, quod eſt διώκειν: ſic Loth & Abraham, quærunt quos excipiant.

Gen. 18. & 19. Duodecima. *Benefacere inimicis.* Hæc verè piorum eſt, & ad ardua ducit, ſuperiores in

12 Beneficentia. Ethnicis quoque reperiri poſſunt, quanquam fine errent & origine. Hæc tamen aliena eſt ab Ethnicis, præcepit hanc D. Chriſtus prior apud Matth. 5. hic à Paulo, & infrà. 1. Cor. compleuit, Maledicimur & benedicimus. Et ne putes, obiter hoc illi excidiſſe verbum, repetit idem ſubmoto etiam contrario, benedicite, inquam, & nolite execrari. Sancti leguntur aliquando vſi execrationibus, vt Paulus, Percutiat te Deus, paries dealbate.

Act. 23. 3. Matt. 3. 7. Pſal. 59 26. & 109. & Ioannes Baptiſta, Germina viperarum. Et Chriſtus, Cæci ſunt & duces cæcorum, progenies viperarum, & generatio praua. Et Dauid, Fiat menſa eius in laqueum, quæ nos ad

13. Virtus. exemplum rapere non debemus, quæ quatenus liceant diximus in locis. Fides illa limitat & regit, non ratio humana.

Decima tertia, *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus*, id ſuprà ferè dixit, tempori inſeruite, ſumptum ex Eccleſ. cap. 3. Eſt tempus ridendi, tempus flendi. Sed eſt limitanda propoſitio indefinita, non enim cum tyrannis ridentibus ridendum eſt, nec cum ſceleratis flentibus ſtatim flendum eſt, ſed in cauſa iuſta & pia.

14. Conſenſus in doctrina. Decima quarta, *conſenſus in doctrina in conſuetudine vitæ:* huc pertinet Pſal. 133. Quàm ſuaue & iucundum eſt fratres habitare in vnum.

16. *Non alta de vobis ſentientes.*

Concluſio eſt generalis propoſitionis, de modeſtia retinenda in vocationibus. Repetit quod dixerat verſu 3. & explicat ſe voce ὑπερφρονεῖν: dicitur hîc τὰ ὑψηλὰ φρονεῖν, καὶ γίνεσθαι φρόνιμον παρ' ἑαυτοῖς. Interim virtutes interpoſuit, quæ ſingulæ vim habent argumenti cur non ſit ſuperbiendum. Suadet hoc dilectio, μισοπονηρία, φιλαδελφία, & reliquæ virtutes. Omnibus igitur cauendum eſt hoc vitium, contrariiſque virtutibus, quia fidem ornant, incumbendum eſt, &c.

FIDES QVAS VIRTVTES REQVIRAT RESPECTV inimicorum noſtrorum

17. *Nulli malum pro malo reddentes.*

Argum. huius loci. Propoſitio. Apoſtolus docuit quales cum amicis eſſe debeamus in conuerſatione publica, item quales priuatim in ornanda fide: nunc ducit nos ad magis ardua, quales ſcilicet cum inimicis nos eſſe oporteat. πρότασις, electi quoque cum inimicis pacificè debent viuere, nedum vt ipſi ſummo iure iniurias ſuas proſequantur.

Huc pertinent quinque illæ virtutes: malum pro malo non reddere, 2. rectius ſingula interpretari, 3 pacem ſeruare. 4. non auidum eſſe vindictę, 5. inimicum paſcere, quibus tandem ſubnectit concluſionem generalem. Itaque renati imprimis curare debent, ne vincantur à malo, ſed boni ſtudio potiùs vincant omne malum. Has virtutes explicabimus breuiter, reliqua ad locum communem reſeruaturi.

I. *Nulli malum pro malo reddentes.*

Doctrina neceſſaria eſt, quia Philoſophi ferè eo vtuntur axiomate, Amicis bene inimicis malè faciendum eſt, quanquam Socrates & Seneca, etiam inimicis benefaciendũ eſſe ſuadeant. & in Critia Plato docet, τὸν ἀδικούμενον, οὐ δεῖν ἀνταδικεῖν ἐπεὶ δεῖ οὐδαμῶς ἀδικεῖν, hoc eſt, iniuria affectus, non debet iniuriam referre, quandoquidem ſimpliciter iniuria facienda non eſt. Hoc illi rectè, & piè docent, quanquam cauſam & originem non ſciant: electi norunt, illa eſſe ornamenta fidei, quæ Spiritus ſanctus in illorum pectoribus excitat. Profecta eſt autem doctrina hæc ab ipſo Deo: nam in Prouerbiis Salo-

Prou. 20. 22. mon docet, Ne dicas in corde tuo, malum reddam pro malo, expecta Dominum, & ipſe liberabit te. Hanc doctrinam illuſtrauit poſtea Filius Dei, Matth. 5. corrigens legem talionis, Ego verò dico vobis, ne reſiſtatis malo. Et Pet. 1. Epiſtola 3. Non reddatis malum pro malo, aut conuitium pro conuitio, ſed cõtrà benedicite, quia filij benedictionis eſtis. Et 1. Cor. 6. Grauiter à ſtudio litigandi reuocans ait, Cur non potiùs iniuriam patimini, cur non potiùs damnum fertis. Hæc illa virtus eſt, qua primitiua Eccleſia excelluit, ac creuit ferendo, non reſiſtendo, ad hanc, quia redditi ſumus inhabiles, res Chriſtianiſmi in deterius ruunt in dies. Ac perſpicua eſt doctrina, Nemini reddendum eſt, ergo nec inimicis, minus amicis.

17. Προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων. *Procurantes honeſta coram omnibus hominibus*, vel prouidentes bona. Arbitror verbum προνοεῖν idem ferè eſſe, quod ſimpliciter νοεῖν, nos appellamus, *gedunncken*, vt ſit ſenſus honeſta præſumenda eſſe de omnibus, palam

lam quoque: illud enim propriũ est fidei per dilectionem operantis, vt est 1.Cor.13. Dilectio non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat: hoc quia facit de omnibus, ideo de inimicis quoque. Præ iudiciũ est fidei, prius quam lædant, manet etiam in læsione, & post iniuriam illatam vix deponitur. Hæc est illa προνόησις, publicè autem illius debent extare testimonia. Idem dicit coram omnibus hominibus, potest tamen sensus esse ad res ipsas subiectas, hoc est, vt de honestis semper cogitemus, vt id homines quoque in nobis possint obseruare.

18 *Si fieri potest, quod vos attinet cum omnibus hominibus pacem seruantes.*

Strictè nobis commendat studium pacis, nam εἰρηνεύειν amplius quiddam est, quam εἰρηνοποιεῖν vel etiam εἰρηνῶ: significat autem omnes pacis venari occasiones, quasi pacem venari, queadmodum θηρεύειν, quare intimè nobis commendata sit. Deinde quia vniuersaliter omnes eius vinculo includit, κατὰ πάντων: nam cum amicis & sodalibus, benefactoribus, diuitibus, fortè seruabimus pacem facilè, sed ardua magis præcipit, vt ostis & inimicus diligatur. Tertiò à nostra persona nullam admittit excusationem, difficilis est, morosus, intractabilis, violentus quid tum? tu quære pacis occasionem, nolo excusationem tuam, sed pacem. Quartò, si fieri potest, hoc est, nisi ad impossibilia deuenias, seruanda tibi est, rarum autem sit, vt eò res deueniat. Itaque illa seruanda est, Impossibilitatem autem intellexit, quæ gloriam Dei concernit, & fidem in Christum violat, quæ nisi obtrudantur ab inimico, in cæteris omnibus ignoscendum, vt pax integra maneat. Pacis cõmẽdatio.

Hinc toties nobis commendatur, Christus, Mar.9. Pacem habete inter vos, & Ioan. 14. Pacem meam relinquo vobis. Ad Gal. 5 inter fructus Spiritus sancti commemoratur. 1. Cor.14. Deus dicitur Deus pacis, non discordiæ, vt intelligas discordes Satanæ potiùs filios, quàm Dei esse. Sic 1.Thess.5. & 2.Thes.3. Deus pacis dicitur, similiter 2. Cor. 3. Ad Heb.12. Pacem sectemini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit.

19. *Non vos ipsos vlciscentes, dilecti.*

Quarta virtus, quam cum inimico exercere debemus, non vindictæ esse cupidos, nã facit ad pacem. Nec caret argumento oratio Apostoli, nã quum addit *dilecti*, significat vindictã dilectioni repugnare: dilecti debetis mutuò esse diligẽdo & redamãdo. Itaque non oportet auidos esse vindictæ. Deinde validius profert argumentũ ex Mose, D.32. ex cant. Mosis, Mea est vltio, ego rependã. Citatur ad Heb. etiã cap.10. Nouimus eũ, qui dixit, mea est vltio, ego rependã, & iudicabit Dominus popolũ suũ: Argumentũ valet à relatis. Vltio nõ est tua, sed Dei iudicis: igitur illa vti non debes, nec rem alienam capias contra ius.

Tertiò, *Deus retribuet*, igitur hunc expecta, qui rectius & melius nouit modũ seruare, in puniendo, quam tu possis. Præterea adimitur tibi magna consolatio, quid enim Dominus pro te faciet, cùm tuiipsius velis esse patronus & defensor? nónne Deum excludis à tui custodia? Itaque non licet mox prouolare ad lites & iudicem, ecce hic me læsit, iniuriã passus sum, Fer & obdura, labor hic tibi proderit olim. Porrò dare locum iræ, est non irasci, cedere occasionibus litigandi, subterfugere materiam irascendi: qui enim locum dat, is cedit, quasi dicat, fuge modis omnibus iram, tanquam pessimum suasorem vindictæ: quia enim vindictam prohibet, iram quoque, vt illius causam remouet. Quid sit dare locũ iræ.

20. *Si igitur esuriat inimicus tuus*, &c.

Quinta virtus habet summum gradum dilectionis, cibare & vestire inimicum, quasi dicat, tantum abest, vt tibi concedam lites & vindictæ studium, vt potiùs velim aduersariũ tibi cibandum. Cibi ac potus nomine omnia intelligit corpori necessaria. Cadit hîc illorum sententia, qui inimicum tantùm generali dilectione amare volunt, vt diligunt diuites, qui illorum non indiget opera, aut alium, quem interim non curant. Nam Apostolus speciali dilectioni inimicum includit, qua me diligo & intimos diligo cibando: eo loco tenendus est aduersarius, si res postulat. Porrò locus desumptus est ex Prouerb. 25. Si esurit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi aquam bibere, prunas.n. congregabis supra caput illius, & Dominus reddet tibi. Inimicis etiam benefaciendum.

Quæ verba duas complectuntur rationes, quarum vna tantùm ab Apostolo affertur, *prunas in caput illius congrebabis*, quod alij interpretantur, erit illi beneficium tuum maior causa dãnationis, quæ sententia videtur consolari afflictos, quasi dicat, benefacito omnibus modis inimico tuo, sic vinces illum, & grauius damnabitur. Sed quum affectus charitatis his cogitationib. repugnet, malo aliũ sensum sequi, scil. beneficium tuum erit illi carbo ignitus, quo inflammabitur tandem ad te amandum, & eris illi occasio resipiscendi, sic ille carbo laudabilis erit, tibique honestus: nam quæ erit tibi vtilitas aut etiam honestas, si eo fine benefacias inimico, vt damnetur?

Altera ratio est, *& Dominus tibi reddet*, hoc est, non frustra locabitur tuum beneficium, non perdes operã, Deus remunerabit, etiam si inimicus pergat esse reprobus & ingratus;

habes Deum qui te ornabit splendido præmio: itaque omnibus viribus in hoc erat incumbendum. Sed vt reliquæ virtutes fidei obsoletæ sunt, ita hæc quoque, quum huius nulla aut certè rarissima extent exempla.

21. *Ne igitur vincaris à malo sed vince in malo bonum.*

Συμπέρασμα est, infert.n generalem regulam, q.d. ne patiaris te malo superari. Malum triplex hic esse potest, primò ipsum ἀρχέκακον hoc est, ipse Satan mali author: nam certum est illum vindictæ, odij, iræ, contentionum iniicere seminaria opera data, cui fortiter est resistendũ, ne discedat nostro ludibrio ouãs. Deinde quia nõ vincit nos, nisi accedat assensus noster: cogitationes enim iniicere potest, & solicitare, cogere autem vt velimus non potest: itaque quum addimus consensum, subiicit voluntas nos illi, quæ poterat illi resistere. Prouidendum igitur, ne cogitationibus laxemus frenum, & rationes quasuis patiamur valere.

Tertiò inimicus, cum quo nobis res est, malum dicitur, variis nos prouocat iniuriis, irridet, insultat, rapit etiam, & nihil non facit, quæ vtique mala sunt: huic malo fortiter resiste, ne patiaris te vinci, victus es, quum mox irasceris, si ad vindictam recurras, si ad arma, ad talionem: patientia igitur & constantia dilectionis repellendus est. Hæc nuda & simplex est sententia huius loci. Itaque vt malum hîc triplex est, sic bonum, in quo malum vincendum tripliciter considerari potest. Bonum ipse Deus est quem oppono Satanæ. Deinde bonum sunt piæ cogitationes. Spiritus sanctus, quibus repellitur suadela vindictæ, demum dilectio tua & constantia propositi, inimico opponitur. Atque, vt multiplex organum est ad victoriam, & quantò difficilior est hæc victoria, tantò erit gloriosior. Et crede mihi aliquid præstitit qui se vincit in hac lucta, &c.



CAPVT XIII.

PIETATIS QVOQVE INTEREST, VT PII DEBItam Magistratibus obedientiam deferant, inter se mutuam charitatem exerceant, & vitijs crassioribus, quæ etiam Ethnici detestantur, abstineant.

Argum.



LOCVS hîc secundus est de moribus fidelium respectu magistratus: quum enim regula charitatis doceat, non solùm paribus officia sua deferre, sed etiam superioribus, par est, vt magistratibus debitam reuerẽtiam & obedientiam deferant. Hanc rem multis & validis rationibus hîc vrget, nec ratione caret, quòd Apostolus tanta diligentia obedientiam piis inculcat: nam Iudæi, vt semper iniquissimè tulerunt alienum imperium, sic Romanum iugum multis modis semper conati sunt abiicere. Erant autem Apostoli & primi fideles Iudæi, quare non sine causa haberi poterant suspecti, quasi molirentur euersionem aliquam magistratuum. Accedit quòd doctrina Euangelij quandam libertatem promittat, adeò vt in Act.15. quæstio illa sit mota, adeóque in multis concessa libertas, & hanc extendi ad imperia multi suspicati sunt: adeò vt fideles etiam, de eo interdum dubitarint, vel saltem, quousque & quatenus esset obtemperandum doceri cuperent. Sed & hostes Christi manifestè hoc illi obiecerunt, quòd auerteret gentẽ ab obedientia ciuili, & prohiberet tributa dare Cæsari: idem Paulo, aliisque fidelibus, sine dubio crimini datum est. Quare plena opus erat doctrina, vt viderent Ethnici, imprimis Romani, doctrinam Christi non auertere Resp: nec tollere ordinaria iudicia, & gradus magistratuum, similes calumnias Iulianus, Porphyrius, & Proclus Christianis quoque obiecerunt: sed falsò. Luc.23.

Postquam locum de obedientia erga Magistratum absoluit, eadem occasione disserit de dilectione fraterna; nam & hæc debiti quandam habet rationem. Quædam enim soluuntur,

soluuntur, vt deinceps non debeātur amplius, qualia sunt debita contractuum, emptionum, & venditionum: quædam ita soluuntur vt semper debeantur, talia sunt officia charitatis. Iubet igitur omnibus omnia persoluere, vt hoc solùm debeatur, quod dilectio suadet. Demum à vitiis crassioribus dehortatur, quæ passim in mundo regnabant, attamen inter pios locum nullum habere debent.

Sunt igitur huius capitis tria membra, primum de obedientia ciuili, alterum de dilectione, tertium de vitandis crassioribus etiam vitiis. Partes.

Prima pars hoc ordine tractatur, initio statuit πρότασιν loci, obediendum omnibus magistratui: deinde propositioni mox subiicit locum confirmationis, qui continet varia argumenta, cur sit obediendum. Tertiò ex rationibus allatis infert propositam sententiam, additis nouis etiam rationibus. Denique epilogum nectit ac species quasdam obedientiæ ciuilis indicat, vt soluere tributum, vectigal, honorem, timorem, &c. De his igitur quatuor partibus iam agemus. Primi loci dispositio.

I. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit.*

Πρότασις est in his verbis, mens eius est, fideles omnes, omni obedientiæ & officij genere, superiorem magistratum debere honorare. Propositio.

Partes illius duæ sunt, subiectum & prædicatum, in subiecto est synecdoche, anima enim pro homine toto posita est: non enim dat præceptum animabus solùm, quæ iam vel absolutæ à corporibus in conspectu Dei versantur, sed his animabus, quæ in concreto adhuc detinentur corpore, nec illas solas ligat, sed totum hominem: magistratus enim plus habet iuris in corpora, quàm animas. A meliori autem parte vocauit totum, quia facultates istæ ab anima, tanquam nobiliore parte proficiscuntur, alias à deteriore parte hominem notat, vt omnis caro fœnum, & gloria eius, vt flos agri. Deinde obseruanda est clausula vniuersalis subiecti: *Omnis anima*, vniuersalis affirmatiua propositio est: quo docemur neminem ab hoc præcepto immunem esse: adeò enim ligat omnes, vt Christus ipse, Petrus Paulus, reliqui omnes subiecti fuerint ciuili magistratui. quod eò pertinet, vt videas, quo iure se Papa, monachi, sacerdotes, episcopi, cardinales exemerint ab hac communi regula. Christus certè pro se & Petro tributa soluit, agnouit magistratum, Paulus itidem, Prophetæ etiam, & sancti omnes, antequam dominium Papæ inualuisset, fideles hac regula contenti subditi manebant. Anima pro homine. Eccles. 14.18. Isa. 40.

Prædicatum propositionis est *Subdita sit*, hoc est, agnoscat & colat debitísque officiis ornet suum magistratū: nec enim simpliciter subiectas esse vult, sed magis spontaneam requirit obedientiam. Quo primùm damnantur illi, qui iugum magistratuum damnant, omníque modo id conantur excutere, quod Anabaptistæ, & ante eos rusticus furor libertinorū tentauit. Deinde damnatur hîc etiam detrectatio onerum publicorum, quo malo laborant clerici, monachi, & similes, qui exemptos sese dicunt communibus legibus, demum etiam illi, qui colunt quidem, sed cunctanter tardéque, aut etiam nunquam nisi compulsi præstant officium magistratui.

II. Confirmatio. *Non enim est potestas, nisi à Deo.* De propositione iam diximus, sequitur ipsa confirmatio, in qua obseruanda sunt argumenta, quibus suadet nobis obedientiam. Ac in primis id obseruatione dignum est, quòd non ex Scriptura producit testimonia, cùm passim Deus & Prophetæ approbent magistratum: sed cōtentus est rationibus, quas ipsa natura etiam agnoscit & approbare potest. Et fortè ad Romanos scribens rationem habuit Ethnicorum, qui ad Ecclesiam confluebant, ne illi mox ad Scripturam remitterentur sibi incognitam, sed viderent doctrinam Christi rationibus non destitui ex communi vsu depromptis. Ordinem argumentorum indicabimus, reliqua ad locum communem conseruaturi. Obseruatur igitur scopus ille: Fideles omni officij genere magistratum debent colere. Ratio prima est quia magistratus ordo est superior dignitate & authoritate: natura autem dictat, vt inferior ordo superiori cedat, eumq; colat & obediat. Igitur fideles debent magistratui vel hoc nomine obedire: & enim ὑπερέχειν excellere dignitate & iure. Habet autem illa prærogatiua ius mandandi: contra inferiores officium ligat obediendi & vt loquuntur maioritas authoritatem habet mandandi, inferioritas necessitatem parendi. Hoc norunt, cùm episcopalia iura vrgent: magis valet contra eos, cum de officio magistratus disseritur, vt hoc loco. Magistratum aliis ordinibus esse superiorem.

Alterum argumentum à causa efficiente, seu authore & institutore magistratuum Deus est author, *Non enim est potestas*, inquit, *nisi à Deo*, hoc est, à solo Deo institutus est hic ordo: vel omnis potestas est à Deo, adeò vt malus magistratus quoq; Dei sit vicarius, adeóque ei parendum in ciuilibus, dum nihil contra Deum mandat, & his poterat addere Scripturam, quæ ad Deum illius initia referret, sed intermisit, quòd sufficeret nuda assertio. In Genesi mox instituit magistratū Deus, cùm hominem piscibus, volatilibus, & Magistratus authorem esse Deum. Genes. 2. & 9.

aliis animalibus præficeret: iterum cùm Adamum Euæ,& sub Noacho, cùm legem daret de puniendo homicidio. Et Dauid inquit, Deum mutare imperia & transferre, &c.

Deum esse magistratus approbatorem.

Tertia ratio, *Et quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ.* Prior ratio simpliciter ad Deum retulit illius originem: sed dici poterat, multa à Deo sunt, quæ tamen non confirmat, sed quodammodo obiter ingrediuntur, vt malum & peccatum, Deo quidem sic disponente irrepsit in orbem, attamen non ordinat hoc est, non approbat. Huic occurrit hac asseueratione, Deum & authorem & approbatorem esse magistratuum: imò, quod maius est, ordinauit eum, hinc τάξις dicitur ordinatio diuina magistratus. Est ordinatio diuina igitur illi est obediendum.

Deo resistitur si Magistratui resistatur. 1. Sam. 7. 8.

Quarta, *Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ratio valet à contrario: contemptus enim magistratuum redundat in contemptum Dei. Sic Deus Samueli loquitur, Non spreuerunt te, sed me, ne regnem super illos: debent autem omnes pij, quàm alienissimi esse à Dei contemptu, ideo etiam à contemptu, ordinarij magistratus.

Magistratus contemptoribus paratum esse iudicium.

Quinta, *Et qui resistunt, sibi iudicium accipient.* Ab effectu contrarij argumentum est: ostendit enim, quid sequatur cõtemptores magistratuum, κρῖμα λήψονται. Videtur respicere ad conatus illorum & vanas spes: nam qui conantur euertere magistratum, proponunt sibi res maximas, vt libertatem, immunitatem omnium onerum, nescio quam æqualitatem honorum, has tantas, inquit, spes, non accipiunt, sed accipient, hoc est, lucrabuntur κρίμα. Estque duplex sensus, λήψονται κρῖμα, primum hoc, quia vt seditiosi à magistratibus damnabuntur, deprehensi etiam ad suplicia rapientur, quod est accipere dignam factis condemnationem. qualia exempla vidit superior ætas in seditiosis rusticis, qui variis modis acceperunt κρίματα. Deinde accipient etiam iudicium à Deo scilicet qui seditiosos grauiter punit, non his pœnis solùm, sed æternis. Itaque grauissima est comminatio Apostoli contra seditiosos, quæ meritò omnes in officio continere debet.

Finis magistratus malos profligare & bonos cõseruare.

Sexta, à fine officij illius, Terrori sunt non bonis, sed malis, h.e. scelera metu pœnarum profligant, id quàm sit vtile, omnes facilè agnoscunt, nemo tutus erit viator, nisi metu cohibeantur grassatores & latrones, quos eliminare debent, Dei mandato, ferro.

Sub magistratu virtutes florere.

Septima, à fine contrario, *Fac quod bonum est, & habebis laudem à magistratu:* quasi dicat virtutes plantat, bonos promouet, præmiis etiam ornat. Itaque vel hoc nomine amandus est magistratus, quòd virtutes sub illo floreant, & bonis præbet asylum contra improbos.

Magistratus esse Dei vicarium.

Octaua, *Dei minister est* διάκονος. i. seruus, vicarius. In magistratu igitur, Dei persona nobis adumbratur, vt pater in familia relinquit vicarium, qui domesticos in officio contineat, & præceptor inter discipulos habet vicarios corycæos, & principes in prouinciis suos habent præfectos: sic Deus in rebus humanis, nationes administrat per magistratus varios, qui omnes Dei sunt diaconi, ipse supremus magistratus.

Magist. a Deo datũ esse ad bonum.

Nona *Tibi facit ad bonum,* A fine sumitur argumentum, Non est à Deo magistratus, vt pestis, bellum, & fames, ac alia similia, quæ sunt iræ potiùs argumenta, & ad perniciem nostri spectant, magistratus nõ sic à Deo est, sed ad bonũ tibi credit. Docet igitur tantũ bonũ grato suscipere animo, eo scil. quo datur à Deo: Ingratitudinis suprema est species, dona bono fine instituta sinistrè interpretari, imò illa, tanquam mala palàm repudiare.

Seditiosis metuendũ esse magistratum.

Decima, *Si quod malum est, feceris, metue, non enim frustra gladium gerit.* Iterum à metu argumentatur, Quòd si malum feceris, hoc est, cõtemnendo illum & resistendo, tibi dico, metuendus erit tibi: nam gladium gerit, non frustra, hoc est, habet à Domino merum imperium puniendi capitaliter seditiosos, & alios improbos. Gladius hîc per metonymiam significat absolutam potestatem, quam vocant merum imperium: ac malum facere, de specie hîc etiam intelligatur, hoc est, de contemptoribus magistratuum, in quos eodem iure, quo in alios sceleratos iure animaduertit

Magistratum esse Dei vindicem.

Vndecima, *Vindex est Dei ad iram, ei qui malum fecerit,* Coniungit causam Dei & magistratus, quasi dicat, qui vnum lædit alterum etiam læsit, & quem punit magistratus, eundem dicitur punire Deus: est enim Dei tantum executor, vt lictores Romæ consulum exequutores. Est igitur irati Dei argumentum, hoc modo in manus & indignationem magistratuum incidere. Istis rationibus, semel iam subiicit conclusionem. *Quare necesse est subiici,* scilicet necessitate consecutionis & institutionis diuinæ, cui congruit naturæ quoque necessitas, quæ ordinauit, vt sapientes stultis præsint, boni malis. Ac necessitas quidẽ absoluta est, attamen si cõditionem respicias hominũ, conditionalis quoque dici potest: nam dum à multis negligitur hoc mandatum, licebit illis pœnas propositas incurrere, quas vbique obedientia possunt euitare.

5. *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Nouæ hic afferuntur rationes, prior superiores colligit in vnum, obediendum est magistratui,

gistratui, quare? propter iram, inquit, hoc est, tam Dei, quàm ipsius politici magistratus: sic enim prius iam de ira locutus est, vindex ad iram, hoc est, vt declaretur ira Dei in talibus exemplis. Deinde propter conscientiam, quasi dicat, magis hoc nomine obediendum est, ne lædas propriam conscientiam: nam conscientia tales vexat, qui semel ceperint sese opponere magistratui, latebras quærunt, nullibi tuti sunt, mordet eos alastor conscientiæ in trepidatione semper versantur, quæ omnia mala, obedientia tollit. Maxima bona sunt obedientię, non metuere iram magistratus, & sanã habere conscientiam. Propter conscientiam obediendum esse magistratui.

Tertiò, *Ob id tributa soluitis quoque.* Argumentum est à coniunctis, vel cognatis. Tributum soluere, obedientiæ est argumentum & symbolum, quòd agnoscas superiorem dignitatem, & quia non pudet nos tributa soluere, ne pudeat nos aliis etiam modis obedire magistratui.

Hoc argumento docemur, iam tum consuetum fuisse, vt fideles tributa soluerent magistratibus Ethnicis, nam id vt confessum sumit: ideò miserè erant, qui immunitatem quærunt ab oneribus talibus. Deinde tributa commendari, vt approbetur magistratus, quasi dicat, honestum est tributa soluere, adeóque res pia: ergo magistratus, cui soluuntur, quoque res est pia. Tributũ soluere rẽ esse honestam.

Quartus, *Sunt liturgi Dei, in hoc ipsum incumbentes.* Iterum ab officij qualitate argumentatur, Magistratus est Dei vicarius, igitur piè obseruandus à subditis, nec id in genere, sed ad speciem hîc accommodat, vt sit minister Dei, etiam in exigendis tributis, quasi Deo, vt summo principi, illi colligant suos census. Et hoc nomine, inquit, præualent, quia Deus illis adest, & robustos efficit, quod est προσκαρτερῶν Si igitur tributorũ ratio est diuina, ergo & magistratus ipse, Dei est institutio, & ob id illi est obediendum.

7. *Reddite igitur omnibus, quod debetis.*

Epilogus est, & is quidem exortatorius ad obedientiam magistratuum. Habet autem noua etiam hîc argumenta: nã primùm reddere iubet omnibus τὰς ὀφειλείας, quò indicet iustitiæ esse partem, hanc obedientiã: id enim dicimur reddere, quod iure debemus, & nisi facimus, peccamus in iustitiæ regulam. Reddenda est obedientia magistratui, ergo est debitum quoddam. Deinde est ὀφέλεια vtrinq; tum quia magistratui est necessaria: nec enim saluus esse potest status Reipu. nisi obediant ciues. Deinde est quoque ὀφέλεια, respectu subditorum: his enim prodest officium præstare, & simul illis necessarium est, ni velint fortunis & bonis, adeóque ipsa salute spoliari. Tertiò species percurrit, in quibus consistit hæc obedientia, quales sunt, tributum soluere, scilicet de rebus immobilib. vt de agris, pratis, villis, horto, domo, &c. Vectigalia de rebus mobilib. vt de mercibus, oleo, vino, frumẽto, panno & quæ res importãtur aliũde, aut à nobis exportantur ad alios. Timor soluitur præsidibus, iudicibus, lictoribus, ministris publicis, &c. Honor aũt ipsis Senatoribus, principib. cõsulibus, regibus, & similibus personis, &c. Conclusio.

RELIQVI DVO LOCI EXPLICANTVR, DE DIlectione scilicet mutua, & vitandis crassis vitiis.

8. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt vos mutuò diligatis: nam qui diligit alterum, legem impleuit.*

PRimus locus capitis huius hactenus expositus est: nam quæ ad locum de magistratu pertinent, suo tempore deinceps explicabimus, nunc secundus locus, & similiter tertius, nobis restat discutiendus.

Ac locum de dilectione tractat propositione, confirmatione, & conclusione. Alterum de crassioribus deponendis vitiis, non dissimili ratione, nisi quòd à confirmatione orditur, mox proponit, hinc ad argumentandum redit, iterum repetit propositionis institutum, iterum argumentatur, denique concludit θέσει, asseueratione & ἀφαιρέσει, remotione contrarij: de his igitur duobus iam nobis dicendum est, eodem, quo vsus est Apostolus ordine. Argum huius loci.

Nemini quicquam debeatis.

Propositio est in his verbis, cuius mens est charitatis opera perpetuò esse inter fideles exercenda. Propositio.

Rationes sunt, quia obligatio illius semper durat, à differentibus argumentatur Apostolus: est enim quoddam debitum, quod cùm soluitur, desinit obligare nos, qualia sunt ciuilia, ementium & vendentium, similiũmque contractuum obligationes.

Aliud debitum est, quod quò magis soluitur, eò magis obligat, quales sunt naturales obligationes: huc refert dilectionem, vt sensus sit, pius operam dabit, vt ciuiliter nemini faciat iniuriã, imò reddat singulis, quod debet. In religionis autem causa omnes diliget,

vt hic omnium sit & libenter debitor. Discamus igitur hoc genus debiti agnoscere, & piè quoque soluere.

Altera ratio est à commodo, nam qui alterum diligit, legem impleuit, quasi dicat, vis compendium seruandarum omnium legum? mõstrabo tibi epitomẽ, Dilige proximum ita seruabis reliquas quoque leges, vtilitas inest argumento & compendij facilitas.

9. *Nam illud non mœchaberis.*

Rationis confirmatio: ostendit enim, quomodo lex tota per legem charitatis impleatur percurrit autem decalogi præcepta, quæ omnia charitate innituntur. Sic Christus Matth.22. omnia reducit ad dilectionem Dei & proximi Sic Marc.12. Apostolus ad Galat.5. ait, Lex tota completur vno verbo, scilicet, Diliges proximum tuum, vt teipsum. Et 1. Tim.1.v.5. Finis mandati est charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Hinc Iac.cap.2. legem regiam vocat, quæ secundum Scripturas est implenda.

Dilectio proximo malum non facit.

Dilectionem nocere nemini. Tertium argumentum à natura dilectionis, quæ est, nulli nocere, cuius pij per se auidi sunt, igitur dilectionem exerceant, ita fiet, vt nulli noceant. Huc pertinet illa amplissima charitatis commendatio, quæ est 1.Cor.13. Non quærit quæ sua sunt, non est irritabilis, non gaudet de malo, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Quo sensu dilectio dicatur legis complementum. *Completio igitur legis est charitas* Conclusio, qua præcipuam charitatis commendationem repetit. πλήρωμα intelligamus, vt est ἀνακεφαλαίωσις, hoc est, complementum & epitome aliorum præceptorum, deinde fundamentum est, cui innituntur aliæ leges. Et reuera etiam esset πλήρωμα, si lex dilectionis, vt debebat, seruaretur: sed quia nemo repertus est, qui huic legi satisfaciat, nemo quoq; ad complementum hoc peruenit hactenus, nisi Filius Dei. Quòd igitur dicitur πλήρωμα magis in idea & proposito verum est, quàm in concreto & hominum actionibus. Et quemadmodum prodest ideam semper habere propositam in artibus & virtutibus ethnicis: sic in religione prodest semper dilectionis ideam considerare, & videmus, quantum ab illa perfectione absimus, quam Christus & lex à nobis requirit.

11. *Et hoc eò magis, scientes oportunitatem, quòd hora sit.*

Tertius locus capitis contra atrociora vitia, locus totus metaphoris plenus est: propositio enim & rationes trãslationem habent. Propositio est, oportet nos ex somno surgere, ὕπνου ἐγερθῆναι est emendare mores, & deponere vitia illa crassa: vt enim somnus est quies sensuum, sic in religione somnus est oscitãtia sepulta variis sceleribus, adeò vt nullum membrũ officium suum faciat. Ab hoc somno mutãtur homines per Spiritum sanctum in regeneratione: surgunt autem innouatione vitæ per pœnitentiã. Idem aliis verbis mox dicit, *Deponamus igitur opera tenebrarum*: Opera tenebrarum sunt iste somnus & marcor scelerum: rectè autem ἔργα dicuntur, quia actione se probant: tenebrarum autem sunt, quia tenebras amant mali, & quia digna sunt caligine, deniq;, quia hinc oriuntur, tanquam causa efficiente. Sic 1.Thess.5. de tenebris & nocte loquitur vers.5. Ephes.5. v.8. Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis igitur incedite. Hactenus propositio, surgendum tandem de somno, & deponenda opera tenebrarum.

1. A temporis oportunitate. Rationes sunt, primùm, quia temporis oportunitas hoc suadet: nam temporis occasio in omnibus rebus habet maxima mométa. Est autem καιρὸς idem quod ὥρα, hoc est, ipsum momentum rectè quid faciendi: quasi dicat, iam est amplissima occasio emendandi vitam, non est igitur negligenda. Ad argumenti vim accedit, quòd id scimus se ita habere, hæc occasio plenius altero argumento proponitur.

2. Quia salus sit nobis propior. 11. Ratio igitur est, *quia nunc salus propior est*, quàm cùm crederemus primùm, propior dicitur salus iam, quàm cùm inciperemus credere, quia certior est & plenior: vel tempore etiam propior, quia morti viciniores sumus, & dies Domini quoque tantò iam propior est quantò diutius credidimus. Videtur tamen Apostolus tempus considerasse mortis, considerabat initium conuersionis ad Christum, in quo iam aliquanto tempore manserant, nũc, inquit, sumus propiores morti, quàm tum essemus, par igitur est, vt mores emendemus, ne mors nos præueniat, & in his ipsis vitiis nos obruat, quod horrendum & periculosum est.

3. Quia præcesserit nox. Tertium, *Nox præcessit, dies propinquat.* Confert duo diuersa tempora, nox dicitur totum tempus ante conuersionem. Hæc præteriit, inquit, par igitur est, vt illius actiones, quoque præterierint, nec resumendæ sunt. Dies autẽ est tempus liberationis, quæ accidit vel per mortem hominum, vel aduentu Domini ad iudicium: hinc igitur colligit, imminet dies liberationis, ergo sanctè viuendum est.

4. Quia filij lucis sumus. Quartum, *Induamur armis lucis.* A cõtrario nos vrget, sumus filij lucis, igitur armaturã lucis debemus assumere. vocat non opera lucis, sed ὅπλα, hoc est arma, quia bona opera,

vt militem

vt militem Domini, ornant pium hominem, muniunt quoque & defendunt, denique tegunt quoque, adeò vt sint eo loco, quo militi est armatura sua, quæ tegit ornat & defendit militem. Hinc ad Ephes. 6. virtutes Christianas facit armaturam, in qua contra rectores tenebrarum sit pugnandū: sed est lucis per se quoque magna dignitas & commendatio, bona opera lucis sunt ὅπλα, ergo studiosè amplectenda.

Quintò, vt *in die decenter ambulemus*, dies est tempus à conuersione ad mortem vsque, quod tempus requirit decorum: nam & qui in diem ambulant, fœdas corporis partes tegunt, sic enim εὐσχημόνως possunt conuersari aliis. Itaque qui Christiani sunt, & turpiter viuunt, non aliud faciunt, quàm si in die nudi obambularent, quod vel insani, vel impudentes homines facerent. Honestè viuere est se tegere. 5. Quia in die ambulamus.

Sextò sequitur catalogus vitiorum, à quibus abstinendum est, nec solùm ab his, sed aliis etiam sceleribus his similibus. κῶμος commessatio est scurrilis, in qua sales & dicteria liberiora regnant, hinc Comœdia orta est. Prohibet igitur sales liberiores, morsus & dicteria: deinde μέθη, fortè hinc, *die trunckne metty*. κοίτη cubile, sed parcit auribus piorum, quasi dicat, non oportet scortatorem esse, alienum thorum polluere: ἀσέλγεια, intemperantia, vitium temperantiæ oppositum. Selgæ erant Laconum coloni sobrij & temperatissimi, his contrarij ceperunt dici ἄσελγοι, quasi dicat, asotos & minimè idoneos ad Selgorum Remp. ἔρις rixa est & contentio, vt constat ex Eridis pomo apud Hom. ζῆλος præpostera est æmulatio, nam est etiam ζῆλος bonus, ideo hîc simplici vsus est pro composito: παραζηλίαν, hoc est, præposteram æmulationem, & imitationem, id est, κακοζηλίαν damnat. 6. Ab omni scelere abstinendum.

Septimò *Induendus est Dominus Iesus Christus*, vitiis is planè contrarius est, quid enim luci & tenebris, Christo & Belial? Induitur autem Christus duplici modo, primùm professione, dum ab illo Christiani dicimur titulo illius nos ornamus, & vestimus: deinde imitatione, dum professionem vita & moribus exprimimus, adeóque ornamus. Prior modus impiis etiam communis est, nam hypocritæ sub hoc velamento latere possunt: posterior electorum est, déque eo hîc loquitur, dum iubet induere Christum, hoc est, vitam & mores ad illius voluntatem accommodare. 7. Induendum esse Christum. 2. Cor. 6. 15.

Octauò, *carnis curam ne habeatis ad concupiscentiam*: curam corporis duplicem esse innuit, Prior est necessitatis, ne corpus inedia enecemus, hanc curam, tãquam necessariam, non prohibet, non enim oportet inuito Domino stationem huius vitæ deserere. Altera est voluptatis superfluæ, hanc vocat πρόνοιαν εἰς ἐπιθυμίας, prouidentiam, quæ facit ad cupiditates, hanc prohibet: repugnat enim pietati, & ipsi naturæ quoque molesta, non enim solùm peccant, qui inedia sese conficiunt, sed qui voluptatibus se perdunt, & plures crapula pereunt, quàm naturali morte, hi suorum corporum verè sunt carnifices. Carnis curam superfluam esse fugiẽdam.

Apostolus medium commẽdat inter duo extrema, inediam & crapulam, medium frugalitas est, qua sancti semper clari fuere: contra crapulam Christus agit apud Lucam capite 21. versu. 34.



CAPVT XIIII.



OFFICIVM renati hominis in eo consisti, vt fidem & professionem suam ornet in hoc mundo, ad gloriam Dei, & proximi ædificationem: nam reuera vita hominis Christiani magis actio est, quàm contemplatio, & Christus prædicat beatos, non multum scientes, sed facientes, Et sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hinc Apostolus à capite duodecimo adeò studiosè hortatur ad eas virtutes quibus in communi vita pietas ornatur: primùm enim cohortatus est nos ad virtutes Ethicas in mutua conuersatione, mox ad obedientiam magistratuum, ne seditiosè ageremus prætextu religionis. Tertiò, ad fraternam charitatem. Quartò, vt vitarentur Argum. huius cap. Ioa. 13. 17. Mat. 5. 16.

scelera illa crassiora, ebrietas, scortatio, &c. qualia ne Ethnici quidem, rectè instituti, ferrent. Nunc quinto loco, vtilem communitionem addit de rebus ἀδιαφόροις, hoc est, mediis, quæ vsu ferè consistunt, & conscientia abutentis bona vel mala censeri possunt, qualia sunt cibus potus, & obseruatio dierum. Nam prima illa Ecclesia fidelium Romæ, constat ex Iudæis & Ethnicis, hi liberius viuebant, tum quia lex Mosis ad eos non spectabat, tum quia sic erant instituti: Iudæorum verò duplex erat conditio, quidam in fide melius instituti, facilè & ipsi agnoscebant per Christum illa ciborum & dierum discrimina esse sublata, itaque & his cum Gentibus faciliùs conueniebat. Alij adhuc rudiores cibis à Mose vetitis abstinebãt magna conscientia, & festos dies putabant seruandos: hi facilè ab illis superioribus contemni poterant, vt rudes adhuc, illi verò per hos iudicabantur tanquam desertores legis & prophanatores patriæ religionis. Quod quum videret Apostolus ad dissidia spectare, & fidei labefactationem, suam interposuit authoritatem, ac singulis dat præceptum, quod tutissimè sequi possint in his & similibus casibus.

Propositio. Πρότασις est, de rebus mediis non esse rixandum in Ecclesia Christi, sed robustiores, infirmiores patienter ferre debent, & hi de robustioribus non temerè etiam iudicare debent.

Partes. Tractatio talis obseruatur: initio proponit, mox vt mens illius apertior sit, explicat propositionem certo casu rerum mediarum, patienter ferendos esse infirmos in ciborum discrimine. Hinc statim adhibet argumenta, quæ rem probant, de cibis non esse rixandum. Postea ad aliam speciem transit de discrimine dierum scilicet, nec de his, tanquam re indifferente, rixas instituendas esse: demum perpetua argumentatione vtrique parti suadet concordiam & pacem, & argumenta sic attemperat, vt ambas partes ad modestiam reuocet, ac infirmos robustioribus commendat, robustiores infirmioribus quoque non damnandos esse docet. Nos argumenta ordine considerabimus, quibus agit de rebus mediis hoc loco, reliqua locis communibus reseruaturi. *Eum verò qui infirmus est.* Propositio est in his verbis, cuius mens est, in rebus mediis infirmi patienter ferendi sunt, licet à nobis in illorum vsu discrepent. Tria verò complectitur, primùm enim considerandum est, quis sit infirmus in fide, scilicet is, qui meliora nescit, non qui pertinaciter superstitiones adiaphoricas defendit. Huiusmodi errat, non malitiosè, sed ignorantia quadam emẽdabili: itaque non tuetur hic locus eos, qui conceptos abusus in discrimine ciborum & dierum modicus retinendos censent.

Quis sit infirmus in fide.

Deinde quomodo cum his infirmioribus sit agendum, *suscipiendi sunt*, hoc est, patienter ferendi: nec solùm intelligamus sinendos, sed instituendos potiùs & erudiendos, interim permittendum, vt suo more viuant, & nos illis vtrinque accommodemus, vt nostra conuersatione discant & meliores reddantur, ita futurum, vt sine contentione sponte tandem sint deposituri, quæ prius non essent passi sibi eripi. Tertiò modum addit agendi cum talibus, *non ad diiudicationes cogitationum*, hoc est, non sinistrè illis sunt omnia interpretanda, vt hodie ferè fit, non rapienda in deterius, vel non contentiosè cum illis est disputandum, sed suscipiendi familiariter, & reddenda illis ratio cur tales res mediæ pro tempore negligi aut sucipi debeant, & dum dissentiunt, non tamen desperandum, sed commodè illorum infirmitas interpretanda, vt dictat ipsa charitas.

2. *Alius quidem censet vescendum esse quibusuis.*

Propositionis est declaratio, nam ἐκθέσει rem ad certam speciem accommodat. Generale enim est, infirmus patienter ferendus est, si in rebus mediis dissentia à vobis. Speciale verò & limitatum in discrimine ciborum, infirmi sunt patienter ferendi. Indicat autem duo fuisse fidelium genera inter eos, alij qui censerent nihil referre, quo quis vteretur cibo, hos firmos vocat. Alij verò qui carnibus certis diebus abstinebant religione quadã, & oleribus victitabant, istos infirmos esse dicit, h.e. iudicio nondũ satis cõfirmato.

3. *Qui edit non edentem.*

Interponit suam sententiã, ostendítque quid sit illis faciendum, ideóque hîc absoluitur specialis propositio, non contendẽdum esse inter fideles propter ciborũ discrimen. Robustus, qui quouis cibo vtitur, infirmum non contemnat, & infirmus qui non quouis vtitur, sed ex lege Mosis adhuc pendet, non diiudicet edentem: hi enim ad damnandum proni, vt illi ad contemnẽdum: hi temeritatem & prophanationem interpretantur, illi ruditatem & pertinaciam, ad medium igitur vtrosque reuocat, ne rixas instituant.

Nam Deus illum assumpsit.

Confirmatio sequitur quòd non sit de rebus indifferentibus inter pios cõtendendum. Rationes igitur sunt, Deus illum assumpsit, hoc est factus est membrum Christi, & conuersus est ad veram fidẽ. Et pronomen αὐτὸν ad vtrunque refero, vt valeat vtrunque robustus

bustus infirmũ non debet cõtemnere, ratio est, quia infirmus etiam est membrum Christi, & infirmus non debet firmum damnare, eadem ratione quia Christi membrum est, valet argumentum à communi redemptionis iure vel communione, quam in Christo habemus, quasi dicat, omnes estis mẽbra Christi, nolite ergo rixari de rebus tam leuibus.

2. Ratio, *Et tu quis es qui iudicas alienum famulũ?* ratio est à simili, in familia nemo facilè de alteriùs seruo iudicat, nec illi etiam permitteretur, sed ius Domini est, adeò vt singuli de suis, & iudicent, & pronuntient: vt hic tuus non est seruus, igitur non debet illum damnare, quasi dicat, rem tuam considera, hic ad te nihil pertinet, non est tui iuris. Iacob. 4. 12.

30. *Suo Domino stat aut cadit.*

Hoc est, tibi hîc nec metitur, nec seruitur, si cadat, fiet id sine tuo detrimento, sin stet nullum hîc habebis lucrum, domino suo proprio, cuius & tu es, cadet aut stabit.

IIII. Ratio, *Imò stabilietur potest.n. Deus illum confirmare.* Correctio quædam inest huic argumento: nam superius habuit speciem dilemmatis per concessionem, Esto erret etiam, tibi non tamẽ errat, & esto cadat, tibi non cadit, sed Domino suo: id corrigit, imò, inquit, quid dico casurũ? non cadet, sed meliora spero: confirmabitur, vel stabilietur, hoc est, infirmus aliquando firmior erit, & tibi par, ergo contemnendus nõ est. Et argumentatur à potentia Dei: Deus potest illum stabilire, igitur faciet quia certi sumus de voluntate: nam Deus vult suos illuminare & ornare in dies amplioribus donis, ideo valet à potentia Dei argumentum ad effectus: secus autem quum de voluntate Dei nõ sumus certi.

5. *Alius quidem discernit diem.* Hactenus de vna specie indifferentium egit de cibis, nunc aliam affert, de dierum differentia quoque non esse contendendum. Discernere autem diem à die intelligo discrimina temporum ponere, vt Iudæi infirmi, festos dies secundum Mosen obseruabant festum tabernaculorum, tubarũ, neomenias, plenilunia, & similes ferias: alij easdẽ negligebant, tanquam ceremonias per Christum sublatas Hodie discrimina dierum talia obseruãtur, vt aliis diebus alij ieiunẽt, alij non ieiunẽt, alibi feriæ sint, alibi non sint. Hæc & similia, si per infirmitatẽ fiant, nec studio contendendi, aut superstitione aliqua, patienter & amicè ferenda sunt. Rationes huic propositioni attexit familiariter, vt fecit in priori membro de cibis, par enim ratio est ciborum & dierum.

Quisque in animo suo certus sit.

Hoc est, tam firmus non seruando discrimina, quàm infirmus obseruando videat, vt facti possit rationem reddere Deo: ille quidem quia nouit à Christo sublata illa discrimina, hic verò, quia hoc nondum intelligit, seruat, quia scit à Deo mandata discrimina. Vtrique autem non fictè agant, sed conscientiæ suæ satisfaciant, ne lædant illam temeritate aliqua. Summa est, in his casibus consulenda est propria concientia, quæ quantum didicit ex verbo Dei, sequi debet non quod libido dicta, & studium contendendi.

6. *Qui curat diem, Domino curat, & qui non curat, Domino non curat.*

Ratio est à communi fine actionum nostrarum in rebus mediis: firmus ad Dei gloriam res medias adhibere debet, sic infirmus quoque ad Dei gloriam discrimina seruet, donec meliora intelligat. Idem in cibo obseruandum est, cum gratiarum actione sumendi sunt, aut etiam intermittendi: ille Domino edit, & hic Domino non edit, vterque cum gratiarum actione, quo significat vtrumque Domini iudicio conseruari, qui latebras cordis inspicit, vt dolosos puniat. Itaque metum quendam iniicit vtrisque, ne putes latere Dominum te posse, siue edas, siue abstineas.

7. *Nullus sibi viuit, & nullus sibi moritur.*

Ratio est à communi redemptore, Christus tam firmum, quàm infirmum redemit, igitur à rixis abstinere debent, & actiones vitæ, adeóque mortis, ad redemptoris gloriam debemus instituere. Hoc ita tractat, vt initio adimat nobis finem actionum vitæ nostræ: quasi dicat, nemo propter se suáque commoda viuit, sed hoc totum debet Christo, sic mortem quoque. Mox addit rationem à iure dominij, quod Deus in nos habet.

Domino viuimus & morimur.

Tertiò Christi beneficium infert, *Mortuus est, vt viuis & mortuis dominaretur:* huc spectat mors, resurrectio illius, & sessio ad dextram Dei patris, quare ad huius gloriam actiones nostras debemus accommodare. Viuos & mortuos hic intelligamus fideles, tam viuentes, quàm naturali morte subactos, vtrosque adhuc curat & tuetur. Nec pugnat cum eo, quod Christus ait, Deum non esse Deum mortuorum: nam illic mortuos intelligit opinione Salducæorum, qui planè credebantur non esse, animo & corpore sublatos, qualis fuit epicuri, & aliorum Ethnicorum opinio malè de immortalitate animorum & resurrectione corporum iudicantes, quales etiam Sadducæi, cum quibus Christus tum egit. Matt 22.

10. *Tu verò cur damnas fratrem tuum?*

Contra vtrosque agit, tu infirme non debes damnare firmiorem in fide: & tu robuste, non debes contemnere infirmiorem in fide: ratio est, quia simpliciter est frater: infirmus est, esto, attamen non desiit esse frater, non igitur contendendum est cum illo, quia frater.

5. *Omnes enim statuemur ad tribunal Christi.*

Quasi dicat, faciles estis ad damnãdum, & contemnendum alios. Non decet, vos. quia communis restat ambobus iudex, tam firmo, quàm infirmo. Sic 2. Cor. 5. versu. 5. Omnes nos manifestari oportet ac tribunal Christi, vt quisque reportet, quæ in corpore gessit siue bonum, siue malum.

Hoc iudicium Christi mox confirmat ex Scriptura: citat autem locum Esa. 45. *Viuo ego dixit Dominus* hoc est, iurauit, *quia mihi sese flectet omne genu, omnis lingua confitebitur*, i. iurabit Deo. Ex quo loco primùm cõfirmatur diuinitas Christi: quia enim Esaias simpliciter illa Deo tribuit, & Apostolus hæc Christo applicat, consequens est, Christum natura esse Deum, alioqui non conueniret illi hæc potestas iudicatoria. Deinde confirmatur ex illo corporum resurrectio, quando omnis lingua, & omne genu sistetur Domino. Tertiò ostenditur iudicatoria Christi potestas, quòd Deus Pater omne iudicium tradiderit Filio. Ioan. 5. Tale habes ad Philip. 2. v. 10.

12. *Itaque quilibet vestrum de seipso rationem reddet Deo.*

Argumentum est à metu diuini iudicij, in quo non pro alio, sed pro teipso respondebis: itaque quid alius facias, aut non faciat, parum tua refert, sed quid tu agas, de eo tibi vera ratio constare debet.

13. *Ne igitur amplius nos mutuò iudicemus.*

Conclusio, quæ ex superioribus rationibus fluit, non rixandum est, non damnandus est, non contemnendus est frater. Mox addit nouum argumentum à contrario, sed illud curandum est, ne fratrem offendamus. Verbum κρίνειν hîc per ἀντανάκλασιν contraria habet significata: primò κρίνειν est damnare alium, à quo vitio deterret metus iudicij diuini: deinde κρίνειν est statuere firmiter, certòque curare, ad hoc prouocat, quasi dicat, curandum est, ne offendiculum & scandalum ponatis fratri, hoc est, occasionem & materiam præbeatis ad ruinam, hoc summopere cauendum est, Matth. 17. v. 8. Væ homini per quem venit scandalum, grauiùs enim puniri solet author ad peccandum, quàm is qui peccat.

PLVRIBVS ARGVMENTIS VTRANQVE PARTEM, hoc est, tam firmos, quàm infirmos reuocat à contentionibus de rebus medijs.

14. *Noui & persuasum habeo per Dominum Iesum, nihil esse impurum per se.*

Huius loci argu. QVæstio est de rebus mediis, quatenus scilicet illorum vsus sit concessus Christianis: Apostolus rem decidit à finibus, nimirum ad edificationem infirmorum, & pacem Ecclesiæ, limitandas res illas. Quòd si igitur destruitur proximus, aut res spectat ad disidia, rerum indifferentium vsus non licitus esse debet: non enim propter vsum tales sunt, sed æstimatione animi. Quum verò ad disidia, & destructionem faciunt, desinit res esse indifferẽs. Hanc rem prosequitur vsque ad finem capitis, exemplum proponit de cibo & potu, quandoquidem in primitiua Ecclesia Iudæos accedentes ad Christum, in primis offendebat promiscuus ille cibus, quemadmodum videmus Iudæos vix alia re magis offensos, quàm quòd viderent Christum & suos discipulos illotis manibus cibum capere, aut cum peccatoribus edere & bibere, quum Moses eos segregasset & cibo, & ritu potandi & edendi, ab aliis gentibus. Propositio est, In casu disidiorum, & destructionis, vel offendiculi, rerum indifferentium vsus non ampliùs concessus est, (Propositio.)

(Partes.) Res hoc ordine cohæret, initio occupatione ostendit, qua re firmiores illi libertatis Christianæ προμαχοι nitantur, illisque respondet, hinc argumenta plura congerit contra illorum temeritatem. Tertiò concludit ex antedictis regulam, qua iudicãdus sit illarum vsus, hinc ad argumenta redit, ac respondet aliis illorum obiectionibus, demum cautelam vtrique parti proponit: nam illi temeritate peccabant, quòd libertatem Christianam satis importunè defenderent: hi verò imprudentia, quòd illorum exemplo fortè paterentur sese abduci, vt contra conscientiam vterentur rebus, quas tamen apud se adhuc damnarent, illa considerabimus in Apostolo.

Noui & persuasum habeo.

Obiectio videtur esse firmiorum in fide, scimus discrimina ciborum esse sublata ideo vsus illorum nobis interdici non debet: sic quidem versus hic 14. verba continebit

nebit, non Apostoli sed aduersariorum, seq. verò 15. suis verbis eis respondet. Sed nihil impedit, hæc etiam verba tanquam Apostoli, accipere, dabítque sententia hæc argumentum à rei natura, cibus per se non est impurus ergo de illo non est litigandum inter fideles: si enim sua natura esset talis, esset aliqua ratio, cur infirmi de illo contenderent, aut si sua natura puros redderet, haberent firmi aliquam causam disceptandi. Nunc verò sua natura non est impurus nec etiam talis, qui per se puros faciat, quid igitur causæ est, vt de illo contendant? Obserua in eo argumento, primùm κοινὸν dici commune, hoc est, impurum & prophanum, quia gentes alienæ à Deo illo vtebantur, Iudæi autem Deo consecrati non itidem. Sic actorum capit. 10. κοινὸν declaratur per impurum: deinde cibum sua natura omnem esse purum δι᾽ ἑαυτοῦ, hoc est, quatenus res est creata, commune habet cum omnibus creaturis, vt sit valde bonus. Hoc pacto suilla caro bonus est cibus, & minimè pollutus: sed consideratur idem cibus ex conscientia etiam vtentis, is rem non intelligit, sed hæret ex consuetudine, qua sub Mose didicit discrimina ciborum, huic inspurus est cibus θέσει, non φύσει. Tertiò cognitio illa firma esse dicitur, & niti verbo Dei: hinc Apostolus, ait, se id in Christo & scire, & persuasum habere, hoc est, certis rationibus hoc ex Scriptura nouisse. Itaque non est humanum præceptum de rebus mediis, de sublato discrimine ciborum & dierum, sed Christi est beneficium, qui illa discrimina iam sustulit. Cibos nō esse natura sua impuros.

15. *Verùm sit propter cibum*, &c.

Alterum argumentum, quo constringit illos defensores libertatis Christianæ, à natura charitatis ducit rationem, quæ iubet, ne ad tristitiam fratris vtaris cibo, igitur cibus, quamuis res sit media, tamen non dicitus est in eo casu. Emphasis est argumenti in oppositione, pro cibo tu contendis, & frater est, cui tu noces: quis hîc præualere debet, nónne frater? ne tu deprehendaris desertor charitatis. Quatenus cibus dici dosit illicitus.

Ne cibo tuo perdas eum pro quo Christus mortuus est.

Ab effectis argumentum est, vsu rerum, mediarum perdis quem Christus redemit sua morte, quæ illa est insania? cibus tuus est, rectè, sed ille Christi est nec fratrem iam appellat, sed ἐκεῖνον emphaticè, quia desinit frater esse, si pergas illum occidere Præterea, quanta est disparitas in cibo & Christo? cibus tibi vitam conseruat forte, sed Christus pro illo mortuus est, quem tu occidis non moriendo, sed viuendo, magna est illa crudelitas.

16. *Ne blasphemetur igitur.*

Argumētum est ab effectis, Tuo præpostero vsu ciborum, execrabilis redditur libertas tua: non est autem viri boni, etiam re bona abuti ad ipsius rei calumniam. ἀγαθὸν hîc dicitur, vel ipsa libertas Euangelij quæ incidit in calumnias infirmorum eo pacto, vel ipse cibus per se bonus, aut etiam doctrina, quæ non solum apud infirmos, sed apertos hostes traducitur præpostera assertione rerum mediarum. Sic 1. Cor. 6. intempestiuis fidelium contentionibus apud Ethnicos iudices, dicit traduci ipsam doctrinam.

17. *Non enim est regnum Dei cibus & potus.*

A natura rerum mediarum iterum eos vrget, cibus & potus & similes res mediæ, non sunt regnum Dei, hoc est, in his non consistit religionis cardo nō est summa religionis in cibo posita, igitur pro eo tanta contentione non est pugnandum. Remotio est in his verbis, quasi dicat, cibus & potus non sunt pars regni Dei, non etiam organa consequendi illius, non te meliorem reddunt, non te commendant Dei hoc pacto.

Mox addit θέσει, in quo ergo cōsistat summa rerū, *sed est*, inquit, *iustitia, pax, gaudium*, hoc est, illa sunt primaria capita, pro quibus liceat depugnare. Iustitia est, vel ipsa imputatio iustitiæ quæ est iustificatio, vel illius effectus, hoc est, sanctimonia vitæ nostræ, & boni inculpatique mores, quod magis arridet: eius fructus est pax, hoc est, conscientiæ tranquilitas cum Deo, remissis & condonatis peccatis, Christi merito, Tertiò ex pace emergit gaudium, quia conscientia sentit se ab ærumnis, & peccati pœnis æternis liberatam, & placatum habere Deum. Et illa tria ad vnam causam efficientem, scilicet Spiritum, sanctum reducūtur, ne hypocrisis nos in eis fallat. In illa igitur est omnibus viribus incumbendum, vtut se res cum indifferentibus habeat. 1 Iustitia. 2 Pax. 3. Gaudium.

18. *Qui enim in his seruit Christo.*

Commendat nobis vera pietatis capita, iustitiam, pacis studium, & gaudium Spiritus sancti: ex quo à contrario corruit illa cura & contentio de cibo, quasi dicat, cibus te non commendat Deo, nec etiam hominibus, igitur pro illo noli contendere: contrà iustitia, pax &c. te Deo commendat, igitur in hanc incumbas. Obserua bonis moribus, & pacis studio Christo seruiri: est enim illa pax, quam suis reliquit, & ex cuius studio cognoscuntur discipuli illius. Deinde his etiam per consequens nos reddi Deo acceptos: εὐάρεστος enim acceptus, charus dicitur, *lieb vnd vvoll gefellig*, quod cibus non præstat. Demū proba-

mur his virtutibus etiam hominibus, is enim dicitur δόκιμος: quasi dicat, vis probare seriò Christianum, vide, an innocenter ambulet, quod est iustum esse, item an pacis & concordiæ sit studiosus, denique an pietate vera delectetur. His notis certißimè deprehendes verè pium, non autem cibo & potu, nam illo vtetur quiuis etiam impurißimus Ethnicus, vel Iudæus. Ideò pertinet, vt intelligamus carnium vsum non efficere bonum Christianum, vt hodie multi sibi persuadent, *erist ein gutter Christ*, quare? *dam erist all tag fleisch*, itáne? Apostolus hìc aliud docet, & alia ponit γνωρίσματα veræ pietais *iustitiam, pacem, gaudium Spiritus sancti.*

19. *Itaque quæ pacis sunt sectemur.*

Conclusio est, ergo sit pacē & ædificationem lædat vsus rerum indifferentiū, cauēdus est piis, Duos fines ponit, ad quos dirigi debent ἀδιάφορα, pacē scilicet & ædificationē.

Hinc petatur septimum argumentum, Vt doctrinæ, sic etiam actionum omnium finis esse debet concordia & edificatio, ergo cibi quoque vsus ad illa dirigi debet. Et quanquam cum omnibus sit pax seruanda, attamen in primis cum domesticis fidei: ideo addit Apostolus inter nos mutuò, quasi dicat, pij hominis est imprimis curam habere fratris infirmi, vt ædificetur & in concordia retineatur.

20. *Ne propter cibum* &c.

Octauum argumentum à præstantia illius, cum quo agis, Opus Dei est infirmus ille, ergo abs te non debet destrui: vel fides illius licet infirma, attamen Dei est opus, igitur fouenda abs te, aut etiam salus illius opus Dei est, iam cœptum per fidei initia, ergo abs te est promouenda, non impedienda, quemadmodum Esa. 42. ait, Lignum fumigans non est extinguendum. Huic tanto operi opponit tenuitatem causæ, cibus est res leuis, nec digna, vt illius nomine in periculum veniat Dei opus. Nec interim negat, quin cibus quoque sit opus Dei, sed quia intempestiuè illius causam agebant, abusum in eis taxat.

Omnia quidem pura, sed. Nonum argumentum per occupationem, nam illi defensores libertatis dicunt, Atqui omnia sunt pura puris, Christiani iam puri sunt igitur omnes cibi illis etiam puri censentur.

Rectè quidem, inquit Apostolus, concedo, quod dicis, Omnia sunt pura per se, sed nónne animaduertis tuo vitio peccatum accedere? quia edis cum offendiculo fratris tui: Itaque tenet regula extra casum offendiculi, tum omnia munda mundis, & in casu offendiculi, non tibi concedo. Similia ferè habes 1. Cor. 8.

21. *Vtile est non edere carnes.*

Illatio contraria aduersariis, illi colligūt, semper licet quibusuis vesci, Apostolus contrà infert, in casu scandali bonum & vtile est non vesci, sed abstinere. Καλὸν hìc significat commodum, vtile, quasi dicat, prodest & tibi & fratri in eo casu non edere carnes. Carnes autem & vinum ponit exempla omnium adiaphororum, vt vestitus, festi dies, & similia: ideo clausulam vniuersalem addidit, *Nec quicquam, quo frater tuus offenditur.* Deinde emphaticè extollit scandali magnitudinem, προσκόπτει impingit, ad casum scilicet, σκανδαλίζεται, iudicio, ἀσθενεῖ animo: quanquam synonyma hìc videantur emphatica, sed omnium horum causa tu es, das occasionem ad ruinam, cauēdus igitur tibi vsus iste cibi. Argumentum decimum hinc formatur ab vtili, bonum est, vtile, vt te attemperes infirmitati fratris tui in vsu ciborum, igitur faciēdum est vtile tibi, ne sis author ad peccandum illi, ipsi autem, ne corruat & recedat ab Euangelio.

22. *Tu fidem habes, apud te habeto.*

Alia est occupatio, qua firmiores retundi, quasi dicat, fides non est ostentanda in his nugis puerilibus. Verba aduersarij sunt, fidem habeo & scio ex Euangelio, quid mihi liceat, nécne, Respondet Apostolus, rectè, habes fidem, sed apud te habeas coram Deo, hoc est, vide, vt illam Deo approbes: vt enim donum Dei est, sic ad Deum propriè refertur, non igitur importunè iactanda est in libertatis Christianæ assertione, sed illius gloria ambienda est apud solum Deum.

Beatus, qui non iudicat se ipsum, in eo, quod probat.

Cautio est generalis, quæ obseruanda est firmioribus, Beatus es, inquit, in rerum mediarum vsu, si te non damnet conscientia tua, in approbandis rebus mediis. δοκιμάζειν accipio defensionem rerum mediarum, quales illi erant defensores ciborum, contra quos hìc agit, iidem sepæ conscientiam habent accusantem, quòd intempestiuè & importunè multa agant: sic igitur in his versandum est ne audias conscientiam accusantem.

23. *Qui verò diiudicat.*

Regula infirmioribus seruanda. Altera regula infirmioribus seruanda, vt firmus cauere debet, ne se accuset conscientia: sic infirmus ne exemplo firmorum longius procurrat, & faciat etiam contra conscientiam, quod non approbat. Qui diiudicat, hoc est, qui adhuc credit discrimina cibo-

rum &

rum & dierum esse seruanda, & qui suillam carnem abominatur in cibis, & tamen exemplo firmiorum pergat etiam edere, is iam condemnatus est scilicet apud conscientiam suam & peccat, quum facti sui non constet ei certa ratio Ratio autem Apostoli est, *quia edit, sed non ex fide*, hoc est, non approbante conscientia, sed putat se hoc ipso facto Deo displicere Rationis confirmatio est ab vniuersali sententia: quicquid non est ex fide, peccatum est, hoc est, quicquid fit contra conscientiam cùm dubitatione id peccatum est. Hæc cautio diligenter est tenenda, vtrique temeritate peccare possunt, firmus & infirmus, prior tamen audacia quadam damnanda, hic leuitate quadam, ille grauiùs, quia hunc trahit suo exemplo.



CAPVT XV.

AD MVTVAM CONCORDIAM TAM IVDAEOS, *quàm Gentes cohortatur, in primis verò firmiores in Ecclesia.*



DE rebus adiaphoris hactenus disseruit, in quibus regula charitatis valere debet, ne scilicet aliquid temerè instituatur, quod infirmorum animos posit offendere. Nunc quasi ad locum communem descendit, vt Ecclesiæ Romanæ concordiam & pacem mutuam commendet: nam si hoc posit obtineri non facilè in rebus mediis offendent infirmos. Hoc argumentum copiosè tractat, nam confirmatio operosa est, & finis totius disputationis. Argum. cap. 15.

Deinde ad priuata descendit negotia, ac scripti prolixitatem excusat. Tertiò quia spem fecerat sui ad Romanos aduentus, petit à fidelibus, vt Deum pro illius incolumitate sedulò rogent, ne impediretur consilium Apostoli. Hæc presentis sunt capitis primaria membra. De pace seruanda in Ecclesia iam audiemus Apostolum, reliqua in aliud reseruaturi tempus. Locus habet πρότασιν & κατασκευήν.

1. *Debemus autem, &c.*

Propositio est, habens quædam adiuncta argumenta. Propositionis verba sunt. Validi infirmitatem imbecillium ferant. His verbis obseruetur primùm personarum antithesis, δυνατοὶ & ἀδύνατοι opponuntur, quæ duo genera hominum in Ecclesia Christi semper sunt: δυνατοὶ dicuntur, qui quiduis possunt, hoc est, non solùm norunt credenda, sed facienda etiam libenter subeunt, & Dei gratia freti, pro Christi gloria ad mortem decertare possunt. Hi re & nomine robusti sunt, debetúrque illis primarius locus in Ecclesia, nam suppeditant martyres & confessores, & ex hoc ordine depromendi erunt doctores & ministri Ecclesiarum, qui δυνατοὶ essent in sermone, hoc est, idonei ad docendum alios, ore & moribus. Propositio. Quinam dicuntur robusti in fide.

Sed habet hic ordo firmorum, admixtos semper hypocritas, qui sese admiscent δυνατοῖς, cùm reuerat non sint. Testatur historia Ecclesiastica, multos sępe audaces fuisse prima fronte in confessione, sed dum ventum esset ad martyria, metu deterritos, adeò vt resilierint à confessione. Sic ministerio sese multi applicant, non tam, quod reuera δυνατοὶ sint: sed quia vident honoribus & præmiis gradũ hunc eleganter ornari, ideo Apostolus sermonem præcipuè ad hos conuertit, & ostendit, quid ab his in Ecclesia requiratur. Infirmi verò ἀδύνατοι sunt qui nec fide plena adhuc imbuti sunt, nec cognitione rerum ampliore valent, ideóque ad certamina nondum satis apti, nec etiam ad docendum alios, sed oues esse possunt. Tales sunt in Ecclesia ὀλιγόπιστοι, δύσπιστοι, & in quibusdam etiam ἄπιστοι: nam Thomas licet Christianus esset tamen resurrectionem Domini Christi nolebat credere, erátque in eo articulo nõ solùm difficilis ad credendum, sed planè ἄπιστος, Apostoli reliqui, in multis modica fide prædìti, adeò vt Christus hoc illis sæpe obiecerit. In primis verò hic dicuntur infirmi, qui in rebus mediis nondum habebant solidum iudicium, vt Iudæi multi, quanuis causę Christi fauerent, attamen promiscuo cibo offendebantur, & similibus, &c. Qui sint infirmi.

Deinde infirmorum affectio est obseruāda, quæ dicitur ἀσθένημα, hoc est roboris priuatio, seu penuria. Robur firmorum est, debilium verò ἀσθένημα, hoc est, affectio, qua produnt fidei suæ infirmitatem, aut cognitionis tenuitatem. Quò refero, primùm ruditatem intellectus, deinde iudicij temeritatem, imprudentiam, mores ipsos, & sermones quibus sese produnt, vt quòd significent sese offendi aliorum fratrum, vel doctrina, vel moribus, culpant etiam interdum, obloquuntur, & ad calumnias descendunt. Hæc quamdiu sunt ἀσθενήματα, & non sunt λοιδορήματα, vtique ferenda sunt patienter. Ideo tertio loco expēdi debet, quid à firmioribus requiratur in tali casu Apostoli præceptum est, oportet tales imbecilitates patienter ferre. βαστάζειν significat, in humeros admittere, quod faciunt baiuli onerum: sic parentes circumgestant liberos vlnis, & liberi valentes, debiles & senio confectos parentes de loco ad locum portant, quod de ciconiis quoque proditum est. Sic rem ad mores infirmorum trahit, quorum infirmitas toleranda est, & boni consulenda, & quanquam sit permolestum hoc onus, attamen subeundum est. Quamdiu autem hoc valeat, infrà limitabit, *ad bonum* scilicet illius, *& ad ædificationem* Sit igitur ista propositio huius loci, validi infirmorum imbecilitatem patienter ferre debent, ad ipsorum & Ecclesiæ ædificationem.

Βαστάζειν.

II. Confirmatio. Diximus de propositione, audiamus nunc rationes illius mandati, quas diligenter ex verbis Apostoli conquirere nos decet. Prima est, quia hoc debemus, Apostolus inquit, ὀφείλομεν. quasi dicat, officij nostri est, quod sine reprehensione non potest intermitti, faciendum igitur. Discamus igitur robustos in Ecclesia, hoc nomine accepisse robur, vt officium præstent infirmis, quòd si hic finis est roboris & aliorum donorum Dei, sine impietate certè non possunt negligi.

Altera, non oportet nobis placere, ferendi igitur sunt infirmi patienter, ratio valet, quia Christianismus docet nostri abnegationem: cedendum igitur de iure nostro, magis igitur aliorum ferenda est infirmitas. Sibi placent, quia sua omnia approbant, & quiduis licere putant sine fratrum respectu, quibus in ore est, vt alij omnes ipsis cedant & gratificentur, ipsi verò nemini, id vitiosum est.

1. Cor 9. 22.

Tertia, quia Apostolus hîc sese admiscet, debemus hoc præstare: quasi dicat, Ego Paulus soleo hoc facere, igitur vos meo exemplo idem præstate. Hoc illud est, quod de se prædicat, omnibus omnia fieri, & si frater offendatur esu carnium, se in æternum his non esurum. Quid non igitur faciet Romani, & nos hodie, cùm videamus Apostolum in hoc fuisse tam diligentem?

2. *Vnusquisque enim nostrum proximo.*

Propositionis expositio.

Ἔκθεσις προτάσεως: explicat enim quatenus tolerandus sit infirmus frater. Distinctio sumitur à fine, quatenus bono illius fit, & ad ædificationem Ecclesiæ. Ex quo intelligimus duplicem esse tolerantiā, vna bona est, quam hîc limitat & imperat piis, alia mala & perniciosa est, quæ inter malos in vsu est, gratificatio quædam in peccatis & sceleribus. Cohærent ista verba superioribus, per ætiologiam, ideóque hîc argumentum latet.

Duplex tolerātia.

Quarta ratio igitur sit à distinctione, seu à fine. Si validi infirmos patiēter ferunt, facit hæc res ad ædificationem Ecclesiæ. Virtutes firmorum probantur & conspicuæ redduntur, alij aliciuntur, infirmi retinentur in officio, proficiunt in veri cognitione: in hoc igitur studiosè debent firmi incumbere. Ἀγαθὸν intelligo bonum, vtile, hoc est, quod expediat priuatim infirmo, & quoque firmo, inter quos res agitur: ædificationem verò publicum bonum aliorum in Ecclesia, qui illa obseruant, aut extra Ecclesiam quoque, vt tum erat angusta.

Quinta ab exēplo Christi, qui aliorū semper magis rationē habuit, quàm sui ipsius, adeò, vt ferret hostium etiam calumnias, nos igitur magis fratrum debilitatē ferre debemus. In hoc argumēto antithesis vim habet, nam Christus opponitur firmis illis promachis, qui libertatē, vel manu vindicandā censebant, nulla infirmorum habita ratione. Hos tempestiuè ad exēplum Christi reuocat, quasi dicat, Præceptor discipulis est sequendus. Deinde quòd Christus maiora pertulit, quàm illi adhuc ferant: hostes patienter tulit, & illorum conuitia, vos adhuc cum fratribus negotium habetis: denum illis conuitiis lædebatur Deus, vestris infirmitatibus vos solùm offendimini, nondum pertingunt ad Dei gloriam: isti sunt ὀνειδισμοὶ cōuitiātium Deo, vestri in homines solùm cadūt. Locus sumptus est ex Psal. 69. Possunt etiam intelligi conuitia ista, ipsa peccata hominū, quæ reuera in Deum conuitia sunt, hæc inquam, inciderunt in Christū: ipse enim peccata nostra tulit, factus pro nobis peccatum, hoc est, pura hostia, qua peccata mortaliun expiata sunt.

4. *Quæcunque enim prius scripta sunt.*

Ostendit se rectè citasse Psalmum: nec enim solùm facit ad probandam Christi patientiam in ferendis inimicorum calumniis, & delendis peccatis mortalium pura hostia: sed facit

ſed facit ad noſtri inſtitutionem, vt hinc diſcamus (vt ex tota Scriptura) patientiã & conſolationem, quò ſpes de vita æterna nobis ſalua maneat. Primùm locus hîc pertinet ad cõmendationem ſanctæ Scripturæ, quò ſpectat locus 2. Timot. 3. verſ. 16. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, eſt vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, correctionẽ, & inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt perfectus ſit homo, Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Et 2. Pet. 1. verſ. 19. 20.

Deinde ſpeciale hinc argumentum petitur ad commendandam nobis tolerantiam non ſub cruce, ſed quod minus eſt, infirmiorum fratrum: ſit igitur hæc:

Sexta ratio ab vſu Scripturæ, Omnia quæ habet ſancta Scriptura ad noſtram faciũt doctrinam, igitur & patientiæ exempla inde quæri debent: habes illa in Abrahamo, qui patienter tulit Lothum, & famulos eius rixantes: in Iſaaco, qui tulit Iſmaelis ſubſannationes, in Iacobo, qui Eſauo ceſſit & indulſit: in Dauide: aliiſque Prophetis, qui populi ſui vitia coacti ſunt ferre, quæ dolenter quidem inſpexerunt: cùm verò corrigere non poſſent, modeſtè tulerunt, talis etiam Iob. Prima hæc vtilitas eſt Scripturæ, altera eſt παράκλησις conſolatio: non enim ſolùm exempla nos docent tolerantiam, ſed Scriptura eidem addit promiſſiones & conſolationes, Pſ. 9. Patientia pauperum non peribi. Prou. 25. Per patientiam mitigabitur princeps. Prou. 19. Doctrina veri in patientia cognoſcitur. Pro. 16. Melior eſt patiens viro forti. Item. Pſal. 146. Deus facit iudicium iniuriam patientibus. Et Chriſtus Matth. 5. beatos dixit patientes perſecutionem. Hæc Scripturæ teſtimonia, non ſolùm docent vtilem eſſe patientiam, ſed Dei patrocinium pollicetur his, qui perſiſtunt patienter in ærumnis. Finis autem horum omnium eſt, vt ſpem habeamus, hoc eſt, de vita æterna ſimus certi, quod fieri non poteſt niſi Scripturam ſequamur, quæ nos patientiam docet.

Scripturæ vtilitas. Geneſ. 13. 7. Geneſ. 21. 9. & 28. 10.

Septima igitur eſt ratio, ſine tolerantia, nobis peris ſpes vitæ æternæ, igitur patienter oportet ferre infirmos fratres, vel hoc ipſo nomine, vt ſpes nobis ſalua maneat.

5. *Deus autem patientiæ & conſolationis det vobis.*

Aliud genus argumentorum eſt, nam quæ hactenus dixit ἔλεγχον habent, hoc eſt, conuincunt & ligant conſcientias, adeò vt ſine peccato non poſſis tolerantiam negligere, ideóque argumenta illa ſunt ἐλέγκτικα. Sup. 12. 16.

Nunc comprecatione vtitur, qua oſtendit vnde haberi poſſit virtus iſta: non enim in noſtra poſita eſt voluntate, aut viribus, qui natura ſemper auidi ſumus vindictæ & acerrimi iuris noſtri defenſores. Apoſtolus igitur docet petendam hanc virtutem à Deo, qui illius eſt author.

Argumentum eſt εὐκτικόν, oportet vt Deus hãc virtutẽ in illis accẽdat, igitur opera dãda eſt, vt veſtigia tolerantiæ apud eos extent in ferendis infirmioribus, ne caſſum ſit votũ, & dono Dei in hoc caſu ipſi videantur deſtituti. Deus dicitur tolerantiæ, tum quia illius doni author eſt hominibus, tum quia tuetur patientes, ne ob id putentur indefenſi & perituri, ſi ferant iniuriam & calumnias patiẽter. Deus eſt, qui vindicabit. Denique, quia ipſe Deus patientiæ exemplum eſt, quia indicibili tolerantia peccata mortalium fert, ad bonũ finem. Rom 2. Eodem modo dicitur Deus conſolationis, quia veras conſolationes, non aliunde habemus quàm ex Scripturis, & inſpiratione diuina. Reliqua omnia, vt vt ſint ſpecioſa, corruunt in angoribus & tentationibus conſcientiarum: ab his tanquam effectis, dicitur Deus patientiæ & conſolationis, quia in ſuis iſta operatur. Demum his diſcatur etiam, quæ ſit vera & pia concordia, ſcilicet quæ eſt inſtituta ſecũdum Chriſtũ Ieſum, hoc eſt, quæ ad illius præceptum inſtituta eſt, quæ reſpõdet dilectioni proximi, & gloriæ nominis Dei. Mundus ſuam habet concordiæ formulam, quæ nihil huc facit. Addita eſt ſequenti ſexto verſu explicatio concordiæ illius, ſcilicet talem eſſe in Chriſto concordiam, quæ vno ore omnium fidelium glorificat Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

7. *Propterea aſſumite vos mutuò.*

Illatio eſt, quæ rationibus præmiſſis rectè ſubnectitur: concludit enim principalẽ propoſitionem, ad quam reſpiciunt rationes ſuperiores, ideo validi imbecillorum imbecillitatem patienter ferre debent. Adita eſt autem noua ratio ab exemplo Chriſti, qualis fuit ſuperior etiam quinta ordine: ſed addit differentiam vt argumentum pondus habeat. Chriſtus nos omnes aſſumpſit, hoc eſt, patienter fert redemptos iam, ídque totum ad gloriam Dei, igitur & nos infirmos ferre debemus patienter, propter Dei gloriam. Chriſtus dicitur nos aſſumpſiſſe, hoc eſt, redemiſſe, & ex inimicis feciſſe filios Dei, & hæredes cœleſtium bonorum. Hæc aſſumptio facta eſt in morte Chriſti, qua ſumus Deo reconciliati, deinde ſic aſſumptos, longanimitate patientiſſima fert noſtros mores, & ruditatẽ in hac vita, donec tandem ſuo tempore nos ex his ærumnis liberet. Hoc totum ad Dei

gloriam facit, quia in redemptione nostra & misericors & verus deprehenditur, in infirmitatibus piorum gloria ipsius illustratur.

Nonum hoc sit argumentum. Tolerantia Christi in assumendis peccatoribus regula est nostræ tolerantiæ, vt ad gloriam Dei libenter infirmos feramus, quare in hoc omnibus modis est sanctis incumbendum.

8. *Dico autem Iesum Christum ministrum.*

Per distributionem explicat, quomodo Christus nos assumpserit ad gloriam Dei: ac primùm de Iudæis loquitur, quos Christus assumpsit secundum promissiones. Deinde loquitur de assumptione Gentium, quas assumpsit secundum misericordiam. Facit eleganter locus iste ad conciliationem Ecclesiæ Romanæ: nam hinc efficitur, Gentes non debere contemnere Iudæos propter Christum, qui illis inseruiuit etiam ingratissimis: nec contrà Iudæi aspernari debent Gentes, quia & illæ assumptæ sunt secundum misericordiam. Quum igitur sint in vno Christo vtrinque assumpta membra, mutuò se patienter ferre debent.

Christus circuncisionis minister quo sensu dicatur.

Porrò Christus diaconus est circumcisionis, hoc est Iudæorum, ad quos pertinebat circumcisio, his seruiuit vita, & doctrina, & miraculis: apud hos enim solum docuit & vixit, mors etiã & resurrectio illis inseruiuit, quum illi interim ingratissimos sese præberet. Ideo non addit omnes assumptos, sed nos, hoc est, quibus salutaris erat seruitus Christus ex Iudæis. Deinde, cur ministrum se præbuerit Iudæis, ostendit à causa finali, pro veritate Dei, vt confirmarentur promissiones patrum, hoc est, vt verus deprehẽderetur Deus promittens Messiam. Iudæis igitur seruiuit Christus obligationis quodam iure, quia illis fuit promissus Messias, quæ promissiones non debuerunt irritæ esse. Hinc 2. Corinthiorum 1. dicitur, Dei promissiones per Christum sunt, Etiam, & Amen.

9. *Gentes vero.* Alterum membrum distributionis, nam de Iudæorum assumptione iam dixit: eodem pacto declarat Gentium assumptionem. In hoc misericordia regnat, nã his nihil promiserat Deus, aut siquid promissum fuit, obscurum erat, vt nemo facilè intelligeret: vt igitur Iudæis sua assumptio facit ad laudandam Dei veritatem: sic Gentibus sua facit, ad prædicandam misericordiam. Nulla igitur est causa, cur odiosiùs sese mutuò excipiant, sed summa patientia & concordia.

Testimonia de vocatione Gentium.

Reliqua habent testimonia de vocatione Gentium, quæ satis perspicua videntur esse, primùm ex Psal. 18. Propterea confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo psallam. hoc non poterat fieri sine reconciliatione cũ Deo patre, ideo Christo debetur. Alterũ ex Psal. 67. vel Deut. 32. Gaudete Gentes cum populo eius, in quo testimonio obseruandum est Iudæos Gentibus coniungi pari officio, quod communiter debent. Tertium ex Psal. 116. Laudate dominum omnes Gentes, & extollite eum omnes populi, vbi ἔθνη καὶ λαοὶ iterum pro Iudæis & Gentibus connectuntur.
Quartum ex cap. 11. Esaiæ, qui locus apertissimè assumptionem Gentium declarat, quia radix Iesse imperabit Gentibus, & Gentes in ipsum sperabunt.

13 *Deus autem spei impleat vos.*

Repetit comprecationem ex versu 5. habet autem non leue argumentum, quum Apostolus toties cohortationi interserat preces: quod enim mandare poterat, rogat, vt faciant, & modum ostendit, & causam efficientem, per quam possint. Deus spe dicitur, vt Deus patientiæ, quia illius author, quia hanc præcipit, hanc adiuuat, eam tuetur. Huic addit dona Dei in sanctis, fidem, ex qua pax, & inde gaudium, quæ Apostolus, mutato ordine, a postremo exorsus refert. Gaudium enim, vt fructus in oculos primùm incurrit, hinc colligimus de conscientiæ tranquillitate, & inde de fide. Deinde vide, cur fidem & spem connectat in potentia Spiritus sancti.

14. *Persuasus autem sum, fratres mei, ipse quoque ego de vobis.*

Vltimum argumentum, quod ducit à laudibus illorum: nam & parentes non solùm iubent filios quid facere oporteat, sed mandatis admiscent sæpe laudes, vt excitẽt ad officiũ.

Sic Apostolus iam mandat, iam optat, iam laudat, nec alio fine quàm vt patiẽter illi sese mutuo ferant. Itaque triplex argumentorum genus apud Apostolum est obseruandum sunt quædam ἐλεγκτικά, alia εὐκτικά, quædã etiã ἐπαινετικά. De posteriori ordine, hoc præsens est, quasi dicat, ipse ego Paulus confido, vos, spõte facturos, quod tam anxiè, & fortè nimis operosè vobis præcipio. Inest argumento consolatio magna, nã vident Apostolũ non desperasse de illorum consensu: nam operosa argumentatio videbatur, illos posse reddere pusillanimes. huc facit quòd adhuc fratres agnoscit. Ad laudes verò pertinent, quòd pleni sint bonitate, hoc est, omni virtutum genere, quod videtur habere vox ἀγαθωσύνη: nam vitio opponitur.

Deinde, *quod repleti sunt omni cognitione*, scilicet in pietatis, nam vniuersalis ad præsens institutum

institutum accommodari debet, non enim physica cognitione, medica matheseωs, & similium includitur. Hoc pacto vniuersales sæpe restringi debent, 1. Cor. 1. omni notitia præditos ait, scilicet veritatis Euangelicæ. Et 1. Cor. 2. Spiritualis diiudicat omnia, scilicet diuina, non forensia. Rom. 14. Omnia pura puris, hoc est, cibi omnes, non tamen mores & vitia. Tertiò, *quòd ipsi possunt se mutuò monere*: largitur multa, vt ad illa, si non adsint, excitet: sin adsint, retineant. Possunt se ipsos monere, quid igitur opus Paulo monitore? respondemus, licet illi possint, non tamen pari authoritate & pondere Romani poterant. Pauli tanquam Apostoli authoritas plus habet ponderis in admonendo, quàm aliorum deinde non ferunt homines, à quouis se admoneri. Præterea in multis cæci sumus ob familiaritatem, vt quæ vitiosa sint in amicis interdum non animaduertamus, itaque vtiliter intercedebat Apostoli authoritas. His laudibus apparet, quod sit ingenium charitatis, grauiter interdum Romanos taxauit, vt, quòd in rebus mediis intempestiuè agerent, non obseruarēt, quid ædificaret, nécne: in iustificationis articulo instruxit indubiè, quòd non satis rectè sentirent de eo multi. Interim iam laudat, tanquam perfectissimos, qui omnem habeant cognitionem, omnem bonitatem, sibi ipsis idonei sint doctores & monitores. Similia in Corinthiis & Galatis obseruare licet: ita charitas omnia credit, omnia fert, omnia in melius interpretatur. 1. Cor. 13. 4.



SEPTIMA PARS EPISTOLÆ CONTINENS EPILOGUM *totius argumenti: pertinent huc sui scripti excusationes salutationes. & commendationes fidelium.*

15. *Audacius autem scripsi vobis fratres, ex parte, tanquam commonefaciens vos per gratiam, quæ mihi data est à Deo.*



HACTENVS docuit Apostolus, quomodo vita & moribus sit ornanda professio fidei Christianæ, quò pertinent illa, quæ à capite 12. hactenus disseruit. Atque adeò iam absoluta videri poterat quoque tota epistola. Cæterùm Apostolus attexit iam familiaria quædam, quæ priuata poternnt videri, quibus animos Romanorum de nouo sibi deuincit, declaratque singularem quendam suum erga ipsos affectum. Tractantur autem ferè ista: primùm scripti prolixitatem excusat, deinde suum ad eos aduentum promittit. Tertiò illorum preces desiderat, atque hæc præsenti adhuc capite explicantur: quartum vltimo capite perficitur, salutationes scilicet mutuæ. Argum. huius loci. Partes.

I. Excusatio prolixitatis.

Audacius autem scripsi vobis fratres. Proposi-tio.

Locus primus est, cuius propositio est, Romani boni debent consulere epistolæ huius, tum prolixitatem: tum seueritatem: nam τολμηρότερον referri potest, iam ad seueritatem, quia liberè scripsit, & seuerius Iudæis sua vitia patefecit cap. 9. & 11. & cap. 2. v. 27. Sic Gētium vitia patefecit cap. 1. seueriter: in genere autem Ecclesiæ Romanæ non obscurè taxauit corruptos mores, capite 14. In iustificationis articulo quoque videtur meliora docuisse, quàm Romani hactenus tenuerint. Hæc audacia libertas est, & necessaria, excusanda tamen erat, ne quid affectibus dedisse videretur. Deinde potest referri ad scripti prolixitatem, nam si Epistolæ modus respiciatur, non tam Epistola, quàm liber, haberi potest præsens scriptum.

Rationes mitigatoriæ sunt, primùm ipsa confessio, quæ per se lenire solet culpā, quum per se nulla sit: deinde quia ad fratres scripsit ipse quoque frater, cuius amoris ardor extorsit accuratam diligentiam, quæ nō potuit prolixitate carere: tertiò, quia partiale est vitiū h. e. amoris quædam affectio. Nā ab amicis digredientes longiori colloquio tempus protrahunt, & breuis videtur omnis mora, sic difficile est sibi tēperare ad charissimos scribendo, quin calamus excurrat, & liberiùs agat. In rebus verò tractādis, inquit, nullū hîc agno

ſco crimen, id vult dictio ἀπὸ μέρους, quaſi dicat, partim quidem fateor hîc vitium, ſed morale, quòd charitas ſecum trahit, & quum non ſit, videri tamē alienis à dilectione ſolet. In rebus verò ipſis nullam admitto caſtigationem, hîc regnat Spiritus ſanctus, is dictauit, rexit manum & calamum. Quartò nullum mihi ſumo imperium in vos, ſed concedo vobis omnem ſcientiam: ſolùm monendi cauſa feci quicquid hîc ſcripſi, q. d. inſtitutum meum non eſt docere vos, ſed monere ſolùm, valde ciuilis eſt excuſatio.

Quintò, *quia gratia diuinitus mihi data hoc postulat.* A cauſa efficiente admonet, vtilem fore hanc epiſtolam: ſi enim Dei hæc eſt gratia, non poteſt nō eſſe vtilis, gratia enim donum ſit, quaſi dicat, donum Dei à me extorſit hanc epiſtolam: à Deo nihil niſi optimum expectare poſſumus, & dona illius prorſus ſunt vtiliſſima. Epiſtola hæc, licet prolixior videatur, à Deo eſt, & opus gratiæ illius, ergo, &c. Sunt qui per gratiam munus Apoſtolicum intelligant, hoc quidem non inficior: ſed, quia de ſpeciali munere hîc loquitur, ſpeciale donum intelligi conuenit. Et vt paſſim Apoſtolus diuino Spiritu ductus, Apoſtolatum ſuum obire ſolet: ita ſpecialiter in ſcribendis epiſtolis ad abſentes.

Sextò à ſpeciali vocatione: ſum doctor Gentium: igitur & vobis, qui inter omnes Gentes primi eſtis ſcribendum fuit, ideóque vos etiam decet boni conſulere ſcriptum hoc, tanquam à doctore veſtro & miniſtro proprio profectum. Λειτουργὸς dicitur Ieſu Chriſti, hoc eſt, διάκονος, vel ἀπόστολος 1. Tim. 2 doctor Gentium & Gal. 1. vt Euangelizarem eum inter Gentes. vides λειτουργὸν tribui miniſterio verbi, vt ſuprà 13. magiſtratibus eandem vocem tribuit. Deinde conſideranda eſt diſtributio officiorum inter Apoſtolos, omnes pares videntur, & ad eundem ſcopum tendere: attamē inter ſeſe partiti ſunt prouincias, vt Petrus inter Iudæos, Paulus verò inter Gentes prædicaret. Tertiò, modus aſſignatus eſt doctrinæ Paulinæ ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, h. eſt. *conſecrantem Euangelium*, quaſi dicat oportet me inter Gentes conſecrare Euangelium, quemadmodum alij inter Iudæos, hoc eſt, oſtendere debeo Gentibus, Euangelium eſſe rem ſacratiſſimam, doctrinam cœleſtem, hominibus ſalutarem, & vobis Gentibus planè neceſſariam. Eſt enim Euangelium per ſe ſanctum & doctrina veritatis res ſanctiſſima, ſed hominibus non idem mox videtur: dum igitur in hoc animi noſtri inducuntur, vt idem credant, conſecratur Euangelium, hoc eſt, nobis applicatur, vt tale habeatur. Quartò, à fine commendat munus ſuum, vt oblatio Gentium fiat accepta & ſancta, in Spiritu ſancto. Reſpicit Apoſtolus ad veteris Teſt. ritus, in quo Leuitæ & ſacerdotes parabant hoſtias, & Deo conſecrabant, offerentes ſecundum legem partes Deo deſtinatas. Sic Apoſtolus, quaſi Sacerdos & Leuita eſt, hoſtias mactat, & Deo offert, h. e. Gentes conuertit, & ad Chriſtum adducit. Hoſtia igitur Gentes ſunt, gladius eſt Euangelij doctrina, per quem ſacrificatur hoſtia Deo, & redditur accepta per patientiam & conuerſionem ad Chriſtum. Deinde Gentes hoſtiam efficiunt quoque Deo acceptam, dum credentes, opera bona ex fide Deo offerunt, hoc eſt, vita & moribus ornant ſuam profeſſionem.

17. *Habeo igitur gloriationem.*

Illatio, qua longius digreditur in muneris ſui commendationem. Illatio eſt, quia ſermo fluit ex ſuperioribus: nam quia Gentes Deo offert, tanquam hoſtiā, habet meritò, de quo glorietur, hoc eſt, munus ampliſſimum & omni laude maius accepit. Sed ne humanas eum laudes venari putes, rem diſtiguit, *habeo*, inquit, *ſed apud Deum, & in Chriſto Ieſu*, quaſi dicat, nihil hîc mihi cum ampullis humanæ gloriolæ, laus mea conſiſtit in conſcientia bona fide confecti muneris.

18 *Non enim audeam aliquid loqui.*

Confirmat quod dixerat de laude ſua apud Deum, & non homines conſiſtente, quaſi dicat, poteram de aliis gloriari, de lege, de Phariſaiſmo, de vita inculpata ſecundum legē: ſed quid iſta? abſit, vt glorier, niſi in Chriſto, & nominatim, quòd mihi conceſſa, imò cōcredita ſit functio docendi Gentes, hæc mea ſuprema eſt gloriatio in mundo, quòd ſum Apoſtolus Chriſti ad vos Gentes, in illo glorior. Obſerua tamen ſummam modeſtiam, omnia Chriſto aſſignat, ſibi tanquam organo nihil relinquit, quum tamen non eſſet mutum & rude organum. Finis iterum allegatur muneris, obedientia Gentium, media etiam, per quæ laborauit Apoſtolus. Sermo & opus, λόγος καὶ ἔργον inſtrumenta ſunt miniſterij, quibus doctores laborant: λόγος doctrina eſt, quæ viua voce præſentibus proponitur, vel per epiſtolas aliáue ſcripta ad abſentes, vel poſteritatem tranſmittur. huic ſtudioſiſſimè Apoſtolus Paulus inſudauit. ἔργον verò eſt vita doctrinæ reſpondens, innocentia vitæ, conſtantia ſub cruce, patientia, caſtitas, in ſumma totius vitæ tenor ſanctiſſimus Hoc inſtrumento non minus ædificatur Eccleſia Chriſti, quàm priore. Et vt Apoſtolus Paulus, aliíque conſtruxerunt eam vtroque genere: ſic quum mores cœpti ſunt ſeparari à doctrina, omnia in religione peſſum eunt, & hodie ferè conſuetū eſt vna manu ædificare,

Mores cū doctrina coniungendos eſſe.

ficare, hoc est, doctrina & λόγῳ: altera verò iterum destruere, hoc est ἔργῳ: & vitæ innocētia. Est deinde aliud genus operis, quo Paulus doctrina suā confirmauit, de eo subiicit per explicationē, in potentia signorū & prodigiorum, in potentia spiritus Dei. Alterum hoc genus est τῶν ἔργων: sed ad Apostolos solùm pertinebat, & paucos alios, scilicet vt miraculis, confirmarent doctrinam Christi, id Paulus præstitit inter Gentes, vt hîc testatur & exempla in Actis probant. Signa σημεῖα à significando dicuntur, quia probāt & declarant τέρατα autem ab obseruatione, quia digna sit res obseruatu παρὰ τὸ τείρειν, sanctæ literæ promiscuè vtuntur pro miraculis.

19. *Adeò vt à Ierusalem & in circuitu, vsque in Illyricum compleuerim Euangeliū Christi.*

Ab effectis commendat munus suum Romanis, quasi dicat, non sum negligens & infrugiferus seruus Christi inter Gentes, id inde colligite, quia à Ierusalem ad Illyricum vsque omnia compleui Euangelio. Paucis verbis infinita spatia complectitur, nam multę hîc interiacent regiones: accedit temporis breuitas, qua hoc totum effecit, nec modicè sparsit, sed copiosè compleuit, adeo vt hæc doctrina iam dominetur Iudæorum & Gentium nugis. Apost. diligentia in munere suo obeūdo.

20. *Sic autem promptus sum docere Euangelium.*

Officij magnitudini opponit desiderij sui amplitudinem, quasi dicat, magnum mihi munus est iniunctum, sed non minor est mea promptitudo: nam quū sim Apostolus, doceo Gentes, & ita, vt illos semper studeam docere vbi ante me nemo docuit. Sed cur non doces, vbi ali. præcessere doctores? respondet, ne alieno innitar fundamento, hoc est, alienam ingrediar messem, & ne obtrectatores mei labores meos carpant, quasi fruar ipse aliorum laboribus: denique ne mihi geminus sit labor sumendus, vnus contra errores Ethnicorum, alter contra dogmata fidei malè proposita: nam falsi doctores passim docebant, sed multos serebant errores, in quibus confutandis plus laboris est, quàm veritate de integro docenda. Nec interea negat, quin & hoc præstiterit, vbi necessum fuit, & docuerit etiam, vbi alij boni docuissent: sed hoc solùm, quòd in votis semper habuerit, quàm latissimè spargere nomen Christi. Locus quem citat est Esa. 52. quem suprà cap. 10. quoque vidimus.

II. De suo ad ipsos aduentu.

22. *Quare etiam impeditus sum sæpe venire ad vos.*

Hactenus sese ita excusauit de prolixitate scripti, vt magnam sibi videatur parasse authoritatem apud Romanos, nominatim propter muneris præstantiam, propter specialem vocationem, & propter euidentem rerum successum.

Nunc hac altera parte promittit suum ad eos aduentum, qui locus ad beneuolentiam facit: nam indubiè Romæ multi erant fideles, qui auidissimè hoc expetebant. Ac primùm cur hactenus non venerit sese excusat. Suprà cap. I. significauerat, se cupere illos videre, deinde dixerat, se præpeditum hactenus fuisse, idem hîc dicit: ac si attendas priora, facilè hinc causa aliqua moræ istius elici potest, scilicet quòd studium hoc ardentissimum Apostoli, in Oriente illum detinuerit, quasi dicat, dum studeo passim dilatare Euangelium, tanta mihi copia patuit in Asia & Europa, vt desiderium veniendi ad vos, non potuerim opere complere: nam aliæ semper me aliò rapiunt occasiones docendi, hæc prior ratio est impediens, alias vide suprà cap. I. à nobis explicatas. v. 10. 11. 12.

Deinde certiùs affirmat suum aduentum certis quibusdam rationibus, primùm, *quia mihi non est locus amplius in his regionibus*, quod nonnulli referunt ad persecutiones & pericula, quasi dicat, nullibi hîc sum tutus, ideo ad vos me conferam, quod mihi displicet. Quæ enim esset laus, & gloria Pauli, si necessitas illum iniiceret in Italiam aut metus periculi? Itaque aliud est, quod dicit, non est mihi locus in his regionibus, hoc est, omnia hîc compleui Euangelio, vt nō possim nouas amplius instituere. Ecclesias mores Apostolico. Id si velim, admodum procul mihi est peregrinandum, ideóque Italiam & Hispaniam mihi delegi prouincias remotissimas, quas certum est de Christo nihil adhuc audiuisse. hæc plana est sententia, & conueniens præsenti causæ. Altera ratio est à constantia desiderij sui tanto tempore, *à multis*, inquit, *annis mihi inest id desiderium*, complebo ergo tandem, idem suprà cap. I. dixit. Tertia ab occasione opportuna, *eundū erit in Hispaniam, qua profectione ad vos potero declinare.* Vides Apostolicum morem, remotissimas adire Gentes, vt doceas Christum. Quarta à spe bona, *spero enim transeundo me visurum vos*, q.d. confido. Deum hoc mihi concessurum, vt non rectà Hispania, sed illo circuitu sit petenda, bene præsumit de toto suo consilio, quod tamen totum in Domini erat manu. Quinta à cōmodo, non frustra veniam ad vos, sed vt me deducatis, h.e. viæ comites exhibeatis, quod facere poterat ad molestias leniendas, ad tutiorem quoque profectionem, quòd fortè per Africam, non ita essent itinera, ac per Italiam, denique quòd facilius illi aditus daretur in

Hispania docendi, si ex finitima Italia notos secum deduceret.

25. *Nunc autem proficiscor in Ierusalem.*

Præoccupatio est, qua excusat se, si non citiùs veniat, causa, inquit, mihi adhuc vna superest moræ scilicet, quòd iam in Ierusalem cogor redire: addit etiam causam illius, quia ministro sanctis, quasi dicat, non est priuatum hoc commodum, sed pauperibus inseruio.

26. *Visum est enim Macedoniæ.*

Expositio est consilij & ministerij sui: docet enim, quale hoc sit ministerium. Consilium hoc colligendi eleemosynas pro pauperibus in Iudæa habemus 2. Cor. 9. & ad Gal. 2. iniungitur illi ab Apostoli, vt pauperum memor esset apud Gentes, hanc collectam tulit in Iudæam, Act. 19.

27. *Placuit enim, & debitores illorum sunt.*

Repetitio narrationis per asseuerationem, quo promptitudinem Macedonũ & Achæorum declarat. deinde eandem munit ratione firmissima, quia debitores sunt, scilicet fidei communione: qui enim eandem profitentur fidem, non est mirum si eos mutua quoque officia obligent. **Sed** quia satis dura videbatur ratio debiti, explicat rem collatione, qua significat libera quidem esse charitatis officia, quæ tamen sunt lege dilectionis debita, nec ob id libera & voluntaria esse desinunt, quia sunt iuris dilectionis. Argumentum à maiori vim habet. Gentes à Iudæis acceperunt spiritualia, non debent igitur difficulter ferre, compensationem aliquam fieri rebus terrenis, tanquã minoribus bonis, longè maiora compensantes, & hoc totum λειτουργῆσαι vocat, vt planè eleemosyna sit λειτουργία, quemadmodum prius ministerium verbi, vt suprà 13. magistratum eodem titulo ornauerat. Porrò quomodo à Iudæis acceperint spiritualia Gentes, duplex ratio dari potest: primùm acceperunt illa ab Apostolis verè Iudæis, deinde ab aliis sanctis, & conuersis ex Iudaismo, qui Euangelium Christi patefecerunt. Altera est, quia salus ex Iudæis est, Christus etiam promissiones, & testamenta ad Iudæos pertinebant, vt suprà docuit Apostolus. Hæc quia communicantur Gentibus quoque, dicũtur à Iudæis accepisse, quæ Iudæis propriè erant promissa, quasi liberales illi fuerint. His addimus hanc rationem quoque, quòd Iudæi impij, indignos se reddiderint tantis bonis, vt sup. 10. ideoque abiecti, & in illorum locum successere Gentes: acceperunt igitur ab ingratis Iudæis quoque, tanquam indignis possessoribus, in compensationem autem beneficij illi gratias referunt solum in fideles quibus eo nomine plus debent.

Quomodo gentes à Iudæis acceperint

28. *Hoc igitur vbi perfecero.*

Redit ad institutum suum de aduentu suo, vt affectum suũ Romanis approbet: porrò liberalem illam collationem vocat fructum scilicet Gentium fidei, deinde fructus etiam Iudæorum liberalitatis, qui Gentes admiscent ad fidei communionem. Alterum hîc obseruatione dignum est, quòd obsignare dicitur se hunc fructum velle, hoc est, tanta fide & integritate reddere illam pecuniam, ac si obsignatus esset thesaurus: nam literæ obsignantur, ne legantur, sic dona aliò transmissa, ne violentur, ita, inquit, obsignabo, vt fides mea in solidum liberetur.

Notanda Apostoli integritas.

29. *Scio autem, quòd si veniam ad vos.* Digressiuncula vsus est, nunc ad argumenta redit. Explicauimus iam suprà quinque rationes sui Romã aduentus, hinc iam petatur sexta: cum plenitudine benedictionis Euangelij veniam ad vos, igitur certò me expectabitis, & quidem magno cum fructu. Quærunt hîc, quidnam sit πλήρωμα illud εὐλογίας Euãgelij, quo promittit se venturum? responderi potest, illud esse, vel quòd parem fructum à Romanis expectet, qualem de Macedonibus & Achæis iam prædicauit in pauperes, quasi dicat, scio vos non minus liberales fore in pauperes per Iudæam, quàm fuerint illi, atque hoc nomine videtur in primis laudasse illos ob liberalitatem, vt exemplo hoc Romanos excitaret ad officium.

Deinde intelligi potest πλήρομα hoc, de fructu doctrinæ Pauli, quasi dicat, felicissimus est cursus meus apud omnes Gentes in docendo, itaque mihi polliceor eundem fructum apud vos, Deus addet benedictionem suam doctrinæ & laboribus meis, vt sim visurus fructum vberrimum. Quæ sententia non malè quadrat hisce, quæ dixit de successu Euangelij ab Ierusalem vsque ad Illyricum: sed est tertia etiam sententia, non inepta, *veniam ad vos cum plenitudine*, hoc est, omni genere donorum, quibus doctrinam meam apud vos quoque confirmem, qualia sunt miracula, donum linguarum, Prophetiæ, & similia: quò facit, quòd iam sibi hoc cap. vers. 19. arrogauit, potentiam signorum & prodigiorum. Hęc omnia tria rectè hîc intelligi possunt: summa enim est, se non vacuum ad eos venturum, adde his quartum, se venturum cum benedictione, plena scilicet consolationum, nam Ecclesia illa hac re imprimis opus habebat.

III. Preces pro se fieri petit.

30. *Obsecro*

30. *Obsecro autem vos fratres.*

Tertius locus de intercessione agit, nos ex eo discamus commendari intercessionẽ qua viui pro viuis intercedunt, vt hîc Paulus pro se fieri petit. Porrò duo hîc sunt, petitio & causæ petitionis: petitio graui obtestatione instructa est, propositio tamen eius est, pro me rogandus est vobis sedulò Deus. Id poterat nudè sic proponere, sed affectuum magnitudo id non admisit, ideóque grauem adhibet obtestationem, primùm per fratrum amorẽ, fratres estis, fratri igitur adesse debetis. Deinde *per Christum Iesum*, per caput scilicet Ecclesiæ, & salutis principem. Tertiò, *per Spiritum dilectionis*, hoc est, Spiritum sanctũ qui colligat fideles in Christo vno vinculo charitatis. Quartò, quia res communis est, certamen hoc putate vobis mecum commune: non enim de me solo agitur, sed vestra & aliarum Ecclesiarum quoque causa hîc vertitur. Adde quintò, tenue est, quod peto, solùm preces, quas sine impensa dabitis, sine iactura. Itẽ pro me hoc peto, alia pro aliis soleo exorare, hoc solùm pro me exigo. Si tantus Apostolus hoc facit, vt non erubescat ad discipulorum preces confugere, quid igitur nos faciemus? Denique apud Deum hoc bonum deponetis, non mihi corporaliter, sed pro me apud Deum hoc facite: Dei nomen pondus habet, falli non potest, nec à Paulo simulanter petendo, nec à Romanis negligenter orando. Hactenus de scopo & circunstantiis diximus. Alterum diximus hîc esse, causas scilicet petitionis eius tres hîc affert, prima vt *liberetur ab impiis Iudæis*, qui quales fuerint erga Paulum Acta Apost. docent, & perpetuæ admonitiones in vltimo ascensu, illum de periculis non leuibus admonebant. Act. 20. v. 23. cap. 21. v. 11, mox vbi vrbem est ingressus, res ipsa declarauit. Altera est, *vt ministerium suum sit acceptum sanctis*, h. e. vtile pauperibus Ierosolymitanis, vel acceptum aliis etiam, quòd his specialiter inseruiret. Tertia, *vt cum gaudio tandem aliquando Romam veniat*. Hæc tria tanquam materialia ponit. futuræ pro se intercessionis, ac id eos præstitisse fideliter credi debet: nam Deus ad vota Apostoli hæc tria omnia concessit, primùm Iudæorũ insidiis eripitur per præfectos Romanos, tandem plena prouocatione ad Neronem omnibus actionis contra se occasionẽ adimit. Vtilem autem fuisse pauperibus eius operam, ex c. 19. colligi potest. & 2. Cor. 9. venit quoque Romam saluus, vt finis Act. habet: ex quibus nos discamus vtilitatem intercessionis fidelium. *Deus autem pacis*. Epilogus nouus constans comprecatione more Apostoli, cur dicatur Deus pacis suprà iam diximus.

Quæ intercessio commendetur.



CAPVT XVI.

PIETAS VERA, ETIAM A COMMENDATIONIBUS & salutationibus sanctorum non abhorret.

INGRESSVS est locum de rebus priuatis, in quo non minore cura versatur, quàm in didacticis. Excusauit diligenter scripti prolixitatem: deinde suum aduentum, magno quodam fructu promisit, tertiò ardenter preces fidelium expetiuit. Nunc qvarto loco descẽdit ad magis specialia, nam certas personas commendat, salutat, præmonet etiam de cauendis: exprimit quoque nomina aliorum, qui Romanis salutem dicũt, tandem iucunda gratiarum actione epistolam claudit: Interim non semel illis vale dicẽs, sed quod charissimi parentes à liberis digressuri longiùs solent, semper quasi alicuius obliti iterum admonent, iterum sermones ordiuntur, valedicunt & sæpius retexunt, orationem, tale quid hîc videtur, vt in aliis epistolis, Apostolus Paulus pati.

Partes istæ sunt, prima commendatoria est, συϛατική: Phœbe enim iustis rationibus commendatur Ecclesiæ Romanæ. Altera salutatoria, ac continet catalogũm quendã personarum, quas suo nomine cupit salutari in toto cœtu. Tertia monitoria est, præmonet enim obiter etiam, à quibus cauere debeãt, ac vtile erat Romanis, quos amore Apostolico dignos haberent, eosque cauẽdos tãquã pestes. Quarta valedictoria, nã quasi nihil amplius additurus, illis valedicit. Quinta iterũ salutatoria, nã attexit aliorũ nomina, qui te-

tam Ecclesiam salutabant, non certos, vt fecerat Apostolus. Sexta repetit valedictionem. Septima tandem gratiarum actione epistolam concludit, priora duo membra iam explicabimus.

Commendatio 4.

1. *Commendo autem vobis Phœbem.* Mulier ista non aliunde rectius cognoscitur, quàm ex præsenti loco laudatissima matrona, iudicio Apostoli. Commēdatur autem primùm, quia soror: vt enim Christianos amplectimur nomine fratrum, sic inter eosdem sexum muliebrem fidelium nomine sororum, non quod natura, sed magis pietatis consensu & Christi amore tales simus. Deinde quia est ministra, Græci διάκονον etiam fœminino genere dicunt, nos diaconissam & diaconam hodie dicimus.

Quale autem fuerit mulierum ministerium inter fideles aliâs diximus, scilicet vt seruiant ægris, pauperibus, peregrinis, 1. Tim. 5. Talis ista Phœbe fuit apud Corinthios. Cēchreæ vicus & portus est à Corintho 70. stad. distans, eo portu vtebantur, ex Asia nauigantes, vt Lechæo vtebantur, qui ex Italia aduentabant. Strabo lib. 8.

Tertiò commendatur, vt sancta, suscipi debet eo more, quo decet sanctos suscipere, ex quo efficitur inter sanctos illam connumerari. Quartò, quia multis affuit, hoc est, hospitium præbuit multis peregrinis, vel pauperum causam diligenter curauit, ægris quoque piè affuit: nec enim solùm de hospitio loqui videtur, sed de toto viduarum munere, quod spectabat ad diaconatum illarum, quasi dicat sanctissimè præfuit suo muneri, digna igitur est, vt à vobis sanctè suscipiatur. Denique quia Apostolo Paulo quoque, hanc pietatē exhibuit, fortè præbendo hospitium, vel asserendo illius causam & innocentiam, quod mox de Aquila & Priscilla dicet. Discimus hinc, quales oporteat esse peregrinos, qui suscipi debeant, & aliis commendari, hodie ferè multis satis est nomen peregrini, *man soll den fre den dast best thuen*, Apostolus non peregrinationis nomine commendat Phœbē, sed sanctitatis, officij, sororis etiam nomine. Cogitent igitur peregrini, vt sese possint & debeant reddere commendabiles, non sint curiosi, auidi dominatus, innouationis, turbarum: sed pacis studiosi, concordiæ, humilitatis, innocentiæ vitæ, &c.

Quales decent esse peregrinos.

Salutationes 5.

3. *Salutate Priscillam & Aquilam.*

Salutationes.

Sequuntur nunc ἀσπασμοὶ, hoc est Apostolicæ salutationes certarum personarum ex toto cœtu, quod videtur eo fine præstitisse, vt constaret Romanis, quos apud sese haberent insigniores, & de Apostolo Paulo aliquo modo bene meritos. Deinde, vt sui animi extaret gratitudinis aliquod testimonium, ne obliuiosus videri posset benefactoribus, nam pietas in primis detestatur ingratos.

In Actis c. 18. Priscilla dicitur vxor Aquilæ Pontici, coniunctissimè vixerunt cum Apostolo Paulo, vt hinc & ex Act. apparet. Porrò vxorem marito præponit, vel casu, vel quòd sexus debilior interdum commendatione & honore iuuendus sit, & excitandus: sed & virtus illius videtur hoc poscere, vt sequentia declarant. Rationes huius commendationis sunt, primùm quòd sint συνεργοὶ, hoc est communi opera cum Paulo docuerint, talia enim dicuntur συνεργὰ, vt causæ adiuuantes. Hinc ministri dicuntur Dei συνεργοί. Porrò, vt hoc competat Priscillæ, vt mulieri, multi admirantur: sed ratio facilis est, priuatim illa cum marito instituit Apollum, vt est in Actis 18. idem indubiè erga alios præstitere, si non publicè. Altera ratio commendationis est, quia pro vita Pauli sese in periculum dederunt. Huius mentio alibi non fit, ideo Spiritus sanctus, hîc illius testimoniū extare voluit, ne Apostolus ingratus, & parum memor beneficij haberetur: ideo gratias illis agit, vt & pro dignitate beneficium laudet, illud ad omnes Ecclesias Gentium accommodat. Magnum sanè oportet, vt sit, pro quo omnes Ecclesiæ priuatas agunt gratias: obiter autem indicat, quid bonis doctoribus Ecclesiæ debeant, item illorum conseruatoribus.

5. *Et Ecclesiam, quæ est in domo illorum.*

Altera salutatio ad domesticos Aquilæ & Priscillæ pertinet. Per Ecclesiam alij familiā hîc accipiunt, sed cum illa coniunxerim etiam extraneos, qui ad illos confluere solebant, ad audiendam veritatem: nam videntur cœtus priuati illuc esse coacti, quasi ad scholam quandam pietatis. Simile de his refertur 1. Cor. 16. vers. 19. Salutant vos multùm in Domino Aquila & Priscilla, cum Ecclesia, quæ est in domo ipsorum. Priuata institutio plurimum facit ad doctrinæ publicæ confirmationem.

Salutate Epænetum mihi dilectum. Tertio loco Epænetum salutat. Commendabilis est primùm ipso nomine, ἐπαίνετος re & nomine, suaue est cùm honesta & pia nomina in pios incidunt, qui reipsa sunt, ac præstant, quod nomine dicuntur. Deinde quia Apostoli ἀγαπητὸς, h. e. dignus amore Apostolico, dignus igitur, qui laudetur. Tertiò, quia est

est ἀπαρχὴ Achaiæ, h.e. qui ex tota Achaia primus credidit, vel apertè sese coniunxit Apostolo, aut ex multis solus, vel cum paucis credidit, nam 1. Cor. 16. v. 15. meminit Stephanæ familiæ quoque hoc titulo. Primitias in fide intelligo, nihil enim ad Christum honor & dignitas magistratuum, vnde miror Ambrosium principem hunc facere virum. Alij etiam legunt Asiæ, non Achaiæ, fortè ne ex eadem prouincia geminæ primitiæ commẽdentur. Epænetus igitur ex Asia minore primitiæ dicetur: Stephanæ autem familia ex Achaia, aut certè hic Epænetus de illa fuit.

6. *Salutate Mariam.* Quartò Maria quædam salutatur, eo nomine, quòd Apostolo inseruierit, hoc est, gratum sese præbere, beneficiorum semper meminisse.

7. *Salutate Andronicum.* Quintò Andronicum & Iuniam salutat, primùm quia cognati secundum carnem, h.e. Iudæi, vel fortè de tribu Beniamin, de qua & Paulus erat, aut fortè propiore sanguinis vinculo coniuncti.

Deinde, quia communia secum pertulerunt pericula, socij captiuitatis fuêre, vbi tamen factum sit, non extat: solùm hoc reuocat in memoriam, & suaue est socios habuisse laborum. Tertiò, quia insignes inter Apostolos, non inter 12. quia nomina certa sunt, sed fortè de numero 72. & quòd instar Apostolorum docuerint, & Ecclesias erexerint passim. Certum est fidem illorum & docendi studium Apostolis omnibus fuisse probatum, quasi dicat, hosce imprimis laudant omnes Apostoli: nam Iuniæ vxori non competebat munus Apostolicum, nisi quòd fides & mores Apostolis essent noti, & cum marito passim oberraret priuatim instituendo, quos Andronicus maritus publicè doceret. Quartò quòd ante se in Christo fuerint, hoc est maturè crediderint, non erubescit Apostolus illos laudare cum sui quadam deiectione, tardum enim sese fatetur & pigrum fuisse ad credendum.

8. *Salutate Ampliam.* Sextò salutat Ampliam nomine ἀγαπητοῦ, de quo iam diximus.

9. *Salutate Vrbanum.* Romani hominis, vt videtur nomẽ fuit, & hîc Apostoli συνεργός: nam in diuersis prouinciis, diuersorum opera est vsus: Septima est salutio. Octaua est *Salutate Stachin dilectum.*

10. *Salutate Apellem*, fortè Apollo ille Alexandrinus, de quo in Act. 18.

11. *Aristobuli domus*, fieri potest, vt ipse Aristobulus non crediderit, & tamen tulerit domesticos fideles: quod si ita est, saltem commendatione digna erat lenitas, sed cum familia lubens intelligo, salutari quoque Aristobulum.

12. *Herodionem cognati* nomine salutat.

13. *Narcisci familiam*, fuit is Claudij Cos. libertus homo prophanus & impudens: habuit tamen domesticos quosdam pios, non tamen omnes, ideo separat ab illis fideles.

14. *Tryphænam & Tryphosam*, iterum duas pias matronas viris addit, ad sexus consolationem, & exemplum aliis.

15. *Persidem* mulierem seorsim salutat.

16. *Rufum cum matre* coniungit, piæ matris sanctam sobolem, & suam facit matrem communi affectu, quia Paulum, non minus, quàm filium proprium amplexa est, & iuuit.

17. Plures coniungit, prout memoria dictabat *Asyncritum, Phlegontem, Hermam*, qui author dicitur libri pastoris, qui liber olim inter fideles fuit lectus, nunc periit, *Patrobam, Mercurium*, &c.

18. *Philologum, Iuliam, Nereum cum sorore*, scilicet respectu pietatis: vxorem tamen Nerei fuisse apparet, vt Iulia Philologi, *Olympam, & qui cum eis sunt omnes.*

19. *Salutate vos mutuo osculo sancto.* Communis est clausula salutationum. Osculũ pacis erat symbolum, vt hodie porrigere manum, eo frequenter vsi sunt fideles in prima Ecclesia, quia pro more Orientalium, mos receptus erat. Et quia dolus est in osculo quoque, ideo sanctum posuit: Iudas enim osculo prodidit Filium Dei, & Absalom similiter osculabatur subditorum manus, 2. Sa. 15. inuasurus regnum patris. Et Ioab Amasam. 1. Sa. 20. adeò nihil tutum est ab hypocrisi. Huius osculi meminit infrà, 1. Cor. 16. & 2. Corint. 13. & 1. Pet. 5. v. 14. Salutate vos mutuo dilectionis osculo. φίλημα ἀγάπης, & φίλημα ἅγιον, quia sanctos, & Dei amicos decet, & ornat, quo carent hypocritæ & impuri libidinosi, qui in eo quærunt carnis desideria, aut libidinem, aut vt suos conatus impios eo prætextu celent. Hactenus salutationes Apostoli priuatarum personarum.

DE CAVENDIS DISSIDIORVM AVTORIBVS, hinc reliquas salutationes absoluit, & valedicit ardenti gratiarum actione.

17. *Precor autem vos fratres.*

FAmiliaria quædam cęperat tractare, vt de scripto suo, de aduentu, de precibus pro se habendis, de Phœbe, quam multis nominibus commendauit fidelibus, de salutationibus priuatorum hominum, in toto cœtu. His iam locum doctrinæ addit generalem, de impostoribus cauendis, qui non gloriam Christi, sed ventrem suum quærunt. Hunc locum in aliis epistolis doctrinæ adiecit, vt Dominus Christus frequenter suos præmonuit de falsis doctoribus cauendis. Mox quasi colophonem impositurus Romanis, pia cõprecatione valedicit. Interim incidunt illi piorum desideria, qui absentes Romanam Ecclesiam quoque fauore prosequebantur: horum addit igitur salutationes, tanquam obsignationes veritatis. His absolutis repetit valedictionem, ac tandem insigni gratiarum actione totam epistolam concludit.

ADMONITIO DE VITANDIS FALSIS doctoribus.

Precor autem vos fratres, vt speculemini eos, qui dissidia & scandala faciunt contra doctrinam, quam vos didicistis, & declinetis ab eis.

Propositio. LOcus ordine sextus est, de vitandis malis doctoribus. πρότασις est, prudenter explorandos & studiosè declinandos impostores: nam quod impostores attinet vocat illos duplici proprietate, primùm faciunt dissidia, hoc est, doctrinam eò dirigunt, vt lites renouentur, non tam inter priuatos, quàm publicè, quales hodie sunt, qui conciones omnes inferciunt inuectiuis, & qui sopita dissidia religionis renouant adeóque ab inferis reuocant, quos cogitare decebat ὡς κοιμῶντα μὴ δεῖν κινεῖν. Deinde pariunt scandala: effectus est doctrinæ contentiosæ offendere pios & pacis amantes. quod illis parum curæ est. Loquitur autem de scandalis datis sine iusta causa, quales erant ex circumcisione, qui asserebant circumcisionem, & alia legalia à Gentibus esse obseruanda, eóque nomine turbas in Ecclesiis Gentium concitare non dubitabant. Itaque obseruemus & hodie impostores, & ventris ac stipendiorum doctores, illas notas habere, lites serere, & offendicula parere doctrina & moribus.

Quod verò Romanos concernit, duo ab eis requirit, σκοπεῖν & ἐκκλίνειν, prius prudentiæ est & diligentiam postulat: non enim cuiusuis est tales mox deprehendere: latent vt plurimum sub veste ouilla, ideo exploratione quadã est opus, h. e. accurato iudicio, quale est in exploratoribus & probatoribus rerum.

Posterius cautelæ cuiusdam est, vt quos norunt iam tales esse, declinent: non autem iubet eos excommunicare, vel eiicere violẽter, sed declinare, quasi dicat, cauẽdos esse, sine tumultu: nam Ecclesia Christi talibus nunquam caruit. Et quia ordinarium magistratum non habebat, priuatis ostendit viam, quam sequantur. Huc facit quòd magis rogat, quam imperet, & nomen fratris πάθος etiam habet.

Dixi de sententia & propositione loci, iam ponderemus argumenta & rationes eius.

Primùm contra sanam doctrinam illa faciunt, igitur diligenter sunt & explorandi & cauendi. Apostolus inquit, contra sanam doctrinam, quam vos didicistis, didicerant autẽ sanam doctrinam, siue ab Apostolis, quibusdam, siue illorum discipulis, & hanc sua epistola iam confirmauit D. Paulus: itaque quicquid contra hanc doctrinam Apostolicam facit, siue in articulis fidei, siue aliis dogmatibus, aut etiam moribus, id totum cauendum est talis est impostorum doctrina.

II. Tales doctores non seruiunt Christo Domino nostro, itaque nomine Christi admiti non debent: nam in Ecclesia sola, vox Christi, hoc est, sana doctrina audiri debet. Vides impostores abuti nomine Christi ad prætextum, quod est venire sub veste ouilla, Matt. 7. 5. quod de illis dixit Christus: quare vigilantia, est opus, ne decipiamur habitu externo, & verbis ad imponendum compositis.

III. *Seruiunt suo ventri.* A fine ducit argumentum, quem illi habent propositum. Hinc 2. Tim. 3. v. 4. dixit φιλήδονοι potiùs sunt, quàm φιλόθεοι. Et Christus Mat. 13. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui comeditis domos viduarum. Philip. 3. Quorum Deus venter est, significat auaros esse doctores, & lucrum quærere ex doctrina, quod est quæstum facere ex religione, quod hodie nimis est populare.

IIII. *Decipiunt simplices,* cauendi igitur studiosè & eò magis, quantò simplicium semper maior est turba in Ecclesia, quàm perspicacium. Ad Tit. 1. dicũtur hinc φρεναπάται: dicuntur autem ἄκακοι qui innocenter ambulant, sine dolo & fraude, quod genus ex suis moribus solet omnes æstimare candidè & ingenuè. Obserua autem, instrumenta fallendi: duo habent, quibus imponant χρηστολογίαν & εὐλογίαν, illam ad dexteritatem refero, qua, res grauissimas etiam suscipiunt impostores, posterius ad eloquendi ornamenta, quasi dicat,

dicit, quæstiones etiam suauiter & blandè tractant, quia ad assentationem accommodat.

V. A persona Romanorum, *Vestra obedientia ad omnes peruenit*, hoc est, laudem singularem in negotio fidei estis assecuti, faciles ad obediendum monitoribus præbetis aures: igitur & mihi bene monenti parebitis. hoc sensu ad laudem illorum spectat, quia non erubescunt sequi consilia salubria.

Sed est etiam hic sensus, *Vestra obedientia ad omnes peruenit*, hoc est, passim innotuit? vos imposturis expositos esse, & faciles deceptu, quasi dicat, estis de illorum numero, quos ἀκάκους iam dixi, estis minime versuti, non satis callidi, igitur studiosius vos moneo, vt sitis vigilantes.

VI. A sua de eis spe, *Gaudeo igitur quod vos attinet*. Priori argumento visus est eò incli nare, quasi non satis sint circumspecti, in cauendis impostoribus: nunc igitur animos illorum erigit magnifica spe, quasi dicat, vobis tribuo maiora, quàm vt desperem de vestra vigilantia. Danda igitur opera, ne spem de vobis conceptam fallatis, laude non minus excitantur fideles, quàm ingenui adolescentes.

7. Ab officio fidelium, quod est sapere ad bonum, simplicem esse ad malum. Aposto lus dixit, *volo vos sapientes esse ad bonum, simplices verò ad malum*, quod Christus dixit, Estote prudentes, vt serpentes: simplices verò, vt columbæ. In hoc argumento considera non simpliciter rem suaderi, sed mandari: suprà dixit, precor vos, at hîc iam arctius stringit, volo hoc, quasi dicat, nisi præstiteritis, officium Christianorum non facitis. Itaque mandatum est, quod vim præcepti habet, vt & verba Christi, simplices estote & prudentes estote. Deinde ad quid sapientia sit refereda, ad bonum, hoc est, vt prosit saluti animarũ: hoc enim bonum hîc dixit: simplicitas verò ad malum, h. e. vt in malo simus imperiti, mi nimè tuti. Ita non pugnantia sunt eosdem & simplices & prudentes esse, simplicitas in moribus propriè est innocentia, prudentia verò in procurandis rebus salutaribus. Matt 10.

VIII. A præsenti auxilio Dei: *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò*: quasi dicat, fortes estote contra impostores illos, Deus conatibus vestris aderit, de victoria nolite dubitare. Magna inest huic argumento consolatio quòd Apostolus vir tantus audet eis victoriam polliceri. Deus pacis dicitur, vt sup. diximus, quia illius author est. Cæterùm, quando sit contriturus Satanam, alij aliter accipiunt, alij referunt ad vltimũ Christi aduentum: tum enim plene Satan confundetur, in conspectu omnium sanctorum attamen, quia inquit citò hoc futurum, non video, quomodo ad hoc referri posit, deinde, quid consolationis in præsenti causa haberet, ideo alij referunt ad ipsum aduentum Pauli Romam, quasi dicat, vbi ad vos venero, per gratiam Dei efficietur, vt iste Satan impostor prodatur & confundatur, mea præsentia conculcabitur. Quò facit, quod priori cap. promisit, se venturum cum plenitudine benedictionis, hoc est, variis donis, quibus Romani sint confirmandi. Sed est etiam tertia sententia, *Deus conteret Satanam sub pedes vestros*, hoc est, in dies magis magísque sentietis Dei auxilium: Christi enim aduentu iam præcipitatus est Satan. Luc. 10. Vidi Satanam, quasi fulgur de cœlo cadentẽ. Hæc victoria Christi confirmatur in dies, quòd Satan etiam electis non posit amplius resistere, sed pedib. illorum subiicitur per Dei verbum.

Valedicit VII.

20. *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum, Amen.*

Difficulter auellitur à Romanorum suauissimo colloquio, ideo pro more charissimorum amicorum varia miscet, vale dicit, mox ad alia recurrit, iterúmque valedicit. Suprà ad finem prioris cap. semel valedixit, interim variæ occurrebant cõmendationes, salutationes, præmonitiones: illa igitur perrexit subtexere, iam secundò valedicit, mox idem facturus tertiò. Gratia, hoc est, misericordia, vel dona S. sancti, quæ merito Christi ad nos deriuantur. Sup. dixit, Deus pacis sit vobiscum, ille addiderat cum omnibus vobis, hîc solũ dicit vobiscum, quæ licet parum distent: tamen aliqua varietas est, ex qua libertas loquẽdi perspici potest in sanctis, non superstitiosè vocibus certis inhærent. Nec minus hîc omnes voluit intelligere, quàm isthîc, quanquam non exprimat: sed vniuersalis & indefinita locutio, ad speciem est astringenda.

Salutationes aliorum.

21. *Salutant vos Timotheus.*

Redit Apostolus ad salutationes, sup. suas retulit: nam certos ex toto cœtu singulariter voluit commendare, imò ornare, nunc aliorum recenset salutationes, nam dictanti Apostolo videntur alij adstitisse, tanquam doctrinæ testes hi iam ad calcem currente epistola suas rogant addi salutationes. Ac erat hoc valde vtile, nam consignant epistolam, & veritatis accedunt testes, denique concordiam alunt diuersarum Ecclesiarum. Corinthij Romanos amplectuntur in formula doctrinæ, id hodie ab Ecclesiis refor-

matis,quoque fieri debuit.

Sed videamus salutantium nomina,primùm salutat eos *Timotheus*, quem ornat nomine cooperatoris,de qua voce iam suprà diximus: de Timotheo autem diximus Act. 16.& fortè dicemus plura infrà in epistolis ad ipsum scriptis.

II. *Lucius*,fortè Lucas,sic. n. videmus variari illa nomina, Prisca, Priscilla, Lucius, Lucas,&c.In comitatu Apostoli fuit Lucas,quum illa scriberentur.

III. *Iason*,de illo diximus Act.17.vbi in discrimen venit, quòd Apostolos hospitio suscepisset.

IIII. *Sosipater* Bœreensis fuit,posteriores tres complectitur Apostolus cognatorũ nomine,ne contemptibiles haberentur illorum salutationes apud Romanos,vt fit.

V. *Tertius*.Superiora dictauit Apostolus hæc adiicit amanuensis de suo,sed laudabile est studium.Vidit singulos addere nomina sua & salutationes:ideo vult in eo cœtu sanctissimo,& ipse Tertius esse: hanc diligentiam nobis hîc commendat Spiritus sanctus. Deinde vides morem Pauli,hîc vtitur amanuense,alibi propria scribit manu, ex quo videmus occupatissimum fuisse, docendo,scribendo,consolando, instituendo, de quibus laboribus tamen,nec conqueritur,nec voluit stipendium apud homines.Apparet hunc Tertium Romanum esse hominem,ex nomine: sic Plinius Secundus, Quintus Fabius Max.Sextus Pomp.Magnus,& similia nomina Romanis solis fuere in vsu.

VI. *Caius*,illius gemina laus est,prior quòd *Apostoli sit hospes*,posterior,quòd *totius Ecclesiæ*.Ecclesia in his terris oberrat quærens hospitia,ea præbere summa est pietas.Dãt hoc magistratus & priuati viri,& rogandus semper est Dominus,vt excitet Ecclesiæ suæ vbique terrarum diffusæ,hospites,qui concedant hospitia benigna, talis fuit ipse Caius. Fortè idem est Caius, ad quem scribitur tertia Epistola Ioan.& cuius est mentio 1.Cor. 1.ver.14.Crispum & Caium baptizasse solos gloriatur Apostolus. Addit Origenes, hunc postea factum Episcopum Thessalonicensem.

VII. *Erastus* vir primarius est Corinthi, Quæstor vrbis, œconomus,quales erant de ordine senatorio. Vides Euangelium testimonium habere, & fauorem, non solùm apud fæcem populi,vt calumniati sunt impij,sed apud magnates:quoque tales erant aliqui domestici Cæsaris,qui Philippensem salutabant Ecclesiam. Phil.4.v.22. Discant nostri magnates non erubescere,salutando pusillam Christi Ecclesiam, & cœtum in mundo contemptibilem.

VIII. *Quartus frater*. Suprà Tertium habuimus,non numero,ita hîc Quartũ, non numero,sed nomine, fortasse Romani erant, qui Proconsules in prouincias fuerant sequuti,& iam facti Christiani,ideóque Romanis notissimi,vel nudo nomine. Frater autem dicitur ambiguè, alij ad antecedentia referunt quasi frater Erasti sit, sed nullum est expressum relatiuum :ideo placet dici fratrem in genere Pauli,& omnium fidelium,hoc est hominem fuisse verè pium & Christianum, qui se passim fratrum nomine amplectebantur.

Valedictio 9.

Vers.24.Iam tandem plenè conclusurus valedicit,tertiò iam hoc facit,ac dixi prius de varietate hîc obseruata.Deus pacis sit cum omnibus vobis,postea,Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum:iam tandem,*Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis*. Suauis est varietas,& toties repetita eadem sententia nos admonet,gratiam Dei nõ oscitanter petendam nobis, aut optandam aliis: sed vt est res pretiosissima, ita non datur nisi seriò,diu multúmque flagitantibus,instandum igitur orando. Ne igitur videatur inanis Theologia, rectè dixit Plato, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, Bis terve honesta ingeminanda sunt,& τῶν καλῶν οὐδεὶς κόρος,multò magis hoc sentire debemus de hac sanctissima Apostoli valedictione.

Conclusio 10.

25. *Ei verò,qui potest vos confirmare,secundum Euangelium meum,&c.*

Iam tandem colophonem imponit, continet autem δοξολογίαν, in qua ista expende: primùm quid in Deo prædicet, sapientiam,*soli*,inquit,*Deo sapienti*,ideo huic soli adhærendum,vt qui sapientissimè suis cultoribus prospiciat. Potẽtiam in Deo prædicat magnificis verbis, in primis, qua suos denfendit.στηρίξαι dicuntur nutantia,quæ casum minantur,talis semper apparet Ecclesia Christi & tamen firmissima est. Alterum, in quo se exerat Dei potentia in Euangelij negotio, cui ne portæ inferorum possunt resistere, & vocat Euangelium suum, quia Deus illo tanquam organo est vsus, ac simul alligat Romanos ad certum genus doctrinæ, cui debent constanter adhærere.Hinc Galatis inquit, Si vel Angelus de cælo aliud annuntiarit. Euangelium, anathema sit. Hanc enim doctrinam illustrat à materia subiecta, quia est concio de Iesu Christo: de eo enim

Quo sensu vocet Euã geliũ suũ. Galat.1.

totum

totum agit Euangelium. Mox addit, non esse humana inuenta, sed diuinitùs reuelatam, vt est Ioannis cap.1. Filius qui est in sinu Patris is reuelauit nobis, ideo à seculis fuit abscondita, hoc est, non perinde nota publicè, quemadmodum tempore Apostolorum & deinceps, tamen habuit testimonium in Prophetis, siquis eos attentè legeret. Demu enim a fine, quia facit illius reuelatio ad id, vt omnes Gentes illi credant: bonum enim, quantò communius est, tātò habetur melius, inde careat inuidia, quum priuata bona aliis molesta sint. Porrò in omnes Gentes dixit, respectu consilij Dei, non quòd tum Gentes omnes, illius habuerint cognitionem, sed quia successu temporum, omnes essent habituræ illius notitiam.

IIII. Vltimò per quem agat Deo gratias, per Iesum Christum, quia vnicum est organum salutis & bonorum omnium: quemadmodum igitur Deus in solo Christo nobis largitur omnia, adeò vt extra illum nihil donet: sic nos per solum Christum rectè gratias agimus, vt nullæ preces acceptæ Deo, nisi per Filium fiant.

Subscriptio.

Ab amanuense videtur addita, exprimit autem locum à Corintho missam, & scriptam ibidem: deinde personam, per quam est Romam perlata per Phœbem illam, cuius præclaram commendationem habemus initio 16. cap. Vide autem quo sit vsus legato ac tabellario, muliercula vtitur in re tanti momenti. Miror autem, vnde Haimo iste, quem sequitur Lyranus, sit illam mutuatus sententiam, quòd Epistola hæc Athenis sit scripta, quum omnes consentiant in subscriptionem Græcam.



DISPOSITIO IN PRIOREM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Qui fuerint Corinthij.



Orinthus dicta fuit à Corintho Marathonis filio, qui vel conditor vel illustrator fuit vrbis. Olim vrbium Græciæ fuit clarissima & florentissima. vnde Cicero non dubitauit lumen totius Græciæ appellare. Idem in Oratione contra Rullum elegantissimè describit ipsius situm, his verbis. Corinthi vix vestigium relictum est. Erat enim posita in angustiis, atque faucibus Græciæ, sic vt terra claustra locorum teneret, & duo maria maximè nauigationi diuersa penè coniungeret, cum pertenui discrimine separarentur, &c. (In oratione pro Lege Manilia.)

Quibus verbis indicat Ægæum mare ab Oriente alluere, quo ex Asia ad nauigantes, Cenchræo portu excipiebantur. Ionium verò esse ab occasu, quo aduecti Lechæo portu recipiebantur. Hinc est etiam quod Horatius cecinit.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem, (Horatius.)
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Mœnia-

Hæc loci oportunitas, & opes, & singularem morum corruptela, in hanc vrbem conuexerat. Nam ex tota Asia & Europa, quasi ad commune emporium istuc cōfluebant mercatores. Et erat illic Veneris templum celeberrimum, in quo mulieres prostitutę, quęstum corpore faciebant, vnde nobiles illæ meretrices, quas commemorat Athenæus, & passim prophani authores, fermè omnes Corinthiæ fuerunt. Et extant adhuc prouerbia apud authores, quibus mores illorum taxantur, vt Corinthiaci, &, non cuiuis licet adire Corinthum. Ex hac morum corruptela indubiè fluxit, vt iusto Dei iudicio postea sit deleta, quod primum legimus in historiis factum à Romanis, per L. Mummium, ante bellum Numantinum. Occasio euertendi vrbem illa erat, quòd legatos populi Romani stercoribus fœdassent. Postea tamen restituta est per Cæsarem, & iterum nobilis reddita, studiis humanitatis, opibus, ac morum corruptela. Qui plura desiderat, videat Strabonem lib.8. Liuium lib.5. decadis quintæ. Plinium lib.34. cap.2. & 3. Pausaniam lib.2. & nominatim septimo, qui

Corinthiaca inscribitur. Florum lib.2.cap.16. Iustinum historicum lib.34. Eutropium lib.4. & similes scriptores.

OCCASIO EPISTOLÆ.

In hac corruptela morum, dominus quoque Ecclesiam habuit, cuius origo extat in Act. cap.18. ex quo loco, & primo cap. huius Epistolæ, & itidem 7. colligi potest occasio, quod nimirum graui de causa permotus Apostolus hanc scripserit Epistolam. Occasio igitur fuit oblata hoc modo. Docuerat ibi Apostolus anno integro, & sex mensibus, idque magno fructu & successu: diuinitus enim iussus hoc fecerat, & simul illi significauerat Dominus: quòd ibi multum haberet populum. Cùm verò hinc in Syriam enauigaret Apost. ingenia quædam læuia cœperunt omnia in illa Ecclesia perturbare. Quidam enim reprehendebant simplicitatem doctrinæ Paulinæ, imbuti scilicet philosophica quadam persuasione sapientiæ & eloquentiæ humanæ. Alij in moribus quiduis sibi licere præsumebant, adeò vt scortatores, ebriosos, litigiosos, incestu pollutos illa Ecclesia ferret. Alij damnabant matrimonium, alij negabant resurrectionem corporum, alij aliis superstitionibus Iudaicis, vel gentili prophanatione, & doctrinam & morum innocentiam perturbabant. His malis perturbati saniores, scribunt ad Apostolum, & cupiunt edoceri de multis. Qua occasione arrepta Apostolus non solum ad quæstiones propositas respondet, sed ad alia etiam multa, quæ ipsis minus vitiosa videbantur, adeóque indigna quæstione. Ex quo satis constat, occasionem illi fuisse oblatam, cùm ad illorum literas primitus ei respondendum esset, & tamen in his non omnia vitiosa mouissent, ipse Apostolus reliqua patefacit, adeóque ab his ducit exordium, hortatúrque vt in vera doctrina, & vitæ innocentia persistant, ac his malis occurrit, ne maior illius Ecclesiæ ruina, illi omnem fructum istic deleret. Priorem partem Epistolæ habuit ex publico rumore, & nominatim ex domesticis Chloæ: posteriorem verò ex ipsis literis Corinthiorum.

GENVS SCRIPTI.

Cùm tota Epistola agat de restituenda concordia publica in doctrina sana, & innocentia morum, rectè referetur Epistola ad Epanorthosin. Corrigit verò & mores, & doctrinam, idque tam in doctoribus, quàm in auditoribus. In illis reprehendit supercilium philosophicum, in auditoribus verò persuasionem vanam, quasi sapientia & eloquentia necessaria foret Euangelio. Hinc alij alios admirabantur, & simpliciores contemnebant, quę omnia sunt ἐπανορθωτικά. Itaque hoc prædominans constituimus genus. Huic postea accedunt, quæ superius illustrant, & tanquam organa tractationis fiunt: vt Didacticum, quo indicat quid credendum sit, & quomodo viuendum renatis hominibus. Ἐλεγκτικὸν reprehensorium, quo taxat illorum ignauiam, in ferendis sceleribus, omníque morum corruptela. Paræneticum, quo hortatur ad bonos mores intermissos, ad studium eleemosynæ, ad contributionem pro pauperibus, & in genere ad innocentiam vitæ.

PROPOSITIO GENERALIS.

Habent singulæ quæstiones, quàm multæ sunt, suas speciales propositiones, vt est videre cap. 7. & consequentibus: tamen tota Epistola reuocanda est ad vnam generalem sententiam, tanquam ad scopum. Sit igitur hæc propositio. Corinthiis omnibus modis curandum est, vt sublatis dissidiis, & morum corruptela, cõsensum in doctrina sibi tradita, & in moribus innocentiam colant omni virtutum genere, vt imago Dei in ipsis restauretur & perficiatur ad aduentum Domini nostri Iesu Christi.

PARTES.

Diuisio variè instruitur in hac epistola: quidam bimembrem instituunt, nonnulli trimembrem, vtriq; à materia eam ita distinguunt. Qui bimembrem faciunt hoc pacto procedunt. Prima parte corrigit dissidia, orta ex æmulatione doctorum quæ omnia spectant sanæ doctrinæ restitutionem. Secunda verò parte emendat mores, vt sine offendiculo fratrum quam innocentissimè ambulent. Qui verò trimembrem faciunt, ita distinguunt. Prima parte corrigit in eis vitia, quæ illi minus grauia iudicabant, & ob id eius iudiciũ de his non requisierant, cùm interim essent grauissima, qualia sunt, studium sectarum, dissidia publica in dogmatibus religionis, ambitio eloquentiæ, & sapientiæ persuasio, quasi sine his non rectè possit doceri Euangelium. Item scortatio, incestus, litigandi mos coram infidelibus. Hæc & similia intacta reliquerant quasi leuia. Secunda parte demum respõdet ad illorum quæstiones ab ipsis propositas, quales erant multæ de matrimonio, de ciborum delectu, de idolis & Idolotytis, de cœtibus ecclesiasticis, & an liceret mulieribus docere, & mouere quæstiones in cœtibus publicis. De cœna domini, & de eius vero vsu, de donis spiritualibus, & illorum præstantia, nominatim de prophetico munere, de resurrectione mortuorum, de qua multi dubitabant. Hæc omnia pertinent ad Epistolam Corinthiorum. Tertia parte cap.16. agit de priuatis rebus quasi per appendicem, quæ ex animo Apo-

ſtoli fluebant, publico aut priuato bono. Publicum erat, vt quòd iubet colligere collectam. Priuatum videtur quòd illis promittit ſuum aduentum. Sic priuatum eſt, quod addit de Timotheo, Fortunato, Achaico, Stephana, & aliis.

Addamus his tertiam partitionem, quæ plenior ſit, & ſuperiores complectatur. Sic igitur cohærent partes.

Primo more ſuo præfigit Epiſtolæ Epigraphen, quæ facit ad beneuolentiam, & hanc à ſua & Sóſthenis perſona: item auditorum laudibus religioſè captat. Locus primarius eſt de ordinaria vocatione. Secunda pars eſt Exordium, quod etiam ducit ab ipſis Corinthiorum laudibus. Nam commendat eos ab his donis, quibus ipſi in primis abutebantur, ſignificans quo modo oporteret ipſos viuere. Deinde ſimul indicat ſpem emendationis nondum penitus eſſe amiſſam. Locus primarius eſt Exordij, de vera Eccleſia, cuius debent extare certæ notæ, per quas deprehendi poſſit, interim in hoc mundo tamen non caret ſuis næuis. Tertia pars eſt perpetua correctio eorum vitiorum, quæ ipſi videbantur parum curare, ideóque in ſuo ſcripto hæc prætererant. Ad Apoſtolum tamen peruenerant rumore publico, & relatione domeſticorum Chloæ. Principium correctionis ſumitur verſ. 10. cap. 1. ac continuatur vſque ad principium c. 7. Loci inſignes hîc plurimi ſunt, in quibus perſtringendis ordine vtemur capitum.

In primo igitur capite locus eſt de ſectis & litibus, quę ex altercationibus nomine doctorum intituebantur. Apoſtoli verò mens eſt homines Chriſtum profeſſos non oportere ſcindi doctorum nomine, & hac occaſione aperit cauſas ſectarum, & de illis tollendis ſedulò agit. Præcipua verò cauſa erat carnalis opinio eloquentiæ & ſapientiæ, vnde agit de eloquentia miniſtri, nimirum illam non vſque adeò eſſe neceſſariam, ſed in illo potius requiri donum Dei, & Spiritum ſanctum, qui etiam in abiectis coram mundo efficaciter agat. Vnde locus naſcitur de ſimplicitate doctrinæ Chriſtianæ. Item de diſcrimine philoſophiæ & Euangelij, de ſectarum notis, &c.

Cap. 2. ſuo exemplo diffuſius aperit diſcrimen ſapientiæ Philoſophicæ & Euangelicæ. Concurrunt loci de ſublimitate donorum ſpiritualium, damnari ſapientiam mundi coram domino iudicium de rebus omnib. penes Spiritum ſanctum eſſe abſolutum, &c.

Cap. 3. omnia ad perſonam Corinthiorum applicat, ne ſcilicet ipſi ſcindantur propter doctores. Loci ſunt de ſapientia miniſtri in docẽdis rudibus, de miniſtrorum dignitate, de fundamento Euangelicæ doctrinæ & dignitate piorum.

Cap. 4. præoccupatio ſuum tuetur officium, & in genere contendit miniſtros Chriſti eſſe audiendos, vt vt ſint corã mundo abiecti, in cæteris autem non veretur Corinthiorum ſubire cenſuram. Loci concurrunt præter iam dictos, de temeritate iudiciorum, de Apoſtoli laboribus, & contemptu.

Capite 5. videtur aliud ingredi argumentum. Hactenus enim contra diſſidia egit quæ orta erant ex contentione doctorum. Nunc verò corrigit Corinthiorum nimiam lenitatem, qua vtebantur in ferendis flagitioſis hominibus: exemplum illuſtre producit de quodam polluto inceſtu, quem iubet tradi Satanæ, mox alia quędam vitia corrigit, quæ ipſi vt ſuperiora, parum ſeueriter coercebant. Loci illuſtres ſunt de inceſtu, & eius ordinaria pœna, de excommunicatione, de diſciplina Eccleſiaſtica, de ſcortatione, ebrietate, & ſimiles: iſtis addatur locus de moribus ſanctorum. Sequitur cap. 6. vbi alium ingreditur locum. Nam hic corrigit litigandi morem, coram Ethnicis iudicibus, ac docet piis aut cedendum eſſe de ſuo iure ne litigent, aut eligendos iudices ex fidelibus qui litigantes dirimant. æquiſſima erat iſta correctio, cùm enim litigandi morem non poſſet ſimpliciter & in vniuerſum prohibere: tamen ex circunſtantiis eum damnat, quo monſtrat quomodo hic mos poſſit fieri Chriſtianus. Loci ſunt de Chriſtiana libertate moderanda, de ferenda iniuria, de litibus forenſibus: quatenus ſcilicet liceat Chriſtiano homini ius ſuum perſequi, de crapula, ſcortatione, aliiſque vitiis eliminandis, de dignitate piorum & ſimiles. Hactenus correcta ſunt ea vitia, quæ Corinthij in Epiſtola prætererant.

Nunc cap. 7. conſtituatur 4. pars, quę contineat reſponſionem, qua ad ipſorum epiſtolam ſatisfacit. Porrò in ſuo ſcripto mouerãt diuerſas quæſtiones, quæ in Eccleſia erant agitatæ, non tamen planè compoſitæ: ideò ad iudicium Apoſtoli confugiunt, ac probabile eſt Apoſtolum quæſtionum ordinem ab ipſis propoſitum ſequi. Prima igitur quæſtio eſt de coniugio. Naſcuntur ibi loci de matrimonio, de officio mariti in vxorem, & contra de officio vxoris erga maritum. Inde ſequitur locus de cœlibatu, locus de ſecundis nuptiis, de diuortio, de impari matrimonio, de virginitate, de vocatione tuenda in qualibet conditione.

Cap. 8. tranſit ad alias quæſtiones, vbi in genere diſputat de ciborum delectu, ac vi-

dentur Corinthij quæsiuisse nominatim de Idolothytis, hoc est, de iis quæ erant idolis immolata quid de his iudicandum esset. Nam pij aliquando ad Ethnicorum conuiuia vocabantur, vbi carnes idolis consecratas edebant interdum ignari, vel etiam admoniti idem faciebant cum scandalo, aut abstinebant cum scandalo. Respondet ergo Apostolus, cibos quidem omnes esse licitos: attamen omnem eorum vsum limitandum esse ad charitatis regulam. Loci hic emergunt, de Idolis, & eorum vanitate, contra de vnitate veri Dei, de conscientia, & eius viribus, de infirmitate fratrum, de libertate Christiana coercenda.

Cap. 9. suo exemplo docet in rebus mediis de iure suo sæpe piis esse cedendum. Hoc enim fecit Apostolus in iure coniugij cùm posset vxorem secum circunducere more aliorum, hoc tamen non fecit. Sic in stipendio accipiendo, non est vsus eadem libertate, qua vti poterat. Sic in carnium esu respiciẽdum est quid ferat fratrum imbecillitas, non quid dictet libertas, & Apostolus sanè in commodum fratrum libenter semper vult abstinere. Locus primarius est, ἀδιάφορα omnia ad ædificationem esse accommodanda. Itẽ ministris licere viuere ex Euangelio, quo tamen iure non semper sit vtẽdum.

Cap. 10. exemplo veteris populi deterret à scortatione, idololatria, & similibus vitiis. Loci concurrunt de Analogia sacramentorum veteris populi & noui, & specialiter locus de baptismo, de cœna Domini, de pœnis scelerum, idololatriæ, scortationis, inobedientiæ, & similium. Tandem locum repetit de delectu ciborum.

Cap. 11. agit de vitiis, quæ specialiter irrepserant in sacros cœtus, & ostendit conuentus tales oportere decenter & ordine congregari. Loci sunt de decoro mulierum, de decoro virorum in cœtibus, in primis locus grauissimus, de vero vsu cœnæ dominicæ.


Cap. 12. disputat de vsu donorum spiritualium. Nam de iis quoq; contendebant, dum alij alia præferrent. Ostendit autem Apostolus, omnia dona ad vnius Christi gloriam dirigenda esse, nec oportere hinc petere dissidiorum materiam. Loci sunt de donorum varietate, de sympatheia membrorum in humano corpore.

Cap. 13. disserit de præstantia charitatis, ad quam omnia dona spiritualia sunt referenda. Concurrunt loci de linguis, & in genere de imperfectione in hac vita.

Cap. 14. de dono linguarum & prophetiæ specialiter agit, & contra quam Corinthij æstimabant, præfert prophetiæ donum linguis, & quia in hac parte illorum cœtus laborabant in hac ἀταξία quædam nominatim prohibet, ne mulieres publicè doceant. imò ne quidem habeant potestatem interrogandi in cœtibus publicis. Concurrunt alij loci, vt de cantu Ecclesiastico, &c.

Cap. 15. corrigit praua dogmata in quæstione resurrectionis, hanc alij prorsus negabant, alij de illius forma scrupulosè inquirebant, alij aliis prauis opinionibus erant infecti, ideò Apostolus docet τὸ ὅτι quòd sit futura, item qualis sit futura. Obiter etiam ad finem hortatur ad constantiam. Hactenus 4. pars, qua respõdet ad illorum scriptum.

Cap. 16. quinta instituitur pars, quasi Epilogus. Agit autem de priuatis, primum de instituenda collecta, more aliarum Ecclesiarum. Deinde agit de rebus propriè ad se pertinentibus, vt de suo aduentu, item de aduentu Timothei, & de eodem etiam honorando, item de Stephanæ familia, Fortunato, Achaico, & similibus fratribus. Huic salutationes subiicit, publicas & priuatas.



Προλεγόμενα.

IN PRIOREM EPISTOLAM D. PAVLI AD CORINTHIOS.



Bsoluta Epistola ad Romanos, consequens est vt animum ad eas, quæ ad Corinthios scriptæ sunt conuertamus.

Quæ quanquam non eodem cum extrema ordine sint scriptæ, attamen decenter superiori subiiciuntur: illa enim ideam fidei Christianæ complectitur, & locos doctrinæ præcipuè omnes accuratè exponit: hæc verò ad Corinthios prior doctrinam de bonis moribus diligentius explicat. Ac vt doctrina credendorum prior videtur: sic praxis vitæ, & morum prorsus est necessaria: illa incipit, hęc absoluit vitam Christianam. Quare non minor

minori diligentia ad hanc debemus accedere, si quidem vita nostra non tam contemplatio, quàm actio censeri debet.

Vtemur autem eadem ratione explicandi, qua sumus hactenus vsi, hoc est, à mente authoris quàm minimum deflectemus, sed ipsius inhærentes vestigiis, spectabimus quid ex quoque concludatur, quid proponat, quomodo probet proposita, quid suadeat, quid dissuadeat, quomodo etiam quæstiones soluat, & quo omnia sua referat, quæ item sit regula, qua dirimi debeant lites inter fideles. Monet alicubi Galenus medicorum princeps, duo esse in primis obseruanda interpreti, primùm τὸ τὴν γνώμην φυλάττειν τοῦ συγγράμματος, hoc est, ne recedat à mente authoris, quod fit ab iis, qui indulgent sibi meditationibus locorum communium, in quibus & horas & operam consumunt, relicto verborum contextu. Alterum, τὸ τὰ χρήσιμα διδάσκειν τοὺς ἀναγινωσκομένους αὐτοῦ τὰ ὑπομνήματα, hoc est, vt ad auditorem redeat certa aliqua vtilitas ex lectione suæ interpretationis. Vtrunque sanè totis viribus affectamus. Primùm vniuersum consistit in resolutione idonea argumentorum, quæ si aptè administretur sponte sequitur alterum. Attamen vt maior sit vtilitas, locos communes passim indicabimus. Paucos verò tractamus, ne remorentur nos in ἀναλύσει, ex singulis verò capitibus vno contenti proponimus ideam explicandorum locorum communium, quæ nobis vtilissima semper visa est. Hanc formam docendi retinebimus, igitur deinceps quoque. Ac vt negotium huius epistolæ fiat notius, in præsentia aditum faciemus ad lectionem ipsam hisce prolegomenis.

Tria sunt ad quæ respicimus in tota dispositione. 1. Quis scilicet scribat. 2. cui scribat. 3. quid scribat. Primum ad personam Apostoli Pauli spectat. Alterum ad Corinthios. Tertium ad subiectam materiam epistolæ.

I. De persona Apostoli nolo hic prolixior esse, cùm locum hunc diffusè explicuerimus in prolegomenis ad Romanos, quò vos remitto, tempori parcens.

II. De Corinthiis verò nobis dicendum est vt simul constet qui & quales fuerint, sic enim melius constabit de occasione & tota materia huius epistolæ.

Corinthus vrbium Græciæ olim florentissima & clarissima fuit, à Corintho Marathonis, vel conditore vel illustratore dicta. Cicero certè pro lege Manilia lumen totius Græciæ non dubitauit vocare: idem in oratione contra Rullum sitam ait in faucibus & angustiis Isthmi, cuius verba sunt: Corinthi vix vestigium relictum est. Erat enim posita in angustiis, atque faucibus Græciæ, sic vt terra claustra locorum teneret, & duo maria maximè nauigationi diuersa coniungeret, cum pertenui discrimine separentur. Hæc Cicero. Quibus indicat Ægeum mare ab oriente alluere Corinthum, quo ex Asia adnauigantes, Cenchræo portu excipiebantur. Ionio verò ab occasu, quo aduecti Lechæo excipiebantur: hinc est quod Horatius cecinit: Laudabunt alij claram Rhodum, aut Mytilenem, aut Ephesum, bimarísve Corinthi, Mœnia. Hæc loci opportunitas, & opes isthuc conuexit, & morum singularem corruptelam. Tota Asia, & Europa ad Emporium isthic confluebat, & Veneris templum illic erat, in quo prostitutæ mulieres corpore quæstum faciebant. Vnde nobiles meretrices, quas Athenæus refert, Corinthiæ ferè omnes fuere. Diruta fuit à Romanis per L. Munium ante bellum Numatinum, iusto Dei iudicio. Occasio illa fuit, quia Legatos populi Romani stercoribus fœdassent. Sed restituta posteà per Cæsarem & nobilis iterum effecta humanitatis studiis & opibus, adeò vt pristinos mores resumeret. Habuit tamen Deus in tanta corruptela suos etiam electos, vt est videre Acto. 18. De hac qui plura requirit, petat Strabon. lib. 8. Liuium Dec. 5. lib. 5. Plinium lib. 34. cap. 2. & 3. Pausaniam in Corinthiis, Athenæum & consimiles scriptores. Hæc de Corinthiis meminisse vtile fuerit ad occasionem scripti. Extant ea prouerbia quibus mores illorum notantur, vt Corinthiaci: &, Non cuiuis licet adire Corinthum. De quibus nihil attinet dicere, nos ad locos argumenti, seu materiæ subiectæ procedemus, inter quos primus est occasio scripti.

QVA OCCASIONE HANC SCRIPSERIT EPISTOLAM.

Docuerat Apostolus Corinthi annum, & sex menses, vt est Act. 18. capite, idq; fecerat magno cum fructu, quia Dominus non solùm iusserat: sed multum sibi in hac vrbe populum esse significauerat. Verùm cùm inde enauigaret in Syriam, varia ingenia cœperunt petulanter perturbare omnia in Ecclesia per se optimè instituta. Alij doctrinæ Christianæ simplicitatem carpebant, imbuti scilicet philosophica quadam persuasione sapientiæ & eloquentiæ. Alij in moribus quiduis sibi licere præsumebant, adeò vt scortatores, ebrios, litigiosos ferret Ecclesia. Alij matrimonium damnabant. Alij resurrectionem carnis negabant. Alij aliis modis doctrinæ concordiam, & morum innocentiam perturbabant, superstitionibus vel Iudaicis, vel Gentili quadam prophana-

tione. Quibus malis afflicti ſcribunt ad Apoſtolum, de quibuſdam doceri petentes. Qua occaſione arrepta, non ſolum ad propoſitas quęſtiones reſpondet: ſed ad alia etiam quæ illis minus videbantur vitioſa. Atque ita malis iſtis occurrit, ne maior Eccleſiæ illius ruina omnem fructum deleret. Occaſio igitur eſt oblata, quum ad illorum literas primitus reſpondere inſtituerit. Sed cùm non omnia vitioſa animaduertiſſent, Apoſtolus reliqua illorum peccata patefacit, & hortatur, vt in vera doctrina, & vitæ innocentia perſiſtant: Diligentia Apoſtolica eſt non ſolum inſtruere in apertis erroribus: ſed incognitos etiam prodere. Ad occaſionem etiam pertinet, quod capite primo ait ſe à domeſticis Chloæ intellexiſſe diſſidia illorum.

Genus ſcripti.

Cùm tota epiſtola agat de reſtitutione concordiæ, in doctrina ſana, & motum innocentia, rectè ad ἐπανόρθωσιν referimus illam. Corrigit enim tam mores quàm doctrinam, tam doctores, quàm auditores: in illis ſupercilium philoſophicum: in his carnalem perſuaſionem ſapientiæ, & eloquentiæ, qua alios præ aliis vel admirabantur, vel contemnebant. Hęc quidem omnia ſunt διδακτικά. Attamen propriè dicenda ſunt, ἐπανορθωτικά. Itaque hoc principale, & dominans conſtituimus genus. Acceſſoria deinde ſunt & organica διδακτικὸν, quo docet quid faciendum, & quid credendum ſit, cùm propriè doctrinæ locos non tractet, vt fecit in epiſtola ad Romanos. ψεκτικὸν quo ignauiā in illis taxat in ferendis ſcandalis, quam ipſi lenitatem dixiſſent. Item quatenus reliquos corruptos mores grauiter increpat. Παραινετικὸν, quo ad bonos mores, vitæ innocentiam, eleemoſynam & ſimiles virtutes cohortatur. Hoc modo vtiliter & perſpicuè genus ſcribendi poteſt diſcerni, alioquin magna obſcuritate de eo loquuntur ſcriptores.

PROPOSITIO PRINCIPALIS.

Variæ, quidem ſunt quæſtiones in tota epiſtola, ac ſinguli loci ſuam habent propriam propoſitionem: tamen nihil obeſt omnia ad vnam & generalem reuocare ſententiam, quæ ὑπόθεσιν quodammodo contineat. Sit igitur illa generalis propoſitio.

Corinthiis omnibus modis ſtudendum eſt, vt ſublatis diſſidiis, & morum corruptela, conſenſionem in doctrina & moribus colant omni virtutum genere, vt imago Dei in ipſis inſtauretur, & perficiatur ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.

DIVISIO TOTIVS EPISTOLÆ IN CERTAS PARTES.

A fine diſtribui poteſt tota epiſtola in duas partes. Nam primùm corrigit diſſidia ex doctorum ęmulatione orta, quę ferè ad doctrinæ ſanę pertinent reſtitutionem. Deinde corruptos mores emendat, vt innocentia vitæ apud eos reſtituatur, qua ſine offendiculo fratrum ambularent. Porrò reſtitutio ſanæ doctrinæ, & morum innocentia tanquam fines in tota epiſtola reſpiciuntur. Sed quia conciſa eſt diuiſio, & in epiſtola ſparſim tractata, addamus alteram pleniorem.

Tria ſunt quæ in tota epiſtola tractat. Principiò corrigit in Corinthiis ea vitia quæ illis leuia videbantur, nec animaduerſione admodum digna: ideo de his Apoſtoli iudicium non requiſiuerant. Hæc quia grauiſſima erant, primo loco proponit, qualia erant diſſidia & ſectæ, propter doctores: vana perſuaſio qua eloquentiam in miniſtris Domini requirebant: ſcortatio, inceſtus, litigandi mos apud infideles iudices. Hæc & ſimilia parum curabant. Tractantur iſta vſq; ad caput ſeptimum. Secunda parte reſpondet ad Corinthiorum quæſtiones, quæ bona parte ex contentione docentium natę erāt & auditores ambiguos reddiderant. Quales ſunt quæſtiones, de matrimonio motæ cap. 7. de ciborum delectu, nominatim de idolothytis, de idolis, & cap. 11. de cœtibus Eccleſiaſticis, de velandis mulieribus. Item ne docerent publicè, imò ne quod interrogandi ius haberent: de Cœna Domini, de vſu donorum ſpiritualium, de præſtantia prophetici muneris, de reſurrectione mortuorum, & ſimilia vſq; ad cap. 16. Tertio loco de rebus priuatis annectit appendicem cap. vltimo: de collecta, de ſuo aduentu, de Timotheo, & ſimilia quæ priuata ſunt, nec magnopere ad materiam ſcribendi pertinebant. Hęc diuiſio à materia & rebus ipſis, quę hîc explicantur deſumpta eſt, cui addemus tertiam pleniſſimam, quæ non ſolùm locos controuerſos continet: ſed aliqua etiam ex forma epiſtolari. Sunt igitur epiſtolæ huius quinq; partes. I. Titulum vel epigraphen habet. Spectat hæc pars beneuolentiam, quàm à ſua & Soſthenis perſona, item auditorum laudibus religioſè captat. Locum habet de ordinaria vocatione.

II. Exordium, quod ducit à perſona Corinthiorum, quos commendat ab iis donis quibus ipſi in primis abutebantur, ſignificans quid ipſis faciendum eſſet, & quòd Apoſtolus ſpem de illorum emendatione nondum abiecerit. Locum habet de vera Eccleſia: in qua certè quædam debent extare ſigna, per quæ deprehendatur: interim etiam non caret ſuis næuis, quibus deformatur, quos infrà declarabit.

III. Correctio eorum vitiorum, quæ Corinthij videbantur parum curare, ideóque non scripto, sed rumore illa percepit. Hæc pars quia copiosior est, distinguenda erit in certos locos. Primus igitur est de sectis quas propter doctores instituebãt. Primùm docet homines Christum professos non oportere in Ecclesia scindi doctorum nomine. Hinc mox causas aperit sectarum, deque illis tollendis sedulò agit. Erat autem præcipua causa opinio carnalis eloquentiæ, & sapientiæ, qua occasione docet eloquentiam in ministro Christi non esse requirendam magnopere: sed donum Dei & Spiritum sanctum, qui efficaciter operatur etiam in abiectis coram mundo. Locus est de sectis, de simplicitate doctrinæ Christianæ, de discrimine doctrinę Euangelicæ, & philosophiæ humanæ, de sectarum notis, &c. atque illa adhuc capite primo habentur. Capite secundo suo exemplo indicat discrimen doctrinæ Euangelicæ, & philosophiæ humanæ. Mox cap. 3. idẽ explicat omnia ad personam Corinthiorum accommodans, ne scindantur propter doctores. Cap. 4. præoccupatione suum officium tuetur, ac in genere ministros audiendos, vt vt coram mundo abiecti sint. In reliquis non veretur Corinthiorum subire censuram. Hactenus locus primus de sectis & altercationibus nomine doctorum institutis. Secundus locus est cap. 5. Corrigit enim illic aliud Corinthiorum vitium. s. leuitatem in ferendis flagitiosis hominibus. Qualis erat ille incestu pollutus, quem iubet tradi Satanæ. mox alia flagitia percurrit, quæ illi parum seueriter cauebant: quæ tamen hominibus Christum professis summo studio cauenda sunt. De reliquis hominibus parum sollicitus est Apostolus. Locus est de incestu, ebrietate, moribus sanctorum, denique excommunicatione, ac disciplina Ecclesiastica. Locus tertius est c. 6. vbi corrigit litigandi morem coram Ethnicis iudicibus. Docet autem aut cedendum de iure suo cuique, ne litigandum sit: aut ex fidelibus deligendos iudices, qui dirimant lites. Æquissima erat correctio. Litigandi enim morem non potuit simpliciter prohibere: sed ex circunstantiis eam damnat, & monstrat quomodo Christianus esse possit. Loci sunt de litibus forensibus quatenus Christianis liceat ius suum persequi. de crapula, scortatione, aliisque vitiis eliminandis. Hactenus errores graues in Corinthiis correxit, quos tamen ipsi vt leuia quædam securè neglexerant. Sequuntur errores alij ab ipsis iam partim animaduersi, qui & aliam constituunt partem.

IIII. Quarta pars propriè respondet ad epistolam Corinthiorum, in qua diuersas mouerant quæstiones inter ipsos agitatas nedum planè per suos doctores compositas. De his igitur Apostoli iudicium requirunt: has iterum ordine aliquo referamus.

Prima habetur capit. 7. de coniugio. Est autem multiplex, principio de cœlibatu coniugio opposito, respondet. Secundò de secundis nuptiis. 3. de diuortio. 4. de impari coniugio. 5. de virginitate. Ac quot sunt quæstiones totidem loci communes institui poterunt. Hos ad vnum caput de matrimonio referimus.

Secundus locus quartæ partis est: de ciborum delectu, quem tractat cap. octauo. Videntur autem nominatim quæsiuisse de idolothytis, hoc est de iis quæ erant idolis immolata, quid scilicet faciendum esset, nam pij interdum ad conuiuia Ethnica inuitati carnes idolis consecratas edebant ignari, vel admoniti cum scandalo vel edebant, vel abstinebant. Respondet Apostolus cibos quidem omnes licitos: attamen ad charitatis regulam limitandum omnem vsum ciborum. Locus est de ciborum delectu, & in genere de adiaphoris omnibus. Cap. 6. suo exemplo docet, in rebus huius mundi mediis de iure suo sæpe cedendum esse Corinthiis. Hoc enim fecit Apostolus in iure coniugij, quum posset circumducere, more aliorum Apostolorum vxorem, non fecit: & in stipendio accipiendo non est vsus libertate qua vti poterat: sed omnibus sese accommodauit. sic in carnibus edendis respiciendum quid ferat fratris imbecillitas, in cuius commodum libẽter semper vult abstinere ab illarum vsu. Loci illustres sunt, quod ministris ex Euangelio liceat viuere. Item de adiaphoris accommodandis ad ædificationem.

Cap. 10. exemplo veteris populi deterret à scortatione, idololatria, & similibus vitiis, quòd illi his inquinati seueriter puniti sint. Cauendum igitur Corinthiis, ne in vsu idolothytorum etiam in cultu participent, aliisque flagitiis sese maculent cum fratrum scandalo. Loci illustres sunt de analogia sacramentorum veteris populi, & nostrorum, de Baptismo, de Cœna, de pœnis scelerum, nominatim scortationis, idololatriæ, inobedientiæ. Atque ista omnia ad secundum locum, de ciborum delectu pertinent.

Tertius locus est de vitiis quæ specialiter irrepserant in sacros Christianorum cœtus. Ostendit Apostolus illos conuentus oportere decenter, & ordinatè congregari, ideo contraria vitia corrigit. Ostendens quod sit decorum muliebre, quod etiam virorum. cap. 11. Eodem capite corrigit abusum Cœnę Dominicę, reuocans eos ad pristinam institutionem Domini.

Cap.12. Locum ingreditur de vsu donorum spiritualium. Nam de his quoque contendebant, dum alij alia dona cæteris præferrent. Ostendit autem Apostolus omnia ad vnius Christi gloriam esse dirigenda, nec oportune hinc dissidiorum materiam peti. Atque ita locum hunc in genere de donis spiritualibus absoluit.

Cap. 13. de Charitatis præstantia disserit, ad quam omnia dona spiritualia, sunt referenda.

Cap.14. de dono linguarum, & dono prophetico specialius agit. Atque contra quàm Corinthij æstimabant, linguis pręfert prophetię donum, quia plus prosit. Et quia in hac parte etiam ataxia laborabant illorum cœtus, prohibet ne mulieres publice doceant: imò ne in cœtu quidem interrogandi habeant potestatem.

Cap. 15. corrigit praua dogmata, quæ iactabantur in quæstione resurrectionis mortuorum. Alij illam planè negabant: alij de forma illius dubitabant: vel aliis prauis dogmatis erant infecti. Quare Apostolus docet, quod futura sit, & qualis futura sit plenius aperit, obiter etiam ad constantiam hortatur.

Quinta pars epistolæ vltimo capite absoluitur. Ac primùm docet quomodo collecta sit facienda. Deinde appendicem subnectit de rebus priuatis, vt de suo aduentu, de Timotheo, de Apollo, de familia Stephanæ, de Fortunato, & Achaico, quos commendat illis: his adduntur salutationes publicæ, & priuatæ.

Hæc de œconomia, & dispositione totius epistolæ dicta sint, quæ vtcunque viam sternunt, vt quæstiones singulas rectius possimus intelligere. Deinceps igitur Apostolum ipsum loquentem audiamus.

TITVLVS EPISTOLÆ, CONTINENS PERSONAS, TVM SALVTANTES, TVM salutatas, & bona quæ illis comprecatur.

PARS PRIMA.



AVLVS vocatus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater.

2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis per Christum Iesum, vocatis sanctis vnà cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco suo vel nostro.*

3. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Diximus de argumento, quantum res videbatur poscere, & tempus permisit. Nunc de singulis agendum est, quemadmodum ab Apostolo proponuntur. Ac primo hoc capite correcturus factiones, & sectas Corinthiorum, priùs se illis commendat, laudes etiam eis concedit donorum Dei, quas fateri pietas suadebat. His vtcunque animos præparans, incipit vitia illorum corrigere. Solent medici in grauioribus morbis aliquando corpora præparare purgationibus ad futura pharmaca capienda salubriter, eodem modo Apostolus saluberrimas cohortationes adhibiturus, præparat illorum animos, vt doctrinam vtiliter audire possint. Tria autem sunt quæ hoc capite proponuntur: Titulus, exordium, & scelerum correptio.

Partes.

Titulus.

Titulus iis, quæ posita sunt, verbis continetur, cuius mens & sententia est, Paulus & Sosthenes Corinthiis precantur gratiam & pacem. Crescit autem propositio ipsa tractatione partium. Tria enim sunt membra quæ dilatationem hìc admittunt. Primùm enim personas salutantes ornat titulis qui pietatem ornant. Deinde salutatas personas, hoc est, Corinthios iusta laude non defraudat. Tertiò bona certa in salutatione comprecatur. De his igitur tribus tituli partibus aliquid in præsentia dicemus.

I. Salutantes personę duę sunt, Paulus & Sosthenes: à sua verò exorditur, tanquā grauiore, & scriptore huius epistolę. Etenim mos scribētiū epistolas is olim fuit pręponere nomen scribētis, vt videre est in Gręcorū epistolis, vt in Basilij, Gregorij, Platonis, Hippocratis

pocratis. Eundem morem Latini sunt sequuti, quod est videre in Ciceronis, Plinij, & aliorum epistolis. Idem Iudæi obseruarunt. Hodie cur mos sit immutatus non constat certa ratio, nisi quòd modestia in hypocrisin degenerauit, quæ simul obscuritatem attulit. Nam tota hodie legenda est epistola antequam scribentis nomen occurrat. Nos videmus sine arrogantia veteres, sanctos etiam Apostolos, & martyres Christi, sua nomina præposuisse illorũ nominib. ad quos scribebãt. Quod Pontifices postea ne imperatoribus quidẽ concessêre. Nam Imperator Pontifici scribens semper Papæ nomen præmittit Imperatoris subiuncto. Qua de re extat elegans altercatio Frid. Imp. & Adriani Pontificis. Deinde considera quib. nominib. sese commendet. Primùm vocatũ se asserit, hoc est, gratuitò per Christum deputatum ad hoc munus quod illi cum Corinthiis erat cõmune: nam etiã hos paulò pòst vocatos appellabit. Porrò vocat Deus primùm creando quum à non esse ad esse producit. Sic vocauit omnia, vt essent, Gene. 1. vocando mox extiterũt quæcunq; voluit ipse. Deinde vocat regenerãdo, hoc est, dum nouã personam imponit priùs creatis rebus. Sic dicuntur vocati sancti ad nouum vitæ genus, ad nouam professionem. Atque eatenus Paulo cum Corinthiis communis erat vocatio ad vitam æternam, ad vitæ innocentiam. Priore vocationis genere commendatur potentia Dei, posteriore autem, clementia, & gratia. Nec incommodè hinc illis sese commendat communis est mihi vobiscum vocatio. Igitur bene monentem debetis patienter audire. Vocatus. Varia vocationis genera.

2. Apostolum se vocat, quo sese iam à Corinthiis separat, nam præter communem electorũ vocationem aliquid augustius Apostolo erat impositum, scilicet ministerium docendi: hæc erat grauissima persona, quam gerebant in Ecclesia Christi pauci & inter paucos istos princeps est Paulus. Erãt enim immediatè ab ipso Domino vocati: Ideo suprema dignitas in Ecclesia penes Apostolos erat, docebant vbique, & cœtus nouos instituebant cum testimonio Spiritus sancti, quo non errarent. Quale autem munus fuerit, vide 2. Cor. 6. cap. vbi docet ministerium reconciliationis eis fuisse commissum, vt legatione Christi nomine fungerentur apud homines, vt reconciliarentur Deo. Ad hoc munus quomodo sit vocatus Apostolus Paulus, vidimus Act. 6. Apostolus

3. Iesu Christi Apostolum sese dicit, significans non ad carnalia missum: sed vt Domini regnum non est de hoc mundo, ita Apostolos illius, mundana docere non debuisse. Excludit obiter his etiam notam sinistræ functionis. Ingesserant enim sese multi sponte & vltrò, quos nemo miserat.

4. Voluntatis Dei etiam meminit, exprimens causam efficientem primariam. Deus enim est qui vocat messores in messem suam. Hinc Apostolus ad Gal. 1. se non ab hominibus accepisse affirmat, nec per homines vocatum esse. His titulis commendatur Pauli persona. In quibus hoc memorabile est, quòd non alios assumit titulos, quàm eos quibus omnia gratuita in Christo exprimuntur. Faciebat hoc primùm ad commendandam Apostoli modestiam. Deinde ad retundendas factiones Corinthiorum. Si enim omnia sunt gratuita in electis, nihil attinet de donis Dei contendere, & sectas instituere, quo modo peccabant illi. Matth. ix. xxxij.

Sed audiamus solúsne sit Apostolus nécne, nõ sanè: nam cõiungit sibi Sosthenem, de quo vide Act. 18. Hũc non alio quàm fratris titulo commendat. Id primùm ad honorem boni viri pertinebat, si enim principibus placuisse viris nõ vltima laus est, ergo sanctis Apostolis placuisse qualis tandẽ erit laus? Deinde vtile erat: nam fratris nomẽ admonebat Corinthios vnionis & concordiæ. Paulus cum Sosthene & aliis consensum seruat. Idẽ igitur Corinthiis erat faciendum. Obserua morẽ Apostoli, quasdam epistolas solus scripsit, hoc est, suo tantum nomine, quanquã plurib. quasi testib. consignarit salutationes finales: vt ad Romanos, Ephesios, ambas ad Timotheũ: ad Titũ tantùm suo nomine scripsit, neminem sibi coniungens. In reliquis aliquos sibi coniungit, hic coniungit sibi Sosthenẽ. In 2. ad Cor. Timotheum: Ad Galatas omnes fratres, qui secum erant: Ad Philip. iterum Timotheum. Sic ad Colosś. In vtraq; ad Thessalonicenses, adiungit sibi Syluanum, & Timotheum. Ad Philemonem, Timotheum. Quo consensum passim Ecclesiis commendauit, & ostendit qui potissimum essent sequendi. Sic postea Ecclesiastici scriptores ferè hunc morem retinuerunt, vt in grauibus causis non vnius sed multorũ nomina apponerẽt in scribẽdis epistolis. Sic Cyprianus ferè suas epistolas dictat etiã fratrum præsentium nominib. expressis. Admonemur in Ecclesia Domini non vnius arbitrio res esse administrãdas, sed consensum semper meliorum esse quærẽdum. Est quidem Monarchia Ecclesia si respicias Christũ caput, huius .n. solius vox est audiẽda: cæterùm si ministros ipsius attendas, potius est quædam politia, in qua est quędam paritas siue æqualitas personarum. Ideóq; grauissimè peccatũ est quòd passa est Ecclesia Christi vnius authoritati, & censuræ omnia subiici cùm Apostolorũ, & Martyrũ tẽpore hoc Sosthenes. Apostoli mos obseruandus. Obseruatio.

nemo permisisset. Stulta est, & nimium stulta Ecclesia quę omnia vni homini defert, vni loco, cum tot ætatum experientia testetur, infinitis modis ab his errari.

De salutatis. II. Diximus de personis salutantibus, hoc est, de Paulo & Sosthene. Nunc superest alter locus de personis salutatis, hoc est, de Corinthiis, de quibus diximus quædam in genere in prolegomenis. Hic igitur speciales commendationes obseruabimus. Primum igitur commendat eos Ecclesiæ, Dei nomine. Ecclesia cœtus est certi populi profitentis concordiam. Christiani Ecclesia dici cœperunt mox Apostolorum tempore, vt est videre in Act. 5. qui ex toto mundo selecti quasique euocati ad altiora destinantur, ad vitam æternam, ad bonos mores, ad crucem, & tolerantiam, similiáque exercitia. Hunc titulum Corinthiis relinquit, quòd scilicet sint Dei Ecclesia, cùm interim tot erroribus laborarent, ferebant inter se hominem incestu pollutum, factiones, negantes resurrectionem, ebrios, abusus multos in Cœna Domini, & alia infinita. Interim sunt Dei Ecclesia, facit id contra eos, qui puram quærunt in his terris Ecclesiam, quam quum non reperiant, omnibus cœtibus solent nomen Ecclesiæ adimere, nouósque instituere, vt alios damnent: non tam rigidus censor est Apostolus apud Corinthios.

Sãctificati. 2. Sanctificatos in Christo Iesu vocat, Ecclesię nomen admonuit pacis, idem hic titulus præstat, si.n. in Christo sunt sanctificati, debent vtique capitis sui Christi concordiam seruare. Non.n. dissident inter se membra vnius, vel corporis vel capitis. Dicutur autẽ in Christo sanctificati, quia is nostra est sanctificatio. Intra versu 30. Act. 5. Heb. 13.

Sancti. 3. *Vocatos sanctos*, hoc est, destinatos ad sanctitatem. Noua enim persona illis imposita est, vt deinceps innocenter viuant, vocationem hãc communem habebant cum Apostolo. Quanquam ille aliquid vlterius haberet: attamen communis vocatio concordiam suadet & consensum ne se facile inuicem contemnerent. Deinde vocatio ista non erat ad vitia, sed ad puritatem. Vnde 1. Thessal. 4. ait, Non vocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctimoniam. Deinde considera quòd viuis tribuitur titulus sanctorum, & cœtui promiscuo in quo multi erant impuri. Eodem pacto Romanos, Ephesios, Colossenses sanctos vocat. Hodie titulus iste defunctis tribuitur, & Papæ solùm. Quanquam sanctitatis titulo non sit contentus, sed sanctissimi excellentiam quærit. Nos discamus misellum Christi gregem sanctum esse, tum quia sancte viuit, tũ quia per Christi sanguinem sanctificatus est, & ad verè sanctam, & innocentem vitam vocatur.

4. *Cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.*

Coniungit illis vniuersalem Ecclesiam, vt sciant consensum, rem esse necessariã Ecclesiæ: ideoq; arrogantiam, & contentionem illis omnib. modis esse fugiendam. Sic ad Gal. 1. scribit omnib. Ecclesiis per Galatiam, significans doctrinam toti Ecclesiæ vnam & eandem. Porrò inuocatio nominis Domini pręcipuus cultus Dei est. Quia enim hunc proposuit mediatorem, per quem omnia sibi conciliare voluit, par est vt per hunc solùm Deum ritè inuocemus. Inuocatio autem continet simul fidem. Quomodo enim inuocabunt in quem non credunt? Rom. 10. Deinde excluditur hic aliorum nominum inuocatio. Astringimur ad vnius Domini inuocationem, & ad hos tantùm pertinet vera Apostolica doctrina. Damnatur hic inuocatio sanctorum defunctorum: item aliorum numinum, quę numina non sunt, Angelorum, Spirituum. Vera inuocatio est, quę Deum per filium eius adorat. Cæterùm vniuersalem Ecclesiam diffusam esse dicit per totum orbem terrarum, ἐν παντὶ τόπῳ. Non igitur debet alligari certo loco, alioquin nõ est vniuersalis, militãs hęc est Ecclesia, & næuis etiã conspersa, quod declarat Christus Matt. 13. in parabola seminantis bonum semen in agrum suum, sed inimicus noctu aspersit zizaniam: vt rete Euangelicum tale etiam est, quod cum piscibus sordes attrahit. Cõsolatio est magna, vbiuis terrarũ reperiri posse electos Dei. Porrò illud quod additur: *Ipsorũ & nostro*, satis obscurum est: aliqui ad locum referunt, q.d. siue sint in loco suo, hoc est Iudæorũ, siue nostro, hoc est, Gentium: vel suo, id est, patrio solo, siue nostro, hoc est, peregrino, Corinthi, vel extra. Hic sensus cõfirmat vniuersalem Ecclesiam etiã suum locum habere inter externos populos, qui palàm Christum nõ profitentur vt hodie inter Turcas multi latitãt, olim in paganismo, Iudaismo multi simplices qui ad regnũ Dei pertinebãt. Itaq; malim sic accipere: suo loco, hoc est, qui in sua patria superstitione adhuc sunt, inuocant tamen Christum, nondum in externa Ecclesia. Nostro autem loco, quia iam in cœtib. Christianorũ erant, & quod erãt, profiteri nõ erubescebant. Alij referunt ad Κύριον vt sit sensus, Domini, αὐτῶν καὶ ἡμῶν, hoc est, qui Iesus Christus Dominus illorum est, hoc est, seriò inuocantium in toto orbe, & Dominus noster quoque est, hoc est, docentium Iesum, & veram inuocationem. Hic sensus iterum consensum Ecclesiæ necessarium indicat, quasi dicat, in Christo omnes coniungimur tanquam vnum corpus. Igitur procul abesse debet omnis dissensio, omnis arrogantia, & contemptus.

III. Bona

III. Bona quæ comprecantur ſalutantes ſalutatis, *Gratia* inquit *vobis, & pax*. Hic duo occurrunt, primùm ipſa bona. Deinde fons illorum bonorum. Bona ſunt, gratia χάρις, hoc eſt, Dei beneuolentia gratuita, nos nihil tale merentes complectentis. Hæc gratia ſeu beneuolentia complectitur vitam æternam, remiſſionem peccatorum, ſalutem, fidem, iuſtificationem, & ſimilia bona. Pax verò eſt trãquilitas conſcientię, nata ex gratia Dei. Poſtquã enim ſentimus pacatum nobis eſſe Deum, incipimus pacati, ne tumultuetur conſcientia metu iudicij diuini: ſed Deum vt patrem in Chriſto placatum inuocet. Itaque pars effectus eſt gratię. Et vt in gratia etiam ſunt dona Spiritus ſancti, ſic cum pace illa interna habetur pax externa, hoc eſt, ſtudium pacificè viuendi, adeò vt cum omnibus hominibus pij conentur pacem ſeruare quoad fieri poteſt. Pax conſcientiæ.

Porrò ſcaturigo bonorum eſt Deus Pater, & Dominus Ieſus Chriſtus, paria paribus reddit. Deus pater autor eſt gratiæ, Chriſtus verò autor pacis. Interim & Chriſti gratia eſt, & pax etiam Dei patris eſt: ſed ſingulis ſingula non malè applicantur docendi cauſa quum omnia & Chriſti ſint, & Dei Patris & Spiritus ſancti.

Diſcimus pietatis eſſe libenter ſalutare pios, & fidei conſortes. Etenim fidem commendat, & excitat dilectionem mutuam, & fructum aliquem poſt ſe relinquit in animis ſalutatorum, hinc illud ex triuio: Saluta libenter. Deinde pietatis intereſt bona æterna comprecari quæque ad ſalutem conferunt, non nugas huius mundi optando, ſalutationes conſumere. Nati enim ſunt pij ad bona præſtantiſſima. Ad ea conſequenda omnia omni tempore debent accommodare. Libẽter ſalutare eſſe pietatis.

Tertiò in ſalutationibus etiam quærenda eſt gloria Domini Ieſu Chriſti, vt nomen illius illuſtretur. Hinc cauſis efficientibus bonorum ęternorum connumerãtur quod etiam pertinet ad veram doctrinam.

4. Obſeruetur etiam diſcrimen ſalutationis fidelium ab Ethnica forma. Græcis conſuetum erat præfigere ſuum χαίρειν, εὐπράττειν, & ὑγιαίνειν. Quibus lætitiam, ſanitatem, ſucceſſum in actionibus vitæ comprecabantur. Latini ſalutem plurimam dicebant. Sed non alia ſalutaria intelligebant, quàm quæ in hac vita & durarent, & ſimul cum illa finirentur. Nos ampliora habemus bona: ideo ſalutantium forma etiam ſanctiſsima eſt in Nomine Ieſu Chriſti, &c.

SECVNDA PARS EPISTOLÆ.

EXORDIVM, QVO A SVO IN IPSOS AMORE, & illorum variis laudibus beneuolentiam captat.

4. *Gratias ago Deo meo ſemper de vobis propter gratiam Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus ditati eſtis in ipſo*, &c.

Diximus de titulo, in quo tria reſpicienda eſſe propoſuimus: perſonas ſalutantes, perſonas ſalutandas, & bona comprecationis. Priora duo προσωπικὰ ſunt, vltimum πραγματικόν, in illis laus erat admixta: in hoc verò εὐχὴ votum. Nunc de exordio dicendum eſt. Ac eſt quidem hoc ad beneuolentiam accommodatum: attamen quia obiurgaturus eſt, in illorum laudibus magis verſatur, ideo præmittit quædam ad parandos illorum animos, vt & ipſe liberius poſſit vitia curare, & ipſi doctrinæ fiant capaciores. Sic enim comparatum eſt hominis ingenium, vt nolit à quouis vel laudari, vel reprehendi, ab impio non facilè admittit laudem vir bonus: ſic reprehendi non vult niſi à ſui amante, à pio, cui putet res ſuas cordi eſſe. Ideo Apoſtolo neceſſarium fuit declarare animum erga Corinthios paratiſſimum & amantiſſimum, ne deinceps ſiniſtro quodam affectu tot tantáſque reprehenſiones prodire ſuſpicarentur. Exordium

Genus eſt εὐχαριστικὸν, vt enim amoris affectum teſtetur, conuertit ſeſe ad gratiarum actionem, ac enumerat cauſas grauiſſimas huius ſui propoſiti. Eſt etiam παρηγορικόν. Conſolatur enim eoſdem de conſeruatione in finem vſque, quod & ipſum beneuolentiæ eſt Apoſtolicæ. Non enim de bonis præſentibus ſolùm Deo gratias agit, ſed in futurum ſpem facit de conſeruatione.

Partes duæ ſunt, πρότασις & κατασκευὴ, vtraque illuſtri tractatione veſtitur. Nam propoſitioni addit circunſtantias quibus affectus amoris proditur. In confirmatione liberalis eſt in concedendis laudibus neceſſariis, quæ tamen pietatem in primis ornant. Nam quanquam ſuis laborent erroribus, attamen in eo cœtu inſignia Dei dona agnoſcit. De ſingulis ordine agamus. Exordij partes.

I. Propoſitio eſt, Paulus Deo ſe gratum exhibet in donis quæ Corinthiis vbertim cõtulit. In hoc primùm oſtendit quid ipſe faciat, εὐχαριστῶ gratias ago, ἠθικὸν illud eſt. Nam gratiarum actio eſt teſtimonium animi grati ob beneficia nobis, vel noſtris, aut iis, qui ad Propoſitio

nos aliqua ratione attinent,collata. Quum igitur Apostolus gratias agat, certum est gratum se voluisse præbere, primùm Deo, deinde approbare affectum suum Corinthiis.Gratias ago,hoc est,celebro,laudo,prædico aliis,& in precibus meis vestri recordor, Deo debitam gratitudinem defero,ad ipsum omnia refero dona vestra.Discimus hic precum nostrarum partem debere esse εὐχαριστίαν pro bonis etiam aliis piis collatis, & quanquam omnes homines deceat esse gratos, tamen soli pij rectissime id præstare possunt, quia isti soli norunt omnia bona ad Deum autorem referre,cùm impij naturæ eadem adscribant.

II. Cui gratias agat: *Deo*, inquit, *meo*. Omnia bona vt a Deo proficiscuntur, ita pro omnibus illi prima debetur & confessio,& laus. Hoc Corinthij Apostoli exemplo discere poterant. Interim patheticum est quod ait, *Deo meo*. Deus vtique omnium est, etiam impiorum, nedum electorum, & Dominus iussit orare, Pater noster, &c. vt communio nos inuitaret ad mutuam operam, & beneuolentiam, nec id adimit hic precibus, tamen quia Deus electorum est conseruator, redemptor, & consolator, rectè de piis agens sibi applicat Dei possessionem: nam ardorem orandi exprimit: quasi dicat, ad Deum oro tanquam meus esset solùm,& in exaudiendo mihi solùm obstrictus.Hoc pij faciunt in angoribus:sic Dominus orauit, Pater mi,si fieri potest,transeat calix iste:sic Dauid,aliique sancti. Discamus igitur, vt promissiones cœlestium bonorum singuli sibi debent applicare: ita de ipso singulos statuere debere. Deus meus est, adeò vt proprium parentem confidentissimè inuoces,alioquin tepida erit adoratio.

Assiduitas orandi cõmendatur.

III. Addit *Semper*. Temporis circunstantia commendat orandi studium, nec tamen absolutè sumenda est,sed pro re obiecta,quasi dicat,quoties oro,quoties cum Deo ago de statu Ecclesiæ, toties vestri sum memor. Nunquam oro quin precibus meis sit admixta gratiarum actio.Assiduitatem orãdi hic nobis commendat. Semper orare iussit Dominus etiam, & non deficere, & Apostolus passim vigilare & stare iubet. Erubescat tandem nostra in orando ignauia,ne quid dicam grauius.

4. *Pro vobis*. Indicat materiam suarum precum,beneficia scilicet diuina,non sibi,sed Corinthiis collata. Discamus de natura precum esse, pro fratribus semper orare.Oramus quotidie, Adueniat regnum tuum Domine.Vbi verò agnoscimus aliquid esse doni,& regni Dei,meritò decet gratias etiam aspergere.Ac poterant Corinthij hinc discere voluntatem Apostoli. Quid enim ipsis est faciendum in causa propria, cùm Apostolus tam studiosus sit in precibus ipsorum nomine? Interim obseruemus viuos pro viuis illa obire officia pietatis,ne hinc stabiliamus errores.

5. *Ob gratiam Dei,quæ data est vobis in Christo Iesu.*

Veras laudes concedit ex donis Dei quæ sunt gratuita:ideo quicquid habent donorum hoc totum vocat χάριν,quæ est beneuolentia diuina qua nos nihil tale merentes,in Christo amplectitur.Ideo sub hac gratia continetur salus nostra,fides, iustificatio, spes,charitas & quicquid inuenitur in religione. Deinde vox illa compescere debet arrogantiam quam Corinthij sumebant.Si enim omnia sunt gratię adscribenda,cur illi factiosè agunt? cur vnus alium contemnit? cur litigant? Addit etiam prudenter causam organicam,cuius beneficio tanta dona consequuti sunt, scilicet *in Domino Iesu*, ideóque non est quòd glorientur, sed Christi gloriam quærant,& summissè & pacificè degant: ne tantis donis indigni deprehendantur.

Propositionis confirmatio.

II. Confirmatio propositionis. Habet sui instituti Apostolus grauissimas causas, & materiam obiter attigit, quum diceret se agere gratias propter dona Dei quæ data essent eis in Christo Iesu.Id tamen perobscurum adhuc erat,ideo in confirmatione res est explicanda.Nos singula resoluemus,quæ vim argumenti videntur habere.

Primùm igitur quia *ditati estis in omnibus*. Satis est causæ cur agat pro illis Deo gratias, quasi dicat,non vno bono estis ornati,sed infinitis.Plutus à copia nomen habet, hinc πλουτίζειν dicuntur qui eiusdem multa habent, & qui copiam habent auri, argenti, vestium, pecorum,supellectilis, hi propriè dicuntur diuites,sic in spiritualibus eis tribuit πλουτίζειν significat copiosè & vbertim ornatos esse donis Dei:ideo addit etiam ἐν παντὶ,quo copiam donorum auget,non tamen absolutè accipiatur,sed ad subiecta dona restringatur.

2. *In ipso*,scilicet Christo.Distinguit dona, & limitat quid sit illud ἐν παντὶ,non terrena continere,sed spiritualia: vt enim Dei regnum non est de hoc mundo, sic in illo ditati non accipiunt bona mundana, sed cœlestia. Et quia in Christo nos ditat Deus, ideo par est vt per Christum etiam ad Deum referamus nostras preces.Non enim decet alia via ire ad Deum quàm qua ipse sua ad nos deriuat bona.

Λόγος linguarum donum.

3. *In omni sermone*. Λόγος est donum linguarum quo pollebant interdum non solùm Apostoli, sed auditores quoque illorum ad miraculum vsque. Quòd si ita est, magna certè causa est cur Deo gratias agat, quia dono linguarum videbat eos ornari. Aut λόγος accipitur

accipitur pro facultate docendi Euangeliũ,quæ & ipsa erat insigne donum.Multi enim sunt recte instituti in fide,qui tamẽ non possunt mox alios docere,adeò nõ mox rẽ præuisam verba non inuita sequũtur. Eo dono ornati erant Corinthij,vt non solùm crederẽt Christo,sed inde prodirent multi,qui alios vtiliter docerẽt,qualis Sosthenes,& alij. Docendi facultas.

4. *Et omni cognitione.* Recte λόγῳ addit γνῶσιν: ille docentibus est necessarius, hæc verò etiam auditoribus.Est autem γνῶσις ἐπιστήμη, sciẽtia rerum ad salutem necessarium, qualia sunt,Christi meritum,fidei vis,vitæ innocentia, éstque illa omnib.electis necessaria,quanquam λόγον, hoc est,docendi rationẽ non omnes teneant, & quia repetit vocem πάσῃ, obseruandum est veritatis cognitionem ita esse relictam Ecclesiæ, vt omnia ad salutem necessaria,per Apostolos acceperit,nec sit opus traditionibus ad hanc rem. De qua cognitione loquatur.

5. *Adeò vt testimonium Iesu Christi confirmatum sit in vobis.*

Duo priora λόγος. f. & γνῶσις ad docendum erãt instituta. Iam ostendit fructum,seò illa fecisse, vt confirmati sint in fide Christiana. Μαρτύριον, hic est doctrina Euangelica, in qua confirmati sunt sermone, & cognitione:vel est mors Christi,qua doctrinã suam confirmauit sub Pontio Pilato.q.d.de morte Christi iam rectè sentitis,illius merito vos redemptos agnoscitis. Aut certè testimoniũ est professio doctrinæ,& confessio religionis, quo sensu validius erit argumentũ. Ago Deo gratias, quia video vos ita profecisse vt nõ dubitetis profiteri palàm religionẽ vestrã.Hinc dicti sunt martyres, qui in cõfessione persisterent vsque ad mortem,quàm etiam animosè subibant si esset necessum.

6. *Vt non destituamini in vllo dono.*

A genere iterũ argumẽtatur.Omnib.donis estis ornati,ideò rectè Deo de vobis ago gratias.Χάρισμα dicitur donũ gratuitũ,quale prius dixerat χάριν.Et obseruanda est vniuersalis:Nullo dono destituũtur,ergóne & Medicis,& Physicis ornati fuere donis? Nego, quia vniuersalis accõmodari debet ad præsentem sensum. Loquitur.n.de donis spiritualibus, in quib. sufficienter fuerunt instructi. Deinde eleganter vsus est verbo ὑστε-ρεῖν, quod significat segnius accedere,tardè venire,inter postremos esse. Sensus igitur est,in donis nõ estis postremi,sed primi.Igitur res digna est pro qua Deo agãtur gratiæ. Dona spiritualia intelligit.

7. *Expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi.*

Est & ista insignis virtus de aduentu Domini nõ dubitare. Porrò reuelatur Christus multis modis.Primùm per doctrinam Euãgelij,quam quidem Corinthij iam habebant, attamen pleniorem accipere poterant. Deinde hanc reuelationẽ Christi apud alias nationes expectabant.& quemadmodum ipsis illuxerat veritatis cognitio:sic omnib. modis alijs eandem comprecantur. Est & altera reuelatio,qua scilicet in corde admittitur Christus,conuersione ad meliora facta,per regenerationem:nã specialior hęc est,quàm sit prior. A multis auditur doctrina Euangelij, sed non mox in cordibus admittitur, hæc sola prodest. Tertio loco est reuelatio filij Dei, qua in nouissimo iudicio declarabitur iudex viuorum & mortuorum, de qua hic loqui videtur. Porrò quærat hic quis non immeritò,cur tantopere laudet eos,quos mox reprehendet,& multis erroribus infectos esse mõstrabit? Respondeo factum hoc iustissima ratione. Primùm enim ad conciliandos ipsorum animos hoc admodum conducebat. Deinde negari non poterant illa dona,quæ inter eos haberentur. Quòd verò indiscriminatim omnes laudat, ideo factum est, quòd ad concordiam est hortaturus, ideóq; totũ cœtum laudat à meliori parte. Ex quo illud etiam manifestum est,non mox damnandos integros cœtus, quamuis in illis aliqui imò multi deprehendantur mali, ratio est, quia Apostolus Corinthiis relinquit titulum Ecclesiæ,concedit omnem cognitionem, omnia dona spiritualia,quanquam inter eos esset homo incestus pollutus: alij essent contentiosi, alij qui resurrectionem negarent, & alia fœdiora crimina. Hodie videas quosdam sic affectos, vt tales cœtus ne in mundo,ac rerum natura ferendos esse censeant. Multis modis Christum reuelari. Non damnandos integros cœtus licet in illis reperiantur mali.

8. *Qui & confirmabit vos vsque in finem inculpatos.*

Hactenus à bonis præsentib. eos laudauit, significans non deesse rationes laudandi Deum. Nũc attexit argumenta à futuris bonis, habentq; παρηγορίαν,hoc est,cõsolationem.Idẽ Deus qui ornauit vos tot donis, confirmabit vos in præsenti cursu. Ac videntur verba votũ habere.q.d. hoc vnicè peto à Deo, vt vos confirmet.Quo sensu Apostolus duplicem habuit orandi materiam, priorem à bonis præsentib. ob quæ agit gratias: posteriorem à futuris,pro quib.indesinenter orabat.Inter illa præcipuè erat constantia in fide suscepta.Deinde vitæ innocentia,& siquid patiendũ esset Christi nomine, fieret hoc sine priuato aliquo scelere, sed planè re & nomine essent ἀνέγκλητοι. Possunt tamen hæc verba accipi simpliciter categoricè. q.d. certus sum de successu, Deus vt incepit in vobis operari:sic continuabit hoc vestro bono.Hic sensus spe noua illos excitat.

9. *Fidelis est Deus,per quẽ vocati estis in cõsortium Filij ipsius Iesu Christi Domini nostri.*

A Dei natura argumentatur quia fidelis est.

A natura Dei argumentatur non esse desperandum de successu, quia Deus est fidelis: πιστὸς, hoc est, seruans fidem promissionum suarum. quasi dicat, Non fallit Deus, sed constantissimus est in promissionibus. Hinc exemplo Dei excitandi sunt homines, vt & ipsi fidem seruent Deo debitam, quo sensu videtur dixisse Apostolus ad Romanos, Iustitia Dei reuelatur cœlitus ex fide in fidem, hoc est, exemplo Dei seruantis fidem, alitur fides nostra, & accenditur.

Deinde quia vocauit eos in communionem Filij sui. Κοινωνία ista gemina est: prior gloriæ, & maiestatis, quasi dicat, consortes fecit vos cœlestium bonorum cum Christo: hæredes enim Dei, & cohæredes Christi facti sunt pij. Hinc politeuma illud piorum in cœlis ad quod in dies respiciunt. Magna est hæc κοινωνία, nec facile potest verbis explicari. Altera est quæ in his terris præcedit, scilicet crucis. Qui enim cum Christo vult regnare, prius oportet vt sublata cruce sua, ipsum sequatur, hæc illa est communio mortis, calamitatum, odij mundani, persequutionum ad exemplum Filij Dei, & quanta hæc sit, res ipsa loquitur, &c.

TERTIA PARS EPISTOLÆ, IN QVA CORRIGIT illa vitia de quibus illi non scripserant ad Apostolum, sed aliunde intellexerat.

10. *PRecor autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos schismata, sed sitis compacti eadem mente, & sententia.*

Locus primus de sectis.

Primis quatuor capitibus agit Apostolus de cauendis factionibus in Ecclesia, doctorum nominibus institutis. Hoc vt alia multa, Corinthij parum animaduerterãt censura dignum. Sed quàm sit res necessaria consensus, vel eo docet, quòd in nullo loco diutius commoratur Apostolus. Sed insuper res humanæ sic institutæ sunt, vt omnia consensu crescant, & meliora fiant: discordia verò maximæ quæque dilabantur. Satanæ etiam regnum subsistere non potest, si Satan Satanam eiicit, vt dicit Dominus Matth. 12. Quod igitur Christus toties suis commendauit & natura expostulat, hoc Corinthiis ardenter etiam Apostolus tradit, vt in Christo sanctè alant consensum.

Cõcordiæ commẽdatio.

Propositio

Πρότασις est, Corinthiis in primis cauendum est ne Christum professi propter doctores scindantur. Hæc propositio ad ea pertinet verba quæ nunc præ manibus habemus.

Partes.

Partes tres sunt. Initio enim suo more proponit Apostolus geminam quodammodo hortationem. Priore ad concordiam: Posteriore à dissidiis auocat, illa προτροπὴ est, hæc ἀποτροπή. Deinde subnectit ἔκθεσιν propositionis, qua partim respõdet illorum obiectioni, quomodo scilicet Apostolo innotuerit hęc res, quòd Corinthij sectas alerẽt: partim modum sectarum exprimit, graui imitatione sermonis inter sese dissidentium propter doctores: Ego sum Pauli, alius, Ego Cephæ, tertius verò Apolli, ac vix tandem quartus Christi discipulum se profitetur.

Tertio loco adhibetur παρασκευή: probat.n. suum institutũ validis rationib. ac simul vitium hoc ita corrigit, vt grauissimè taxet dissidiorũ authores. Nos singula in Apostolo expẽdemus, imprimis rationes quib. consensus cõmendatur, & dissidia cõtrà dãnantur.

Propositio illa habet verba, *Oro vos vt idem loquamini, nec sint inter vos dissidia, sitis autem compacti eadem mente & sententia.* Simpliciter & nudè poterat proponere: Vos Corinthij concordes in Domino esse debetis: sed orationem mirificè auget sententiis, vt & grauitas accedat, & res penitius inhæreat illorum animis. Crescit oratio triplici sententia, idem loqui, non alere schismata, & coagmentari eadem mente, &c. Prima & tertia naturalem habent connexionem. Nam ex effectu cognoscitur causa. Naturaliter loqui idem effectus est τοῦ καταρτισμοῦ interioris. Medium autem membrum vtrique ἀντίθετον est, & quia hoc illi alebant, prudenter Apostolus inseruit, vt alienũ à tantis bonis quæ cõmendatur illis. Τὸ αὐτὸ λέγειν, idem dicere, est consentire verbis, & quia verba sunt σύμβολα nostræ mentis, ideo ex cõsensu verborum colligimus cõsensum animorum. Distincta tamen sunt aliquãdo tempore, vt qui verbis consentiant, animis tamen dissideant, quod faciunt hypocritæ, qui consensum simulant, & nudis verbis declarant. Est tamen necessarius propter pacem & tranquillitatem, & erat optabile tam animis quàm verbis consentire: si tamen fieri secus non possit, verbis alenda est concordia, vt scandalum vitetur, & conuersatione diutina animi etiam tandem coalescant pia concordia. Est præterea verborum conformitas necessaria propter preces. Nam Christus eandem formulam orandi omnibus præscripsit. Et præterea concordibus promisit Dominus exauditionem, Matth. 18. Si duo consenserint, &c. Denique in causa religionis multa sunt quæ requirunt necessariò verborum conformitatem, adeò vt res nõ ferat ser

rat ſermonis variationem, ſed planè oporteat τὸ αὐτὸ λέγειν, præſertim in cõfeſſionibus. In his modis præſtat ſemper eaſdem habere Scripturę phraſes, aut vbi illis deſtituimur, eas quas Eccleſiæ conſenſus, aut melior pars nobis commendat: vt in negotio Trinitatis, homoouſion nobis commendat conſenſus Eccleſiæ: Scriptura verò vnitatem, & diſtincta perſonarum nomina. Atque illud eſt idem dicere, hoc eſt, verbis declarare conſenſum ad alendam pacem, & concordiam in Eccleſia. Altera eſt ſententia, *Vt non ſint inter vos ſchiſmata.* A contrario declarat quid ſit idem dicere, ſcilicet verbis non declarare ſectas. Significat σχίσμα diuiſionem rerum, quæ natura vnitæ eſſe debebant, vt lignum finditur quod natura venis arctiſſimè vinxerat. Sic in Eccleſia Chriſti res quædam violenta eſt ſchiſma, ſeparans eos qui debebant natura regenerationis vinctiſſimi eſſe. Præterea ſchiſma eſt inter multos, & lædit concordiam & pacem, qua de re diximus copioſius in locis noſtris, quos vide in Ioannis 7. Quid ſchiſma ſit.

Tertiò, *Sitis autem compacti eadem mente, & ſententia.* Altius iam reuocat ad conſenſum tangens animorum vnionem. Nam, vt dixi, verbis ſæpe conſentiunt homines, qui animis inter ſe diſſident. Hoc remouet Apoſtolus, & requirit internum etiam conſenſum: ita enim ſolida conſiſtit concordia. Eſt autem καταρτισμὸς & καταρτίζειν, tranſlata vox huic inſtituto aptiſſima. Significat enim adaptare membra in locum ſuum ſecũdum naturam, quæ luxata erant, & contra naturæ diſpoſitionem collata. Qua voce eleganter hic indicat in Chriſto ſingulos habere ſuum locum, & ſtationem, quæ ſingulis tuenda ſint, nec committendum eſſe vt ordinem hunc perturbemus. Quomodo autem ordo hic ſeruetur, indicat additis vocibus mente, & ſententia oportere eſſe compactos: hoc eſt, ſine dolo, & fraude, candidè, & ſeriò conſentire. Ac philoſophi quidem dicunt νοῦν verſari circa vniuerſalia & principia: γνώμην verò circa particularia, recti & æqui eſſe iudicium: Apoſtolus tamen hic ferè pro æquipollentibus ſumpſit. Diſcimus tamen hinc ad verum conſenſum tria eſſe imprimis neceſſaria. Primùm vt animis idem inhæreat ſpiritus, is efficiet vt νοῦς vnita ſit. Alterum hinc fluit tãquam fructus, eadem γνώμη, hoc eſt, ſimilis interpretatio rerum. hinc demum etiam tertium naſcitur, idem dicere: vel hoc pacto componantur: tria in vero conſenſu neceſſaria ſunt. Primò γνώμη eadem, hoc eſt, ſententia ſcripta, qua declaramus conſenſum in confeſſionibus noſtris. Deinde eadem ſit νοῦς, hoc eſt, ſcripti eadem mens & interpretatio, ne alius & alienus à Scriptura eruatur ſenſus, vt tertiò idem dicatur, hoc eſt, verbis non mutetur, & explicatio congruat cum ſcripto. Sic mens, ſcriptũ, interpretatio ſcripti, ſolidã conficiant concordiã. Tria ad verum conſenſum neceſſaria.

Diximus de propoſitione Apoſtoli. Nunc conſiderandum eſt, quę ſint illius rationes. Conſenſus verbis & animis ſeruandus eſt, ſed quare?

Primùm quia fratres ſunt: hinc eo nomine eos conuenire ſolet: hortor autem vos fratres, fratres eſtis in Chriſto, & eo nomine vos mutuò ſalutatis. Ergo conſenſum debetis alere. Cum omnibus quidem concordia eſt ſeruanda, in primis tamen cum fratribus. Quòd nomen eatenus valet, quatenus conſenſum tenemus, adeò vt cum conſenſu deponi videatur fraternitas. Animus diſſidens re & verbis ex fratre hoſtem facit, & aduerſarium. Vultis igitur manere fratres, ſeruate conſenſum. Superioris propoſitionis rationes.

Deinde quia Apoſtolus tanta ſeueritate hoc ſuadet. Grauiſſima obteſtatio vim habet adiurationis. Solent autem prudentes viri, non niſi in rebus grauiſſimis adhibere obteſtationes ſerias. Quia igitur in præſenti cauſa facit hoc Apoſtolus, facilè intelligi poterat, rem quam ſuadet eſſe ſummè neceſſariam.

Tertiò, quia per Chriſti nomen illos obligat. Per rem maximam, & ſanctis omnibus gratiſſimam illos obligat. Nihil enim nomine Chriſti ſanctius & ſuauius in ſanctorum auribus. Vis eſt argumenti ab authoritate. Ideo enim meminit nominis Chriſti, vt vel huius authoritate excitet ad conſenſum. Ac nomen intelligo hîc gloriam, quaſi dicat, Conſenſus veſter facit ad gloriam Chriſti, diſſenſio ad ignominiam eius: hortor igitur vos per gloriam Chriſti, quam illi conferet concordia. Deinde eſt Dominus noſter, oportet igitur ei parere: iuſſit autem concordes eſſe, & pacem commendauit. Præterea eſt Ieſus, hoc eſt ſaluator: ſalubria igitur ſuadet, & iubet, parendum igitur. Itẽ eſt Chriſtus, hoc eſt, rex, & pontifex noſter. Nulla igitur eſt ratio cur diſſideamus ab illo, & eius mandatis. Sic quidem depromenda ſunt argumenta ex præſenti loco ad confirmandam propoſitionem, ſed iam alteram audiamus partem.

11. *Significatum enim eſt mihi de vobis, fratres mei, à domeſticis Chloæ, quòd lites ſunt inter vos.* Obiectioni tacitè reſpondet.

Diximus ſuprà propoſitioni ἔκθεσιν ſubiungi ab Apoſtolo ea his continetur verbis & cõſequenti verſu. Duo enim ſunt illius membra. Primò tacitæ obiectioni reſpondet, dicere enim poterant, quî ſcis nos alere ſchiſmata, quum de hac re nihil ad te ſcripſe-

timus? Respondet, vos quidem non scripsistis, attamē mihi declaratum est à fide dignis testibus, scilicet Chloes domesticis. Primum hinc discimus Corinthios hoc crimen non pro vitio habuisse, nec vsque adeò correctione magna dignum: ratio est, quòd quum ad Apostolum de rebus necessariis scriberent, hoc totum omiserunt, adeò vt oretenus ab aliis fuerit illi explicandum. Sic fieri solet, grauissimos morbos vix tandem sentit Ecclesia, nisi aliunde patefactis malis admoneatur diuinitus. sic Corinthiis datur monitor Apostolus. Deinde discamus hic non semper in vitio esse, deferre fratrum peccata, nam hic magna cum laude nominantur delatores Corinthiorum, tum autem laudabile est quum fit emendandi studio, vt seruentur monendi. Deinde si ad eos deferantur errores, quorum interest corrigere, non ad eos qui nec curant, nec possunt mederi, sed magis spargunt cum ignominia delatorum, quæ hic videmus cautè seruata, soli Paulo deferunt, & emendandi studio, non diffamandi.

Quatenus deferenda sunt aliorum vitia.

Tertiò illos delatores rem non tragicè exagitasse, quod hinc constat, quia retulerunt Apostolo inter Corinthios esse ἔριδας, hoc est, lites: vox quandam habet mitigationem, prius dixerat Schismata, nunc minus loquitur. sunt enim Erides lites etiam de minimis rebus: quales sunt pueriles contentiones, & rixæ muliebres. Sunt autem illa prima seminaria & principia Schismatum: rixæ inter priuatos erumpunt in factiones: ideòque his maturè quoque occurrendum est in Ecclesia.

Corinthiorum factiones.

Alterum ἐκθέσεως membrum est versu 12. quo mimesi explicat illorum sententias in alendis sectis: ita enim illi in conuentibus loqui solebant: Ego sum Pauli. alius, Ego sum Petri. tertius, Ego sum Apolli discipulus, vix tandem aliquis dicebat, Ego sum Christi sectator. Primò hinc discimus genus factionis ortu esse propter duces doctrinæ, quum ex horum nominibus factiones alant, vnde intelligi potest doctores apud Corinthios fuisse, qui auditores ad talia solicitarent. Res nocentissima est, si doctores in sua nomina auditores iurare velint. Deinde auditores stultè etiam faciunt, si propter doctores scindant vnionē in Christo: signum.n. est hæreseos. Sic Arrius, Pelagius & similes seductores soliti sunt auditores à Christi nomine ad sua transferre nomina. Hodie idem ferè accidere videmus, vt passim Ecclesiæ non à Christo, sed à doctoribus priuatis denominentur, pro quorum titulis, & nominibus magis pugnatur, quàm ipso Christi nomine, qui error eò est grauior, quantò minus obseruatur, quemadmodū idem accidit Corinthiis.

Deinde obseruandū est, hos doctores qui hic nominantur, has sectas non instituisse: non enim sic docuerat Petrus, nec Apollos, nec Paulus: sed ciuilitate quadā ductus, in se illa transfert Apostolus, cuius rei argumentū est quòd Apostolus Paulus, quāquam sub suo nomine etiam discipuli essent Paulini dicti, id tamen grauissimè reprehendit, & animo iniquissimo ferre illum hoc satis constat. Fuerunt igitur alij successores illorū, homines tumidi & arrogantes, qui Ecclesiam illam valde corruperant, & vt singuli boni viderentur doctores, auditores suos non à se, quod dissuadebat pudor, sed ab aliquo insigni Apostolo denominabant, sed & hoc vitiosum est. Discamus igitur etiā sanctissimorū & doctissimorū doctorū nominibus nō esse vtendū ad dissidia & factiones in Ecclesia instituēdas, & boni viri esse omnibus modis his resistere, etiāsi suo nomine, vt fit, splendidè instituātur: ratio est, quia Paulus noluit à se Paulinos dici in Corinthiorū Ecclesia.

III. Confirmatio sequitur versu 13. *Num diuisus est Christus? An Paulus pro vobis est crucifixus? aut in nomen Pauli baptizati estis?* Illa iam ad confirmationem pertinent: sunt enim argumenta quibus à factionibus illos reuocat, & consensum vnicè amplectendum esse suadet. Huc pertinent illa argumenta quæ suprà in analysi propositionis recensuimus.
1. Primùm ab illorum persona, quia fratres sunt. Alterum à iudicio Apostoli, qui tan-
2. ta támque graui obtestatione hoc ab illis requirit. Tertiū à Christi authoritate, per cu-
3. ius nomen eos obstringit. Quartū à testium iudicio. Bonis etiā & melioribus licet nume-
4. ro pauciores sint, res displicet quales erant domestici Chloes. Veritas nō semper maiori probatur numero, proinde quid melioribus videatur obseruandū est, tales opponit licet paucos, reliquis Corinthiis. His iā addamus, quę hîc vim argumenti habent. Quintū est, *Num diuisus est Christus?* Argumētum δείνωσιν habet ab interrogatione, nā illos ad absurdum quoddā deducit, quasi dicat, quid audio, diuidíne potest Christus? id autē necessum esse inde constat, quia discipuli diuiduntur, & membra eius: hinc enim sequitur aut vos non esse Christi discipulos, aut Christū simul diuidi. vos non esse Christi discipulos non cōcedetis. Alterū ergo vos dare oportet, Christum diuidi, sed est perinde absurdū, magísq; probabile vos potius non veros Christi discipulos alendo sectas, quàm Christū diuidi posse. Hoc entymema illos rectissimè perstringit: quicquid enim dent, vidēt manifestam absurditatē. Superest ergo, vt consensum alant, dimissis factionibus ex doctorū nominibus. Porrò Christum non diuidi religio dictat, & Christus Ioan. 18. se vnum cum

Patre

Patre ostendit, & ad hanc vnionem discipulos suos reuocat & Ioann. 10. vnum facit ouile. Nullus igitur locus est diuisioni in Christo, nec in illius vera Ecclesia.

6. Argumentum. *Aut Paulus pro vobis crucifixus est?* Et hoc argumentum interrogatione in eos stringit: sententia est, ei debetis viuere, à quo vitam habetis, sed non à me Paulo vitam habetis, verùm à Christo. Igitur non in meum nomen, sed Christi vobis est iurandum. Libenter prouocat Apostolus ad meritum Christi, nam illo nos sibi obligauit vt ingratissimus sit, qui aliud, quàm sui redemptoris nomen sibi asciscat. Ingrati reuera hominis est, benefactoris suppresso nomine, alterius nomine sese ornare in quo glorietur, & religionem suam ornet.

Aut in nomen Pauli baptizati estis?

Enthymemata ordine ponit valde emphatica. Christus non diuisus est, Paulus pro vobis mortuus non est, in nomen Pauli non estis baptizati. Affirmata, & certissima sunt pronunciata, ex quibus idem semper efficitur, ergo in Christo non in doctorum nominibus est vobis consensus quærendus. Hoc argumentum à natura baptismi sumitur. In nomen Christi estis baptizati, ergo huic soli viuendum est, & illius nomen solùm profitendum: ratio est, quia baptismus symbolum est quo asciscimur in externum numerũ Christianorum, quare à Christo Christiani, non à doctoribus aliis sumus denominandi. Libenter à natura sacramentorum ducit argumenta Apostolus, vt hoc loco & infrà c. 10. Vnus panis multi sumus. & cap. 11. & 12. Ad Ephe. 4. Vnus Deus, vna fides, vnus baptismus, &c. Vnitas baptismi nos de consensu admonet, & quia Christi nomine suscipitur, huius nomen non alterius profiteri debemus. Hactenus confirmatio propositionis: sequitur iam quædam digressio, qua de se suoque baptizandi more copiosius agit.

14. *Gratias ago Deo meo, &c.*

Παρέκβασις est, nam occasione vltimi argumenti digreditur in suam baptizandi consuetudinem: sententia est. Semper ego paucissimos baptizaui certo & salubri consilio. Quòd paucos, id constat, quia solum Crispum, Caium, & Stephanæ familiam apud Corinthios baptizauit. Salubre autem fuisse hoc consilium inde est, quia in hac paucitate iam exultat, quũ videret hunc abusum irripere, vt ex baptizantiũ nominibus instituant sectas. Inde illud, Gratias ago Deo meo, hoc est, laudo & prædico Deum meum, qui noluerit me in baptizando occupari. Causa verò eius consilij gemina est: prior vt vitaret occasiones sectarum. Vnde discamus rebus etiam optimis nõ esse vtendũ ad factiones, imò res præstantissimas interdum intermittendas, ne detur sectis occasio. Ratio, quia Paulus hac de causa noluit baptizare eos quos instituisset bene in fide, sed aliis reliquit baptizandos, à quorum nominibus minus sectæ possent institui. Altera ratio a fine primario sumitur: Christus me misit, inquit, ad euangelizandum, non ad baptizandum. Singuli in id debent imprimis incumbere ad quod præcipuè sunt vocati: sed Paulus ad docendum, non baptizandũ est præcipuè vocatus. Igitur id rectè in primis curauit. Simile habes Act. 6. vbi diaconos instituerunt, ne à docendi munere abstraherentur, & hinc illud væ Apostoli. 1. Cor. 9. Væ mihi nisi euangelizauero. Primus igitur locus ac præcipuus debetur doctrinæ, posterior verò sacramentis. Sunt enim symbola doctrinæ iã susceptæ.

Cur Paulus noluerit multos baptizare.

17. *Non in sapientia sermonis, ne inanis redderetur crux Christi.*

18. *Nam sermo crucis illis qui pereunt stultitia est, nobis autem qui saluamur, potentia Dei est, &c.*

Locum de cauẽdis dissidiis aliquot rationibus confirmauit. hinc baptismi argumento digressus est in suam consuetudinẽ, scilicet paucos ab ipso semper baptizatos, quum magis incumbendum sibi putarit in munus docendi. Hanc digressiunculam videtur hactenus absoluisse, ideo de docendi munere iam sermonem continuat. Ostendit autem quæ sit causa factionum & dissidiorum apud Corinthios, scilicet quòd eloquentiam, & carnalem sapientiam nimium admirarentur in suis doctoribus. Sit igitur hæc altera pars huius loci de causis dissidiorum tollendis. Quæstio est, an ministro Christi necessaria sit sapientia & eloquentia carnalis.

Πρόθεσις est, in ministro Christi non est requirenda eloquentia & sapientia carnalis, sed Dei donum, quod in abiectis coram mundo etiam potest esse efficax. Hoc vt doceat, initio ostendit quomodo ipse sit missus, vt ad suum exemplum Corinthiorum doctores reuocet. hinc Scripturæ locis idem euincit. Addit etiam Corinthiorũ domesticum exemplum, in quo clarius cerni potest, non sapiẽtes coram mundo à Deo eligi, sed ignobiles & abiectos. Tandem horum omnium finem patefacit. Propositio.

Partes nos duas constituamus, πρόθεσιν & κατασκευήν: nam quum sit oratio argumentis referta, vtile fuerit diligenter vim argumentorum intueri, quod vt fiat analysi, diligenter singula ad τὸ προκείμενον referemus. Partes.

I. Propoſitio, *Chriſtus me miſit ad euangelizandum, non in ſapientia ſermonis.* Indiuidua eſt propoſitio, quia de ſe loquitur Paulus: ſed quia de miniſtris in genere diſſerit, ſtatuenda eſt generalis propoſitio: In miniſtris non eſt requirenda eloquentia & ſapientia carnalis. Σοφία λόγου dicitur σοφία λογική, hoc eſt, exquiſita dicendi ratio, quam homo etiã non renatus, ingenij & naturæ viribus ſibi poteſt comparare, hanc cum ſapientia coniungit, quia hi præcipue videntur ſapere, qui dicendi elegantia pollent. Nos ſapientiam & eloquentiã dicimus, quia ſeparatę ſunt virtutes: vbi verò coincidunt, admirabilẽ conciliant homini corã mundo dignitatẽ. Nec illas virtutes ſimpliciter damnat Apoſtolus hoc loco, etenim dona Dei ſunt, & in electis ſæpe reperiuntur, vt in Solomone, Dauide, Paulo ipſo, Domino noſtro Ieſu Chriſto. Sed quatenus ſeparatæ ſunt à ſapientia crucis, & non ad pacẽ ſeu gloriã Dei, ſed potius ad pompam, & priuatam referũtur gloriã, quemadmodũ in Corinthiorũ doctoribus factum eſt, inde cauſa diſſidiorũ emerſit apud illos.

Sapientia ſermonis quid ſignificet.

II. Confirmatio. Primùm facit huc exemplũ Apoſtoli, qui a Chriſto miſſus ad docendum, non fuit inſtructus iſtis præſidiis eloquentiæ, & ſapientię. Igitur in miniſtro Chriſti non ſunt requirenda. Et hinc efficitur etiam illud, Corinthij igitur non debent illa imprimis reſpicere, vt propter talia ornamenta ſcindantur in factiones. Argumentum vim habet, tum propter Chriſti authoritatem, qui maximos Apoſtolos non aliter miſit, deinde propter Apoſtolorũ exempla, quorum veſtigiis debemus inſiſtere, adeò vt quod Paulus & ſimiles non ſunt admirati, idem ne nos admiremur.

2. *Ne inanis reddatur crux Chriſti.* Quicquid Chriſti gloriam extenuat, id non debet requiri in miniſtro, imò ne adhibendum quidem eſt in docendo: ſed carnalis ſapientia & eloquentia extenuat laudem Chriſti. Ergo non debet requiri. Cohæret hoc argumentũ cum primo per redditionem. Oſtendit enim cur miſſus ſit ſine eloquentia & ſapientia carnali: cauſa eſt, quia ſi his dotibus fuiſſet inſtructus, crux Chriſti fuiſſet inanis facta. Crucem intelligamus mortem Chriſti, & beneficia quæ inde ad nos ſunt deriuata. Inanis redditur autem quum extenuatur, vilius de illa iudicant homines, quod fit quũ laudem aliò transferunt. Si enim eloquẽtes & ſapientes primùm adhibiti fuiſſent miniſtri, bona pars laudis ac gloriæ, non Deo, ſed illis naturæ viribus fuiſſet adſcripta, ac dixiſ-
„ ſent de Chriſto mox homines, quod de Achille Alexander: beatũ quia tales nactus eſſet præcones. Hanc contumeliam noluit in miniſterio ferre Chriſtus, ideo rudes & imperitos delegit piſcatores. Vis argumenti eſt a pugnantibus. Nam quiddam pugnans ſubeſt in his dotibus cum Chriſti cruce, quæ humilis eſt. Iſta autem pompam ſpirant, & quoddam ſupercilium cruci minimè conueniens. Res igitur eſt indigna euangelio.

III. A natura miniſterij Euangelici, quæ eſt electis eſſe potentiam Dei ad ſalutem, reprobis verò eſt ſtultitia. Quicquid obſcurat potentiam Dei, id minimè requirendum eſt, ſed ſapientia & eloquentia carnalis illam obſcurant. Igitur, &c. Cohæret argumentũ ſuperioribus per pręoccupationem. Dicerent enim Corinthij, at ſimplex illa hiſtoria opus habet exornatione, ne irrideatur à reprobis, quibus totum hoc ſtultitia eſt, reſpondet Apoſtolus, videri quidem ſtultitiã, ſed dãnatis, quod electis non poteſt obeſſe. Nec falluntur illi etiam ſuo iudicio: vt enim impij impiè de eo iudicãt, ſic electi piè ſtatuunt. Quemadmodum ſol diuerſos edit effectus, non ſanè ſuo vitio, ſed obiectæ materiæ ratione, lutum indurat, ceram emollit, quia in tales incidit naturas, illius radius per ſe bonus & vtilis: ſic Euangelium quoſdam infatuat, qui pro ſua craſſa cæcitate doctrinam fatuam dicunt, quum illi tales ſint: Alios illuminat ad vitam æternam: hi agnoſcunt in eo Dei potentiã. Potentia Dei dicitur Euangelium, ſcilicet ad ſalutẽ, quia potentes efficit, hoc eſt, ſatis inſtructos ad conſequendam ſalutem, vt habiles & capaces fiant ſalutis Chriſti beneficio: tales enim dicuntur potentes δυνάμενοι. Deinde quia robuſtos efficit, adeò vt nullus tyrannus quantũuis ferox, nulla tormẽta, quãuis atrocia, poſſint electos à confeſſione veritatis depellere. Hinc in cõfeſſoribus ſępe obſtupuerũt tyranni & carnifices, quòd in eis agnoſcerent ſingularẽ quandã potentiam, cui non poſſent reſiſtere.

Simile.

IIII. A pronuntiatis. Deo eſt odioſa & abominabilis ſapiẽtia & eloquentia humana. Igitur in miniſtro non debet reſpici. Locus eſt Eſa. 29. Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentiũ reiiciã, hoc eſt, efficiã, vt deſipiant ſapientes iſti, qui me lingua honorant, corde autẽ alieni ſunt à me. Hinc eleganter Corinthios excitat: vos illos admiramini veſtros doctores propter eloquentiã, & ſapientiã: cogitate illos de hoc numero eſſe, quos abominatur Dominus, & ceſſabit veſtra admiratio. Huc facit etiã conſequẽs locus ex Eſaię 33. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor ſeculi huius? Videtur vrgere Corinthios interrogationib. illis. q. d. reſpondete vos mihi, quo loco ſint habendi ſapientes huius mũdi. Ac adhibet Eſaiæ verba. Sapiens intelligatur politicus, hoc eſt, qui in repub. verſatur, honoribus obeundis ſeſe exercet. Scriba, doctus in Lege, quales erãt

Sapiens. Scriba. Inquiſitor.

Phariſæ

Pharisæi,hodie Theologi.Inquisitor seculi huius:Philosophus,qui omnium rerum causas rimatur, & reddit ex ipsa natura. Habes tres gradus sapientiæ humanæ, politicos, religiosos & philosophos. Et vbi sunt illi, inquit? h.e. quo loco habentur apud Deum? quanti fiunt in oculis Dei? Respondebo si nescitis, infatuauit Deus sapientiam mundi huius.h.e.hos ipsos quos magni facit mundus,Deus damnat.

5. Argumentum. Deus non solùm damnat sapientiam & eloquentiam carnalem, sed eius professores infatuat,hoc est,excęcat,vt in veris bonis nō sapiant,adeò vt fiat inutilis eorum sapientia & eloquentia ad salutem. Non igitur est tanti facienda, vt ob id scindamini inter vos.Infatuare,est infantiles reddere:vt delirent in veris bonis. Argumentum firmum est,quia fine suo frustrabitur illa sapientia,adeò vt maxima ingenia in rebus diuinis puerilia sint quod dicit alibi scriptura tradi in reprobum sensum.

6. Ab arcano Dei cōsilio,quod in omnib.donis meritò debet considerari. Cōsilium Dei autem est, stulta prædicatione Euangelij saluos facere credentes. Igitur hunc modum potius admirari debemus,quàm illam affectatā dicendi copiam,& sapientiam carnalē.Subest argumēto ratio necessitatis. Nā Deus initio proposuerat sapientiam suam, hoc est,opus cœli & terræ,sapiētiæ suæ amplissimum testimonium, & id eo fine,vt per hoc mundi theatrum ad Dei conditoris irent cognitionem, cognitúmq; ritè colerent. Id si præstitissent homines,amplissima laus sapientiæ humanæ relicta erat. Verùm tantum abest,vt eò ascenderint sapientia sua,vt in rebus conditis suam ostentationem exercuerint, nec ad supremā causam retulerint. Deum quidem agnouerunt,sed agnitum non honorarunt,vt par fuit,Rō.1.Hinc Deus ingressus est aliam viam:quia.n.prior non successit,adhibuit aliam Deus. Nam omnino ad Dei veram cognitionem homo conditus est, & ad eam perducendus aliquando. Contraria igitur suscepta est via, per stultitiam,quia sapientiæ via non successit.Stultitia dicitur,quia hominib.talis videtur,Loquitur enim scriptura de rebus,nō quales natura sunt,sed quales hominibus videntur. Cur Euangelij doctrina stultitiæ nomine vocetur.

Disce cognitionem Dei esse duplicem, vna efficax ad salutem & ad rectè viuendum. Talis est in Euangelio recondita. Altera est naturalis & philosophica,ad salutē quidem inefficax,& minimè sufficiens,ad condēnandum tamē sufficiens. Hinc philosophi damnabiles omnes,quāuis lucem Euangelij nō intellexerint. Duplex Dei cognitio. Annectitur huic argumento probatio vers.22. Quod.n.dixit per sapiētiam suam mūdum non peruenire ad veram & salutarem Dei cognitionem,hinc constat,quòd Iudæi signa petunt, Gentes verò sapientiam.Mundum,hoc est mūdanos homines,in duo genera diuidit,in Iudæos à Christo alienos,& Græcos deliros sapientes. Iudæi petunt signa,Mat.12.16.Ioan.6. Mar.8. Luc.11.Et quū passim abundarent signis,excęcati etiam his neglectis,dicebāt per principem dæmoniorum Christū expellere dæmonia. Ita iustificata est sapientia Dei à suis filiis.Porrò cur tātopere inhæserint signis illa videtur ratio, quòd Deus populū semper docuerit adhibitis miraculis,vt in Ægypto,deserto,terra Canaam,&c. Hinc assueti signis,impudenter cœperūt etiam cōtra Dei volūtatem signa postulare, vbi minimè decebat. Signa cōfirmant doctrinā Dei,ideo prius cōsideranda erat doctrina,an cum verbo Dei cōsentiret. Deinde nō petenda, nisi certi simus de volūtate Dei, vt Gedeō,Ezechias.de qua si cōstet,peccatum est illa etiam negligere. Iud.6. Es.38. Verū in causa Euangelij Iudæi abundabant signis in Christi Apostolis, vt nulla esset ratio cur his contemptis alia peterent. Græci sapiētiam quærunt, hoc est,demonstrationē.Sic in Act.17. Philosophi Athenis Paulū vt erronē contemnunt,vocātes σπερμόλογον, & idē Paulus audit:Multæ te literæ ad insaniā duxerunt. Sic Galenus in schola Christi & Mosis desiderat demōstrationes. Accedit mox ad hanc insaniā,quòd impudenter suas demonstrationes præferūt sacris quoq; axiomatis Spiritus sancti.Quod idem Galenus facit ibidem:Citius,inquit, Mosis & Christi asseclæ decedāt de sua disciplina,quàm qui sectis sunt imbuti, & consecrati medici & philosophi. Quod impudens est mendaciū:nemo enim repertus est,qui propter medicorum & philosophorum dogmata voluerit mori, aut ob illorum demonstrationes tormenta voluerit adire. Contrà pro Christi gloria (quæ stulta visa ei est doctrina,& ratione ac demonstratione etiam probabili carens) quātus est martyrum cœtus:Reperit igitur stultitia illa martyres,quum sapientia Græcorum illis destituta sit.

7. Argumentum. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: sed iisdem vocatis Iudæis pariter & Græcis, Christum Dei potentiam & Dei sapientiam.*

A contrario argumentum. Signis Iudæorum,& demonstrationib.Græcorum, quibus illorū continetur sapientia,opponit simplicitatem doctrinę Euangelij. Argumentū vim habet à simplicitate materiæ.Quælibet doctrina explicanda est,ex via quæ cōgruit suæ materiæ subiectæ. Oportet.n.docendi modum ad materiam accommodari. At materia

noſtri miniſterij eſt ſimpliciſſima, & nuda, adeò vt non admittat illam ſapientiæ & eloquentiæ grauitatem. Igitur in eo non debet requiri. Magna emphaſis eſt in aduerſatiua particula ἡμεῖς δὲ quaſi dicat, illi magna expectant, nos verò humilia proferimus. hinc fit vt eluſi reſiliant, quaſi ſua ſpe fruſtrati. Deinde recenſet diuerſos effectus huius doctrinæ. Iudæis eſt ſcandalum, quia ex Lege norunt: Maledictus omnis qui pependit in ligno. Hanc maledictionem nolunt in Meſſia agnoſcere. Hæc illa eſt offenſio, quia indignū indicāt perſonæ Meſſiæ. Græcis verò eſt ſtultitia, rident illi ſuauiter, quia per cauſas & demōſtrationes doceri volūt. Hinc Galeno res puerilis eſt viſa, Plinio, Iuliano & aliis.

Quibus ſit Chriſtus potentia.

Tertiò ſuperſunt electi ex Iudæis, & Græcis, hoc eſt, omnibus nationib. his, inquam, Chriſtus eſt Dei potentia, & ſapientia. Loquitur de vocatione efficaci, quæ eſt mentis illuſtratio, quia id quod ad animum hominis defertur, agnoſcitur pro Dei verbo: hinc accedit aſſenſus & fides. His igitur Chriſtus eſt potētia Dei, ad ſalutem ſcilicet, hoc eſt, habiles redduntur, & potentes ad bona illa conſequenda, quæ in Euangelio nobis proponuntur. Accedit deinde altera potentia Dei, hoc eſt, robur & conſtantia contra omnia, quæ potentia non poteſt eſſe hominis. Mille enim modis frangeretur, niſi diuinitus confirmaretur. Et quum dicitur Dei potentia, non ſolùm meritum tollitur, ſed magnam indicat conſolationem. Monſtrat enim quò ſit confugiendum in rebus aduerſis.

Sapientia autem Dei eſt Chriſtus, quia in rebus maximis docet ſapere in fide, religione, cultu Dei, ad vitam æternam, ad ſalutem. Hæc vera eſt ſapientia quæ rebus diuinis dedicata eſt. Sed hinc conficiamus octauum argumentum.

VIII. Non eſt requirenda ſapientia, & eloquentia carnalis, quia vera ſapientia Dei & potentia, in his ornamentis non eſt poſita, ſed in ſimplicitate potius doctrinę crucis. Itaque illa ſunt affectanda, & ſuſpicienda quæ habent illam potentiam & ſapientiam Dei reconditā. Atqui ſimplicitas ea eſt. Igitur hæc potius erat admiranda in Euangelio.

IX. Quia ſtultitia Dei ſapientior eſt hominibus, & imbecillitas Dei rubuſtior eſt quàm ſint homines. Argumētum à collatione donorum vos admiramini ſapientiam, & eloquentiam carnalem, bene eſt, huic ego oppono ſimplicitatem miniſterij, & argumentor: Potiora debetis admirari, hoc eſt, robuſtiora, & ſapientiora: at ſimplicitas illa, quam vos ſtultitiā fortè dicetis, longè ſapientior eſt, quàm illa ſapientia & eloquentia veſtrorum doctorum: etenim infirmitas Dei, hoc eſt, confitentium humilis conditio, & contemptibilis, rubuſtior eſt omnibus tyrannis, & tormentorum generibus. Itaque huc vos conuertite. Stultitia Dei & imbecillitas Dei, pro concretis accipio, vt circunciſio, & præputium, pro circunciſis Iudęis, & Gentibus præputiatis, ita hic ſtultitia & debilitas erunt homines, qui Dominum confitentur, & tamen ſtulti videntur & debiles: interim vincunt ſapientes & potentes in hoc mundo.

26. *Videtis enim vocationem veſtram, fratres, quòd non multi ſapientes ſecundum carnem non multi potentes, non multi claro genere nati: verùm quæ ſtulta erant ſecundum mundum, delegit Deus vt pudefaceret ſapientes, &c.*

Corinthij diſſidebant propter doctores, cauſa eſt, quia alij aliis eloquentiores & ſapientiores ſecundū carnem videbantur præ iis quibus adhærebant, reliquos facilè contemnebant: hinc orta factio à qua diligenter eos reuocat. Ac multis ſanè rationibus hactenus oſtendit non oportere in Chriſti miniſtro eloquentiam & ſapientiam carnalem admirari: huc faciunt etiam illa quæ iam ſequuntur. Primùm enim illorum exemplo hoc demonſtrat. Deinde finem conſilij diuini proponit, mox alium addit finem noſtri reſpectu, ne ſcilicet in viribus noſtris gloriaremur. Demum applicat vocationem vniuerſalem ad Corinthiorum exemplum, vt quos viſus erat deieciſſe, iterum erigat & confirmet certa conſolatione. De his igitur nobis reſtat explicatio.

X. Argumentum à Corinthiorum exemplo, Vos huius rei teſtes eſſe poteſtis, nam in veſtra Eccleſia pauci ſapientes, pauci potentes, pauci nobiles ſunt, ſi reliquis Corinthiis conferantur. Quod igitur Deus ſequitur in communi vocatione idem in miniſterio verbi conſiderate.

Quos vt plurimum prætereat Deus in vocatione generali.

Argumentum vim habet, quia iis, contra quos agit poteſtatem facit pronunciandi de hoc negotio. quaſi dicat, vos ipſi contrariū videtis in veſtra vocatione. Expende hîc quos Deus, vt plurimū ſoleat præterire in vocatione generali, ſcilicet, ſapiētes ſecundū carnē, hoc eſt, qui habētur carni ſapientes, potētes, qui ſuffulti ſunt amicis, opibus, fortunę donis, nobiles vel hęreditaria à maioribus illis relicta gloria, vel acquiſita propriis virtutibus. Tales erant inter Corinthios philoſophi, mercatores, ſenatores, præſides, de quorum numero, vel nullus, vel admodū pauci erant ad Chriſtum vocati. Deinde quos vt plurimū ad Chriſti cognitionē vocet. τὰ μωρὰ inquit Apoſt. hoc eſt, quæ talia vidētur mundo, nō quæ reuera apud Deū talia ſunt. Loquitur. n. Scriptura de rebus ſæpe ſecundum

dum hominum iudicium, non ſecundum veritatem rerum. Stulta autem pro concreto dixit, hoc eſt, ſtultis hominib. Tales autē dicuntur electi, quia negligāt res, quę in mundo maximi fiunt, vt priuata commoda, opes, honores, gloriam mundi, hęc & ſimilia ita contemnant, vt deſipere videantur, τὰ ἀσθενῆ iterum pro hominibus accipias debilibus, vel infirmis. Tales electi habentur, quia minimè ſuffulti ſunt amicis, potentia, opibus. Sic τὰ ἀσθενῆ electa sūt, quia humilia ſequi vidētur, qualis eſt vera pietatis profeſſio, vel quia vt plurimum pauperes ſunt, homines obſcuri, idiotę, ruſtici, de fece populi. Hactenus tria tribus oppoſuit, ſtultos ſapientibus, infirmos robuſtis, ignobiles nobilibus, addit adhuc duo epitheta, quæ totū explicant τὰ ἐξουθενημένα, & τὰ μὴ ὄντα: pios nō poterat magis deiicere apud Corinthios, vt eos reuocaret ab admiratione carnalis ſapientiæ & eloquētiæ. Ἐξουθενημένα ſunt quę paſſim cōtemnuntur, quę irridētur, naſo ſuſpenduntur, in nihilum etiam redigūtur. Vos enim formata eſt à nihilo. Ἐξουθενέω & ἐξουδενίζω, flocci facio, in nihilū redigo. Hinc ſchema ἐξουθενισμὸς, quādo res per ſummum contemptū deſcribitur. Itaq; electi duplici modo ſunt ἐξουθενημένοι: primùm, quia reiectamēta habētur in mundo, digni qui contemnantur. 1. Corinth. 4. Deinde quia omni ſtudio à reliquis hominibus opprimuntur, ac niſi diuinitus conſeruarentur, in nihilum redigerentur, indigni prorſus cenſentur honoribus, dignitatibus, magiſtratibus, ipſa vita, extorres redduntur, exules, omnibus bonis ſpoliantur, adeò vt & re & nomine coram mundo ſint ἐξουθενημένοι. Exemplo eſt ſanctorum conditio ſub turca hodie, vbi tanquam beſtiæ habentur, & inter ipſos Chriſtianos verè pij, ferro & igni damnantur.

Τὰ μὴ ὄντα, quę non ſunt, iudicio hominum, ſcilicet electi, videntur non eſſe: quia contemptu faciles ſunt, quum malum pro malo non reddant ſuis perſequutoribus bona precentur, orent pro inimicis, facile eſt tales contemnere, tanquam homines non homines. Atq; hæc in generali electione, & vocatione ad Chriſti cognitionem ornamenta, inſipientes, impotentes, ignobiles, contemptibiles, adeóque qui non ſint. Gradatio eſt quæ in ſummum deſinit contemptum, in ſummam vtilitatem, quid ergo vos contraria his admiramini? cur non hæc ipſa potius amplectimini?

XI. Argumentum, à fine conſilij Dei: non enim immeritò hîc quærat aliquis, mirabile eſt Dei conſiliū, cur eligit ignobilia, cōtempta, debilia, ſtulta? Reſpōdet Apoſtolus, ſubeſt certa ratio cur Deus hanc rationē potius ſequatur quàm aliam, illa eſt: Deus vult pudore ſuffundere ſapientes mundi, hoc eſt, illis mōſtrare quàm minimè ſapiant, quàm minimè Deus illorum ſapientia indigeat, quàm ſint homines ieiuni in negotio cœleſti, quàm imperiti in ſchola diuina. Deinde hac ſui agnitione incipiāt verè ſapere. Primus enim gradus ad veram ſapientiam, ſuiipſius cognitio. Qui putat ſe eſſe eruditum, & ſapientem, facilè omnem eruditionem, & ſapientiam contemnit, ſed qui incipiunt agnoſcere qua parte laborāt, hi demum fiunt ſoliciti de remedio. Eodē modo τὰ ἰσχυρὰ, hoc eſt, robuſta Deus vult deiicere, hoc eſt, illis oſtendere quàm ſint debiles θεόμαχοι. Quum enim potētiſſimi reprimuntur ab infantibus, quid habent de quo glorientur? Lęto animo mulieres, idiotæ accedunt tormenta, & ipſam mortem contra potētium ſentētiam, quid relinquitur laudis ipſis tyrannis? Summa, Deus per infirmitatem noſtram vult illuſtrari: potentiſſimus enim ſit oportet, qui re ineptiſſima maxima quæque demolitur, quemadmodum ſapientiſſimus eſt qui ſtultiſſimis optimè vti nouerit. Hinc iam argumētatur Apoſtolus, ſapiētia & eloquētia carnalis aboletur à Deo & confunditur per organa contēptibilia. Vos igitur Corinthij nolite ſapientiam & eloquentiam admirari in doctoribus veſtris, ſed potius ſuſpecta illa dona habete, ne fortè ſint de illo numero.

Cur eligat Deus ſtulta, contempta, ignobilia.

XII. Argumentum à fine reſpectu noſtri. Miniſterium Euangelij ſic debet adminiſtrari, vt ad Deum plurimū laudis redeat, ad homines verò minimum. Hoc autem ſi fit abſit ſapientia & eloquentia carnalis. Ergo illa non ſunt requirenda in miniſtro Chriſti. Apoſtolus dicit ne glorietur omnis caro corā ipſo, hoc eſt, ille finis eſt, vt homo non glorietur de ſua ſapientia & eloquētia coram Deo, nam quicquid nobis tribuitur glorię, id Deo detrahitur. Ideo Deus elingues miniſtros adhibuit, ne dicerēt homines, eloquentia, & ſingulari quadam ſapientia mundus adductus eſt, vt Chriſtum amplecteretur. Hinc operibus paſſim detrahit vim iuſtificandi Apoſtolus, ne quis glorietur. Eph. 2. Gloriantur tamen electi quoque, ſed in Chriſto, & de illius beneficiis. Rom. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, Philip. 3. In Chriſto Ieſu gloriamur. Manifeſta ratio eſt, cur Deus nolit ſapientes, & eloquentes adhibere miniſtros.

Finis miniſterij Dei laus & gloria.

43. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt vobis ſapientia à Deo, &c.*

Applicatio eſt qua vniuerſalē vocationē accommodat ad Corinthiorum exemplum. ἐξ αὐτοῦ. Omnes referūt ad Deū, vt ſit ſenſus, ex Deo eſtis omnes vno, qui demolitur robuſta, & cōfundit ſapiētiam humanā. Ergo nolite vos mutuò propter talia dona cōtem-

nere:sed quum obseruo ductũ orationis,video illum de generali vocatione cœpisse sermonem,versu 26.in qua quid Deus sequatur docuit, additis etiam duabus causis à fine ductis. Nũc prosapodosis requirit,vt in eodem genere fiat cõclusio.Quare non male ad similẽ modum,& simile genus vocationis referetur,vt sit sensus,vos eodem modo vocati estis, vt sapientes apud vos,& robusti, & nobiles præteriti sint:vocati verò rudes, idiotę,ignobiles,& impotẽtes.Quare non debetis sapientiã,& eloquentiã magnificare. Sed quia nullum habeo quem sequar in eo sensu:libenter priorẽ etiam amplector. Vos Corinthij omnes ex vno estis Deo,nolite igitur vos inuicem contemnere. Valet argumentum à communi causa originali.q.d. qui vnius parentis sunt filij, sese non debent odisse.Deinde addit per quid in hanc filiorum adoptionem venerint,ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.Organum enim est & mediator filius Dei, qui nos sibi cohæredes efficit, ἐν per διὰ facilè potest exponi.Tertiò bona quæ in Christo nobis sunt recondita explicat. Vnde iterum argumẽtum ducitur contra sapientiam carnalem & similes dotes, quas illi admirabantur.Christus nostra est sapientia. Ergo carnalem illam nemo admiretur, sed suam, hoc est,Christum.Quod enim carnali tribuitur,hoc Christo detrahitur,qui vera est sapientia Patris.Factus est nobis sapiẽtia,hoc est,in rem vestram ipse sapuit,pro vobis sapuit, in causam vestram, & ad salutem vestram contulit suam sapientiam.Semper enim ille sapiens fuit,quia nũquam cœpit, sed vos hoc latuit,id deprehensum est ab hominibus, quum pro vobis mortuus est, & Satanam hostem nostrum, & animarum tyrannum sapientissimè superauit. Aut factus est nobis sapientia, hoc est, datus est nobis,vt in illo nos saperemus. Quo sensu exprimitur, quod genus sapientiæ Deo placeat, id. s. quo in Deo sapimus,quia hic à Deo eo fine est nobis datus.Iustitia à Deo nobis factus est,quia in eo solo iusti habemur,reputamur illius merito iusti, non nostra aliqua dignitate, aut merito.Rom.6.Iustificati igitur fide pacem habemus apud Deum per Iesum Christum.

Christus nostra sapientia.

2. Iustitia.

Sanctificatio nobis factus est, quia regenerat, vires instaurat nouas,vt simus organa Dei,nõ Satanę,vt prius.Explicatur id ad Ephe.5.vt sanctificaret sibi Ecclesiam. Heb.13. vt sanctificaret populum per proprium sanguinem extra portas passus est, illa redẽptio & regeneratio qua aboletur Adã ille vetustus,& ornatur homo noui hominis viribus.

3. Sanctificatio.

Redemptio scilicet à pœnis æternæ mortis. Colos.1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.1.Timoth.2.qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον. & Heb.9.æternam λύτρωσιν repetit. Hæc bona in vno Christo habemus.Quare extra illum nullã sapientiam, nullam eloquentiam admirari debemus:ratio est quia Christus nobis omnia est,nedum eloquentia, sed & hanc magnificè promisit.Matth.10. In illa hora dabitur vobis quod loquamini, vt Lucæ 21.os & sapientiam suis promittit. Igitur his debemus nos finibus continere,ne quid extra Christum magnum & admiratione dignum iudicemus.

3. Redemptio.

31. *Vt (sicut scriptum est) &c.*

Claudit totam hanc disputationem de causis dissidiorum,loco scripturæ,In solo Deo gloriandum est. Igitur non in sapientia & eloquentia carnali. Locus est Ieremiæ 9. Docemur non simpliciter damnari gloriationem, sed illam solùm quæ est separata à Deo, & eius gloria, qualis est omnium rerum gloriatio quæ est extra Christum, ideo nec sapientia simpliciter,aut eloquentia per se damnantur,nisi quatenus caret sapientia crucis Christi.

CAPVT II.

Huius cap. arg.



LOcum de Euangelica simplicitate persequitur Apostolus,ostendens in ministro Christi non esse magnopere requirendam eloquentiam & sapientiam humanam. Quæ omnia eò faciunt vt ostendat fideles propter doctorum nomina non debere scindi in factiones, quod Corinthi acciderat. Porrò id quum hactenus rationibus & argumentis probarit, iam à suo exemplo idem docet. Nam ostendit qualis sua fuerit apud Corinthios conuersatio,quale docendi genus,quę habuerit impedimenta, quas occasiones sese conferendi quoque ad præsidia sapientiæ & eloquentiæ humanæ,quod tamen non fecit:hinc ad defensionem sese confert,quum Euangelij ministerium omni sapientia & eloquentia spoliasse videtur. Ideo necessaria fuit illius suspicionis præoccupatio, vt doceret in eo suam quoque esse sapientiam. Quare Euangelij sapientiam diligenter explicat,ac distinguit ab humana, ab efficiente causa,à materia subiecta, ab æternitate,ab effectis & similibus locis. Vnde satis potest perspici quanta sit Euangelicæ sapientiæ laus.

Propositio

Πρότασις ad superiorẽ debet referri,quam primo capite indicauimus, attamẽ hîc specialis est instituenda:nã suam personã hîc respicit. Sit igitur illa:Apostolus Paulus quũ posset,nõ tamen adhibuit sapientiam &eloquentiam humanam in docendo Euangelio apud

apud Corinthios,interim veræ ſapientiæ Euangelicæ non ignarus.

Partes in toto capite duę ſunt.Prior de Apoſtoli exemplo agit,quod doctorib.Corinthiorum proponit tāquam ideam, & auditorib. quaſi ſpeculum boni miniſtri.Poſterior habet illuſtrem collationem ſapientiæ Euāgelicæ cum humana.De priore nūc agemus. Partes.

1. *Et ego quum venirem ad vos,fratres,non veniebā cum eminētia ſermonis,aut ſapientiæ.*

Suo exemplo oſtenſurus eſt quomodo docendum ſit Euangelium,ideo diligēter conſiderādus eſt locus iſte. Scriptura ſæpe ad exempla nos reuocat , vt quod rationibus & Dei verbo obtinere non poteſt apud nos, vel exemplis tandem impetret.Ierem. 35. Rechabitarum exemplum Deus proponit ſuo populo malè morato. Sic Ioannis vndecimo Chriſtus ad ſuum exemplum nos inuitat,& Ioannis 3. ſuo exemplo humilitatem docet. 1.Timoth.cap.4. Timotheum iubet exemplum eſſe fidelium. Titum ſimiliter cap. 2. Fit hoc vt plurimum poſt argumentationes quibus res ſatis probata quidem eſt , ſed hominum tarditas non obſequens videtur. Ideo ad confuſionem vt plurimum faciunt exempla, vt illud Rechabitarum apud Ieremiam, Iudæos damnat. Domini Chriſti exemplum apud Ioannem Chriſtianos arguit. Præſens Pauli exemplum ad ruborem Corinthiorum facit : aliâs ad laudem , & commendationem pertinent , vt Titi & Timothei exempla omnia reſpiciunt quandam imitationem. Quomodo docendum ſit Euangelium docet ſuo exēplo Paulus.

Conſideranda autem præſentis exempli tractatio ad hunc modum. Initio aditum ſibi facit ad rem,ne ſit inuidioſum exemplum,beneuolentiam vno verbo captat,*Fratres mei*,inquit,*quum venirem ad vos*. Quo nomine concordiam ſuadet,vt ſibi ad argumentum aditū paret,decet enim fratres & concordes eſſe,& ſeſe mutuò patienter audire.

Deinde indicat , quòd in docendo non ſit ſequutus, ὑπεροχὴν λόγου καὶ σοφίας. Duo remouet à ſua docendi ratione : prius ſignificat exceſſum in affectata eloquentia. ὑπεροχὴ enim λόγου eſt exceſſus , qui in omni re vitioſus eſt. In dicendi ratione loquacitatem, aut verboſam pompam ſignificat. Alterum ὑπεροχὴ σοφίας oſtentatio eſt rerum , quæ in inuentione locū habet,&verba in tractatione nimis curioſè adhibentur. Iſta duo vitia in Eccleſia Corinthiorum regnabant,veritati Euangelicæ admiſcebantur rationes philoſophicæ , dictio erat elaborata ad Demoſthenis ideam, & hodie nonnullis in vſu eſt, vt putent nihil ſatis commodè dici,niſi idem crepet Sophocles, Ariſtophanes, & ſimiles. Illa damnant in recenti Eccleſia Apoſtolus. Ac valet argumentum ab exemplo: Paulus non docuit eo pacto.Igitur miniſtris ita docendum non eſt Euangelium.

Tertiò addit finem ſui ad ipſos aduentus. *Annuntians*,inquit, *vobis teſtimonium Dei.* Is fuit præcipuus finis , quem etiam hodie ſemper ante oculos habere oportet. Μαρτύριον autem Dei dicitur, vt μαρτύριον fidei, hoc eſt, cui fides exhibet teſtimonium. Hebr. c. 11. Teſtimonio fidei probati, quia fides illos oſtendit eſſe probatos. 2. Timoth. 1. Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri Ieſu Chriſti , hoc eſt , rem illam cui Dominus Ieſus Chriſtus dedit teſtimonium, ſcilicet Euangelium : ſic teſtimonium Dei intelligo ipſam rem, cui Deus dedit teſtimonium , quæ eſt veritas Euangelica , vel teſtimonium Dei , cui nos debemus teſtimonium exhibere. Sic 1.Timoth.6. de Chriſto, Fidele teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato. Summa tamen eodem recidit, Simpliciter intelligit doctrinam Euangelicam , quæ à Deo habet teſtimonium veritatis & ab hominibus idē ambit.Hinc Martyres dicti,qui ſanguine proprio hoc teſtati ſunt.Valet argumentum exempli,addita præcipua cauſa finali.Paulus ſolùm reſpexit in docendo veritatem Euangelicam,reliquum ornatum omnem neglexit.Ergo miniſtris idem eſt faciendum. Quid per Dei teſtimoniū intelligendum.

Quartò accedit αἰτιολογία à conſilio Pauli. *Non enim indicaui quicquam me ſcire inter vos,niſi Ieſum Chriſtum,& hunc crucifixum*,hoc eſt,non ſtudui aliis rebus,non adhibui alia,ſed permiſſi os meum ſimpliciter organum Spiritui ſancto.Primùm hinc confirmari poteſt, Paulum aliis præſidiis non fuiſſe deſtitutum, hoc eſt,eloquentia, & ſapientia humana potuiſſe cauſam ſuam agere, ſed noluiſſe propter gloriam Chriſti, quæ qualia, & quanta ſint,conciones illius in Actis, & epiſtolæ teſtantur. Deinde commendabilis eſt illius humilitas, qui inter Corinthios ſic verſetur tāquam vnus de numero non ſeſe extulit. Tertiò , vt ad modeſtiam magis reuocet, crucis iterum meminit , ac valet hic quoque argumentum. Genus dicendi oportet accommodari materiæ ſubiectæ , at noſtræ profeſſionis materia eſt humilis , ipſa ſcilicet crux Chriſti. Ergo oportet ſine affectata eloquentia,& ſapientia humana proponi per miniſtros.

Quinto loco ſubnectit αὔξησιν ab impedimētis quæ illū ab illa ſimplicitate potuiſſent meritò reuocare ad præſidia rationis humanę.Qua in re ſingularē prodit cōſtantiā.Tria autem commemorat, infirmitatem:ἀσθένεια effectus eſt periculorū,ſignificās perſequutiones,minas,odia,& quicquid in ipſum dirigebatur periculorū,faciebāt ad illius debilitatem.In his tamē gloriatur.2.Cor.11.& 12.tātùm abeſt vt his ceſſerit.φόβος metus eſt. 4. Metus.

Metus animi est, imminētis mali opinio. Metus Paulū infirmū sæpè reddidit, nō tamen euertit: sed metus hic sumatur nō tam pro cura declinādi pericula, quàm cura cōplēdi munus suum, vt sit sensus: In metu fui apud vos, nō quòd a Deo quid mali metuerē, sed vt cōmodè officium facerē, ne quid deessem muneri meo, vt metuunt filij parentes, non quòd putēt se eiiciēdos ex familia, sed ne displiceāt patri, ne quid in officio minus rectè expediant, Τρόμος corporis est horror. Nam metus si percellat animum, tum se in corpus etiā diffundit. Inde horror & concussio mēbrorū. Ac mirifica est gradatio Apostoli, sermo cum rebus crescit, quo significat nō fuisse leuia pericula sibi apud Corinthios proposita. Valet etiam hic argumentum. Apostolus in summis tentationibus nō confugit ad præsidia rationis humanæ. Ergo multò minùs debebant hoc facere Corinthiorum ministri vtpote extra tantas occasiones positi. Vehementer eos accusat his argumētis.

3. Tremor.

Sextò colligit argumēti conclusionem. *Sermo igitur meus, & prædicatio mea nō fuit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus, & potentiæ.* Quasi dicat fucato & ritè cōposito sermone non sum vsus. Καὶ intelligo hic συμπερασματικῶς: videtur enim redire ad principiū, ac concludere exempli sui argumētum. Remouet iterum quæ initio remouit, πειθοῖς λόγοις, hoc est, probabile dicendi genus. Dicitur πιθανὸν, ἔνδοξον, quod speciē habet veri, siue tale sit, siue minus. Quo genere oratores abūdant, & philosophia tota plura habet πιθανὰ quàm ἀποδεικτικά: illa diligēter vitauit Apostolus, innuēs doctores Corinthiorū illa non perinde horrescere: imò omnibus modis illa cōportare & conquirere. Sic simplicitas Euangelij maculatur sapientia humana. Paria autem paribus refert, λόγοι, hoc est, genus dicendi non habet λόγους πειθανοὺς. Κήρυγμα autem, hoc est, concionum materia non habuit ἀνθρωπίνην σοφίαν: illud eloquutionis, hoc inuentionis & collocationis esse poterāt. Mox addit θέσιν, hoc est, quibus rebus sit innixus: demonstrationi Spiritus & potentiæ. Ἀπόδειξις probabili opponitur, q. d. non vana sum sequutus, sed firmissima. Sed ne philosophicam cogitares ἀπόδειξιν, remouet suspicionem quatuor differentiis, Spiritus est & potentiæ illa apodixis, hoc est, scripturæ & miraculorum, vel apodixis specialis, hoc est, quæ vim latenter infundit cum abiectio dicendi genere, vt Stephanus in Actis 7. docet, vt disrumpantur illorum cordibus aduersarij. Hac erat vis Spiritus sancti efficaciter operantis in oratione humili per se. Talia sunt quæ Nicephorus refert lib. 8. cap. 15. de Spiridone Episcopo, qui simplici oratione argutissimum philosophum & dialecticum conuertit, & Alexander episcopus Constantinopoleos in alio quodam philosopho simile edidit specimen.

Potentiæ demonstratio.

Potentiæ autem demonstratio est signorum, hoc est, quòd Apostolus Paulus non solùm inter docendum cooperatorem habuit Spiritum sanctum, qui animos mouit: sed etiam quoties res poscebat, miraculis illustribus doctrinam confirmare potuit: cuius rei exempla extant in Actis.

Septimò conclusionem nouo argumento astruit, quod à causa finali sumit. Significat enim quo consilio se totum Spiritui tradiderit, nec sapientiam & eloquentiam humanam coniunxerit: ratio est, ne illorum fides debili fundamento superstrueretur. Si enim adhibitæ essent, dixissent: Ecce Paulus eloquentissimus & sapientissimus vos conuertit: totum hoc opus eloquentiæ & sapientiæ fuisset attributum, omnia eloquentiæ & sapientiæ obediunt, hoc fuisset fidei fundamentū, sed debile. Nunc quum simplicitas sit seruata, & tamen eos conuerterit, quid dicent? non habent quò referāt opus cōuersionis, nisi ad solam Dei potentiam. Hic igitur Apostoli finis erat, huc perducere Corinthios, vt veram fidei causam discerent. Et nos discamus fidem ortum non ducere ex sapientia humana, ideóque ex nullis operibus: sed solius Dei potentia nobis infundi, &c.

6. Sapientiam verò loquimur inter perfectos, sapientiam autem non seculi huius, neque principum seculi huius, qui abolentur. Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, &c.

Altera pars sequitur huius capitis, in qua de vera sapiētia Euāgelij differit. Cohęrent ista superiorib. per præoccupationē. Visus est.n. hactenus ita impugnasse sapientiā humanam, vt ne Euangelio quidem vllā reliquerit, ideo necessaria fuit defensio causæ, sapientiam nō omnem abesse à veritatis doctrina, sed culpabilem solùm: & contrà Euangeliū stultitiā esse, non tam sua natura quàm hominū opinione, malè & corruptè iudicātium de vera pietate. Locus totus ad differētiarū inquisitionem pertinet. Duas n. sapientiæ species distinguit. 1. Humana sapiētia Deum nō agnoscit. 2. sibi omnia tribuit. 3. omnia permittit. 4. quæ suo ingenio inuestigare, & percipere nō potest ea repudiat, irridet, & contemnit. 5. seipsam & sua admiratur, vt facilè Dei locum sibi assumat. 6. Oritur etiam cum suis principiis ex lumine naturæ, ideo huc omnia refert, vt naturæ principiis respondeāt: 7. omnia etiam ad huius vitę conseruationem confert, vt hic bene & feliciter degat, in futurum parum attēta, nisi vt gloriā & nominis immortalitatē posteris re

Duæ sapiētię species. Humanæ.

ris relinquat. Genere orationis pomposo,& splendido libenter vtitur,quia rebus admirationem conciliat splendor orationis apud malos etiam. Hæc à vera sapientia longè sunt alienissima. 1.Deum vnicè colit & agnoscit. 2.Omnia ad illum,vt causam primariã libenter refert. 3. Modum etiam statuit speculationibus, nec sibi quiduis licere nouit. 4.multa incognita habet,de quibus,salua pietate,dicere potest,Deus nouit,ego nescio. 5.se totam quoque abnegat,&ad pedes Christi prosternit.6.ortum ducit ex verbo Dei, cui per fidem innititur.7.Caduca hæc omnia contemnit præ gloria filiorum Dei in cœlis,ad quam semper respicit.8.Sermonis genere vulgari vtitur,intelligi illi satis est, cõtenta doceri,fucum orationis data opera negligit,vt locum habeat potentia Dei.His& similibus modis differt, interim habet etiam multa communia cum humana sapientia, vt quòd vtraque certa colligit ex suis causis præcedentibus : quòd vtraque argumentis vtitur,& argumenta aptè disponit ad suum institutum , verbis etiam appositis vtraque vtitur diuerso licet modo:firma est vtraque quoque in suo proposito, vt non facilè cedat,sed in differentiis res melius perspici potest. Diuina sapientia.

Membra duo habet hic locus. Prius est de veræ sapientiæ proprietatibus, quibus ab humana separatur, posterius de genere dicendi, quo solet vti.De vtroque iam Apostolum audiamus dicentem.

1. *Sapientiam loquimur inter perfectos,&c.*

Ὑποφορὰ est Euangelicæ doctrinæ asserens etiam suam sapientiã.Hanc suis ornat virtutibus.Est autem sapientia hæc facultas Spiritus sancti , verè cognoscendi Christum, & ritè docendi Euangelium.

Differt hæc ab humana,primùm auditoribus, quia est perfectorũ:τελείους enim vocat Christianos fideles,qui τέλειοι dicuntur, non quòd tales hìc sint, sed quia ad illam aspirant. Perfectio illorum est vita ęterna:in illa enim absoluti erunt,hìc autem in eius pro fessione viuunt,ac alius alio longius progreditur in ea perfectione,gradus enim quosdã admittit. Deinde Christus nos ad perfectionem hortatur Matth. 5. Quod igitur & esse cupimus,& futuri sumus , & iubemur, hoc dicimur, bona spe nos ad id aliquando peruenturos:Philip.3. Non quòd perfectus iam sim,sed quia sector si quando apprehendã, quatenus apprehensus sum à Christo Iesu.Et mox:quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus.Inter perfectos igitur locum habetEuangelij sapientia,hoc est,inter fideles, nec eos etiam omnes,sed qui censibus defæcatis sunt prędití & synceriùs iam iudicant. Quod Corinthij non faciebant,nam mox cap.3.negat Apostolus quòd illis potuerit spiritualia,hoc est sapientiam hanc loqui:lacte cibauit eos,non solido cibo,significans eos affectibus,adhuc multum indulsisse:ideo rectè Erasmus affirmat Apostolum absolutiori genere docendi apud perfectiores vsum fuisse.Sed est huius loci alius quoque sensus. Loquimur,inquit,sapientiam in perfectis ἐν τελείοις hoc est sapientiam perfectã,vt non ad auditores, sed ad naturam sapientiæ referatur , tum commendatio erit à natura rei, quasi dicat, eo differt Euangelij sapientia ab humana, quia est perfectarum rerum , vel agit de rebus perfectis , & modis omnibus absolutis. vt de vera cognitione Dei,de beneficiis Christi, de modo iustificandi, de vita æterna. Hos & similes locos nusquam reperias explicatos in humana sapientia,adeò vt illa sit imperfecta,nostra autẽ perfecta. In quibus differat sapientia diuina ab humana.1.

Secundò causis efficientibus differunt,Nostra sapientiaDei est,hoc est,authore Deo patefacta:humana autem huius mundi est,hoc est,à mundi sapientibus,philosophis, & oratoribus inducta:ideo mox addit,Nec principum mũdi huius. Principes mundi sunt, qui mũdum,hoc est, cœtus mortalium regunt.Tales sunt politici homines,philosophi, oratores, iurisperiti, causidici,potentes,& diuites : illi suam habent sapientiam de gubernandis respubl.de rerum causis,de pœnis,delictis,contractibus,&c. 2.

Tertiò,quia humana sapientia corruptibilium est τῶν καταργουμένων,id quidem de principibus mundi prædicatur, quia & ipsi interituri declarant suam sapientiam nihilo esse meliorem.Interim colligi potest subiecto nõ parum differre has duas sapientiæ species. Euangelica vt à Deo oritur , sic æterna est , & de rebus æternis philosophatur : contrà mundana de caducis,vt in prima differentia dictum est. 3.

Quartò quia nostra sapiẽtia mysteria habet,in mysterio proponitur. Mundana nulla habet mysteria ad quæ vlterius subducat suos auditores, sed in traditis permanet. Primùm.n.mũdo videtur prorsus paradoxa veritas Euangelij:sed sub illa ignominia,&vtilitate habet lõgè augustissimas res,&rebus annexas promissiones.Deinde initia sua hic solũ habet,nec.n.perfectè hic discitur illa cœlestis sapientia,sed per speculũ,&ęnigma, in Schola cœlesti olim res ipsas contemplabimur,quales sunt 1.Cor.15.Tertiò sacramen ta ipsa doctrinæ nostræ mysticè sunt instituta,vt aliud sensibus externis proponãt,aliud autẽ animis credentiũ offerant. Sic Baptismus,ita cœna Domini,sic doctrina Christia- 4.

na multa habet mysteria,quæ sapientibus loquitur scriptura.
5 Quintò abscondita est,scilicet mundo,nam electis patet, vt mox dicet.q.d.ad solos electos hæc spectat,ideo rarum est bonum.Rara autem chara dicuntur,ideo hęc pretiosior est,quantò rarior,mundi sapientes omnes suam capiunt,hanc minimè.
6 Sextò,hæc ab ęterno prædestinata est.Duratione igitur plurimum discrepant. Euangelij æterna est, nunquam cœpit, nunquam desinet.Deinde singulari Dei consilio conseruata est electis.Illa verò & cœpit,& desinet,& popularis est,mundo exposita.
7 Septimò ab vsu. Hæc ad gloriam sanctorum facit:illa minimè,vel,hæc nobis gloriosa est,illa verò mundo,sed nostra vera est gloria : illa fucata solùm.Gloria est ornamentum hoc loco & habere res raras & pretiosas gloriosum dicitur.
8 Octauò ignota est mundo,& adeò,vt nemo etiam ex principibus mundi illam cognorit,hoc est,philosophos acutissimos latuit.Ignorauit illā Plato, Aristoteles,Cicero,Demosthenes,&c. At ad Rom.1.primò cognouisseDeum dicuntur.Resp. Verum quidē hoc est,sed sapientiam Dei,hoc est, Christum,& religionem Christianam non cognouerūt. Deinde est duplex Dei cognitio. Vna est ad salutem sufficiens,hanc nulli habuerunt sapientes mundi,sed est electorum,vt hic dicitur. Altera verò ad salutem quidem nō sufficiens,sufficiens tamen ad damnationem.De hac loquitur ad Rom.1.&hanc non negat in præsentia,sed illam viuificam sapientiam Dei, hoc est, Christi cognitionem non habuêre. Hinc addit hic : *Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent*, hoc est,si iustificante cognitione fuissent præditi,hoc vtique non fecissent:at fecerunt.Ergo,&c.

Obiectio. Respon. Duplex Dei cognitio.

Dominus glorię dicitur gloriosus Christus,vt Act.7.Stephanus inquit,Deus glorię apparuit patribus nostris,hoc est gloriosus Deus. Deinde idiomata communicat toti personæ. Mori enim solius humanæ est naturæ, sic crucifigi. Attamen non dubitat de tota persona prædicare id quòd vnius solùm est naturæ.

Idiomatū communicatio.

9 Nonò , ab authoritate scripturæ proprietatem euangelicæ sapientiæ confirmat. Locus est Esa.64. Summa est,ineffabilia bona complectitur hæc nostra.Mundana verò effabilia,doceri & disci humanitus possunt,quę cadunt in sapientem huius mundi:at Dei sapientia nec doceri,nec disci humanitus potest,sed est τῶν ἀῤῥήτων.
10 10. *Nobis autem Deus reuelauit*.Præoccupatione rem minuit : quia enim dixerat sapientiam istam absconditam esse mundo , adeò vt nec disci oculari demōstratione posset,nec auscultando intelligi,nec meditando apprehendi,quia ergo,diceret quis : vnde ergo tibi,& aliis quos perfectos dicis? si nullo modo percipi potest,ergo nec abs te percipi potuit.Respondet igitur de patefactione,quasi dicat,est donumSpiritus sancti,quo authore nos illam habemus. Est igitur decima hæc differentia , quia mundana non est donum Spiritus sancti : Hæc autem talis est. Pertinet locus ad præstantiam doctrinæ, quia caro & sanguis illam non patefecit. Ioann.1. Matth.16. Sed dices quomodo potuit Spiritus illam patefacere? Respondet,facilè,quia omnia scrutatur,hoc est,omnium rerum,quarum cognitio haberi potest indagator est,adeò vt profunda Dei scrutetur,non quia lateant illum, aut actione id faciat:sed quia in illa adyta nos perducit,scrutari nos facit,interpellat,hoc est, nos ad interpellandum excitat.

11. *Quis enim hominum nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis,qui est in eo? Sic ea quæ Dei sunt nemo nouit nisi spiritus Dei.*

Argumentatur à simili. Quemadmodum hominis cogitationes nemo potest patefacere,nisi spiritus hominis:sic Dei sapientiam nemo aperit,nisi spiritus Dei, vel vt à minori ducatur. Spiritus hominis solus nouit hominis cogitationes. Ergo multò magis, Dei cogitationes solus Dei spiritus nouit,ideóque solus patefacit.

Nos verò non spiritum mundi accepimus sed,&c.

Assumptio est minoris , addita causa finali. ostendit enim simul ad quid acceperimus spiritum Dei,vt scilicet sciremus donaDei,nobis gratuitò collata,vt quod ad illius cōditi imaginem,quòd eadem perdita per filium suum sit restituta, gratiæ amissæ nos etiā restituerit,sacramentis nouis gratiam suam confirmarit : spe vitæ æternæ nos consoletur & similia,quæ solus dictat Spiritus sanctus,nulla autem sapientia humana.

13. *Quæ & loquimur non sermonibus,quos docet humana sapientia,sed quos docet spiritus sanctus spiritualia spiritualibus adaptantes.*

Alterū est membrū de genere docendi quo vtitur vera sapientia.Hactenus enim discrimen indicauit in rebus ipsis.Nunc genera dicendi quoque distinguit.Summa est,genus dicendi rebus subiectis debet congruere: at hic omnia spiritualia sunt,ergo genus dicēdi etiam spirituale esse debet.Διδακτὸν dicitur aptum vt doceri possit, ferè idē quod πέφυκε,hoc est,quod sua natura sic accommodum est.Id mox cadit in duo genera. Aliud est humanæ sapientiæ διδακτὸν, quòd non debet transferri ad hanc euangelij sapientiā, in quo

in quo peccabant doctores Corinthiorum. Aliud est διδακτὸν Spiritus sancti, hoc est, modus & genus docendi: quo illi placet vti, hoc populare est. Συγκρίνοντες, alij aliter explicat, vel ex principiis spiritualibus fide cognitis in sermonus collectionem, quæ regitur vi Spiritus sancti: vel spiritualib. rebus spirituales adhibentes phrases: arcanis Dei, simplex genus dicendi: vel spiritualibus auditoribus, hoc est, fidelibus spiritualia proponentes. Attamen respicit Apostolus ad quandam analogiam, quum seruit in tractandis Dei mysteriis, quæ fit inter res, & verba eloquendi.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Dei Spiritus, &c.) A contrario rem illustrat, q.d. adeò peculiare nobis est dicendi genus, vt mũdus hoc non intelligat, imò pro stultitia iudicet. Animalis ψυχικὸς dicitur caro, & sanguis, hoc est, ratio naturalis, quę sapit, & intelligit in homine secũdum lumen naturæ, extra Christum: sic infrà 15. vers. 44. Ad Rom. 8. Hęc ratio, inquam, sine Christo doctrinam cœlestem non agnoscit, quod Apostolus per metaphorã dixit οὐ δέχεται, hoc est, nõ capit, quasi dicat, angustior est, quàm vt tantam maiestatem rerum possit capere. Vas capit humorem, sed superfluum non capit, quia minus est illi spatium pro tanta copia: sic ratio humana non capit sublimitatẽ illam, & quia non potest capere, incipit irridere, & contemnere. Hinc illa stultitia Euangelij, non ex rei natura, sed opinione mundi male iudicantis de rebus ignotis suę rationi. Et ratio est, quia instrumento iudicandi, hoc est spiritu Dei caret. Omnia enim suis propriis κριτηρίοις debent iudicari, his mundus caret. Nõ ergo mirũ si erret in iudicãdo. Animalis homo.

15. *At Spiritualis diiudicat quidem omnia, ipse vero à nemine diiudicatur.* Indicat ad quem pertinet iudicium de vera sapientia, ad eum qui illius possideat organũ, is est spiritualis, hoc est, homo renatus in Christo, qui præceptore vsus est Spiritu sancto, is iudicat omnia. Ergóne Medica, Physica, Politica, Astronomica, & similia. Minime, sed πάντα referatur ad subiectum præsens, scilicet, omnia spiritualia vel omnem sapientiam hanc Euangelicam & ei subiectas quæstiones, has omnes spiritualis potest determinare multò rectiùs & breuiùs quàm faciant omnes scholę & doctores Seraphici. Deinde a nemine diiudicatur hic iudex, quid audio, erit ne igitur supra omnium iudicia? Non. sed iudicatur quidem, sed à solis spiritum Christi habentibus: à nullo igitur iudicatur scilicet spiritu Christi carente, q.d. sancti à sanctis agnoscuntur, fideles à fidelibus iudicantur: ab impiis quoque iudicantur, sed malo iudicio. Damnantur ad carnificinas, ad mortem. Id non negat hic Apostolus, sed indicat ad quos spectet verum de electis iudicium. Quo sensu dicatur spiritualis omnia diiudicare.

16. *Quis enim nouit mentem Domini?* Ab impossibili argumentum est, quasi dicat, si quis alius de his rebus iudicare posset, hunc Deo superiorem esse oporteret: At nemo talis est: Itaque nemo de his iudicare potest, excepto spirituali, qui Spiritu Dei, de sapientia Dei optime iudicat: ratio est, quia solus verum habet κριτήριον: alij omnes eo destituti sunt. Locũ adducit ex Esa. 40. quem suprà ad Rom. 11. ver. 34. habuimus: vbi ostendit rerum diuinarum profunditatem humanæ rationi esse imperscrutabilem. Quod etiam hic docet. Idem sup. 9. cap. 13. vers. Quis hominum scire potest consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus. Corpus enim quod corruptibile est, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, vt difficulter æstimemus illa quæ in terra sunt & quæ in prospectu cum labore inuenimus. Quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? sensum autem tuum Domine, quis sciet? nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis, &c.

Nos autẽ mentem Christi habemus. Assumptio est minoris hoc pacto, Nemo de sapientia Euãgelica iudicare potest, nisi Spiritu sancto imbutus: sed nos illũ habemus, & quidẽ soli. Ergo nos soli de hoc iudicare possumus. Mẽs Christi est Spiritus sanctus, Ioan. 16. &c.

CAPVT III.



Vangelicæ doctrinæ suam asseruit & sapientiam, & eloquentiam, quæ tamẽ à mundana modis omnibus differat. Nunc pergit causam applicare Corinthiis, docétque quales illi fuerint auditores Paulo primùm apud eos docente: quales etiam nunc sint, hoc est, infantes, & carnales in tota cœlesti sapientia, quos Apostolus singulari dexteritate humili genere docendi in veritatis cognitionem perduxit. Hinc personas ministrorum quoque expendit, vt constet quantum illis iure tribui possit, & quomodo modum in eo excedant Corinthij. Aliud enim Dei hic proprium est, aliud ministrorum, his non nimium tribuendum, Deum verò in omnium laboribus efficacem agnoscendum, eadem occasione, de se suísque laboribus pronunciat, damnans eorum labores, qui fundamento à se structo, non probe insistunt. Tandem ad Corinthiorum personam redit, locum hunc concludens suaui gradatione, &c. Argum.

Diuisio. Partes quatuor sunt. Prima de Corinthiorum persona. Altera de ministris. Tertia de se suisque laboribus, quorum exemplo duci poterant successores eius. Quarta iterum de Corinthiis quorum aliquas virtutes repetit, cum insectatione malorum doctorum.

Propositio. Propositio omnium illa sit, Ministris Ecclesiæ diligenter videndum, non quid suę expediat gloriæ, sed quid auditorum ruditas, & fundamentum doctrinæ Christianæ postulet. Hoc non obseruarunt pseudodoctores, ideo ad suum exemplum eos reuocat, auditores verò ad propriam infantiam.

1. *Et ego, fratres, non potui loqui vobis.* Reprehensionem emollit familiari compellatione. Fratres, inquit, non potui vobis loqui, vt spiritualibus. Impossibilitas conditionis fuit. Alioquin si gloriam, & pompam venari voluisset Apostolus, poterat grandia detonare, sed quia ad finem ædificationis respexit, dicitur non potuisse, quod aliter noluit facere. Et robustum est argumentum ab exemplo boni doctoris. Paulus non respexit gloriam in docendo, sed quid illorum ferret infantia. Ergo reliquis idem obseruandum. Ita capite 2. initio suum adduxit exemplum, quòd non venerit cum eminentia sermonis. Hic illius reddit rationem, quia capaces non fuerint. Carnales & infantes fuistis, itaque debui me vobis accommodare, vt non quantum ego possem, sed quantum vos caperetis, considerarem. Duo autem Corinthiis impingit, carnales fuisse, & stultos. Carnales dicuntur quia carnalia studia sectabantur, ebrietatem, scortationem, luxum, & similia, quæ opera sunt carnis, vt mox docebit. Interim fuerunt etiam partim spirituales, quod tamen illis detrahit, sed capite primo laudes eorum cecinit, & idem faciet aliàs: attamē in multis carnis affectus prodebant. Vtrumque igitur fuerunt, sed diuerso respectu. Deinde non omnes his vitiis laborabant, quia tamen ad totum cœtum respicit, à parte vna omnes compellat: nam traducere speciatim non conueniebat.

I. Obseruandum igitur in taxandis vitiis non prodesse semper nominatim perstringere authores: sed consultiùs esse generatim totum cœtum admonere. Deinde infantes dicuntur, hoc est, stulti imprudentes. Nam νήπιος hic non ad ætatem pertinet, sed ad iudicij debilitatem. Propriè νήπιος dicitur infans, qui fari non potest, & ob id ratione non pollet: sic νήπιος dicitur sensu adultus, homo stolidus, qui iudicio in re quapiam destituitur. Tales Corinthij erant in causa Euangelij iudicanda: infrà cap. 13. ver. 11. de se prædicat hoc Apostolus, cùm essem νήπιος, vt puer loquebar, vt puer sentiebam, vt puer cogitabam, & iam factus vir aboleui puerilia, Eph. 4. ver. 14. ad iudicij infirmitatem retulit: Ne amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ. Nos hîc consideremus Ecclesiam semper habere suos nęuos, vt vt bene videatur reformata: puras quidem manus debemus tollere omnes, & mysterium fidei in pura conscientia retinere: attamen Ecclesia agnoscit in his terris suā infantiā, & si illa non videatur agnoscere, ministrorum est eandem patefacere, & diligenter inculcare: qua parte carnalis & infans sit. Prouerb. 20. Quis potest dicere mundū est cor meum, & purus sum à peccato?

Quis dici debeat infans.

1. Tim. 2. & 3.

2. *Sed lacte alui vos, non cibo solido. Non enim poteratis, imò ne nunc quidē potestis ferre.*

Expositio. Ἔκθεσις est quomodo sint infantes, & quomodo illis sit locutus non spiritualia. Metaphora lactis, & cibi solidi commendat simplex docendi genus. Nutrices enim in hac re diligentes sunt, vt infantes non alio, quàm lactis alimento nutriant. Sic lac vobis præbui, hoc est apertiora, & faciliora Christianismi præcepta. Similis est vocis vsus 1. Pet. 2. v. 2. vt modò nati infantes lac rationale, & doli nescium appetite, vt in eo adolescatis: Contrà solidus cibus significat intempestiuam docendi grandia rationem, quod solent vt plurimum qui gloriam affectant.

Duplex in tradenda pietate ratio. Disce igitur duplicem esse in pietate tradenda rationem: priorem, quę sese accommodat ruditati, & facilia initio docet, hoc est, à generalioribus ad magis specialia descendit. Volumus enim semper per notiora duci, quod obseruarunt etiam philosophi. Alteram esse huic contrariam quæ non habito auditorum respectu grandia crepat. Priorem sequutus est Christus, Paulus hoc loco, omnes boni doctores. Hodie catechismis illa traduntur. Posterior propria est falsis doctoribus. Deinde disce boni doctoris hanc esse prudentiam, vt respiciat captum suorum auditorum. Hinc Christus prudenti dispensatori confert, Matth. 13. vers. 52. Medici solent id diligēter obseruare, ne cuiuis ætati quęlibet propinent pharmaca: sed quid ętas, quid sexus, quid vires ferre possint, expendere.

Sed magna quoque spes rectè docentes hîc erigit, vt enim nutrix magna spe lactat, quia mox adolescet: sic conandum vt proficiamus, & à lacte ad solidiora fiat progressus. Semen enim Dei initio semen quidem est, sed mox herbę confertur, inde culmis, aristis, vnde tandem manipulorum fructus.

Porrò ad rem pręsentem hinc paratur alterum argumentum. Vos Corinthij estis νήπιοι, & carnales, Ergo iudiciū de vera Dei sapiētia nolite vobis sumere: stultus de sapiētia nun

tia nunquam recte iudicat: vos estis tales, ergo, &c.

3. *Adhuc enim carnales estis.*

Carnales & infantes dixit, ideóque illis iudicium de vera Dei sapientia non concessit. Nunc probat quod dixerat: sumit argumétum à consequentibus seu effectis, vbi fructus sunt carnis, ibi carnales oportet esse homines, at apud vos illius sunt fructus scilicet æmulatio, contentio, factiones. Quid igitur sequitur, nisi vos esse carnales? ζῆλος hic in malam partem sumitur, pro contentione de dominatu, de præcellentia, quis plures habeat sectatores. Ἔρις contentio, vel rixa de rebus non necessariis, vt cibo, & potu, prærogatiua donorum. Διχοστασίαι factiones, vbi populus scinditur in partes & parum abest quin ad manus & arma descendatur. Itaque infert: nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis. Synonyma sunt pro affectibus indulgere. Tales sunt vel palam impij, adeóque alieni à Christo, quò pertinet ψυχικὸς homo cap. 2. Rom. 8. qui in carne sunt Deo placere non possunt. Eph. 2. desideria carnis dicuntur. Gal. 5. vel pij, imbecillitate tamen laborantes. talis etiam apostolus Rom. 7. Ego carnalis sum, &c.

Vers. 4. Alia ratio quòd sint carnales, & infantes in hoc negotio. Sumitur illa à præsenti statu, & habet vim à confessis. Quia dicitis ita inter vos: Ego sum Pauli, alius, ego sum Cephæ, tertius ego sum Apolli: at hæ voces carnalium sunt, & nimis infantiliter iudicantium, ideo interrogatione eos vrget. Nónne carnales estis?

Obserua boni ministri esse, etiam suo nomine instituta dissidia non ferre. Ideo Paulus nec suo parcit nomini, vt intelligant quàm iniquè ferat dissidia.

5. *Quis igitur est Paulus?)*

Hactenus personam Corinthiorum modestè obiurgauit, monstrans procul abesse à vera sapientia. Nunc ad personam doctorum etiam transit. Scopus est, non nimium admirandos propter eloquentiam, & sapientiam: sed moderatè de illis sentiendum, & officij ratio hoc admittit. Videntur autem superioribus cohærere per præoccupationé. Nã excipere poterant. Ecce tu Paule, cùm sis ipse minister, ministris & ministerio nihil tribuis, imò detrahis quantũ potes, quid alij de illis sentient cùm abs te deprimi videant, imò quodam grauiori odio? Respondet, nihil tale ago, sed volo moderatè vos de omnibus nobis sentire. Et ipsa interrogatio extenuationem habet personarum. Quis igitur est Paulus? Aut quis Apollos? hoc est, non tanti sunt faciendi, quanti vos eos facitis vt ex illorũ nominibus sectas instituatis: hoc sane nimiũ est personis tribuere. Iterũ hic argumentũ exempli est: Paulus repudiat nimiam sui admirationem: Igitur omnes ministri ad illius exemplum, nimiũ sui studium debent damnare. Deinde extenuationi subijcit verã ministerij dignitatẽ, q. d. nescitis quo loco ministros debeatis habere, semideos efficitis, id nimiũ est. Ecce verũ edisserã, hic sufficiens nobis honor est, si cognoueritis ministros Dei. Diaconos autẽ decet superiorẽ agnoscere Dominũ, nec ministris deferendũ, quod Domini est. Doctores oẽs ministri sunt. Igitur nolite nimiũ eos admirari. Maxima autẽ laus est, quia organa sunt per quæ audimus, hoc est, horũ opera Deus vti voluit vt noluerit hominem, sine homine seruare: mediis autem causis non adscribenda est dignitas supremæ causæ. Deinde illi solum dispensant, quod à Domino acceperunt. Ergo de his non est sublimius iudicandũ. Vel potest etiã hic esse sensus. Singuli etiã de vobis credant solũ, nõ quantũ offert minister docendo, sed quãtũ cõcedit Dominus. Itaq; Domino nõ ministro laus deferẽda, quia is fidẽ nõ dat, solũ docet, & infinita interdũ, aut certè multa, ex quibus solũ capis quod cõcedit Dominus, ita ad modestiã modestissimè illos reuocat. Tertiò à suo speciali exẽplo, quia. n. nomẽ suũ & Apolli inter sectas circũferebatur, libẽter his præ cæteris vtitur. Ego plãtaui, hoc est, initia posui, quia primus vester doctor fui: Apollus verò rigauit, hoc est, bene positam doctrinã illustrauit, & auxit. At quid illud? nondum habes authorem incremẽti, hic Deus est. Quid ergo vos admiramini? conuerte te ad Deum. Voces à re rustica petitæ sunt illustres, plantare, & rigare, sed quid illa nisi accedat fœcunditas? Quartò, ministri nihil sunt. Ergo non nimiũ admirandi. Non sunt aliquid sc. respectu Dei in suo ministerio, quia non se vocarunt, non suam causam agunt, non possunt dare fidem. Destituti Spiritu Domini frustraneus est omnino illorum labor. Quintò, vnum sunt plantator, & rigator, hoc est, concordes Paulus & Apollos. Igitur non decet vos illorum nominibus factiones instituere. Aut vnũ sunt fine, consilio, causa efficiente, impellente spiritu, ac similibus causis, vt nulla sit ratio dissidia hinc mouendi. Potest etiã hic esse sensus. Vnũ sunt, hoc est, videri volũt vnum esse omnes doctores etiam vestri, qui iam plantãt & rigant apud vos, sed probè videant, vt res ita habeat. Quò facit ratio mox adiecta à comminatione: sed quisque propriam mercedem accipiet, secũdum proprium laborem. Hoc est, quod ad Gal. 6. dixit: singuli onus suum ferent, q. d. reddent Domino rationem, & operibus singulorum respondebunt prę-

Ministros non esse nimium admirandos.

Ministri vnum esse debent.

mia. Itaque ſectarum authores & faſtuoſi dignas dabunt pœnas, id illis præmium erit. Rationis confirmatio eſt. Dei enim ſumus cooperarij, q.d. falli non poterit Deus, qui nobis adeſt & cui deſudamus. Eſt hæc iam ſexta commendatio miniſterij, ſecũdum quam ritè de miniſtris verbi iudicare poſſunt auditores, Σύνεργοι Dei ſunt. Specioſus titulus, quaſi dicat, Deus magno honore dignatus eſt nos, vt adaptarit in coadiutores: poterat quidem ſine nobis, at noluit. Itaque illi debetur omnis laus. Dicuntur autẽ σύνεργοι, quia ad eundem finem labor eorum confertur, quem Deus habet in promulganda veritate, ſc. ſalutem hominis. Non autem quòd in ἐνεργείᾳ illa diuina aliquid adiumenti conferant. Nam illa ſolius Dei eſt, qui ipſis miniſtris etiam dat & velle & poſſe. Valet autem argumentum, Dei ſunt σύνεργοι, ergo eccleſię ab his denominari non debent: ſed à Christo Domino, qui elegit eos, & cui deſudant. Hinc addit, Dei eſtis agricolatio, vel nouale, aut aruum, ideò à miniſtris ſectas non inſtituite, ſed Domini & poſſeſſoris veſtri retinete nomina. Sic Dei eſtis ędificatio, hoc eſt, Eccleſia, quid ergo ſectarũ nomina apud vos? Miniſtri ædificant, ſed Deo, non ſibi. Impudens igitur ſit oportet, qui ædificium de ſe, & non heri nomine vocet. Aperta ratio eſt, contra diſſidia Corinthiorum. Hodie videas illam modeſtiã in architectis, vt ædificia quæ conſtruunt non ſua: ſed ciuiũ illorũ vocẽt, à quibus conducti laborant: vt in foro conſtruitur ſpecioſa domus, ſi tranſeas, ac roges architectũ, cuius eſt illa domus quã conſtruis? non reſpõdet, mea eſt, ſed iſtius vel illius.

Quo ſenſu Miniſtri dicantur συνεργοὶ

Simile.

Hæc modeſtia in miniſtris Chriſti magis requiritur, qui nihil ſine Chriſto poſſunt: cùm architectus infinita ſine cõductore poſſit. Chriſti igitur dicenda eſt Eccleſia, & nos inde Chriſtiani, nõ Pauliani, nõ Dominicani, Franciſcani. Impudẽs.n. illud eſt mendaciũ.

10. *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuper illud ædificat,* &c.

Tertio loco de ſe ſuiſque laborib. agit, ac vt ſuum exemplum plenius inculcaret, his opponit ſtudia ſucceſſorum ſuorum apud Corinthios, quorum doctrina cum ſit varia, futurum vt aliquando probationi ſubiiciatur, ideóque probè expendendum quomodo, & quid ſinguli fundamento à ſe poſito ſuperſtruant. Inde ad perſonam auditorum ſe iterũ cõuertit, à quorũ veris ornamẽtis oſtendit nõ cõmittendũ, vt doctores ſuos nimis admirẽtur. Πρόθεσις, ad exẽplũ Pauli doctrina ſic debet proponi, vt fundamẽto poſito cõformis ſit ſuperſtructio, ne tẽplũ Dei quod ædificãdũ eſt, h.e. Eccleſia Chriſti, polluatur.

Propoſitio

Res ad duo reducitur capita: ſcilicet ad perſonam doctorum & perſonam auditorum: in illis requirit conformitatem doctrinæ: in his verò nequid illis nimium deferant.

10. *Secundum gratiam quæ data eſt mihi, vt prudens architectus,* &c.

Inter doctores Corinthiorũ primarius fuit Apoſt. Paulus. Primus.n. illic docuit Chriſtum, hunc ſecuti mox alij, de ſe prædicat quòd fundamentum poſuerit. Metaphora ab ædificantibus ſumpta, indicat doctrinam ſolidam docuiſſe, imò doctrinæ principia certa, quæ fundamentum appellat. Vt.n. ſe habet fundamentum ad futurum ædificium: ita principia doctrinæ alicuius ad reliquum corpus dogmatum. Ponitur autem fundamentum loco firmo, vt in petris, argilla, & ponitur à perito architecto. Quę omnia ad ſe trãſfert Paulus, igitur eſt architectus prudens, qui titulus, quia videbatur ſatis arrogans, aſperitatem illius mitigat duplici remedio: primùm.n. comparationis notam adhibet: vt prudens architectus. q.d. non ſum talis, attamen illi ſimilis aliquo modo, vel eo quòd primus docuerim vos. Deinde confeſſione gratiæ omnẽ arrogantiæ ſuſpicionem à ſe amolitur. *Secundum gratiam quæ data eſt mihi.* Si.n. totum hoc gratiæ eſt, hoc eſt, gratuitum donum, & ſi mihi gratificatũ agnoſco, & ſi Dei eſſe fateor, nihil eſt hic de quo gloriari poſſim. Χάριν vocat χάρισμα, hoc eſt donũ Spiritus ſancti, quale in eo erat apoſtolatus ſuus, cuius præſidio, & ornamẽtis fretus, hoc totũ fecit, de quo hic agitur. Admonemur hìc, quàm modeſtiſſimè de nobis ſentiendũ, adeò vt ſemper gratię Dei omnia adſcribamus: ſed abiit hic titulus etiã hodie in ſuperſtitionẽ. Hodie in Epiſcoporũ titulis frequẽs eſt, Diuina clementia Epiſcopus, &c. Apoſtolus seriò humilitatẽ hìc profitetur, nec ficte loquitur, ſed reuera quod dicit præſtitit: hodie ornamẽtũ merũ eſt militũ. Dein de laborũ præconiũ in loco nõ eſſe contẽnendũ, ſi quid exẽplũ prodeſſe poſſit. Apoſt. hìc ſibi tribuit primas in docẽdo Chriſto. Fũdamentũ, inquit, poſui, hoc eſt, initiũ feci. Act. 18. Fundamentũ eſt vera de Chriſto doctrina, Chriſtus ipſe, vt eſt verſu. 11. doctrinæ noſtræ etiã hic ſcopus eſſe debet, & idẽ fundamentũ. Sic ad Ephe. 2. ſuperſtructi ſuper fundamentũ prophetarum & Apoſtolorũ, in quo ſummus angularis lapis eſt Ieſus Chriſtus.

Modeſtiæ exemplum in Paulo.

Quid per fundamentum intelligendum ſit.

Tertiò ſummam hinc diſcimus doctrinæ Apoſtolicæ certitudinem, quia fundamentum eſt, non ſolùm doctrinæ totius, ſed etiam ſalutis, conſolationum in rebus ſecundis & aduerſis. Deinde quia vnum eſt. Vnita firma ſunt, ſola etiam & vnica ſimplicia ſunt, fallere non poſſunt. Denique qui aliud poni non poteſt, firmum igitur hoc fuerit, ſufficit vt alio non ſit opus. Hinc ad Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud docuerit Euangelium, anathema

anathema esto. Atque illa ad personam Apostoli pertinent,à quibus ducatur argumentum:Apostolus Paulus ponendo doctrinæ Christianæ fundamentum,non respexit præsidia sapientiæ & eloquentiæ carnalis.Igitur successores eius in propaganda eadem doctrina,ad illa non debent confugere.

12. *Si quis autem superstruit super fundamentū hoc,aurum,argētum,lapides pretiosos,&c.*

Successores suos ad suum exēplum vult inuitare,hoc est,vt in docendo vnitatem seruent,quemadmodū ipse vnum solum posuit fundamentum.Sed quia multiplex est ædificantium genus,ostendit examen laborum futurū esse,in quo singulorum opus sit probandū ad censuram diuini iudicij, vbi omnia casura sint, quæ ad vnius Christi gloriam non fuerint accōmodata.Curādū igitur singulis,vt doctrinæ propagatio semper cōformis maneat posito fundamēto.Argumētū à metu periculi futuri vim habet.Huc faciūt illa iā quæ metū augēt,vt quod dicit,singuli videant, quomodo superstruāt ver 10.q.d. Facile errari potest. Fūdamentū quidem vnum,sed structura reliqua vna non est,cōformis tamē esse debet in varietate,error esse potest.Rationis cōfirmatio sequitur,vers.12. à diuisione. Duplex.n.est ædificantium genus:alij boni sunt:alij mali:Boni qui aurū, argentum,& lapides pretiosos superstruunt,hoc est dignam materiam fundamento dato cōportant quemadmodum in ornādo Solomonis tēplo,& Mosis tabernaculo. Aurū sit Christi meritū in hoc fundamēto explicare,vera de fide & vita ęterna doctrina. Argentum esse potest sacramētorū verus vsus,lapides pretiosi bona opera renati hominis, innocētia vitæ,& morū,quę professionē doctrinę & ornat,& confirmat.Ista qui rectè explicant,in fundamēto Christo manēt,& vnitatē eius conseruāt. Mali sunt structores in hoc opificio,qui ligna,fœnū,stipulas cōparant & superstruunt,hoc est,talem materiam quæ censuram ignis diuini ferre non potest. Ligna.n. fœnum, stipulæ, facilè absumuntur per ignem. Talia sunt studia sapientiæ,& eloquentiæ humanæ, quæ illi commiscebant Euangelicæ doctrinæ. Valet argumentum à comparatis, quia metaphora habet vtranque analogiam. Quæ enim ratio est illarum rerum ad ignem , eadem est eloquentiæ & sapientiæ carnalis ad censuram diuinam.Vim habet à materiæ infirmitate. Duplex ædificātiū.

13. *Cuiusque opus manifestum fiet.*

Qualitatem futuri examinis subiicit. Primum eò pertinet certitudo eius, cuius opus manifestabitur,h.e.nihil suffugiet istud iudicium, nihil tam minutum est quin manifestandum sit:ignem hunc omnia experientur.Non speretis igitur aliquas latebras. Deinde tempus notatur in genere,dies manifestabit,h.e.suo tempore patefiet. Quale sit futurum illud examē.

Terriò formā addit diei.In igne reuelabitur,hoc est,cēsura & examine exacto. Denique officiū à fine.Ignis iste opus singulorū,h.e. docendi modū probabit. Quæsitum est à multis,quæ sit illa dies,& quis sit ille ignis cuius censurā hic cōminatur Apostolus suis successorib. Alij de nouissimo iudicio:alij de cōflagratione mūdi intellexerunt quidā de gehēna,de purgatorio,&c.acceperūt.Quæ interpretationes oēs hoc loco nō cōpetunt, metaphora.n.est in toto hoc sermone. Vt.n.de Christo locutus est per metaphorā fundamēti,de se sub metaphora architecti,de successorib.suis sub metaphora ædificātium, de illorū docēdi genere sub metaphora auri,argēti,ligni,stipularū,&c. Sic per ignē intelligere decet metaphoricū ignē,hoc est,examen quoddā rigidum, & infallibile,quod Deus exercebit,vt cōstet quo studio singuli docuerint.Deinde ignis iste cōmunis est tā bonis,quā malis omniū doctorū,qui fundamētū vnū retinēt,& in eo manēt,sed diuersa conātur superstruere. Aug.de ciuit.li.21.c.26. diuersas affert loci huius expositiōes quas retulimus in loco de purgatorio.Quā hic retulimus,proximè accedit ad mētē Apostoli.

15. *Si cuius opus exustum fuerit.*

Effecta censurę subiicit,quæ cōiūgit cū doctorū gloria & ignominia.Omnes cōmune habēt quòd seruabuntur,quia in Christo fundamēto māserunt. In eo aūt differūt,quòd illi cum gloria seruabuntur,qui videbunt opus suum perdurare in censura ignis diuini: id eis erit tanquam præmium. Tales sunt qui Christum docent simpliciter, sine ambitione,sine pompa eloquentiæ,& sapientiæ carnalis,quod facit Apostolus Paulus. Reliqui verò punientur,h.e. pudore suffundentur,quia videbūt studia sua corruere & damnari in censura Dei.Qualia sunt sapientia carnalis,& eloquentia,studium priuatæ gloriæ.Illa omnia videbunt damnari,cum dolore,& rubore quodam, seruabuntur tamen, sed per istum ignem, hoc est,non sine pudore. Valet argumentum ad euentu, Carnalis eloquentia & sapientia damnabuntur à Domino , cum pudore doctorum. Ergo in ministerio veritatis non sunt conquirenda,&c.Vide locos nostros de purgatorio. Examinis istius effecta.

16. *An nescitis quòd templum Dei estis?*

Quarta pars in qua à veris Corinthiorū ornamētis ostēdit,nō nimiū in doctorib.suis illa externa præsidia eloquētiæ & sapientiæ esse admirāda. Nos argumenta resoluemus

ad institutum Apostoli. Oportet enim γνώμην τῆ συγχήματος φυλάττειν. Sint igitur hæc ordine hic argumenta. I. *Templum Dei estis.* Ergo nõ decet hoc alteri cõsecrare, sacrilegium.n.est templũ Dei alteri concedere. Metaphora templi significat corpus Ecclesiæ vni Deo esse consecratum. Nam externũ templũ Hierosolymis, vni Deo erat dedicatũ, adeò vt illius violatores grauissime semper puniti sint. Hinc Dominus Ioan.4. grauiter in eos etiã animaduertit. Ergo spirituale tẽplũ Dei, hoc est Ecclesia, nõ debet aliis dedicari: hoc faciebãt Corinthij, dum sectas alerent, & de nominib. doctorũ, nõ Christi sese appellarẽt, *Ego sum Pauli*, &c. Quod erat tẽplum Dei ad Paulũ transferre. Sic de templo Dei loquitur inf.c.6. & 2.Cor.6. v. 16. Tẽplum hoc duplũ est Dei. Primùm tota Ecclesia dicitur templũ Dei, mẽbra Christi, corpus Ecclesiæ. Deinde singuli fideles: & hoc loco singulis tribuit istũ honorem quod tẽplum Dei sint. Ideo singulis studiosè cauẽdum ne alium possessorẽ admittãt, quam ipsum Deum. Eo peccãt hodie, vt olim Corinthij, qui se de diuorũ nominib. vocitant, Dominicanos, Franciscanos, &c. His dicẽdũ erit, an nescitis vos tẽplum Dei esse? Christiani ergo nõ Frãciscani sitis, vt Christus suum incolat tẽplum, non idolũ aliud. II. *Et spiritus Dei habitat in vobis?* Interrogatione vrget eos, quia in re absurda deprehendũtur, q.d. pugnãt vestræ factiones vehemẽter cũ dignitate vestra. Spiritus Dei author est consensionis, vnionis, quomodo huic respõdet dissidia vestra? non est hic fructus Spiritus Dei. Spiritus autẽ Dei habitat in vobis, h.e. debeat efficaciter in vobis habitare, ideo suprà carnales dixit, quia carnalia admirabãtur, & tamẽ Spiritus Dei in illis habitabat, quia dona egregia habebãt in reliquis. Attamẽ hunc carnalẽ affectũ nondũ didicerant deponere. III. *Templum Dei polluitis*, q.d. hoc quod vos facitis tantũ abest, vt ornamẽto sit vobis, vt summa sit vestra ignominia: factionib. polluitis templũ, præsertim talib. quales inter vos sunt, ibi ex doctorũ nominib. sectas instituitis. Turpe autẽ est seipsum polluere, Nõ facit hoc nisi insanus. IIII. *Hunc etiam perdet Deus.* Non omnes qui seipsos polluunt, Deus etiam polluit, & perdit. Est.n. quædam φθορὰ vtilis, quæ ad corrupti spectat salutẽ, qualis est in mortificatione nostri corporis. Alia est miserãda potius, qualis est furiosum hominũ, qui sua corpora fœdãt. Hæc quidem est ignominiosa, sed non mox perniciosa animabus & saluti corporis. Vestra de quo genere est? non sane de primo: non.n. spectat vnitatem. Non de secundo, quia insani non estis. De tertio ergo quodam genere omnium perniciosissimo quod sacrilegium dici potest, cuius vltio metui debet, perdet Deus eum, qui templum eius polluit, tanquam sui templi vindex, Videte ergo quid agatis. Considera hîc Dei curam pro sui nominis gloria vindicanda in æternis etiam. Violatores templi Hierosolymis quod perditi sunt? contemptores verbi & persecutores & occisores martyrum quot miserè perierut? Templum Dei violauit Herodes in Ioanne Baptista, periit miserè. Iudas in proprio corpore periit miserè: Iudæi in Christo. Alij in aliis, miserè perierunt.

Aliud arg.

Duplex φθορά.

V. *Templum Dei sanctum est.* Non igitur studiis & factionibus lacerãdum. Sancta dicuntur Deo sancita, h.e. dedicata. Græcis ἅγια quasi minimè terrena, ac si dicas cœlestia in his consideranda solùm sunt, Deo consecrari tantùm debent, ideo non hominib. ideo non admiranda externa sapientia, & eloquentia carnalis: ratio, quia sancta nõ est. Templum Dei sanctũ est, sanctis igitur deputari debet, quasi dicat, vos sancti estis, imò esse debetis, ad quid ergo factiones? Sanctos vocat, quos tamen propter cõtraria vitia tantopere taxat. Admonemur peccata in sanctis durare hîc semper ita vt interim simplicitatem illis non adimãt. Quos ergo, & vbi dabimus puros cœtus hodie, toties quæsitos?

Sancta quę dicantur.

VI. *Nemo seipsum decipiat.* Sectas alere, est seipsum decipere, seipsum fallere, est sui interius causam sibi præbere. Cauete ergo sectas, ne decipiamini.

VII. Sapientia illa, quam tantopere admiramini apparens solùm est. Non igitur tanti facienda, ac vos illam facitis.

VIII. Vestra illa sapiẽtia quã admiramini stultitia est corã Deo. Ergo nõ tãti facienda, vt pro illa scindamini. Ratio, quia Deus multò rectiùs iudicat de rebus, quàm vos.

IX. Sapientia hæc mundana ad stultitiam redigenda est, siquidem velit ad veræ sapientiæ titulum ascendere. Ergo non vsque adeò est admiranda: imò maturè deponenda, & conterenda, vt velocius renascatur ad veram sapientiam. Ista argumenta sunt quibus conatur eximere studium sectarum nomine sapientiæ, & eloquentiæ carnalis institutum. Ex quibus singulis facilè est doctrinam vberem elicere.

19. & 20. Vltimũ argumẽtũ cõfirmat autoritate scripturę, quod videmus Apostolo familiare, vt argumẽtationib. tãdẽ subiiciat testimonia scripturę, quę vel toti causæ inseruiãt, vel certis quibusdã argumẽtis. Prius testimoniũ est Iobi, cap.5. Qui deprehẽdit sapiẽtes in versutia sua, Deus scilicet. Est autem δράσσομαι comprehendere, & quasi manum complere, hinc δράξ manipulus, pugillus: Et πανουργία est astutia, hoc est, sapientia

sine

sine iustitia,quæ est versutia.Deus igitur tantò superior est omni humana sapientia, vt sapientes illos deprehendat in propria sua versutia,hoc est, dum volunt callidi videri, sibiipsis perniciosi sint, propriis capiantur consiliis. Habes & hinc argumentum. Carnalis sapientia sibiipsi est perniciosa & est πανουργία.Ergo non tanti facienda.

Alterum testimonium est ex Psal.94.Dominus nouit cogitationes sapientium, quòd sint vanæ,h.e. ad finem optatum non perueniunt. Hoc enim est μάταιον, inane, frustraneum,cassum. Talia autem non sunt admiranda,imò fugienda.

21. *Itaque nemo glorietur in hominibus.*

Hactenus argumētosa fuit oratio.Iā concludit quo referenda illa sint:hoc inde infertur.Ergo nemo glorietur in hominib. hoc est, sapiētiam & eloquentiam humanā nemo admiretur, & ob id vos quoq; Corinthij vestris ministris nolite nimiū tribuere. Quem locum supra cap.1.ingressus est.Συμπέρασμα congruit cum propositione suprà posita.

Noua argumētatio subiicitur.omnia.n.vestra sunt,si omnia sunt vestra, ergo nihil ex his opibus vestris debetis contēnere.Liberalissima cōcessio,qua fidelib.omnia subiicit. Reuera hi ditissimi sunt, omnia possidēt,vsu honesto,& adminiculo ad pietatem. Hinc etiā philosophis iactatū:Solus sapiēs diues.Nos rectius,solus electus diues.Ἔκθεσις sequitur arg.ver.22.Ac primū à personis præsentib. ex quarū nominib. sectas instituerāt siue Paulus,siue Apollos,siue Cephas,h. e.omnes pariter vobis ad bonū inseruiūt.Igitur nullum cōtēnite præ altero. Deinde à rebus ipsis,siue mūdus,h.e.mundus quoq; vobis adminiculo est ad salutē,& vita illa tēporalis donū Dei est,& ideo ad eius gloriā applicanda:Sic mors vestra est,hoc est,ad bonū inseruit, & ad gloriam Christi dirigēda,pro illo moriendū.Sic præsentia & futura omnia vestra sunt,vos autē Christi. Argumentū finit in gradationē.Omnia sunt vestra honesto.s. vsu ad gloriam Dei,vos autem cuius? Non estis sanè vestri iuris.Sed vt res vobis subiectæ in vestra potestate:sic vos in Christi potestate : Ergo ad illius gloriam omnia dirigenda,& de illius nomine denominandi estis, non à Pauli.Sumus autē Christi omnes:primùm creationis iure:quo continentur etiam impij.Deinde redemptionis respectu &conseruationis,quo iure soli electi Christi sunt. Christus autē Dei est, quia Deus de Deo verus Dei filius. Humana quoq; natura à Deo est,quia homo simpliciter à Deo conditus est. Vtroque respectu Dei Christus est. Hinc Christus solus Dei gloriam quæsiuit : solum Deum patrem suum professus est , omnia istuc retulit. Ideo Corinthij non ab hominibus pendere, sed a Deo & Christo filio Dei denominationem sumere debebant,non à Paulo,& aliis doctoribus,&c.

CAPVT IIII.



Agna leuitas est de aliis sinistrè iudicare. Contēnuntur.n.Dei dona in aliis, & prodit se vanitas humani ingenij,dum illa effert,quę coram Domino deprimūtur. Hāc leuitatē corrigit Christus Mat.7.nolite iudicare, ne iudicemini:& Apostolus Paulus Rom.2.inexcusabilis es,ô homo,quisquis iudicas alium,quo.n.iudicas aliū,eo teipsum cōdemnas. Contra hanc iudiciorū vanitatem,hoc etiam capite se & aliorum Apostolorum personam tuetur , indicans quo loco habendi sint.Nam hac in re Corinthij præcipuè peccabāt, Paulo autem & cæteris nihil nō propè detrahebant.Itaq; vtiliter docet quid piè illis tribuendum sit,quid itē in illis requirendū Hinc ad Corinthios ipsos transit,quos modesta,salsa tamen ironia taxat,indicās quàm ineptè sibi ipsis blādiantur.Hinc illorū vanis laudib. opponit Apostolorum conditionem in hoc mundo,quam accuratè describit,vt videāt illorum doctores pomposi, quantùm absint à veritatis idea. Ac quod auditores attinet,se excusat Apostolus,ostendens necessariam fuisse hanc suam diligētiam, quia pedagogos quidem multos habeāt, at non multos patres,hoc est, veros monitores admodum paucos, ideo ad suum exemplum illos incitat relictis aliis,simúlque de suo aduentu quædam sub finem adiicit. Argum.

Ad tria referri possunt , scilicet quo loco habendi sint ministri Christi. 2. de illorum conditione in his terris.3.de suo ad ipsos aduentu. Partes.

Propositio sit. De Ministris euangelij non contemptim sentiendum est, quod tamen si fiat,exemplo Apostoli patienter ferendum est. Propositio

Hæc ferè hoc cap.4.tractantur,quibus primus locus cōcluditur.De dissidiis non instituēdis in Ecclesia Christi propter ipsos doctores. Nos hoc tēpore considerabimus initium capitis,hoc est,quo loco sint habēdi Ecclesiæ ministri.Quæ hoc ordine proponuntur ab Apostolo. Initio est propositio contra præpostera iudicia Corinthiorum , quam tamen à personis abstraxit,vt inuidia res careret. Illa est,Non contemptim de nobis iudicandum est.Mox huic sententiæ subnectit confirmationem,quę argumenta suppeditat instituto suo.3.de se speciatim agit,quandoquidem sua persona apud eos singulariter traducebatur. Ideo ostendit se non curare illorum iudicia,nec id sine iusta ratione.

Quartò infert conclusionem , quæ non iam speciali suo exemplo inseruit,sed in genere contra praua iudicia accommodata est. Addit huic loco noua argumenta, simulq; consilij sui,cur scilicet sui crebram,& Apolli faciat mentionem,reddit rationem,&c.

I. *Sic nos reputet homo.)* Propositio hic statuenda est. f. Ministri Ecclesię non contemptim iudicandi sunt. Nam sub persona Apostolorum loquitur de omnib. bonis doctoribus in Ecclesia. Quanquam pronomē ἡμᾶς hic poni videatur, de Paulo, Apollo, Cepha, qui apud Corinthios traducebantur. In primis verò de seipso loquitur, quem præcipuè contemnebant superciliosi illi doctores. Λογίζειν significat supputare, hoc est, censuram de aliquo ferre, statuere, pronūtiare, quid de quoq; sentiat aliquis. Id nos diximus contemptim iudicare. Iudiciorum.n.vanitatē hic prohibet solùm, vt Christus etiam Matt. 7. Et vox ἄνθρωπος promiscuos homines significat perperam de aliis statuentes. Sententia est, non contemnendi sumus ab hominibus, quicunque in ministerio versamur.

Verbi λογίζειν significatio.

1. *Tanquam ministros Christi,& dispensatores mysteriorum Dei.*

Hæc verba vim argumenti habent: ideo statuenda hic confirmatio, quasi dicat, non sumus reputandi tanquam nudi homines, quales alij sunt : sed expendi in nobis debet functio ad quam diuinitus Deus non vocauit, & in functione, materia quam tractamus, respici debet, quæ omnia cùm sint angusta, & pretiosa , nos qui ista dispensamus , non debemus contemni. Argumenta sumuntur ab attributis.

1. Argum. Ministros non esse cōtemnendos.

Primò sumus ministri Christi. Ergo non sumus contemnendi: magnorum enim principum ministri in honore sunt propter ipsos principes, sic Imperatoris legatus honoratur propter Imperatorem. Debet ergo propter Christum ad nos ministros eius aliqua redundare dignitas. Firma ratio est , nam contemptus ministrorum redundat in ipsum principem, adeò vnita & coniuncta sunt, ministri & Christi dignitas. Obserua Apostolum ministris per se nihil tribuere excellentius præ aliis hominibus, sed respectu solùm Christi, q.d. quicquid honoris meremur, id Christo debemus, a quo proficiscitur nostra vocatio. Deinde ὑπηρέτας vocat, quæ vox laboris & ærumnarum est. Est.n. verbum ἐρέσσω remigo, hinc ἐρετμοὶ remiges, & ὑπηρεσία seruitium qualecunque. Quare Christi ministri cogitent se ad remos sedere: vbi magnis laboribus ad nutum naucleri Christi indefessò labore sit remigandum, quæ cogitatio franget supercilium gloriæ, & dignitatis, quàm hîc mox somniant dum audiunt non contemnendos esse ministros Ecclesiarum : plus est laboris, quàm gloriæ in hoc titulo. Ministri sunt, vt tales maneant, gloriam Christo relinquant ipsi contenti qualicunque sorte. Secundò , *Dispensatores mysteriorum Dei sumus.* Ergo contemnendi non sumus. Valet argumentum à prętantia professionis. Primùm.n. œconomi per se non contemnendi sunt, eo ipso quia œconomi. Sunt.n. à patrefamiliâs ornati potestate : omnia ritè dispensandi ad familiæ vtilitatem. Hoc modo nobiles suis familiis præficiunt œconomos. Principes aulis suis, Magistratus Collegiis. De horum virtutib. vide Arist. in œconomicis. Quatuor in eis requirit, 1. ἐμπειρίαν peritiam rerum, 2. εὐφυΐαν bonam indolem. 3. φιλοπονίαν laboris assiduitatē. 4. δικαιοσύνην iustitiam. Hæc œconomis Christi in primis quadrant. Oportet.n. peritos esse scripturæ ex cuius penu proferant cibaria. Oportet etiam bona indole esse præditos, hoc est, non esse malitiosos, & hypocritas, vt candidè & seriò agant, quod agūt. Φιλοπονία etiam est illis necessaria, quia semper docendum est, semper legendum est, semper versandum in literis, diurna nocturnáque manu versanda scriptura. Deniq; iustitia pernecessaria est, vt vita, & moribus exprimat, id quod docet, ne vna manu destruat quod altera ædificat. Hæc si præstet œconomus ille noster Euangelicus, vtiq; contemnendus minimè est. Deinde in hoc argumento expendatur adiecta differentia. Non.n. simpliciter dicit Oeconomi sumus, ideo nō contemnendi: sed addit ad rei dignitatem. Sumus œconomi mysteriorum. Μυστήρια dicūtur arcana in sacris, quæ solis initiatis communicabātur, aut res aliæ abstrusæ, & secretæ. Vide igitur quæ sint mysteria œconomica in Euangelio. Primùm occurrit tibi scriptura sacra, quæ illi est explicanda. In hac recondita latet Dei voluntas. Hanc dum ex verbo Dei proponit & scripturas aperit, rectè dicitur mysteria patefacere. Est.n. in multis etiam obscura scriptura. Deinde habet typos mysticos infinitos de Christo , de Ecclesia aliisq; rebus. Secundo loco in œconomia illa est administratio sacramentorū quæ dum explicant auditorib. & vsum verum mōstrant, omnésq; ad communionem inuitant, mysteria propriè dispensare dicuntur. Tertio loco, eidē argumento addidit alteram differentiam. Sunt.n. idololatris , & prophanis Ethnicis sua quoque mysteria, vt in sacris Proserpinæ, Cereis, Bacchi, &c. quædam dicebātur mysteria inter initiatos: sed talia non sunt Euāgelici œconomi mysteria, verùm Dei sunt, hoc est, veri & vnici Dei, quem electi ad vitam æternam solùm ritè colūt. Hæc ad secundū pertinēt argum. Dispensatores sumus mysteriorum Dei. Ergo non sumus à vobis contemnendi.

2. Argum.

Quid per œconomũ intelligi velit.

Cuius rei sint œconomi ministri.

Tertium

Tertiũ argumẽtum fecũdus verfus fuppeditat. Ifthic.n. viget officiũ boni miniftri. q. d. habemus quidẽ fpeciofa attributa nomina: fed non minor eft officij etiã cura. Officium noftrũ eft, h. e. finis & cura totius officij, fidelẽ effe Domino, quod eft nihil aliud, quã bona cõfciẽtia in eo verfari munere, ne quid fua focordia negligatur, aut deperdatur. Ergo contẽni nõ debet, quia fumma cũ folitudine verfatur in periculofo munere. Ac colligit argumentũ folùm de bonis, qui hanc officij propriã curã ftudiosè obeũt. Ideo Apoftolus reliquis preciſius inquit, τὸ δὲ λοιπὸν, q. d. aliis neglectis, hoc vnicè curãdũ eft. Obiter taxat falfos doctores qui apud Corinthios magis τὰ λοιπὰ curabant, quàm id quod muneris eft propriũ. Λοιπὸν eft põpa, & applaufus popularis, eloquentiæ & fapiẽtiæ carnalis perfuafio, priuata gloria, opes, fectatores inftituere, & fimilia. Hæc omnia negligẽda erãt, quibus relictis maneret vnicũ τὸ λοιπὸν ἴδιον καθ' αὑτὸ, quod in miniftro requiritur, vt fidelis aliquis reperiatur. Sic de fideli difpenfatore loquitur Chriftus. Luc. 12. & Tit. 1. inculpatũ etiam requirit miniftrum, tanquã difpenfatorẽ Dei. Et paffim tanta cura Apoftoli, vt Euangeliũ fuum ornet, quia difpenfatio hæc illi concredita eft, 1. Cor. 9. vbi vnica illa eft cura, vt fidelis reperiatur, quę quanta hodie fit, res loquitur etiam nobis tacentibus. Subeft etiam in hoc argumẽto metus aliquis reddẽdę rationis de adminiftratione hæc œconomia: fi. n. reperitur fidelis, oportet vt requifitus ad rationes talis deprehendatur. Hæc eft illa ratio quam paterfamiliàs à villico fuo requirit Luc. 16.

3. Argu. — Quid per τὸ λοιπὸν intelligat

3. *Mihi verò pro minimo eft quòd à vobis diiudicor.*

Hactenus propofitum fuum fatis declarauit, quo fcilicet loco habendi fint Ecclefiæ miniftri. Nunc pergit oftendere, quomodo Corinthij hoc erga fe Paulum obferuauerint. Pulchra eft rerum Antithefis. Θέσις oftendit non effe contemnendos miniftros. Ἀντίθεσις verò indicat Corinthios in Paulo hoc minimè obferuauiffe. Huc pertinet altera pars propofitionis fuprà à nobis pofitæ, fcilicet exemplo Pauli præpoftera iudicia de miniftris facta eis patienter ferenda. Infunt tamen rationes quæ ad primam etiam partem confirmandam referri poffunt. Sed ordine confiderentur fingula.

Mihi verò minimum eft quòd à vobis diiudicor. Oftendit Apoftolus fe diiudicatum à Corinthiis, hoc eft, doctrinam Pauli & perfonam ventilatam, feparatum ab aliis doctoribus, & eifdem poftpofitum, aliis prælatis qui fapientiæ, & eloquentiæ humanæ titulo ornati erant. Hoc totum pugnat cum θέσει fuperiore, pugnat etiam cum dilectione, & cum grauitate muneris. Locus eft de finiftris auditorum iudiciis, quibus miniftros fuos vel deprimunt, vel nimium extollunt.

Deinde quia hoc parum curat Paulus, exemplum eius, ad omnes pertinet, modeftè fcilicet ferenda effe talia corrupta iudicia. Ratio eft, quia Paulus hoc fecit: fed & Chriftus ipfe Dei filius, & cæteri Apoftoli, & pij martyres, afinarij, beftiarij, incendiarij, quoque dicti funt. Quæ iudicia dum non poffent corrigere, patienter tulerunt. Sed hoc debet obferuari in hoc exemplo Apoftoli, non omnem ignominiam nominis mox effe ferendam, fed dum corrigi non poteft, nec enim planè hic multum fe pręterit Apoftolus, imò grauiter talia iudicia taxat, nec contemnit, quanquam minimi faciat. Sic Chriftus calumnias fępe retudit. Iuftinus Martyr conuitia Chriftianis impofita grauiter confutat. Et Tertullianus acriter eadem foluit, modeftia tamen feruanda eft miniftro, ne priuatam caufam potiùs agat, quàm Chrifti.

Modeftè ferenda effe praua de nobis iudicia.

Sed ad Pauli inftitutum propofitio eft: Veftrum de me iudicium fecurus contemno. Ratio eft, quia ab affectu humano proficifcitur. Apoftolus dixit ab humano die. Diem per Metalepfin accepit pro eo quòd in die fit, hoc eft, iudicium & fententiam ferre. Iudicantur res in die. Humanam igitur diem dixit, hoc eft, humana iudicia, quæ ab affectibus prodeunt. Altera eft, quia meipfum non diiudico. Ergo ne quidem à vobis diiudicandus eram ἀνακρίνω, hoc eft, feparo, & aliis me non præfero, nec etiam inferiorem puto, fed medium de me feruo. Hoc vos meo exemplo debetis facere, quod cùm non fiat, facile contemno.

Dies humanus.

4. *Nullius enim mihi confcius fum.*

Hoc eft, bona fruor confcientia. Excufat hìc me confcientia mea contra veftra iudicia: plus autem ponderis habet propriæ confcientiæ tribunal, quàm aliena iudicia. Ergo hoc fequor. Confcientia enim falli non poteft, & mille teftium loco eft. Difcant miniftri hanc faluam retinere, vt in omnib. præiudiciis ad hanc appellare iure poffint. Porrò quia arrogantius videbatur fuam confcientiam opponere tot iudiciis, addit.

Sed in eo non fum iuftificatus. quafi dicat, magnum quidem eft confcientiæ teftimonium, attamen coram Deo, ne hoc quidem fufficit, non purus, & innocens, quanquam vos de me perperã iudicetis. Minus enim mihi tribuitis quàm fit æquum, interim non omnia mihi fumo, medium teneo, id etiam vos feruare de me velim. Non fum do-

ctoribus vestris inferior iudicandus : attamen hoc conscientiæ testimonium non iustificat me, hoc est, omnibus modis minimè liberor.

Qui diiudicat me Dominus est. Quarta est ratio. Securus vestra iudicia contemno, quia alium habeo iudicem, ad quem mea spectat causa, quasi dicat, ad vos non pertinet iudicium de me, sed ad Dominum. Valet eadem ratio ad priorem partem propositionis. Ministri contemnendi non sunt. Ratio, quia Deum habent iudicem, cui vt factorum sic & doctrinæ reddent rationem.

5. *Proinde ne ante tempus iudicate.*

Conclusio Συμπέρασμα est. Ergo temerè nolite iudicare, hoc est, ministros Ecclesiæ, nolite alium præ alio damnare, hunc efferre, alium contemnere.

Nouæ hic accedunt rationes. Primùm quia tempus nondum accessit, intempestiuè fit quod non suo fit tempore. vestra iudicia non feruntur suo tempore. Ergo intempestiuè. Minor constat quia ante tempus.

Explicatur autem ab aduentu Domini, quē omnes expectant. Intelligi autē potest aduetus Domini vltimus, vel cuiusq; rei cognitio pleniot, quæ tempore suo hic etiam reuelatur. Prior tamē sensus manifestior est. Nā addit proprietates quę ad nouissimū iudicium pertinent. Illustrabit occulta tenebrarū, hoc est, Satanę etiam hypocrisin reteget, obambulat.n. sub specie boni angeli. Deinde profunda sunt eius consilia in euertendis bonis, hanc occultā profunditatem deteget, hoc est, risui exponet, patefaciet, vt omnes electi illā videant. Altera proprietas est manifestare consilia cordium, scilicet hominis cuiusque. Scrutator.n. cordium est, & fraudem hypocriticam manifestabit. Fiet id quidem plenissimè in nouissimo iudicio : fit tamen quotidie etiam in his terris. Sic pertrahentur hypocritæ euentu aliquo miserando, vt Iudas, Saulus, Iulius, & similes, quorum cogitationes priùs non satis notæ erant, donec in meram insaniam erumperent.

Et tum laus erit cuique à Deo. Cōtra assentatores suorū doctorum facit, similiter contra aucupes humanæ laudis, quasi dicat, vestri doctores mirificè se laudatos putant, dum eos effertis, vnicuique præfertis, sed quæ est illa laus? nulla certè: non enim à Deo proficiscitur. Deinde corruit in illo seuero Dei iudicio. Addo quòd pro tantula laude maior sit illis metuenda damnatio. Consolatur se ignominia affectum, & eadem consolatione se consolari possunt boni viri, vera laus à Deo confertur. Sic consolatur veram circuncisionem, verósque Iudæos, Rom. 2. ad finem, cuius laus, inquit, est à Deo, quasi dicat, nihil refert, vtvt de his rebus homines pronuncient.

Veram laudem à Deo esse nō ab hominib.

6. *Hæc autem, fratres, in me & Apollum transtuli propter vos.*

Reddit rationem consilij sui hoc tandē loco, cur scilicet toties sui & Apolli mētionem hactenus fecerit, cùm interim reuera agat contra quosdam inflatos sectarū authores, vnde orta sint apud Corinthios dissidia. Ratio igitur est, cōmunis causa, in qua mutari solet persona vtiliter, tum vt minus offendat priuatos, tum vt parcatur illorum nominibus: tum vt obiurgatio tolleretur, & firmius hæreat. Vocant oratores ἀποσιώπησιν, quando in se orator transfert partem culpæ obiurgaturus alios. Sic Prophetæ peccatoribus se coniungunt, quos obiurgaturi sunt. Interdum fictione vtuntur incertæ personæ de qua narrant indignum facinus, vt confessionem impetrent ab auditore. Sic

2. Sam. 12. Nathan apud Dauidem narrat indignum facinus cuiusdam diuitis, qui rapuerit vnicam ouiculam perdilectam ex sinu pauperis: quod cum Dauid audit indignitate narrationis damnat talem hominem. Hinc demum insurgit Nathan contra flagitia Dauidis. Sic Apostolus, loquitur de Corinthiis doctorib. qui sectas instituebant ex suis nominibus. Interim sui & Apolli sępe meminit. Quis est Paulus? & quis Apollo? &c. q. d. illorum nominibus peperci, meúmque & Apolli posui, cùm nos sectarum authores non simus. Causa addita est propter vos, hoc est, vestro bono hoc factum est, loquitur autem cum auditoribus, quasi dicat, vestri habita est ratio non illorum. Mox sequitur causæ explicatio, vt in nobis disceretis τὸ μὴ φρονεῖν, hoc est, non superbire. Habet enim argumentum à maiore ad minus. Ex Pauli nomine non est instituenda secta in Ecclesia Christi. Ergo multò minùs ex alterius, qui inferior est, institui debet secta. Suo igitur exemplo voluit docere modestiam ministros & auditores. Hoc si obseruasset Ecclesia non tot sectas in sinu suo videret, quæ singulæ ad inuidiam vsque suos patronos propugnant, illi Dominicum, hi Franciscum. Eodem pacto rixantur de doctrina de Thoma, Scoto, vt & nominis & doctrinæ Christi, nulla propè sit ampliùs mentio.

Nullius hominis nomine instituendas esse sectas.

Et verbum φρονεῖν commodè interpretatur ad præsentem causam, ne vnus pro aliquo contra alium infletur. Itaque φρονεῖν est φυσιοῦσθαι. Est igitur simplex φρονεῖν pro composito ὑπερφρονεῖν positum, quo ad Romanos vsus est, & hìc propositionem eius cum γέγραπται coniungit. Summa est, non debetis doctorum nominibus efferri, qualiscunque

liſcunque tandem ſit doctor, adeò vt ne ipſius Pauli nomine, nec Petri, nec etiã Apolli hoc vobis liceat. Solius Christi nomen in Eccleſia celebrari debet. Cæterùm particula ὑπὲρ ὃ γέγραπται anceps eſt, nihil enim videtur citare ex ſcriptura niſi generale quiddã contra proximi contemptum. Vnde aliqui retulerunt ad commune præceptum Chriſti de humilitate, Matth. 18. Qui humiliauerit ſe, vt puellus iſte, hic eſt ille maximus in regno cœlorum, vt Matth. 20. Qui voluerit inter vos eſſe magnus, fiat omnium miniſter. Verùm an ſcripturam hanc intelligat dici non poteſt, cùm noui Teſtamenti libri nondũ extarent tunc: niſi placeat cauſam hanc tueri, præuidiſſe id quod mox futurum erat, & ſcriptũ appellaſſe, quod paulò poſt ſcribẽdũ erat. Sed eſt alius ſẽſus facilior. Scripſit hoc Apoſtol. in ſuperioribus, cap. 1. non erudito ſermone prædicaui vobis Chriſtum, ne inanis redderetur crux Chriſti: & cap. 2. non iudicaui me quicquã ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Item cap. 3. Lactis potu vos alui. Quę omnia ſuo exemplo mandat omnibus miniſtris. Reſpicit igitur ad id quod ipſe iam ſcripſit in ſuperioribus, facitq́; ex ὑποθέσει θέσιν, hoc eſt, ſtatuit generalem ſententiam. Nemo in miniſterio arroganter de ſe ſentire debet. Ratio eſt, quia de ſe idem teſtetur Apoſtolus, cuius exẽplum omnes debent imitari. Huc facit conſequens confirmatio. *Quis enim te diiudicat? aut quid habes quod nõ acceperis, ſi autẽ accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Duplex eſt ratio in his verbis. Prior à meliorũ miniſtrorũ exẽplo. Poſterior à natura donorũ. Prior ita cõcludit, alij boni miniſtri te non contẽnunt. Ergo nec tu ipſos præ te aſpernari debes. Alloquitur. n. malos iſtos, & inflatos doctores, quos vrget interrogatione, quis te Domine doctor cõtẽnit? Quis ſe tibi pręfert? q. d. nullus bonus id facit: Imitare ergo meliores, & de te ne ſentias arroganter: debemus. n. ad meliorum exempla reſpicere. Poſterius verò à natura donorum colligit. Omnia Dei dono habes, ſiue ſapientiã, ſiue eloquẽtiã carnalẽ. Ergo de his non debes ſuperbire, quia nihil hic tuum cogeris agnoſcere. In rebus propriis iactantia locum haberet: at nihil hic eſt tibi proprium: niſi mera arrogantia, cętera Dei ſunt, qui naturam hominis variis ornauit dotibus. Diſſimulator igitur es, qui veritatem hîc præteris, aut ſtupidus, qui quod ſcire debes, ignoras. Hinc efficitur firmum, quod poſuit Apoſtolus. Nemo in miniſterio ad exemplum Pauli arroganter de ſe ſentire debet, nec eloquens propter eloquentiam, nec ſapiens propter ſapientiam, quia Dei dona ſunt. Expende hîc diſcrimen bonorũ miniſtrorum, qui in omnibus bonis reſpiciunt Deũ: mali cõtrà in donis hærẽt, neglecto authore. Hinc arrogãtia & tumor, &c.

Miniſtros non arroganter de ſe ſentire debere.

8. *Iam ſaturati eſtis, iam ditati eſtis abſque nobis, regnum aſſecuti eſtis, & vtinam regnaſſetis, vt & nos vobiſcum regnaremus.*

9. *Arbitror enim quod Deus nos qui ſumus Apoſtoli,* &c.

Quales Corinthij reuera ſint, hactenus videtur ſatis indicaſſe. Nunc pergit delineare quales ſint, ipſorum proprio iudicio, nimirũ & diuites, & potentes: ſed hoc proprium iudicium damnat Apoſtolica cenſura, ac ideam bonorum miniſtrorum deſcribit à ſorte quæ eos ſolet, vt indiuiduus comes ſectari, vnde facilè colligi poterat, quãtum tum ipſi tum doctores eorum à vera ſententia aberrarent. Sed vt res manifeſtior eſſet, quæ tum de Corinthiis, tum de Apoſtolis dixerat, breui collatione componit membris oppoſitis. Qua occaſione perſequitur copioſius ſortem ſuam, ac bonorum miniſtrorum, vt iudicent quantum ipſorum doctores abeſſent à vera Chriſtianiſmi profeſſione.

Arg. huius loci.

Hęc omnia vt plus ponderis haberent, ironico genere dicendi proponit. Eſt. n. ad reprehendendũ aptiſſimum hoc genus, & maiores relinquit aculeos, quàm ſi directè proponerentur, quæ dicenda ſunt. Nos iſta in quatuor membra reducimus, primùm. n. quales Corinthij ſibi ipſis viderentur, quod iudicium ſua ἀντιθέσει corrigit. Deinde qualis Paulus, & reliqui Apoſtoli coram mundo. Tertiò vtrunque collatione mutua illuſtrat. Quartò membrum alterum de ſorte Apoſtolorum clarius explicat quadam diductione.

Loci huius partis 4.

Πρότασις: Electorum eſt ſibi non aliam fortunam in his terris promittere, quàm qualem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ prædixit, & Apoſtoli reipſa mox ſunt experti.

Propoſitio

8. *Iam ſaturati eſtis, iam ditati eſtis, abſque nobis regnum adepti eſtis, & vtinam ſanè regnaſſetis, vt & nos ſimul vobiſcum regnaremus.*

Ironica eſt cõceſſio, exprimẽs Corinthiorũ de ſeipſis corruptã opinionẽ. Sẽtentia eſt: Veſtro iudicio florentiſſimã & reformatiſſimã habetis Eccleſiã, quod vt vobis inuideã tãtũ abeſt: vt etiã omnib. modis vobis ex animo optẽ, vel mea etiã cauſa. Expẽde hîc primũ ſiniſtrã perſuaſionẽ Corinthiorũ. Deinde iudiciũ Apoſtoli de hac. Tertiò annexã rationẽ. Ad primũ pertinent illa ordine, *Iã ſaturati eſtis.* Concedit ironicè ſaturitatẽ, eáq; adeò breui tempore effectam. Intelligamus ſaturitatem Euangelicæ doctrinæ. Satur dicitur probè cibatus & refertus, vt ventri & ſtomacho ſit factum ſatis: ita Corinthij ſaturati ſibi videbantur, quòd aſſentatores ſatisfacerent auribus eorum eloquentia car-

Satur.

nali, adeò vt dicere possent, nobis satisfactum est in doctrinę explicatione. Et hi quia ad applausum respiciebant, facile dominabantur, adeò vt illos audire mallent, quàm Paulum, vel alium rigidius proponentem Euangelium. Ab illis pascuntur igitur ad saturitatem, vt Paulum vix audire dignentur saturati aliunde. *II. Iam ditati estis.* Eodem sensu accipiamus ditatos. Dicuntur enim diuites, qui per se, suam habent sufficientiam in doctrina Christi. Ditati igitur sibi videbantur Corinth. quòd doctores haberent disertos, eloquentes, sapientes, adeò vt aliis possent suppeditare ministros, & consilia. *3. Regnastis etiam sine nobis.* Dicuntur regnare, qui potentes sunt, & potenter sua peragunt: sic regnant in foro oratores, in causis peragendis. Cicero de Carneade refert, eum nullā causam suscepisse, quin illam defenderit, & nullam impugnasse, quin euerterit. Hoc erat regnare: sic Corinthij videbantur sibi regnare quum haberent eloquentes doctores.

Iudicium verò Apostoli est, *Et vtinam sane regnassetis*, h.e. vobis quidē ita videtur, sed res longè secus habet. Optarim quidem hoc. Votum Apostoli satis arguit priora ironiā habere, alioquin hæc locum non haberent. *Vtinam regnassetis.* Igitur reuera non regnarunt, non erant diuites: nec saturati seriò. Boni ingenij est aliis successūm non inuidere, imò verò etiam suo promouere. Id facit in pręsentia Apostolus. Ratio est, *vt & nos simul regnaremus*, h.e. faceret hic vester successus etiā ad gloriam meam, qui primus apud vos fui plantator Euangelij: aut ironicè etiam hæc dicit: si regnaretis ita, ego me ad vestrum pręsidium conferrē, in ærumnis, & nuditate mea, ad diuitias vestras: in fame & siti mea, ad saturitatem vestram: vnde vestro præsidio & ego felicissimus essem. Obseruanda hic est astutia Satanæ, qui cum pietatis successu mox etiam suggerit vanam persuasionem excellentis pietatis hanc fucat aliis pręsidiis, opum, potentiæ, consiliorum, rationis, constantiæ & perpetuitatis, quibus inebriat reformatas Ecclesias, vt titulo sanctitatis mox alias præ se contemnant. Id vt Corinthiis acciderat: sic hodie multis vsuuenit.

Deinde certissima esse argumenta corruptæ doctrinæ, loco, personis, præsidiis, fortunæ, in Ecclesia aliquid tribuere. Hæc persuasio perdidit Iudæos, & hodie Christianos passim euertit. Tertiò boni ministri his malis debent maturè occurrere exemplo Apostoli hoc loco, nec refert, ironicè illa corrigant, vel aperto dicendi genere. In omnibus tamen semper enitendum est, vt auditores intelligant suo commodo correctionem institui, non corrigentium priuato aliquo affectu.

Quartò corruptores esse in Ecclesia Christi, qui vel sibi somniant, vel populo spem faciunt, opum, potentiæ, florentis fortunę sub Euangelij professione, quum Christus contrarium prædixerit & suo & Apostolorum exemplo confirmarit.

9. *Arbitror enim quòd Deus nos qui sumus Apostoli postremi, ostenderit tanquam morti addictos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Quid somniarint Corinthij sub Euangelio satis expressit, saturitatem, diuitias & potentiam. Nunc vt hanc vanam persuasionem retundat, opponit suum & aliorum Apostolorum, qui ab illis contemnebantur, exemplum. Et in hoc vera idea sortis Euangelicę

Ioan. 16. 33. depicta est. Hāc fortunam prædixit Christus, In mundo persecutionem habebitis. Idem suo exemplo confirmauit: Filius hominis non habet quò reclinet caput, & Paulus in se suóque ministerio est expertus. Hic ergo comes est indiuiduus, Crux & odium mundi, nec est quod nobis aliud polliceamur.

Porrò illud δοκῶ opponit Corinthiorū persuasioni, q.d. vos illud vobis pollicemini, at mihi secus videtur, ratio est, quia in me aliud experior: nec.n. dubitantis oratio est, sed certò statuentis & pronuntiantis id quod res erat. Cōsideranda hìc sunt ornamēta fortunę Apostolicæ, vt intelligamus quid hìc nobis sit expectandū. Primùm aūt eos positos

Apostoli vltimi. ἐσχάτους, quod intelligo ex præsenti instituto de contēptu. Dicuntur ἔσχατοι, vilissimi, abiectissimi. Talē se aliósq. Apostolos esse dicit: quod pugnabat cū Corinthiorum persuasione. Alij tamē intelligunt ἐσχάτους tēporis respectu, q.d. post prophetas & Christum iam exhibitū, nullos vēturos alios veritatis doctores. Qui sensus eò potest referri vt doceat nō esse audiendos, qui à sua doctrina discrepent, quo taxari poterāt Corinthiorū doctores. Nos sumus vltimi veritatis præcones. Ergo qui à nostra doctrina discrepabunt, audiendi non sunt. Sed prior sensus magis causæ huic inseruit. *Nos sumus vltimi*, hoc est, contēptissimi mortaliū. Igitur vos ineptè somniatis sub Euangelio saturitatem, opes, & potētiā: nam si ita, nos oportebat tanquā ante signatos doctrinę huius istis in primis ornari.

Deinde ἐπιθανάτιοι *sumus*, hoc est, morti addicti. Dicuntur autem ἐπιθανάτιοι, καὶ δίκοι,

Ἐπιθανάτιοι. rei mortis. Dignus qui moriatur, sicarius, latro & simili flagitio pollutus, dicitur ἐπιθανάτιος, subiectus mortis iudicio. Tales Apostoli sunt. Itaq; non oportet electos in his terris aliā somniare fortunā. Quanquam prudenter addat Apostolus conditionē ὡς. Mundo.n. tales videntur, reuera in oculis Domini omnium pretiosissimi, & vita dignissimi. Tertiò

Theatrum

Theatrum facti mũdo,& angelis,& hominibus. θέατρον locus spectaculorum dicitur. Hinc pro turba, & re quæ ad spectandum proponitur, sumitur,q.d.fabula facti sumus: quod de iis dicitur, qui vel irridendi, vel abominandi proponuntur. Hoc ergo dicit propinamur omnibus mortalibus irridendi & abominandi,nec fit id in angulo aliquo:sed veluti toto mundo in vnũ Theatrũ collecto,vt omnes saturẽtur nostris miseriis. Et quid sit mundus mox enumeratione exprimit,sc.qui complectatur nõ solùm homines, sed Angelos etiã.Nã cap.17. spermologus habetur Athenis.Et cap.26.insanus iudicatur à Festo. Hierosolymis passim à Iudæis fabula fit.Tandem Romã mittitur,vt Cæsari sistatur,vbi tandem occiditur , quod est θεατρίζειν. De Angelis verò quomodo his sit factus fabula, difficilius est explicare,nisi de malis intelligamus,contra quos nobis etiam lucta est. Hi igitur vbi,& quoties possunt,infirmitati nostrę insultant,risui etiam propinant corã hominibus. Fortè huc pertinuerit stimulus ille Satanæ,quẽ Paulus ferre coactus est 2.Cor. 12.ver.7.ne efferretur. Sic aduẽtum illius ad Thessalonicenses elusit Satan.1.Thes.2.ver. 18.Idẽ dici potest de conatibus docendi,&plãtandi Ecclesias,quas passim impediuit dæmon,& Paulum traduxit vt impostorem,aut insanum hominem.Sed Christus reuera etiam hunc θεατρίζει in humili persona,& sua,& Pauli, ac similium.2.Cor.2.vers.14. Col. 2.ver.15.Bono igitur animo esse oportet:vbi.n.hominũ desinit auxilium,ibi Dei incipit.

10. *Nos stulti propter Christum,vos autem prudentes in Christo:nos infirmi, vos verò robusti:vos gloriosi,nos autem ignominiosi.*

Rem in pauca contrahit,ac quæ de Corinthiis seorsim & de sorte sua dixerat,illustri antithesi ob oculos ponit,significaturus multum eos opinionibus differre. Sed inest ironia tacita,nam sibi tribuit illa,quę videbat sibi per contemptum ab aliis tribui.Et contrà Corinthiis concedit,quæ ipsi vltrò sibi arrogabant,vana quadam persuasione, alioquin res contrà habebat .Tria tribus opposita sunt: *Nos stulti* μωροὶ *propter Christum:* vel quia illum candide docẽt,vel quia ad illius exemplum omnia abiecta de se sentiunt. Dicuntur enim μωροὶ qui & iudicio & ratione destituuntur. Cõtrà Corinthij φρόνιμοι,quia Euangelio coniungebant carnalẽ sapientiã & eloquentiã, & didicerant nunc sub Euangelio sperare saturitatem,opes & potentiã, hoc ignorabat Paulus, ideo illos se prudentiores facit acri ironia.Deinde *Nos infirmi vos robusti.* Fortè quia Pauli personam,&genus orationis elumbe iudicabant illi rethorculi , contrà exquisitum dicendi genus ipsi tenerent.Quod & ipsum illis facile largitur,quum res in conspectu Dei secus haberet. *Quo sensu se stultos esse dicat.*

Tertiò *Vos gloriosi,nos contempti.*Hoc ad doctores illorum pertinet,qui gloriã in docendo quærebant,& eorum exemplo auditores etiam sese efferrẽt.Hinc Paulo inusta aliqua ἀτιμία.Hoc illis concedit ironia non illepida.q.d.magni estis asini,& homines insensati,qui ea in Christo soleatis quærere,quæ nec ego,nec alius quisquam seriò Christianus reperit,imò quę nec Christus promisit,nec suis præstat. Quòd igitur vestros prę aliis effertis,homines estis stulti, *Irr seit die nasvveisen, vnd vvier vbrigen sint all narren: irr hœrent das grass vvachsen, ich verston mich nichts vff die sach,ia irrhunez vvoll troffen.* hoc non est sapere Christum,sed mundum.

11. *Ad hoc vsque tempus,& esurimus & sitimus,& nudi sumus,& colaphis cædimur, & incertis erramus sedibus.*

Atithesim cœperat,à persona veri Ministri,finiuit etiam in eandem. Hinc iam membrum hoc de conditione verorum ministrorum deductione quadam persequitur.Pertinent igitur hæc ad secundum mẽbrum,vbi de sorte Apostolorum verorum egerat.Scopus est sortem suam , & cæterorum Apostolorum , minimè conuenire cum persuasione Corinthiorum. *Es vvi sich nitt alsformein vvie irr mein ent.*

Ratio est,quia nos Apostoli nihil tale experimur, qui tamen ab ipso Christo accepimus non solùm ministerium docendi, sed etiam Spiritum sanctum,& cum eo dona miraculorum,ad doctrinæ confirmationem.Quomodo igitur ista nõ conueniunt? Primùm quia nos sitimus & esurimus ad hunc vsque diem, quasi dicat,vos saturitatẽ somniatis sub Euangelio,nos contrarium experimur,fame & siti exercemur.Et cur hoc?Quia veri doctores orationem non ad blanditiem accommodant,non tam gratiosi esse volunt, quàm vtiles:hinc ingrati redditi,facilè rebus necessariis destituuntur.Deinde non sunt petaces,& vltro nemo facilè dat,hinc egestas. Accedit quod Apostolus Paulus etiã refert 2.Corinth. cap. 11. sæpe se spoliatum fuisse à latronibus , vbi quicquid habuit amisit.Denique aliis sua libenter erogauit.His de causis sępe illi oborta est penuria.Contrà faciunt assentatores Corinthiorum,& omnium temporum mali doctores multas occasiones habent,ditescendi si velint.Primum doctrinam accommodant ad fauorem:&gratiã hominum.Inde non erubescunt homines,ad liberalitatem,& beneficentiam inuitare,quòd quicquid ipsis fiat, Christo Domino impendatur. Ipsi non facilè erogant,bea-

tius eis est accipere, quàm dare. Cauent sibi etiam ne facile spolientur potentia, & armis muniti, ad spoliandum alios etiam parati, &c.

II. *Nudi sumus.* Nuditas ex his causis fuit quas iam retulimus. De hoc gloriatur 2. Cor. 11. & ad Rom. 8. quòd ne hæc quidem a Christo illum separare possit. Hinc illam opponit Corinthiorum opibus, quia illi somniabant diuitias sub Euangelio, cùm Paul. inde nuditatem auferat. Non igitur conueniunt ista vestra cum euentu veri doctoris, & metuendum est, ne vestri doctores, mali ministri sint Euangelij.

III. *Colaphis cædimur.* Sequentia nunc cum potentia quam illi somniabant pugnāt. Vos regna nescio quæ somniatis & dominationem: nos verò omnium manibus præbemus faciem contundendam: *Es kumpt vns die haut, nimer vs dem har.* Christus hoc prædixit Matth. 10. In Synagogis suis flagellabunt vos. De se quoque Luc. 18. filius hominis flagellabitur & conspuetur. Passus est idem reipsa, Ioan. cap. 19. Et Paulus sortem hanc subiuit. Actor. 22. 2. Corinthiorum 11. Hoc non ferrent assentatores Corinthiorum.

IIII. ἀστατοῦμεν. *Incertis erramus sedibus.* Hoc de Paulo ipsius peregrinationes testantur, nullibi tutus fuit, hinc inde semper eiectus. Hoc præmium ferunt boni ministri omnes, idem sanctis tribuitur ad Hebr. 11. ver. 36. Oberrarunt in ouillis, & caprinis pellibus, destituti, oppressi, male habiti, quibus indignus erat mundus. Et hodie quid fit?

V. *Et laboramus operantes propriis manibus.*

Hæc vrgent assentatores illos delicatos, qui Corinthios in seruitutem redigebant. Et fuisset quidem Paulo quoque liberum ex Euangelio viuere, noluit tamen. Cuius rei idem cap. 9. reddet rationem. De laboribus suis habemus 1. Thessa. capite 2. ver. 9. 2. Thessa. cap. 3. vers. 8. Et coram Ephesiis presbyteris idem fatetur Actor. capite 20. Quæ fuerit illius res manuaria extat Actorum cap. decimo octauo, vers. 3.

VI. *Conuitiis affecti, bene precamur, persecutionem passi, sustinemus, infamati, precamur.* Reuocat eos ad Christi præceptum, & piorum exempla. Christus enim hoc mandauit suis, Matth. 5. & præstitit hoc 23. Idem de Stephano legimus Act. 7. De Paulo hic legimus & alibi.

VII. *Purgamenta mundi facti sumus, omniū sordes vsque adhuc.* Ad summū crescit oratio, adeò vt verbis etiā prope destituatur, nec poterat magis deprimi supercilium assentatorū, quàm hac miserrima sorte Apostolorū. Περικαθάρματα sunt sordes vndiquaq; vertendo, collectæ, & expurgandæ. ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ & περικαθάρματος. Κάθαρμα piaculū significat: hoc est, hominē exitio destinatum: hinc περικάθαρμα quiddam amplius significat, q. d. peiores etiam habemur publicis piaculis, digni in quibus omniū scelera expientur. *Aller vvelt fluch vnd scand.* Περίψημα vertit Eustath. Homeri interpres ἀπόγνισμα, & ἀπόψημα. Deriuatur à verbo περιψᾶν, hoc est, abstergo, detero. Hinc περίψημα id quod liturando deteritur. *fyletten, sagspen, holtz mul.* quibus extremus contemptus declarari potest, q. d. *Vvir sint aller vvelt fuss vvusch, schulumpen.* Inde alij accipiunt vocem pro penicillo extergendis vestib. vel calceis idoneo. Nā καλλάμαγμα, & ἀπόψισμα significant extersorium. *Ein schulumpē, oder gevvand burst,* sed illud sordidius est: ideo huic loco rectiùs competit. Abeant nunc Corinthij ad suos doctores, & contemplentur in eis vtrum talem sortem deprehendant. Et nos hodie conferamus hanc ideam, cū proceribus Ecclesię Christi. Dominus Christus non est vsus meliori sorte, nec Paulus, nec Apostoli quoq;. Et testantur scriptores de primis Christianis idem. Tertull. in Apolog. cap. 27. hostes humani generis habitos fuisse scribit, & cap. 7. dira scelera in eos conficta ait, infanticidę, incesti dicti sunt. Et cap. 45. desperati, perditi. ca. 16. asinarij. Hinc nec mortuis parsum est, quin illos de asylo exertos auellerent, & dissecarent semiputridos. capite 36. Si Tyberis ascendit in mœnia: si Nilus nō ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianus ad Leonem acclamatur. Hoc reuera erat περικάθαρμα fieri pro aliorum flagitiis. Similia legimus apud Iustinum Martyrem in Apologia prima pro Christianis. Vbi refert quæ crimina falsò Christianis fuerint imposita, vt apud Euseb. in historia Ecclesiastica libro quarto capite octauo, & libro quinto capite quinto. Attamen Dominus eis robur & constantiam dedit, vt fregerint hanc Satanæ rabiem. Quod obiecit Ethnicis Tertullianus. Nam cùm leonibus non possent deterrere pias matronas à confessione, tandem acclamatum est, Christianam ad Leonem, quia viderent apud pios labem pudicitiæ omni pœna & omni morte atrociorem haberi.

Κάθαρμα.

Cap. vltimo.

Hac constantia proruperunt sancti, vt cùm essent extorres, omnia replerent, prouincias, insulas, vrbes, forum & senatum, sola templa Ethnicis reliquêre. Interim habebantur præsumptuosi, desperati, & perditi. Sed satis de sorte Christiana, quam postera ætas in delitias conuertit exemplo Corinthiorum, adeò vt hodie etiam sub Euangelio opes, saturitatem, & potentiam omnes propè quæramus, &c.

14. *Non*

14. *Non vt vos pudore confundam hæc ſcribo, ſed vt filios meos dilectos admoneo.*

Viſa eſt oratio Pauli habere magnam acerbitatem. Nam & inflatos dixit,& vana qua dam opinione ſub Euangelio ſomniare ſaturitatem, opes & potentiam, factiones & ſectarum ſtudium ſæpe exprobauit. Vnde non immeritò ſeueritatis accuſari poterat Apoſtolus: ideoque ad finem nunc ſtyli acerbitatem excuſat apud Corinthios, ne ſiniſtro aliquo affectu illa omnia profudiſſe videri poſſet. Excuſat autem factum ſuum à cauſa finali, quia totum hoc affectu paterno, ad ipſos emendandos fecerit, ac mox affectū hunc pium eſſe probat, quia primus miniſter Euangelij apud eos fuerit,& ideo in Chriſto pater, reliqui verò aſſentatores, pędagogi potiùs plagioſi. Ex quo efficit, reliquis omnib. neglectis, ſe vnum eis imitandum eſſe. Quod vt faciliùs obtineret, Timotheum quoque legatum addit, vt quod exempla mala non poſſunt obtinere, efficiat ipſe viua voce. Denique etiā ſuum promittit aduentum, adeò vt tribus validiſſimis argumentis illos ad ſui imitationē reuocet, ſcripta Epiſtola, legato Timotheo,& ſui aduētu promiſſo. His cōcluditur prima illa quæſtio de diſſidiis corrigendis, quæ nomine profeſſorū exorta fuerant. Ὑπόθεσις.

Πρόθεσις. Tantum abeſt, vt Corinthij Apoſtoli ſeueritate offendi debeant, vt hunc vnum, aliis omnibus neglectis, imitari debeant. Propoſitio

Partes ſic cohærent. Primùm excuſatio ſcripti ſui affertur. 2. adhortatio ad ſui imitationem. 3. Cur Timotheum mittat. 4. ſuum etiam aduentum promittit certis de cauſis. Partes

1. Excuſatio ſcripti ver. 14. *Non vt vos pudore ſuffundam.* Pręoccupat offenſam, vt leniat illorū animos. Imò confeſſio eſt obiurgationis,& ſeuerioris ſcripti. Hæc ſcribo ſc. acerbiùs & ſeuerius, vt vobis videtur. Fatetur quod verum erat,& negari non poterat. Deinde remouet falſam cauſam. Non vt pudore vos ſuffundā. Cōfuſio ſolet ab inimicis metui, qui traducere ſolent, nec aliud ſpectant, ſic ego non reprehēdo vitia veſtra & mores veſtros. Tertiò affert verā cauſam, paternū ſc. affectū, erga filios. Filij ſeueritatē patris non iniquius interpretantur, quia de animo eius certi ſunt. Obſeruandum eſt obiurgationes moderandas eſſe aliqua lenitate: ſic Apoſtolus hic probat Corinthios non debere offendi aſperitate orationis ſuæ: ratio eſt, quia ab affectu paterno proficiſcitur.

15. *Etſi enim decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, non tamen multos patres.*

Rationis eſt confirmatio, quaſi dicat, alij de neceſſariis nō admonent, quamuis & ipſi ſint auſteri interdum, ideo mihi hoc faciendum fuit. Quòd alij autem non faciant, indicat per metaphoram pędagogi. Pater generat filium,& alit, adultum committit pędagogo inſtituendum. At pædagogus non mox animum gerit paternum, ſed ſunt quidam etiā plagioſi qui tyrannicè tractant iuuentutē, pater non perinde: ſic veſtri illi aſſentatores quidem multi ſunt, ac pædagogi potiùs quàm patres. Me vnum patrē in Chriſto auſim vobis promittere. Ratio mox additur, quia *in Chriſto vos genui per Euangelium.* Hoc veriſſimè ſumit ſibi, quia primus Corinthi Euangelium docuit, Eccleſiam inſtituit,& puritatem doctrinæ reliquit. Vt igitur pater filium generat,& mox pædagogo committit, ſic Apoſtolus Corinthios conuertit ad Chriſtum, & ſucceſſoribus iſtis reliquit, qui eos corruperunt potiùs quàm ædificarunt. Cohæret eleganter orationis ſeries. Propoſitio, Boni conſulenda eſt vobis mea aſperitas, Αἴτιον qui ab animo paterno prodit. Αἰτία κατασκευή, quia in Chriſto vos genui per Euangelium. Ergo pater ſum ſpiritualis,& vobis boni conſulenda eſt mea inuectiua, ago cum filiis contra plagioſos pædagogos.

16. *Adhortor igitur vos vt imitatores mei ſitis.*

Illatio eſt, quam ex ſuperiori argumento efficit, q. d. veſtri doctores pædagogi ſunt: ego verò pater in Chriſto: decet autem filios pædagogos imperioſos non ſequi, ſed patrē potiùs imitari, ego pater ſum. Ergo me imitemini. Primùm obſerua quum patris iure vti poſſet, non fecit, hoc eſt, quum imperare poſſet authoritate Apoſtolica, preces potius adhibuit, ac rogat, quod iubere poterat. Duci interdum malūt homines quàm trahi. Deinde quòd ſe vnum omnibus doctoribus Corinthiorum opponit: Magna eſt in bona cauſa confidentia, & indubiè hoc retuſi ſunt mirificè illi eloquentes & ſapientes doctores. Tertiò imitandum ſe propoſuit. Sic Philip. 3. imitatores mei eſtote fratres,& infrà cap. 11. explicatiùs dicitur: imitatores mei eſtote, vt ego Chriſti. Et ad Epheſ. 5. imitatores Chriſti ſitis. Itaque hìc ſe non aliter vult imitandum eis proponere, niſi quatenus ipſe Chriſtum imitatur, ſynceritate doctrinæ, vitæ innocentia, pacis ſtudio, concordia, beneficentia, tolerantia crucis. Quæ ſi fecerint, facilè corruet iſta magnifica omnia, quæ ſomniabant illorum doctores, vt ſaturitas, opes, potentia, eloquentia & ſapientia carnalis. Pauli modeſtia. Quatenus ſe imitandum proponat Apoſtolus.

17. *Hac de cauſa miſi etiam vobis Timotheum, qui eſt filius meus dilectus.*

Hactenus explicata eſt propoſitio, tantū abeſt, vt offendi debeant, vt etiā vnicū hūc ſibi imitandum eſſe putent. Nunc de Timothei aduentu ſcribit, qui eadem de cauſa mittitur, vt ſcilicet epiſtolæ patrocinetur,& eos ad Pauli imitationem oretenus inuitet.

Timothei laudes.

Considera hic primùm illius laudes. Primùm filius dilectus dicitur, quia sunt etiam filij rebelles,& immorigeri. Deinde quia filius in causa patris rectissimè mittitur,nominatim ad fratres. Corinthij filij sunt,qui degenerauerant. Ideo Timotheus iisdem filius dilectus mittitur, vt fratres reuocet ad institutiones paternas. Præterea nemo magis obstringitur errantibus fratribus quàm frater. Altera commendatio est quòd sit fidelis in Domino, h. e. in docendo Euangelio nihil sui quærat,sed se totum Christo Domino impendat. Opponit igitur Timothei fidelitatem primùm malis illorum doctoribus, qui in hac causa non erant Christo fideles, quum sibi potius compararent sectatores quàm Christo. Deinde Corinthiis etiam,qui videbantur à Pauli doctrina defecisse,&ob id ne ipsi satis fideles, nec præceptori Paulo, nec Christo redemptori. Ad Philipp.2. non solùm filius dicitur, sed ἰσόψυχος Pauli in Euangelio docendo. ad Thes. cap.3. frater dicitur,minister Dei,& συνεργὸς Pauli in Euangelio,sed de eo plura diximus Act.16. Deinde expende hic causam missionis, quæ est, vt eis in mentem reuocet vias Pauli. Itaque prius iam edocti fuerant de iis quorum iam requiritur solùm reminiscentia. Nec enim permittit Timotheo,vt de suo aliquid addat doctrinę Apostolicæ:sed iis insistere debet

Quid per τὰς ὁδὸυς significet.

quæ Paulus docuerat. Viæ autem dicuntur mores,vita ipsa,consuetudo viuendi,doctrina quoque,& professio. Vtrumque hic accipi potest via doctrinæ,& via morum. Vtrũque in Christo coniungit,quia professionem oportet vitę & moribus ornare. Ac ne cõquerantur plura ab ipsis requiri quàm ab aliis,cauet hoc,quia,inquit,sic vbique in omni Ecclesia doceo,hoc est,mihi plus à vobis,quàm ab aliis requiro. Alias Ecclesias quoque ad meum exemplum astringo,vt doctrinam,&mores meos,in noua professione imitentur. Nõ est igitur cur vos grauari queramini. Atque hoc totum oretenus Timotheus poterat commodissimè Corinthiis explicare: vt sic ab assentatoribus illis sensim auellerentur. Interim Paulus non vult vt in suum iurent nomen, quum nolit de se Paulinos, aut Paulianos dici,sed de Christo,Christianos.

18. *Quasi non sim venturus ad vos inflati sunt quidam.*

Tria sunt per quæ conatur Corinthios reuocare ad intermissam Euangelij simplicitatem,per epistolam,per Timotheum,ac tandẽ per suam præsentiam. Epistola argumentis plena est,Timotheus tamen quædam planius poterat coram explicare. Omnium efficacissima futura erat sua præsentia. Ideo de hoc postremo agit.

Falsorum doctorum ingenium.

I. Initio expende causam sui aduentus. Inflati sunt quidam quasi non sim venturus ad vos,inflati sapientia,& eloquentia carnali. Doctores perstringit,hinc illi commiscebant euangelio alia quoque,quę indubie sanioribus displicebant,vt dicerẽt:Certè si rediret Paulus illa non ferret. Istis mox respondebant ex aduerso, ne speretis Paulum rediturum ad vos,mille occasiones illum intercipiunt. Ita eludebãt eius aduentũ,&confidenter rem suam persequebãtur. Hos ergo retundit,quasi nõ sim ad vos rediturus quidã superbiunt:imò quicquid illi dicãt reuertar ad vos. Vide quid absentia boni doctoris possit. Ecclesia bene instituta corrumpitur à superbis successoribus, quo præsente nunquam fuissent ausi vel mutire. Familia absente patre facilè corrumpitur:sic discipuli absente præceptore. Idem in Ecclesia fit. Multum contrà prodest boni ministri præsentia.

Deinde vide quomodo reditũ suũ promittat, *Si Dominus voluerit.* Conditionaliter loquitur. Sic.n.pietas suadebat,vt Iac.4. Sic loqui nos docet suprà c.1. Ad Rom. simili forma loquitur,& in Act.19. Impulsus Spiritu sancto dicit,Oportet me etiã Romã videre.

Pauli aduentus quis futurus sit vsus

Tertiò quis futurus sit vsus sui aduentus, Cognoscam non sermonẽ istorum inflatorum,sed virtutem. Maximus igitur erit vsus, quia examinabit illorũ doctores superbos & in examine non eloquentiæ habebitur ratio,sed virtutis λόγος est eloquentia humana,& sapientia carnalis,qua fucabant doctrinam Euangelij. His opponitur δύναμις hoc est,virtus rectè viuendi. Nam illi ore tenus philosophabantur de Christianismo:vita autem & moribus parum respondebant. Somniabant saturitatem,opes,potentiam,&c. vt hodie bona pars Christianorum philosophatur in religione, sed ineptum illud est. Alij δύναμιν intelligunt miraculorũ.q.d.videbo an miraculis sua probare possint,vt nos Apostoli facimus. At non est satis tutũ miraculis credere, & superbius esset ad illa prouocare,ideo priorem sensum sequor. Summa est,non esse satis magnificè de pietate philosophari, sed oportere accedere δύναμιν, quæ idipsum vita & moribus exprimat. Ratio addita est,quia regnũ Dei nõ est in sermone,sed in virtute. Regnũ Dei vocat vim cõsequendi vitã æternã,quæ regnũ Dei dicitur sæpe in nouo Testamento,q.d. vita ęterna nõ obtinetur sermocinando,sed agendo:Beati si scientes ista feceritis eadem. Regnũ Dei non est mortua disputatio,sed agens vita,viuidum quiddam est,&quod in actione versatur.

Regnum Dei quid significet hoc loco.

Quid vultis? Concessio est,qua lenit cõminationis asperitatẽ,q.d.qualẽ vultis talem habebitis, vestra sit optio, cũ baculo veniámne ad vos,an cum spiritu lenitatis. ῥάβδος

symbolum

ſymbolum eſt imperij,& ſeueritatis.Cum baculo igitur venire eſt ſeueriter venire,ſtudio puniendi. Ac reſpicit ad cœptam metaphoram, qua ſe patrem dixerat. Pater ſum, veniamne igitur cum baculo? Si pater accedat cum baculo filios immorigeros, vtique eſt quod timeant. Sic Paulus ſi cum ſumma poteſtate Apoſtolica veniret Corinthum, vtique terribilis foret illius aduentus alium daret Sathanæ vt Alexandrum, & Hymenæum.1.Timoth.1. Alios cæcitate percuteret,vt Elymam Magum, Act. 13. Alios ſubita morte plecteret,vt Petrus Saphiram & Ananiam, Act.5.Alios excommunicaret, vt ſequenti capite iubet illum pollutum inceſtu. Hoc vtique fuiſſet venire cum baculo, hoc eſt ſumma Apoſtolica authoritate. Verùm quia gerit paternum affectum, non ſic venturus eſt.Ideo optionem concedit,ſignificans mitiorem modum illis eligendum. Venire ergo in charitate,& ſpiritu lenitatis, hoc competit patri,& conducibile eſt filiis. Ita culpam mali in doctores transfert, quaſi dicat, cum immorigeris filiis mihi negotium quidem eſt, ſed culpa eſt in pædagogis, qui talia docuerunt.Parcendum igitur filiis, & examinandi pædagogi,&c. Venire cũ baculo.

CAPVT V.



Orrexit hactenus ſtudium ſectarum,&factiones,quas nominib.ſuorum doctorum inſtituebant. Et quia horum cauſa erat perſuaſio carnalis ſapientiæ & eloquentiæ,ideo iſta dona aliquantulum deiecit, ſignificans nõ tam iſta,quàm ſpiritum Dei reſpiciẽdum in miniſtro, qui etiam efficaciter operetur in iis,qui illis deſtituti ſint.Nunc ſecundum correctionis aggreditur locum.Nam Corinthij non vno,ſed multis laborabãt vitiis,qui error, eò grauior erat, quòd illa non reputarent vitia eſſe.imò his tanquam virtutibus quibuſdam ſeſe efferebant. Inter illa vitia erat etiam lenitatis crimen, quòd ſceleratos impunè ferrent inter eos. Hanc lenitatem in tolerandis flagitioſis acriter taxat, ſignificans non lenitatem, ſed ſuperbiam quandam eſſe, & impœnitẽtiam. Ac vt res clarior ſit,profert exemplum illuſtre de inceſtuoſo homine, quem ſine emendatione ferebant. Mox (quod illi neglexerãt) formam corrigendi præſcribit,finem etiam pœnarum,& ad quos talis pœna ſpectet,non ad omnes flagitioſos,ſed eos tãtùm qui in Eccleſia ſunt, de exteris non oportere eſſe curioſos. Hæc fermè hoc tractantur capite. Quibus admonemur, quid faciendum ſit miniſtris dum ſtertit Eccleſia in puniendo: nimirum omni ſtudio in id incumbendum eſſe,vt palam ignauia cum peccatoribus traducatur. Huc facit quod Eſa.dicitur,Clama & vocem tuam exalta,&c.Et Iere.1.Conſtitui hodie te ſuper Gentes. Et Ezech. 3. Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael,& annunciabis eis,&c.Deinde hinc luculentum depromi poteſt exemplum quis ſit fructus malæ doctrinæ. Corinthij habebant aſſentatores miniſtros,qui quanquam doctrinam Chriſti proponerent:id tamen ita vt ſuborirentur noua flagitia & illa impunè ferrent, quæ ne Ethnici quidem tuliſſent.Ita ſolet mala doctrina malos ſemper producere fructus. Arg.huius cap.

Πρότασις generalis hic eſt, Homines Chriſtum profeſſi, quoad fieri poteſt flagitioſos vitare debent.In primis verò eos qui membra Eccleſiæ haberi volunt, interim profeſſionem ſuam contemnunt.Sed eſt ſpecialis etiam hîc expendenda,Corinthiis omni ſtudio laborandum eſſe,vt inceſtuoſum hominem,ſuo & Eccleſiæ bono ad tempus excludant. Hæc primò ſpecialiter explicatur. Propoſitio

Partes ita cohærent. Initio ſcelus illud deſcribit:fœdum.n.eſt ipſo nomine,ideo maluit depingere, vt intelligeretur. Deinde formam puniendi præſcribit. Quia enim ad puniendum ſegnes erant, excitat eos præſcripta formula. Tertiò finem pœnarum indicat, ne videatur perniciem miſeri hominis quærere. Duplicem finem indicat: ipſius,& Eccleſiæ bonum Quartò concludit rem vt propoſuit perſequendam. Quintò,ex hypotheſi ſtatuit theſin,de ſimilibus ſcilicet vitiis, præcipuè domeſticorum fidei eodem pacto ſtatuendum.Nam qui extra ſunt,hi debent Domini iudicio permitti. Partes.

1. *Omnino inter vos auditur ſtuprum.*

Sunt quædam flagitia etiam auditu fœda in quibus exprimẽdis vtilis eſt notatio per circunſtantias. Nam in his parcendum eſt piis auribus.Ita hoc loco nõ nominat ſcelus, ſed deſcribit, vt intelligi poſſit. Notationi tãdẽ ſubiicit πρότασιν. Ab hac nos ordiamur negotiũ.Propoſitionis verba ſunt,vt eliminaretur,qui facinus hoc perpetrauit.Πρότασις eſt,Omnino curãdũ vobis vt ex cœtu veſtro excludatur iſte flagitioſus. Hoc prius quidem factũ oportuit,ſed quia lenitate peccarũt,ideo Apoſtolus requirit in illis officium. Locus eſt de lenitate nimia,qua ſolemus etiã hodie nimiũ peccare,nõ tãti facimus peccatũ quanti erat æſtimãdum,& dum ſinguli ambiunt manſuetudinem,& lenitatis titulum,negotiũ Chriſti perdimus,& aperimus vitiis non feneſtras,ſed portas ipſas euerſis Aduerſus nimiam lenitatem.

cardinibus. Iam expende rationes Apostoli, cur hunc velit excludi à cœtu fidelium. Rationes sumuntur ex notatione. Primùm, quia est πορνεία. Ergo eliminãdum hoc facinus. In propositione vocauit ἔργον, sed quia bona sunt opera, ideo differentiis orditur flagitium designare. Πορνεία enim iam definit simpliciter esse ἔργον, sed malum est. Porrò dicitur πορνεία generaliter peccatum illud quo ligatus cum ligata, vel soluta peccat. Aut qua solutus cum maritata. Leuissimus gradus est, cùm solutus cum soluta peccat attamen peccatum est. Grauissimus autem est, quæ lædit naturæ, & consanguinitatis ius. Quo pacto præsens ille homo deliquerat. Procedit argumentum Apostoli à genere ad speciem. Πορνεία est excommunicanda: Ergo multò magis incestus.

Deinde flagitium est notorium. Quod expressit ὅλως ἀκούεται, q.d. celari non potest, lippis & tonsoribus notum est. Etenim Paulo absenti notum est, qui ergo non esset notum Corinthiis? Habet Ecclesia multos facinorosos, sed latitant, non innotescunt, ideo de his pœna sumi non potest, nec peccat Ecclesia, dum illi impuniti sunt, quia ignorantur, soli qui peccant de scelere sibi conscij sunt. At hoc non est tale, notorium est, ideo puniendum. Omne notorium facinus in Ecclesia debet eliminari, hoc quod vobis describo notorium est: Ergo eliminandum.

Tertiò, *ne inter Gentes nominatur quidem*, hoc est, adeò fœdum, & abominabile est, vt gentes non ferrent impunitum. Non nominari debet quod rarum est, & sine pœna non committeretur: alioquin nominatum est etiam inter Gentes, vt testantur luctuosa exempla Orestis, Oedipi, Neronis, Seleuci, qui Antiocho filio cõcessit vxorem propriam: sed quia legibus cautum fuit hoc genus veneris, hinc argumentatur Apostolus, Gẽtes punirent talem hominẽ. Ergo multò magis à vobis est puniẽdus. Vel Ethnici incestum excommunicarunt, vt ostẽdit exemplũ Oedipi. Ergo multò magis Christiani hoc facere debent. Turpe enim est fideles superari ab Ethnicis ciuilitate, & disciplina morum.

Quartò, *vxorem patris habet*. Hic demum digito indicat speciem vitij. Est.n. incestus quod dicit. An verò viuo patre abusus sit nouerca, vt fecit Ruben in familia Iacob: siue eo iam defuncto, parum refert, scelus inexcusabile est, &c. Quintò ab illorum ignauia imò superbia, & vana arrogantia. Quæ.n. hactenus dixit ipsius vitij conditionẽ spectat. Nunc à Corinthiorum officio neglecto, *Et vos inflati estis*. Antithesis est: grauitati criminis opponit negligentiam puniẽdi, q.d. Oportebat vos seueritate vti, & officium declarare. Id non facere vos miror. Si Corinthios interrogasses, vtique lenitatem fuissent interpretati, & humanitatem. Sed vide iudicium Apostolis, is interpretatur inflationem, hoc est, arrogantiã & superbiã. Significat.n. eos vel delectari eo vitio, vel non magni facere: quo sanè communicant cum scelere, & alieno vitio sese polluunt. Valet igitur ratio. Impune ferre tanta scelera in cœtu fidelium, non lenitas est, sed communicatio sceleris. Ergo est eliminandum ne superbi deprehendamur in contemptu vitiorum.

Sextò, *Et non potius luxistis*. Facinus est dignum publica pœnitentia. Ergo eliminandum. Luctus hic accipiatur humiliatio totius vitę ad expiandum flagitium aliquod coram Domino. Bis igitur peccarunt isti indulgentes lenitores. Primùm quia impunitum ferunt. Deinde quia ipsi nulla pœnitentia, & luctu publico Dominum placarunt.

His tandem subiicitur causa finalis luctus publici, quæ continet πρᾶξιν, vt eiiceretur qui hoc opus commisit. Magna indignatione vocat opus indefinitè, & è medio ipsorum eliminari, non enim dignus erat, qui sanctorum interesset cœtibus.

II. Forma puniendi vers. 3. Locus est de disciplina Ecclesiastica, seu de excõmunicatione, de qua diximus copiosiùs in locis nostris, ideò hic nolo digredi à proposito Apostoli. Indicabo orationis seriẽ, vt constet de argumẽtis. Hanc disciplinam indubiè Corinthij ab Apostolo didicerãt, vt nõ possent ignorantiã prætexere. Sed lenitatẽ didicerant à suis ministris, ideo seueritatẽ dãnarunt. Sẽtentia est, Publica authoritate, ideoq; omnium communi suffragio, potestate illis à Christo concessa, hunc excõmuninãdum.

Apostolorum cura pro Ecclesiis absentibus.

Primùm quia Apostolus absens illum iam damnauit ad has pœnas. Ergo illius pręiudicium tutò sequi possunt. Et rectè colligitur, absens ego elimino. Ergo vos pręsentes illum multò magis debetis eiicere. Absens, inquit, corpore, spiritu autem pręsens. Admonemur quanta fuerit Apostolorum cura pro Ecclesiis absentibus, quas non minùs curarunt, quàm dum præsentes essent. Deinde pios locorum spatia quidem disiungunt: At spiritus est, qui eosdem coniungit, hoc est, vnit consensu & charitate.

II. Deinde in cẽsura vestra, tãquã præsens agnoscor, tanquã præsens, hoc est, vnus de vestro cœtu suffragia vestra iuuabo. Ergo impigrè ad exclusionẽ pergite. Quia Apostolus etiam præsens cẽseri vult, admonet nõ extendi hanc pœnã ad absentes, sed præsentes oportere esse delinquentes. Hodie cõtrà fit, in absentes dirigitur sæpe hoc fulmen.

III. Ad formã pertinet quod in nomine Dñi suscipi debet, h. e. virtute & auspiciis Dei.

IIII. *Con*

IIII. *Congregatis vobis, & spiritu meo*, q. d. tam graue est, vt in id omnes animaduertere debeat. Deinde indicat nõ vni hãc potestatem cõmittendã esse, sed totius Ecclesiæ est imperium, ac vt tota excludit, ita tota pœnitentes recipere debet, nõ vnus vel alter.

V. *Cum potestate domini nostri Iesu Christi*. q. d. ille potestatẽ dedit, claues dedit Ergo his vtendum est: ad quid enim claues sine vsu, ad quid potestas nisi illa vtatur Ecclesia? Et confidentes reddit, quia Christum facit præsidem illius disciplinæ. Igitur animose animaduertendum in scelera tanquam Domino præsidente in eo iudicio.

Ecclesiam sibi commissis clauibus vti debere.

VI. *Tradatur Satanæ ad interitum carnis*. Satanæ tradi debet, singulari aliqua nota malis spiritibus vexandũ relinquere: Quod de Alexãdro & Hymenæo se fecisse scribit Apostolus ad Timotheũ, vel morti tradere, vt in Actis Ananias & Saphira à Petro exclusi sunt, vel quòd ipse exclusus in se cupiditates carnis mortificet, veræq; pœnitentiæ certa edat signa. Sed priore significatione arbitror hic tradi Satanæ, dici, vt exclusus sentiat aliquod Satanę flagellũ. Alioquin facile contempsisset hanc seueritatem, vt hodie fit. Paulus in Act. 13. non vano vsus est commento cum Magum cæcitate percuteret, & Elias cùm ignem deduceret, Elisæus cùm vrsos emitteret in pueros eludentes. Tale quid fuit illa excommunicatio Apostolica, quæ signa præsentiæ diuinæ ederet. Mansit ista integritas diu post tempora Apostolorum, vt nõ esset inane terriculamentum. Hodie res tota in admonitionibus posita est, & animaduersione politica iure gladij. Disciplina tota exosa reddita est abusu Banni Papistici. Vide locos nostros.

III. Finis exclusionis est bipartitus. Prior ipsum exclusum respicit. Posterior Ecclesiam. Ad illum pertinet, vt spiritus saluus fiat in die Domini Iesu. Spiritu opponit carni. Caro imprimis peccauit, & ad societatẽ peccati illexit spiritum: ita totus homo reus est. Salus autem primùm ad spiritum pertinet, quia deserens corpus statim migrat ad Dominum. Hæc igitur dici potest dies Domini. Deinde nouissimo iudicio restitutum corpus suo spiritui cum eodem beata vita perfruetur. Ita salus spiritus ad corpus etiam deriuatur, vt totus homo saluus sit. Dies Domini igitur, vel mortis est hora: vel nouissimum iudicium. Fructus ille est veræ pœnitentiæ, quæ per exclusionem excitatur in peccatore. Hinc valet argumentum à fine. Omnes debetis emendationem peccatoris spectare, sed id fiet sola seueritate vestra, non lenitate. Ergo illa vtendum est.

Excommunicationis finis.

Alter finis respicit Ecclesiam. Omnib. vitanda est vobis contagio: impunitas illa alit contagionem. Ergo est eliminanda. Minorem illustrat metaphora illustri, quam sumpsit ex ritu agni Paschalis, in quo omne fermentum erat ex ædibus illorum eliminandum aliquot diebus. Ac initio repetit obiurgationem. *Non est bona*, inquit, *vestra gloriatio*, quasi dicat, gloriamini in lenitate, & titulo clementiæ, vultis clari videri, non est bona illa iactantia, hoc est, non est vtilis, est damnosa. Quicquid damnosum est Ecclesiæ, debet vitari. Impunitas scelerum damnosa est. Ergo vitanda piis.

Deinde metaphoram explicat illorum etiam confessione. Vrget.n.eos cõfessione. An nescitis quòd paululũ fermenti totam massam fermentat? Fermentum significat corruptos mores, q.d. quæ ratio est fermenti ad massam aliquam, eadem est etiam vnius peccatoris ad totam Ecclesiam: sed modica etiam portio fermenti inficit. Ergo vnum etiam peccati exemplum contagionem inducit. De fermento vide locos nostros.

Fermenti significatio.

7. *Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.*

Castigatio vitiorũ triplex est. Verbo.n.nudo castigantur, dũ de pœnis cõcionatur doctrina, & illas flagitiosis denũtiat. Deinde accedit acrior inquisitio, vt flagitiose viuẽtes disciplina publica coërceantur. Tertio loco qui sic non emendantur, tandẽ iure gladij à magistratib. cohibentur. Priores duos modos Ecclesia sequitur, vtiturq; imprimis dum magistratu ordinario destituitur. Posterior politicus est, ideoq; nõ pertinet ad potestatem Ecclesiasticam, sed magistratib. est concessus. Ideo in præsentia Apostolus de disciplina loquens, separationem tãtùm vrget, quia potest exerceri, etiam sine politico magistratu. Ac in ea fermè illa quinq; exposuit. Primùm quis sit excludẽdus, notorius peccator, qui dum frater haberi vult, sese polluit grauiori aliquo scelere, ideo extra cœtum cuiusque Ecclesiæ non extenditur. Deinde per quos fieri debeat, per totam Ecclesiam, aut per ordinarios ministros consentiente tota Ecclesia. Tertiò, ob quid? Ob notorium peccatum. Nam de occultis non sumit sibi iudiciũ, sed Deo cordiũ ęstimatori relinquit. Quartò, cuius authoritate fieri debeat, Christi authoritate & potestate. Is enim hanc dedit potestatem Ecclesiæ ad conseruationem doctrinæ & vitæ honestæ. Quintò, quo fine, Emendandi peccatoris causa & liberandi Ecclesiam à contagione peccati. Illa fere sunt capita præsentis disputationis. Ac quod contextum attinet, supersunt nobis adhuc duo membra: quartum sc. & quintum. In quarto requirit à Corinthiis Christiani hominis officium per illationem, quæ superioribus cohæret quadam consequentiæ

Tribus modis castigari vitia.

forma. In quinto hypothesin ad thesin deducit, docendo quid in genere de omnib. flagitiis sit in Ecclesia statuendum. De his igitur nobis est adhuc agendum.

Corruptos mores expurgãdos.

7. *Expurgate igitur.* Officium Christiani hominis est expurgare vetus fermentum, hoc est, corruptos mores, cu natura sua vitare quoad fieri potest. ζύμη corruptos mores denotat, quo sensu iubet flagitiosè viuentem excludere. Sed infrà mox fermentum naturæ corruptionem in qua nascimur denotat, quod alias dicitur homo vetus. Rom. 6. Eph. 4. Deponite veterem hominem. Col. 3. Et quidem eleganter hoc fit. Nam fermentum mirificè inflat: sic hominis natura corrupta elatos reddit. Accipitur etiam pro doctrina tam bona, quàm mala, de quo video locos nostros.

Quod si priora respicias, rectè denotabit flagitiosè viuentem. Expurgate vetus fermentum. Quare? quia modicum corrumpit totam massam, hoc est, vnius conuersatio multos inficiet.

Deinde alia hic est posita ratio, *Vt sitis noua conspersio.* φύραμα opponit fermento. Significat autem renatos oportere renati hominis edere fructus. Sic de noua creatura loquitur 2. Cor. 5. Gal. 6. Eph. 2. & 5. cap. Col. 3. Sententia est, Christiani per se debent esse renati moribus. Ergo in aliis corruptelam ferre nõ debent. Tertiò estis Azymi, hoc est, debetis esse azymi, fermento carentes. Hic finis & scopus est, vt totis viribus incumbatis in hunc finem. Ergo & nunc idem vobis elaborandum est. Manet in suscepta metaphora, qua morum sanctimonia docetur.

Quartò, *Christus Pascha nostrum est iam immolatus pro vobis.* Pascha, hoc est, Agnus Paschalis, de quo Exod. 12. q. d. oportet festi rationem ac ritum obseruare, quod est festiuiter viuere. Ac Paschalis festi ratio est vitare omne fermentum, nos analogicè festum hoc celebramus. Ergo decet innocenter viuere, quòd fermentum Dominus noluit in eo festo. Vel argumentum fit à dignitate mortis Christi, quasi dicat, habemus agnum Paschalem, non pecus de grege selectum, sed filium Dei, qui tulit peccata nostra. Ergo

Ioan. 1. 29.

oportet dignè tanto beneficio ambulare. Ioan. Baptista hunc agnum digito monstrauit, & dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Semel sese obtulit: ideo non opus est sacrificium hoc repetere, quia sufficit semel oblatum esse. Sacrificium Christi in Ecclesia tamen semper durat vsu, & effectu: ideo ἀναίμακτον & ἄθυτον id vocarunt veteres: incruenta enim est hostia.

8. *Itaque festum celebremus.*

Cuiusmodi festa celebrare Christianos deceat

Cõclusio est per expositionẽ. Ἑορτάζειν, h. e. hilariter viuamus, feriantium more. Pietas enim nõ in tristitia & rigore posita est: imò hilares requirit cultores Christus. Interim gaudiũ hoc non excludit molestias, quia crucẽ agnoscit comitẽ, sed hilaris est conscientia in omni fortuna fideliũ. Addit modũ, nõ in fermẽto veteri, h. e. lætandũ est, sed nõ in naturæ malitia, sed ratione festi nostri. Argumentũ est. Qui festum celebrant, debẽt ritus illius festi seruare. At Christi celebratis festum. Ergo illius ritus obseruare oportet. Ritus autẽ illius est, vt sine fermẽto celebretur. Fermentũ aũt intelligo κακίας, significat κακία peruersitatẽ animæ, quæ cõplectitur omnium virũ corruptionẽ, in qua nascimur. Πονηρία autẽ est illius fructus, affectata quædam improbitas, qua aliis molesti sumus, ac intolerabiles, ἀπὸ τοῦ πόνου dicta est. Εἰλικρίνεια est morum simplicitas, ac innocẽtia vitæ, quæ malitiæ potest opponi. Veritas versutiæ contraria est, nam mendacio est cõiuncta.

9. *Scripsi vobis per epistolam.*

Vltima pars capitis huius, qua dat cõmunem regulam, quid in genere de omnib. flagitiis sit statuẽdum. Indicat autem metas, quousq; censura illa Ecclesiæ extẽdi debeat.

Non esse versandũ cum flagitiosè viuẽtibus.

Initio repetit sententiam generalem, contra vitia notoria. Non esse conuersandum scortatoribus. Commisceri est vitæ vsum & consuetudinem cum illis habere: quod infrà dicit cum illis edere: & similia præstare. Hoc, inquit, cum flagitiosis nõ debetis. Obserua exclusionem Apostolicam interdicere vsum prophanarum & sacrarum rerum ad tempus: quod intelligi debet extra casum periculi vitæ. Non enim fame necandus est, nec defraudandus necessaria doctrina, & institutione cùm illius quæratur emendatio. Porrò vbi hoc scripserit ambigunt nonnulli. Sunt qui aliam quandam epistolam ad eos scriptam fuisse suspicentur, quæ tamen perierit. Sed non est difficile de hac ipsa sententiam hanc interpretari, ἐν τῇ ἐπιστολῇ, facilè accipi potest pro ταύτῃ ἐπιστολῇ, ac suprà in hoc capite dixerat, & nõ luxistis, vt tolleretur è medio vestri, qui hoc admisisset. Quibus verbis non obscurè prohibuit quod hîc dicit. Mox sententiam limitat, non de omnibus scortatoribus accipiendam, sed de iis, qui in ecclesia sunt. Inde nectit vitiorum catalogum, quę ad censuram Ecclesiasticam pertinent. Πόρνοι, scortatores, qui consuetudinem cum illa habent, cui matrimonij copula non sunt alligati: Πλεονέκται, qui in omni negotio sibi plus quã par sit arrogãt, *vorth viligolitt.* Ἅρπαξ raptor, qui per vim alteri

teri sua rapit. Idololatræ, qui idola colunt. Quod alij faciunt directè, vt Ethnici, coram statuis fictorum deorum procumbentes. Alij indirecte, vt hodie qui sanctos adorant, & colunt illorum statuas diuinis honoribus. Qui omnes inexcusabiles sunt. Nec est admittenda illorum excusatio, quòd nō statuas, sed sanctos in his colunt. Ratio est, quia scriptura passim cultum adorationis vni Deo attribuit: nec vllus tam sancte vixit cui eum concedat Deus, nec sancti vlli hunc sibi arrogarunt. Vanum igitur figmentum, quando dicunt se non imagines, sed in his colere sanctos.

Ratio autem cur disciplina Ecclesiæ ad sola eius membra debeat referri est, quia mundus hic deserendus foret. Ratio ducitur ab impossibili, non omnes peccatores sunt vitandi. Ratio, quia mundus simul esset vitandus, sed hoc inuito Deo nemo potest, nec debet. Igitur externi ad hanc censuram non pertinent. Egredi mundum, est vitam morte commutare, vel dicere, quærendus esset vobis alius orbis habitabilis cùm impossibile sit in hoc nostro mundo, cœtum reperire, qui omni labe careat.

Mundū egredi quid sit.

11. *Sed si quis frater nominetur.*

Plenior expositio in quos Ecclesia animaduertat. In eos qui fratres dici volunt, & tamen his sese polluunt. Explicat etiam quod supra dixerat commisceri, hoc est, *συνεσθίειν*, vna cibum capere, & quod alibi dicitur: Ne aue illis dixeritis. Itaq; ab omni consortio fidelium semouendi sunt, donec emendent mores.

In quos Ecclesiæ censura animaduertat
3. Ioan.

12. *Quid enim ad me?*

Ratio est cur externi peccatores non pertineant ad censuram Ecclesiæ: quia, inquit, non sunt domestici. Singuli de sua familia iudicant, non immittunt censuram in alienam familiam. Ergo in Ecclesia similis seruetur ratio, vt singulæ de suis membris iudicent. Admonemur exclusionem pertinere ad nostros, adeò vt alterius Ecclesię peccatores non possimus excludere, qua in re peccatur hodie. Ac satis curarum erat in singulis Ecclesiis regendis si hanc Apostoli regulam constanter seruassent, non ita corruptas haberemus Ecclesias, & ampliores quoque quàm nunc videremus.

13. *Eos vero qui foris sunt.*

Præoccupatio. Dicerent enim, quid ergo? Illi impunè peccabunt qui in Ecclesia non sunt? Melior igitur sors est Ethnici, quàm Christiani. Respondet Apostolus, non ita, Tu qui Ecclesiæ es membrum, censuram Ecclesiæ ferre debes, alter verò Ethnicus scortator, grauius feret iudicium, Dei scilicet, quod longè est grauissimum. Ita sanè vitiosi sumus in velandis peccatis nostris. Petrus Christo dicebat de Ioanne, hic autem quid? meritò audit quid ad te? Sic Corinthiis hic responderi poterat, Ethnicum relinque Dei iudicio, id nihil ad te, non tamen feret impunè, tu stes Ecclesiæ iudicio. Caput concludit repetitione propositionis, Profligate hunc malum è medio vestri, τὸν πονηρὸν dicitur de polluto incestu, quem seriò excludit. Aliter legi poterat τὸ πονηρὸν, malum eliminare, tum sensus est, non solùm istud flagitium ita puniatis, sed reliqua, de quibus ad eundem modum, vt nullum impunitum feratur in Ecclesia. Prior tamen lectio melius inseruit præsenti negotio, &c. De excommunicatione require locos nostros. Nolo hic repetere, ne actum videar agere.

Ioan. 21.

CAPVT VI.



INter vitia quæ Corinthij leuia iudicabant, etiam regnauit litigandi coram Ethnicis iudicibus licentia. Vt .n. dissidiis domesticis fauebant, & scortatoribus nimium erant faciles: sic ius suum tueri etiam coram Ethnicis iudicibus sibi liberum iudicabant. Hunc morem hic corrigit ac viam monstrat eluendi omnes litigandi occasiones: si scilicet paratiores simus ad ferendam iniuriam, quàm ad propulsandam. Rem multis rationib. confirmat. Inter cætera quòd de eo numero sit, quæ nos à consortio regni cœlorum, & vitæ beatæ excludunt, cui annectit nouam reprehensionem scortationis, cui vitio quantum dediti fuerint Corinthij, ex prophanis scriptoribus colligi potest. Et de eodem infrà dicemus.

Arg. huius cap.

Partes duæ sunt. Prior contra morem litigandi coram Ethnicis iudicibus. In quo iudicia per se non tollit, sed requirit sanctos iudices, & moderationem in persequendo iure nostro, vt non ob quælibet mox ad tribunalia iudicum deuoluamus. Posterior instituitur contra scortationem. Vtrunq; connectit catalogo, eorum vitiorum, quæ nos à regno Dei excludunt, ostendens diuinam excommunicationem imprimis timendam esse. Priorem nunc persequemur. Habet illa πρόθεσιν & κατασκευήν.

Partes.

Propositio est, homines Christum professi nō debent causas suas apud Ethnicum iudicem agere: sed, vel ferenda est illis iniuria: sin ferre nequeant aut nō deceat, deferre debent iudicio sanctorum, siue Ecclesię. Hoc Apostolus proponit interrogatione, qua rei

Propositio

absurditatem taxat. Audétne aliquis vestrũ causam habens cum altero iudicari ab iniustis, & non potius à sanctis? quasi dicat, res absurda est, & à professione renati hominis aliena. Πρᾶγμα ἔχειν πρὸς τὸν ἕτερον dicitur accusator nomen alterius deferens. Et κρίνεσθαι iudicium subire, disceptare, ac iudicis sententiam expectare. Sententia igitur est. Qui iudicio experiri volunt, non sub Ethnicis, sed piis faciant hoc iudicibus. Ad hanc propositionem accommodari debet contextus Apostoli. Ex quo resoluemus primaria argumenta.

Cõfirmatio Κατασκευὴ argumentorum. Primùm hoc fieri non debet, quia audax est facinus. Græcè dicitur τολμᾷ τὶς ὑμῶν; q.d. audacia est, & insignis temeritas. Est apud Græcos τολμᾶν sæpe in vitio, significans excessum & officij neglectum. Valet argumentum. Contendere coram Ethnicis iudicibus est temeritas & insignis audacia. Ergo summopere cauendum est piis. Antecedens Apostoli est, qui singulari admiratione, quasique stupens ait,
2. an adeò depuduerint, vt hoc aggredi ausint? Posterius dictat professionis nostræ ratio. Alterum à persona iudicis, quem accedunt pro iure dicendo. Est ille iniustus. Quid igitur boni sperabis? quasi dicat, tuus est hostis, & alienus à Christo, quem profiteris. Nihil igitur boni hinc speres. Ἄδικοι dicuntur ἄπιστοι, qui in Gentilismo suo viuunt, extorres à Christo. Ac tales rectè dicuntur. Primùm quia carent Christi iustitia. Deinde quia suam stabilire etiam non possunt: sed omni genere scelerum sese fœdant.

3. Tertiò, à persona fideliũ, quos illi spernũt. Sunt illi ἅγιοι, hoc est, sanctificati per Christum, quasi dicat, similes à similibus rectius iudicantur, vos vestris similes estis. Ergo his neglectis non debetis ad Ethnicos iudices prouocare, ignominiam electis inurentes.

4. Quartò à maiori. Electi mundum iudicabunt. Igitur etiam minora & forenses controuersias dirimere poterunt. Qui.n. quod grauius est, potest, etiam id quod facilius erit poterit. Mundus est cœtus malorum quē electi Christo præside in nouissimo iudicio dãnabũt. Christus quidem iudex erit viuorũ & mortuorũ: sed quo est erga suo amore prę-
Luc.22.30. ditus, eos sibi adiuget. Hinc Apostolus dixit: sedebitis super duodecim sedes, & iudicabitis duodecim tribus Israel. Et Apostolus de electis, obuiam ituros Christo in aërem. Hinc colligit, si mundus iudicabitur per vos, Ergone indigni estis iudiciis minimis? q.d. nulla est ratio cur indignos iudicetis: cùm Deus dignos faciat, per quos mundum damnet, vos his nugis nõ id oneris putatis? Hic sensus est, si per interrogationem legas. Sed potest etiam sine interrogatione legi, ad hunc sensum. In vobis hoc est, per vos cõdemnatur mundus. Igitur indigni estis, qui sic mutuò vos tractetis. Hic sensus reprehendit litigatores sumpto argumento à dignitate electorum. Deus dignos facit, vt per eos damnet mundum. Ergo tu illos non debebas in ius trahere ad tribunal Ethnicum.

Malos hic intellige angelos. Quintò, *Angelos iudicabimus*. Ergo iudicandis controuersiis huius mundi pares erimus. Iterum à dignitate ducit argumentum, & à genere, seu à toto, ad speciem descendit. Mundum iudicare totum est, cuius pars est Angelorum iudicium. Angeli hic sunt mali spiritus, quos pedibus electorum & censuræ ipsorum subiicit Dominus, id longè maximum est, Ergo nedum has vitæ nugas expedire poterunt?

Sextò, contemptissimus quisque inter electos illas controuersias expedire potest. Ergo multò magis reliqui. Et, si infimis committi potest causa, iniquè facitis prouocando ad tribunal Ethnicum. Cohæret hoc argumentum forma conclusionis superiorib. Nam Apostolus suam fert sententiam, quid illis sit faciendum. Illi enim dicere possunt, tu quidem prohibes Ethnica tribunalia nobis, sed vnde nobis idoneus iudex? Ecclesia nõ solùm caret magistratu, sed idoneis etiam personis, quib. disceptationes possint cõmitti. Respõdet Apostolus, id posterius falsum esse, sed infimos quosq; his causis esse pares. Magna est Ecclesiæ dignitas, infimos cẽset Paulus dignos officio iudicũ, priusquã concedat prouocationem ad Ethnicũ iudicem. Quid igitur de superiorib. non sperabimus?

Septimò, à pudore publico, nam litigare coram iudice Ethnico nihil aliud est, quàm Ecclesiam pudore afficere. Igitur in primis res est cauenda. Et quia illi pudore afficiebant Ecclesiam, meritò ab Apostolo pudore suffunduntur. Ideò pergit eos interrogando vrgere. Adeò non est sapiens inter vos qui possit iudicare inter fratrem, & fratrem? q.d. res incredibilis est, & mihi prorsus absurda. Posset certè vel vnus reperiri industrius arbiter cui disceptationes vestras committeretis.

Octauò, copiam iudicum inter vos habere potestis. Igitur nõ debetis apud Ethnicos iudices litigare. Hoc.n. tum demum concedendum videtur, si destituamini idoneis iudicibus in cœtu vestro, & iniuria talis sit quam nec ferre possis, nec debeas. Alioquin tibi ferenda etiam erat potius iniuria, quàm procedendum ad hominis Ethnici iudicium. Magna enim est penuria aliena indigere iustitia.

Nonò, frater est cum quo litigas. Ergo ne id facias coram Ethnico iudice. Nam fratris nomen

nomen hoc non admittit,imò cum fratre simpliciter litigandum non erat,ne apud fratres quidem.Ergo minus apud eum,qui frater nec est,nec esse vult.

X. 7. *Omnino igitur defectus est in vobis,quia lites habetis inter vos.* A coniectura argumẽtatur eos infirmos esse. Ac interpretatur quid sit litigare,nihil aliud quàm argumentum infirmitatis,& defectus cuiusdam. Omne ἥττημα sanctis quoad fieri potest cauendũ est:sed litigare coram Ethnico magistratu est ἥττημα. Ergò omnibus modis caueri debet. ἥττημα dicitur duplici modo. Primùm respectu contendentium in iudicio, inter quos si verus esset affectus amoris, vtrique non litigarent, sed sponte suam causam componerent.Est igitur defectus charitatis inter illos.Charitas non litigat,nulli facit iniuriam. Deinde est ἥττημα respectu reliqui cœtus, quem negligunt & contemnunt, malúntque apud Ethnicum experiri causam,quàm fratribus eam committere.Hic ἥττημα est sani iudicij.Ecclesiam contemnunt & risui exponunt apud iudicem.

Dupliciter intelligi posse hunc defectum. 1. 2.

XI. v.7.Potius est ferenda quæuis iniuria,quam ad Ethnici iudicis tribunal confugiendum. Igitur nullo pacto piis licet contempto sanctorum iudicio,illic litigare: Apostolus ait,cur non potius iniuriã fertis? cur non potius damnũ accipitis?q.d. vel hoc remedij oportebat vos adhibere. Valet hinc illud dilemna,piis aut litigandũ planè nõ est, aut faciendũ hoc apud pios iudices,hoc est,suæ fidei confessores. Prius membrũ docuit Christus,ne resistatis malo. Matth. 5. Et Apostolus ad Rom. 12. ne malum pro malo reddatis. Posterius concedit pietas, quandoquidem interdum iniuria talis est,quã non debetis ferre,vt si tutori negetur hæreditas pupilli, tutor non debet hanc iniuriam ferre, sed piorum iudicio cõmittenda,ne ipse fraudulentus deprehendatur. Si non sit in cœtu fidelium,sed inter infideles,iudicia publica inuocare potest, vt fecit Paulus ad tribunal præsidis. In propriis iniuriis valet, non esse contendendum de quauis re iudicio publico. Maluit Socrates etiam ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Magis igitur Christiani hoc debent eligere,sed prodimus hic nos quàm tenelli simus Christiani,cùm pro quauis vitiosa nuce lites instituimus. XII. A qualitate facti, litigare cum fratre apud Ethnicum iudicem, nihil est aliud quàm ἀδικεῖν & ἀποστερεῖν, hoc est, inferre iniuriam & damnum. Ergo cauendum est,quia simpliciter iniuriam facere malum est. Ergo fratri illam inferre malum & coram Ethnico iudice quoque malum.

In propriis iniuriis non esse contẽdendum.

XIII. Quia inter illa peccata connumeratur,quę nos à vitæ æternæ bono excludũt. Cauendum igitur. Priore argumẽto fecerat iniustitiæ speciem litigare in foro Ethnico. Nunc hoc loco assumit. Iniusti non habent locum in regno Dei. Cauenda igitur etiã hęc iniustitiæ species. Obserua vitam æternam nobis dari, vt datur hæredibus hæreditas. Deinde duplicem esse excommunicationem:aliam Ecclesiæ in his terris,quæ est disciplina quædam morum. Aliam verò Dei,qua ipse excommunicat atrociora peccata non in cœtu hoc Ecclesiæ:sed in vitæ æternæ consortio. Hanc illis comminatur nisi desistant à litibus suis. Hinc catalogum peccatorum nectit, quæ hanc vim excludendi habeant, nec tamen omnia refert,sed præcipua percurrit, quæ ipsis non tanti ponderis videbantur, scortatio,idololatria,adulterium,mollicies,pedicatus,ad libidinem inordinatã pertinent. Furtum,auaritia,rapina,ad studium habendi. Ebrietas ad voluptates,conuitium ad maledicendi studium,&c. De his singulis sui quærendi sunt loci.

Excommunicatio duplex.

XIIII. A conuersatione priore,tales eratis olim,h.e. scortatores,idololatrę,& similia fecistis dum gentiliter viueretis. Hoc quàm verum sit testatur prouerbium Corinthiari,quod Corinthios scortatores & lenones esse innuebat. Et autor est Strab. Veneris templum illic fuisse,in quo scorta supra mille prostabãt,corpore quæstum facientes. Inter hæc nobilissima olim fuit Lais, quã philosophi & principes accedebant. Aristippus gloriabatur se vnum habere Laidem,cùm alij ab ipsa haberentur. Fuerunt igitur Corinthij tales ante conuersionem,hoc est,scortatores,mœchi,molles. De idololatria etiam certũ est,cùm gentes hoc propriũ habuerint adorare idola. Minora videtur reliqua,furtum,ebrietas,rapina,conuitium,sed & ipsa nisi deponantur excommunicant. Ideò præsentem conuersationẽ minimè decent. Argumentũ igitur est tale. Litigare in foro Ethnico decebat veterem conuersationem vestram. Nouã autem hanc Christi professionẽ minimè decet. Igitur committi non debet. Ac dum reuocat in memoriam veteres mores, dolorem incutit sanioribus. Non enim sine pudore hosce mores audire possunt. Ac singulos notat, dum,inquit, quidam tales fuistis, καί ταῦτά τινὲς ἦτε, hoc est, singuli singulis tenebantur sceleribus, quæ vnà cum professione deposuistis. Ac vt non decet amplius scortari:sic non decet conuitiari,sic non decet in foro Ethnico litigare.

XV. A conuersatione renatorum,de qua nunc illi gloriabantur. Opponit enim corruptelæ superiori presentẽ conditionẽ sub Christianismo. Abluti estis,hoc est,agnoscitis merito Christi vobis peccata esse deleta,in cuius cõfirmationem baptizati estis,san-

ctificati estis, hoc est, spiritum sanctificationis accepistis, qui debet opera regeneratorum in vobis efficere. Iustificati estis, hoc est, recepti a Deo patre in gratiã, remissis peccatis. Addit organa per quæ tanta bona illis cõmunicata sint. Per nomen Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri. Christus.n. Dei filius Ecclesiam redemit, abluẽs proprio sanguine. Spiritus autem sanctus, quem eidem dedit, gubernat eam, & tuetur, ad innocentiã vitæ mores eius accommodans. Itaque rectè colligit litigare ad tribunalia gentium non est opus hominis abluti, sanctificati, & iustificati per gratiam Christi. Quid igitur tam rigide ius vestrum persequimini apud Ethnicos iudices? vbi est Spiritus regenerationis? Hactenus locus prior de litibus forensib. in quibus Apostolus a Christianis hãc requirit moderationem, vt ad ferẽdas iniurias paratiores sint, quàm ad litigandũ. Quod & Christus postulat dum iubet obuertere alterã maxillam. Interim si iniuria maior sit quàm vel ferri possit aut debeat, iudices Christianos deligendos censet. Ethnicos simpliciter prohibet. Nam scribit ad Ecclesiam, quæ quidem politico carebat magistratu, tanta erat interim, quæ posset arbitros litium suppeditare idoneos. Dum igitur haberi possunt in Ecclesia iudices, prouocatio non est concessa ad Ethnicos, nisi & hi corrupti sint, quemadmodũ Paulus a Iudæis ad Romanos præsides prouocat, & ab his ad Cæsarem. Act. 25. Respici hic primum debet genus iniuriç, quæ ferri debet, quandiu cũ ignominia veræ doctrinæ, causa Christi, & fama boni nominis coniuncta non fuerit. Oportet enim inculpabiles esse: hoc est, vt de innocentia nostra constet etiam aliis, nec vt fures, & homicidç afflicti debemus. In cçteris summa moderatione nos vti cõueniebat.

Math. 5.

Quodnam iniuriç genus ferri debeat. 1. Pet. 4. 15.

Deinde iudex causarũ expendi debet. Ethnicũ Apostolus hic prohibet, quia poterat haberi arbiter in Ecclesia ipsa, qui meliùs dirimeret lites. Sin in Ecclesia corrupti sint, non prohibet prouocationem ad Ethnicum tuendæ vitæ causa, quòd ipse fecit à Iudæis, qui nomen habebant Ecclesiæ, & populi Dei ad Cæsarem Romam prouocans.

Et hodie Ecclesia sic est corrupta, vt apud Turcicos iudices æquiores obtineant boni viri sententias, quàm ab Episcopis, & iis, qui Ecclesiæ proceres haberi volunt.

Tertiò ipsi litigantes. In præsenti causa litigabant Christiani cum Christianis, ideo penes ipsos erat cõsensus vtriusq; partis çstimationẽ causæ permittere fidelib. vti mandat Apostolus. Alia foret ratio, si fidelis cũ Ethnico disceptaret, tum vel ferẽda erat iniuria, vel forũ Ethnici sequendũ. Non.n. sui esset iuris. In primitiua Ecclesia rebus iam florentib. sub Imperatoribus, & Episcopis, simile quid introductum est. Nã vt ministris, & clericis in genere pax daretur maior consultum fuit, vt criminalia solùm ad ciuilem magistratum referrentur. Quæ verò ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebãt, per Episcopos diiudicabãtur. Controuersia verò bonorum, si inter clericos esset, ad Episcopum iudiciũ spectabat. Sin laici essent, ad politicũ magistratũ. Si verò laicus cũ clerico contenderet, non cogebatur laicus adire forũ Episcopi nisi volẽs: Clericus verò tenebatur forũ laici sequi si id peteret. Interim permittebatur Episcopo assidere, vt negotiũ faciliùs conficeretur. De quib. vide Authẽtica Collat. 6. constit. apud quos oporteat causas dicere monachos. Et collatione eadem, Cõstitu. vt clerici apud proprios Episcopos primùm cõueniant. Similes habẽtur leges in Codice libr. 1. de Episcopis & clericis, &c. sed ista alterius sunt argumenti. De iniuria quatenus ferẽda sit diximus in locis nostris, &c.

12. *Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent: at non redigar sub vllius potestatem.*

Argu. huius loci.

Locum de fornicatione ingreditur, quam Corinthij, vt superiora vitia, parum curabant, adeò vt rebus mediis annumerarent. Ideo Apostolus grauiter in illud inuehitur. Dominus seriò id prohibuit, Exod. 20. Non mœchaberis. Et Leuit. 19. filiam tuam non prostitues. Porrò initio indicat vnde iudiciũ sit informandũ de rebus mediis, s. si prosint proximo, & libertatem Christianã non tollant, vtiq; licitas esse iudicabimus. Sin aliquo horum peccant, illicitas existimare debemus. Hinc iusta occasione ex censu mediarum rerum eximit scortationem, variisq; argumentis eam incipit impugnare. Argumentis tandem subiicit propositionem, Fugite scortationem. Propositioni reliqua attexit argumenta, concludens cultum Dei tum demum integrum esse: si & corpore & spiritu illum pergamus colere: cùm enim vtrunque à Deo acceperimus, par est, vt vtroque authorem Deum celebremus, id si fiat, procul valebit scortatio. I. Iudicium de rebus mediis Corinthij perperam sumebant ex natura rerum, quia licitç sunt, ideo vbiq; & semper licitæ sunt. Hoc falsum esse docet Apostolus, sed fieri illicitas ex circũstantia aliqua: vt litigare in foro res media est, ideo licita. Ac si contra fratrem apud Ethnicũ iudicem litiges, res per se licita, illicita redditur. Sic de cibo, potu, stipendio docentiũ, matrimonio, virginitate, aliisq; cẽsendũ est. *Omnia mihi licent.* Corinthiorum est ὑποφορά. Hoc.n. telo lites suas forenses conãtur defendere: Christiana libertas concedit ius suum persequi

Vnde sumi debeat iudicium de rebus mediis.

qui. Ergo litigare mihi licet. Respódet Apostolus: at nō omnia códucunt. Ἀνθυποφορὰ dicitur, quia Pauli habet defensioné: qua telū Corinthiorū infringit. Ex quo docemur res medias ad charitatis regulā accommodare: si proximo obsint, si fidem illius lædāt, si infirmos offendāt. In summa, si non ædificent, desinūt esse mediæ. Et obseruanda est vniuersalis propositio. Omnia licét, s. honestate salua, licita & honesta. Non. n. vult furtum, homicidium, & similia licita esse, ideo καθόλου est ὡς μὴ καθόλου, in suo sc. genere. *Omnia mihi licent.* Altera est ὑποφορὰ Corinthiorum, qua res medias sibi indiscriminatim liberas conantur facere. Hinc mox respondet Apostolus per ἀνθυποφορὰν: verùm quidem est, sed ne ista licentia libertatem nobis euertat. Omnia licent salua ædificatione, & libertate, q. d. Libertas nobis retinéda, ne cogar mancipium fieri rerum mediarum. Quare vehementer errant homines qui in vsu rerum mediarū ponunt libertatem, cùm is potiùs libertaté in seruitutem redigat. Rectè dicit Horatius, is liber est, qui respósare cupidinibus, conténere honores nouit. Si vtar cibis quibusuis cū offensa fratris, nō est libertas, sed seruitus censenda. Vino vt abstinere nolim, mancipium vini me declaro: sic in aliis. Quo sensu accipiendū sit omnia mihi licent. Expositio.

13. *Cibus ventri destinatus est.* Ἔκθεσις est per exempla, Cibus conditus est propter ventrem, & véter propter cibum, inter hæc naturalis est ratio, & ordo laudabilis: attamen tanti faciendus non est, vt in illius gratiam debeam offendere fratrem meum. Ratio est, quia Deus vtrunque abolebit, hoc est, non est æternus, & perpetuus iste respectus. Igitur ædificationi non debet præiudicare. Eadem ratio est de litibus, aliisque, quæ sua natura ἀδιάφορα sunt. Mox addit exemplum dissimile de scortatione. Nam illi videntur in eo peccasse, quòd in censum adiaphorarum rerum etiam referrent scortationé, quasi parum referat scortari, &, vt ille Terentianus ait, non esset flagitium. Ac vt hoc credamus facit Corinthiorum & luxus, & Veneris templum, in quo publicè prostabāt scorta. Hunc igitur corrigit Apostolus, ad dissimile ostendit. Corpus, inquit, non ad scortationem refertur, sed ad Christum, & Christus ad corpora nostra. Obserua res tripliciter esse diuisas. Aliæ per se honestæ sunt, vt virtus charitas Dei & proximi, fides in Deum, innocentia vitæ. Aliæ per se turpes sunt, vt nunquam possis bene vti, vt scortatio, adulterium, furtum, homicidium. Aliæ adiaphoræ sunt, vt ciborum delectus, vestitus, litigare in foro, ducere vxorem. Quibus tam bene quam malæ vtuntur homines. Scortationem nō esse incésum adiaphora rum rerū referendā.

Deinde expende hìc imbecillitatem Ecclesiæ. Corinthij vt sancti priùs laudati fuerunt. At vide quanti errores apud eos deprehendantur, sectas alunt, incestum ferunt, litigant in foro, scortantur, & insuper rem mediam esse contendunt, adeò vt nō sit enorme peccatū scortari. Tantùm valet peruersa institutio, cui accedit naturæ malitia, quæ sibi libenter applaudit, vt hodie multis fiat plausibile nomen libertatis Christianæ, quo mox singuli ad suos affectus sint abusi. Hoc faciunt Corinthij in præsenti loco. Refert alibi Stobœus Romæ à matronis studiosè lectos, & interpretatos fuisse libros Platonis de Rep. quòd concederent communionem vxorum. Testabantur se illo argumento delectari. Sic Corinthiis in ore erat ad omnia libertas Christiana, vt hodie nobis.

14. *Deus autem & Dominum suscitauit.*

II. Secundò nunc exprefsè incipit contra scortationé agere. Nos indicabimus argumenta. Primùm a conditione sumitur rerum quæ ad aliquid dicuntur. Corpora nostra non ad scortationem, sed ad Christum referūtur. Ergo non scortationi, sed Christo impendi debent. Antecedens verum à fine rerum, quæ ad se inuicem dicuntur. Corpus propter Christum dicitur conditum: quia filius humanam naturam nō poterat assumere, nisi illa priùs esset condita. Ita ad finem præstantissimum referri debet non ad fines abusuum. Vt cōtrà filius Dei propter corpora nostra corpus assumpsit, sic mutua est relatio corporis ad Christum. Alterum hoc ver. 14. à spe resurrectionis. Quemadmodum Christus à mortuis resurrexit, propter nos homo factus: ita nos resurgemus corporibus nostris. Nolite ergo illa corpora fœdare libidine, & scortatione, quia pura oportet esse in resurrectione. Aut, quemadmodum Christus à mortuis purissimus resurrexit non amplius moriturus: ita vos ab affectibus & scortatione resurgite. Deus suscitauit Dominum Christum potentia scilicet communi, Patri tribuitur tanquam fonti & principio diuinitatis. Filius alibi eandem sibi tribuit, vt potestatem habeo ponendi animam, & eam resumendi. Summa, pura conseruanda sunt corpora nostra. 1. Corpora nostra ad Christum referri debere. Ioan. 10. 18.

Vers. 15. Tertium argumentum, non scortandum est, quia membra sumus Christi: nam illa per scortationem violenter Christo abalienantur. Id quàm sit absurdum interrogatione innuit, & clausula abominationis, absit. μὴ γένοιτο, quasi dicat, impiissimum est, imò sacrilegium Christo adimere sua membra, & incorporare scorto. 3.

Vers. 16. Quartū argumentū à natura contrariorum, Christus & scortum pugnantissima sunt, Qui igitur vni adhæret, ab altero separatur. Aut igitur deseréda scortatio: aut 4.

ipse Christus, vtriq; simul seruire nō potestis. Qui adhæret scorto, cum illo vnū corpus redditur. Quod probat en Gen.2. Et erūt in carnē vnā. Quo pacto ad Eph.5. etiā citatur. Et Dominus Christus Mat.19. eodē modo allegat. Quāquā sermo Adæ nō habeat (Duo) sensus tamen est idem. Erant.n. solùm duo Adam, & Eua, ideo tum nō erat error, Christus verò explicans mētē legis, necessariò addidit illam particulā, vt excluderetur polygamia. Sic Apostolus ad Eph.5. eadē ratione addidit. Et hic necessarius est iste sensus, vt ostendat hominē nō posse simul vnionē seruare cum Christo, & scorto. Quēadmodum nec maritus cum vxore legitima & scorto. Necessaria autem nobis est vnio Christi, vt cum eo simus vnus spiritus, hoc est, vno viuamus spiritu. Fugiēda est igitur vnio scorti.

III. Vers.18. Fugite scortationem, hic demum proponit. Rectè hoc sequitur ex superiorib. argumentis. Si Christo mancipati sumus, si spem resurrectionis habere volumus. Si Christi membra sumus, si illius vnionem conseruare cupimus, vtiq; omnibus modis curādum est vt ab omni labe scortationis nostra corpora præseruemus. Hoc pacto vim conclusionis habet propositio. Deinde non obscuram habet ἐκφώνησιν. Exclamat enim in sceleris abominationem, q.d. tantam pestem fugite, & presentissimam mortem, nihil nocentius, nihil lethalius est, fugite, fugite.

IIII. Persequitur reliqua argumenta exhortationis. Ac primùm à magnitudine mali, seu contumelia, quam proprio corpori infligunt scortatores. Argumentum à comparatis ducitur. Omnia quidem inquinant corpus, at scortatio maximè fœdum reddit corpus, hinc tot balnea, vnguenta, medicamenta contra mala quæ scortatores sequuntur. Ebrietas polluit etiam corpus, sed longè fœdior est pollutio scortatoris vtraq; mala, hęc pessima. Reliqua peccata magis videntur in aliena sæuire corpora, vt latrocinium, furtum, raptus, vsura, auaritia, &c. hinc 1.Thess.1. sanctificationem nostram in ęo ponit, vt abstineamus à scortatione, vt sciat quisq; nostrum, vas suum possidere in honore. Magna igitur est iniuria, quam propriis corporibus inferunt scortatores.

Scortatores in sua ipsorū corpora sæuire.

Alterum argumentum ver.19. An nescitis, quòd corpus vestrū templū sit, habitantis in vobis Spiritus sancti? à ratione cōsecrationis eos vrget. Vt tēpla externa pura conseruantur puro Deo dedicata: sic corpora nostra Spiritui sancto consecrata. Ac de externis manifestissimū est, vt testantur exēpla prophanātiū templa, Nicanoris, Oziæ, Iudæorum quos Christus flagello facto exegit à templo. Vestra autem corpora sunt templum Dei, h.e. castissima & purissima habitatio esse debent Spiritus sancti, nec est alia maior dignitas, quæ corporib. nostris possit tribui. Ergo cauēdum est à scortatione, quia illa porcorum stabulum efficit, pro Spiritu sancto Diabolū incolā suscipit, pro Christo Satanam.

Tertium, & non estis vestri iuris, q.d. læditis regulam iuris publici, qua prohibetur, ne quis res alienas temerè inuadat. Vos non estis iuris vestri, sed Christi. Ergo corpora vestra Christo non debetis abalienare. Sacrilegium est Deo res suas surripere. Fit autem id per scortationem. Quod autem non sint sui iuris probat ab anteactis. Redempti enim estis pretio, hoc est, pretioso Christi sanguine, non auro, vel argento, sed morte filij Dei empti estis. Non igitur vestri iuris estis, sed oportet vt ad nutum redemptoris vestri vitam instituatis. Is vetat scortationem.

Hinc infert Epilogum. *Glorificate igitur Deum corpore, & spiritu vestro, quæ Dei sunt.*

Duo sunt membra. Prius consequentiam habet superiorum argumentorum. Templum estis Dei, & non estis vestri iuris: Ergo Deum debetis glorificare corpore & spiritu, quia vtriusq; est author. Glorificatur Deus innocentia vitæ, honesta & pia conuersatione, secundum dictum Christi: sic luceat lux vestra coram hominib. vt videant opera vestra bona, vt glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis. Itaque castitas imprimis facit ad gloriam Dei. Deinde quia casti puriùs Deum & colunt, & inuocant quàm possint scortatores facere. Ac duo sunt quibus homo constat: corpus & anima: corpore glorificatur castitate seruata: anima, pia inuocatione, & adoratione. Et addit nouum argumentum, quæ Dei sunt, q.d. Vtrunque à Deo habetis, tam corpus, quàm spiritum, ergo vtrunque ad Dei gloriam facere debet. Non igitur satis est ore Deum fateri, & laudes eius spiritu celebrare: sed oportet vt illi honor præstetur, etiam corporibus vestris, quod fit puritate & innocentia vitæ. Nullus itaque locus scortationi dabitur apud vos. Atque illud est quod Dauid habet: Laudate Deum in operibus suis.

Matt.5.16.

CAPVT VII.

HACTENVS actum est de iis vitiis quæ apud Corinthios dominabantur sine reprehensione, adeò vt vix eo nomine reputarentur. Cuius generis in primis quatuor correxit. Primum quod factionibus essent dediti in illa Ecclesia, idque sub doctorum nominibus. Deinde nimia peccarent lenitate in ferendo homine incestuoso. Tertiò quòd nimium faciles ad litigandum, præsertim

Breuis repetitio superiorum.

coram

coram Ethnicis iudicibus. Deniq; scortationib. dediti essent. Ista correctione opus habebant eo maiore, quantò ab ipsis magis contemnebatur. Nunc ad aliud genus correctione sua transit, sc. ad eos errores, quos Corinthij obseruabant, necdum a suis doctoribus plenè erant excussi, aut damnati: sed requisierant Apostoli sententiam. Continet hæc quarta pars multorum vitiorum emendationem, & censuram, eóque ferè ordine, vt suspicor, quo à Corinthiis hæc Apostolo fuerant proposita. Ac hoc capite respódet variis de coniugio quæstionibus, quas per Epistolam mouerát. Ac cohærét illa superioribus elegantissimo ordine: proximè enim egit de scortatione vitanda, hic iam videtur adferre remedia huic malo, scortationi medentur duo matrimonium, quo singuli suam habent legitimam vxorem, & donum castitatis: Illud inter homines per homines confertur: hoc solius Dei est. Adiuuatur auté sobrietate, cótinentia, & vita innocéter acta. Arg. huius cap.

Quæstiones ferè sex sunt hic propositæ, & explicatæ, prima de matrimonij honesta conuersatione: in qua interdú iustis de causis certi téporis admittitur separatio à thoro coniugali à coniugatis. Altera de viduitate, & cœlibatu, in quo statu Apostolus suadet perseuerantiam, si homines continere se possint: sin flammam carnis ferre nequeát, iubet ad matrimonium transire. Tertia de diuortio, quod in matrimonio nullo religionis prætextu concedit. Quarta de impari coniugio. Quæ superiori vicina est, ratione diuersarum causarum quærentium diuortia. Quinta de statione cuique sua, in similibus seruanda, vt seruitute, libertate, coniugio, cœlibatu, circuncisione, præputio, &c. Sexta est de virginibus, rectiúsne elocentur, an in virginitate seruentur. Probationis regulam ipsis imponit, si ferre possint carnis impetus & castè viuere, multis rationibus expediret vitam cœlibem agere: sin metuendum sit eis scortationis peccatum, satius est, vt matrimonium contrahant. Hæc ferè toto isto capite explicantur, &c. Partes.

Πρόϑεσις generalis est: piis Christi fidelibus in primis curandum est, vt castitatem & puritatem corporis seruent omnes, tam in matrimonio, quàm extra ipsum viuétes. Huc respiciunt omnium quæstionum solutiones, adeóque admonitiones, vt singuli sese examinent, quod genus vitæ sine scandalo tolerare possint. Singuli deinde loci, suas proprias habent propositiones. Nos primam nunc explicabimus. Propositio

1. *Porrò de quibus scripsistis mihi.*

Exordium sumit à transitione, quod indicat particula δὲ: ostendit. n. se ad nouam transire materiá, q. d. hactenus admonui de iis vitiis, quæ vos oscitanter fertis. Núc respondebo de locis à vobis mihi propositis. Deinde non obscurè hîc patefacit occasioné scribendi. Scripserant illi priores Apostolo, hinc ipse etiam habuit plenam & occasionem & materiá. Occasionis erat, quòd sollicitarunt: materiæ quòd quæstiones proposuerút, in quibus hęrentes petunt Apostoli iudicium. Nos discimus laudabilem fuisse moré Ecclesiæ in rebus dubiis, & cótrouersis recurrere ad doctorum, seu Apostolorum, seu episcoporum iudicia: sic in Actis Ecclesia Antiochena disceptationé refert ad Apostolos Hierosolymis subsistétes. Quod exemplú Corinthij videntur hîc imitari. Et postea Ecclesia suos Episcopos consulit in dubiis. Hinc mos iste transit in leges, & quia Romanú Episcopum diuersę Ecclesiæ frequéter consulerent, vt qui non consuluisset peccasse videretur: hinc illius dominatus confirmatus est, & hodie aulæ principum obsidentur agminibus assentatorum, quorum authoritate nisi vtantur Ecclesiæ minores, crimen læsę maiestatis vitare non possunt. Sed de occasione fortè satis. Sequitur πρόϑεσις, *Bonum est viro mulierem non tangere.* πρόϑεσις est, quæ tamen diuersam habet interpretationem. Καλὸν significat hîc vtile, & cómodum, non rem natura honestam, ἄνϑρωπος pro sexu accipiatur virili, siue vir sit vxorem habens, siue iuuenis, siue viduus. ἅπτεσϑαι, vel ducere vxorem, vel ducta vti legibus coniugij. Hinc mens emergit gemina: prior, vtile est viro vxorem planè non ducere: posterior, vtile est viro ab vxore ducta ad tempus abstinere. Priorem sentétiam sequuntur veteres, & recentiores qui cœlibatú extollunt. Alteram verò qui matrimonij dignitatem defendunt. Principium pro illis facit, reliqua deinceps posteriori fauét sententiæ. Nec id alienum est à proposito. Nam Corinthij piè quidé sentiunt de matrimonio, sed interim scortationem quoque non admodum damnát, vt declarat c. 6. pręcedens & quintum. Et esto quęsierint illi de coniugatis liceátne abstinere aliquando à communi thoro, attamen necessum erat, eos admoneri necessarium esse coniugium omnibus qui in periculo scortationis essent, adeò vt non multùm referat quo sensu accipiatur propositio Apostoli. Hoc certum & firmum est, propositionem esse indefinitam. Deinde versari in materia vt dicunt contingenti. Ex quibus efficitur limitandam esse per signum particulare. Bonum est homini vxorem non tangere, hoc est, cuidam homini expedit vxorem non ducere, Item cuidam homini expedit ductam vxorem suo tépore non tágere. Hoc sensu nihil attinet magnificè extollere cœlibatum, Act. 15. Duplex huius sententiæ sensus.

ipse Christus, vtriq; simul seruire nō potestis. Qui adhæret scorto, cum illo vnū corpus redditur. Quod probat en Gen.2. Et erūt in carnē vnā. Quo pacto ad Eph.5. etiā citatur. Et Dominus Christus Mat.19. eodē modo allegat. Quāquā sermo Adæ nō habeat (Duo) sensus tamen est idem. Erant.n. solùm duo Adam, & Eua, ideo tum nō erat error, Christus verò explicans mētē legis, necessariò addidit illam particulā, vt excluderetur polygamia. Sic Apostolus ad Eph.5. eadē ratione addidit. Et hic necessarius est iste sensus, vt ostendat hominē nō posse simul vnionē seruare cum Christo, & scorto. Quēadmodum nec maritus cum vxore legitima & scorto. Necessaria autem nobis est vnio Christi, vt cum eo simus vnus spiritus, hoc est, vno viuamus spiritu. Fugiēda est igitur vnio scorti.

III. Vers.18. Fugite scortationem, hic demum proponit. Recte hoc sequitur ex superiorib. argumentis. Si Christo mancipati sumus, si spem resurrectionis habere volumus. Si Christi membra sumus, si illius vnionem conseruare cupimus, vtiq; omnibus modis curādum est vt ab omni labe scortationis nostra corpora præseruemus. Hoc pacto vim conclusionis habet propositio. Deinde non obscuram habet ἐκφώνησιν. Exclamat enim in sceleris abominationem, q.d. tantam pestem fugite, & præsentissimam mortem, nihil nocentius, nihil lethalius est, fugite, fugite.

IIII. Persequitur reliqua argumenta exhortationis. Ac primùm à magnitudine mali, seu contumelia, quam proprio corpori infligunt scortatores. Argumentum à comparatis ducitur. Omnia quidem inquinant corpus, at scortatio maximè fœdum reddit corpus, hinc tot balnea, vnguenta, medicamenta contra mala quæ scortatores sequuntur. Ebrietas polluit etiam corpus, sed longè fœdior est pollutio scortatoris vtraq; mala, hæc pessima. Reliqua peccata magis videntur in aliena sæuire corpora, vt latrocinium, furtum, raptus, vsura, auaritia, &c. hinc 1. Thess.1. sanctificationem nostram in eo ponit, vt abstineamus à scortatione, vt sciat quisq; nostrum, vas suum possidere in honore. Magna igitur est iniuria, quam propriis corporibus inferunt scortatores.

Scortatores in sua ipsorū corpora sæuire.

Alterum argumentum ver.19. An nescitis, quòd corpus vestrū templū sit, habitantis in vobis Spiritus sancti? à ratione cōsecrationis eos vrget. Vt tēpla externa pura conseruantur puro Deo dedicata: sic corpora nostra Spiritui sancto consecrata. Ac de externis manifestissimū est, vt testantur exēpla prophanātiū templa, Nicanoris, Osiæ, Iudæorum quos Christus flagello facto exegit à templo. Vestra autem corpora sunt templum Dei, h.e. castissima & purissima habitatio esse debent Spiritus sancti, nec est alia maior dignitas, quæ corporib. nostris possit tribui. Ergo cauēdum est à scortatione, quia illa porcorum stabulum efficit, pro Spiritu sancto Diabolū incolā suscipit, pro Christo Satanam.

Tertium, & non estis vestri iuris, q.d. læditis regulam iuris publici, qua prohibetur, ne quis res alienas temere inuadat. Vos non estis iuris vestri, sed Christi. Ergo corpora vestra Christo non debetis abalienare. Sacrilegium est Deo res suas surripere. Fit autem id per scortationem. Quod autem non sint sui iuris probat ab anteactis. Redempti enim estis pretio, hoc est, pretioso Christi sanguine, non auro, vel argento, sed morte filij Dei empti estis. Non igitur vestri iuris estis, sed oportet vt ad nutum redemptoris vestri vitam instituatis. Is vetat scortationem.

Hinc infert Epilogum. *Glorificate igitur Deum corpore, & spiritu vestro, quæ Dei sunt.* Duo sunt membra. Prius consequentiam habet superiorum argumentorum. Templum estis Dei, & non estis vestri iuris: Ergo Deum debetis glorificare corpore & spiritu, quia vtriusq; est author. Glorificatur Deus innocentia vitæ, honesta & pia conuersatione, secundum dictum Christi: sic luceat lux vestra coram hominib. vt videant opera vestra bona, vt glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis. Itaque castitas imprimis facit ad gloriam Dei. Deinde quia casti puriùs Deum & colunt, & inuocant quàm possint scortatores facere. Ac duo sunt quibus homo constat: corpus & anima: corpore glorificatur castitate seruata: anima, pia inuocatione, & adoratione. Et addit nouum argumentum, quæ Dei sunt, q.d. Vtrunque à Deo habetis, tam corpus, quàm spiritum, ergo vtrunque ad Dei gloriam facere debet. Non igitur satis est ore Deum fateri, & laudes eius spiritu celebrare: sed oportet vt illi honor præstetur, etiam corporibus vestris, quod fit puritate & innocentia vitæ. Nullus itaque locus scortationi dabitur apud vos. Atque illud est quod Dauid habet: Laudate Deum in operibus suis.

Matt.5.16.

CAPVT VII.



Breuis repetitio superiorum.

HACTENVS actum est de iis vitiis quæ apud Corinthios dominabantur sine reprehensione, adeò vt vix eo nomine reputarentur. Cuius generis in primis quatuor correxit. Primum quod factionibus essent dediti in illa Ecclesia, idque sub doctorum nominibus. Deinde nimia peccarent lenitate in ferendo homine incestuoso. Tertiò quòd nimium faciles ad litigandum, præsertim

coram Ethnicis iudicibus. Deniq; scortationib. dediti essent. Ista correctione opus habebant eo maiore, quantò ab ipsis magis contemnebatur. Nunc ad aliud genus correctione sua transit, sc. ad eos errores, quos Corinthij obseruabant, necdum à suis doctoribus plenè erant excussi, aut damnati: sed requisierant Apostoli sententiam. Continet hæc quarta pars multorum vitiorum emendationem, & censuram, eóque ferè ordine, vt suspicor, quo à Corinthiis hæc Apostolo fuerant proposita. Ac hoc capite respõdet variis de coniugio quæstionibus, quas per Epistolam mouerãt. Ac cohærẽt illa superioribus elegantissimo ordine: proximè enim egit de scortatione vitanda, hic iam videtur adferre remedia huic malo, scortationi medentur duo matrimonium, quo singuli suam habent legitimam vxorem, & donum castitatis: Illud inter homines per homines confertur: hoc solius Dei est. Adiuuatur autẽ sobrietate, cõtinentia, & vita innocẽter acta. Arg. huius cap.

Quæstiones ferè sex sunt hic propositæ, & explicatæ, prima de matrimonij honesta conuersatione: in qua interdũ iustis de causis certi tẽporis admittitur separatio à thoro coniugali à coniugatis. Altera de viduitate, & cœlibatu, in quo statu Apostolus suadet perseuerantiam, si homines continere se possint: sin flammam carnis ferre nequeãt, iubet ad matrimonium transire. Tertia de diuortio, quod in matrimonio nullo religionis prætextu concedit. Quarta de impari coniugio. Quæ superiori vicina est, ratione diuersarum causarum quærentium diuortia. Quinta de statione cuique sua, in similibus seruanda, vt seruitute, libertate, coniugio, cœlibatu, circuncisione, præputio, &c. Sexta est de virginibus, rectiúsne elocentur, an in virginitate seruentur. Probationis regulam ipsis imponit, si ferre possint carnis impetus & castè viuere, multis rationibus expediret vitam cœlibem agere: sin metuendum sit eis scortationis peccatum, satius est, vt matrimonium contrahant. Hæc ferè toto isto capite explicantur, &c. Partes.

Πρόθεσις generalis est: piis Christi fidelibus in primis curandum est, vt castitatem & puritatem corporis seruent omnes, tam in matrimonio, quàm extra ipsum viuẽtes. Huc respiciunt omnium quæstionum solutiones, adeóque admonitiones, vt singuli sese examinent, quod genus vitæ sine scandalo tolerare possint. Singuli deinde loci, suas proprias habent propositiones. Nos primam nunc explicabimus. Propositio

1. *Porrò de quibus scripsistis mihi.*

Exordium sumit à transitione, quod indicat particula δὲ: ostendit. n. se ad nouam transire materiã, q. d. hactenus admonui de iis vitiis, quæ vos oscitanter fertis. Nũc respondebo de locis à vobis mihi propositis. Deinde non obscurè hìc patefacit occasionẽ scribendi. Scripserant illi priores Apostolo, hinc ipse etiam habuit plenam & occasionem & materiã. Occasionis erat, quòd sollicitarunt: materiæ quòd quæstiones proposuerũt, in quibus hęrentes petunt Apostoli iudicium. Nos discimus laudabilem fuisse morẽ Ecclesiæ in rebus dubiis, & cõtrouersis recurrere ad doctorum, seu Apostolorum, seu episcoporum iudicia: sic in Actis Ecclesia Antiochena disceptationẽ refert ad Apostolos Hierosolymis subsistẽtes. Quod exemplũ Corinthij videntur hìc imitari. Et postea Ecclesia suos Episcopos consulit in dubiis. Hinc mos iste transit in leges, & quia Romanũ Episcopum diuersę Ecclesiæ frequẽter consulerent, vt qui non consuluisset peccasse videretur: hinc illius dominatus confirmatus est, & hodie aulæ principum obsidentur agminibus assentatorum, quorum authoritate nisi vtantur Ecclesiæ minores, crimen læsę maiestatis vitare non possunt. Sed de occasione fortè satis. Sequitur πρόθεσις, *Bonum est viro mulierem non tangere.* πρόθεσις est, quæ tamen diuersam habet interpretationem. Καλὸν significat hìc vtile, & cõmodum, non rem natura honestam, ἄνθρωπος pro sexu accipiatur virili, siue vir sit vxorem habens, siue iuuenis, siue viduus. ἅπτεσθαι, vel ducere vxorem, vel ducta vti legibus coniugij. Hinc mens emergit gemina: prior, vtile est viro vxorem planè non ducere: posterior, vtile est viro ab vxore ducta ad tempus abstinere. Priorem sentẽtiam sequuntur veteres, & recentiores qui cœlibatũ extollunt. Alteram verò qui matrimonij dignitatem defendunt. Principium pro illis facit, reliqua deinceps posteriori fauet sententiæ. Nec id alienum est à proposito. Nam Corinthij piè quidẽ sentiunt de matrimonio, sed interim scortationem quoque non admodum damnãt, vt declarat c. 6. pręcedens & quintum. Et esto quęsierint illi de coniugatis liceátne abstinere aliquando à communi thoro, attamen necessum erat, eos admoneri necessarium esse coniugium omnibus qui in periculo scortationis essent, adeò vt non multùm referat quo sensu accipiatur propositio Apostoli. Hoc certum & firmum est, propositionem esse indefinitam. Deinde versari in materia vt dicunt contingenti. Ex quibus efficitur limitandam esse per signum particulare. Bonum est homini vxorem non tangere, hoc est, cuidam homini expedit vxorem non ducere, Item cuidam homini expedit ductam vxorem suo tẽpore non tãgere. Hoc sensu nihil attinet magnificè extollere cœlibatum, Act. 15. Duplex huius sententiæ sensus.

cum non omnibus præſcribatur regula,ſed certis,qui hoc donum habent,aut quos circunſtans neceſſitas ad tempus abſtrahit à conſuetudine vxoris.

2. *Sed propter ſcortationes ſuam quiſque vxorem habeat , & proprium quæque maritum habeat.*

Propoſitionem hanc nõ eſſe ſimpliciter ſumendam.

Correctio eſt propoſitionis quę fauet priori interpretationi,ſc. Apoſtolum reſpondere de iis,qui ſoluti ſint abſq; matrimonio viuẽtes. Ac ſi quæſierint Corinthij,ſitne etiã Chriſtiano neceſſum in matrimonio viuere. Cui reſpondeat. Vtile eſt viro vxorem non ducere. Tamen neceſſarium eſt iis,qui in periculo ſcortationis verſantur. Quod eo probabilius eſt, quia Corinthij diſſolutiores ſunt,& ſcortationi magis dediti, quàm vt religionis ergò voluerint à ductis vxoribus abſtinere: attamen probabilis eſt in vtramq; partem ratio. Vtvt ſit,manifeſta eſt correctio,quæ totam propoſitionem limitat, adeóque à lege cœlibatus eximit omnes,qui donum eius non habent,h.e. quotquot in periculo ſcortationis verſantur. In correctione,hoc obſerua primùm,notari Corinthiorum libidines numero plurali,διὰ τὰς πορνείας, quo vitio paſſim ſunt traducti Corinthij. Poterat alioquin διὰ τὴν πορνείαν ſcribere. Deinde cauſam iuſtam eſſe matrimonij,vitationem ſcortationis. Velle hoc crimen vitare , laudabile eſt per ſe, & paratiſſimum remedium legitima vxor : non quòd aliæ cauſæ matrimonij non ſint , ſed quia hæc præſenti inſeruit cauſæ. Commoditas vitæ humanæ præcipua videtur in Geneſi cauſa,quòd non bonum eſſet hominem eſſe ſolum. Deinde procreatio ſobolis. Sed his omiſſis eam ponit quæ cauſam præſentem concernebat. Vitare ſcortationem vis , habeas propriam vxorem. Tertiò parem eſſe legem viri & mulieris. Quod enim vni illicitum eſt,idem prohibetur etiam alteri ſexui. Aut caſtus ſis & à ſcortatione alienus : aut ſi id non potes , in matrimonio viuas, nihil tertium eſt. Quartò polygamiam hic etiam damnari. Nam de viro inquit, Quilibet ſuam vxorem habeat. Ergo vxores non habere poteſt in legitimo matrimonio,hoc eſt, vno eodémque tempore plures. Et de muliere,quælibet proprium virum habeat. Igitur non poteſt pluribus eodem tempore copulari. Quintò in hac correctione eſſe præceptum Apoſtolicum. Bis enim repetit ἐχέτω,hoc eſt,habeat. Ideo non eſt res libera ſcortari , aut propria frui vxore. Sic in propoſitione non dixerat , ſed bonum eſt,καλὸν ἀνθρώπῳ,hoc eſt,optabile erat hoc quidem ſi obtineri poſſet. Itaq; optat rem , quam mox deprehendit impoſſibilem omnibus , ideóque de poſſibilibus dat certum præceptum,cùm impoſſibilia legem non admittant.

1. Corinth. libidines notantur.
2. Iuſta matrimonij cauſa , ſcortationis vitatio.
3. Parem eſſe legem viri & mulieris.
4. Damnatur polygamia
5. Præceptũ Apoſtolicũ

3. *Vxori vir debitam beneuolentiam reddet,ſimiliter verò & vxor viro.*

Hactenus viſus eſt loqui de ſolutis. At quæ iam ſequuntur , manifeſtè loquuntur de cõiugatis. Ac deſcẽdit à generalib. ad ſpecialia. Cœlebs vita optãda erat,at nõ capiunt illã omnes. Supereſt igitur vt in matrimonio viuãt. Quomodo autem viuunt coniugati? Reſpõdet Apoſtolus,ſumma beneuolẽtia. Hoc.n.niſi fiat,nõ liberi erũt à periculo ſcortationis,quo fine iuſſit matrimoniũ cõtrahere. Εὔνοιαν accipio nõ ſolũ pro thori legitima conſuetudine, ſed pro reliqua vitę humanitate,quę in moribus,dictis,factis,in ſumma, tota cõuerſatione coniuges ornat. Mores pietatẽ ſpirẽt, oratio nihil impudicũ habeat. Summa,vitæ exemplum ſanctum ſit. Hæc εὔνοια dicitur ὀφειλομένη,quia ſine hac non poteſt eſſe felix coniugiũ,ſine illa nõ poteſt vitari ſcortationis metus. Cauſa igitur eſt, vt dicunt, ſine qua nõ. Admonẽdi hîc ſunt mariti imperioſi erga vxores,libidinoſi in vxores,&c. Multi truculẽtia,& inhumanitate ſuas vxores à ſe alienant, occaſiones præbẽt diuertẽdi ad alios. Sic arrogantia & contẽptus in vxore ſæpe abalienãt mariti animum. Cogitent igitur coniugati,quanta hęc ſit beneuolentia,& quàm neceſſaria. Summa eſt benedictio Domini,ſi cui tale contingat matrimonium. Vide locum de matrimonio.

Beneuolentia inter cõiugatos maximè neceſſaria.

4. *Vxor proprij corporis ius non habet ſed maritus: Similiter verò & maritus proprij corporis ius non habet,ſed vxor.*

Beneuolentiam coniugalem cõfirmat,ab obligatione matrimonij. Nã in ſtipulatione nuptiarũ eſt quædã iuris ſui mancipatio,ac libertatis traditio. Hinc etiam Latinis liberi dicuntur ſoluti à matrimonio. Quare coniugati liberi nõ ſunt. Hoc Apoſtolus aſtringit ad vſum beneuolẽtiæ. Vxor marito debet eſſe beneuola. Quare? quia ſui iuris nõ eſt, ſed conceſſit in mariti poteſtatem. Sic contrà maritus debet eſſe vxori beneuolus , & obſequens. Quare? quia fidem ei dedit,& in poteſtatem vxoris conceſſit. Ludunt quoq; in matrimonium prouerbia in hunc modum, Vxorem duxit,libertatem vendidit.

5. *Ne fraudetis vos inuicem , niſi ſi quid ex conſenſu pro occaſione , vt vacetis ieiunio & precibus,ſed rurſus conuenite in vnum,ne vos tentet Satan propter incontinentiam veſtram.*

Reſpondet tacitæ obiectioni.

Occupationem videntur hæc verba habere. Dicerent enim aliqui ergó ne ſic hęrebo vxori ſemper , vt nihil ei poſſim negare, vtatur meo corpore quoties volet? nullúſne finis venereæ voluptatis ? Reſpondet , non ita. Concedo etiam vobis ſeparationem in matrim

matrimonio,& id religionis ergò,certo tempore,certa conditione,certa causa.Sententia est,Coniugati possunt ab vsu thori sibi temperare pia causa.

Initio inquit,ne fraudetis vos, significat fraudē esse vxori denegare sui copiā in thoro,similiter fraus est si vxor marito sui copiam neget. Magna fraus est,h.e.iniuria quædam.lege.n.charitatis connexi sunt,& sibi solum hoc officium debent nō alteri. At abstinere vis?ostēdit quomodo piè id facere possis.primum ἐκ συμφώνου,h.e.vt cōsentiētem habeas vxorem,orator sis & ducas verbis,non inuitæ deneges tui copiam. Deinde πρὸς καιρὸν,h.e.opportunè id fiat,certa oblata,& pientissima occasione.His suppeditat argumenta marito apud vxorem deprecanti sui copiam. Tertiò, certos affert casus in quib. hoc fieri possit,sed nihil in his sine alterius consensu statuere debet.Habet enim matrimonium formam Aristocratiæ, & Monarchiæ. In ieiunio & precibus singularibus hoc impetrare possunt à se mutuò. Intelligit autem ieiunium, & preces solennes in quibus tota Ecclesia solebat conuenire,vt tempore persecutionis,pestis, famis & similibus casib.Exemplo Synagogę Ecclesia certos dies precationis indicebat,& coniungebat ieiunium his,vt sanctius & ardentius orarent,a thoro poterant ex cōsensu abstinere.Alioquin tota vita hominis Christiani ieiunio,precibus ornari debet, semper orandum esse docuit Christus,& ieiunium,ne corpora nostra & crapula onerentur,commendauit.

Quartò iterum iubet conuenire. Coniugium non voluptatibus solis dedicatum est:sed cruci & laboribus vt plurimum consecratum: ideo mutuo congressu molestias vitæ debent lenire. Ideo salubriter consulit Corinthiis, vt à precibus & ieiunio iterum in pristinos mores coeant,hoc est,humaniter & suauiter viuant cum vxoribus.

Addita causa est.Ne vos tentet Satan, hoc est,ne iniiciat scortandi occasiones.Non enim dormit,sed quærit occasiones cōtaminādi cōiugia.Hic consideres argumēti vim. Apostolus nō vult etiam propter preces,& ieiunia,hoc est,sanctissima exercitia, abesse diutius à thoro.Quid igitur dicemus de peregrinationib. annuis? de militia temerè susceptą?aliisque infinitis occasionibus,quibus temerè corrumpuntur matrimonia,&c.

Denique addit,*Propter intemperantiam vestram.* Notat Corinthiorum luxum, & intemperantiam quæ inde nascitur,nam sine Cerere & Baccho friget Venus.Dices idem hodie de nostris moribus , Intemperantes sumus , ideo eò minus à thoro abesse debemus,faciles nos tentationibus præbemus.Domi igitur maneas.

6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam,non secundum præceptum.*

Συγγνώμη summi iuris est mitigatio sine peccato , bonum & æquum statuit , in certis casibus rigorem iuris remittens.Sic Aristoteles 6. Ethicorum cap.11. Συγγνώμη δὲ γνώμη κριτικὴ ὀρθὴ τοῦ ἐπιεικοῦς.Nam Apostolus hìc metitur Corinthiorum infirmitatem,& contra Satanæ astutiam, ideo cùm dixisset vt ob preces & ieiunia secederent, móxque coirent iterum,inquit hoc non esse præceptum, sed æquitatis consideratione,vitandi mali causa.Sin prorogare tempus velint,& ferre possint tentationes,liberum illis facit.Ideo non generale facit præceptum,vt omnes matrimonium contrahant.Moses omnes adigebat ad coniugium. Paulus corrigit , & mitigationem affert, vt etiam Christus , quia sunt qui donum castitatis habent, illi abstineant,& coniugatis concedit veniam, vt aliis casibus abstineant,honestis tamen,à thoro.

7. *Nam velim omnes homines esse,vt ego me cupio esse.*

Αἰτιολογία est cur loquatur secundum iuris mitigationem,pro ęquo & bono,q.d.quia vestra imbecillitas non fert.Vellem quidē vos esse mihi similes, h.e.pares omnes ad cœlibatum,sed video rem impossibilē esse,ideo vobis do veniam,malo vos in matrimonio viuere. Secunda est commendatio cœlibatus , qua ad suum exemplum, omnes optat cœlibes esse,sed vt primam correxit,ita mox hanc etiam corrigit ad præsentes circunstantias.Vnusquisque,inquit,proprium habet donū. Ergo matrimonium etiam donum est,non minùs quàm cœlibatus. Deinde vtrunque est ex Deo : ideo vtrunq; honestum, & in eo paria sunt, nec obstat propria esse nobis quamuis ex Deo sint. Originem enim hoc & authorem declarat:illud vsum & possessionem:denique dona illa duo vsu varia re:cœlibatus rarius est donum,paucis commune,expeditius in his ęrumnis,cœlestis vitæ simulachrum vbi regnabit.Matrimonium verò bonum communius,ærumnosius,huius vitæ propriū infirmitati inseruiens Ecclesiæ. Huc dum se refert Apostolus à raro & impossibili ad circūstantias sese conuertens, iubet eos qui donum non habēt trāsire ad matrimoniū.Donū est,ideo nemo sponte potest hoc sumere:vbi donū non est non illius sequēda natura,ne impossibilia & illicita affectemus. Natus es ad matrimoniū, noli affectare cœlibē vitā,ne extra oleas curras.Cœlibatus habes donū,hoc sequere, ne immisceas te matrimonij molestiis.Hęc est Pauli συγγνώμη,quam oportebat nos omnes sequi. Sed laqueum hodie iniiciunt. Exigunt promiscuè votum cœlibatus , quod nec diu nec

Redditio causæ.

Cœlibatū & matrimoniū esse dona Dei.

præstare castè possunt. Verrunt aliqui vestigia mulieris, vt pulueres expellant: interim ardent corda flammis Veneris, vita spurcissima est, mores corruptissimi: scorta redimūt pecunia, nec est aliud vitæ genus sacerdotali ordine corruptius. Interim consultum egregiè putant cœlibatui, si legitimas vxores non habeant.

8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eis est si manserint vt ego.*

De his qui sunt extra matrimonium. Altera quæstio de his qui extra matrimonium sunt: summa est, Corinthiis expediret si ad exemplum Pauli, à matrimonij molestiis possent sibi abstinere. Hanc non confirmat sed corrigit potiùs, manifesta tamen est ratio. Quòd in eo vitæ genere minora essent incommoda, facilior fuga in persecutionibus, minora impedimenta ad res diuinas, & similia quæ ad cœlibatus commendationem faciunt.

Deinde obseruanda est apta distributio. Suasurus cœlibatus vitam duplex hominum genus cōplectitur. ἀγάμους, h.e. eos qui in matrimonio nunquā fuerunt, qui nuptias nunquam celebrarunt & χήρας, h.e. matronas, quę licet fuerint aliquando nuptæ, iam tamen non sunt. In vtroque genere semper aliqui fuerunt, qui dono isto ornati essent, ideoque his solis καλὸν ἐστὶν, hoc est, vtile est in eo statu manere. Singuli.n.& commodius & felicius viuunt in eo statu cuius donum habent, quàm cuius dono ornati non sunt. Deniq; suum exemplum proponit, ex quo Hieronymus inter cœlibes refert ad Eustochium de custodia virginitatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt, cùm de continentia disserens & suadens, perpetuam castitatem intulerit. Volo autem omnes esse sicut ego sum, vt infra: Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. In eadem sententia est Chrysostomus & Ambrosius. Et sanè suum exemplum non poterat proponere cœlibibus, nisi & ipse talis esset. Quod verò ad Philip.4.& 3. scribitur γνήσιε σύζυγε, talis est vt ad virum facilè referri possit, cuius scilicet fidem & diligentiam in docendo Euāgelio erat expertus. Ac mihi ideo videtur probabilius, quòd passim Apostolus iure suo non est vsus, quod tamen aliis facilè concedit. Sic stipendium ab Ecclesiis non accepit, sed laborauit propriis manibus. Sic in æternum mallet abstinere à carnibus, ita vxorem sororem non circunduxit, non quòd im-
Inf.9. probarit talia in aliis, sed quòd omnibus omnia fieri mallet.

Qui contrarium statuunt, graues autores habent etiam, quos sequuntur. Clemēs Alexandrinus in 3.lib. stromatū, Paulum cōiugem habuisse affirmat, ac illud Philip.4. de vxore interpretatur, quam non circunducebat, quòd non magno ei opus esset ministerio. Euseb.lib.3.cap.10. Eccl.hist. ferè eadem ex Clemēte citat, &c. Hanc quæstionē nonnulli sic componunt, quòd hæc scribens Corinthiis fortè non habuerit vxorē, aliàs autem certis de causis duxerit. Aut quòd eam in sororem commutarit: ideóq; exemplū suum, hîc locum habere, quòd corpore & animo cœlebs cum sorore vixerit. Quibus illa satisfaciunt, sequantur quod volent. Mihi apertior videtur Pauli oratio de cœlibatu, quàm vt vxorē admittat, potestatem sororis scio illum sibi iure vendicare, at quòd eo iure sit vsus non apertū habeo verbum. Apertum autem est de cœlibatu suo apud cœlibes. Bonum eis est si manserint vt ego. Fateor tamen quæstionem hanc, nihil habere momenti ad fidem, ideóque necessaria non est. Probabile enim est quod vtrinque affertur.

9. *Quòd si non continent, matrimonium contrahant.*

Cur cœlibem vitam omnib. optet Paulus. Tertiò cōmēdauit cœlibem vitam: ideo tertiò laudes illius attēperat correctione planè Christiana. Quare cœlibem vitam omnib. optet, infrà vers. 29.& sequentibus patebit. Et Euseb. de demonstr. Euang. lib.1.cap.9. copiosiùs ex hoc ipso loco persequitur, sc. quòd circunstantia temporis afflicti & contracti, hoc magis postularet. Cœlibes.n. ad fugam paratiores sunt, & minora habent incommoda, curas, tentationes, &c. quib. matrimonium grauatum est. Ad has res cùm animum circunduxisset, optabat omnib. cœlibem vitam. Ac mox respiciens ad ipsos fideles, facilè aduertit votum suum locum non habere: ideo corrigens illud ait: si non continent, hoc est, si donum continentię non habent. Itaque fatetur esse, qui donum hoc non habeant. His igitur præcipit γαμησάτωσαν. Nihil igitur habent, quod de cœlibatu glorientur: singuli.n. præceptum sui doni rectè sequuntur & laudabiliter: qui aliter conatur facere, peccat in Deum dona distribuentem, in doni gratiam, & Apostolum piè & rectè inter dona distinguentē: & singulis possibilia præcipientem. Ad cœlibem nihil attinet γαμησάτωσαν: ita qui donum cœlibatus non habet, ad eum nihil pertinet, bonum si manserit vt ego, non eadem amussis omnib. applicari debet, vt nec idem calceus vtriq; pedi. Illi melius est cœlebs vita, huic melius in matrimonio viuere, vtrunque bonum diuerso respectu: bona autem desinunt esse si permutentur, vt hodie fit. Qui donum cœlibatus non habent, ad id astringuntur. Hinc ex collegiis facta sunt lupanaria, ex virginibus prostibula, ex monachis thori alieni contaminatores, virginum corruptores, & quiddam etiam nefandius.

Nos

Nos obseruemus iustã demum causam esse ad matrimonium ipsam necessitatem, hoc est, si experiantur se continentiæ donum non habere. Hinc est quod dicit si non continent, hoc est, si non possint, si vinci se animaduertant. Id statuit quasi certum & firmum κεῖνειν, quòd donum cœlibatus non habeant. His igitur cõsulit ex commodo ipsorum, viuant in matrimonio. Eadem necessitatis cõditio est expressa in collatione: his melius est γαμῆσαι quàm πυροῦσθαι, q.d. aliud donum, aliud requirit vitæ genus, vt πυροῦσθαι intelligamus non de tenui flamma: nemo.n.tam castus est, quin flammas experiatur interdum, quod fatentur castissimi quique, nec esset illa necessitas. Sed πυροῦσθαι accipit pro grauioribus tentationib. in quibus certum est periculum scortationis, hoc vt vitent, salubrius suggerit consilium. Peccant hîc primùm qui nulla tali necessitate ad matrimonium transeunt, sed opum desiderio, honorum, ambitione quadam vident ex matrimoniis accedere splendorem nominis & similia. Hi nondum accesserunt has flammas. Deinde peccant qui sub prætextu cœlibatus, quem tamen minimè seruant, cõtemnunt matrimoniũ. Priori vitio laborant politici homines, nuptias non tam necessitate, quàm ambitione æstimantes. Posteriori sacer ordo, ex quo hypocrisis monasteria possedit. Cœlibatum ore habent, in sinu scortationes, in corde tenerem, &c.

Necessitas est iusta ad matrimoniũ causa.

Quo sensu hic verbũ (Vri) accipiatur.

10. *His autem qui matrimonio vincti sunt dico non ego, sed Dominus.*

Tertius locus de diuortio vitando in coniugio: propositio est, Arctissimum est coniugij vinculum adeóque insolubile.

Primùm hîc expende orationis genus. Non ego, inquit, sed Dominus. Aliunde igitur Paulus, & aliud Dominus denũtiat? Minimè: superiora Apostolus protulit sine expresso Dei verbo, quanquã simile dixerit Christus, Non omnes capiunt verbũ hoc, qui potest capere, capiat. Sic consequentia Apostolus determinat de impari coniugio. Vbi igitur non habuit expressum Dei præceptum, sibi tribuit decisionem. Hîc autẽ Christi habet mandatum de matrimonij constantia extra casum adulterij, vt in causis leuioribus, in quibus Moses etiam indulserat Iudæis, quod indultum corrigens Christus dixit, primitus non ita fuisse, sed duos fore in vnã carnem. Idem hîc præcipit Apostolus, matrimonium indissolubile esse apud fideles in talibus casibus. Interim & hæc & sequentia decisiones sunt Spiritus sancti. Apostolus enim organũ Spiritus sancti est, & per os illius hæc pronuntiat. Arctius autẽ ad seruandum matrimonij vinculũ astringit fideles, cùm Dominum authorem inducit. Dicit hoc Dominus Matth. 5. & 19. cui consentit doctrina Apostoli. Vxor à marito ne discedat, leui sc. de causa vt prætextu religionis, ob mutatũ vitæ genus, & similibus de causis. In quibus libellus repudij potuisset secundũ Mosem locũ habere. Deinde si omnino discedere placet, maneat innupta, aut reconcilietur marito. Nouũ prohibet matrimoniũ, quia prius adhuc durat, nec iusta de causa dirimi potest, ideóq; in spem reconciliationis viduitatem ei præcipit. Tertiò simile præcipit marito, Maritus vxorẽ ne dimittat: poterat.n. videri maius quoddam ius marito cõcedere, quàm vxori, quod etiã Ambros. sequitur, ideo marito quoq; præcipit idem ne dimittat vxorem suam, sc. leui de causa, more Iudæorũ, quibus solenne erat etiam pias dimittere vxores si displicuissent mores, aut forma, vel aliud causarentur. Et Ethnicis quoq; admodũ fuit familiare cõmutare connubia. In his igitur valet præceptũ Apostoli: maritus vxorẽ non dimittat. Quod autem ad quæstionẽ illã attinet: Nullóne modo igitur liceat repudiare semel ductam vxorẽ? Respõdemus de eo hîc nõ agi. Non.n. instituit Apostolus disputationẽ de diuortio, aut de illius legitimis causis, sed in eo est, vt prius persuadeat matrimonia quàm sanctissimè, adeóq; indissolubiliter seruanda esse. Hoc qui tuetur, non negat esse quendam modũ, qui matrimonia sancti inita soluere possit. Quis autem ille sit modus ob quem solui possit, indicat Christus Matt. 5. & 19. scortatio scilicet, illa enim facit vt duo iam non ampliùs sint vna caro. Item quod hîc docet Apostolus, si persona infidelis cum fideli nolit ampliùs viuere, seruituti non astringitur fidelis. Extra controuersiam est his de causis rumpi matrimonium, adeóque iure dirimi. Verùm non respexit ad iustas diuortij causas, sed potiùs ad iniustas, ideóque disserit de indissolubilitate. Locum de diuortiis explicuimus seorsim vide loco nostros.

Matth. 19.

Non agi hoc loco de diuortio ex professo.

12. *Reliquis autem ego dico, non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem quæ consentiat*, &c.

Quartus est locus, de impari coniugio, hoc est, in quo vna persona fidelis est, altera manẽte in sua veteri religione, aut Iudaica, vel Ethnica. Locus complectitur duo, πρόταστν & αἴτιον. Propositio pluribus proponitur. Nam vtrique personæ æquatum reddit ius. Sententia propositionis est, Impar etiam coniugium à piis indissolubiliter seruandum est. Id quomodo intelligat exponit, de marito, qui infidelem habet vxorem, quæ tamen cum viro Christiano velit habitare. Similiter de vxore pia, quæ infidelem habet

De impari coniugio.

maritum, qui tamen vxorem propter nouam religionem non deserendam sibi putet. Itaq; ius æquatum est, adeoque ad fideles tantùm personas spectat. Nam infidelib. præcepta dare non poterat Apostolus. Porrò se illa dicere inquit, qui nouæ Christianę professionis Christus in his casibus nullum dederat mandatum. Interim spiritus sancti est regula, cuius organum est Apostolus.

14. *Sanctificatus enim est maritus infidelis in vxore.*

Cur fidelis nō debeat infidelem coniugem deserere. Confirmatio est propositionis positæ, fidelis infidelem coniugem non debet deserere. Quare? quia deterior pars, hoc est, infidelis sanctificatur per meliorem, hoc est, fidelem coniugem. Sumit argumentum à natura fidei melioris personæ. Fidei proprium est sanctificare nos Deo, hoc est, declarat sanctificatos à Deo, nec ea solùm residet in vna persona, fideli sc. sed quia fidelis vna caro est cū infideli cōiuge, per cōsequens sanctificatio ad deteriorem etiam partē promanat. Et sanè habebit infidelis infinitas occasiones resipiscendi, conuertendi se etiam ad Christum seruatorem. Tamen Apostolus non dixit sanctificabitur, aut sanctificetur, sed sanctificatus est. Certissimum enim argumentum est sperandę etiam illius conuersionis, cùm nolit discedere. Itaq; sanctificatio illa in his solùm locum habet, qui nolūt dirimere matrimonium: in reliquis non perinde. Deinde filij hinc nati sancti sunt, si rumperetur matrimonium, redderentur impuri. Non est ergo rumpendum propter religionem. Sancti dicuntur filij illorum, quia non obstante infidelitate alterius partis, ad Ecclesiam Christi pertinent. Singulis. n. dicitur fidelibus, Ero Deus tuus, & seminis tui. Ad sanctificationem igitur liberorum satis est, si alter parens fidelis sit. Sancti etiam dicuntur filij, quia per educationem quoq; Christo consecrari poterunt. Quare pro vtilitate liberorum quoq; non est rumpendum matrimonium tale. Tertiò, quia ad pacem vos vocauit Deus. Ergo nulla societas inter homines bono fine

Quæstio. instituta, temerè est à piis distrahenda. Hanc rationem obiectioni annectit. Quæret. n. fidelis, tu non vis, vt deseram coniugem infidelem, ego fidelis, sed quid si ille nolit mecum habitare, sequárne ego illum? aut cœlibatum tenebor seruare nisi ei reconcilier?

◆ Respōdet Apostolus, minimè hoc volo, sed per te stare saltem nolo, quin ratum maneat matrimonium, sin infidelis nolit, bene, discedat, liber eris à matrimonio, ipso sic decernente. Nos vocauit Deus ad pacem. Ergo matrimonium per vos rumpi non debet. Et, vocauit nos ad pacem. Ergo infidelem discedentem relinquito, ne in ius voces, ne prosequaris causam tuam contra illum. Pacem vtroque modo serua.

Quartò à spe conuersionis. Impar matrimonium per fidelem non debet rumpi, quia spes est infidelē honesta conuersatione posse lucrifieri. Danda. n. est opera, vt Domino lucrifaciamus quosuis, nedum coniugē. Magis ergo in hoc casu ferēdus est cōiunx. Obseruandum in his argumentis, Religionem Christi non perturbare politica negotia, adeò vt matrimonia priùs inita rata habeat: imò imparia etiam doceat patienter ferre.

2. Deinde in iusto matrimonio requiri necessariò consensum cohabitationis, sine quo
3. integrum non potest subsistere. 3. ex quo etiam illud efficitur, impiorū matrimonia minimè esse sancta. Dum enim vtraque persona sanctificatione caret, impura sunt. Sic iudicandum de omnib. illorum operibus. Interim politicas habent suas virtutes, quæ ta-
4. menDeo non placent. Quartò fidei magna dignitas est, cui tribuitur vis nondum sancta sanctificandi, vt infidelem coniugem, liberos ex impari matrimonio natos, &c.

17. *Nisi vt cuique partitus est Deus quemque, vt vocauit Deus Dominus.*

Cuiq; suā stationem esse seruandam. Locus quintus est de statione cuiq; sua sedulò seruāda. Nam apud Corinthios videbantur homines aliqui morosi, qui conuersis ex Iudaismo statim imponebant totius vitę immutationem in externis ceremoniis, aut ex gentilismo mox à conuersis exigebant nouam viuendi rationem. Aut fortè etiam alij erant, qui sibi non satis pij viderentur, nisi priores ceremonias vitæ omnes in solidum abiicerent. His occurrit hoc loco Apostolus, ac decidit, non esse opus tanta austeritate, Christi religionem non tollere vitæ statum, hoc eruditè docet proponendo, explicando, confirmando, concludendo. Nos singula ad propositionem resoluemus. Sit autem propositio illa.

Πρότασις. Ob Euangelij professionē, nō est necessum, etiam mox vitæ genus immutare, sed cuiq; sua vocatio, salua religione, sedulò est tuenda, & conseruanda. Id Apostolus dixit περιπατεῖν ambulare vt quemq; Deus vocauit, hoc est, persistere in suo vitę genere in quo deprehēdit eum Euangelij professio. Ac verbum περιπατεῖν est edere vitæ actiuę fructus, vt intelligas pietatis esse, actiones professioni conformes edere. Non. n. satis est contēplari, & loqui multa de pietate: actione opus est. Ac particula εἰ μὴ, cōnectatur cū ὡς. Est. n. limitata propositio & astricta certa cōditione, Nisi vt Deus distribuit ambulandum est, hoc est, non aliter, non nostro iudicio, non fingenda est nobis vocatio, sed retinēda quā Dominus imposuit. Quo sensu perstringit Corinthiorum superstitionem qui

ob re

ob religionis professionem mox quiduis immutare volebant.

Sed consideremus argumenta, quib. hoc ostēdi potest quod proposuimus ex Apostolo, Statio sua cuiq; seruanda est post agnitionem veritatis. Cur? quia Deus sic distribuit 1
genera vitæ. Firma ratio est à diuina ordinatione, & dispositione, quæ piis studiose obseruanda est. Apostolus ingeminatione vrget argumentum & verborum immutatione, θεὸς ἐμέρισεν, & κύριος κέκληκεν. Idem quidem dicit, attamen mēbra se interpretantur. Distribuere.n. vocare est Hinc distributio vocatio dicitur. Disce vocationem nō esse naturæ, sed diuinæ dispensationis. Vt.n. non est nostri arbitrij diuitem, aut nobilem nasci: sic in genere omnis vitæ conditio quadam ordinatione diuina imponitur, quia à Deo, & à Domino fit. Hinc μοῖρα, fatum, & εἱμαρμένη deriuata vocabula. Quibus admonemur sortito nobis imponi personas, vt is sit Iudæus, hic Ethnicus, ego Christianus, ille Turcus. Nihil refert, si in Christo consentiamus satis est, maneat ille in suo habitu, ego in meo. Definiamus hinc vocationem vt sit destinatio à Deo facta ad aliquod vitæ genus, in quo Deo seruire debemus, quandiu salua religione, fieri potest. Confirmatur definitio hinc quia sic te vocauit Deus. Ergo sic illi seruias, hoc est, dum vocaret, te reperit in illo statu, quem non iussit in totum abiicere, sed iussit in Christum credere, pium esse, hoc igitur agito. Hinc disce Christianismum nulli statui singulariter esse addictum: sed ex omnib. suos colligit. Ideo non est necessum ob id, vt cōiugium vel desertas, vel suscipias, seruitutem repudies, vestem mutes, officium dimittas. Illa nō mutat Euangelium.

Vocationem non esse naturę sed diuinæ dispensationis.

Secundò ita in omnib. Ecclesiis ordino, h.e. præceptū de non perturbandis vocationibus, de nō mutādo genere vitę, generale est quod impono omnib. Ecclesiis, Generalia 2
præcepta omnium Ecclesiarum singuli debent obseruare, hoc tale est. Ergo, &c. Præceptum autem hoc vim habet ab autoritate Apostoli, hunc.n. in dubiis istis quęstionibus consulerunt. Par igitur est, authoritatem illius sequantur. Doctrina hic illustris est de bonorum ministrorum ingenio, ex quo possis iudicium sumere qui boni doctores sint nécne. Vtique boni erunt, qui ad exemplum Pauli, non mox docent statum suum deserere. In quo peccant primùm illi, qui ob religionem officia publica docent fugere, familiam etiam & coniuges deserunt. Item Monachi, qui sibi non satis Christiani videntur, nisi vestem, calceos, capillum & omnia immutent parentes deserant, nihilque non faciant, præter animi immutationem, quam studiosè simulant.

Boni esse doctoris ad stationē seruādam hortari.

Tertiò ab exemplis, quæ ex præsenti quæstione sumit. Circūcisus aliquis vocatus est, 3
ne accersat præputium: in præputio aliquis vocatus est, ne circuncidatur, hoc est, Euangelium te deprehēdit Iudæū, & credidisti Christo, nihil refert te esse circuncisum, mane in ritib. tuis, vtere tu victu, & amictu Iudaico, nihil detrahit religioni in Christum. Sic tu ex Gentilismo vocatus es, non sit tibi molestū præputiū, noli circūcidere te, quasi sine ea non possis Christianus esse, Indifferentia illa sunt, pietati nec addunt nec adimunt. Præputium & circuncisionem accipio per metonymiam pro quibusuis ceremoniis Iudaicis, & Ethnicis, quæ non est necessum ob fidem in Christū mutare. Quod videntur homines superstitiosi Ecclesiis voluisse obtrudere, quasi Iudæus non posset esse Christianus nisi mox suilla vesceretur carne, nisi etiam artibus recuperaret prępuțium, quòd & fieri posse medici tradunt, & exempla 1. Machab. cap. 1. testantur. Quam sententiam Græca vox Ἐπισπᾶσθαι etiam reddit, quæ significat arte recuperare prępuțiū. De quo vide Cels. lib. 7. cap. 25. Nō assentior Hieronymo, qui totū hoc de cœlibatu, & matrimonio per allegoriam intelligit. Certum.n. est Apostolum loqui de omnib. ceremoniis, quę salua pietate non licebat Christianos seruare vndecunq; essent ad finem vocati. Quartò à natura rerū ipsarum circuncisio nihil est, & præputiu nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, hoc est sua natura nihil prosunt, nec obsunt pietati, nō sunt de natura & substantia religionis. Nihil ergo attinet illa mutare superstitiosè. De his nō est litigandum, quæ ad substantiam pietatis non spectant. Ita nihil esse dicuntur, quæ tamen aliquid esse videbantur. Præputium nihil est, ergo non accersendum conuerso ex Iudaismo. Circuncisio nihil est, Ergo non accersenda conuerso ex Gentilismo: damnatur cum circuncisione omnis ceremoniarum pompa, vt quæ ad salutem nihil momenti habeant exhibitio iam Christo. Vide ad Gal. 6. sed mandatorum Dei obseruatio, quasi dicat, hæc ad substantiam fidei pertinet, impossibile enim est quin arbor bona fructus bonos proferat. Quomodo autem obseruatio præceptorum Dei aliquid sit, declaratur ad Galat. 5. Fides per dilectionem operans. Sine fide enim impossibile est Deo placere.

Circuncisionem aut prępuțium ad religionis naturā nihil spectare.

26\. *Quisque in hac vocatione in qua vocatus est, in ea maneat.*

Repetitio est propositionis quę superiorib. argumētis rectè subnectitur tāquā effecta cōclusio, q.d. ex his efficitur singulis in sua vocatione esse manendum. Vocatio iterum hic vt prius accipiatur certū vitæ genus in quo Deo seruire possumus, vt Iudæum esse,

Vocatio hic vt sup. prō

certo vitæ genere fu-mitur.

Ethnicũ eſſe,liberũ ſeruũ eſſe.In his ſtatib.vocati ad Chriſtũ illi ſeruire poſſunt,etiamſi illud vitę genus non ſtatim mutant.Idẽ iudicium eſt de aliis conditionib.vt hodie ad Chriſti cognitionem vocatur, monachus, ſutor, magiſtratus, vxor,maritus,virgo,ſeruus,&c.nõ eſt neceſſum vt ſubitò totu vitæ genus mutes,ſutor maneat ſutor, ſic maritus virgo,ſeruus,&c.maneãt ſinguli in ſua ſtatione,in qua Deus eos vocãdo deprehendit.De monacho fortè alia ratio eſt,quia vitæ genus turpe iã eſt,& infame,attamẽ non requirit Chriſtus vt mox habitum mutet,ſatis eſt Chriſto animum & mores mutaſſe.

21. *Seruus vocatus es.*

Expoſitio.

Noua eſt ἔκθεσις per alia excẽpla. Ac iam ſuprà quatuor indicauimus rationes:hæc iam ſit quinta ordine. Seruus & liber cõuerſi ad Chriſtũ non debent mutare ſtatim cõditionem:ergo in genere nõ eſt neceſſum propter religionem vitę genus mutare. Seruus,inquit,vocatus es,h.e.exempli loco ſic pono.Mancipium es,in quod herus habeat vitæ & necis poteſtatẽ,nihil refert,inquit,ad pietatẽ tibi nõ obeſt, mane in hac fortuna,nõ ſit tibi curæ,h.e.ne te crucies,non ſit tibi moleſta cõditio,vel ne labores attib.malis liber fieri.Mox addit præoccupationem,ſi tamen liber fieri potes,vtere,h.e.iuſtam libertatis occaſionem tibi nõ nego,ſolum prohibeo ne malis artibus,& prętextu libertatis Chriſtianæ velis excutere iugum ſeruitutis. Itaq; triplex hic emergit ſenſus. 1. Primus ſi poſſis liber fieri malis artibus , magis eligas ſeruitutem, illa vtere magis. 2. Alter ſi honeſtis artibus offeratur libertas,elige honeſtam libertatem. 3. Tertius liber iam honeſtè factus, tu vtilior ſis etiam Domino Chriſto tuo,qui te liberum vtroque modo fecit.

22. *Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus Domini eſt:ſimiliter & qui liber vocatus eſt,ſeruus eſt Chriſti.*

Sexta ratio à communione conditionum in Chriſto,q.d.non eſt cur anxiè mutes vitæ conditionem : Ratio eſt, quia licet contrariæ ſint,tamen in Chriſto concurrunt,diuerſo reſpectu,vna alterius eſt aliquo modo particeps. Liber coram mundo,& credens in Chriſtum,iugum Chriſti admiſit,& per conſequens eſt ſeruus effectus.Hoc illud eſt, quod Chriſtus ait, qui me ſequi vult,abneget ſe,& tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, Luc.9. Sic ſeruus in mundo, credens in Chriſtum aſſecutus eſt magnam libertatem, à peccato , morte , iure Satanæ maliſque affectibus. Dicitur autem libertus Domini,hoc eſt,Dei Patris libertus,quia filio Chriſto donatus eſt.

23. *Pretio redempti eſtis,ne reddamini ſerui hominum.*

Libertatẽ eſſe retinẽdam.

Septima ratio,à iure redemptionis,ac dignitatis.Re præſtantiſſima redempti,nõ debent facilè libertatem ſuam tanti emptam vendere.Vos re preſtantiſſima redẽpti eſtis, hoc eſt,ſanguine & morte filij Dei. Sic ad finem cap.6.argumẽtabatur etiam à præſtantia redemptionis.Porrò pretio redemptionis opponit ſeruitutem hamanarum traditionum,Deus homini opponitur,mors Chriſti,ceremoniis,libertas in Chriſto, obſeruantiæ rerum externarum. Fieri ſeruum hominum eſt,addicere ſe hominum mãdatis,non vti ſua in Chriſto libertate. Vt cum homo Chriſtianus ſeſe obſtringit votis Monachorum,ſine quibus Chriſto poterat ſeruire.Sic in illa Eccleſia Corinthiorũ Iudæi cõuerſi ad Chriſtum ſi in gratiam Gentilium, per omnia vellent gentiliter viuere,edere carnes ſuillas cum aliorum ſcãdalo : aut Ethnicus conuerſus,in gratiam Iudæorum circumcidi vellet,noua fuiſſet illa ſeruitus, & quidẽ hominum, quia ſine illa Chriſto ſeruire poterat.Non ergo mutandum vitæ genus in quo Deo poſſis ſeruire, ſalua pietate,in hoc ipſum vt retineatur libertas Chriſti,néve in nouam duriorem incidamus ſeruitutem.

Quid ſit, fieri ſeruũ hominum.

24. *Quiſque in quo vocatus eſt,fratres,in hoc maneat apud Deum.*

Concluſio eſt ſecũdo iam loco effecta validis rationib.& obiter aſperſa ſunt noua argumẽta pathetica,fratres eſtis,fraternè ergo monẽtem audite. Deinde coram Domino hoc prçcipio,religioſè ergo eſt ſeruandum. Eſt quidem vis obteſtationis,q.d.Deum habemus inſpectorem,& æſtimatorem vitæ,piè ergo viuendũ nec in gratiã hominum hîc quicquam faciendum. Et vtrinq; habet religionem argumentum. Paulus.n.præcipiens hoc facit coram Domino,in cuius conſpectu nollet peccare in re tanta.Deinde Corinthij id coram Domino accipient,quaſi annuente & approbante.Sequendum ergo.

25. *De virginibus autem , præceptum Domini non habeo. Conſilium autem do , tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidus.*

De ſeruanda virginitate.

Septimus locus de virginitate ſeruanda. Quæſiuiſſe videntur Corinthij præſtarẽtne virgines potius innuptas retinere,quàm nuptui elocare? Apoſtolus reſpondet cautè,vt doctrina hæc ſuperiorib.cõgruat:bonũ quidẽ hoc eſſe, ſed in iis qui donũ caſtitatis habeant.Reliquas non peccare nubendo.Interim diſſerit de cõmodis vitę virginalis,quibus matrimoniũ ſuperat,vt quòd curis multis careat,expeditior ſit in perſecutionib.in colendo Deo.Quę tamen omnia ſic accipi vult,vt non faciant ad vitæ aliquẽ laqueum.

Propo

Propositio est. Virginitas non omnibus in genere obtendi debet, sed certis quibusdam certo consilio concedenda est sine tamen vitæ laqueo. Propositio

Partes ita cohærent, initio præfatur de quæstione grauissima acturus, ostenditque qualis de hac sit doctrina. Non quidem talis, vt extet generale præceptum omnib.imponens virginitatis seruandæ necessitatem, sed temporibus & personis potiùs accommodari. Mox proponit indefinitè bonum esse homini sic esse. Tertiò virginitatem cum matrimonio confert, & vtrunq; considerat vt paria genere boni. Quartò seorsum virginitatis laudes indicat,qua re præstet, scilicet præ matrimonio. Denique à fine declarat,hæc non rapienda esse eò,vt in periculo constitutos ligare debeant. Partes.

25. *De virginibus autem.*

Præfatio ad nouã disputationẽ, loci nimirũ septimi.Primùm orditur ab ipsa quæstione,quam vno verbo notat.De virginib.De horum vita Corinthij quæsierant,habétque particula δὲ,transitionẽ a superiore disputatione ad nouam, quæ pertinent ad docilitatem.Deinde sequitur confessio declarãs qualitatẽ respõsi sui,consiliũ sc. dari certis accommodatum,non præceptũ vniuersale,quod omnes liget.Præceptum,inquit,Domini nõ habeo,sc.de virginib.elocandis,aut retinendis. Quomodo autẽ præceptum Domini nõ habet?primùm quia Moses de virginitate seruãda nihil præcepit, imò sub sterilitate dãnari videtur.Quod.n.ex veteri testamẽto probari potuisset, videri poterat à Domino habere.Deinde quia Christus nihil vniuersaliter omnib.de hac re pręcepit:sed dixit nõ omnes capiũt verbũ hoc,qui potest capere capiat. Deniq; quia nulla speciali reuelatione de hac edoctus est. Raptus in tertium cœlũ,multa quidẽ didicit mysteria,de virginitate tamẽ nihil.Itẽ quotidie spiritus multa suggerebat,in hac tamen quęstione fatetur se nihil habere:ingenuitatis est fateri quod non habeas. Idem si hodie facerent in votis suis monasticis, nõ tot laquei cõscientiis inijcerentur. Sed num incertos propterea relinquit?Minimè, ideo tertio loco addit. Consiliũ autem do,h.e.ex æquo & bono vobis consulo,dico sententiã meam, quam tutò sequi potestis.Ac ne illa vt hominis contemneretur,mox illi fidem & authoritatẽ conciliat *tanquã misericordiam cõsecutus, vt fidus sim*,q.d.Consiliũ meum interim quoq; a Spiritu sancto proficiscitur, ideóq; à vobis nõ debet contẽni.Primùm misericordiam in hoc sum cõsecutus, videtur.n.omnino significare se in his quæstionib.explicandis diligenter inuocasse Dominum, vt dictaret ipse quod vtiliter respõderet Corinthiis.Ac in superiorib. facilior erat ratio cùm scripturã haberet,& Christi sententiã.In hoc autẽ ardentius Deũ inuocauit,quòd perplexior esset hæc causa Admonemur hoc sensu in grauiorib.causis ad Dominũ esse cõfugiẽdum, ac ardentibus precibus à Domino impetrandum, id quod volumus ad Ecclesiæ vtilitatem scribere.Misericordiam in hoc responso consecutus est Apostolus.Ergo consilium diuinum est,ideóque tutissimè seruabitur.Deinde fidus esse debeo,hoc est de meo nihil addere, sed Domini voluntatem solùm explicare. Volo ergo etiam in hac fidelitatem meam Ecclesiæ Christi declarare.Nihil igitur est quòd dubitetis de meo hoc consilio. In causis grauiorib. ad Deum esse confugiendum.

26. *Puto igitur hoc bonum esse.*

Propositio hinc peti debet, cuius sententia est,Bonum hoc est, vtile est in virginitate manere.Apostolus inquit, νομίζω καλὸν ὑπάρχειν, iudicio bonum esse, hoc est, legibus naturæ, & bene institutis rebusp. congruens. Illud.n.dicitur νομιζόμενον καλὸν, & rectè quidem.Nam consilium Apostoli certis personis accõmodatum est, hoc est, iis qui donum habent,alioqui naturæ iniuriam faceret.Deinde congruit cum bonis legibus,quę honesta matrimonia concedunt,interim quorundam virginitatem nõ tollunt,imò laudant:ideóque καλὸν hîc non est καθ' αὑτὸ καλὸν, sed καλὸν χρήσιμον,καλὸν συμφέρον, bonum vtile & commodum. Ex quo & illud efficitur, propositionem Apostoli specialem esse. Non omnib.sed quibusdam applicari debet virginitatis custodia. Quare? primùm quia Apostolus nullum habet generale præceptum, quod omnes cogat. Deinde, quia Apostoli iudicium speciale est. Ratio, quia dixit propter scortationem vitandam, quæque proprium maritũ habeat. Tertiò addita est & hæc ratio propter instãtem necessitatem. Ἀνάγκην accipio pro afflictionibus persecutionum,quorum respectu bonum est sic manere. At illa necessitas non omnes vrget. Ergo præceptum non potest esse vniuersale, sed consilium particulare est,ideóq; his verbis illam comprehendimus. Virginitas non omnibus in genere obtendi debet:sed certis concedenda est,certo consilio,sine tamen vitæ laqueo.Huius rei tres iam habemus rationes,mox plures indicabimus. Quid intelligat per necessitatẽ

27. *Alligatus es vxori.*

Oppositorum est adæquatio.Ostendit.n.matrimonium,& virginitatẽ in genere boni conuenire, ideoq; liberam esse vniuscuiusque electionem.Id vult quod dicit. Habes vxorem,ne quæras solutionem,scilicet ne affectatè quæras diuortium,ne sit tibi mole-

ſtum matrimonium. Bonum igitur eſt,alioqui ad id conſeruandum malè hortaretur Apoſtolus. Sic de virginitate.Solutus es ab vxore,ne anxiè quæras aliquam.Primùm igitur vtiq; hoc commune eſt. Deinde in eligendo quoq; libertas eſt, vt in conſeruando. Qui duxit vxorem non peccat , & virgo nubens non peccat. Sunt igitur in eo æquata bona,quia vtrunque ſine peccato eligi poteſt.Hinc quartum argumentum depromitur ad propoſitionem principalem:Retinere vxorem ductam:idem de nouo vxorem ducere non eſt peccatum,ſed res libera.Ergo virginitas non debet omnibus obtrudi.

Qua parte virginitas ſit matrimonio præſtantior. 1.Commendatio. *Sed afflictiones in carne habituri ſunt tales:ego tamen vobis parco.* Æquauit aliqua ratione virginitatē & matrimoniū.Nūc pergit differentiam donorum iſtorum oſtendere.Ac primū matrimonium ſecum trahit θλῖψιν, moleſtias vitæ coniugalis:vt eſt cura alendæ familiæ moroſa interdū vxor,liberi non obſequentes,& infinita alia.Has moleſtias vna voce ſatis ei erat cōplecti, ſpeciatim perſequi noluit, ne videretur vituperiū matrimonij inſtituiſſe.Ideo inquit, Ego verò vobis parco,ſc.non cōmemorādo moleſtias matrimonij,quas ſi perſequi vellet, dehortari magis quàm cōcedere viſus eſſet. Ideo non recipio Hieronymi interpretationē,qui dicit concedendo matrimonium pepercíſſe,quaſi infirmitati illorū indulſerit.Sed alienū eſt ab inſtituto Apoſtoli. Nam cū matrimonium per ſe liberū ſit,perinde ac virginitas, nō opus eſt indulgentia, ſed potius neceſſaria eſt cōceſſio,his qui donum habēt huius vel illius. Parcit igitur non concedendo matrimonium,ſed illius moleſtias non perſequendo ne diſſuadere rem priùs cōceſſam videretur.

2.Commēdatio. 29. *Hoc autem dico fratres.*

Altera differētia qua virginitas commendari poteſt à temporis breuitate. Tēpus deinceps contractum eſt.Ergo rebus mūdanis non oportet nimium adhærere. Id liberius faciunt cœlibes.Contractum intelligo, vel breue vel difficile:illud reſpectu finis mūdi: hoc imminentium periculorum ratione,q.d.periculis omnia mox ſcatebunt.Aptior igitur eſt his temporib.virginitas,aut finis rerum paulò pòſt imminet, igitur non oportet de matrimonio magnopere ſollicitum eſſe.Prius tamen magis accommodū eſt huic loco.Summa eſt,animus non debet affixus eſſe nimium rebus mundanis. Inter has etiam eſt vxor,ideo in matrimonio cauenda etiam eſt impotens ſeruitus. Huc facit enumeratio rerum mundanarum,quaſi gradatione quadā connexa. Vxorati viuere debent quaſi vxorem non habeant. 2. flentes quaſi non fleant, quia mox maiores erunt flendi occaſiones. 3.gaudentes quaſi non gaudeant , vt maturè ſe aduerſis accommodent. 4.qui emunt quaſi non poſſeſſuri. Summa qui vtuntur mundo, quaſi non abuſuri,h.e.modeſtè in omnib. mundi occupationib. ſeſe gerant. Animus rei æternæ indiuulsè debet ſolùm adhærere,qualis Deus eſt.Ideo addit:præterit enim forma mundi huius,h.e.nihil habet firmum, nihil ϛάσιμον : ſed in perpetuo fluxu ac motu eſt , ideo animus noſter nullis rebus mundanis immoderatè affligi debet.Ratio eſt,quia animus æternus manet,illa autem obiecta in horas mutantur. Ita intelligo de inconſtantia rerum humanarū locum. Eſt & illa interpretatio, *præterit forma mundi huius*,h.e.mox mox eſt interiturus,& emphaticè inquit τοῦτον , quaſi digito monſtrans hanc ipſam machinam , in omnibus ſuis partibus interire, quia mox id fiet. Et σχῆμα,hoc eſt,forma illius,non ſubſtantia. Expectamus enim cœlum nouum,& terram nouam.De interitu mundi vide locos noſtros.

3.Commēdatio. 32. *Velim autem vos ſine ſolicitudine eſſe.* Tertia commendatio virginitatis,quia hic ſtatus minùs habet curarū,minùs ſolicitudinis,quod omnib.optat Apoſtolus,dare autē non poteſt.Initio argumentū proponit,volo aūt vos ſine ſolicitudine eſſe. Ac θέλω non

Volo non eſt præcipientis ſed optantis. eſt præcipientis, ſed optātis potiùs,vt ſup.ver.7. Volo omnes homines eſſe vt ego ſum. Ideòque illic adhibita eſt correctio,ſed quiſq; donū ſuum habet à Deo. Ita hîc optaret omnes eſſe ἀμερίμνους,ſi fieri poſſet,hoc votum excuſſit pietatis amor.Deinde diuiſione illuſtrat, nam applicat ad ſexum maſculinū,oppoſitione quadā facta. Cœlebs curat illa quæ Domini ſunt vt placeat Domino. Vxoratus autem illa quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori.Manifeſta eſt cōmendatio cœlibatus.Sed verū eſt argumentū ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.Nā priori mēbro loquitur de verè cœlibibus,qui ſpiritu &corpore tales ſunt,illi reuera curāt illa quæ Domini ſunt. Nō ita faciūt hodie noſtri cœlibes,qui nec ſpiritu,nec corpore caſti ſunt,paucis exceptis.In poſteriori mēbro loquitur de vxoratis, qui nimiū dediti ſunt vxoribus,quod ſemper malū eſt. Interim nō negat quin infiniti ſemper mariti extiterint,qui in ipſo matrimonio curarint illa quæ Domini ſunt, quomodo placerēt Dño. Itaq; argumētū vt plurimū verū eſt. Docemur etiā hîc duplex eſſe genus cura-

Curarum duplex eſſe genus. rū:vnū prohibitū,quod prohibuit Dominus etiā Mat.6.& Marc.10.ipſi Marthę.&Luc. 12.Apoſtolis,ne ſoliciti eſſent quid locuturi eſſent. Aliud legitimū, cura rerū diuinarū, ſalutis noſtrę promouēdæ,pietatis,Eccleſiarū,&c.Hinc Apoſtolus 2.Cor.11.curā ſibi incubuiſſe omniū Eccleſiarū fatetur.His addi poteſt tertiū genus curæ,quod ſacrę literæ quoque

quoq; cōmendāt, domesticorum suorū. Nam qui suis in primis verò domesticis nō prouidet, fidē abnegauit, & est infideli deterior. Itaq; totum hoc quod de curis dicitur hic, de excessu dicitur. Tertio loco idem accōmodat ad alterum sexum, opponēs vxorem & virginem, ac de his differenter loquitur, vt prius de viris. Diuisa igitur sunt vxor & virgo, hoc est, in eo differunt, quia virgo curat illa quæ Domini sunt, hoc est curare debet, loquitur enim de officio virginitatis, non quòd euentus sępe doceat. Ac vtinā hoc pręstarēt omnes, sed verè ac nimium verè dixit illa monialis, *Ach vvir solten d vvol rem sin.* Deinde cōsidera in quibus consistat virginitas, vt sit casta vel sancta corpore & spiritu. Suprà iussit laudare Dominū corpore & spiritu: hic exigit castitatem corporis & spiritus, prior natiuitatis est, posterior doni, ac voluntatis. Ac prior sine posteriore hypocrisis est. Posterior verò sine priore etiā Domino manet commendabilis. Hinc 1. Petr. 3. vxores patriarcharum, sanctitatis nomen merentur. Examinent ad hanc regulam Pauli votiuæ virgines hodie seipsas, num sint castæ spiritu & corpore, vix vnam ex mille dabis. Itaq; totum argumentum de veris virginib. loquitur, hoc est, quæ donum eius habent. Non loquitur autem de aliis quæ donum nec habent nec possunt se continere. Sic maritata curat ea quæ mundi sunt quomodo placeat viro, hoc est, solēt in eo vtplurimum peccare. Interim sanctas matronas minime damnant illa verba, quæ in matrimonio castæ spiritu fuerunt, & curarunt quomodo placeant etiam Domino redemptori suo. 1. Tim. 5. 8.

35. *Hoc autem dico vestro commodo, non vt laqueum iniiciam.*

Superius argumētum mitigat habētq; tacitam occupationem. Dicerent. n. Corinthij bene est, quandoquidē virgines & cœlibes in vtroque sexu curant illa quę domini sunt & curis humanis adeò liberi sunt. Præstat omnes cœlibes & virgines permanere. Respondet Apostolus argumentum debere applicari ad vtilitatem non ad laqueum, q. d. quicquid dixi de virginibus & cœlibatu, totum hoc ad vestram vtilitatem dixi: significans nisi sit certissima vtilitas consilij apostolici facilè mutari posse. Itaq; firmum hinc depromitur argumentum. Quandiu certam habet vtilitatem virginitas, hoc est, fine suo non frustatur, vt sit corpore & spiritu sancta, tandiu seruanda est: vbi verò desinit vtilis esse, vtiq; inutilis redditur illius cura, sed in omnibus qui donū non habent, inutilis est. Ergo in his omnib. locum non habet eius consilium. Deinde Apostolus manifestè consulit iis, qui sunt extra periculum. Non vult. n. vlli laqueum iniicere. Vnde colligas hoc modo. Salubria consilia debent carere laqueo vitæ, h. e. maiori alio periculo, ne vitando Carybdim incidamus in Scyllā. At votum cœlibatus & virginitatis multis est laqueus, illis sc. omnibus qui donum illius non habent, nec habere vnquam possunt. Itaq; consilium hoc locū non habet in illis personis secundū Apostoli sentētiam. Respon. ad taciti obiect.

Tertiò consilium hoc accommodatur ad decorum vt aptè adhæreant, & indistractè ipsi Domino. Ergo quicunq; & quęcunq; non seruant τὸ εὐσχημον τοῦτο, his omnib. frustra canis de virginate. Tales autem infiniti & infinitæ sunt in quibus euentus ipse declarat, & clamat experientia, in his donum non esse cœlibatus. Tu de castitate canis, illæ somniant etiam viros, flammas patiuntur, vruntur, imò scortantur, abortum & patiuntur & faciunt, pariunt & necant interdum sobolem, quod flagitium? vbi decorum? vbi adhæsio Domini? vbi finis à Paulo positus? sublato fine tolli debent ad illud destinata.

36. *Si aūt quis turpe esse in virgine sua putat, si ips pubertatis excedat, & si ita fieri oportet.*

Hactenus priuatis consulit, ac consilium suum accōmodauit diuersitati donorum, & commoditati temporis. Nunc videtur parentibus consulere. qua sc. de causa filias suas elocare possint aut conseruare in virginitate. Hinc ad viduas transit, totū hunc locum concludēs. Prioris mēbri sensus est. Deliberatio de virginitate seruāda, aut matrimonio eligendo à puellę voluntate pendere in primis debet. De matrimonio priùs agit. Ac obserua hic causas nouas quib. matrimonium virginitati præferri potest, primùm cōcedit, quod aliqui de suis virginib. obiicere poterant. Tua virgo est ὑπέρακμος, h. e. pubertatis annos est egressa. Ἀκμὴ enim vigor est, & flos ætatis, consistentia. ὑπέρακμος, quæ iam nubiles annos pręteriit. Et tamē hoc videtur parentib. ἀσχημονεῖν, hoc est turpe esse (videtur enim ferè ab omnibus virgo anus) bene est, elocet illam viro, non peccat. Hunc sensum Græcus contextus facilè admittit, ac docet leui etiam de causa commutari posse virginitatem cum matrimonio honesto, adeò vt pudor & dicteria publica in cœlibatū iactata satis causæ sint ad consilij mutationem. Ac sensus hic ad parentes respicit, si sc. parentes putauerint turpe esse suæ virgini anum fieri in virginitate. Alij autem referunt ad virginem hoc modo: si parentes putāt virginem suam ἀσχημονεῖν, hoc est, aliquid turpe committere, vt si sit in suspicione sinistra, si in periculo scortationis, si laqueus illi fiat cœlibatus, elocent potiùs quàm sic conseruent cum integritatis periculo. Hic sensus superioribus congruit quòd in periculo scortationis vtilius sit nubere quàm vri. Quomodo parētes se in hoc negotio gerere debeant erga liberos. Verbi ἀσχημονεῖν significatio.

Addit autem Apostolus,& ita fieri oportet,scilicet si talis vrgeat necessitas,vt vel turpis sit virginitas vel certum periculum lapsus alicuius, vel animus puellæ mutatus sic, ac maritum desideret,elocent illam,non peccant.

37. *Qui vero stat firmus in corde,nec habet necessitatem,&c.*

Antithesis est, quomodo scilicet quis suam virginem innuptam retinere possit. Primùm si non adsit necessitas nubendi, hoc est, quum absit suspicio & periculum scortationis,si non sit laqueus, si non sit turpis virginitas, si in potestate habet propriam voluntatem, hoc est, si assentiatur ipsa virgo & possit de constantia voluntatis vtcunque confirmari,seruet illa virginitatem suam.

38. *Itaque & qui dat nuptum bene facit,sed qui non dat nuptum,meliùs facit.*

Conclusio est:quæ comparatione contrariorum facta infert iudicium suum de vtroque facto.Καλῶς ποιεῖ,bene facit,hoc est,vtiliter & commodè facit propter enumeratas causas,quia in matrimonio vitabit periculum scortationis,sinistros rumores,& donum habet educandi liberos, administrandi rem domesticam. Ideo vtiliter, & honeste facit nubendo. Qui verò non elocat, κρεῖσσον ποιεῖ, melius facit, hoc est, commodius consulit suæ virgini,quia donum habet virginitatis,caret sinistra fama,non est in periculo scortationis. His omnibus accedit quia infinitis molestiis carebit quos in matrimonio habitura esset. Expeditior etiam erit ad persecutiones & similia. Quæ omnia nihil detrahunt matrimonio. Hic melius facit in suo genere, & alter etiam bene facit, suo respectu.Vterque meliùs facit sequendo meliores rationes.Mea virgo non habet donum castitatis,sed ad matrimonium est vtilis futura, melius fecero si elocem, quàm si inuitam retinere velim.Tua autem donum habet virginitatis,ac dono illo delectatur.Meliùs feceris igitur retinendo in virginitate quàm elocando.

39. *Vxor alligata est lege quandiu viuit maritus ipsius.*

De viduis. Vltimus locus de viduis quando scilicet ipsis liceat iterum nubere. Primùm si mortuus fuerit maritus.Nam morte soluitur prius matrimonium,si velit nubere,integrum ei relinquit.Nec tollit hîc alias diuortij causas,vt scortationem,de quaChristus loquitur Matth.5.& 19. Item si infidelis non consenserit habitare cum fideli coniuge, sed loquitur de ea causa, quæ honesta matrimonia vtplurimum soluit, morte scilicet. Licet igitur ad secundas nuptias transire. Tollitur hic bigamia vno tempore, quia non nisi mortuo priori concedit nouum maritum.

Quo sensu dicatur vidua in domino nubere. Deinde conditionem addit,*tantum in Domino*, hoc est,summa tamen modestia,ne appareat libido petulans.Aut tantum in Domino,hoc est,pari matrimonio,q.d.non concedo viduæ secundas nuptias, nisi cum pio, & fideli viro:cum Ethnico aut Iudæo nondum conuerso,non concedo. Rectè quidem hoc : sed quid si cum Christiano dissoluto, aut hypocrita,non fit in Domino?Respōdemus.In Domino nubere,sancto & pio consilio est nubere quod ipsam viduam attinet. Idem dicere viro,non ducat nisi in Domino. Quòd si velit esse dolosus,hoc per omnia cauere non potest vxor futura.

Quare quod ipsam concernit valet hæc conditio,tantùm in Domino nubet,hoc est, pio & sancto consilio, oret Dominum ardenter,vt & monstret idoneum, & pium maritum.

40. *Sed beatior est si ita manserit, mea quidem sententia, puto autem me quoque Dei spiritum habere.*

Viduis suadet cœlibem vitam,si fieri possit, nō imperat inuitis,consilij tamen habet certas causas beatior erit mansura vidua scilicet, in hac vita, quia libera erit à molestiis huius vitæ, quarum consideratione vtique erit felicior. Sed non perinde sequitur, beatior erit apud Deum, hoc est, plus merebitur, quia vita æterna non est meritorum nostrorum, ideo nec vidua in cœlibatu mereri illam potest. Deinde in iis valet solùm quæ donum possunt babere:si donum absit,iam beatior erit in ipso matrimonio.

Alia ratio est consilij Apostolici,quia hoc suadet,non vt homo prophanus,sed vt Apostolus Dei spiritu præditus. Igitur hoc tutò sequi debent viduæ,non errabunt si maneant cœlibes.Apostolus etiam spiritumDei habet,quasi dicat,vestri quidam doctores hîc mihi detrahunt, meq; rudem sermone appellant. At scio contrarium, spiritum Dei me habere certò noui testatur hoc mea vocatio, Apostolatus, doctrina, pericula, miracula,reliqui Apostoli.Itaque iudicium hoc meum de me non est natum. Aut potest hic esse sensus. Vestri doctores qui promiscuè omnnibus assentantur, nuptias concedunt promiscuè omnibus cum quouis,ego hoc non probo,sed pio consilio & graui deliberatione iniri rationes matrimonij volo.Ratio est, quia spiritum Dei quoque habeo, quasi dicat,illi solùm sibi videntur sapere,inepti homines,& mali pietatis doctores. Quæ sententia non caret ironia,& scommate.

CA

CAPVT VIII.

SECVNDVS locus hoc capite explicatur, in quo corrigit Corinthiorum licentiam in adeũdis prophanis conuiuiis. Occasio hinc orta est. Quòd Corinthij paterentur se à vicinis inuitari ad publicas cœnas sacrificiorum suorum, & quia in his apponebantur carnes idolis consecratæ, nõ immeritò offendebantur infirmiores, contrà doctores prætexebant suã in Christo libertatem, & scientiam, scil. quòd scirẽt idolum nihil esse, nec quicquam haberet numinis, sed amicorum gratia se interesse bona conscientia. Huic excusationi alij acquiescebant, alij verò minimè. Quare de his consultus Apostolus, respondet abuti libertate Christiana, in eo quòd scientiam suam non accommodent ad regulam dilectionis, quæ suadet omnia accommodare ad infirmiorum ædificationem, & profectum, non ad offensam fidei & confirmandos errores. Loci sunt insignes de idolothytis, de ciborum delectu, de Christiana libertate, de scientia, de charitate, de conscientia infirmorum, de offendiculo cauendo, & similes. Similia habuimus suprà cap. 6 & ad Rom. 14. Cap. 8. argum.

Πρότασις generalis est. Pij in rebus mediis semper debent iudicare potiùs secundum dilectionem, quàm secundum rerum scientiam in sese. Hinc nascitur specialis. Corinthij non debent adire conuiuia idololatrica, quia repugnat regulæ charitatis. Propositio.

Partes istæ sunt. Sumit initium ab ipsa quæstione. Mox addit confutationem argumentorũ quibus vtebantur illi, qui conuiuia talia frequentabãt. Ac vidétur duo in primis habuisse firmamenta: primùm à rerum natura, quia idolum per se nihil sit, hoc est, nihil habet positiuè, quale & tribuitur ab hominib. id, inquiunt isti, scimus, ideo nostra vtimur libertate in quam nos vocauit Christus. Posterius autem erat, à ciborum natura, quia cibus nos non commendat Deo, ideo nihil refert quo cibo vtaris. Ad vtrumque respondet copiosè Apostolus. Scientiam limitat ad charitatem, cibos ad ædificationem, vtrumque vult carere scandalo. Hinc tertio loco ostendit, qui fructus ex ista licentia oriantur, confirmantur errores, offenduntur infirmi, perduntur multi, ipse Dominus Christus offenditur, & similia. Quæ omnia vim habent argumenti non licere talia adire conuiuia. Demum infert conclusionem suo exemplo conceptam. Nihil enim aliis imponit, quod non constantissimè priùs ipse sit seruaturus. Partes.

Cæterum de ijs, quæ sunt immolata idolis. Exordium est sumptum à noua quæstione. Ideo tansitione hæc superioribus annectit. Transitionis nota est particula δὲ interiecta. Quæstio autem est de idolothytis. Dicuntur idolothyta, quæ idolis sunt consecrata, quales erant in sacrificiis hostiæ & reliquæ carnes: Nam in sacrificiis partes quædam idolis comburebantur, reliquæ carnes in conuiuium parabantur inuitatis. Ad talia conuiuia inuitabantur etiam Christiani, vel ab amicis, vel à vicinis. Inuitati quidam solebant accedere. Hinc orta quæstio an liceret fidelibus eiusmodi conuiuiis interesse. ζήτημα igitur est περὶ τῶν εἰδωλοθύτων. Ex quæstione nascitur propositio negatiua. Corinthiis fidelibus non licet talia conuiuia accedere. Ratio est, quia cum fratrum scandalo fit. De idolothytis.

Scimus quòd omnes scientiam habemus. Incipit hîc respondere ad argumenta Corinthiorum quibus factum suum defendebant. Ac primùm à cognitionis præstantia, quã de idolorum natura habebant. Dicebant illi, meliùs imbuti sumus in fide, quàm vt numẽ aliquod idolo adesse credamus. Respondet Apostolus, concedo id verum esse, sed scientia hæc te non excusat. Ratio est, quia cõmunis est scientia, quã omnes habent: primùm enim omnes fideles illam scientiam habent, infirmi quoque, interim nõ sequitur, quòd idolorum conuiuia liceat accedere, imò contrarium hinc efficitur. Si enim idolum nihil esse scis, cur accedis illa conuiuia? Cur re nihili offendis fratrem? Aut πάντες referamus etiam ad infideles. Omnes scientiam habemus, hoc est, idem etiam norunt infideles, statuas per se non esse deos, sed terrenam potius molem. Interim non sequitur: Ergo licet istis statuis immolare, & epulum publicum instituere: quòd si illi impiè instituunt epulum, tu sanè piè id non potes accedere. Sed habet Apostolus pleniorem rationem in sequentibus. Ὑποφορὰ qua vtebantur Corinthij. Respon.

Scientia inflat, charitas verò ædificat.

Primò à non consequente refutauit illorum firmamentum. Nunc à scientiæ natura. Confert autem scientiam per se consideratam cum charitate. Nam factum Corinthiorum scientiæ quidem habebat speciem, sed non erat temperata charitate, proponit igitur naturam vtriusque spectandam. Scientia, inquit, inflat per se, scilicet sine dilectione, hoc est, tumidos, superbos & arrogantes reddit. Hoc adeò est verum, vt Ethnici etiam dicant, scientiam in malo homine esse, quasi gladium in manu furentis. Hinc Quintilianus oratorem vult virum esse bonum. Si enim cadat in malum, rem esse omnium perniciosissimam. Inflat igitur scientia. Fugienda est igitur, nec sequenda per se in rebus agendis, Scientiã sine charitate nulla laude esse dignam.

Scientia vt vinum merum inebriat, temperatum autem cum aqua pusilla vtiliter bibitur, hoc est, scientia dilectione gubernata. Consideremus hic eruditionis naturam per se. Videtur illius propria forma inflare, adeò vt aliter non agat si charitate destituatur. Hinc scommata in eam vulgò iactata: Quantò doctior, tantò perniciosior: docti peruersi, & similia. Hinc Deus illam abominatur, & præfert illi ruditatem, vt in electione Apostolorum contempsit eruditos Pharisæos, piscatores illis præferens. In propagando Euangelio, miseram plebeculam elegit, doctos philosophos, oratores, poëtas, Pharisæos, Sadducæos, passim neglexit. Ideóque videant docti, non quantum sciant, sed quantum diligant. Horrendum est Domini iudicium contra scientiam in Satana omnium scientissimo, quod nomen Dæmonis declarat, & suprà dicitur, Pauci sapientes secundum carnem, sed quæ stulta sunt elegit Deus. Tertiò charitas ædificat. Iterum refutat illorum firmamentum, quasi dicat, factum vestrum defendendum erat, non ex amplitudine scientiæ, sed dilectionis, Charitas ædificat, hoc est, rem facit meliorem, construit, non destruit. Vestrum autem factum non ædificat: ideo charitate non regitur. Vt scientia, & charitas opponuntur, sic inflare & ædificare. Ac videtur inflatio quoque ædificatio, sed tumor est euanidus, nihil habet solidi: sic eruditio sine dilectione: cùm videatur mirificè prodesse, nihil prodest, imò obest, vt tumor obest corpori.

Admonemur hoc argumento, diligenter obseruare cum quibus viuamus, quid, quando, quomodo, commodè, & vtiliter fieri possit, ne perturbemus conscientias infirmorum: sic Apostolus omnia omnibus solebat fieri, vt bonus ille pastor oues reliquit quærens vnam perditam vt eam reduceret. Hoc dilectionis ingenium est omnia ad proximi vtilitatem applicare. Ædificandum enim est non destruendum opus Domini.

Luc. 15. 4.

Vers. 2. Pergit contra scientiam agere. Vos non excusat vestra eximia de rebus scientia. Ratio est, quia adiunctum habet hoc vitium, vobisipsis placetis nimiū. Videbimini vobis scioli, & eruditi. Hoc propriè stultorum est, qui sibi placent. Socrates meruit sapientissimi hominis titulum, non alia re, nisi quòd profiteretur, se hoc vnū scire, quòd nihil sciret. Item quòd senescens semper disceret. Ac reuara multum profecisse videbimur si intelligamus nos nihil scire. Hoc illud est, quod hîc dicit Apostolus, siquis videtur sibi aliquid scire, nondum scit, vt oportet scire. Quomodo oportet nos scire? nos ignaros, & stupidos in multis hærere, hoc scire omnino oportet.

Obserua sibi placere in eruditione sua, argumentum esse impietatis, animi alieni ab omni dilectione. Hoc dicunt Ethnici τὸ θράσος ἀμαθία, arrogantia ignorantiæ comes, sed scriptura acriùs damnat.

3. *Si verò quis diligat Deum, hic ab eo cognitus est.*

A contrario ducit argumentum. Dixit de scientia, nunc iterum de charitate. Scientia fallit, quia hominem non instituit vt oportet, dilectio autem non fallit: sed nos Deo seriò approbat. Efficit etiā vt seriò, & solidè à Deo doceamur, solidam sciētiam à Deo videamur habere. Ideo factum vestrum non ad cognitionis naturam erat dirigendum, sed potiùs ad dilectionis normam informandum. Siquis diligit Deum, hic ab illo eruditus est, vel doctus redditus est ab illo. Hinc nascitur illud, Soli diligentes Deum vera eruditione præditi sunt. Loquitur de salutari eruditione, & scientia. Non interim damnat eruditionem secularem: quanquam & hæc quoque debeat temperari dilectione proximi, vt cōdimento necessario.

4 *De cibo igitur qui idolis immolatus est.*

Hactenus in genere egit contra scientiam, quam illi prætexebant, ac docuit illam ferri nō posse in præsentia, quia careat suo proprio cōdimento, dilectione scilicet. Nunc rem accommodat ad præsentem quæstionem, hoc sensu. In omni re scientia sine dilectione est perniciosa. Ergo etiam in vsu ciborum idololatricorum. Assumit igitur, scimus quòd idolū nihil sit in mundo, sed quid tum? ideóne licebit vobis adire illorum cœnas? ideóne licebit vobis in illorum gratiam offendere fratres vestros? ideóne licitus erit cibus illis cōsecratus? Minimè verò, imò hoc ipso fugiendum magis erat illorum cōsortium, hoc declarat charitas, si illa præditi essetis, illud sciētia suadet, quam iactatis. Porrò idolum nihil est. Dicitur ad opinionem hominum, hoc est, non habet numen aliquod, vt putant homines, nō est quiddam positiuum in diuinitate. Summa, non est Deus, qualis putatur, rem quam refert non habet, sic nihil est *es ist nichts, es ist kein gott, vvie mā aber meint.* Alioquin est aliquid si materiam respicias, est ligneum, lapideum, eburneum, æneum, aureum, argenteū, ficulneum, &c. hoc non negat Apostolus, sed numen & formam illi detrahit. Addit autem Apostolus in mundo nihil est idolum, non quòd extra mundum aliquid sit, sed ne hîc quidem aliquid esse. Nam in hac vita coluntur illa numina, post hanc vitam Ethnici nullum norunt cultum numinum. Electi igitur sciunt etiam in hac vita idolum nihil esse: hoc fortè sciebat Socrates etiam: sed reliqui Athenienses populares hoc ignorabant. Deinde potest opponi

Idolū nihil esse.

opponi hic mundus menti, quasi dicat, idolum in mundo nihil est, hoc est, reipsa in gubernatione mundi idolum nullum habet numen, sed in mente infidelium habet numen fictum: homines enim sibi vsurpant ius faciendi Deos, & fingunt in animo nomina quæ revera non sunt.

Et quòd nullus sit Deus nisi vnus.

Putatitiis diis opponit vnum Deum verum, Illa habent concessionem, quasi dicat, nō solùm idolum nihil esse scitis, sed concedo etiam vos scire solum vnum esse Deum, sed non id vobis satis est ad facti defensionem.

Nam tametsi sint qui dicuntur dij. Confirmatio quòd vnus solùm à Christianis agnoscatur Deus. Opposita sunt iterum membra, λεγόμενοι θεοὶ vni vero Deo opponuntur. Dicuntur λεγόμενοι putatitij quos priùs vocauit Idola, dicti vocantur, quia ab hominibus nuncupantur & in numerum deorum referuntur. Magna fuit illa insania Ethnicorum, faciendi deos, cùm seipsos æternos reddere non possent. Porrò appellatio ipsa confirmat non re, sed nomine solùm esse deos multos: reipsa vnus, opinione hominum multi. Vox multitudinem fictorum deorum distinguit, alij in cœlo, alij in terra sunt. Diuiserunt enim Ethnici suos deos in cœlestes, terrestres & infernales. Alij addidere marinos, fontanos, fluuiales, syluarum, &c. Varro in maiores, & minores: maiores Romæ duodecim erant, minores infiniti. Alibi reperitur & alia diuisio deorum, alios esse pœticos deos, philosophicos, alios politicos. Pœtici ad Theatra pertinent, & fabulosi sunt. Philosophici ad mundum, & rerum naturam explicant, Politici ad Respublic. Hi omnes dij multi sunt, & Domini, hoc est, diuersis locis vel certis prouinciis præsunt, aut certo tempore certis rebus. Hinc topici dij, & singulis anni partibus sui assignati dij: singulis membris corporis humani sui dij. Morbi etiam singuli, res singulæ sua certa habuerunt numina. Hinc infinita deorum multitudo. Vnū esse verum Deum.

6. *Sed nobis vnus est Deus.*

Correctio qua infert oppositum membrum. Christiani vnum profitentur Deum, quum Ethnici multos agnoscant. Et quia nec ista splendida cognitio factum illorum excusat, ideo ipsam cognitionem amplificat explicatione illustriore. Nobis vnus est Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipsum. Et vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Primùm considera quem Deum dicat, & quem Dominum. Deinde quomodo de vtroque loquatur. Pater, inquit, Deus est, filius autem Dominus, & pater vnus est Deus, filius vnus Dominus. Rectè quidem, & differenter. Vnus Deus est Pater, quia diuinitatis origo, & fons. Filius vnus Dominus, quia filio omnis potestas est tradita in cœlo & terra, is iudicabit mundum, & hunc adorabunt omnes nationes terræ, hîc redemit suos, ideo meritò Dominus est. Hoc loco malè vtuntur Arriani, contra diuinitatem Christi, colligunt ita ex hoc loco: vnus Deus est Pater. Ergo filius non est Deus. Sed absurdi sunt si putant ideo filium à diuinitate excludi, quia pater dicitur vnus Deus. Primùm quia Apostolus non addit solus pater est vnus Deus, sed simpliciter dicit, Nobis vnus est Deus pater, & vnus Dominus Iesus Christus. Itaque non solus est Deus pater, quia vnus est. Deinde dominium filij non excludit à dominatu patrem. Non enim sequitur vnus est nobis Dominus Iesus Christus. Ergo pater non est Dominus. Ideo nec diuinitas patri sic tribuitur vt excludatur ab illa filius. Falsum igitur est quod concludunt, vnus est Deus pater, Ergò filius non est Deus. Non quia vnus etiam Dominus filius, vt tamen non neget patrem Dominum esse. Accedit quòd scriptura manifestè filium vocet Deum, Coloss. cap. 2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, Ioannis capite primo, Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ioann. capite vigesimo, Thomas de Christo inquit, Dominus meus & Deus meus. 1. Thessal. capite quinto. Ipse Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, &c. Itaque filius Deus est, quemadmodum quoque pater Dominus est. Porrò elegans est proprietas sermonis, de Patre inquit, Ex quo omnia, quia causa efficiens primaria, & nos, inquit, in illum, hoc est, tanquam ad finem nos nostráque omnia debemus referre. Omnia enim ad gloriam vnius Dei referri debent. Vt omnia propter se condidit, ita ad illius gloriam referri debent. De Filio autem dicit, Δι' οὗ τὰ πάντα, Patri tribuitur ἐξ οὗ, quia primaria causa: Filio δι' οὗ, quia organum est, siue causa organica. Omnia enim condita sunt λόγῳ dixit, & facta sunt. Ideo in opere creationis Filius adfuit operi creando, idem conseruando, operando, redimendo, tuendo adest, Ideo eidem addit: καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ: per ipsum, hoc est conditi, & redempti sumus, conseruamur, ac referimur ad gloriam Dei patris per Christum. Vt enim omnia diuina beneficia accipimus per Filium: ita per eundem nostra omnia sanctificantur, vt inseruire possint gloriæ Patris cùm sine Christo nemo possit placere Deo.

Arrianos malè abusos fuisse hoc loco.

Ioan. 20.

Genes. 1. Psal. 33.

Obserua hic primùm damnari cultum idolorum, quem passim damnat tota scriptura. Deinde Deum non exprimi debere sculptilibus cùm idolum nihil sit: Deus autem sit res

natura sua existens. Tertiò vnitatem Dei non tribui Patri vt negetur Filio. Quartò Patrem ad sui gloriam omnia condidisse, cui inseruit etiam Filius, & ob id electorum omnes actiones.

7. *Sed non est in omnibus scientia.*

Hactenus ex concessione egit Apostolus. Nam vt confutaret scientiam factum non posse per se excusare, concessit ipsis amplissimam rerum notitiam. Nunc verò pressiùs illos vrget, quasi dicat, vos quid dicatis audio, vos nimirū magna scientia præditos esse: sed quid tum, alij hanc non habent, sunt multi infirmi, qui de scientia vestra non possint rectè iudicare, sed ex facto æstimant vos idolis aliquid tribuere, & hinc persuadentur idolum esse aliquid. Et hunc esse sensum verba sequentia indicant. Adhuc, inquit, sunt qui edunt idolothyta cum conscientia, hoc est, putant adesse numen aliquod, quo inficiatur cibus ille. Polluitur enim conscientia illorum vel facto vestro, quia exemplo vestro & illi edunt, sed non par adest notitia, vt est in vobis: vel polluitur, quia tribuunt aliquid idolo, quod vos non facitis.

8. *Porrò cibus nos non commendat Deo: non enim siue edamus, abundamus, nec si non edamus, egebimus.*

Altera Corinthiorum obiectio

Altera defensio qua vtebātur Corinthij. Cùm .n. obiiceretur illis, vos cùm Christiani sitis acceditis idolorum conuiuia, contra decorum professionis vestræ. Respōdebant illi, scimus cibum nos non commendare Deo. Itaque hæc verba accipio, per ὑποφορὰν, vt sint aduersariorum. Initio propositio est. Cibus nos non commendat Deo, hoc est, nihil meriti habet apud Deum, non facit acceptiores, sed est libera res, & nostri arbitrij. Mox addit κατασκευήν. Confirmat enim rem hoc modo. Si enim edamus non sumus abundātiores, diuinis. s. virtutibus, spe, charitate, fide, &c. neque egebimus si non vescamur, hoc est, nihil detrahit apud Deum abstinentia. Itaque cibo vtimur, vt re indifferente & externa, quæ apud Deum nihil mereatur, sed quæ soli corpori inseruiat. Hic sensus erit, si illa sit aduersariorum defensio. Ad hunc sensum dixit Rom. 14. ver. 17. Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia, pax, gaudium per Spiritum sanctum. Nam nihil est impium per se, sed ei qui putat aliquid impium esse. Quibus indicat Deum non vehementer morari, quo vescamur cibo quóve abstineamus, sed quàm sanctè viuamus.

Potest tamen etiam hìc sensus esse. Cibus idololatricus nos non commendat Deo, hoc est, nullum habet singulare cōmodum in se, cuius respectu oporteat infirmos fratres offendere, idque sic probat: si edis tales cibos non abundas, hoc est, non saturāt te, ita vt deinceps non famescas. Itaque nihil singulare cibi conferunt, non abundamus magis hoc cibo quàm quouis alio. Nihil igitur hìc est lucri quod in alio cibo non sit. Sin abstineamus nō egemus, hoc est, non ob id fame peribimus. Sunt enim alij cibi qui perinde satiant vētrem. Hoc sensu verba erunt Apostoli confutantis illos sectatores à natura ciborum.

9. *Sed videte ne quo modo potestas illa vestra offendiculo sit iis, qui sunt infirmi.*

Apost. responsio ad superiorem obiectionem.

Hæc videntur superioribus respondere. Itaque illa tanquam aduersarij defensionem accipio: hæc verò per ἀνθυποφορὰν Apostoli confutationem, seu solutionem habent hoc sensu, Vos dicitis cibum nos non commendare Deo, hoc quidem non malè si absit offendiculum. Verùm in hoc vestro facto, quum manifestum adsit periculum offensionis, non admitto vestram excusationem. Id eleganter Apostolus proponit verbis emphaticis: primùm enim verbum βλέπετε admonet subesse in eo facto, quod illi hactenus nō obseruarunt. Vos cibos vt cibos simpliciter respicitis, sed oportebat vos illos expendere, quatenus illi potest accedere abusus, & quatenus possint offendere infirmos, id non fecistis hactenus. Deinde ἐξουσίαν vocat factum illorum, hoc est, licentiam. Nam voce ista vtitur hìc in malam partem de rebus mediis. Aliàs in bonam sumitur, vt Matth. vltimo, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & terra, & infrà cap. 9. Non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? Aliàs in malam vt hìc, & Eph. 2. secundum principem potestatis aëris, &c. Denique addit, πρόσκομμα γένηται, q. d. sua quidē natura cibi non sunt offensionis causa reperti, sed fiunt noxij vestro vitio. Id non cōsiderastis. Et dicitur πρόσκομμα, quod lædit pedem ambulantis. Id accidit sæpe vitio viatoris, quia non obseruat quæ ante pedes sunt. Interdum vitio simul ambulantium, qui vel iniiciunt remoras, vel extra viam ducunt, vt in aspera incidant. Idem fit in causa fidei, & vsu rerum mediarum. Ac de pedibus propriè dici monet Eusthatius. Πρόσκομμα λέγεται τὶς παθεῖν περὶ τοὺς πόδας, ὑπώπια δὲ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, hoc est, de pedibus dicitur πρόσκομμα, de oculis autem ὑπώπια.

10. *Etenim si quis viderit te, qui scientia præditus es in idoleio discumbentem.*

Confirmatio.

Confirmat quòd factum illorum cum scandalo sit coniunctum. Probat id ab euentu. Primùm ex concessis vrgentur, tu in idoleio accumbis, hoc est, vel in sacello, vel in conuiuio idolo cuidam consecrato. Id negare non poterant. Deinde confessum & illud est, te scientiam habere. Hoc enim cupis factum tuum purgare. At minimè fieri potest, nam nihilominus

minus

minus sequitur illud πρόσκομμα, nam infirmus qui id videt offenditur vtvt tu scientiam habeas. Cogitabit enim ille: vel te docet quod non vsque adeò magni momenti: vel data opera perire vult. Docet enim te idola fugienda esse, interim illis non abhorret, vescitur illorum cibis. Aut igitur falsum est quod te docet: aut si id verum est, ipse tuus doctor data opera perire vult. Quę cogitationes sine scandalo fieri non possunt. Nam si prior vincat cogitatio, sequitur quod hic dicit Apostolus, ipse quoque ædificabitur, vt edat licétius de idolothytis. Sin posterior tui dolore saltem affectus, tristabitur tuo interitu. Considera hic qui sint fructus bene docentium malè autem viuentium. Verum quod dicitur, vna manu ædificant, altera verò destruūt, verbis rectè loqui videntur, sed vita aliud clamat. Huc pertinēt omnes qui strenuè cōtra errores & vitia declamitant in suggestu, sed in vita & morib. nihil tale apud eos reperias. Cōfirmant illi reuera magis errores & vitia, quàm eadē extirpent. Christus, Apostoli, & pij martyres, non tā verbis, quàm morib. extirparunt vitia. Hic igitur nobis sequendum fuerat illorum exemplum. Vitā cum doctrina debere esse coniunctam.

11. *Et peribit infirmus frater tua scientia.*

Alter fructus est licentiæ illius superiori aliquātò grauior. Nam prior fructus saltem erat, quòd in malo errore confirmarētur huius exemplo. Hic autē quod etiam perdatur indicat, nec simpliciter, sed qui infirmus est. Maius.n. est peccatum ægrum per se occidere. Deinde perdit tua scientia non per se, sed per accidens, quia scientia tua non est condita charitatis regula. Deniq; factum hoc vehementer discrepat ab exemplo Christi, is mortuus est pro peccatore infirmo: Ratio est, quia non poterant simul viuere, aut enim peccatori moriēdū in ęternū erat, aut Christo. Tibi hoc nō erat necessariū, sed poteratis simul viuere, & tu, & infirmus frater. Inepta igitur est tua defensio scientię tuæ.

12. *Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes illorum conscientiam.*

Tertius fructus licentiæ Corinthiorū, qui videtur occupatione quadam addi. Dicunt enim illi. Absit vt perdamus fratres. Respondet Apostolus, si non perdis, saltem τύπτεις, hoc est, verberas & affligis illorum conscientias. Sed ne hoc quidem tibi concessum est Christiana dilectione. Perinde ac si grassator dicat non occidi viatorē, sed percussi solùm vel eripui loculum. Responderet Magistratus, sed ne hoc quidem tibi integrum est. Et hoc quoq; peccatum esse indicat Apostolus. Nam coniungit ἁμαρτάνοντες & τύπτοντες: vt vnum alterum declaret, quasi dicat, non solùm occidere peccatum est, sed leuiter etiam verberare illius conscientiam. Quod fit dum illi scandalum præbes exemplo tuo.

Quartus fructus est quod peccatum hoc pertingit etiam in ipsum Dominum Christum, quo scelere nihil potest dici grauius. Christo enim debemus omnia, vitam ipsam, nedum cibum. Pertingit autem in ipsum, quia quicquid suis præstamus, hoc sibi factum interpretari vult, etiam haustum frigidæ aquæ. Vt igitur beneficia suis impensa dicuntur Christo collata: sic è contrario mala & offensæ sanctis obiectæ ad Christum pertinent. Deinde quia non vult vt minimum etiam ex his lædamus vllo pacto. Mat. 10. 42

13. *Quapropter si cibus offendit fratrē meum, haudquaquam vescar carnibus in æternum.*

Conclusio superiori argumentationi subiecta. Infert enim, Ergo non licet vobis interesse huiusmodi cœnis. Porrò rem accommodat ad suum exemplum, vt nouum exhibeat argumentum. Valet enim ratio, Apostolus hoc non facturus est. Ergo nec vos, qui illius debetis esse discipuli. Primùm hic considera retineri conditionem priorem. Semper enim loquitur sub conditione: si offendatur frater. Quòd si hoc periculum absit, satis constat quod concederet Apostolus. Deinde emphaticè vrget οὐ μὴ, hoc est, nequaquam: quiduis potius facerem quàm hoc. Duæ enim negationes vrgenter negant Græcis, apud Latinos non perinde. Tertiò à temporis circunstantia, in æternum nō ederem, quasi dicat, tantùm vobis non impono, nisi ego prior hoc essem seruaturus. Item omnes carnes simpliciter potiùs vitarem, cùm vos iubeam tantùm idolothytas cauere. Ego etiam idolothytas non cauerem. Hoc boni doctoris est docere, & sic viuere ne culpa redarguat ipsum. Item exemplo suis præire. Denique iustissima ratio est, quam illi leuiter considerabant, ne scilicet, fratrem meum offenderem. Quid enim coniunctius est fratre tuo? quid alienius etiam à fratre, quàm perdere vel offendere? &c.

Hęc series est orationis Paulinę. Sed vt rem intelligamus etiam aliquātò meliùs, argumenta hinc depromemus ad præsentem quæstionem. Propositio Apostoli est. Non licet vobis accedere cōuiuia idolorū, cùm res cōiuncta sit cum scandalo. Respōdent illi, non est nobis neganda nostra libertas Christiana, præsertim cùm scientiā habemus de Christo præclaram, & quòd idolum nihil sit, deinde, quòd cibus nos nō cōmendat Deo, hoc est, nullius sit meriti. His iam respondet Apostolus. Primùm scientia illa omnium est, ergo vestrum factum nō defendit. Impij etiam sciunt hoc, materiam idoli non habere aliquod numen, sciebat hoc Socrates, Aristoteles, Plato, & similes docti inter Ethnicos. 1. Argu.

Igitur vos non iuuat per se. Deinde scientia per se inflat, si à charitate separetur. Ergo fugienda est. Antecedẽs omnium doctorum exempla declarant, qui non tam piè quàm doctè vixerunt,& dæmon omnium scientissimus hoc vitio laborans præcipitatus est.

3. Tertiò,à contrario.Charitatis est proprium ædificare,quare sine huius temperamento nihil iuuat scientia.

4. Quartò,sibi placere magna rerum scientia non oportet,quia decipit,putat scire,non seriò scit.Ergo factum per se non excusat scientiæ opinio.

5. Quintò,Dilectio sola iudicat,qui verè docti sint.Ergo sine dilectione nihil est scientiæ opinio.

6. Sextò,Idolum nihil est.Ergo ob rem nihil non erat offendendus frater.

7. Septimò,Ad vnius veri Dei gloriam omnia sunt referenda.Ratio vers.6.quia nos in illum,hoc est,tanquam finem omnia referre debemus.Igitur non erant accedenda idololorum conuiuia,cùm ad gloriam Dei minimè faciant.

8. Octauò,Non omnes hanc scientiam habent,scilicet quod idolum nihil sit,vt alia infinita,quæ vobis arrogatis.Ergo propter hos saltem abstinendum erat.

9. Nonò,Alij exemplo vestro polluuntur,quia mala conscientia intersunt.Ergo factum est malum,quia mali causa est.

10. Decimò,cum damno etiam vestro parcendum erat infirmioribus. At hîc nihil damni,imò ne lucri,Ergo malè facitis.

11. Vndecimò, Factum hoc est magis licentia, quàm libertas Christiana, quia facit ad scandalum.

12. Duodecimò, Factum hoc confirmat errores in aliis, vt & ipsi minùs putent esse peccatum his interesse,cui tu interes tantus doctor,& tanta scientia præditus.

13. Perdis etiam fratrem infirmum,pro quo Christus mortuus est.Impiè igitur facis, quia vterque viuere poterat sine alterius iactura.Id Christo non licuit.

14. Si non perdis,saltem verberas,sed ne hoc quidem tibi concessum est.

15. In Christum etiam pertingit peccatum hoc,quia cum Christo vnum corpus sunt, & quod ipsis acciderit boni, vel mali, hominum opera hoc totum sibi factum interpretatur.

16. Apostoli exemplum.Tantus doctor nihil vobis imponit,quod ipse non prius præstet. Ergo præceptorem hunc debetis imitari. Nec solùm paria sed etiam maiora præstare paratus est,solùm in hunc finem,vt vitet offensionem fratrum, quam vos tam neglectim reputatis,& in causa tenui. Hactenus de ciborum vsu accommodando ad ædificationis regulam,quod sola dilectio præstabit scientiæ temperata,&c.

CAPVT IX.

Arg.cap.9 Ocum de rebus mediis adhuc persequitur,nouis propositis exemplis.Quod enim de cibi delectu dixit, idem nunc dicit in causa vxoris circunducendæ & stipendij ab auditoribus sumendi. In his & similibus suo docet exemplo,

Propositio quomodo pij sese debeant gerere.Propositio est,prudenti ministro,& cuilibet Christiano,non quod liceat,sed quod ædificet præcipuè spectandum esse.

Partes. Partes sunt. Initio in suas digreditur laudes, nam se nullis Apostolis inferiorem haberi vult. Deinde ius circunducendæ vxoris sibi quoque arrogat. Tertiò de stipendiis agit quòd ministro ex Euangelij doctrina liceat viuere.Hanc causam multis argumentis confirmat. Demum totum hoc corrigit suo exemplo, non tam quid liceat, sed quid ædificet semper spectandum esse.

1. *Nonne sum Apostolus?*

1. Exorditur rem à suis encomiis. Tribuit autem sibi quatuor insignia. Primũ quòd sit Apostolus,quo arrogat sibi ordinariã electionẽ,verã doctrinam,ius docendi vbique,&

2. testimoniũ Spiritus sancti,quòd nõ erret.Illa.n. in Apostolis cõcurrebãt.Deinde quod sit liber vel à ceremoniis legis,quales erant ritus de cibis,à quib. Corinthij gloriabantur se liberatos esse per Christum.Vel liber ab hominis imperio,quod nullius ferat imperium mandando, vel imperando. Ciuis enim Romanus erat, quo iure se defendit in Actis. Prior sensus magis quadrat huc, quia Corinthij libertatis prætextu tuebantur causam suam,cui opponit suum exemplum,quasi dicat,non minus liber sum quàm vos: attamen non vescor carnibus cum scandalo fratris.Erat igitur vobis idem faciendum. Tertium est, quod sibi arrogat, Christum in carne vidi: vbi viderit Dominum Christum non exprimitur. Vidisse autem certum est, vel ex hoc loco, fortè in vocatione, Act.9. apud Damascum. Audiuit illic multa, & vidit quæ sui comites non videbant:

Vel

Vel in templo orans, aut raptus in tertium cœlum : aut aliis modis. Infiniti enim modi erant, quibus Christus se illi patefacere potuit. Quartò singulare est quòd Corinthiorum conuersionem sibi adscribit, nec id arrogāter, sed in Domino, quia agnoscit Deum causam efficientem: se autem organum per quod Deus salutem illis contulit. 1. Docemur pij ministri esse in suas laudes rarò, nec sine grauissimis causis digrediendum. Apostolo molesti erant aduersarij quidam, qui suggillabant munus ipsius, & dignitatem deprimebant, quasi reliquis longe esset inferior. Id quia cedebat ad doctrinæ detrimentum, refellit, sed summa cum modestia.

Ministris rarò digrediendum in suas laudes.

Deinde laudes tales esse debent, quę non nudis cōstent titulis, sed rei veritate: nō vmbra, sed rei experientia. Ideo apostolatum suum declarat cōscientia Corinthiorum, &c.

2. *Si aliis non sum Apostolus, certè vobis sum.*

Præoccupat quod obiici poterat. Non sum Apostolus Iudæorum, fateor hoc, & fortè aliorum etiam multorum, sed hoc nihil ad rem, cum non omnibus simul impendi possit beneficium doctrinæ. Gentium tamen singulariter Apostolus est. Act. 13. Rom. 11. 2. Timoth. 1. Sed esto, inquit, non sim omnium etiam Gentium, attamen vester sum, aut ostendite alium qui vos docuerit Euangelium. Nā sigillum Apostolatus mei vos estis. Ratio est, quòd sit illorum Apostolus, quia sigillum estis Apostolatus mei. Solent magni artifices operibus suis tandem imprimere sua insignia, literis scriptis tandem additur obsignatio: sic suæ vocationis hanc obsignationem habet. Et obserua obsignationem non addi nisi perfectis operibus. Ita suam probat vocationem.

Præoccupatio.

Vers. 3. videntur hæc superioribus annexa tanquam conclusio, quasi dicat. Ita soleo respondere curiosis hominibus, qui me meámq; vocationem ludibrio exponunt, quales apud vos etiam esse scio. Ita superioris expostulationis, hæc fuerit conclusio. Seueriter curiosis respondeo, me & esse Apostolum, & vidisse Dominum, & iure meo me de vestra conuersione gloriari. Possunt tamen eadem verba ad consequentia referri, hoc est, de libertate & ego gloriari possem non solùm in delectu ciborum, sed stipendij, & matrimonij, quæ omnia perinde mihi licita essent vt sunt aliis : attamen non hoc vtor. Hoc sensu defensio pertinet ad res medias, de quibus mox agit.

4. *An non habemus potestatem vescendi & bibendi?*

Prima quæstio de ciborum libertate, qua solebant Corinthij sese tueri. Quibus respondet, non iuuat hoc causam vestram, si de hac gloriandum sit, non minùs de illa possem gloriari, quàm vos: at non facio. Oportebat igitur, vel meo exemplo parcere imbecillitati infirmorum. 1.

5. *An non habemus potestatem vxorem sororem circunducendi.*

Altera quæstio. An ministris liceat vxores circunducere. Est & hoc de libertate Christiana, attamen, inquit, ea non vtor. Itaq; non quid liceat, sed quid expediat cogitādum est. Ac quòd liceat Apostolus duo habet argumenta. Primùm quia est pars ἐξουσίας Christianæ. Ergo res est licita. Deinde quia Apostoli reliqui hoc faciunt, & inter eos frater Domini, Iacobus scilicet & inter omnes coriphęus Apostolorum Petrus vxores habent. Quidni ergo ministris liceat? Sunt qui locum non de vxore, sed piis matronis accipiant, quæ solitæ sunt Apostolos sequi officij causa, quod Domino Christo quoq; exhibuerunt Matth. 27. vers. 55. Hanc sententiam sequitur Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, negantque simpliciter Apostolum Paulum habuisse vxorem: sed testatur Clemens Alexandrinus Paulum vxorem habuisse lib. 3. Strom. & id probat ex 4. cap. ad Philipp. Hunc sequitur Eusebius lib. 3. hist. eccles. cap. 30. Et Ignatius in epistola ad Philadelphenses, Paulum cum Petro connumerat coniugatis. Vide fol. 32. in Græco, in Latino 34. Huic sententiæ hodie ferè subscribunt docti, habéntque ex verbis Apostoli hoc loco probabiles rationes. Nam sororem vxorem vocat nō matronam, vt in Euangeliis de his scribitur. Deinde verbum circunducendi ius quoddam viri in vxorem declarat, quod in matronis non haberent Apostoli. Nam illæ magis sequebantur sponte, quàm ducerentur. Præterea Apostolus mox dicit se iure suo in hoc cedere, at matronas circumducere non ius erat, cui cedere dici possit, magis iuris erat matrimonium, quo intermisso cedere dicitur. 2.

Ministris licere vxores ducere.

6. *An solus ego, & Barnabas?* Tertia quæstio. An ex doctrina Euangelij possit viuere minister Christi. Hanc quæstionem persequitur ad finem vsque capitis. Itaque ordine ad hanc resoluamus argumenta.

Primùm quia reliqui Apostoli hoc facinnt quod hinc colligi potest, quia inquit, An ego & Barnabas soli non habemus libertatem non operandi? q.d. alij eam libertatem habent, & ea vtuntur, vt sine labore manuum doceant Euangelium: imò ex illo viuunt. Deinde quia Apostolus tanta contentione hoc ius sibi etiam arrogat, nec in eo reli-

Ministros ex Euangelij doctrina viuere posse.

quis cedere vult, quasi dicat, communis est libertas.

Tertiò, reliqua sequuntur, a comparatis, vt miles non suis militat stipendiis: at Christi ministri milites sunt imperatoris sui Christi. Igitur par est vt stipendio Christi militent. Similitudo videtur data opera petita à re militari, cum dicamur armis vti & panoplia, & certare contra hostem & similia quæ speciem habent militiæ.

Quartò, à re rustica. Qui plantat vitem primus est qui gustat vuas, vt de Noacho dicitur plantasse vineam, & bibisse vinum. Ministri Christi vineam Christi colũt, & plantant, iustum igitur est, vt de hac alantur.

Quintò, pastor de lacte gregis alitur. Ministri sunt pastores, vt & Christus pastor dicitur & pastorum princeps. Itaque de grege Domini nutriendi sunt. Vide inter Epithetha ministri, pastoris nomen explicatum.

Sextò, lex idem iubet Deut. 26. non obligabis os boui trituranti. Hoc argumentum inducit rationibus superioribus, quia illæ ex natura ductæ erant. Hoc verò vim habet testimonij diuini. Et ne cauillarentur argumentum, quasi ad boues pertinens, inquit, non de bubus solùm intelligi debet, sed magis de hominibus, vt ad Rom. 4. Exemplum Abrahæ ad omnes fideles applicat, non propter illum solùm scriptum esse, &c.

Septimò, A iure & natura permutationis. Est enim inter docentem, & auditorem quædam permutatio. Docens auditorib. communicat doctrinam, illi contrà victum, & amictum. Has res inter se iubet conferre. Quæ debet minister, sunt spiritualia: hoc est, ad vitam æternam faciunt, & feruntur non aliter ac sementis in terram. Quæ illi reddunt sunt carnalia, hoc est, ad huius vitę solùm pertinent sustentationem, & metuntur, hoc est, ita sumuntur, vt vsu pereant. Quantò igitur æterna præcellunt caducis, & sata his quæ per messem colliguntur: tantò præstant ministri bona iis, quæ ab auditoribus accipiunt. Hinc per extenuationem dicit μέγα, quasi dicat *es solls ein gross ding sin*, reuera est Glauci, & Diomedis permutatio. Deinde subest quædam necessitatis conditio, quia qui serunt, ideo serunt vt metant, nec probrosum illis censetur si metant, sed inquit, metimus rem vilissimam.

Octauò ab exemplo. Malis soluitur stipendium. Ergo rectiùs soluendum erat bonis. Vel, alij mei successores etiam boni doctores, hoc iure à vobis exigunt. Ergo ego eo iure rectiùs fruar. De malis tamen videtur loqui, quia infrà 2. Cor. 11. eosdem irridet, quòd patiantur à malis doctoribus se in ordinem redigi, &c.

12. *Atqui non vsi sumus iure isto, sed omnia potius sustinemus, ne quid remoremur Euangelium Christi.*

Cur Paulus abstinuerit ab accipiẽdo stipendio apud Cor.

Correctio est totius argumẽtationis. Iure cõtẽdit deberi ministris stipẽdia ex doctrina. At id nõ mox exigendũ est. Ratio, à suo exẽplo, quia, inquit, hactenus eo iure abstinui, quare hoc? ne darẽ ἐγκοπὴν, h.e. remoram, incisionẽ, rupturam. Idem suprà dixit scandalum. Itaq; confirmatur hinc principalis propositio, vt minister non tam quod liceat, quàm quod expediat faciat in rebus mediis. Cedẽdũ de iure suo vt fecit Paulus, id fieri potest si aliis modis ali possis, vt Paulus artem nouerat. Aut si aliũde dari possit, vt Paulus sæpe ab aliis Ecclesiis accepit, vt alias gratis docere posset. Hodie auari idẽ vrgent, & quidã hypocritæ qui exemplũ Pauli obiiciunt. Sed videndum ipsis ne malitiosè potiùs offendãtur, quã simplici veritatis ignorãtia. Deinde ratio primæ Ecclesiæ alia erat, quum carerent Magistratib. qui suppeditarent necessaria, sæpe necessitas requirebat, vt gratis docerẽt Apostoli. Sed argumentũ hoc explicauimus seorsim inter locos nostros.

13. *An nescitis eos, qui sacris operantur etiam de sacris edere, & qui altari assident cum altari participare?*

Reddit ad probandum, quòd ministris ex Euangelio liceat viuere. Id duabus adhuc rationib. probat. Deinde ad se redit, docétque quare non sit ipse vsus hac libertate. Denique rem ad Corinthios applicat, monens tum suo exemplo, tum aliis rationibus, vt rectè ambulent in doctrina Christi. De his igitur iam agemus.

Nonum ordine argumentũ est à iure positiuo. In veteri testamento ministri de publico alebãtur. Ergo in nouo quoq; hinc alendi sunt. Antecedẽs Apostoli est in hoc versu. In quo considera à cõfessis duci argumentũ: nam interrogatio alioquin nõ haberet locum, q.d. cõfessum & notoriũ est apud omnes homines, vel certè apud Iudæos. Si ad omnes referas, tũ sensus est. Ethnici quoq; suos sacerdotes alunt de publico: Ergo magis Christiani. Sin ad Iudæos, (quod magis placet,) sensus erit, Moses etiã suos sacerdotes, vt nouistis, ex decimis & oblationibus alit. Igitur Christiani idem faciunt. Deinde vide vt repetat argumentũ. Nam rem bis videtur dicere, qui sacra operãtur, & qui altari assident idem est. Sic de sacro edere & altaris fieri participẽ idem significat. Potest tamen vtilis hic obseruari distinctio. Sacra operari propriè dici possunt Leuitæ, qui sacerdotũ

Obserua hic vtilem distinctionem.

quasi

quasi erant famuli. Nam isti mactabant hostias, excoriabant, diuidebant, repurgabant locum, & verrebant templum, partes offerendas ad aram sacerdotibus afferebant. Sacerdotes autem tanquam altiori gradu positi sacrificium Domino offerebant, pro populo sacrificabant, orabant, benedicabant, dimittebant, & docebant cœtum. Sic videtur distinctè de Leuitis dicere, qui sacra operabantur. De sacerdotibus autem quòd aræ assisterent. Vtrique commune est de sacris hostiis cibum capere. Legem vide Deut. cap. 18. Propria non possidebant, sed de decimis, oblationibus & hostiis viuebant. Quòd autem idem in Christi Ecclesia sit seruandum inde constat, quia eadem est ratio conseruandi cultum Dei, in genere vtrinque. Quemadmodum in vniuersum cultus diuinus apud omnes gentes seruatus est de publico. Ac satis est videre in generali. Nam in specie non sequitur. Ergo victimas oportet habere: ratio est, quia specialia sublata sunt per Christum. Generalis autem forma conseruandi Dei cultum non est sublata: alioquin non procederet argumentum hoc Apostoli.

14. *Ita Dominus etiam ordinauit, vt qui Euangelium docent, ex Euangelio viuant.*

Decimum est argumentū, à Christi authoritate, qui sic ordinauit, Ergo sic debet seruari. Vbi autem ordinarit si quæras, proferimus locum Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua: si dignus est, Igitur dignè accipit, & dignè soluitur ab auditoribus. Cōfirmat hoc argumētum superius, quòd Christus generalem modū conseruandi cultum diuinum non sustulerit. Licet igitur ex Euāgelio viuere, vel Christi Domini authoritate.

15. *Ego autem nullo istorum sum vsus, neque verò hæc scripsi.*

Hactenus de iure disseruit, ac licitum esse probauit. Nunc de eo quod expedit agit. Ac suo exemplo docet non tam quod liceat, quàm quod ædificet spectandum esse. Locus igitur totus ad personam Pauli spectat.

Initio excipit se, suámq; functionem ab illo vsu iuris. Πρόθεσις est, non sum vsus eo iure. Cur non sit vsus paulò pòst afferet causas, propositioni nunc subiicit præoccupationem, qua submouet suspicionē sinistram, quasi hoc fine huius toties meminerit, vt Corinthios admoneret, quid de se fieri velit, sc. vt quod hactenus non fecerunt, deinceps faciant, & stipendium offerant etiam non petenti. Respondet, non ita volo, sed gratis docebo etiam deinceps. Hinc ratio est cur gratis docuerit, vt salua maneret illi sua gloria. Ac illā tanti facit, vt pro illa mori sit paratus. Cōsidera Apostoli καύχημα esse gratis docere, quia voluit ministerium suum omnibus approbatū esse. Et quia in eo erat statu, vt gratis posset docere, & ampliori fructu totis viribus in hoc incubuit, vt quā gloriosissimè hoc suū ministeriū adimpleret. Habebat parabilē rationē viuendi ex propriis laboribus. Itaq; quicunq; possunt simili gloriatione docere Euāgeliū, in id totis virib. debent incūbere: est illa gloriatio pro loco & tēpore. Porrò duplex est hæc gloriatio. Alia de cōmuni obseruancia mādatorū Dei, quę fideliū omniū est & Apostoli. Sic omnes gloriari poterāt de fide in apostolatu seruata. Alia est de excellenti obseruatione mandatorum Dei. Hęc locum habet in peculiaribus qui donum certum, & vocationem singularem habent, vt Apostolus Paulus hìc gloriatur de excellenti via docendi Euangelium gratis, quod alij Apostoli non faciebant, cum donum hoc non haberent, aut modū parandi victum alium, vt Paulus. Itaque Paulus de suo rectè gloriatur, & peccaret nisi gratis doceret. Interim Petrus & alij Apostoli accipiendo victum non peccabant.

Propositio

Gloriatio hæc Pauli, duplex.

1.

2.

16. *Si enim Euangelizauero.*

Ἐξήγησις est superioris rationis. Ostendit in quo sit sua gloria posita, non in eo, inquit, vt simpliciter doceam Euangelium, accepto scilicet stipendio. Significans non quouis modo sibi docendum, quasi dicat, aliis fortè licet accepto stipendio docere, mihi non perinde honestum est inde viuere. Ratio est, quia necessitas tollit laudis gloriam: quod enim cogimur facere non laus est si id facias, quia cogeris. Deinde vrgent me pœnæ grauissimæ si negligam. Væ intelligo hìc iram diuinam, abiectionem, & damnationem. Itaque in docendo ad hæc duo debebant ministri respicere, vt Deo debitam præstarent obediētiam. Deinde vt vitarent pœnas, quas Deus negligenter versanti in munere comminatur. Hodie magis est Væ, si non doceant, quia tum stipendium non habent, tum respectu stipendij bona pars hodie doceat, nec aliunde possint viuere.

Expositio.

Gloria est si volens doceam, hoc est, alacriter, & hilariter, non coactus, non stipendij respectu. Hoc mox illustrat apertiori sententia. Quæ est mihi merces, vt sine mercede doceam? quod dixit ἀδάπανον ponere Euangelium, hoc est, gratis docere, nulli esse oneri ob sumptus. Altera hinc petatur ratio. Nulli voluit esse molestus, sed parabilem viuendi rationem suis laboribus sequi debuit, ideo gratis docere voluit. Tertia est, quia ad hoc singulariter fuit vocatus, quod nisi faceret, væ sibi videbat imminere. Sequenda igitur alacriter ratio exacta.

Quartò, Ne abuteretur libertate Christiana, abusus fuisset si exegisset victum ab Ecclesiis cùm posset suis laboribus victitare. Probe obseruetur illa Pauli ratio. Hodie res eo deuenit vt libertate omnes vtamur in accipiendo, nec est qui hic cum Apostolo metuat abusum: peccare potiùs videbitur qui accipere nollet. Quanquam reperti sunt nostra memoria, qui gratis docerent, & oberrando visi sunt apostolorum munus implere, nihil exigẽtes, eo contenti quod à spõtaneis exhiberetur. Sed de eo vide locos nostros.

19. *Nam cùm liber sim ab omnibus.*

Pergit declarare libertatem Christianam, illi ad seruitutem cessisse. Mirabilis est illarum rerum inuersio. Libertatem in Domino expectas & impetras: sed illam dum rectè seruas verè seruus efficeris. Sed est illa seruitus Christiana, se suáq; omnia ad inseruiendum proximo, & quamplurimos lucrifaciendi Domino accommodans. Ab omnibus liber scilicet, ritibus illis Mosaicis, & rebus mediis, in quibus vos omnem libertatem ponitis. Omnibus me feci seruum. De rebus mediis sermo est, alioquin nõ fecit se reliquis illicitis seruum. Causa finalis est, vt plures lucrifaciam Domino Christo. Facit Apostolus boni oratoris more, qui non solùm pugnat argumentis, sed moribus, sese applicat, & condolet, ac affici videtur aliorum casibus, vt auditores in suas pertrahat partes. Hinc illa habet persuadendi pręsidia ἦθος, πάθος, πίστιν. Initio ἦθος adhibet, ad finem πάθος. In medio cursu orationis spargit πίστιν. Sic Paulus nihil non tentauit, vt homines ad Christum adduceret. Sequitur mox per partes declaratio. Iudæis factus sum quasi Iudæus, hoc est, attemperaui me illorum captui, non horrui conuictum illorum, vt quòd Timotheum circuncidit, quòd caput rasit, quòd se purificauit, quòd à sanguine abstinuit, quòd in rebus mediis cauit offendiculum.

A quibus se liberũ esse intelligat Paulus.

Sic cum Ethnicis pari egit prudentia, illis sese attemperauit, vt audirent eum, & docenti crederent, opus fuit conuictu & humanitate. Illas ergo virtutes sectatus est, quibus fidem apud eos obtineret. Dicuntur gentes ἄνομοι, quia lege Mosis carebant. Interim, inquit, non factus sum ἄνομος: sed ὡς ἄνομος: imò summam legem impleui. Christi lex est vt diligamus Deum toto pectore, & proximum vt nos ipsos. Hoc mandatum Christus suis reliquit. Ioan. 13. 14. 15. Iacob. 2. Lex regia dicitur.

Ἄνομοι.

Vers. 22. Alia distributio a qualitate personarum sumpta. Prior à generali diuisione petita erat, quia alij Iudæi, alij Ethnici sunt. Nunc in vtroq; cœtu, alij firmi, alij infirmi. Singulis singula sunt factus. Infirmus cum infirmis, firmus cum firmis. Verè πολύτροπον videas hominem, qui in omnes formas sese conuertat non suo, sed aliorum commodo, vt omnino quosdam lucrifaciat. Omnes lucrifacere non poterat, de quibusdam certus erat. Hi autem quia indistincti, omnibus debuit omnia fieri vt illos paucos acquireret, quos nesciebat vbi latitarent, & quando accessuri essent. Bonus venator omnia lustra explorat, vt prædam capiat. Sic Apostolus agebat.

Paulus πολύτροπος.

23. *Hoc autem facio.*

Duo hic explicat, causam mediam, per quam homines Christo adducit. Alterum finem cur id hoc pacto faciat.

Organum est Euangelium. Docendi munus tanquam organum est. Pertinet locus ad præstantiam muneris docendi. Est enim magna dignitas quòd organum est salutis. Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Finis est, vt Paulus quoque Euangelij fiat particeps, hoc est, fructum illius percipiat, qui est vita æterna. Est enim communicatio Euangelij duplex. Prior communis est, qua boni & mali sonum illius audiunt, illi ad salutem, hi ad condemnationem. Posterior est electorum tantùm, qui beatæ vitæ consortes fiunt. Ad hanc aspirat etiam Apostolus. Itaque par fuit, vt quod doceret ipse, vita & moribus exprimeret. Secus faciunt mali doctores, qui more statuæ aliis viam monstrant, quam ipsi nolunt ingredi, vt campana aliis denunciat occasionem orandi, audiendi verbum Dei, quæ ipsa non facit: Surdi sunt monitores.

Rom. 10.

Duplex Euangelij communicatio.

24. *An nescitis quòd qui in stadio currunt.*

Hactenus suam personam defendit, cur scilicet non vtatur libertate concessa, sed gratis potiùs doceat Euangelium. Ratio est, quia ad hoc singulariter vocatus est. Item vt quamplurimos Christo lucrifaceret, vt libertate sua non abuteretur.

Nunc se iterum conuertit ad Corinthios, quos docet rectè ambulandum esse in cursu fidei, quod facient si aliis non præbeant offendiculum.

Simile.

Primùm à simili, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed vnus accipit præmium, scilicet qui rectè continuat cursum: sic non satis est benè cœpisse, sed absoluendus est bonus cursus. Aptum est argumentum à stadij cursoribus. Cum Corinthij haberent Isthmicos ludos, vbi non solùm stadio decurrebant: sed etiam certa cursoribus proponebantur præmia, quemadmodum & aliis eiusmodi ludis.

Stadij cursus primùm ab Hercule dicitur repertus,qui vno spiritu tantùm percurrit spatiū,quod cōtinebat passus 125. Ex quo solerter staturā Herculis, & pedis illius quantitatē veteres peruestigarūt,nam quantò per illius maior erat,tātò toto corpore nostris corporib.procerior fuit. De certaminib.illis vide nostra in Pindarū cōmmētaria. Et Eustath.Hom.interpr.in θ.Odyss.& ψ.Iliad.In Odyss.Illa etiam refert, ἅλμα ποδῶν, δίσκου τε βολὴ, καὶ ἄκοντος ἐρωὴ, καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή. Apostolus hic indicat currentium esse morem nō respectare,sed ad metam omnib.virib.contendere : Sic Corinthiis esse faciendū. *Quod vnus accipit præmium* dicitur de eo,qui cursum vt oportet cōficit:sic in ipsis idem requirit. Alij per vnum paucos intelligunt,quia angusta est via,ad vitam ęternam,& pauci,qui illam ambulant. Sed Apostolus mox ad Corinthios simpliciter applicat: *sic currite, vt apprehendatis.* Quæ verba habent applicationē argumenti à pari ducti. Quemadmodum.n.cursores soli præmiū accipiunt, qui legitimè cursum absoluerint,ita Corinthij coronabuntur si legitimè cucurrerint. Stadiū hæc vita est cursus,viuendi ratio,cursores Corinthij,& similes,præmiū vita æterna, Vnus ille,legitimè currentes,sic paria paribus respondent. Brabæum dicitur præmiū cursorib.propositum. Matt.7.13.

25. *Omnis autem qui certat.*

Alterum argumentum ab adiunctis. Certantium propria virtus est continentia. Hinc tot præcepta de victu Athletarum,de illorum exercitiis,de vnctionibus & palæstra. At vos Corinthij & omnes Christiani estis ἀγωνιζόμενοι,quasi dicat, estis athletæ. Superest igitur vt propriam virtutem temperantiam seruetis. Continētes ergo oportet esse, non vesci idolothytis cum scandalo. 2.

Tertium argumētum ex eodem versu petatur à comparatione præmiorum. Illi cursores tot sudores & labores subeunt,quo fine? Certè si rem ipsam expendas,puerile quiddam est,pro quo contendunt. Φθαρτὸς στέφανος, corona quædam corruptibilis, hoc est, ex apio,vel olea,pinu,oleastro, & similib. non ditiores abibunt, sed quædam laudis & gloriæ ambitio est,quæ tamen mox perit. Nos pro æterna gloria immortali vita certamus: Ergo oportet multò esse continentiores. Si enim illi continentes sunt , qui certant solùm pro oleastri corona. Ergo qui pro vita æterna militant , oportet multò esse continentiores. Maiora præmia maiores requirunt & exactiores virtutes. 3.

26. *Ego igitur.*

Quartum argumentū iterum à suo exemplo. Ego sic curro,vos autem meū tanquam præceptoris exemplum imitari debetis. Ergo similiter currēdum est etiam vobis. Rectè vita nostra cursui comparatur. Nihil.n. habet firmum,& fixum, sed in perpetuo est motu. Deinde molesta est,& conspersa multis laborib. Certa autē ratio debet esse in cursu. Artis est bene currere. Ἀδήλως currit,qui vagatur,nō ad certum collimat scopum,se fatigat sine fructu. Quod multi faciut in hac vita,obseruationibus, & mādatis hominum sese macerant frustra. Cursus quoque est,sed ἀδήλως currunt,tum quia obscuri manent, tum quia incerti semper sunt de Dei voluntate,& dubitant de præmio. Altera est cōparatio. Sic pugil sum, πυκτεύω,hoc est,cestibus certo, quale certamē est inter Daretem, & Entellum apud Verg. Apud Homerum Achilles ad Patrocli tumulum quoque instituit agonem pugilum,quo vicit Epeus. Christiani in tali πυγμῇ versantur,cestibus luctātur, sed nō aërem verberant. Dicuntur aërem verberare,qui sine aduersario ludūt, sese magis fatigant , quam exercent. Sententia igitur est , non vmbratilis est lucta nostra : sed certum habemus hostem,Satanam,mundum,carnem,affectus.hi percutiendi sunt. 4.

Vitam nostrā rectè cursui cōparari.

Christianis serium esse certamen.

27. *Sed contundo corpus meum.*

Prius membrum remotionem habuit,& nunc subdit θέσιν quæ continet certos aduersarios,qui cædendi sunt,vt videas non cum vmbra tibi certamen esse. Corporis nomine omnia quæ nos à Deo reuocant & in cursu impediunt, perstrinxit. In primis autem corpus taxat, quia Corinthij in huius gratiam imprimis peccabant, luxu , & conuiuiis non licitis Hunc aduersarium ego Paulus vester doctor castigo. Ergo quoque vobis est castigandus. Ὑπωπιάζω significat ad liuorem vsq; percutio. ὦπας, oculos & faciem Græci vocant. Hinc ὑπωπιάζειν,oculos & faciem sugillare,hoc est,contusum & liuidum reddere. Docet igitur carnalem illum hominem opus habere validissimo fræno , qui nisi redigatur in seruitutem damnari vult.

Quid per corpus intelligēdū.

Causa addita est. *Ne dum aliis prædico,ego fiam* ἀδόκιμος, hoc est,reprobus & inutilis. Primùm aliis suadendo,quæ ipse nō seruarem, vt reprobum dicitur aurum,hoc est,non genuinum , vt Mercurialis statua aliis monstrans viam , vt campana conuocans populum. Deinde ἀδόκιμος inhabilis vel inutilis , ineptus ad vitam æternam. Admonet nos Apostolus in primis curandum doctoribus,vt quod ipsi docent alios,primi sint qui seruent,ne culpa redarguat ipsos,quod turpe est in primis Christiano,&c.

CAPVT X.

Argu.



Vpra capite 8. ingressus est quæstionem de cibis idolis consecratis, num iis frui liceret Corinthiis. In eadem quæstione adhuc persistit hoc capite, multisque rationibus ostendit planè illis non licere cum offendiculo aliorum eiusmodi conuiuiis interesse. Πρόθεσις est, Corinthiis idolorum communio quam studiosissimè fugienda est.

Propositio

Partes.

Partes multæ sunt, pro argumentorum numero. Nos sic collocabimus vt partes duas sumamus. Propositionem scilicet & confirmationem. Propositio infra ponitur vers. 14. *Quapropter dilecti mei, fugite idololatriam.* Sed initio sumenda est, vt intelligant adolescentes scopum orationis.

Ad confirmationē pertinēt reliqua omnia. Nā oratio argumentis plena est, passim rationes propositi indicās. Sunt autē argumenta ferè ista. Primum ab exēplo veteris populi. Alterum a sacramentorū dignitate. Tertium à natura sacrificiorū. Quartū à pugnantibus. Quintum à contumelia, quę in Christum redūdat. Sextum à suo exēplo. Septimum à charitatis regula. Octauum à natura infirmorum. Nonum à fine. Decimum à natura fidelium quos docet nulli præbere offendiculum. Vndecimum à suo exemplo, ad cuius imitationem Corinthios inuitat. Hæc ferè tractantur in hoc capite. In præsentia expendemus primum argumentum. Copiosè enim tractatur. Ducitur enim ab exemplo.

Ab exemplo veteris populi cui exitio fuerant idola.

Nolo autem vos ignorare. Primum argumentum dixi sumi ab exemplo. Ac consistit in hoc syllogismo. Res quæ veteri populo fuit pernitiosa, illa etiam vobis Corinthiis est cauenda summa diligentia. Sed idolorum communicatio veteri populo fuit pernitiosa. Ergo vobis quoque est cauenda. Hic sensus est argumenti. Sed Apostolus mira arte illud tractat. Initio reuocat eos noua quadam attentione. Nam tanquam obliuiosos, & ignaros admonet de re scitu dignissima. Deinde mox persequitur paria in illo populo, ac recenset summa quędā beneficia Dei, quæ tamen tam malis, quàm bonis erant communia. Hinc differentia persequitur, ac commemorat diuersas causas perditionis in illo populo, inter quas non minima fuit idolorum communicatio. Postmodum rem applicat ad præsentem statum, vt intelligant vsum historiarum ad posteritatem pertinere. Admonet eos de simili periculo, in eodem tamen eosdem consolatur. Denique infert eruditè propositionem quam paucis verbis poterat ab exemplo concludere. Hæc collocatio est primi argumenti, & illustre exemplum quomodo argumentum ab exemplo ductum dilatari possit, & copiosè tractari.

1. *Nolo vos ignorare*, inquit.

Obliquè Corinthios perstringit.

Attentio est, qua post prolixam disputationem Corinthios reuocat ad rei præsentis considerationē. Ac dum admonet eos, obliquè subindicat eos nō rectè veterū historias euoluere. Nam sibi non applicant, vsum nullū inde hauriūt. Oportebat eos sic legere, vt illorū exēplo redderentur meliores, nam vt dici solet παθήματα sunt μαθήματα. Hoc illi ignorant, ac ignorarent, nisi ab Apostolo in præsenti exemplo illius admonerentur. Doctrina vtilis hinc peti potest, vt de vsu historiarū, & lectione illarum diligenter admoneant ministri. Legimus. n. illas parum attentè, adeò vt putemus nihil ad nos pertinere.

Paria autem in illo populo multa fuere. Primùm sub nube omnes militarunt tam mali, quàm boni. De nube habes Exod. 13. Num. 9. Secundò transitus per mare tam malos, quàm bonos capiebat. De eo Exo. 14. Tertiò Mosem omnes habuerunt ducem in quem baptizati dicuntur. Ac ne scrupulus hîc moueretur, addit quomodo baptizati sint, sub nube & in mari, hoc est, nubes omnes pariter obumbrauit, & mare omnes tinxit. Nam ingressus in mare erat quasi immersio, egressus quasi emersio. Quæ baptismo nostro bellè quadrant, vtrinque mortificatio, & viuificatio adumbratur. Dicuntur autē in Mosem baptizati tanquam in ministrum, & organum tantorum miraculorum. Quartò communis etiam omnibus fuit, cibus spiritualis, hoc est, Man illud cœleste. Man specialem vocat cibum, quia typus Christi fuit, alioquin cibus fuit corporalis: sed quia simul adumbrabat cibum illum cœlestem, quem nobis dat Christus, rectè spiritualis dicitur cibus. Huc pertinet locus Ioan. 6. panis cœlestis dicitur apud Ioannem, quia è nubibus dabatur, quæ regio cœlorum appellatione etiam venit in scriptura. Mox Christus ait: Ego sum panis ille vitæ. & vers. 48. Ego sum panis ille vitæ, patres comederunt Man in deserto, & mortui sunt, sed hic est ille panis, qui de cœlo descendit, & qui eo vescitur non morietur. Quibus ostēdit Man illud typū fuisse sui. De Man vide Exo. cap. 16. Quintò & hoc omnium erat quod tam mali quàm boni omnes potum spiritualem biberunt, vt Man spiritualis cibus dicitur: sic aqua spiritualis potus. Nam aqua illa è petra deducta Christum adumbrabat. vide Exod. 17. Num. 20. 21. Et aduerte non solùm Man, & potum spiritualia dici, sed etiam Petram, quia spiritualia adumbrabat. Nam Petra sanè

Quomodo baptizati dicantur sub nube & in mari, & in Mosem.

Man, Christi typus.

erat

erat saxea rupes, non erat spiritus: attamen propter significationem dicitur spiritualis. Porrò de Petra etiam dicitur quòd secuta eos sit. Id Iudæi de miraculo interpretantur, quod nimirum rupes castra Israelis sit secuta: sed scriptura illius miraculi non meminit. Quare nec nos tam faciles ad miracula confingenda esse debemus, præsertim cùm sensus aliter haberi possit. Primum enim ἀκολουθοῦσα petra dicitur de Christo. Quo sensu nihil absurdi infertur. Apostolus inquit, Petra autem erat Christus. Et priùs dixit spiritualem fuisse. Igitur spiritualis illa Petra secuta est eos, non rupes. Et Moses testatur Dominum dixisse, se fore supra Petram: Quæ dum de Christo accipimus, nihil absurdi est dicere, Petra secuta est Israelem, hoc est, spiritualis Petra de qua loquitur. Externa autem petra loco suo mansit, & tamen quia obsequens fuit dicto Mosis, & percussa reddidit aquam contra naturæ suæ conditionem, rectè & ipsa dicitur ἀκολουθοῦσα, hoc est, obsequens, & dicto audiens. Hactenus communia toti populo. Ex quibus obseruatione dignum est, à tantis beneficiis, adeoque miraculis non fuisse exclusos malos, sed omnia illa externa vna cum ceremoniis omnibus communia mansisse.

Quo sensu dicatur spiritualis Petra.

Deinde elegantissima hic instituitur analogia nostrorum sacramentorum cum veteribus. Nam eadem illis tribuit nomina. Nec obest quòd Baptismo duo opponit, nubem, & mare, quia vnius rei diuersę possunt esse vmbræ, aut typi: & reuera nubes & mare natura sua côueniunt. Nubes ex aquis marinis exhalant plurimæ, & in aquas resoluuntur. Baptismum autem eleganter adumbrant. Sic Man & aquæ deserti spiritualem cibum, & potum Cœnæ Domini referunt, hoc est, ipsum Christum. De qua re alias diximus.

Veterum sacramentorũ cum nostris analogia.

5. *Sed non omnes approbauit Deus.*

Explicat nunc differentiam tanti populi. Ceremoniæ communes fuêre, ideóque laus externa & professio nominis Israelitici erat omnium. Sed est aliud quo differunt. s. diuina approbatione. Non omnes approbauit Deus, h. e. alij fuerunt accepti, alij verò reprobati. Itaque non satis est iisdem ceremoniis & sacris initiatum esse, nisi etiam accesserit fides & pietatis studium. Hoc Corinthij non obseruabant. Porrò Apostolus hanc sententiam tanquam πρότασιν hic statuit. Non omnes approbauit Deus. Ratio quæ est? Quia in deserto deleti sunt à Deo. Euidens igitur est non placuisse Domino, alioquin non deleuisset. Historiam vide Num. xxvj.

6. *Hæc autem typi nobis.*

Priusquam persequatur differentiam in specie, priùs rem totam accommodat ad nostram Ecclesiam, vt discant Corinthij, quomodo legenda sit historia veteris populi, s. ad nostri accommodationem, cuius ignorantiam initio capitis obiter taxauit. Disce hic nostram Ecclesiam, & Iudæorum olim eandem esse Ecclesiam, quia eadẽ habet sacramẽta quòd rem ipsam concernit, ab eodem Deo colligitur, eodem spiritu regitur, &c. Deinde veterum historias nostro bono scriptas esse, vt ex illarum lectione discamus colere Dominum. Hinc typi sunt, hoc est, exempla, per quæ emendamus mores nostros ne similib. pœnis afficiamur, aut exempla virtutum, quæ imitemur. Sic de bubus historiam suprà c. 8. ad ministros traxit. Et ad Rom. 4. Exemplum Abrahæ iustificati ad nos omnes.

Quomodo legenda sit veteris populi historia.

Sed ad rem. Populus ille totus in duo membra cadit: Alij Deo placuerunt: alij non placuerunt, hoc est, alij professioni responderunt fide, & obsequentia: alij non respõderunt. De bonis nihil attinet hìc dicere, quia scopus est metum incutere Corinthiis: ideo reprobationis persequitur historias. Alij concupiscentia perierunt, vide Num. 11. Ideo nec nos concupiscere res malas debemus, ne eodem pacto pereamus: aptè quadrat in Corinthios, quia dum sequebantur conuiuia idololatrica, videbantur ventri plus tribuere, & concupiscentiæ carnali, quàm decebat, delitiarum erant appetentes, & lautiores cibos sequebantur magis quàm pietatem. Alij idololatria. Locum vide Exod. 32. Ab Aarone petunt vt illis faceret *Iesanè*, hoc est, Deos visibiles quos colerent. In eo peccato duo accesserunt parerga, conuiuia scilicet, & saltationes. Posterius Deus in religionem non admisit. Conuiuia sacra instituta erant etiam à sanctis viris. Ethnici saltationes addidere priuato iudicio, & non sine magno peccato. Inde saltationes istæ aliquoties inhibitæ fuerunt. Porrò Corinthiis hoc etiam competit, quia idolorum epulis interesse solebant. Hinc contagio quoque idololatriæ ad eos manabat.

Tertiò scortatione alij perierunt, vide hist. Num. 25. Moses ait 24. millia perisse, plenum ponens numerum ad quem proximè accedebat summa, licet fortè non completè, Apostolus autem 23. millia ponit, quòd hic numerus completus esset & aliquid excederet. Vel menda est à librariis hìc commissa. De Corinthiis hoc etiam dici poterat, Suprà enim incestum inter eos deprehendimus, & passim Ethnici scriptores Corinthia scorta commemorant, quod peccatum non videntur ipsi magni fecisse.

Quartò tentationibus alij peccarunt. Num. 21. & Psal. 105. Tentare est experimentum

Tentandi signif.

Multis modis Deum ab hominibus tentari

de aliquo sumere quid possit, vel sciat, aut velit. Deum tentant qui ordinaria media negligunt, vt qui nollet cibum sumere cum haberet: sed Dei verbo vitæ conseruationem expectaret. Deinde qui in periculo cōstituti non patienter expectant euentum, non expectant auxilium Dei. Item impij sceleribus suis, impœnitentia vitæ etiam Dominum tentant. Denique blasphemi, qui in se potentiam Domini prouocant. Quales hodie reperti sunt, qui Christi Domini potentiam in sese prouocant: si sit Dei filius in ipsis edat specimen diuinitatis. Horrenda sunt exempla, quę Deus suo tempore etiam puniet. Cęterùm Apostolus dicit illos tentasse Christum, cum Moses scribat Dominum Deum illos tentasse. Quia igitur Apostolus de Christo hoc interpretatur manifestum est, eius diuinitatis argumentum. Vide locum de diuinitate Christi. Deinde disce Deum in Veteri Testamento locutum patribus, & apparuisse in persona Filij. De quo vide locum elegantissimum apud Iustinum martyrem cōtra Tryphonem, qui luculenter probat Christum Dei filium passim apparuisse forma Angeli, & locutum cum patribus. Inde hìc dicitur tentatus, & secutus castra, & fuisse petra, & Man: & quicquid cœlestium beneficiorum acceperunt, hoc Dei beneficio ascribendum est. Quintò rebelles Deo fuerunt, murmurarunt contra Dominum & Mosem, vide Numer. 15. & 16. In causa Coré Dathan & Abiron. Est murmur vitium impatientiæ, & curiositatis, cùm de præsenti rerum statu non sumus contenti. Et Corinthiis non malè applicari potest, cùm essent disciplinæ impatientes, & sub prætextu Christianæ libertatis quiduis sibi licere præsumebant.

Murmur quid sit.

Hactenus locus differentiarum. Locus cōmunionis & parium huic numero mēbrorum respōdet. Vtrinque.n. quinq; sunt. Cōmunia erāt nubes, mare, Moses, Man, & petrę aqua, & illa omnia ad sacramenta pertinebāt. Differebāt autem diuersis sceleribus, quibus singuli euersi sunt cōcupiscentia, idololatria, scortatione, tentādi studio, & murmuratione: Illa laudem habent, hæc autem cōsternationem. Nam in singulis applicatio est, quam Apostolus non obscurè indicat. Præterea vide singula membra esse bipartita: habent.n. singula delictum certum tanquam causam euersionis: mox additur certa pœna.

11. *Hæc autem omnia figuræ.*

Quarto iam loco rem accommodat ad præsens seculum, & statum Corinthiorum. Illis contigerunt ista, hoc est historiæ veræ sunt, & continent res gestas. Sed cur scripta sunt, vestro, inquit, bono. Νουθεσία ad vos pertinet, hoc est, vtilem doctrinam hinc sumere oportet. Παθήματα εἰσὶν μαθήματα. Non oportet vos scortari, tentare Dominum, communicare idolis, murmurare sub illius iugo, &c.

12. *Proinde qui sibi videtur.*

Argumentum colligit à periculoso. Idem manet hostis, idem Deus vindex, idem periculum vos manet. Ergo oportet cautos esse, non confidenter & præsumptuosè viuere.

13. *Tentatio vos non cepit.*

Consolatio obiurgationi aspersa.

Consolatio est, ne videretur prorsus damnari. Vtile est obiurgationib. aspergere consolationes: Quod Apostolus crebro facit. Consolatur primū à qualitate tentationis. Humana, inquit, est, h.e. non affectata, sed imbecillitate carnis oborta. Deinde à Dei patrocinio. Deus, inquit, non supra modum tentari vos finet, h.e. finem ei imponet. Tertiò à spe boni euētus. Dabit etiam ἔκβασιν, h.e. euasionem. Non igitur est abiiciendus animus.

14. *Quare dilecti mei.*

Quinto loco iam cōcludit, atq; hinc, vt monui, depromi debet propositio. Ac omnia ad hanc sententiam probādam adduxit. Obserua autem ab Apostolo dici idololatriam, quod tamen Corinthij nolebāt in suo facto agnoscere. Conuiuia quib. intererant, idolis cōsecrata esse non poterāt negare, sed libertate Christiana cōcedi illis libertatis vsum. Id Apostolus hic aliter interpretatur, & ait idololatriam esse. Est aūt illa prohibita lege diuina. Igitur est fugiēda. Verbum fugiēdi singularem quandā detestationem significat.

15. *Vt prudentibus loquor, iudicate vos quod dico.*

Secundum argumentum à Cœnę dominicę ratione. Ad hoc argumentum nouo quasi exordio accedit. Cùm esset exemplum veteris populi inducturus, attentione vsus est, tanquam de re grauissima admoniturus. Nunc beneuolentia vtitur, argumentum manifestum inducturus.

Obserua docentibus in primis optandum esse, adeóque curandum, vt habeant auditores φρονίμους, qui non quęuis sequantur, sed iudicio adhibito. Deinde quia iudicium defert auditoribus sequentis argumenti, indicium est bonę causę, cui adeò confidit, vt non erubescat censuram aduersariorum.

Oportere nota esse populo sacramenta.

Præterea cum à dignitate Cœnæ sumpturus sit argumentum, satis constat, sacramenta in Ecclesia Domini oportere esse notissima. Nam argumenta à rebus notis deducuntur. Vt igitur auditores iudicare possint argumenta deducta à sacramentorum dignitate, dec

te,decet notiſſima eſſe populo. In quo peccant primum qui ſacramenta tanquam ſacra quædam Cereris celebrant aliena lingua,cui antque vt populo ignota ſint.Quod in Cœnę negotio hodie fieri ſolet.Deinde hic peccant qui plebeos arcent ab vſu Cœnę.Quomodo enim iudicabunt de Cœna,cuius vſus ipſis integer negatur?Sed hęc ad ingreſſum argumenti pertinent,quo iudicium auditoribus defert.

16. *Poculum benedictionis cui benedicimus,nonne communio ſanguinis Christi eſt.*

Arg.hæc eſt ſententia.Non licet fidelibus communicare ſacramentis pugnãtium religionum.Sed Cœna Domini,& conuiuia idololatrica ſunt ſacramenta pugnantium religionum. Igitur vobis non licet vtriſque communicare. Minor probatur à definitione Cœnæ Dominicę.Quid enim eſt illa?Non male definies ſi dixeris:eſt cõmunicatio Symbolica ſanguinis& corporis Chriſti.Et contrà,Quid ſunt idolorum conuiuia?Nihil ſanè aliud quam communicatio religionis & profeſſionis idololatrici cultus. Pugnantes igitur ſunt religiones,& pugnantia ſacramenta. Non debent autem fideles,ſimul pugnantia & palam contraria ſequi. Forma argumenti per interrogationem eſt inducta. Nam iudicium ipſis iam detulerat.Deinde ita eſt manifeſtum vt hic nihil poſſit negari.

Poculum vocat,& vinum intelligit. Et εὐλογίαν ſumo pro εὐχαρειςίαν, quia ſemper illi coniuncta eſt:deinde pro benedicere,h.e.verba inſtitutionis recitare, quod & ipſum ad actionẽ legitimã pertinet.Dicunt hodie cõſecrare,ſed aliud intelligunt quã ſit εὐλογεῖν.

Ἄρτος panis intelligatur de Symbolo,vt & poculum,hoc eſt,vinum.Ineſt tamen ſolœciſmus τὸν ἄρτον,pro ὁ ἄρτος.Hæc ad definitum pertinent vinum & panem.

De actione non eſt quòd vehementer laboremus.Non enim voluit hic totum myſterium Cœnæ Dominicæ explicare , ſed argumentum ſimpliciter ab illius dignitate proferre.Ac dignitatem definitione proponere.Cúmque in Cœna duo ſint ſymbola,vtrunque breuiter definiuit exorſus à poculo , ſine alterius iniuria. Et ſcriptura paſſim frequentius loquitur de ſanguine,cuius effuſione ſumus redempti,quàm de carne.

Sequuntur definitiones.Poculum eſt κοινωνία αἵματος τοῦ χριςοῦ. Panis autem eſt cõmunio corporis Chriſti. Expende definitiones. Primùm commune habent genus κοινωνίαν, quia in eodem ordine rerum conſiſtunt,ideo genus commune illis fuit aſſignandum.Eſt autem κοινωνία ius commune participandi,& communicandi in re quapiam multis communi, vt eſt in ſocietatib. mercatorum lucri & damni communio in rebus ſubiectis ſeu mercibus. Sic vſum campi omnes incolæ vnius municipij communem habent. Sic nos aptiſſimè dicimus , *ein gmeinſchaft* , *ein gmeine feldfart* , *ein gminen nutz*. Sic accipiamus κοινωνίαν.Nunc quod de poculo prædicatur expende.Poculu,inquit,eſt κοινωνία.Si τὸ ξύλον vrgeas,poculum non eſt κοινωνία,niſi ſignificatione quadã:Nam ſua ſubſtãtia neq; etiam forma dici poteſt κοινωνία:qui ſubſtantiam definiturus eſt poculi,ex ſubſtantia depromat genus oportet:Qui formam ex qualitate:Ille aureum vel argenteum,aut ſimile dicet:hic rotundum, oblongum, aut aliud afferet. Verùm Apoſtolus ad tertium quoddam reſpexit.De vſu loquitur,ideóque à fine inſtitutionis definitiones adfert. Eſt igitur poculum κοινωνία inſtitutione & deſignatione.Ideo metonymiam hic cõcedant oportet. Deſignat enim communionem ſanguinis Chriſti:ita panis deſignat cõmunionem corporis Chriſti.Et corpus libenter pro carne accipio,qua ſeorſim ſanguinis facit mentionem. Κοινωνία quid ſit.

17. *Quia vnus panis vnum corpus multi ſumus.*

Confirmatio definitionum:κοινωνία eſſe probatur,quia eſt hæc πολλῶν μετοχὴ, vbicunque multi participant in re aliqua, ibidem eſt vtilitatis κοινωνία. Sed in cœna eſt ἡ πολλῶν μετοχὴ. Ergo ibidem eſt κοινωνία. Participamus de vno pane ſcilicet ſymbolico. Hinc efficimur,inquit,vnus panis,& vnum corpus,ſcilicet in Chriſto. Profeſſio eſt religionis, concordiæ vnitatis in Chriſto.

18. *Videte Iſraelem ſecundum carnem.*

Ἔκθεσις eſt , qua illuſtrat probationem. Ac poteſt ad contrarij membri confirmationem applicari hęc ſententia.Quod enim dixit de Cœna nimirum eſſe ſacramentum quo profitemur vnionem cum Chriſto : Idem à contrario dicit nunc de cœnis idololatricis, ſcilicet illas eſſe ſacramentum quo homines profitentur communionem cultus illius idoli in cuius gratiam epulum eſt inſtitutum. Expoſitio

Rem autem mitiori exemplo proponit. Non enim ſumit idololatricum exemplum à Gentilium ſacris,ſed ab Iſraeliticis,qui adhuc poſt exhibitumChriſtum Moſaicis ſacris adhærent. Hi non aliud faciunt quàm Ethnici in ſuis ſacris, profitentur enim ſe aliam à Chriſto ſequi religionem. Hoc ad præſens eſt ſatis. Iſraelem ſecundum carnem dixit Iudæos, qui Chriſtum non recipiebant , ſed Moſaica ſacrificia adhuc celebrabant contra Chriſtum. Et qui edunt de ſacrificiis teſtantur communionem altaris , hoc eſt, religionis illius,quæ cũ Chriſti religione pugnat.Et vos Corinthij cur à Iudaicis ſacrificiis

& epulis abstinetis? Nónne quia ibi est quædam professio impietatis? Ergo ab idololatricis cœnis etiam erat abstinendum,quia & illa conuiuia symbola sunt pugnantis religionis cum vera pietate Christiana.

19. *Quid ergo dico?* Redit ad Corinthiorum obiectionem, qua dicere solebant, scimus idolum nihil esse,hoc est,non esse Deum,nec habere aliquam diuinam potestatem. Respondet Apostolus, imò aliquid est opinione hominum qui numen idolo tribuunt. Et vos vestra præsentia confirmatis eos errores,& professioni impietatis communicatis non minùs quàm si Iudaicis sacris interessetis.

20. *Imò quod quæ immolant Gentes.*

Tertium hinc depromatur argumentum. Conuiuia quibus vos tam studiosè interestis,consecrata sunt idolis, non vero Deo. Ergo cultores veri non debent illis interesse. Item qui conuiuio participant, sacrificio participant:qui autem sacrificio,illi etiam religioni:qui religioni,hi etiam idolo.Ergo qui conuiuio communicant,idolo etiam communicant. Id vos quomodo tueri velitis considerate. Ego sanè paterno affectu nolui vos Dæmoniorum esse participes.Dæmonia scriptura in malam partem semper accipit, secus faciunt philosophi: & Ethnici, in suis libationibus habebant ποτήριον ἀγαθοῦ δαίμονος.Et Aristoteles δαιμόνιος dictus est.Et similia.

21. *Non potestis poculum.*

Neminem pugnantia sequi simul posse.

Quartum argumentum ab impossibili.Impossibile est Cœnam Domini rectè celebrare, & simul conuiuia idololatrica. Ergo illa cauenda sunt. Nemo debet, nec potest pugnantia simul sequi:factum vestrum pugnantia habet. Igitur non rectè vtrunque potestis sequi. Poculum Domini, & poculum dæmoniorum, symbola sunt pugnantium religionum. Sic mensa Domini, & mensa dæmoniorum contrarias habent religiones. Itaque his pariter communicare piè non possunt.

22. *Num ad iram prouocabimus?*

Quintum argumentum quo vrget eos validius. Factum vestrum,inquit,facit ad irritandum Christum,cuius oportebat vos gratiam ambire. Duo autem vitia hîc reprehendit. Primùm iram Domini prouocare impium est. Deinde cum irato pugnare præsumptuosum. Θεομαχεῖν hominibus semper malè cessit. Vtroque peccant Corinthij. Igitur cauendum deinceps.

23. *Omnia mihi licent.*

Sextum argumentum à suo exemplo. Ego omnia accommodo ad vtilitatem infirmorum, & ad ædificationem fidelium. Ergo vos etiam Corinthij in hac re meum debetis sequi exemplum, vt non statim quod liceat faciatis. Nam qui vtique quod licet sequitur,facilè committet id quod minimè licet.

24. *Nemo quod suum est quærat.*

Fideles nō oportere priuati sui commodi nimis esse studiosos.

Septimum argumentum à iure dilectionis.Nemo quod suum est quęrere debet in his externis rebus. Sed vos videmini id facere. Igitur deinceps erit cauendum. Videntur autem suum quærere dum studiosiùs sectabantur conuiuia illa, & cum offensione quorundam,qui posthabiti videntur suauitati ciborum.Limitandæ sunt propositiones.Omnia mihi licent,s.honesta & res mediæ de quibus erat quæstio:Sic,Nemo quod suum est quærat,hoc est,non sit priuati commodi studiosus cum fratrum incommodo,vt in præsenti quæstione, de conuiuiis idolorum commodum faciebant dum epulis lautioribus interessent.Interim non quærebant profectum proximi. Interim suum quærere licet,vt salutem propriam,vitam æternam,& similia.

25. *Quicquid in macello.*

Accommodat argumētum ad quæstionem generalem de esu carnium immolatarum. Quod res medias attinet,caro indifferenter edi potest,imò emite,hoc vobis concedo.

Mos erat vt in sacrificiis carnes non omnes absumerentur aliquando: sed superfluæ venales prostarent.Hinc fieri poterat,vt ementes casu emerent immolatitias: Hoc,inquit,vos non offendat. Ratio est,quia Domini est terra,& plenitudo eius,hoc est,genere suo carnes sunt de creaturis bonis,& beneficium sunt Dei.Locus est ex Psal.24.

27. *Si quis infidelium.*

Altera applicatio ad speciale ipsorum factum de conuiuiis. Si ire vultis,q.d.satius erat non ire:attamen quia placet ire,lautè isthic viuite.Cautela illa erit: cibis propositis vescamini,si nemo vos admoneat:nam conscientia vestra libera est, & rectè instituta in cognitione rerum mediarum.Si aliquis vos admonuerit,abstinendum est vobis.

28. *At si quis vobis dixerit.*

Octauum argumentum non vescendum idololatricis cibis in certo casu,quia adsunt vel infirmi,vel planè etiam impij. Infirmi offensi te admonent,ideo propter ipsos abstineb

nebis. Si planè impij te admoneant, iterum abstinebis, ne libertas tua ab impiis traducatur.

Vers. 29. & 30) Declaratio est causæ allatæ: dixerat enim abstinendum esse propter conscientiam, id ambiguum est. Meáne an alterius qui me monuit conscienscia? Respondet tua tibi libera est, & rectè instituta vt dicis. Abstinebis igitur propter monitoris cōscientiam. Nam si infirmus est, illius infirmitati debes parcere: sin palam impius, debes tuæ libertati parcere ne maledicat tibi & Deo tuo. Dicet enim, Ecce tu Christianus es, & abominaris idola, attamen monitus etiam cibos idololatricos sumis. Quæ est illa hypocrisis? verbis damnas quòd vsu sumis. Et cur tuo facto libertatem tuam in se bonam traducis? Cauendum sane illud est. Monitoris conscientiam hic intelligi.

31. *Siue igitur editis.*

Nonum argumentum à fine ductum. Omnia fidelium opera ad gloriam Dei facere debent: Ergo vos etiam vsum rerum mediarum ad illius gloriam debetis dirigere, sed communicare idololatricis conuiuiis non facit ad gloriam Dei. Igitur summopere vobis est cauendum. Argumentum habet formam illationis: nam fluit ex superiorib. Deinde habet enumerationem plenam, edere, bibere, & quid aliud facere, omnia complectitur tam facta quàm dicta fidelium. finis autem negari non potest. Vt enim Deus omnia propter se condidit: ita omnia ad illius gloriam spectare debent. Et hoc dum à tota creatura requiritur, multò magis ab electis.

32. *Estote sine offendiculo.*

Decimum argumentum à proprietate fidelium, quorum ingenium est nemini dare occasionem ad malum, nulli esse causam offensionis, hoc ita cauent, vt etiam à suspitione mali velint esse alieni. Illud est ἀπρόσκοπον esse. Addit enumerationem integralium partium: Iudæi & Græci, membra sunt plena diuisionis, partibus subiecit quasi totum, Ecclesia enim Dei est collecta, & adhuc colligitur ex Iudæis & Gentibus, & est simul argumentum aspersum: Ecclesia Dei est, Ergo indigna est quæ à vobis in re tam leui offendatur. Maior enim debet esse dignitas Ecclesiæ Dei in oculis singulorum fidelium. Primùm quia Dei est, cui omnia nostra debemus. Deinde quia cœtum habet omnium fidelium, cùm vos tantùm pauci sitis priuati. Denique quia illius etiam membra haberi vultis. Cur igitur corpus in quo membra estis offenditis. Nemini dandā esse ad malum occasionē.

33. *Sicut & ego.*

Duodecimū argumētum quo iterum suum proponit exemplum. Ego nihil à vobis postulo, quod nō ipse seruem. Igitur nihil iniqui est, si ad meum exemplum vos prouocem. Tria sibi tribuit. Omnibus per omnia placeo, πάντα πᾶσιν ἀρέσκω. Atqui non placebat Iudæis Hierosolymis, & aliis impiis. Limitanda igitur sententia duplici modo. Primùm omnibus cupio placere, bonis scilicet, & de quibus est spes conuersionis. Planè impiis & deploratis non cupio placere. Deinde πάντα, hoc est, κατὰ πάντα per omnia rebus honestis, & salua pietate licitis, qualia tum erant ista adiaphora de quibus litigabant Iudæi cum Gentibus, aliisque rebus honestis. sic circuncidit Timotheum, Titum noluit circuncidi, rasit caput, & purgauit se, alibi illa contempsit, factus est omnibus omnia, varius & mutabilis sine vitio. Admonentur ministri quanta diligentia debeāt omnes occasiones venari, vt homines pios efficiant. Alterum est quod sibi tribuit: non quærens meam ipsius vtilitatem. Remouet sinistras suspiciones, de priuato commodo. Non quęro, inquit, meum συμφέρον. Hinc est quod gratis docuit, quod laborauit propriis manibus, & id tanti facit, vt pro hac gloria sit paratus mori. Quo sensu se dicat omnib. placere. Ministrorum officium.

Tertiò sibi tribuit: *sed quæro multorum vtilitatem vt saluentur.* Boni ministri typus est Apostolus, totum se aliis impendere, quod etiam Christus fecit, & Apostolis mandauit. Promiscuè autem ait τῶν πολλῶν, quia dum electi ex omni mortalium numero colliguntur, sciri certò non potest, vbi latitent vocandi: ideo omnibus sese applicare debuit, vt nullibi præteriret vocandos. Salus finis est ministerij, ac nisi ad hunc finem respiciamus frustra in eo versamur, & sine euidenti vtilitate.

34. *Imitatores mei estote, vt ego Christi.*

Epilogus est totius disputationis. Iusserat vt suum respiceret exēplum, quò sanè nihil poterat esse euidētius. Nam hîc tanquā in speculo discere poterāt, quomodo rebus mediis vtendū, aut non vtendum esset: nimirum vt omnia accommodarent ad gloriam Dei & proximi vtilitatem: Ac cùm odiosa sunt exempla & in religione quoq; perniciosa sępe, limitationē hîc adhibet. Ac vidētur habere speciem occupationis, illi excipere poterant: iubes nos tuum exēplum imitari: sed nostri doctores nos ad sui imitationē prouocant. Quomodo igitur te imitabimur potiùs quàm nostros. Respondet hîc Apostolus & inquit, Me volo imitemini potiùs quàm vestros, quatenus ego Christi sum imitator. Christi imitatores imitandos esse.

Ita sui habebit defensionem, & ratio erit in ea sententia, quemadmodum ego Christi sum imitator, hoc sensu, ego sum Christi imitator in præsenti causa. Ego vt me imitemini volo, nihil vos iubeo à Christi exemplo alienum. Nam & is omnibus omnia factus est, non quæsiuit suam vtilitatem, sed omnium mortalium, vt reconciliarentur Domino Deo suo. Est tamen etiam alius sensus non ineptus, vt non in omnibus simpliciter proponat exemplum suum, ambitiosum enim hoc foret, sed quatenus sua vita conformis esset Christi instituto. Sic videbitur consulere primùm suæ modestiæ, & obtrectatoribus os obstruere. Deinde imitationis veram regulam nobis relinquit: Imitandi enim sunt sancti, sed non simpliciter: manent enim homines dum hic viuunt: ita humanitus illis multa subrepunt. Imitatio igitur limitanda est ad hanc Apostoli regulam, quatenus sancti sunt Christi imitatores, hoc est, ea præstant, quæ Christus mandat, & requirit, eatenus nos etiam eos debemus imitari. Ratio est, quia Apostolus etiam se non aliter imitari vult. Quicquid igitur pugnat cum doctrina & vita Christi, non debemus etiam in sanctissimis ad imitationem rapere.

CAPVT XI.

Arg. cap. 11


Eligioni veræ conforme est, gestus & habitum accommodare ad animi inuocationem, quæ quantò est ardentior, maioráque petit, tantò magis moribus & gestu sese approbare debet Domino Deo suo. Hac in re vehementer peccabant Corinthij, cùm in cœtibus communibus decorum hoc non seruarent, sed viri obnubilato capite, mulieres contrà passo capillo, & aperto capite conueniebant. Sic ordinem institutæ Cœnæ quoque peruerterant. Quare & hoc corrigit, & seriò monet verum vsum retinendum in sacramentis, & in reliquis seruandum esse decorum etiam in externis rebus.

Propositio — Πρότασις generalis est. Christiani in suis cœtibus decenter, ciuiliter & religiosè conuenire debent.

Partes. — Partes duæ sunt. Prior de decoro, à viris, & mulieribus seruando in cœtibus. Posterior de Cœna Domini, cuius abusum corrigit, & ad veram Christi institutionem eos reuocat. Specialis propositio prioris loci est. In sacris cœtibus viri aperto capite, mulieres verò tecto conuenire debent. Ac seruandus est locorum ordo quos hactenus tractauit à cap. 7. Primus fuit de coniugio. Alter fuit de ciborum delectu. Tertius iam est, quem præ manibus habemus, de velandis mulieribus in publicis cœtibus. Quartus erit de Cœnæ Dominicæ abusu.

Tractatur hic locus hoc ordine. Initiò transitione vtitur, quia ab auditorum laudibus beneuolentiam captat. Deinde ingreditur mox argumentationem, ac rationibus ostendit decorum hoc planè obseruandum esse. Tertiò breui epilogo rem absoluit. De his ordine dicemus ex Apostoli verbis.

1. *Imitatores mei estote.*

Suprà dixi hanc clausulam rectiùs connecti priori capiti: transitio tamen est. Ac initio hortatur ad sui imitationem. Deinde laudat Corinthios, ac laus mirificè faciebat ad præsentem causam. Virtus enim laudata crescit. Deinde studium bene agendi inflammatur, quia apparet successus. Denique bonis placere in primis bonorum est. Itaq; sese magis magísque approbabunt, vt minimè fucata laus videatur.

Quid in Corinthiis laudetur. — Et obseruandum est in laude solùm hoc poni quòd sua omnia meminissent. Memoria bona est, sed non perinde expressio. Ideo ad sui imitationem prouocauit initio. Et mox subiecit admonitionem vt vitam conformem faciant traditionibus Apostoli, quas memori tenent adhuc memoria. Et sanè longè aliud est meminisse, & facere. Ideo non malè censuit Hieronymus, has laudes esse ironicas, quia vidit mox subsequi grauem admonitionem intermissi decori.

Nos igitur obseruemus vtplurimum hoc vitij adhærere Ecclesiæ fidelium, vt faciles simus mente, non perinde vita & moribus assequamur, quod memoria tenemus. Hinc fit vt multi philosophentur de pietate verbis, non vita.

De traditionibus hic multa afferuntur ab aduersariis, de quibus infrà dicemus seorsim inter locos. Id hic teneamus traditiones ferri posse, quæ ex sacris literis rectè concludi possunt.

Obseruandum etiam laudem communiter omnib. applicari, cùm interim bona pars non seruaret institutas Apostoli traditiones. Quare necessaria hic est synecdoche in voce Vos. Vos, scilicet aliqui ex vobis, qui seruant quod reliqui negligunt. Pia tamen est Apostoli ratio, quia respicit meliores & digniores, quamuis numero fortè pauciores essent. Qualia etiam suprà vidimus.

3. *Volo autem vos scire.*

II. Post paratos auditorum animos ad nouam emendationem transit, corrigitq; inciuile illud vitium, quo in cœtibus laborabant contra decorum. Proponatur hic scopus argumentationis, scilicet, Viri aperto capite, mulieres verò tecto conuenire debent. Huc iam rectè accommodantur sequentia argumenta omnia.

1. Argumentum. Quicquid contra dignitatem & prærogatiuam viri (quā Dei dono habet) facit, id studiose est vobis cauendum. Sed mulieres cōuenire aperto capite, & viros tecto, facit cōtra Dei donū, quo virum voluit præ muliere ornatu singulari prærogatiua. Ergò id studiosè est vobis cauendū. Hæc sententia est argumenti apud Apostolum. Nuc ordinē tractationis inspice. Orditur argumētū ab admonitione: *volo vos scire*. Scire id debebant, sed cùm decorū peruerterent, videbātur nescire quod non faciebant. Natura.n.dictat, vt faciamus secundū id quod scimus: id dum seruatur, excusabilis manet error facti, quia nesciebat, ideo fecit: Si aliud sciuisset, aliter fecisset. At cùm homo scit meliora & deteriora sequitur, intolerabilis est error. De hoc genere vidētur Corinthij. Ideo graui admonitione reuocat vt faciant, secundū id quod sciunt, vel saltem scire tenebantur. Deinde subiūgit gradationē quia illustratur viri prærogatiua supra mulierē. *Caput viri est Christus, caput mulieris vir, caput Christi Deus.* Tria hic capita sunt, Christi Deus, viri Christus, mulieris vir. Capitis vox metaphoricè sumitur pro gubernatore, & moderatore, coërcente & largiente gubernationem, tutelam, defensionē suo ordine & modo. Deus caput Christi dicitur propter incarnationis œconomiā. Deinde propter officium mediatoris, & redēptionis, quæ omnia in Christo reguntur à diuinitate. Itaq; caput Christi Deus dicitur, quasi gubernator redemptionis humani generis in Christo: viri autem caput est Christus propter gubernationem renatorum, Christus.n.carnem assumpsit vt Adami semen redimeret, propter carnis communionem, & gubernationem caput est. Et quia virum propriè respicit redemptio, huius propriè caput est. Per consequens autem mulieris quoque. Nam in viro mulier caput Christum habet.

Cōtra Dei donū esse, viros tecto capite, mulieres verò aperto conuenire.

Capitis vox hoc loco metaphorica.

Quo sensu Deus dicatur Christi caput.

Quo sensu dicitur Christus viri caput.

Vir caput mulieris.

Vir autem caput mulieris propter principatum, quia illi præesse debet, illam regere, tueri, alere. Sunt enim in capite illa quatuor, quæ aptè huc quadrant.

Primùm caput eminet reliquis mēbris in toto corpore: sic vir eminere debet. Deinde cohæret reliquo corpori, nec sine illo viuere potest. Sic mulieris, & viri naturalis est coniunctio, & amicitia. Tertiò capitis est sapere, ratiocinari: Sic viri est sapere præ muliere, intelligere recta, meminisse. Denique caput regit corpus: sic viri est imperium & gubernatio. His pulchrè illustratur prærogatiua viri & dignitas qua illum Deus ornauit præ muliere. Munitur igitur hæc pars illo prosyllogismo. Quisque donum quo Deus illum ornauit tueri diligenter debet. Sed virum esse caput mulieris est Dei donum. Ergo hoc diligenter tueri debet.

4. *Omnis vir orans.* Minor est propositio principalis syllogismi: sed virū velato capite, & cōtra mulierē aperto cōuenire in cœtibus facit contra priuilegiū quo illum donauit Deus. Ergo, &c. Cōstat sentētia duabus partibus, de viro & muliere: de viro priùs egit. Omnis vir orans & prophetans, h.e. in cœtu publico, fungens munere publico, orans cum cœtu, & prophetans: hoc est, docens & explicans scripturam auditoribus. Sed potest idē non solū de ministro accipi, verùm etiam de auditorib. Nam quæ sequuntur manifestè auditoribus accommodantur. *Tecto capite.* quod muliebre est, & minimè competens dignitati suæ, dedecorat caput suum Christum, qui illum ornauit hac prærogatiua, & ipse vir maluit esse quàm mulier, viriliter ergo gerat se vir, & non effœminatè.

Vers.5. Alterum membrum de mulieribus. Orans & prophetans scilicet inter auditores, orans cum auditoribus aliis, & prophetans sibi secum intra se. Nam infra 14. non concedit ei, vt in publico cœtu doceat, vel etiam loquatur, sed sileat. Ideo prophetans intelligatur, quæ sibi talis sit, & prophetico spiritui intenta.

Quo sensu dicatur mulier prophetās.

2. Argumentum hìc colligatur. De viro enim dixit, Ignominia afficit caput suum, & de muliere quoque, ignominia afficit caput suum. Ille Christum, hæc virum, vnde hoc colligitur, Quicquid ad ignominiam non solùm viri, sed etiam Christi facit, id studiosè est cauendum. Sed mulierem aperto capite comparere in cœtibus: contra virum tecto, facit ad Christi ignominiam. Ergo studiosè cauendum.

Tertium argumentum ibidem subiicitur. Nam id idem est ac si rasa esset. Sumitur à pari. Radi turpe est mulieri. Ergo etiam nudum caput turpe est. nam rasura vera denudat caput. Quòd si nulla ferret rasuram capitis: ergo ne hoc committendum vt denudet. Pariter turpia, pariter fugienda sunt.

6. *Nam si non velatur.*

Confirmatio argumēti per expositionē. Quæ nuda honestè conspiciūtur, illa licet radere, & tondere, at mulierē non licet radere vel tondere. Ergo nuda capite non honestè

conspicitur. Κείρασθαι est tondere, vt viri tondentur relictis crinibus certa longitudine. Ξυρᾶσθαι est ad viuum resecare, vt hodie tondentur Monachi. At neutrum est mulieri honestū. Ergo simpliciter nudū caput illi non est honestū in publico. Vides hic duplex genus tōsuræ, prius κειρὰ vel κουρὰ tōsura, qualis hodie est nobis in vsu. Posterius ξύρησις, rasura qualis est Monachorū. Et prioris generis duplex olim fuit, vt etiā hodie est. Nam Eustathius in Hom. tradit κῆπον dici speciē tonsuræ, cum crines in orbem æquantur, sic hodie rustici tondentur. Ei opponitur σκαφίον cum raduntur ad viuū, vt hodie milites.

Mulieri turpe esse radi.

7. *Vir enim non debet velare caput.*

Quartum argumētum, vir debet nudo capite comparere, mulier verò tecto, quia vir est imago Dei. Imago Dei est, primùm gubernatione. Vt enim Deus omnibus rebus dominatur: Sic vir quidam deus est vel vicarius Dei in terra, qui omnibus secūdum Deum imperare debet. Ergo mulieri etiam imperare debet, cuius symbolum capitis nuditas in viro. Deinde imago Dei est sapientia, memoria, voluntate, quæ si ad Dei imaginem accommodet, optime illius exprimit imaginem. Tertiò benefaciendo, conseruando, quibus Deo homines redduntur simillimi. Quæ omnia quum propriè & verè sint in renatis, sequitur renatos solum hanc Dei imaginem exprimere.

Vir imago Dei quo sensu.

Quintum argumentum ibidem. Vir est gloria Dei, & mulier gloria viri. Gloria dicitur per Metonymiam, quia materia est gloriæ Dei: vt Israel gloria Domini dicitur.

Arg. sentētia est. Gloria qua vir Deū ornat: Itē gloria qua mulier virū ornat in eo est posita, vt vir nudo capite, mulier tecto incedat. Ergo hoc discrimē est studiosè seruādū.

8. *Non enim est vir ex muliere.*

Confirmatio prærogatiuæ virilis ex iure naturæ. Illud meritò præstat quod alteri fuit principium essendi. At vir mulieri dedit essendi materiam. Altera est ratio ex vers. 9. vir non propter mulierem, sed mulier propter virum. Ergo vir dignior est. Ac dignitatis huius symbolum est nuditas capitis. Igitur hanc non debet mulieri concedere.

10. *Propter hoc debet mulier.*

Potestas pro signo alienæ potestatis.

Illatio quæ fluit ex superioribus argumētis. Dicitur habere in capite potestatem, hoc est, signū potestatis alienæ, quòd scilicet sit sub potestate viri, & non sui iuris. Est igitur hic aperta metonymia, & manifestum est symbola à rebus signatis aliud esse. Velamen vocat potestatem, quod est signum subiectionis, & potestas ipsa viri est non mulieris.

Sextum argumentum ibidem additur propter angelos. Est. n. ratio quædā cur mulier debeat esse velata. Ducitur autem à reuerentia, quæ debetur angelis, q. d. in cœtib. publicis corā sunt angeli moderatores, & rectores. Ergo vel propter illos velari debet mulier. Si viros nolint horrescere, timeant saltem angelos. Sic Christus duxit argumētum à pari reuerentia, nō esse offendendos pueros, quia illorū angeli præsentes sunt, & vidēt faciem Dei Patris quotidie. In Daniele 12. legimus Angelos gubernatores esse rerū humanarum, in primis sanctorū. Igitur in Ecclesia fidelium etiam præsentes sunt. Modestè igitur conueniendum est. Sunt tamen qui pro malis spiritibus accipiant Angelos, hoc sensu, Mali Angeli hac turpitudine delectantur: Ergo est in primis cauenda. In hac sententia est Tertullianus in libro de velandis virginibus. Non desunt qui ad Ecclesiæ Ministros referant, inter quos est Ambrosius. Angeli dicuntur Ecclesiarum præsides, vt in Apocalyp. Ioannes iubetur scribere ad Angelos Ecclesiarum, h. e. ad illarum ministros. Vtvt intelligas argumētum validū est. Debetur illa reuerētia tam Angelis bonis, quàm ministris, vt pudicè & modestè cœtib. intersint mulieres. Id fiet si velatæ sint. ergo, &c.

Mat. 18. 10.

11. *Attamen neque vir sine.*

Præoccupatio, prærogatiuā hanc viri vxoris dignitati in Christo nihil derogare. Vidētur hæc adiecta ad consolationē muliebris sexus, q. d. in Christo vir & mulier æquantur, pia matrona non minor est pio viro in Christo, non respicit illa externa Christus.

12. *Sicut enim.*

Expositio.

Ἔκθεσις à causarum ordine. Mulier est ex viro ὑλικῶς, quia Eua accipit corpus ex Adami latere, & ideo illi inferior & posterior. Vir tamen contra est per mulierem ὀργανικῶς, quia vir non nascitur nisi per mulierem, qua ratione æquatur illi tanquam principium nouum nascendi. Omnia verò sunt ex Deo ποιητικῶς, effectiuè. Deus enim virum & mulierem condidit. Habet hinc quo se consoletur mulier, & vir quo sese humiliet.

13. *Apud vos ipsos.*

Septimum argumentū à iudicio cōmuni, quod ipsa natura dictat. Sententia est, In ornatu debemus opificē ipsum sequi, nemo. n. melius nouit quid sit pulchrum, quàm ipse Deus: sed is dedit prolixam comam mulieri per naturā, viro autem eandē negauit. Ergo hoc ipsum sequi debemus velandis capitibus mulierū, quod erit pulcherrimum ex Dei institutione. Et viri sint apertis capitibus vt dignitatē suam vel isto symbolo referant.

Hæc

Hæc sententia argumenti eſt. Porrò viro dedecus eſſe comam, accipe ſi prolixam inſtar mulieris alere velit: alioquin Græcis honorificum erat comatum eſſe & Latinis olim. Attamen ratio ipſa ſemper in Ethnicis quoque, dictauit molliciem magis ſpirare comam alere, quàm virtutem. Iuuentus alebat comam, quam poſtea conſecrabant Apollini, & milites in luctu comam radebant, vnde ſequitur illos aluiſſe comam, ſed modeſtam. Inter laudes Scipionis Plutarchus refert etiam quòd cæſarie promiſſa ſit vſus, & Catones comati erant quadam laude, vt refert idem Plutarch. Quæ omnia intelligo de modeſta coma non muliebri, quam hic damnat Apoſtolus. Medium enim eſt inter comam hanc muliebrem, & raſum eſſe. Vtrunque olim vitioſum fuit, crinitum eſſe non perinde. Raſi olim ſequebantur ſerui libertate donati victores in triumpho. Cuius illuſtre eſt exemplum apud Plut. T. Flam. quem ex Grçcia 1200. Romani libertate donati ſecuti ſunt Romam raſis capitibus, qui mos ſeruorum erat.

16. *Si verò quis videtur contentioſus.*

Epilogus eſt loci illius de decoro ſeruādo in cœtibus fidelium. Abrumpit autem prolixiorem argumenti huius diſputationem. Primùm admonet rationes à ſe allatas ſatiſfacere ſolùm moderatis & piis ingeniis, qualia multa erant in Eccleſia Corinthiorum. Deinde malitioſis ſe non ſcribere indicat. Nam illis nihil ſatiſfacit quicquid adferas, vel rident vel eludant. φιλόνεικοι dicuntur, qui finem habent victoriam, vincere volunt, quocunque id poſſunt modo, qui finis Sophiſtis ferè fuit propoſitus: Nam cum diuitiis victoriam ſpectabant in diſputationibus. Is finis fidelium non eſt. Ideo nec curādi ſunt contentioſi. Præterea ab his diſtinguit ſe & Dei Eccleſiam. Non, inquit, hanc habemus conſuetudinem. Quod poteſt referri vel ad contendendi ſtudium, quaſi dicat, Nos non rixamur libenter, nec cum illis cōferre pedem iam volumus, qui mos eſt etiam Eccleſiæ Dei: vel ad res ipſas de quibus fuit quæſtio, quaſi dicat, Argumentis allatis mouebuntur boni. Contentioſi verò ſinant pios velare ſuas mulieres in cœtibus publicis. Itaque illis oppono exemplum meum, & Eccleſiæ Dei. faciant nunc quod velint, &c. Contētioſos eſſe prętermittendos.

17. *Hoc verò denuntians non laudo, quia non in meliùs, ſed in deterius conuenitis.*

Quartus ſequitur locus de Cœna Domini, quam variis modis corruperāt Corinthij, adeò vt non tam Domini Cœna, quàm priuata heluantiū comeſſatio videri poſſet. Ideo perſequitur vitia quæ in eius celebratione committebant. Mox ad Domini primariam inſtitutionem eos reuocat. Quę forma corrigendi optima eſt, vt ſcilicet homines ab erroribus & abuſibus ad Dei verbum & inſtitutionem reuocentur. Deinceps etiam de communicantibus, & ſui probatione diſſerit. Item de pœnis malè communicantium. Locus de Cœna Domini.

Πρόθεσις eſt. Cœna Domini, non priuato Corinthiorum arbitrio, ſed ad inſtitutum Domini, quam religioſiſſimè eſt celebranda. Propoſitio

Partes in argumento iam indicatæ ſunt. Prima eſt de abuſu Cœnæ. Altera de vero 1.
vſu ad Domini inſtitutionem. Tertia de pœnis abutentium. De prima nunc audiemus 2.
Apoſtolum. 3.

DE ABVSV COENÆ DOMINICÆ.

Locum accommodat ad Corinthiorum vitia, quæ in ſuis cœtibus Cœnæ Dominicæ committebant. Et quia reprehenſione vtetur, ideo nouo quodam exordio rem aggreditur: ſic enim conciliati auditores minùs reprehenſione offendentur. Hinc catalogum quodam modo ſubiicit vitiorum. Denique vt rem cœperat, ſic concludit.

17. *Hoc verò denuncians non laudo.*

Exordium ab antitheſi. Facit. n. tranſitum à ſuperiori loco ad alium quem non commendatione ipſorum poſſit explicare. Manifeſta antitheſis eſt in particulis, τοῦτο δὲ, q.d. ſuperiora ad laudem veſtri doceri poterant. At ſequentia reprehenſionem requirunt. Hoc non laudo, quid ergo laudauit? ſupra verſ. 2. Laudo vos quòd mea omnia teneatis memoria, & vt tradidi vobis tenetis. Vnde apparet maiorem partem ſeruaſſe Apoſtoli traditionem de velandis virginib. Paucos quoſdam petulātiores contradixiſſe, & feciſſe. Ideo magis laudauit eos qui obſequentes erant. At in cauſa hac maior pars corruptionem ſequitur, & abuſum, ideo iterum habita ratione maioris partis eos culpat.

Nos obſeruemus vitiis nō eſſe cōniuendum, exēplo Apoſtoli, qui laudatos hactenus, iam etiam reprehendit. Sic Chriſtus & Apoſtoli fecēre ac Prophetæ. Et in 2. Timoth. 3. inter vtilitates ſcripturæ habentur ἐλεγχος καὶ ἐπανόρθωσις. Itaque meminerimus eiuſdem eſſe miniſtri laudare, & reprehendere pro loco & tempore. Deinde attemperanda eſt reprehenſio prudenter, vt videmus Apoſtolum facere. Non laudo, inquit, non dicit vitupero & reprehendo, ſed mollius quiddam eſt, non laudare. Non enim ſtatim vituperantur non laudata, ſed relinquuntur in medio. Finis Apoſtoli eſt lucrifacere Corinthios: ideo paterno affectu vtitur in eos, qui eodem ex erroribus eximi poterant. Vitiis non eſſe conniuendum.

Huc facit illud ἦθος quoq; quod mox ſubiicit,ſe audiuiſſe inter eos eſſe diſſidia cùm hoc certò ſcire potuerit,iuſtas cauſas ſilet,leuitérq; attingit malū,quod curādu ſuſceperat.

Vide quā non diu manſerit integra Cœna Domini. Denique expendatur hic, quàm citò corrupta fuerit Cœna Domini in Eccleſiis. Viuebant Apoſtoli adhuc fere omnes, ipſéq; Paulus qui hanc Eccleſiam inſtituerat, quos errores videt in Eccleſiis, adeò vt malit Cœnam non in epulis publicis celebrari. Quid ergo hodie diceret? *Non in meliùs ſed in deterius conuenitis.*

1.Error. Hactenus aditum ad reprehenſionem animaduertimus,ſequitur nunc ſecundo loco commemoratio abuſuum Cœnæ Dominicæ.

Primus error eſt,quòd non in meliùs conueniebant ſed potiùs in deteriùs, h.e.finem inſtitutionis in genere non ſeruant. Finis autem in genere eſt meliores reddi hoc exercitio. Nam omnes ſacri conuentus fine bono inſtituti ſunt in Eccleſia, hoſt eſt,vt homines meliores fiant, quo ſublato fruſtra frequentantur cœtus. Sic in publicis cœtibus finis eſt bonum aliquod , vt ſcholaſtici cœtus fiunt vt iuuentus erudiatur , Gymnaſtici cœtus vt exerceantur corpora.Bellici cœtus vt defendatur patria.Ita in Cœna Domini τὸ κρεῖττον debebat eſſe finis, quod non ſeruant. Sed quomodo non in meliùs conueniebant?Primùm quia tales diſcedunt, quales acceſſerant, diſcordes, litigioſi,ſuperbi,inflati malis opinionibus imbuti, imò ſobrij accedunt, ebrij diſcedunt. Deinde etiam eo pacto,quòd offenſa infirmorum hic augeretur, dum diuites cōtemnerent pauperiores, eoſdémq; excluderent a ſuis tricliniis, adeò vt hic nemo ædificaretur, ſed potiùs multi offenderentur. Hoc erat non in meliùs conuenire:ſed in deterius.In melius conueniūt

Quidnam in melius conueniāt. primùm qui ſeipſos emendant.Deinde qui proximum ędificant ſuo exemplo.Tertiò qui opera,& re iuuant & eleemoſynis.Quod nobis hodie facile applicari poteſt.

18. *Primùm enim cùm conuenitis.*

2.Error. Secundus hic manifeſtatur error. Superiora videbantur quædam eſſe propoſitio totius reprehenſionis.Nō in melius conuenitis.Hęc quæ ſequuntur habent illius ſententiæ κατασκευήν.Confirmat.n.quod dixerat. Manifeſta.n.ſunt argumenta,quòd nō in meliùs conueniant.Nos errores retulimus ex rationib. Secundus igitur eſt,quòd in actione Cœnæ Dominicæ alant ſchiſmata,& hæreſes.Schiſmata dirimebant concordiam,& pacis ſtudium.Hęreſis autem contra puritatē fidei faciebat.De quo vide locos noſtros. Non tamen eſt perpetuum hoc diſcrimen. Quomodo igitur erant inter eos ſchiſmata? Primùm quòd ſectas ex doctorum nominibus inſtituerēt,& alerent.Ego ſum Pauli,ego Cephæ, ſuprà 1. Deinde quòd libenter litigarent , ſuprà 6. Tertiò quia ambitioſi eſſent in illis cœtibus,& ſeſe mutuò non expectarent,ſed ditiores ſuas epulas præoccuparent non habita pauperum ratione,quę omnia concordiam,& dilectionē mutuam lædebāt. In fidei autem puritatem peccabant , quòd conuenirent etiam , qui negarent mortuorum reſurrectionem,& ſimilia portenta impunè alebant,quæ ad hæreſin ſpectabant.

Verſ.19. Confirmatio ſecundi erroris à probabili:*Patrem*, inquit,*credo*,h.e.res mihi valde probabilis eſt.Hoc molliter inquit Apoſtolus.Nam certò hoc ſciebat,vt res eſſet extra dubitationem.Deinde affert probabilitatis cōiecturas.Prior eſt à communi ſorte Eccleſiæ Chriſti.Oportet, inquit, hæreſes eſſe apud vos. Quod in genere fieri oportet

Quo ſenſu dicat oportere hæreſes eſſe. id probabiliter creditur in partibus ſingulis. Sed quomodo oportet hæreſes eſſe ? Non ſimpliciter & abſolutè,ſed quia mores hominum tales ſunt.Quatenus.n.Eccleſia Chriſti regitur Spiritu ſancto , & vocem ſui paſtoris audit, eatenus non dat locum ſectis & hæreſibus:Sed quatenus eadem Eccleſia conſtat ex bonis,& malis,qui humanitus multa patiuntur,& admittunt vocem ſeductoris,eatenus euenit,vt hæreſes locum habeāt, & id ita certò,quàm certum eſt nos homines ſemper manere in hac militante Eccleſia.

Matth.18.7 Hoc modo dixit Chriſtus , oportet ſcandala venire , ſed væ homini per quem veniunt. Probabile ergo eſt apud Corinthios ſectas habere locū.Deinde alia eſt melior cōiectura à fine,vt probati fiant conſpicui. Errores pendebant non à Deo,ſed authore Satana: homo.n.malus zizania ſeminat dormiente patrefamiliâs : ſed hic finis à Deo oritur,qui malo ſectarum vtitur ad bonum Eccleſiæ,vt boni,inquit,ſic probati fiant manifeſti.Ac ſi dicas,bellū propterea inſtitui ab hoſtib. vt fortiū virorū virtus manifeſta fiat. Hoſtis certè alio fine bellū infert,omnia conatur cædibus,ferro,& igni vaſtare.Hic propriè finis hoſtiū eſt,ſed fit vt eo fine ſæpe fruſtretur, & homines pro patria pugnātes illuſtres fiant. Virtus cōſpicua fit fortiter repellētium hoſtē.Sic in Eccleſia Dei nemo ſcire poteſt qui ad ſanguinē vſq; decertare poſſint pro Chriſto rebus ſecundis, ſed iniectis hæreſibus & perſecutionibus,illi fiunt manifeſti.Itaq; materia & alimentum eſt virtutis.

20. *Itaque quum conuenitis.*

3.Error. Tertius eſt abuſus.Publicā Domini Cœnam faciunt priuatam comeſſationem.Id valde abſonum eſt.Primùm.n.facto ipſi repugnat:conuentus.n.publicus eſt,& communis.

Opor

Oportebat igitur communia non priuata celebrare conuiuia. Deinde concordiæ symbolum erat, quod in locum vnum conuenirent ἐπὶ τὸ αὐτό. Quæ omnia efficiunt communia bona hic esse communiter celebranda. Ideo infert οὐκ ἔστι non licet, non potestis Dominicam Cœnam edere. Licuisset vtiq; & potuissent si verbis superioribus responderet merum factum συνέρχεσθαι, & εἰς τὸ αὐτό: requirebant communia facta vel vsum comunem, cõmunionem bonorum. Cur ergo nõ licet? Ratio est, quia singuli propriam Cœnã præoccupant: ἴδιον, & κυριακὸν hic opposita sunt. Dominus κυριακὸν, hoc est, δημόσιον, & ob id commune bonum instituerat, vos ex illo ἴδιον effecistis. Ergo non licet Dominicam celebrare, hoc est, instituto non respondetis, qui maximus est abusus. Cœnã Domini non debere esse priuatã.

Obseruemus hic morem veteris Ecclesiæ, in celebranda Cœna Domini, de quo aliâs diximus ex Iustino Martyre & aliis. Nunc breuiter perstringo rem totam. Ecclesia igitur celebratura Cœnam Domini conueniebat sedulò ad audiendum verbum Dei. Itaque concio initiò habebatur, mox preces publicæ à toto cœtu fiebant. Hinc verba institutionis, postea collecta fiebat pro pauperibus. Ex collecta commune epulum quoque instituebatur, in quo sumptus ditiores faciebant & ferebant: pauperes autem alebantur. Hunc morem Corinthij non seruabãt. Post Apostolorum autem tempora diu conseruatus est, ex hac ipsa fortasse correctione: nam Tertullianus in Apolog. cap. 39. hunc ferè morem hoc pacto refert, & Iustinus Martyr, & Chrysostomus, & Dionysius ille. Veteris Ecclesiæ mos in celebrãda cœna.

21. *Et hic quidem ebrius est, ille verò esurit.*

Quartus error, Quòd in Cœna Domini nullum seruant medium, sed extrema quæque ibi concurrunt, fames, & ebrietas. Scopus institutionis erat, reficere pauperes, moderata saturitas. Neutrum illi seruant. Pauperes dimittunt famelicos: ipsi non saturati, sed ebrij discedunt. Si diceret, hic quidem satur est, ille verò ebrius, res vtcunque ferri poterat, nam sic nemo famelicus dimitteretur. At non ita, sed famem & ebrietatem opponit, quæ extremè pugnant. Famelicos relinquere pauperes magna erat inhumanitas: at ebrium discedere ingens impudentia. 4. Abusus.

22. *An ne domos non habetis?*

Quintus abusus καταφρόνησις. Superioribus illa connectit interrogatione, q.d. si omnino peccandum est, si omnino ebrietati indulgẽdum, facite hoc priuatim intra vestros parietes, ita nemo offendetur, nemo rem sciet. Publicum saltem cœtũ nolite contaminare. Deinde cũ causas tam sedulò inquirit, ostendit piis omnib. propriũ esse, nihil sine causa facere, & quia agape erat, cõtemptus abesse debuit. Porrò Ecclesia Dei, vel de ipso loco accipi potest, vel de cœtu fidelium. Si tẽplũ, vel locum intelligas, docemur sacra loca in primis contaminari abusu Sacramentorum: sin ipsum cœtum accipias, indignitas facti intelligi potest. Cœtum enim à membro deteriori contemni, absurdum est. 5. Abusus.

Sextus abusus est, confusio pauperum. Contemptus in genere totam Ecclesiam respiciebat, in qua latebant tamen pauperes, tanquam obscuri: sed illorum facto protrahuntur pauperes & confunduntur. Diuites sua triclinia seorsim instituebant & confluebant. Pauperes cogebantur etiam soli conuenire. Hinc apparebat qui nihil, aut modicũ attulisset, prodebatur paupertas tanquam probrum, diuitiæ tãquam virtus. *Quid dicam vobis? laudabóne vos? In hoc non laudo.* Epilogus est quo tanquam rem extremè absurdam reprehendit eorum morem. Magna est indignatio, & cum quodam stomacho prolata. Quid dicam? anceps oratio est, & quædam reticentiæ species. Laudare maluisset, vt cupiebant id Corinthij, sed rei indignitas non fert. Magna autem est moderatio affectuum in Apostolo, rem indignam non acerbiùs taxante. 6. Error.

VERA INSTITVTIO, ET FORMA CELEBRANDI COENAM DOMINI.

23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Postquam errores Corinthiis proposuit, nũc eosdem ad veram institutionis formam reuocat, ex qua intelligere possunt, quis sit verus vsus, & quæ forma, modúsve in actione cœnæ obseruandus. Ac pertinent ista ad alteram partem propositionis supra constitutæ. Cœna Domini non priuato arbitrio, sed ad institutum Domini, quàm religiosissime celebranda est. Quomodo non priuato arbitrio sit celebranda iam ostendit. Corinthij suo arbitrio celebrabant, ideo multis modis errabant. Quos errores patefecit Apostolus. Nunc igitur verum vsum tradit ex forma institutionis Domini.

Propositio sit, Ad institutionem Domini religiosè celebranda est Cœna.

Confirmatio sumatur ex contextu vt mox indicabimus. Locus duo habet. Primùm loquitur de institutione panis: deinde eodem modo de poculo & vtrunque bipartitum est. Nam distinctè loquitur de officio Christi instituentis, deinde de officio communicantium. Singuli partitionem sequãtur quæ eis cõmoda est, modò ne sit aliena à verbis Propositio huius loci.

Apostoli. Nos nostro more arguméta referemus ad propositionem Apostoli, vt appareat cohærentia. 1. A suo exemplo vrget Corinthios Apostolus. Ergo non aliter tradidi vobis negotium Cœnæ, quam acceperim. Igitur ad hãc institutioné vobis erat religiose celebranda. Argumentum satis perspicuũ est. Ex quo illa disce, Diuinis rebus nihil addi aut detrahi oportere, sed religiosè vt tradita sunt seruãda esse. Vt verbo Dei nihil addi debet: ita sacramentis diuinis nihil addendum est, nihil etiam detrahendum: vt. n. non est hominis instituere Sacramenta: ita illius non est in his suo arbitrio ludere. Deinde in primis expendi debet, in Ecclesia Christi, non nostra proponenda esse, sed Dei mandatum & institutionem. Qua re in primis hodie peccatur, quando in Ecclesia Dei, doctrina Apostolica intermissa, auditoribus obtruduntur hominum traditiones.

Non licere homini bus aliquid in rebus diuinis mutare.

Vera corrigendorũ errorũ ratio.

3. Denique in corrigendis abusibus expeditissima est ratio, si res ad suos fontes reuocetur: tum enim apparet, quantum sit aberratum. Sic Dominus errores Iudaicos ad verbum Dei reuocauit & correxit. Ita prophetæ ad verbum Dei semper sese retulerunt in taxandis superstitionibus. Ita Apostoli, & in præsentia Paulus sese reuocat ad primam Christi institutionem. Verbum Dei enim fons est, & principium.

Secunda à persona institutoris. Dominus Iesus religiosè sub hac forma commendauit suam cœnam suis. Igitur ad hanc formam, & non alio modo est celebranda. Locus pertinet ad causas efficientes. Vera causa efficiens in omnibus respici debet. Sic ceremoniarum primi autores, & legumlatores, quæ horum fuerit mens, non quid nobis videatur attendendum est. Corrumpitur lex cùm à mente legislatoris receditur.

Tertia à circunstantia temporis: iamiam moriturus, vltima nocte suis commendauit sui memoriam. Est igitur hoc modo, nec alio religiosè celebranda. Valet ratio à communi hominum iudicio, quo vltima voluntas rata ac firma habetur apud omnes.

Quomodo Christus suam cœnam instituerit.

Quarta ratio ab ista forma. Hic enim recenset Apostolus quomodo instituta sit. Christus accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, iussit edere. Ad discipulos pertinebat, accipere, edere, accipere & bibere omnes. Hic igitur ritus seruandus. Ex quo sequitur ad ministros Ecclesiæ pertinere præire cœtum in actione, ac auditores docere de vsu eius ex verbo Dei. Deinde non sine precibus esse celebrandum. Denique non à solo ministro, sed ab omnibus circunstantibus. Ad auditores verò vt pari religione intersint doctrinæ, precibus, & communioni. Hæc foma à Corinthiis non seruabatur. Et hodie à multis non seruatur, si rem penitùs excutias.

Quinta à maiestate rerum quas adumbrant illa externa symbola. Sunt symbola corporis, & sanguinis Christi. Igitur religiosè sunt celebranda.

Hoc meum est corpus, Constituerunt hìc quidam Synecdochem crassam, quæ meritò damnata est. Nam dixerunt panem esse corpus Domini, vt ferrum candens ignem esse dicimus, & cantharo mõstrato, dicimus hoc est honorarium vinum. Sed repudianda est illa synecdoche, quia localem pręsentiam corporis Christi in pane, vel sub pane, &c. conantur euincere. Meliùs igitur per metonymiam explicantur. Panis est corpus Domini, quia est sacramentum corporis Domini. Et est hìc etiam duplex demonstratio consideranda. Vna quę ad sensus refertur, cui offertur panis & vinum, symbola. Altera ad mentem, & fidem refertur. Corpus enim & sanguinem Domini spirituali modo percipimus per fidem. Fractio propriè refertur ad symbola. Panem enim fregit Christus, quem de mensa acceperat. Deinde tamen per analogiam intelligetur etiam de fractione in cruce, hoc est, laceratione neruorum, perfossis manibus & pedibus, doloribus, ipsiúsq; vera morte, per quam verè oblatus est. Interim scimus in Christo vt vero agno paschali os non fuisse fractum. Sexta ratio est à forma præcepti, quæ omnes concernit. Ergo ab omnibus communiter celebrari debet. Non priuata debet esse Cœna. Septima à genere promissionis. Pro vobis scilicet omnibus frangitur, hoc est, bona hìc sunt communia, & herilia, quæ non licet in priuatos vsus conuertere. Hinc disce illos demum verè communicare qui hanc promissionem amplectuntur vera fide. Octaua ratio à repetito præcepto. Vt generale erat, accipite, edite, scilicet omnes: sic generale est, hoc facite scilicet omnes spectatores, omnes discipuli mei, omnia Ecclesię membra. Igitur non priuata debet esse commessatio. Ac facite hìc non est sacrificate, quia ad auditores pertinet, qui non possunt sacrificare apud Pontificios: sed est facite hoc, scilicet quod iubeo vos, & me vidistis facere, conuenite, docete vos mutuò, adhibete symbola, gratias agite, distribuite, edite, bibite, verba & formam institutionis seruate, mei memoriam retinete, & similia omnia complectitur hoc mandatum. Summa, facite id quod ego iubeo, & eodem modo, vt iubeo. Formam institutionis retinete quàm religiosissimè.

metonymicè sumẽda esse Christi verba de Cœna.

Facere nõ esse sacrificare.

Nona, quia ad memoriã Christi instituta sunt, symbola sunt mortis Domini, & beneficiorum eius. Ergo religiosè celebranda. Firma est ratio, quia amicorum benefactorum memoria

memoria in oculis nostris debet esse religiosa. Ac memoria ista mortis cóplectitur antecedentia,& doctrinam Christi,cuius hic meminisse oportet in actione cœnæ.Deinde coniuncta , qualis est tota historia passionis , quæ est recolenda. Denique consequentia mortis, vt est resurrectio, ascensio, mansio ad dextram Patris, & horum effecta, nostra liberatio, redemptio, reconciliatio, hæreditas in cœlis, vnio in Christo. Horum igitur debet augustissima & amplissima esse memoria in Cœna Domini.

Vers.25. De poculo eadem persequitur, vt de pane fecerat, vt constet similis institutio in vtroque symbolo,ad quam fideles legatos esse vult.

Porrò in poculi institutione tropus est geminus.Primùm.n.manifesta est Synecdoche, nã poculum pro vino ponitur.Poculum est nouum Testamẽtum,h.e.vinum ipsum quod in poculo est.Deinde si dicas vinum est symbolum testamẽti noui in ea actione.Est.n.sacramentũ effusi sanguinis pro nobis.Repetit hic præceptũ & finem,vt in priori mẽbro. Duplex figura in institutione poculi.

Vers.26. Confirmatio quædam est priorum, significans illa omnia publicè fieri à toto cœtu,publico bono,& fine. Ideo non priuatam hic instituendam commessationem. Repetita hic est synecdoche.Bibere poculum dicuntur,qui vinum inde bibunt.

Deinde hic fluit argumentum à fine. Celebratio & annunciatio mortis Domini debet publicè fieri à toto cœtu.Igitur Cœna quoque à toto cœtu simul debet celebrari,vt non sit priuata præoccupanda.

Disce simul hic in hac vita semper nobis opus fore vsu Sacramentorum , tum quia memoria nostra symbolis externis confirmanda,& adiuuanda est:tum quia Christi memoria apud nos sacrosancta esse debet, quam dum sacramentis alligarit, necessariò sequitur semper in vsu illa esse oportere in hac vita. Deinde ex eodem sequitur fundamento.Christus memoriam suam alligauit sacramentis,ideo semper erit in his terris aliquis cœtus donec venerit,qui his vtatur. Frustra enim præceptum esset,nisi foret cœtus qui ei præcepto esset obsecuturus. Consolatio hinc ingens peti potest,dum in ruinis Ecclesię,& mutationibus imperiorum videmus omnia susque déque euerti,& corrumpi,adeò vt cœtus deleri in vniuersum videantur. meminerimus Deum semper sibi conseruaturum cœtum,qui hoc faciat ad sui memoriam,vsque dum venerit. Sacramentorũ vsum nobis in hac vita esse necessarium.

Interea Sacramenta hæc non pertinere ad vitam æternam,sed finienda esse cum hoc mundo. Illic de facie ad faciem videbimus , ideo non erit vsus symbolorum. Hic verò quia per speculum & in ænigmate omnia contemplamur, maximum habent vsum. Denique confirmatur hic nouissimum iudicium,veniet enim aliquando Dominus necessariò,quia hic præcipitur memoria & annunciatio mortis Domini donec venerit. Firmatur resurrectio,immortalitas animarum, interitus mundi,præmia,pœnæ & similia omnia post hanc vitam ex eo loco,&c.

POENÆ ABVTENTIVM COENA DOMINI.

27. *Itaque quisquis ederit panem hunc,aut biberit hoc poculum Domini indignè,reus erit.*

Tertium membrum est huius loci,de pœnis abutentium. Docet autem quid ex abusu Cœnę sit metuendum Corinthiis,partim hoc ipsum quod reipsa experiebantur,scilicet morbi,infirmitates corporis,& immatura quorundam mors : partim atrociora quædam mala,& reatus contempti sacramenti, & æterna damnatio. Quod nobis eò facit,vt intelligamus non solùm peccatum esse palam contemnere sacramenta : sed iisdem abuti quoque iram Domini,& pœnas tam corporales,quàm æternas prouocare. Quid ex Sacramentorum abusu sit hominibus metuendum.

Propositio est.Sacramentis Domini abuti pœnis non caret. Ad pœnas pertinet,quia reos facit,quia ad damnationem,quia causa est morborum,calamitatum,adeoq; mortis corporalis.Has pœnas vt possimus effugere,subindicat,probatione nostri,quam dum omittimus, Deus succedit,& supplet : pœnas tamen attemperat,vt aliter pios,aliter impios affligat.Illis est castigatio paterna:his verò præludium cõdemnationis æternæ.Demum annectit breuem epilogum,quo de suo aduentu illis spem facit,& in illud tempus alia quædam negotia,vt apparet non magni momenti,reiicit.De his in præsentia,&c.

27. *Itaque quisquis ederit.*

Connectit superioribus sequentia per illationem,quæ vim habent argumenti.In Cœna Domini fit celebratio mortis Domini. Ergo illa abutentes meritò puniuntur diuinitus. Hoc Apostolus dixit, Quisquis ederit,& biberit indignè.Duo hic occurrunt.Quid sit ἀναξίως edere,& bibere.Deinde quid sit fieri ἔνοχον corporis & sanguinis.Indignè primùm accedunt palam impij,qui contemnunt.Deinde qui modum pręscriptum non seruant. Tertiò etiam illi,qui non satis grauiter de illa iudicant, vt hodie qui illam ab aliis conuiuiis nihil differre autumãt.Quartò indigni etiam sunt pij sua natura. Nemo enim tam sanctus est,qui non laboret aliqua imperfectione. Ac si naturæ dignitas consideretur,fatendum est nobis omnibus nos indignos esse. Verùm hoc non hic voluit Aposto- Quid sit indignè edere & bibere.

lus,sed indignos dicit,qui modum à Christo præscriptum non seruant, & qui satis grauiter de illa etiam non sentiunt. Reus verò dicitur sanguinis & corporis Domini, hoc est, dignus qui puniatur, vt læsæ maiestatis crimine damnatus. Nam contemptus symbolorum ad res ipsas pertingit, vt qui insignia magistratus conspurcat,aut principis statuam ignominia afficit,non picturam,ligna aut lapides læsisse,sed magistratum,& principem dicitur,ideoque reus peragitur.

Vers.28. Ἀνθυποφορὰ est, nam respondet tacitæ obiectioni, dicere poterant, Graue est quod dicis, & cupimus omnino illos scopulos vitare, ne peragamur rei corporis & sanguinis Domini. Respondet Apostolus, paratus est modus euitandi hoc malum. Probate vosq; ipsos diligenter,& nihil erit periculi.

Nostri probationem esse necessariam.

Primùm disce probationem nostri non alterius requiri.Difficilis quidem illa est,attamen necessaria,ideo manticã à tergo iussit ille explorare.Deinde tota illa probatio consistit in pensiculanda,& fide & vita:fides dogmatum est,vita morum,& pœnitentię,&c.

Vers.29.αἴτιον est cur probatio sit necessaria,quia nisi probemus nos,iudicium hic sumetur,éstque hoc alterum argumentum pœnarum. Primùm erat,quia ἔνοχοι redduntur. Nunc alterum addit, quia κρῖμα hic sumitur. Ac declarat hoc posterius prius illud quadam ἐκθέσει.Κρῖμα enim est supplicium reis illatum ob facinus,éstque vel æternum,quod palam impiis infligitur & contemptoribus:vel temporale,vt qui dissolutè agunt in Cœna Domini.Sic boni etiam incurrunt iudicium.Itaque nemo hic erit immunis à pœna si abutatur his mysteriis. Addita est causa efficiens. Quia non diiudicat corpus Domini, hoc est,non satis grauiter,non rectè, non bene sentit de hoc negotio,non discernit Sacramentalia symbola ab alio pane & vino,&c.

Vers.30. Tertio loco ab effectis ostendit non carere pœna siquis abutatur Sacramẽtis Domini.Sumitur aũt ab euidentib.effectis, quæ Corinthij reipsa experiebantur,ideoq; non poterant negare. Est hic quædam enumeratio obseruanda. Multi sunt ἀσθενεῖς,hoc est,infirmi,de quibus tamen spes est conualescentiæ. Alij ἄρρωστοι,sic debiles vt deplorata sit illorum valetudo. Tertiò denique multi κοιμῶνται, hoc est,planè efflarunt animam. Sic quidem clara esset gradatio:attamen video Græcos ἀσθενῆ & ἄρρωστον in eadem significatione sumere.Non tamen possum adduci,quin Apostolus hic differenter tria ista posuerit.Auget enim metum ipsa commemoratione,& cum sermone crescit malum.

31. *Si enim nosipsos.*

Αἴτιον est,cur pœnæ illæ subsequantur: quia,inquit,omnino omne peccatum puniendum est, quisquis tandem committat. Si nos in nosmetipsos animaduerteremus, Deus non id faceret, at quia nobis indulgemus, & non ea grauitate nostra punimus in nobis vitia,qua oportuit:ideo Deus cogitur ad pœnas insurgere: alioquin peccatum maneret impunitum,quod prorsus fieri non debet.Diiudicare nos à nobis intelligo,vt prius nosipsos probari à nobis:Hinc efficeretur illud,vt à Dei censura essemus liberiores.

32. *Iudicari autem à Domino.*

Ad consolationem addit hoc membrum,vt intelligerent Corinthij Deum bono fine in suis peccata punire.Itaque pœna in electis est παίδευσις,hoc est,paterna castigatio,& emendatio,vt dici solet,παθήματα μαθήματα.Sic in Apostolis,in martyribus,aliisque electis semper reliquiæ peccati emendatæ sunt. In aliis autem pœna est κρῖμα,seu κατάκριμα,hoc est,iræ & seueritatis argumentum,damnantur enim vt pœna illis non ad emendationem faciat. Addita est ratio à fine,ne cum mundo condemnemur. Mundus hic est colluuies malorum & impiorum hominum, quorum conuersatio piis etiam nocens est: ideo Dominus cum impiis hic bonos sæpe affligit, vt hic dent pœnas, & post hanc vitam liberentur impiorum consortio,&c.

Pœnam in electis esse paternam castigationem.

Vers.33. Epilogus est, repetens principale præceptum in Cœna Domini seruandum, quo illi in primis peccabant.Illud est,vt se mutuò expectarent,hoc est,Cœnam Domini non in priuatam conuerterent,sed vt nomine,sic re quoque communem retinerent.Expectare se mutuò iubet,quia priùs dixit ꝙ singuli propriam occuparent Cœnam. Deinde mox obiectioni respondet.Vbi ergo ad saturitatem edemus?Respõdet domi,in ędib. priuatis.Ideo in Cœna publica sobrios esse oportet &frugales.Ratio est,ne in iudicium conueniatis, hoc est, condemnationem: vel iudicium Diaboli, vt is vos cribret,& tanquam sua membra reposcat iure: vel etiam in iudicium infidelium,qui de cœtib.vestris hac occasione male loquerentur,si talia à vobis cõmitti viderint.Demum epilogus concluditur ἐποχήσει,promittit enim suum aduentum:deinde quarundam rerum dispositionem. Abrumpit argumentum,& scribendi vberiorem occasionem præscindit. Ac credibile est,illa τὰ λοιπὰ non fuisse magni momenti,sed de rebus mediis,ritibus,& ceremoniis Ecclesiarum,quę dilationem facilè admittebant.Nam de necessariis ad salutem alia

est ratio

est ratio. In his enim Apostolus nihil intermisit, sed per occasionem singula persecutus est, vt homo Dei perfectus & absolutus redderetur ad omne opus bonu. Ac de traditionib. libenter locu accipimus, sed illa omnia disposuit pro ratione personaru & temporu, vt ne sic omnes vbiq; pari iugo grauarit. Quę tamē illa sint certò exprimi nō potest, &c.

CAPVT XII.

QVintus locus sequitur, in quo corrigit Corinthiorum sinistrum iudicium de donis spiritualibus. Cùm enim diuersis donis hanc Ecclesiam ornasset Deus, illa trahebant in occasionem & materiam contentionum. Qui ampliora accepisset reliquos contemnebat, & qui nullis pollebant donis, superioribus inuidebant. Hoc malum quantum absit, & repugnet donis spiritualibus non perpendebant, adeò vt Apostolica seueritate, & censura opus fuerit. Arg.

Sententia Apostoli est, pij propter dona spiritualia non debent, aliis cōtemptis, de se superbius sentire: sed his potiùs ad concordiam & communem Ecclesiæ vtilitatem vti. Propositio

Perdurat in hac tractatione tribus continuis capitibus. Hoc 12. vti dictum est, deprimit supercilium arrogantię ex diuersitate donorum ortum. Sequenti 13. docet, quo condimento sint dona illa temperanda, scilicet fraterna dilectione, quæ si in his dominetur, facile deposituros omne supercilium: illa verò absente, nihil prodesse etiam speciosissima dona. Decimoquarto verò capite collationem quandam instituit Apostolus, ac propheticum donum reliquis non dubitat præferre, quod etiam multis commendat, ipsosque Corinthios ad piam quandam æmulationem conatur incitare.

Cæterum hoc capite hic obseruatur ordo. Initio proponit quæstionem in genere, eique annectit breuem admonitionem valde necessariam ad donorum spiritualium pensitationem. Deinde diuersitatem donorum percurrit, quam tamen ad vnam, & eandem causam efficientem reuocat. Tertiò vsum donorum illustrat, idoneo admodum exemplo quod petitur à membris humani corporis, quæ summam vnionem, & consensum in diuersis donis nobis proponunt. Denique præcipuas partes Ecclesiastici muneris enumerat, ac ad perfectam quandam, piámque contentionem illos cohortatur. Partes.

Nos hanc distributionem sequemur, sed ex singulis proferemus argumenta ad ipsam propositionem confirmandam, scilicet de donis non esse arrogantiùs sentiendum.

1. *Porrò de spiritualibus.*

Transitio ad nouam quæstionem. Septimo capite dixerat περὶ δὲ ὧν, mox capite octauo περὶ δὲ εἰδωλοθύτων. Simili phrasi hic vtitur, περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, significans nouam quæstionem se ingredi, ad quam illis velit respondere. Quæstio generalis est de donis spiritualibus. Vnde verò orta sit facilè ex circunstantiis perspici potest, quia enim illos dehortatur à contentione, & contemptu, satis liquet illos donis his fuisse abusos, vt ex his magis sumerent materiam ostentationis cuiusdam, quàm ædificationis publicæ. Ex quo docemur, nullos adeò esse perfectos in hac vita, quin semper aliqui nęui concurrant, adeò vt in excellentibus donis semper appareant singularia quædam vitia. Quod eò diligentiùs perpendi debet, quia vitia illa interdum plus obsunt, quàm dona per se illustria possint prodesse, faciliùs enim est destruere, quàm ædificare. Deinde obseruetur ingenium Spiritus sancti, qui perspicuitatis etiam est studiosus: proponit enim Apostolus nouam quæstionem, quod ad docilitatem pertinet, mox beneuolentiæ quandam addit significationem, fratres enim vocat quos mox est correcturus. Fratris appellatio suauis erat in primis Ecclesiis: admonebat enim eos concordiæ & pacis, erántque Christiani re & nomine fratres. Id totum hodie euanuit, vt superstitiosum multis sit fratrem dici. Nos hinc depromamus primùm argumētum instituti Apostoli, pij, fratres inter se sunt. Igitur non decet eos propter dona spiritualia contendere: multò minùs se mutuò contemnere. Vim habet a natura veræ fraternitatis. Etiam perfectiorib. suos esse næuos.

Nolo vos ignorare. Admonitionem addit quæ admodum est idonea ad tollendam arrogantiam: nam reuocat in memoriam veterem conditionem, quales, scilicet olim fuerint, antequam Christum agnoscerent. Vnde patebit quàm impudenter faciant nunc superbientes in donis spiritualibus, quę nullo suo merito acceperunt, sed nuda Dei gratia. Admonitio videtur quatuor complecti, quorum tria ad naturam & conditionem Corinthiorum pertinebant: quartum verò ad dona de quibus contendebant. Si enim suam veterem conditionem repetant, fuerunt gentes, quod luce clarius erat. Dicebātur ἔθνη, omnes qui à veri Dei cognitione erant alieni, adeoque sine Deo in mundo viuerent, de quib. ad Rom. 1. Ac dici videntur ἀπὸ τοῦ ἔθους, quia singulis nationib. sui erāt peculiares mores in rebus ciuilibus, & ipsa religione quib. discriminarentur ab aliis. Hæc conditio calamitosa fuit: in tenebris enim oberrabāt, & à via salutis procul remoti. Deinde fuerunt etiam idololatræ, ad multa idola ibant. Obiter depingitur idolorū natura, dam- Vox ἔθνος vnde.

naturque cultus illorum. Idola.n.dicuntur, quæ quum numen nullum habeant diiq; non sint, pro Deo tamen coluntur, numénq; illis falsò tribuitur. Imagines idola sunt si colantur, & honor illis diuinus deferatur, quia Dei possessionem inuadunt. Natura autem illorũ manifesta est, quia sunt ἄφωνα, muta, h.e. quæ nec audiunt inuocãtes, nec respõdent. Quæ.n.muta sunt, simul etiam surda sunt. Vna voce dãnatur totus cultus idololatricus.

Idololatriæ ingenium.

Tertiò non simpliciter illis inseruiebant, sed magna quadã insania: illa.n.sequebantur quodam furore, quod Græcè emphaticè dixit, ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, quod Latinè dicas, quasi abrepti ducebamini. Furiosos suos facit cultores Satan, quod in sacerdotib. suis in primis apparet: non.n.sedato animo vaticinabantur, sed furore percitæ. Tales Bacchæ erant Dionysij, & in Bacchanalib. & Saturnalib. furore quodam imbuti discursabant. Id Apostolus dixit Corinthiis etiam prius vsu venisse, q.d. nihil sobriè, nihil moderatum & sedatum erat in cultu isto idolorum, sed furor quidam improbus, & mera insania. Ex his malis iam Dei beneficio translati estis in statum meliorem, in quo pietas sedatis animis & docetur, & discitur, eadémque confirmatur donis minimè dubiis.

Ex his iam definiamus alterum argumẽtum, q̃ non debebãt in donis superbire: seséq; mutuò contemnere. Ad illa dona sine vestro merito peruenistis: sed nuda Dei & gratuita beneuolentia. Ergo vestrum non est in his superbire, & ad ostentationem his vti, hoc enim abuti est, & minimè grati animi argumentum. Vim habet à vitę prioris cõditione.

3. *Quare notum vobis facio.*

Vltimum membrum admonitionis, quod ad dona ipsa pertinet. Videbantur ignorare præcipuum donum, solumq; admirabantur miraculosa dona cùm illa ad salutem parum faciant. Pręcipuum autem donum est agnoscere Christum. Hoc cõmune est omnib. fidelibus: ideo, vt fit, vilius de ipso sentiebãt. Id igitur suggerit. Ac vtitur suaui antithesi per distributionem. Alij Christum dicunt Anathema: alij verò Dominum. Illi non Dei spiritu, sed Satanæ ducuntur. Hi autem solo spiritu sancto. Est igitur donum spiritus sancti. Anathema hic significat rem fœdam, abominandã, indignam quæ colatur. Ei opponitur Dominum esse, h.e. vt superiorem colere & adorare. Itaq; λέγειν & εἰπεῖν hìc accipio pro πιστεύειν, credere & sentire, h.e. constanti cõfessione, & tota doctrina Christum profiteri Dominum, id demum donum Spiritus sancti est illustre. Et contrà Christum constanter & tota doctrina damnare, id demum summa est impietas, & Satanici spiritus argumentum. Inter dona igitur primarium est, Christum constanter profiteri Dominum. Dona autem quantò communiora inter pios tantò meliora: sed Christum profiteri constanter omnium piorum est. Igitur hoc donum præstantissimum haberi à vobis debebat, quod non fit. Sit hoc tertium argumentum. Si superbiendum in donis spiritualibus, debet id fieri in præcipuis. At hoc præcipuum est, quod omnibus vobis est commune. Igitur in eo vos ostentate, ita fiet vt propter reliqua dona nullus alium contemnat.

Anathema quid hic significet.

4. *Diuisiones autem donorum sunt, sed idem spiritus.*

Secundo iam loco pergit cõmemorare donorum diuersitatem, quam Corinthij etiam obseruabant, & ob quam alij alios contemnebant, aut æmulabantur. Reducit autem omnem diuersitatem ad vnam & eandem causam efficientem. Ita nulla est causa cur illi inter se ob dona litigent. Cohærent autem superiorib. per ὑποφορὰν. Corinthij dicunt: At sunt discrimina donorũ, cur ergo singuli in suo dono non exultabunt? Respondet Apostolus, Sed idem est spiritus, h.e. eadem est causa conferens, idem est author. Non ergo superbiendum est in donorum diuersitate. χάρισμα generale est complectens omnia quæ à Deo habemus gratuitò. Nomen inde obtinuit à gratuita beneuolentia, qua nihil tale merentibus nobis Deus confert sua dona. Διαίρεσις autem χαρισμάτων est distributio, qua pro sua voluntate libera singulis confert quæ & quanta vult. Ideo illa διαίρεσις non fluit à dissidente principio, aut causis efficientibus quæ pugnent, quemadmodum fit in sectis & schismatibus. διαίρεσις dissidentia habet principia, ideo ad discordiam facit: hìc alia est ratio, diuisio solùm distributionem diuersorum donorum significat, ideo causa efficiens vna est. Vniti igitur debent esse effectus, & ad bonum finem applicari.

Omnium donorum eundẽ esse authorem.

Quartum hinc petatur argumentum. Donorum diuersitas ab eadem causa promanat, eáque bona & concordi: ideo in ipsis bonis non est dissidendum.

5. *Diuisiones ministeriorum.*

Per species persequitur dona. Ac primò recenset διακονίαν, quæ est facultas commodè aliis inseruiendi, quò pertinent ministeria Ecclesiastica, mensæ inseruire, pauperibus & peregrinis. Sic politica sunt multa ministeria, quædã & seruilia. Sed Apostolus inter dona recenset, ideo cõtemni non debent. Nam idem est Dominus, s. author & collator ministeriorum. Hinc fluit magna consolatio seruis, & iis, qui aliis ministrant, vocationem suam non esse minùs diuinam, ac aliorum sit, qui in summis versantur honoribus.

Quintum

Quintum hinc petatur argumentum. Διακονία etiam est donum Dei, promanans ab eodem Domino, à quo habentur summa alia dona. Igitur non contemni debet.

6. *Et diuisiones operationum.*

Alia est donorum species. Ἐνέργημα, hoc est, miraculosa quædam potentia agendi, vt quòd Petrus Ananiam & Sapphiram verbo solum occidit. Paulus Elymam magum cæcitate percutit, alios tradit Satanæ, &c. Sed & huius tam excellentis doni non alius est author quàm διακονίας, hoc est, ipse Deus qui operatur omnia in omnibus. Ergo in inferioribus donis quoque operatur, & ob id in his agnosci debet. Obseruetur in his tribus versibus trinitatis argumentum. Tria enim ponit distincta, Spiritum, Dominum, & Deum. Quę alij aliter quidem interpretati sunt, ego tamen libenter pro trinitatis distinctis personis accipio. Ac enumeratio à posterioribus incipit. Spiritus sanctus tertio loco exprimi solet, à quo hîc incipit. Dominus autem filius Dei est Iesus Christus, hoc enim epitheton illi scriptura frequenter tribuit. Deus autem, Deus pater qui operatur omnia in omnibus vnà cum Filio & spiritu sancto. Sextum illud est argumentum, Deus in omnibus donis suis operatur. Ergo in his non est superbiendum.

Act. 5.

Trinitatis argumētū.

7. *Cuique verò datur.*

Septimum argumentum à causa finali. Dona illa omnia dantur πρὸς τὸ συμφέρον. Igitur in his non est superbiendum. Φανέρωσις spiritus hîc dicitur manifesta declaratio doni collati: nam donum vbi in homine est, illud minimè latet, sed mox sese patefacit certis indiciis. Hæc est φανέρωσις, ac datur certo fine, qui est τὸ συμφέρον, hoc est, vtilitas Ecclesiæ, & gloria nominis diuini. Ista enim complectitur vtilitas, si prosit gloriæ Dei, si faciat ad ædificationem. Denique si promoueat salutem nostram priuatam.

8. *Nam huic quidem datur per spiritum sermo sapientiæ.*

Confirmatio quòd in donis enumeratis sit idem spiritus, hoc est, ab eodem authore profluant. Recēset autem enumeratione quadā alia quædam dona, qualia sunt λόγος σοφίας, h.e. ipsa sapientia. Sic enim Hebręi loqui solent. Verbum veritatis pro ipsa veritate. Sapientia autem hic practica intelligatur in rebus agēdis. Cui opponitur γνῶσις, virtus cōtemplationis in intelligendis & diiudicandis rebus. Non autem paria dona sunt intellectu pollere & rebus agendis posse sua consilia accommodare. Multi sapienter de rebus disserunt: sed in agendo pueri sunt: vnus tamen est spiritus qui vtrunque largitur.

Tertiò sequitur πίστις, fides quam de miraculosa intelligo: ac quia varia sunt dona miraculorum, ideo per species fidem miraculosam distinguit, quale est donum sanationum, qualia multa ediderunt Apostoli Act. 3. Petrus ad speciosam portam claudum sanat, idem præstitit Paulus, & alij alibi, quæ non aliò, quàm ad fidem miraculosam pertinent. Deinde eiusdem species est ἐνέργημα δυνάμεων. Quod intelligo de vi coërcendi malos, vt quòd Paulus Simonem cæcitate percussit, Petrus Ananiam & Sapphiram occidit, & similia, quibus vim Spiritus sancti declararunt, gubernantis & defendentis Ecclesiam dum caret politico magistratu.

De fide miraculosa.

Quartò sequitur prophetia, hoc est, facultas futura prædicendi, quale donum habuit Agabus Actor. cap. 11. & filiæ Philippi Act. 21. Quintò διακρίσεις πνευμάτων, hoc est, facultas diiudicandi spiritus: reperias enim quosdam, qui errores & sectas facilè subolfaciunt: alios contrà qui non perinde facilè agnoscunt fucos, vt Act. 8. Philippus fert Simonem illum nec fucum animaduertit, at Petrus mox illum deprehendit hypocritam. Ita Petro data fuit illa διάκρισις πνευμάτων, fortè non perinde Philippo. De discernendis spiritibus alias diximus.

Spirituum diiudicatio.

Sextò sequitur gratia linguarum, hoc est, facultas loquendi diuersis linguis, quod donum Apostolis fuit concessum, vt diuersarum nationum linguis loqui possent, quibus Euangelium erat prædicandum, cùm interim linguas illas non didicissent. Septimò donum est interpretatio linguarum, quę est facultas alios docendi linguas. Nam prius donum pertinet ad doctores doctrinæ, quibus erat necessaria facultas diuersarum linguarum. At hoc donum pertinet ad professores linguarum. Quale est hodie scholasticum munus docendi diuersas linguas. Et sanè distincta etiam hodie dona sunt: alius feliciter docet populum, non perinde iuuentutem in schola posset erudire. Alius contrà in scholis felicissimè docet linguas, qui in suggestu populi mutus esset.

Vers. 11. Colligit igitur omnem diuersitatem donorum ad vnam & eandem causam efficientem. Vnde efficitur non esse in his donis superbiendum. Subest autem hîc nouum argumentum. Cùm enim dicit: *Qui distribuit priuatim singulis vt ipse vult*, significat his verbis Deum non solùm authorem omnium donorum: sed sua etiam libera voluntate distribuere, sine interuentu operum, ac meritorum nostrorum.

Sensus autem est: Spiritus vt vult distribuit: non. n. admitti debet Origenis explicatio,

Origenis interpretatio repudiatur.

qui particulam καθ' ὡς βούλεται retulit ad hominem, vt eſſet ſenſus, Deus quidem dat nobis ſua iſta dona: ſed dat prout nos orauerimus. Ardenter oranti ampliora dat ſegniter flagitanti, nihil, aut modicum donum. Illa quidem ſuo loco rectè dicerentur, ſed in præſenti cauſa mala eſt interpretatio. Nam hic nihil concluderet Apoſtolus ſuo argumento, imò confirmaretur potiùs ſupercilium Corinthiorũ, quaſi ſua opera ſinguli ſibi fortunarent ſua dona, vt dici ſolet, quiſque ſuæ fortunæ faber eſt. Quæ hic inſtituto Apoſtoli minimè congruunt. Itaque is eſt ſenſus quem dixi. Deus, vel ſpiritus Dei is dat vt ipſe ſpiritus vult. Nam ſic probè ſequitur, Deus vt vult ſingulis veſtrum ſua dona diſtribuit, non autem veſtro arbitrio illa poſſidetis. Ergo in his non eſt ſuperbiendum, ſed metuendus Dominus qui dedit, & ſubmiſsè in his ambulandum, ne ab ingratis ſua repetat Deus, &c. Argumentum hoc octauum eſt ad inſtitutum Apoſtoli.

12. *Vt enim corpus vnum eſt, & membra habet multa.*

A corporis humani exemplo nõ eſſe in donis ſuperbiendum.

Tertio iam loco ab exemplo corporis humani oſtendit, in donis non eſſe ſuperbiendum, ſed ad vtilitatem communem & cõcordiam publicã eſſe conferenda. Locus prolixè tractatur: nam varias inde conficit rationes, & ſuauis eſt ratio quæ etiam Ethnicis fuit familiaris. Hoc. n. argumẽto vtitur Menenius Agrippa apud Liuiu lib. 2. dec. 1. concilians plebem patribus. Apoſtolus hîc geminam reſpicit argumentationem. Priore ſatisfacit inferioribus, qui maiores ſe traducebant propter dona, illiſq; inuidebant. Hos docet ne ſuperiorib. inuideãt, ſeq; ab illis ſeparẽt. Poſteriore ſatisfacit ſuperioribus, ne illi cõtemnant inferiores: ſolet. n. in Eccleſia omnis diſſenſio hinc ferè naſci, quod inferiores putãt ſe cõtemni, & ſuperiores inuidiæ ſint expoſiti propter ſua dona: id alienum eſt à corpore humano in quo multitudo membrorũ nõ tollit vnitatem corporis, vt vnitas non impedit pluralitatem membrorum. Argumentum tale eſt, Membra vnius corporis non debent diſſidere: ſed vnitatem corporis cõſeruare, quemadmodũ vnitas corporis conſeruat mẽbra diuerſa. At vos eſtis mẽbra Chriſti vnius corporis. Ergo vnitatem cõſeruare debetis. Maior vera eſt in exẽplo propoſito de corpore humano quod vnum eſt, quanquam multis conſtet membris. Vnitas non tollit multitudinem membrorum, & illorum multitudo non impedit vnitatem corporis. Huic ſimile quiddam in corpore Eccleſiæ reſpiciendum eſt, hinc ait Apoſtolus ita & Chriſtus, hoc eſt, à comparatis valet argumentum. Quemadmodum illic ſe habet ratio: ita hîc valere debet.

13. *Nam in vno ſpiritu nos omnes, in vnum corpus baptizati ſumus.*

Fideles in vnum corpus eſſe baptizatos.

Confirmatio minoris, quòd ſcilicet ſumus membra vnius corporis. Gemina autem eſt ratio. Prior à natura baptiſmi ita. In baptiſmo per vnum ſpiritum in vnum corpus nos omnes quotquot ſumus baptizamur. Ergo vnius corporis ſumus membra. Baptiſmus enim profeſſio eſt regenerationis in Chriſto, & teſſera vnionis. Primùm exprimitur cauſa efficiens in baptiſmo vel regenerans Spiritus ſanctus qui vnus eſt, & tam diſcrepantes vnit ſua vnione. Deinde finis additur in vnum corpus, hoc eſt, vt ſimus vnũ corpus, Eccleſiaſticum ſcilicet. Omne autem generans ſibi ſimile generat. Fieri igitur non poteſt quin vniti ſint, qui per ſpiritum ſanctum regenerantur. Huic additur ἔκθεσις à diuiſione quæ parit argumentum nouum, ab effectis, Iudæi & Græci hîc vniuntur, liberi, & ſerui, quæ ſumma fuit diſcrepantia, nec tamen impediunt hanc vnionem Spiritus ſancti. Ergo vnitos iam diuerſitas donorum non debet iterum ſeiungere. Vniti ſumus in baptiſmo. Ergo hanc vnionem tueri debemus in vſu etiam donorum. Oportet ergo concordes eſſe & ad publicum bonum accommodare diuerſa illa dona.

Fideles in Cœna Domini etiã vniri.

Et omnes in vnum ſpiritum. Altera cõfirmatio à natura Cœna Domini. Libẽter vtitur Apoſtolus argumẽtis à religione ſacramentorũ ductis: Ita ſuprà cap. 10. nõ poteſtis, &c. ita hîc concordiã & pacem ſuadet à natura Baptiſmi & Cœna Domini. Vnit nos etiam Cœna Domini non minùs quàm Baptiſmus, hîc regenerando, illa alendo, q. d. natiuitas Chriſtiana nos vnitos edit in lucem: ſic alimentum quoq; nos vnit. Vnus enim eſt ſpiritus in quem cibamur, & potamur, hoc eſt, omnibus idem datur alimentum, hîc loquens de electis. Meminit autem ſpiritus ſolùm, quia per illum habemus cibũ, & potum verum in Chriſto, ſecũdum dictum Chriſti: Spiritus eſt qui viuificat, caro nihil prodeſt.

14. *Nam corpus non eſt vnum membrum, ſed multa.*

Redit ad exemplum propoſitũ de corpore humano, quod nõ poteſt eſſe tãtùm vnum membrum, h. e. reſpectu membrorum fieri nõ poteſt, vt ſit vel dicatur vnum: ſed vnum dicitur totius ratione. Membrorum ratione varium & multiplex eſt: Sic Eccleſia Chriſti vna cogitari debet totius ratione. Quod verò membra attinet varia eſt. Argumentum eſt ab impoſſibili. Corpus vno membro ſolùm perfici impoſſibile eſt. Ergo ne Eccleſia Chriſti ex vno conſtare poteſt membro, ſed neceſſaria eſt multitudo.

Vna Chriſti Eccleſia

15. *Si dicat pes, quia non ſum manus, ideo non ſum de corpore.*

Obiect

Obiectionibus & querelis inferiorum respondet. Trãsfert autem sermonem illorum in membra corporis humani dissidentia. Nam sic oratio validiùs vrget, & minus offendit auditorẽ. Suauis est fictio personæ, sed in illa ostendit malá esse consequentiam: non enim sequitur quod volũt. In Ecclesia si dicat scholasticus non sum minister, ergo non sum mẽbrũ Ecclesiæ: & minister dicat nõ sum Consul, ergo non sum Ecclesiæ mẽbrum, aperta esset insania. οὐ παρὰ τοῦτο: nõ vera affertur causa, nec effectus ille ad hanc sequitur. Tales sunt querelæ inferiorũ in Ecclesia, quę peccant cõsequẽtia mala. Itaq; singuli in sua statione manere debent, & dona sua applicare ad publicam pacem, & vtilitatem.

17. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus.*

Alia ratio ex proposito exemplo: sensus est, vnitas mẽbrorum perderet reliqua membra: non enim potest corpus sola auris esse, vel oculus, manus, pes, &c. Monstrosum esset & quiduis aliud, quàm corpus hominis. Ergo seruanda est etiam in Ecclesia Christi inęqualitas donorum pacificè. Corpus nõ posse esse vnum mẽbrum.

18. *Nunc autem Deus.*

Aliud argumẽtum ab authore Deo, qui sapientissimè & optimè hanc inæqualitatem membrorum induxit in corpus humanum: ita quoque sapientissimè in corpore Ecclesiastico donorum inæqualitatem posuit. Posuit autem singula. Ergo minimum digitum sic fecit Deus, & hoc loco posuit, hoc est, minima dona etiam dedit, & eis hunc gradum assignauit. Deinde sic voluit. Ergo nostrum non est, vel ordinem diuinitus institutum mutare, vel voluntatem Dei corrigere, ferenda igitur est inæqualitas.

19. *Quod si omnia essent vnum membrum, vbi corpus?*

Vltimum argumentum cuius sensus est, Vnitas illa destrueret corpus. Ergo sapienter inducta non est. Dicitur autem corpus habere suas partes inæquales, sine quibus perfectum esse non potest.

20. *Nunc verò multa quidem membra sunt. Vnum autem corpus.*

Conclusio prioris membri, qua inferioribus respondit, qui nimis imprudenter æqualitatem requirebant in Ecclesia Christi. Reuocauit autem eos ad pacem & cõcordiam seruandam in ipsa donorum inæqualitate. Argumenta septẽ fuerunt. Primum ab exem- 1.
plo corporis & membrorum, quæ consensum seruant in impari dignitate. Alterũ à reli- 2.
gione baptismi. Tertium à natura Cœnæ. Quartũ ab impossibilibus vers. 4. Quintũ quia 3.
ęqualitas illa tolleret reliqua mẽbra. Sextũ à Dei prouidentia, & ordinaria volũtate. Se- 4.
ptimum, quòd destrueretur etiam ipsum corpus hac præpostera æqualitate, & vnione. 5.

21. *Non potest autem oculus dicere.* 6.

Altera iam sequitur argumentatio contra superiores instituta, qui inferiores facilè 7.
solebant contẽnere ob donorũ exilitatẽ. Manet autẽ in proposita similitudine corporis humani, & nouam fictionẽ personæ affert, tribuítq; membris eum sermonem qui arrogantibus Corinthiis competebat, ob dona sua satis inflatis. Summa argumenti est, Inferiora membra summè sunt necessaria, adeò vt superiora horum opera non possint carere. Ergo non debent contemni. Necessitas igitur æquat quos dignitas distinguit. Contra superiores.

23. *Et quæ putamus.*

Alterum argumentum. Inferiora membra solemus diligẽtiùs vestire, & ornare. Ergo inferiores fratres debemus diligentius curare & non contemnere, vt fiat compensatio.

24. *Deus simul temperauit corpus.*

Tertium argumentum à Dei ordinatione. Compensatio à Deo est inducta. Ergo studiosè seruanda est in Ecclesia, vt Deus illam seruat in corpore hominis.

25. *Ne sit dissidium.*

Quartũ arg. Nisi fiat compensatio, & cura mutua sese conseruent, perditur totũ corpus. Ergo etiam Ecclesia stare non potest nisi inferiores curentur probè à superioribus.

26. *Itaque si patitur.*

Quintum argumentum à sympathia naturali, quæ tanta est inter membra, vt summa cum infimis condoleant & lętentur. Hęc diuina quædam est συμπάθεια, & adeò arcta, vt nihil hanc soluat nisi ipsa mors. Eadem συμπάθεια debet esse inter renatos, vt doleant simul electi, gaudeant simul: summa, secunda & aduersa communia habeant. Sed mirum est quàm frigidè tractetur inter Christianos hodie.

27. *Vos autem estis corpus Christi.*

Quartum membrum huius capitis in quo dona spiritualia iterum recẽset secundum ordinem, quo singula aliis præferri debent: in quo Corinthij errabant, qui dona quidem omnia agnoscebant, sed in his principem locum dabant linguarum facultati tanquam excellentissimo dono. Contrà docet Apostolus vltimum eidem locum assignando in enumeratione. summa est, In Ecclesia donorum diuersitatem esse vtilem, ideóque Dono linguarum vltimum à Paulo locum assignari.

ad totius corporis Ecclesiastici conseruationem esse vbiq; adhibendam. Ephes. 4. 12. Res hoc ordine explicatur. Initio assumit totius argumenti propositionem minorem. Nam totum argumentum tale est. Membra vnius corporis non debent dissentire propter diuersa dona, sed summum alere consensum ad totius corporis conseruationem. Vos autem estis membra, imò corpus Christi. Ergo, &c. Deinde propositionem explicat partitione: enumerat enim dona per quę probamur Christi membra esse. Tertiò addit doctrinam necessariam. Non esse ab omnibus vnum & idem donum in Ecclesia requirẽdum, sed diuersitatem esse admodum conducibilem. Quartò additum facit ad sequentia, significans dilectione mutua eos magis exercendos esse quàm donorum ostentatione.

27. *Vos autem estis corpus.*

Quo sensu sancti dicantur & vnum corpus & diuersa mẽbra.

Assumptio est minoris. Duo autem hîc tribuit sanctis, quòd sint corpus, & quòd sint membra. Non pugnant inter se: corpus. n. sunt omnes coniunctim intellecti: quemadmodum omnes partes integrales corpus Christi. Singuli verò per se membra sunt, ita Paulus membrum est, sed idem cum omnibus electis corpus est, Corpus sunt mysticum, seu Ecclesiasticum. Habet Christus aliud etiam corpus, quod sumpsit ex Maria virgine, carnem de carne nostra, & ossa de ossibus nostris. Non ita Ecclesia corpus est. Illud physicum est, & humanum, hæc Ecclesiasticum. Ab vtroque differt sacramẽtale corpus. Nam & panis corpus Christi dicitur, sacramentale, sc. & symbolicum. Porrò vtilis est doctrina in ea compellatione, quòd Ecclesia dicitur corpus Christi. Nam ostendit Christum illius esse caput cohærens ex quo Spiritus deriuatur idem, qui est in capite in membra quæ regit, & gubernat ad arbitrium capitis, tuetur etiã illa, & procurat vtilitatẽ membrorum, auertit omne malum, quæ omnia caput pro membris subit, sapit pro illis, intelligit, ratiocinatur pro eis, &c. Eadem appellatio habetur Eph. 1. & 4. Col. 1. & 2. 3. & alibi.

Secundo loco tribuit sanctis, quòd sint membra Christi, id ex parte, hoc est, singuli suo modulo, & pro donorum diuersitate. Implent tamen singuli & infimi suum locum & stationem in illo corpore. Et præter Corinthios erant adhuc infiniti fideles qui stationem suam etiam complebant in corporis istius compage. Admonemur in his terris nostra omnia esse particularia *es ist alles stuck vverck*, nihil integrum præstamus. Hæc imperfectio necessariò est agnoscenda.

28. *Et alios quidem posuit Deus.*

Donorum varietatẽ Dei consilio in Ecclesia extare.

Secundum mẽbrum huius loci, in quo ordines ministerij Ecclesiastici enumerantur. Sensus est, singulari Dei consilio varietatem donorum in Ecclesia extare. Ex quo efficitur nostrum non esse, huic sese opponere, aut malitiosè sese efferre in dono aliquo, reliquis contemptis. Primùm enim Deus ita constituit, quo nihil sapientius. Scriptura nos libenter reuocat ad primam causam, nec fallit ista resolutio. Suprema causa sapientissima, ipse scilicet Deus huius diuersitatis author est. Quid ergo tu illam calumniaris, aut cur te effers? Deinde non sine certo cõsilio hoc fecit: sed ἔθετο, hoc est, certo fine ita instituit. sapiens est. Igitur sapienter omnia fecit nec quicquam frustra. Deus. n. & natura nihil frustra, seu temerè agunt. Ideo ne hæc quidem diuersitas sine ratione est inducta.

Tertiò quia in Ecclesia hos gradus posuit, h. e. suis electis solùm data est illa gratia, reliquis qui foris sunt nihil tale contingit. Habet ergo Ecclesia de quo glorietur, & sese efferat contra alios omnes cœtus. Sola est quæ Christi dona habet & illa agnoscit. In aliis interdum reperiuntur speciosa dona ingenij: sed ad naturam referunt homines inepti. Deinde nullum in illis reperitur, nec repertum est vnquam, quod cum his conferri possit. Loqui diuersis linguis, deploratos curare morbos, de futuris certò statuere, & similia: nullus vnquam Ethnicorum, nec hæreticorum potuit. Interim verum est illa non esse de substantia salutis aut fidei: sed improbis quoque communia, vt Iudæ, & aliis qui & ipsi edidere miracula: sed in Ecclesia erant quamuis de illa non essent.

Dona illa non pertinere ad substãtiam salutis & fidei.

Hinc sequitur enumeratio officiorum in Ecclesia. Primò ponuntur Apostoli: illa. n. suprema erat dignitas, quia habebant testimonium Spiritus sancti, quòd non errarent in doctrina, ius habebant alioquin docendi, ordinabãt Ecclesias nouas, linguis loquebantur, miracula edebant, quod in aliis non erat ita frequẽs. Horũ numerus initio fuit duodecim, qui consueto more hodie etiam dicuntur Apostoli. His Christus tamen plures alios addidit, qui munere Apostolico fungerentur, & omnib. illis Paulũ singularẽ Gentium Apostolum adiunxit. II. Prophetæ, qui mysteria Dei, hominis ingenio inenarrabilia explicabant, siue futura siue præterita, aut etiam præsentia spectarent. Interdum etiam scripturæ loca difficiliora explicabant spiritu prophetico. De his infrà cap. 14.

III. Doctores. Hi doctrinam ab Apostolis, & prophetis acceptam, propagabant, & tuebantur, nihil de suo addentes, nisi methodum perspicuam, & rationem facilem docendi, ac præmeditati, ad docendum veniebant. Non ita prophetæ & Apostoli semper.

IIII. Δυν

IIII. Δυνάμεις, potestates, hoc est, vis coercendi malos, qualis in Elia, qui ignem cœlitus deduxit. In Elisæo, qui vrsos produxit in pueros. In Petro, qui verbo occidit Ananiam & Sapphiram. In Paulo, qui Elimam percussit cæcitate. Itaque ius excommunicationis huc pertinet quo malos arcent à cœtu Christi.

V. Dona sanationum, ad benefaciendum bonis, vt prior virtus ad reprimendos malos facit. Hac vsi sunt Apostoli frequenter. exempla collige ex Actis Apostolorum.

VI. Ἀντιλήψεις, subsidia. Alij interpretantur de auxilio præsenti in aduersis: vt quòd opera Pauli illi omnes, qui simul nauigabant conseruantur, & solius nauis fit iactura. Alij verò de officiis inferiorib. in Ecclesia, quale est Diaconorum, viduarum, seniorum, qui pauperibus vel erogant eleemosynam, qui aduenas curant, aut ægrotantibus adsunt, & similia officia, quæ xenodochia curant. Singulare donum est in his fidelem esse.

VII. Κυβερνήσεις, gubernationes. Facultas est politica administrandi rem communem, alios commodè regendi, & in ordine conseruandi. Quod donum in magistratibus est necessarium. Et dum Ecclesia caruit politico magistratu, seniores quidam selecti, cœtibus fidelium præerant, tanquam ordinarius magistratus.

VIII. Genera linguarum, de quibus prius iam diximus. Ad hoc donum pertinet interpretatio linguarum. Sunt tamen distincta & separata. Alij interdum loquebantur diuersis linguis. Alij easdem linguas interpretari poterant, vt non mox idem loqueretur aliena lingua, & eam posset explicare auditoribus.

29. *Non omnes Apostoli.*

Tertium membrum quòd in hac donorum varietate sit absurdum, vnum & idem donum ab omnib. requirere. Si enim omnes vnum haberent donum, quæ esset vtilitas? cui prodesset propheta, si omnes essent prophetę? Sic de aliis. Itaque vtilitatis ratio postulat vt diuersa sint. Sic.n. solus vnus alteri prodesse potest, si tu habeas quo ego careo, si tu intelligas quę ego ignoro, fiet quædam communicatio laborum, & commutatio officiorum, vt tu mihi in eo, ego tibi in alio genere inseruiam. Deinde & hoc absurdum est omnia in vno velle desiderare, aut quærere. Si enim vnus omnia posset ad quid reliqui? Haberetur Deus, & supra hominis sortem extolleretur. Itaque sapientissimè prospectum est Ecclesiæ in ea re, vt non omnia vni cõtulerit: sed diuiserit mirabili ratione sua dona Deus, adeò vt singuli singulorum indigeant opera, nec quisquã sese possit meritò efferre contra alium. Hanc temperaturam officiorum & donorum non expendebãt Corinthij. (Ab vtili argumentatur non oportere vnum & idem omnibus esse donũ.)

31. *Æmulemini dona potiora.*

Membrum quartum huius loci. Exhortatio est ad studium charitatis, ac aditum sibi parat ad sequens caput, in quo de charitate differet. Primùm hinc constat zelum quendam esse pium. Alioquin non rectè hic eum concederet. Is est cùm ad vtilitatem proximi, & gloriam Dei conamur aliis pares esse in donis, vel saltem dolemus nos non posse tantum præstare quantum præstant alij. (Ad charitatis studium exhortatio)

Deinde limitat zelum pium, eum oportere esse in donis melioribus. Est quędam distinctio donorum, vt alia sint κρείττονα meliora: alia ἥττονα inferiora. Κρείττονα videntur esse χρησιμότερα, ὠφελιμότερα, vtiliora, quæ pluribus prosunt. Bona enim illa meliora sunt, quę communiora sunt, & prosunt quamplurimis. Tale donum est studium charitatis. Nam hæc, omnia ad proximi commodum, & gloriam Christi expendit, nihil sui quærendo. Quare si contendendum est Christianis, charitate contendamus, quemadmodum ille: Si fides violanda est, regni causa violandam esse censebat. Atque illa quoque est via καθ' ὑπερβολὴν, quia semper adiici & aliquid potest, semper admittit incrementũ in hac vita.

CAPVT XIII.

PRomiserat Apostolus ad finem prioris capitis viam quandam piæ & honestæ æmulationis. Illam nunc hoc capite præstat, docendo charitatem esse vnicum & necessarium donorum omnium condimentum, quo præsente vilia etiam dona salutaria sint: & quo absente maxima dona fiant inutilia. Quare in hac palæstra nos exercere debemus. (Arg. c. 13.)

Totum caput in commendatione charitatis versatur, quam vt luculenter possit nobis commendare, confert illam donis clarissimis, quibus tamen omni officiorum genere præstantior est, vt effectus, & cognata illius demonstrant.

Πρότασις. Donorum spiritualium omnium præstantissima est charitas: ideo in hac Corinthij sese efferre debent potius quàm in aliorum donorum ostentatione. (Propositio)

Partes ita cohærent. Initiò confert illam cum linguarum dono, prophetia, fide miraculosa, beneficentia, & martyrio. In his quinque rerum differentium est collatio. Vnum quinque donis seorsim confertur, & simul omnibus præfertur.

Secundo loco intermissa rerum collatione, eandem commendat à cognatis & pro-

prius officiis dilectionis. In quibus triplex est varietas. Initio duo sunt affirmantia & θετικά. Deinde sequuntur octo negantia κατ' ἀφαίρεσιν. Denique subnectit quatuor iterum affirmantia. Sic variè crescit oratio, & argumentorum numerus. Tertio loco iterum affert συγκριτικὰ argumenta, sed noua ratione argumentum instituit. Nam à temporis circunstantia ostendit dilectionem præstare reliquis donis. Ratio est, quia diuturnior est. Bona diuturniora, sunt meliora. Res collatæ sunt prophetia, linguæ cognitio: quę omnia seorsim, & simul aliquando finem habebunt. Charitas autem finem ignorat: ideo diuturnior, & ideo præstantior. Quarto loco ad eandem formam confert eidem virtuti fidem & spem, quæ cùm sint præstantes, & in hac vita necessariæ: cedunt tamen dilectioni, temporis diuturnitate. Itaque effectum est, quod voluit Apostolus: Charitatem reliquis donis omnibus esse longe præstantiorem.

Charitas cũ linguarum dono confertur.

1. *Si linguis hominum loquar.* Collatio charitatis ad quinque illustria dona, quibus cùm sit præstantior, meritò reliquis inferioribus etiam præferri debet. Primò cum linguis confert, in quo tria exprimit. Primò rem honorariam. Deinde rem necessariam. Tertiò consequens, primùm θέσιν habet, alterum remotionem, tertium effectionem.

Si linguis hominum loquar, hoc est, omnium linguarum sim peritus, qualis fuit Mithridates & Pompeius, aliique qui plurimas calluerunt linguas: imò donum linguarum habeam, adeò vt omnibus loqui possim, qui sub Sole sunt: addo si Angelorum etiam voces teneam. Omnia ista ad amplificationem rei honorariæ cedut. Primùm hinc disce linguarum donum quidem insigne: attamen honorarium solùm esse. Deinde Angelorum esse quoddam idioma, quod quale sit nemo nouit, quàm is, qui eis dedit naturæ puritatem. Scriptura illis nullum proprium tribuit: sed illud solùm, quod iis, cum quibus agunt Angeli, cognitum est. Sunt enim ministratorij spiritus, & mittuntur ad hominum salutem, aut vindices peccatorum, tum assumunt corpora, & linguis popularibus loquuntur. Cęterùm in sua simplici, & incorporea conditione constituti nullum habent idioma linguarũ, quod nobis scriptura exprimat, ac si quod est, captũ hominis superat. Cùm enim corpora non habeant, ore, lingua, labiis, gutture, dentibus, pulmone careant, quomodo loquuntur? At sunt ista homini necessaria organa sermonis. Quare vel angelis sermo nullus erit proprius: vel si est, alia ratione erit quàm sit homini. Nec Apostolus dicit illis linguas esse, sed excellentiam linguarum effert per exochen, quasi dicat, si illis essent linguæ, & homini possent esse notæ. Et quod ἀποθετικὸν est, non statim fieri potest κατηγορικόν, vt loquuntur. Ista honoraria sunt.

Necessarium autem est habere charitatem. Sed remotione deprimit hîc prius membrum. Charitatem autem non habeam. Necessariæ rei destitutio, omnia honoraria corrumpit. Disce animam donorum esse charitatem, vt condimentum proprium.

linguarum donum sine charitate nullius esse pretij.

Tertiò ex combinatione duorum, tertium sequitur, factus sum æs resonans, & cymbalum tinniens, hoc est, inutilis sum: do sine re sonum. Æra sonantia, & cymbala tinnientia sunt, omnes qui dona habent illustria sine fraterna dilectione. Deinde qui speciosè loquuntur de pietate: illam verò vita & moribus non exprimunt, dant sine mente sonum, eumque reduplicatione semper ingerunt: adeò vt obstrepant vsque ad tædium hominibus, quod est ἀλαλάζειν.

2. Charitas cum munere Prophetico confertur.

2. *Et si habeam prophetiam.* Secundò iam illam confert cum prophetico munere: illud vt suprà intelligo facultatem explicandi mysteria diuina, quæ rationi sunt inexplicabilia, siue sint de reb. præsentib. siue futuris, siue præteritis. Id hîc indicat Apostolus cùm prophetię subiicit mysteria, h.e. oracula Dei obscura, qualia in prophetis multa sũt, quæ sine prophetico spiritu nunquam intelliguntur. Et in vita quotidiana in dies multa eueniunt, quę eundẽ spiritũ requirunt. Eidẽ subiicitur γνῶσις, h.e. in reb. humanis acutissima cognitio, quales sunt physicorũ subtilitates, & in Metaphysicis infinita occurrũt. Sis diuinarũ & humanarũ rerũ peritissimus, adeo absolutus philosophus & propheta, charitatem autem non habeas nihil es. Debet. n. suppleri oratio, quę pendens, & imperfecta est.

Et si habeam omnem fidem.

3. Cum fide miraculosa: nam fides iustificans nunquã à charitate separatur.

Tertia collatio. Omnem fidem intelligo particulariter, s. de fide signorum, & miraculorum. Nam non de fide iustificante hîc agitur, cùm ab illa charitas nunquam separetur. Est igitur sententia, καθόλου ὡς μὴ καθόλου. & per limitationem explicanda. Porrò fides miraculosa hîc omnis πᾶσα dicitur, quia habet quædam incrementa, seu gradus quosdam: alia quæ instar grani sinipios est, quæ sufficit, etiam Christo teste, ad trãsferendos montes: alia auctior, vel debilior est. Hanc omnem concedit vni posse contingere, vt πᾶσα πίστις sit idem quod ὅλη πίστις. Ac sic limitandam esse sententiam declarat sequens cõma, & transferam montes, charitatem autẽ non habeam nihil sum, perfecta est periodus, vt prima. Secunda μείουρος fuit, caruit. n. redditione. Et nihil sum, declarat quid sit esse ęs sonans

nans,& cymbalum tinniens,hoc eſt, inutile quid eſſe, nihil eſt priuatiuè. Non enim ad ſubſtantiam referri poteſt: ſed formam pij hominis. Nihil eſt, hoc eſt, veram pietatis formam non habet,ſibi & proximo inutilis eſt,adeóque ne Deo quidem ornamento.

3. *Et ſi inſumam.*

Quarta collatio.Liberalitatē & eleemoſynam dilectioni opponit,quæ & ipſa inutilis eſt ſine dilectione. Validius eſt argumentū, cū beneficētia ſit proprius quidam effectus charitatis:attamē hypocriſis eundē habitum ſibi aſſumit.Inde fit,vt pro dilectione ſeſe venditet.Beneficentia damnatur.Quid ergo prodigis fiet,& lurconibus? *Et ſi tradidero corpus meum.*Quinta collatio cum martyrio, quæ miranda eſt virtus, Dei nomine adire mortem. Sed ne id quidē prodeſt ſine dilectione. Primùm damnātur hic affectata martyria,qualia quidem leguntur in hiſtoria Eccleſiaſtica eorū,qui gloriæ ſtudio irritabāt, & prouocabant in ſe impios.Sed tracti ad martyria,vel reuocabant,vel impatienter ferebant mortem. Deinde qui ſine Chriſtiana dilectione ſeſe morti deuouent, vt Decij, Curtij,& ſimiles,præterea qui ſine omni neceſſitate ſibi mortem cōficiunt, vt Calanus ille Indus Gymnoſophiſta,qui Alexandrū Magnū ſecutus eſt,cōſtructa pyra,illā ſponte ingreſſus eſt,& Circūcelliones qui ad mortem ſe flagris conficiunt.Et alij qui de petris ſeſe præcipitauerūt,& Anabaptiſtæ quidā ſibi ſponte manus intulêre,& fratribus ſuis. 4. Cum liberalitate charitas confertur. 5. Cū martyrio.

4. *Charitas patiens eſt.*

Secūda pars de effectis charitatis,quę probant,illā donis reliquis eſſe prēſtantiorem. Primùm tribuitur illi μακροθυμία,qua eſt tarda ad iram,diu differt pœnas,lōganimis eſt. Secundò χρηστεύεται,h.e.modis omnib.ſeſe vtilē præbet proximo,& res proximi optimas efficit,quod eſt χρηστὸν ποιεῖν. Atq; hæc affirmantia ſunt.Negātia autem non æmulatur, hoc eſt non inuidet alterius commodis,ſed ſua ſorte ſemper contenta viuit, & aliorum commodis non triſtatur.Secūdò nō procaciter agit,quod eſt περπερεύεσθαι,perperam agere,petulanter & inſolēter. Vim huius vocis vide in prouerb.Ne in Melāpygum incidas. Sumptum eſt à fratribus Cercopibus, qui & Perperi dicti ſunt,omnibus inſultantes. Charitatis effecta.

*Tertiò non inflatur,*hoc eſt, ſe aliis non præfert,nihil ad oſtentationem facit, non ſibi placet, non eſt ambitioſa. Quartò οὐκ ἀσχημονεῖ, hoc eſt,nihil contra decorum admittit, ſed loci, perſonæ & rei dignitatem ſeruat. Item nihil adeò humile quòd ad vſum proximi non auſit ſubire,nihil faſtidit,quaſi ſua grauitate indignum.

Quintò *non quærit quæ ſua ſunt,*hoc eſt, non priuatum commodum quærit ex alterius incommodo. Laborat Arcadum more,hoc eſt,in commune bonum omnia confert.

6. *Non eſt irritabilis,*non facilè oboritur ei bilis,vt ſit ὀξύχολος & ἀκρόχολος. Idem eſt quod longanimem eſſe.

7. *Non cogitat malum,*hoc eſt,iniuriarum obliuiſcitur facilè,in melius omnia interpretatur.Hoc ſemper cogitat,non oportet μνησικακεῖν.

8. *Non gaudet iniuſtitia.* Damnat ἐπιχαιρεκακίαν, h.e. tam iuſta eſt ipſa, vt non faciat iniuſta, cùm poſſet clàm. Deinde in aliis quoq; iniuſta non probat, vitia odit,cùm perſonis facilè ignoſcat.Ideo addit,congaudet veritati,hoc eſt,iuſtitię. Videntur enim hîc ſynonyma,veritas & iuſtitia in omnibus actionibus deprehendi poteſt,aut contrà.

Tertio loco ſequuntur iterum affirmantia,ſed vniuerſalia.*Omnia ſuffert,*h.e.iniurias, & quæ ad aliorum emendationē ſpectare poſſunt.Interim non ſuffert latrocinia, cōtumeliā nominis diuini.*Omnia credit,*Nō eſt ſuſpicax ſed candida,calūniis non dat locum nec laborat credulitate ſiniſtra,impia tamē non credit,& non credenda etiā non credit.

3. *Omnia ſperat,*hoc eſt,de emendatione fraterna ſemper pollicetur ſibi ampla: non abiicit ſpem,dicit:Qui non eſt hodie,cras magis aptus erit.

4. *Omnia ſuffert,*Cōſtans eſt,vſq; ad finē.Idem ferè cū eo quod dixerat πάντα στέγει.

8. *Charitas nunquam excidit.*

Tertia pars quà à temporis ratione oſtendit charitatē reliquis donis eſſe præſtantiorem.Reliqua dona etiam illuſtria:tamen ad huius vitæ commoda magis data ſunt,deſitura in vita æterna.Sed charitas etiam tum durabit. Ergo illis eſt præſtantior. Bona enim diuturniora,ſunt præſtantiora.Charitas non excidit,ἐκπίπτει,hoc eſt, non fruſtratur ſuo fine:vel non terminatur,ſemper durat.Prophetiæ abolebūtur,linguę ceſſabunt, cognitio abolebitur, hoc eſt, illa præſtantiſſima dona non ad vitam æternam, ſed ad hanc præſentem pertinent. Charitatē perpetuò duraturā.

Verſ.9. *Ex parte.n.cognoſcimus.*Confirmatio propoſitionis. Oſtendit.n.quomodo illa finem habeant.Charitas autē ſemper duret.Ἀντίθεσις eſt rerum,& temporis.Particularia ſunt, omnis cognitio, omnis ſapientia, omnis philoſophia, *iſt alles ſtuck vverck*, tanta eſt rerum humanarum caligo & infirmitas. Ad vitam æternam autem ſpectat τελειότης, hoc eſt,rerum perfectio, Ἀτέλεια huius eſt præſentis vitæ:vt τὸ κατὰ μέρος,vel ἐκ μέρους.

11. *Cum essem infans.*

4 Vitæ gradus. Declaratio per simile satis illustre. Sumitur autem à vitæ humanæ ætatibus, quam alij aliter in certos gradus diuiserũt. Galenus in quatuor gradus distinguit. Sunt.n.apud illum νέοι, in primo gradu, quos veri confert, & sanguini, quia calidi & humidi sunt. 2.ἀκμάζοντες, æstati respondet, & flauę bili, calidi & sicci. 3.μέσοι, sicci & frigidi autumno, & nigræ bili comparantur. 4.γέροντες, frigidi & humidi, vt autumnus, & phlegma. Alij aliter statuunt. Apud Hippocratem reperitur diuisio in septem gradus: vnde illud fluxit.

Infans, inde puer, adolescens, post iuuenis, vir.
Subsequitur senium, postea decrepita.

Apostolus hîc duos gradus constituit, quorum vnum huic vitæ assignat, alterum futuræ. Νηπιότης, infantia vel pueritia, huius vitæ est, ac complectitur infantiam, pueritiam, adolescentiam & iuuentutem. Qui gradus licet ætate differant & annis: attamen hoc commune habent, quòd omnia consilia, omnis eruditio, & sapientia, in his scit imperfecta. Itaque τὸ ἀτελὲς exprimit Apostolus in sua persona, vt infans loquebar, hoc est, balbutiebam. Quid ergo liguarum donum aliud est, quàm balbuties huius vitæ? Tantò perfectior erit sermo in vita illa beata, siquis ibi sit futurus.

II. *Vt infans cogitabam*, vel sapiebam, ἐφρόνουν. Sapientia igitur huius vitæ, quid aliud quàm pueriles nuces?

III. *Vt infans sentiebam*, ἐλογιζόμην, h.e. ratiocinabar. Vis colligendi dialectica neruosum quiddã & splẽdidum videtur: sed puerilis est illa dialectica: equitant arundine lõga.

Hactenus vitam præsentem descripsit, à suis propriis næuis, quæ sunt ἀτέλεια, τὸ ἐκ μέρους, νηπιότης, &c. Virilis ætas futuræ vitæ est, significat enim statam & maturam ætatem: ideo ei tribuit τελειότητα quæ abolet puerilia.

12. *Cernimus enim nunc.*

Huius & futuræ vitæ discrimen. Alia similitudo qua illustratur discrimen huius & futuræ vitæ. Huius vitæ est obscura rerum cognitio, quales sunt imagines in speculis & sententiæ ænigmaticæ, quibus iterum imperfectio exprimitur. Futuræ vitæ perfecta est notitia: qualis est præstantia rerum: quas de facie contemplamur non in speculo. Nec impedit hanc collationem lumen & certitudo sacrarum literarum. Nam quantus magna in his sit perspicuitas: attamen fateri nos oportet, hanc qualemcunque veritatis cognitionem, si ad illam lucem vitæ æternæ conferatur, nihil propriè esse, quàm σκιᾶς ὄναρ, vt ille inquit. Et fortè maior est inter illa distantia, quàm sit inter puerilia ludicra, & senum consilia: aut virorum sapientissimorum deliberationes.

13. *Nunc quidem manet.*

Quarta pars quæ continet collationem nouam. Superiori similis est, quia hîc etiam temporis diuturnitatem vrget. Primæ autem collationi par est, quia hîc res rebus conferuntur. Differt autem quia noua in collationem trahuntur. Nam suprà cum charitate contulit prophetiam, fidem miraculosam, liberalitatem & martyrium. Hîc verò cum eadem confert fidem iustificantem, & spem. Vtriq; autem pręfert charitatem. Notanda igitur illa. Primùm quòd emphaticè dicit nunc durare illa tria. Τὸ νῦν huius est vitæ totum spatium. In eo durant illa tria, h.e. in electis pariter regnant & durant. Loquitur enim de membris Christi quæ nomini respondent. Durat hîc fides, quia hîc iustificari nos oportet, hoc est, à peccato absolui, & in gratiam recipi, quam fide amplectimur. Durat etiam hîc spes, quia est futuri boni opinio. Durat etiam hîc charitas, quia anima est

Quo sensu charitas maior dicatur fide & spe. fidei, hoc est propria illius actio, vt bonæ arboris bonus est fructus. Commune igitur his tribus est, quia vsus illorum est in hac vita. Sed præter hunc vsum charitas alium habet in futura vita, quia illic desinit fides, vt pote iam iustificatis, & numeris omnibus absolutis fidelibus. Desinit spes, quia bona promissa præsentia sunt: & spes quæ videtur non est spes, inquit Apostolus ad Rom.8. Maior igitur est charitas. Μείζων, hoc est, vtilior, magis necessaria, præstantior, Ecclesiæ hîc in primis necessaria, & in futura vita semper duratura. Itaque in hac nos exercere debemus.

CAPVT XIIII.

Argum.



Onum linguarum valido ariete deiecit. Nam charitati illud inferius posuit. Nunc idem linguarum donum cum prophetico munere confert, docens post charitatem, linguas etiam prophetia inferiores esse. In hoc longa disputatione commoratur, ac variis rationibus rem confirmat. Tractatio habet σύγκρισιν, hoc est collationem rerum, quæ in ipsis etiam argumentis ferè vbique etiam seruatur.

Propositio. Πρότασις, facultas interpretandi scripturas reliquis donis spiritualibus, ipsis etiam linguis longè est præstantior.

Res

Res cohærent hoc modo: Initiò proponit per comparationem. Deinde mox argumentatur suo more ab effectis, ab experientia, similibus, aliisque locis. Et hic de præstantia prophetiæ agitur. Omnia enim eò respiciunt vt efferatur supra linguas. Hinc agitur contra ignotas linguas, quę vsum in Ecclesia nullum habent sine interpretatione, adeóque ne locum quidem merentur. Posteà de vsu donorum, & fine ordinario disserit. Demum de mulieribus, quas in congregationibus publicis iubet tacere. Domi autem discant, nec ad docendi munus aspirent.

1. *Sectemini charitatem.*

Exordium nouæ comparationis ab ipsa propositione. Tria autem complectitur, ad quæ ordine cohortatur. Primò, inquit, sectemini charitatem, cohærent superiorib. ista. Nam locum de charitate epiphonemate videtur concludere. Ac rectè priore ponitur loco, quia principatus illi tributus est in priori capite. Διώκειν autem est more venatorum persequi feram & prædam oblatam: eo modo persequenda est charitas, significans nunquam plenè, ac perfectè possideri, quia semper tanquam absens est appetenda.

2. *Æmulemini spiritualia.*

A specie ad genus redit, significans Corinthios in eo peccare, quòd non satis grauiter de toto genere sentirent: sed in linguis solùm defixos haberent oculos, reliquis donis contemptis. Πνευματικὰ scilicet χαρίσματα. Infrà ait, sectatores estote πνευμάτων, hoc est, donorum spiritualium.

3. *Magis autem vt prophetetis.*

Redit ad speciem. Hinc constituenda est propositio. Cùm omnia dona spiritualia magni sint facienda: in primis tamen donum prophetiæ prę reliquis est maximi faciendum. Charitati illa non detrahunt: quia iam principatus ei datus est. In reliquis iam prophetia linguis antefertur. Ἀγάπη, πνευματικὸν, προφητεία tria se respiciunt, vt species duæ ad genus quod in medio collocatum est. Primum persequimur, alterum æmulamur, tertium & æmulamur & persequimur. Donum prophetiæ maximi est faciendum.

4. *Nam qui loquitur linguis.*

Κατασκευὴν sequitur propositionis. Et quia linguas & prophetiam cōfert, ideo vtriusq; vsum considerat, & ab effectis argumentatur ita, Bonum quod plus prodest id etiam est præstantius, quia ab vsu bona æstimātur. Sed prophetia plus prodest quàm linguæ. Ergo prophetia est etiam præstantior. Hoc quomodo sit verum seorsim in vtraq; considerat. Prophetiā esse linguis vtiliorem.

Linguæ prosunt ei qui eas nouit. Nam exemplum constituit de iis, quæ auditoribus ignotæ sunt: ideo ait, *qui loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo.* Et quare non hominibus? quia, ait, nemo audit. Ἀκούει, hoc est, νοεῖ, intelligit, audiunt quidem, sed non intelligunt: ideo hominibus non loquitur, quia homines loquentem non intelligunt. Quomodo autem loquitur Deo? Respondet, quia spiritu loquitur mysteria, hoc est, arcana quædam, quæ Deus solùm nouit, illa loquitur per linguam ignotam: ita hîc Deo videtur loqui, & ob id prodesse. Sed linguæ contra institutæ sunt. Dedit enim eas Deus, non vt per eas Deo, sed proximo loqueremur, cùm his Deus non indigeat. Abusus est igitur linguarum non ad proximi, sed Dei captum illas accommodare.

Propheta autem hominib. prodest, h. e. hominib. loquitur, h. e. verum vsum donorum seruat: quod non facit alter qui Deo solū loquitur & non hominib. Vsus in rebus consistit. Loquitur illis ædificationē tam firmis, quàm infirmis. Sumpta vox ab ædificantibus, significat rem cœptam auctiorem, & meliorem reddere. Hoc incrementum admittunt firmi & pariter infirmi. Deinde loquitur illis παράκλησιν, exhortationem, h. e. tardis & inertibus. Nam pigri excitandi sunt, & stimulandi, vt veternum excutiant. Tertiò loquitur illis παραμυθίαν, consolationem. Id ad pusillanimos & desperabundos de successu refertur. Confirmandi in lucta, in cruce, in mutationibus, in desperatione, & agone mortis. Ex his patet maximas esse vtilitates interpretationis, cuius sunt tam splendidæ partes. Prophetiæ vtilitas multiplex.

4. *Qui loquitur lingua, seipsum.*

Alterum argumentum. Linguæ ignotæ vni prosunt. Interpretatio autem multis prodest. Noua hîc est antithesis in vocibus ἑαυτὸν, & ἐκκλησίαν, quasi dicat, illæ ad vnius, hæc verò ad multorum commodum spectat.

5. *Velim autem omnes vos loqui linguis.*

Præoccupatio, se non improbare linguas: sed potiùs eas omnibus modis commendare, si accesserit rectus vsus, qui est in intellectu positus. Volo, θέλω, videtur hîc poni vt supra cap. vij. Volo omnes esse vt ego sum, hoc est, opto omnes tales esse, vt ego sum. Hoc sensu oratio est optantis, & est candidi pectoris argumentum quod bona nulli inuideat, sed ea piis omnibus comprecatur. Linguas igitur hîc omnibus comprecatur. Deinde addit correctionem: magis tamen optare illis donum interpretationis, quia prę-

ſtantiora dona magis ſunt optanda.

Repetit mox propoſitum per αἰτιολογίαν. Nam maior eſt, hoc eſt, vtilior propheta, quam is qui loquitur linguis. Compenſatio eſt, ſi accedat linguis interpres, æquari poſſe prophetiæ, quaſi aliæ omnibus modis ſint inferiores. Studendum igitur omnibus modis vt linguæ ignotæ ſemper habeant ſuum interpretem. Denique ratio à fine, vt Eccleſia capiat ædificationem, hoc eſt, ad certam, & euidentem illius fiat ædificationem, quæ ſine interpretatione nunquam haberi poteſt.

6. *Nunc verò fratres.*

Argumentum tertium à ſuo exemplo. Ego nihil prodeſſem ſola notitia linguarum ſine interpretatione. Ergo multò minus vos prodeſſe quicquam poteſtis Eccleſiæ eo pacto. Fingit autem caſum idoneum, ac rem inuidioſam in ſe transfert. Non enim poſſunt indignari Apoſtolo humiliùs de ſeipſo loquenti. Sentẽtia eſt: nihil vobis prodeſſem niſi per linguas vobis loquerer vel ἀποκάλυψιν, hoc eſt, myſterium aliquod, quod ſoli Deo cognitum, & quibus is reuelat. Natura autem nulli hominum vtvt ſint eruditi, & prudentes. 2. Γνῶσις cognitio de fine & vſu reuelationis accipitur. 3. Prophetia, vtriuſque interpretatio & idonea applicatio ad res præſentes. 4. Doctrina, hoc eſt, vario vſu, conſolationis, confirmationis, & ſimilium. Alij voces omnes pro eadem ſignificatione ſumunt. Loqui in iſtis ſignificat in his aliis prodeſſe, & alios in his gradibus inſtituere: aliis monſtrare reuelationes, aliis notitiam conferre, aliis aperire prophetiam, aliis aliquam doctrinam tradere in pietatis negotio.

7. *Atqui inanima quæ ſonum edunt.*

Argumentum 4. à ſimili muſicorum inſtrumentorum, quæ quanuis ſuauiſſima ſint: tamen ſi confuſa ſit harmonia, & concentus vitiatus, omnẽ gratiam perdunt, adeò vt ſint inutilia: ſic etiam ſe habet ratio linguarum, ſi demas eis interpretationem, inutiles planè ſunt, ἄψυχα ſunt artificialia, qualia hîc recenſet. Deinde naturalia quædam quæ ſonum & ſtrepitum edunt ſignificatiuum, vt ſyluarum fragor, aquarum murmur, ignis crepitus, foliorum ſonitus, & ſimilia. Quæ omnia dant φωνὴν, hoc eſt, ſonum ſignificatiuum, cùm φωνὴ per ſe ſit articulata vox, tibiæ, cithara, &c. In his διαστολὴ eſt, diſiunctio in tonis, hoc eſt, certa harmonia, quam ſi tollis, corrumpis totum vſum inſtrumenti, vt non intelligas quale ſit melos inſtitutum.

8. *Nam ſi tuba.*

Expoſitio. Ἔκθεσις à nouo exẽplo, qua expolit argumẽtum cœptum. Tuba alium ſonũ habet, quo ad arma prouocat milites: alium quo receptui canit, alium quo in ordines collocantur, alium in pace, alium in choreis, &c. Húc intellectum ab inſtrumẽtis nõ oportet auferre.

9. *Ita & vos, niſi.*

Applicatio argumenti. Eodem pacto oportet in linguis retinere λόγον εὔσημον, hoc eſt, ſignantem ſermonem, vt intelligantur verba & phraſes, ac mens inſtruatur de loquentis voluntate. Hoc vocant σαφήνειαν, perſpicuitatem, vt verba propria ſint, & phraſes perſpicuæ. Id niſi ſeruetur, fruſtra adhibentur linguæ: eritis in aërem loquentes, hoc eſt, oleum & operam perdetis. Prouerbialis ſententia in eos qui fruſtra quid agunt.

10. *Tot, exempli gratia, ſunt genera vocum.* Quintum argumentum, à natura vocum, quæ eſt, eſſe ſignificatiuum. Hinc enim φωνὴ dicitur, ὅτι φωνεῖ, hoc eſt, σημαίνειν, ſignificat aliquid certi. Grammaticis tamen placet dici ὅτι φῶς ἐστὶ τοῦ νοῦ, quia enunciatiua redditur oratio. Nulla φωνὴ eſt ἄφωνος. Sed qui ignota loquuntur lingua reddunt voces aphonas. Ergo in inſtitutionem & naturam vocum peccant. Ille eſt mihi barbarus, & ego viciſſim illi ſum barbarus, hoc eſt, neuter alterum intelligit. Barbarus Græcis dicebatur qui Græcus non eſſet. Sed rectè Anacharſis reſpondebat cùm Athenis diceretur barbarus, Athenienſes ſcilicet in Scythia quoq; eſſe barbaros. Hoc ſenſu hîc vtroſque fecit barbaros Apoſtolus, & eum qui eruditè loquitur, & eum qui loquentem non percipit.

12. *Ita & vos.*

Applicatio argumenti, quaſi dicat, non aliter vos agitis, quàm Scytha quiſpiam inter Græcos, vel Græcus inter Scythas. Reliqua per illationem accipit. Quare æmulatores eſtote ſpirituum, hoc eſt, donorum ſpiritualium. Author pro dono. Addit finem, vt faciant ad ędificationem Eccleſiæ. Quod explicat, *quærite vt excellatis*, vel abundetis. Mollit verbum ἐπιζηλοῦσθαι, quo illi nimium incumbebant, adeò vt mala eſſet æmulatio. Reuocat igitur eos ad vſum bonum, vt abundent ſcilicet, in bono, auctiora ſint dona, & auctiores ſint fructus, bonis operibus abundent. Significans ad dilectionem oportere omnia dirigere. Illa enim condimentum eſt, & regula donorum omnium.

13. *Quare qui loquitur lingua.*

Conſilium Apoſtoli, quid faciendum ſit, vt linguæ peregrinæ vtiliter in Eccleſia poſſint ad

ſint adhiberi, ſcilicet ſi illis addatur interpretatio. Ac ſimul admonet, vnde illa ſit petenda, a Deo ſcilicet qui vt linguarum eſt author, ſic quoque eſt author interpretationis. Ita recte ad Deum authorem reſoluit.

Quomodo ad ędificationem vti poterimus linguis in Eccleſia.

14. *Nam ſi orem lingua.*

Confirmatio conſilij ſui, cur neceſſaria ſit interpretatio: Ratio eſt, quia alioquin fructu apud alios caret. Rem autem in ſe transfert, vt eò minus offendantur Corinthij. Antitheſis autem eſt in exemplo poſito. Lingua oro, ſed orat ſpiritus meus ſolùm. h.e. ſpirituale donu in me orat lingua ignota auditoribus, ſed mens, νοῦς, h.e. intelligentia mea eſt ἄκαρπος ſcilicet, apud ſpectatores meos. Ego quidem intelligo quid agam peregrina lingua: ſed mẽtem meam non percipiunt ſpectatores. Ita νοῦς eſt ἄκαρπος non mihi, ſed aliis.

15. *Quid ergo? Orabo ſpiritu: ſed orabo etiam mente.*

Illatio: Ergo preces fiant nota lingua. Habet autem oratio formam occupationis. Reſpondet etiam Corinthiis, qui dicere poterant, Ergóne damnabis linguam peregrinam in oratione? Reſpondet, minimè facio: orabo quidem lingua, ſed faciam intelligenter. Spiritus & mens hic opponuntur, quaſi dicat, ignota lingua & illius interpretatio neceſſariò coniungi debet. Sic pſallam ſpiritu, & pſallam mẽte. Obſerua hic morem antiquis eſſe in Eccleſia decantandi pſalmos, & ſimul mox irrepſiſſe abuſum hunc, vt id facerent homines peregrina lingua, id quod in hodiernam vſque diem durat in Eccleſia.

Sextum ſit hoc argumentum ab inutili: linguæ ignotæ ſine interpretatione ſunt inutiles. Ergo vitandæ. ἄκαρπον dicitur propter auditores.

16. *Quandoquidem ſi bene dixeris ſpiritu.* Superioris argumenti illuſtratio, per exemplum euidens. Nos hic conſtituimus ſeptimum argumentum. Ignota lingua defraudat populum vtiliſſima acclamatione finali, quæ precibus ſolet publicè addi, Amen. Ergo ignotę linguę ſine interpretatione ſunt eliminandæ ex Eccleſia. Quòd defraudent, Apoſtolus oſtendit: qui complet locum idiotæ, hoc eſt, indocti, qui linguam tuam non intelligit, quomodo dicet Amen? Hoc eſt non poteſt clauſulam hanc ſubiicere. Vetus igitur mos eſt, quo populus docentis preces concludit acclamatione ſua, Amen. De quo vide Tertul. & Iuſtinum. Ratio eſt, quia quid dicas non intelligit. Ergo ἄκαρπον refertur ad auditorem. Is non intelligit & fructu caret. Sed in ſequenti verſu, alter non ædificatur, ſynonyma ſunt, & ad eundem referuntur οὐκ οἰδέ ε οὐκ οἰκοδομεῖται, ἄκαρπος ἐστι.

Vetus mos in Eccleſia acclamare Amen.

28. *Gratias ago Deo meo.*

Argumentum octauum à ſuo exemplo. Ego Paulus non vtor linguis ſine interpretatione. Ergo nec vos ſic vti debetis. Valet argumentum pręceptoris apud diſcipulos. Initio ſe illis æquat, imò præfert, quaſi dicat, Ego fortè plures ſolus noui linguas ex dono Dei, quàm vos omnes, pro quo dono Deo ago gratias. At in hoc à vobis diſcrepo, quòd vos ad oſtentationes paucis veſtris vtemini. Ego contrà multis linguis non vtor ad oſtentationem. Quomodo igitur? quia quinque verba intelligenter malo loqui, quàm decem millia ſine intellectu. Quare & vos meum hoc exemplum debetis ſequi, λόγος hîc ῥῆμα ſignificat, non integram orationem. Et λαλῆσαι διὰ νοὸς eſt intelligenter loqui: quod explicat vox κατηχήσω, quod eſt fructuoſum eſſe aliis. Illi opponitur λαλῆσαι ἐν γλώσσῃ, hoc eſt, ignota lingua loqui, vt auditores te non intelligant.

20. *Fratres, ne eſtote pueri.*

Nonum argumentum à natura rerum, quas illi tractabant. Mera eſt ſtultitia quod agitis, & pueriles quædam oſtentatio. Ergo ſummopere eſt cauendum. Argumentum hoc proponit per dehortationem, & oſtendit quale ſit ſtudium eorum. Παιδία ταῖς φρεσὶ, & νηπιάζειν, idem eſt ſtulteſcere, puerilia tractare, id in religione debet vitari. Laudabile autem eſt in malitia. Iſthìc ſancti debent eſſe rudes, & imperiti. Hinc Chriſtus ad infantiam reuocat ingreſſuros in Dei regnum, Mat. 18. Quod de morum ſimplicitate intelligitur. Iudicio autem & intelligentia debent eſſe perfecti: quod Chriſtus dixit prudentes vt ſerpentes. Perfectio autem commodè intelligatur. Nam per ſe nemo perfectus eſt, ſoliq; Deo competit τελειότης. Sed inter homines, qui aliis longiùs procedunt in aliqua re, vt reliquis vix relinquant imitationis locũ, dicuntur perfecti, h.e. reliquis abſolutiores. Sic in matheſi, pœſi, &c. ita in pietate, alij aliis longiùs procedunt, & magis accedunt ad perfectionem. Sic Matt. 5. dixit: eſtote perfecti, vt pater veſter in cœlis perfectus eſt.

Fideles debere eſſe perfectos iudicio & intelligentia.

21. *In lege ſcriptum eſt.*

Decimum argumentum, odioſum etiam eſt Deo, ſine fructu recitari verbum ſuum diuerſis linguis. Locum ſumit ex Eſa. xxviij. quo taxat ruditatem Iudæorum, qui ad omnem inſtitutionem hebetes & ſtupidi manebant, quocunque tandem idiomate illis loqueretur Dominus per prophetas. Ergo ſimpliciter damnatur, ſi verbum Dei ſine fructu recitetur peregrinis linguis.

22. *Linguæ igitur sunt signum.*

Vndecimum argumentum,à consequentis consequente.Ex superiori enim argumento hoc fluit. Linguas scilicet, dari in signum incredulis. Ergo non vltrò est accersendum nec tantopere admirandum. Σημεῖον sunt ἀπίστοις, hoc est,prosunt quidem infidelibus interdum,vt miraculo moueantur,qui nullis rationib.moueri poterant. Sic Act.10. Cornelij domesticis dantur linguæ, quibus indubiè multi sunt permoti ad credendum, qui nullis alioquin crederent argumentis. Vel ita dantur infidelibus,quia ad damnationem illorum faciunt,cùm ne his quidem permoueantur.Sed argumentum ex collatione procedit. Linguæ solùm infidelibus prosunt. Prophetia autem prodest fidelibus. Ergo hac magis est vtendum.Argumentum integrum sit.Quilibet in cœtu publico debet vti organo vtili & iis inter quos versatur competenti. Sed prophetia organum est vtile & cōpetens fidelib.Ergo vos cùm inter fideles versemini,& nō inter infideles,debetis potiùs vti prophetia,quàm linguis.Cōtrà cùm fueritis apud infideles,linguis vtēdum esse.

Linguas in signum incredulis dari.

23. *Itaque si in vnum conuenerit tota Ecclesia.*

Duodecimum argumentum,à periculoso fructu.Argumentum à consequentib.sumitur καθ' ὑπόθεσιν. Si omnes loquamini linguis,& ingrediantur idiotæ,h.e.indocti,& infideles,quid dicent? hoc dicent, vos insanire. Singulis autem studiosè cauendum est,ne Dei dona in sese irrideantur & contemnantur. Id cauere non potestis tam apud fideles imperitos,quàm infideles:vterq; dicet,homines isti insaniunt.Neuter.n.vos intelligit.

24. *Sed si omnes prophetent.* Tertiumdecimum argumentum à consequentibus fructibus prophetiæ. Seruat oppositionem : Illic omnes loquuntur linguis ignotis:hic omnes prophetant,hoc est,nota lingua docent,in vtrunque cœtum ingrediuntur idiotæ fideles indocti, & infideles illìc nihil intelligunt, hic omnia, istic nullus est fructus, hìc multus:illic irrisio,hic adoratio. Nam hìc audit taxari vitia ex scriptura, quibus illi detinentur,ita reprehenditur,hoc est,conuincitur à propria conscientia,&sic abdita cordis manifestantur.Nam ad pœnitentiam conuertuntur,& dant signa doloris. Loquitur enim de re possibili, vtpote in materia contingente : fieri enim potest, vt duo tales ingressi, idiota Christianus, & infidelis, ad eandem concionem seriò conuertantur : hinc cadunt in faciem,Deum inuocant,& fatentur,verè Deum in his hominibus loqui.Tale nihil sequitur ad linguarum ostentationem. Ergo magis præstat propheticum munus exercere in Ecclesia, quàm peregrinas linguas. Hactenus quidem absoluta est comparatio linguarum & prophetiæ,qua multis,ac variis rationibus probauit prophetiam multis modis esse præstantiorem linguis, secus quàm illi putabant. Hunc deinceps modum tradet,quomodo omnia dona Dei in Ecclesia sint ad certam vtilitatem adhibenda & exercenda:quæ si negligatur,dona etiam in speciem speciosa,vana sunt ostentatio.

26. *Quid igitur est,fratres,quando conuenitis,quisque vestrùm psalmum habet.*

Huius loci argum.

Duo hactenus executus est,Primum dono linguarum prçstantiorem esse prophetiam. Alterum peregrinas linguas inutiles esse nisi accesserit interpretatio.Iam his addit tertium de vsu donorum in genere. Ostendit.n.quomodo donum linguarū vtiliter sit exercendum.Deinde idem in dono prophetico ostēdit.De mulierib.quoq; regulam dat,deq; suis scriptis,quo loco sint habenda.Demum breui epilogo totā hanc causam concludit.

Propositio horum omnium est. Dona Dei ad certam vtilitatem, atque ordinem sunt adhibēda. Id per exempla docet,quæ desumit ex præsenti causa de linguis & prophetia.

Partes, sunt de vsu linguarum. 2.de prophetia. 3.de mulierum decoro in cœtibus publicis.4.de censura scriptorum Apostoli.5.breuis omnium Epilogus.

26. *Quid igitur fratres.*

Propositio hic continetur eorum,quæ deinceps ad finem vsque capitis tractabit.Omnia dona ad vtilitatem Ecclesiæ applicanda. Initio igitur percurrit præcipua, congerie quadam. *Cùm conuenitis.*Commendantur hìc cœtus Ecclesiastici.Dona quidem singulis prosunt, attamen in cœtibus sese in primis patefaciunt. Fuitque semper in more piis, cœtus aliquos cogere certis horis.

In cœtu Ecclesiastico vtiliter cōueniēdum.

Deinde in cœtib.omnes oportere vtiliter cōuenire,h.e.omnes aliquid vtile cōferant cœtibus:alius psalmum habet,alius doctrinam, alius linguam,alius reuelationem,alius interpretationem, h.e.singulis partitis officiis aliquid obeunt. Nam vetus Ecclesia non vni omnia imponebat,vt hodie fit.~~Minister hodie solus agit,&omnia~~ ferè in cœtu,orat, legit,interpretatur,reuelationes profert,docet linguas,explicat,cantū exorditur. Olim nō ita,sed alius legebat locū scripturæ, alius interpretabatur,alius addebat suū iudiciū, alius preces habebat,alius canebat,alius acclamabat Amen,& similia. Sic nemo videbatur otiosus in toto cœtu. Addit tertiò quo fine illa omnia fieri debeant,nō vt Corinthij cōsueuerāt ad ostentationē,sed ad certā vtilitatē.Sic ad Eph.4.ad instaurationē sanctorum

rum,ad ædificationem corporis Christi, vt suprà cap.12.ad vtilitatem datam esse manifestationem spiritus,hoc est,omnia dona ad certam vtilitatem dari.Hinc linguas damnauit extra vtilitatem.

27. *Siue quis lingua loquatur.*

Propositionem per species nunc dilatat. Nam in specie id seruandū esse docet, quod iam in genere proposuit.Dat autem pręcepta in dono linguarum seruanda.Ac primum numerum determinat loquentium, duos vel tres. Peccabant in eo quòd omnes loquerentur qui donum hoc haberent:Id corrigit,vt ad summum tres loquantur.Deinde faciant hoc ordine,quod dixit ἀνὰ μέρος,hoc est, per vices, nequis alium impediat, aut ne omnes simul perstrepant. Tertiò vnus interpretetur. Id enim est ad ædificationē loqui, & hoc contendit hactenus, ne locum darent linguis sine interprete. Quartò sine interprete sileant linguarū periti,aut saltem sibi ac Deo loquantur, hoc est,taciti sua secum agant,& submurmurēt quasi corā Domino solùm,ne cœtui sint molesti.Ex quo iterum patet olim in cœtibus officium docendi multis incubuisse, nec enim vnus omnia præstabat vt hodie. Mos videtur ductus à synagogæ consuetudine, in qua Iudæi rogabant etiam aliorū sententias.Hinc est quod Christus Luc.2. respōdeat & interroget.Et Luc. 4.datur illi liber legis,vt legat.Et in Actis : Apostolis in synagogis offertur dicendi locus,fuit is mos longè vtilissimus.Hodie non nulli in colloquiis hunc morem habent. Act.13.15.

29. *Prophetæ autem duo vel tres.*

Alter locus de prophetia, de qua etiam præcepta dat εὐταξίας & συμφέροντος. Primū est de numero prophetantium,h.e.interpretum scripturæ,& linguarum, duo vel tres conceduntur.Ex quo apparet promiscuè illos plures admisisse. Deinde reliquis cœtus diiudicet.Obserua prophetiam,h.e.interpretationem scripturę subiici examini,idq; totius congregationis. Hodie laici non solùm non iudicare permittuntur, sed ne lectio quidem scripturæ illis conceditur.Ideo recessum est à veteri & laudabili more Ecclesiæ.

Tertiò reliqui non debent negligi.*Si cui sedenti reuelatum fuerit,prior taceat.* Id eò facit ne reliquus cœtus negligi videatur.Nam donum Dei personis non est alligatum.Inde fieri potest vt quos Ecclesia deputauit ad munus interpretandi, non habeant reuelationem loci propositi : sed alius in turba sedens. Sint igitur vices dicentium & silentium,quod ad εὐταξίαν pertinet.

31. *Potestis enim omnes.*

Confirmat quod dixerat,vt vnus alteri cedat in dicendo.Ratio sumitur ab vtili.Nam εὐταξία ad id vobis proderit vt omnib.sic detur locus dicendi,quod aliàs fieri nō potest. Deinde omnes discēt,singuli à singulis docēdo discimus. Tertiò omnes consolationem habebunt,quia videbūt interpretationis variæ dona,quæ tamen ad vnū, & eundē scopum collimant.Cōsensus interpretationis confirmabit debiles in fide.Quartò, quia spiritus prophetis sunt subiecti. h.e.nihil ἀταξίᾳ facient,sed decēter & vtiliter. Et hoc distinguūtur prophetę veri à vatib.prophanis,quia illi omnia faciunt quodā furore,& ecstasi, alienātur mēte,& abripiuntur extra sese, vt sæpe seipsos nō intelligāt,inde ambiguè etiā ludūt,quia incerti sunt de rebus:At nostri prophetæ non ita:modestè & sedatè omnia agunt,spiritū habent sibi subiectum,vt nihil indecorum admittant, ideò libēter cedunt aliis. Quintò quia Deus author est ordinis & pacis in omnibus Ecclesiis. Ergo etiam apud Corinthios ordinem seruabit,aut illi non erunt Ecclesia Dei.Hinc desumpsit Nazianzenus οὐκ ἔστι θεὸς ἀκαταστασίας,καὶ ἀταξίας, ἀλλὰ εἰρήνης καὶ ταξίας. Sextò ab exemplo aliarum Ecclesiarum. In omnibus sanctorum Ecclesiis id seruatur. Ergo apud vos quoque seruandum est,nisi non sancti,& non Ecclesia Dei velitis haberi.

34. *Mulieres vestræ.*

Tertius locus de εὐταξίᾳ mulierum,sup.cap.7. correxit quod passis crinibus conuenirent. Hic iam quòd docendi munus etiam sibi arrogarent. Præcipit igitur vt in cœtu taceant.Idem 1.Tim.2.mulieri docere non permitto,sed esse in silentio,rationem addit, quia Adam primò formatus est, & ex illo demum Eua. Deinde quia decepta est prior, quo amisit omne ius præsidentię.Interim docere debent domi familiam.1.Tim.5. Tit.2. καλοδιδάσκαλοι dicuntur. Itaque hìc non prohibet priuatam institutionem, publicè aliquando Deus illorum opera est vsus, vt Deboræ,Mariæ, Annæ, sed singularia sunt,quæ ad publicum exemplum non sunt trahenda,nec præscribunt regulæ huic Apostoli. Apostolus hìc adhibet argumentum à natura, quia lex id prohibet.Legem vocat sentētiam Domini,qua Euam etiam dominio Adæ subiecit. Mulierib. in cœtu Ecclesiæ t. tacendum.

35. *Quod siquid discere volunt.*

Præoccupat quod excipere poterant. Ita nobis negatur discendi occasio.Respondet, non eò spectat præceptum meum:sed vt pudori vestro cōsulatur,domi discite,vbi præ-

Turpe mulieri in cœtu loqui.

ceptores & pædagogos habetis,cum quibus sine pudore,& salua fama confabulari potestis. Addit, quia turpe sit in cœtu loqui, hoc est, ignominiosum viris, & muliebri sexui quoque, quia cum suspicione infamiæ coniuncta est illa audacia.Certè id seruarunt Ethnici quoque,ne causam diceret mulier. Et Platonica Resp.eò vitiosa fuit,quòd fœminis virilia concederet ministeria. In dubiis verò non prohibet Apostolus consulere pios viros.Sunamitis consuluit Elisęum:vxor Ieroboam consuluit prophetam Achiam, & similia extant exempla,quæ regulæ Apostoli non derogant.

36. *An à nobis sermo Dei.*

Quartus locus,quo suæ doctrinæ fidem facit contra Corinthiorum arrogantiam.Illi soli sapere sibi videbantur,adeóque omnibus se præferebant.Hoc supercilium deprimit duplici argumẽto.Primùm sermo Dei à nobis non est ortus.Igitur nihil est cur vos solos efferatis. Deinde non ad vos solos deuenit:sed infinitæ aliæ quoq; sunt Ecclesiæ. Igitur ne putetis vos solos sapere. Hoc igitur posito concedit suæ doctrinæ examen, Corinthiis dicens : *Si quis videtur propheta esse aut spiritualis* , hoc est , iis concedo censuram doctrinæ meæ,qui spiritu Dei ducuntur.Idem enim est iudex doctrinę qui dictator.Deinde Dei præcepta vocat, hoc est, diuinitus inspirata, & ob id authentica. Magna est commendatio Apostolicæ doctrinæ , & necessaria, ne putent Corinthij parum referre seruarent illam nécne.

28. *Qui verò ignorat,ignoret.*

Duplex ignorantia.

Id interpretor,vt illud suprà cap.11.Si quis verò cõtentiosus est,sciat nos illã consuetudinẽ non habere nec Ecclesias Dei.Significat.n.suas rationes modestis satisfacere & piis. Cõtẽtiosis verò nullas satis firmas esse rationes,quia in victoria omnia ponũt. Disce hinc ignorãtiam duplicẽ esse. Vna est, quã tollit lumẽ verbi Dei.Illuminat.n.omnẽ hominẽ venientem in hunc mundũ.Illa est naturalis cæcitas sed non affectata.Talis in sanctis quoq; reperitur,quã mõstratã mox incipiũt detestari.Alia est affectata,quã verbum Dei non expugnat,sed relinquit,quia duces cæci sunt,& cæcorum. Hinc est quod Christus Iudæorũ crassam ignorantiã non expugnauit.Et Apostoli hæreticos sui seculi non conuerterũt,sed reliquerũt in sua ignorantia,quia hic finis eis non est,vt talẽ contumaciam corrigant,sed valere sinunt.Qui ignorat,ignoret:idq; suo malo & periculo.

39. *Itaque fratres.*

Conclusio

Quintus locus.Epilogus totius disputationis : primùm ad præstantioris doni studium excitat vt prophetent , quia prophetiam reliquis prætulit donis , nominatim linguis. Deinde linguis suum concedit locum , ne in totum videatur illas damnare. Itaque res bonas simpliciter concedit:ordinem tamen dignioribus vendicat. Tertiò ad vsum reuocat, vt decenter, ordine omnia fiant,εὐσχημόνως dicit, quia mulieres iussit decorum seruare,& in ordinem redegit,viris prærogatiuam dedit.κατὰ τάξιν autem,quia ordinem instituit docentium,loquentium,& iudicantium,præterea quia iussit vnum alteri cedere Dei authoritate,&c.

CAPVT XV.

Argu.



LOcus sextus hîc explicatur de resurrectione carnis , quem articulum nonnulli in dubium vocarant apud Corinthios. Quod Ecclesia illa mixta esset ex Iudæis & Gẽtibus,vt & aliæ. Ex Iudæis autem Sadducæi palàm illam negabant:vt est Matt.22. Ex Gentibus verò nemo satis rectè de hac quæstione constituere potuit , cùm sola ratione niterentur , cui quæstio hæc repugnat. Ideo non mirum erat si multis nouum videretur.Sed & inter Christianos multi in ea aberrarunt. Nam alij ad historiam passionis Christi retulerũt quasi in illius resurrectione omnium resurrectio esset completa. Alij ad vitæ emẽdationem,quasi nihil aliud esset,quàm animorum quædam renouatio. In qua sententia Philetus , & Hymenæus fuerunt. Et Manichæi similia defenderunt,ac Libertini nonnulli nostro seculo.

2.Timo.2.

Quæstio igitur ista ad Apostolum est consultò reiecta cum aliis:ac fortè postremo loco proposita. Vnde factum vt postremo loco ab Apostolo explicetur.Porrò diligẽter & ardenter discutitur. Nam doctrinam hanc veterem esse indicat, & consentire scripturis & doctrinæ reliquorum Apostolorum. Inde variis argumentis & rationibus illam confirmat. Hinc de modo & forma resurrectionis disserit. Tandem cohortatione quadam omnes monet,vt in hac constanter perdurent.

Propositio

Πρόθεσις est.Resurrectio carnis generalis omnium hominum,firmiter credentibus est credenda.

Partes sunt.Initio nouo exordio accedit ad nouã quæstionẽ,quod sumit à genere doctrinæ:vt omnia ad attentionem & docilitatem accommodet. Secundo loco confirmat variis argumentis scopũ,quòd resurrectio sit credenda. Tertiò de forma resurrectionis

& modo diffusius agit:quia & ipsa ad confirmationem illius articuli pertinet.Quarto epilogo locum hunc concludit.

1. *Notum facio vobis,fratres, Euangelium,quod Euangelizaui vobis,quod et accepistis, & in quo statis.* Exordium est, quod ad attentionem facit. Mens illius est. Doctrina de resurrectione,quā vobis proponam non est noua:sed est ex ipso Euāgelij fonte deprompta.Id indicat verbis selectis.Primùm quia,inquit,γνωρίζω ὑμῖν,hoc est,reuoco vobis in mentem,quasi dicat,non docebo,sed prius tradita refricabo memoriæ vestræ.Hunc sensum habet Chrysost. Vel γνωρίζω, hoc est, declaro vobis, quasi dicat,non quidem noua est doctrina , sed quæ apud vos opus habeat declaratione. Quod sanè mirum non est, quia opinionum varietate res etiam apertæ fiunt obscuræ,& intricatæ:non quidem sua natura,sed hominum disputationibus,& contrariis argumentis, quæ non facilè ab omnibus possunt discuti. Vterque sensus vim argumenti habet , siue monendi , siue explicandi causa , illa dixerit. Deinde non noua est , quia priùs eis eam annunciauit. Non est igitur noua saltem Corinthiis. Tertiò quia hanc doctrinam pridem recepistis,& adhuc in ea statis. Quomodo ergo vobis noua esset? At cùm stare eos dicit, respicit maiorem partem, qui constantes erant in ea,licet pauci nonnulli eam corrupissent. Quartò salutaris est doctrina si seruetur. Non pertinet hoc ad antiquitatem doctrinæ , sed vtilitatem potius : promittit autem salutem ex hac doctrina, quia simpliciter Euangelium est potentia Dei,ad salutem omni credenti,Rom.1. Addita est limitatio ne putemus Euangelium prodesse quouis modo : sed si retineatur sanum, vt propositum est ab Apostolis: facit hoc contra corruptelas doctrinæ. Danda est opera vt doctrina sacra retineatur sine corruptelis.Deinde ne temerè,hoc est,inconstanter credamus. Nam εἰκῆ dicitur credere , qui casu credit , & casu fidem deponit : vel qui ad finem optatum non peruenit. Quales sunt illi in parabola Christi Matth.13.qui viæ & sentibus respondetur.

Doctrinam de resurrectione non esse nouā.

Nō esse inconstanter credēdum.

3. *Tradidi enim vobis in primis quod etiam acceperam.*

Altera pars exordij, quæ ad docilitatem facit. Ostendit enim iam quæ sit illa doctrina,quam illis priùs tradiderit,& illi acceperint,& in qua adhuc stant,quæque opus habeat apud ipsos explicatione,& declaratione:illa est de resurrectione carnis.Hic constituenda est propositio disputationis. Firmiter debet retineri fides de resurrectione carnis apud pios.Hanc Apostolus accommodat ad historiam passionis Dominicæ.Ideo hîc primùm expendantur verba. Deinde fiat resolutio ad institutum Apostoli. Primaria est doctrina de resurrectionis articulo , quia Apostolus hanc reponit inter πρῶτα. Sunt in religione quædam πρῶτα,quædam δεύτερα,hoc est,quædam in primis necessaria : vt fides in Christum,de illius merito,de officio dilectionis,de spe resurrectionis,de vita æterna, quæ primaria sunt : quia sine his reliqua non subsistunt,aut frustra suscipiuntur. Δεύτερα sunt quæstiones variæ ac scrupulosæ,sine quibus pij in Christo manere possunt, de quibus tutò dicere possunt : illa ignoro. Item quæ ex primis fluunt,vt tollerantia in aduersis,constantia in cruce, martyrium, persecutio. Quæ omnia nihil prodessent, nisi prima illa firma essent,vt nisi firma sit resurrectio mortuorum,illa omnia frustra suscipiantur.

Doctrinam de resurrectione inter primarias reponi

Deinde hanc doctrinam vocat traditionem,tum quia aliunde accepit eam,tum quia aliis tradidit. Priùs commendat illam cùm non sit inuentum Apostoli , sed Dei reuelatio.Ac quòd àDeo acceperit,habes ad Gal.1.Ideo Angelum etiam damnat si vellet aliud Euangelium annunciare,quàm quod ipse iam proposuerat. Quòd autem aliis tradiderit inde est, quia Corinthios docuerat & alios , qui idonei essent ad sanam doctrinam propagandam ad posteros,quod ad finem boni ministri pertinet curare vt relinquat post se custodes,& defensores sanæ doctrinæ. Gal.1.

Tertiò per speciem declarat se. Nam exemplum resurrectionis proponit in Christo. Distinguit autem historiam passionis in tria membra, mortem, sepulturam, & resurrectionem.Mors expiauit peccatum, sepultura mortem veram obsignauit,resurrectio iustificationem nostram absoluit.

Sed ad rem argumenta referamus. Propositio est.Resurrectio carnis firmiter est credenda,id probandum est.Sint argumenta ex contextu præsenti illa. Primum, quia doctrina illa est Euangelij primaria,&antiqua.Ergo non est deponenda.Quòd sit Euangelica inde constat , quia Paulus & reliqui Apostoli ministri Euangelij , hanc docuerunt Ecclesias.Quòd autem primaria,quia Apostolus hanc ἐν πρώτοις reponit,& docuit. Propositio 1.Arg.

Alterum,quia Corinthij hāc pridem receperant publicè.Non oportet autem inconstantem esse in fide,nunc hoc nunc aliud credere, vt faciunt illi qui meritò πρόσκαιροι dicuntur.Valet hoc argumentum apud Corinthios,à quorum persona est desumptum. 2.

Tertium,quia doctrina hæc sinceriter seruata,seruat σώζεται,hoc est,talis est sine qua reliqui articuli fidei non prosint.Hæc suppeditat exordium.Hinc propiùs accedamus. 3.

Quartum, quia Christus resurrexit. Ergo resurrectio est. Quod enim in vno indiuiduo ostendi potest verum esse, id etiam in genere est: vt si Paulus verus est doctor Euangelij, Ergo simpliciter doctores sunt. Si Adam mortuus est, mors est. Si Christus resurrexit, resurrectio simpliciter est. Hoc argumentum fundamentum est doctrinę nostræ, & iustificationis, ideo diutius in eo commoratur ac probat antecedens, quòd scilicet Christus resurrexerit. Idq; varijs modis. Primùm resurrexit Christus, quia scriptura hoc de illo prędixit. Argumentum vim habet authoritatis diuinæ, quia scriptura diuinitus est inspirata. Ideo quòd illa loquitur Deus loqui dicitur. Scripturæ testimonium habes Psalm. 22. Esa. 53. 55. His addi possunt noui Testamenti testimonia Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud. Item quæ habent Euangelistæ Matth. 28. Marc. 16. Luc. 22. Ioan. 20. Deinde addit diuino testimonio humana. Petro visus est post resurrectionem & verè resurrexit, vide Luc. 24. Tertiò ipsis duodecim visus est, hoc est, primariis Apostolis, qui hoc numero etiam vocari solebant οἱ δώδεκα, quamuis vnus Iudas deesset, vt apud nos ducenti dicuntur conuenisse & constituisse aliquid, licet aliqui desint de hoc numero. Vide Ioan. 20. Luc. 24. Quartò idem testatur plusquam 500. fratres, quibus simul apparuit. Numerus testimonium confirmat, & quòd ex his multi viui adhuc sint. Quintò accedit Iacobi testimonium qui frater Domini est dictus, & ab Apostolis separatur, quia non Apostoli munere est functus, sed potiùs Episcopi, quia Hierosolymitanæ Ecclesiæ solùm præfuit, non alias instituit. Sextò Apostolis omnibus, pręter scilicet illos duodecim aliis selectioribus, quales illi septuaginta discipuli. Alioquin repetitio erit inanis tertij testimonij. Septimò accedit testimonium ipsius Pauli, qui testatur Christum verè resurrexisse, Act. 9. Hoc septimum testimonium illustrem habet tractationem, quia suum est. Ideo de se ampliùs dicendum fuit. Ideo commoratio in eodem argumento hîc diligenter est expendēda. Primùm de se summa humilitate pronunciat. Ἔκτρωμα se vocat, hoc est, fœtum immaturum, quia fortè subitanea fuit sua vocatio & in momento cōuersus, ad quem morem non perficitur iustus fœtus: sed diuturnitate quadam & mora illi opus est. Sic reliqui Apostoli diu cum Christo sunt conuersati vt idonei redderentur. His collatus Paulus ἔκτρωμα est, subitò formatus. Sic ad Rom. 9. κάθαρμα cupit fieri pro suis fratribus: passim humiliter & abiectè de se sentiens.

2. Tim. 3. — Pauli ipsius de resurrectione Christi testimonium

9. *Ego enim sum minimus Apostolorum.*

Pergit iudicium suum de seipso declarare, redditque hîc aliquam rationem, cur se vocarit ἔκτρωμα: ratio est, quia collatus reliquis Apostolis facilè agnoscit se minimum. Ad Eph. 3. minimum se vocat credentium. Minimus autem apud se, & æstimatione aliorum. Pietas enim libenter aliis dat locum, non est arrogans, non inflata, non sui amore laborans, vt nec charitas. Alioquin cùm Apostolus se in aliis confert, non dubitat sese efferre, & contra malos non veretur sese aliis Apostolis æquare: adeóque præferre. Deinde ait, non dignus sum vt vocer Apostolus, οὐκ ἱκανὸς, hoc est, non sufficiens, non par, non potestatem & facultatem habeo, cuius respectu dignus haberi possim. Deiicitur hîc naturalis facultas ad ministerium, quæ si in nobis consideretur, nihil affert quo digni effici possimus, ἱκανότης illa & δύναμις non est physica, sed Spiritus sancti & gratiæ diuinæ.

Pietatis ingenium.

Rationis ratio est, quia persecutus sum Ecclesiam. Historiam habes in Actis, præcipuè cap. 9. quomodo aliquoties ipse repetit in Act. 22. Gal. 1. ver. 13. Philip. 3. ver. 6.

10. *Gratia autem Dei sum id quod sum.*

Hactenus deiecit se, quatenus suam naturę dignitatem respexit. Nunc sese recolligit. Nam suo testimonio non minor authoritas tribui debet, quàm Petri, Iacobi, & aliorum qui Christum testātur resurrexisse. Ideo ad hanc cōciliandam profert dignitatem suam, non quidem è naturæ suæ penetralibus, sed gratię diuinę sinu. Sum inquit, Apostolus, & fide dignus: sed gratia Dei hoc totum habeo. Deinde gratia Dei in me effusa non inanis fuit in me, hoc est, non irrita, non vana, non frustra collata, sed in hunc finem, vt authoritatem haberet mea doctrina, & ego cum fructu docerem. Id mox probat, quia copiosiùs aliis laboraui omnibus. Id si ad malos Corinthiorum doctores referas verissimum est: sin ad veros Apostolos, quoque suo respectu verum est. Primùm enim Paulus in primis Gentibus multis prædicauit, quod Petrus non fecit, vt Gal. 1. scribitur, cui commissa fuit cura circuncisionis. Deinde quamuis alij etiam inter Gentes docuerint, longiùs tamen Paulus propagauit doctrinam Christi quàm alij fecerint, qui apud vnam nationem solùm docuerint, hic autem apud multos. Deinde primarias Paulus accessit vrbes, & facem Euangelij intulit arci imperij. Romæ enim Cæsaris aulam illustrauit hac doctrina. Porrò hanc Pauli gloriationem debemus accipere positam contra impios doctores, qui eius authoritatem apud Corinthios eleuabant. Corinthiis igitur opponit suos labores, vt norint cui credant, & quantum ei tribuendum esset.

Paulũ plus aliis laborasse.

Nos

Nos discamus nostram imbecillitatem agnoscere,vt in hac vitia nostra etiam pręterita semper ob oculos teneamus,vt horum cōspectu in humilitate semper cōtineamur.

Deinde bona Dei in nobis dona non extinguamus, sed illa Dei gloriæ subiiciamus. Ac vt gratiæ accepta referimus:sic honori illius subseruire debent.Denique omnia facta nostra ad eandem Dei gratiam,tanquam veram causam referamus. Id quod hic facit Apostolus, & ad Ephes. 3. Et hactenus quidem digressione vsus probauit quartum resurrectionis argumētum quod sumpserat à Christi exemplo. Hunc enim resurrexisse probauit septem argumentis, inter quæ suum fuit vltimum, qua occasione de se copiosiùs disseruit. Nunc se reuocat.

11. *Siue igitur ego,siue illi sic docemus & vos ita credidistis.*

Collectio est, qua duo prima argumenta colligit. Primùm quia doctrina resurrectionis sit Apostolica, non solùm vnius Pauli,sed aliorum omnium. In qua re nihil referat, quales & qui sint Apostoli, sed rei hanc esse veritatem. Deinde quia Corinthij pridem hanc doctrinam receperant.Ergo turpe sit illis adeò facilè illam deserere.

12. *Quòd si Christus prædicatur.*

Repetitio quęstionis principalis,quam pugnantibus infirmat partibus,quæ se mutuò tollunt. Quæstio est inter vos an sit resurrectio carnis. At simul apud vos prædicatur Christi resurrectio,idque ex mea,& aliorum Apostolorum doctrina.Quomodo illa sese non tollunt? Reciprocum sanè est argumentum. Christus resurrexit, ergo resurrectio est.Et,Resurrectio non est: ergo nec Christus resurrexit. Negate ergo Christi resurrectionem,vel cum illa simpliciter concedite carnis resurrectionem.

Christi resurrectionē necessariò inferre nostrā omniū resurrectionem

13. *Nam si resurrectio non est.*

Quintum argumentum quod sumit à consequentibus absurdis. Ostendit enim quæ & quanta incommoda sequuntur si hypothesis illa detur. Resurrectio mortuorum non est. Primùm enim hinc sequitur Christum non resurrexisse. A toto enim destructo sequitur partis destructio.Ab vniuersali negato, negantur singula particularia:& sublata specie,tollitur illius indiuiduum.

Alterum est, quòd vana sit prædicatio Apostolorum qui passim docent non solùm Christum resurrexisse,sed etiam generalem omnium hominum expectandam esse resurrectionem. Hæc tota doctrina vana erit.

Tertium absurdum,*vana etiam est fides vestra.* Hoc in primis vrget Corinthios. Nam reliqua absurda poterant eludere: quasi ad se parum spectarent. At hoc ad illos planè pertinet,nec possunt hic ignominiam effugere si defecerint à doctrina cœpta.

Quartum est,Apostoli erunt falsi testes Dei,hoc est,Deo tribuunt quę Dei non sunt, falsò de Deo prædicant,quæ illius non sunt.Κατὰ τοῦ θεοῦ,hoc est,contra Deum,quasi dicat,tribuimus Deo,quæ nunquam fecit. Quod genus mendacij pessimum est. Christum enim docemus à Deo excitatum.Hoc falsum deprehenditur ex illa hypothesi.

16. *Nam si mortui non resurgunt.*

Sextum argumentum ab aliis absurdis quæ hinc nascuntur.Noua est conglobatio ab eodem instituta principio. Primùm Christus nō erit excitatus. Deinde inanis erit fides vestra,hoc est,non perueniet ad optatum finē,stulta,vana, & inepta erit. Tertiò adhuc estis in peccatis vestris.Nam liberatio à peccatis effecta est per mortem,& resurrectionem Christi.Quòd si tollas resurrectionem,tollis etiam hoc beneficium Christi. Quartò mortui in Christo perierunt, h.e.qui pro Christi gloria, & nomine subierunt martyria frustra hoc fecerūt.Nulla erit spes vitæ.Eleganter autem loquitur de mortuis,quos vocat dormiētes, quasi aliquādo resuscitādos. Deinde in Christo quasi cum illis Christus vel viuat,vel moriatur.Quintò Christiani erunt omniū miserrimi,& cur hoc? quia in hac vita tantùm sperant in Christum, in qua eos non liberat è periculis, sed summis malis potiùs obiicit. Occiduntur, & moriuntur tota die, mille mortibus tolluntur, & cur hoc totum si nulla sit resurrectio? Beatior sanè fuerit aliquis Epicurus asotus, qui sese huius vitæ commodis suauiter & bellè accommodaret, qui diceret,Ede,bibe, post mortem nulla voluptas.Hæc tanta absurda quis ferat inter Christianos?quis non detestabitur?Itaque falsa est hypothesis prima, ex qua hæc lerna malorum promanat.

6.Arg.

20. *Nunc autem Christus excitatus est à mortuis.*

Persequitur reliqua argumenta Apostolus quibus resurrectionem carnis probat,quę superioribus addemus. Ac his verbis septimum continetur, à positione consequentis ad positionem antecedentis hoc modo:Si resurrectio non est, Ergo nec Christus resurrexit.At Christus resurrexit, Ergo resurrectio est. Hinc iam consequens probat: quomodo scilicet resurrectio nostra ex Christi sequatur. Optimè,inquit,sequitur, primùm quia Christus est ἀπαρχὴ, primitiæ dormientium. Quemadmodum autem in primitiis

sanctificantur reliquæ fruges omnes,sic nos in Christo. Sequitur igitur nostra resurrectio ex Christi resurrectione, quemadmodum frugum benedictio , ex primitiarum benedictione. Altera est ratio ab analogia Christi,& Adami. Cuius hæc est sententia. Oppositæ causæ,oppositos habent necessariò effectus. Sed Adam & Christus oppositę sunt causę originales:hoc modo,quia per hominem scilicet Adamum mors:Ergo per hominem Christum resurrectio à morte. Adam suæ posteritati author fuit mortis,Sic Christus suæ posteritati author est vitæ.

22. *Quemadmodum enim in Adamo.*

Adamo & Christo tribuitur in suos vniuersalis deriuatio.

Declaratio plenior collationis, in qua obserua vtriq; tam Adamo, quàm Christo tribui vniuersalem in suos deriuationem. In Adamo omnes morimur,primum impij verè: deinde etiam pij temporali morte. Itaque omnes , vel ad solos impios restringi potest: vel ad omnes in genere mortales, sic in Christo omnes vitæ restituuntur : primùm sancti,deinde impij,illi ad vitam æternam animo & corpore,hi autem corporibus ad ęternas pœnas. Itaque rectè colligitur, Impij etiam in Christo resurgent , hoc est , illorum corpora quoque excitabuntur vi resurrectionis Christi.Ergo multò magis electi.

23. *Quisque autem in suo ordine.*

Resurrectionis ordo.

Per occupationem reddit rationem ordinis , quo resurrectio est perficienda Christus vt primitiæ primo loco resurrexit. Ideo qui passionis tempore surrexerunt , post Christum resurgentem comparuerunt.Sic illius aduentus ad iudicium pręueniet generalem resurrectionem. Deinde resurgent electi in Christo,hinc impij quoque.Hunc ordinem videtur innuere.Similem habes 1.Thes.4.ver. 15.

24. *Deinde finis.*

8. Argumentum à diuina ordinatione contra hostes Christi. Argumentum est tale: oportet esse finem hostium Christi omnium. Ergo mortis quoq;. At sublata morte statuitur vita. Ergo resurrectio erit.

Deinde erit finis scilicet omnium hostium Christi,& eius Ecclesię:vel τέλος perfectio erit, quæ esse non potest nisi corpora vitæ restituantur , & mors planè finiatur,hoc est, tollatur. Cùm tradiderit regnum Deo , & Patri. Tradit filius regum se non eodem priuando, quemadmodum Pater Filio dedit,non vt ipse non haberet ampliùs:sic tradit filius non se priuando. Deinde tradet hoc regnum quo vsus est in militante Ecclesia, protegendo,consulendo,confirmando,consolando, quæ omnia illic non habebunt locum. Itaque hoc regnum totum Deo Patri resignabit.

Quo sensu dicatur Filius regnũ Deo Patri traditurus

Præterea prius abolebit omne imperium,potestatem & virtutem. Quæ de malis spiritibus possunt intelligi,qui principes sunt aëris,& hostes Christi,ideóq; in primis subiiciendi. Sed de bonis etiam intelligi possunt,quia bonorum ministerio vtitur nunc in gubernanda & tuenda militante Ecclesia , quæ ministeria tum abolebuntur. Sic politici magistratus ministri Dei sunt ad tuendum bonos, & puniendum malos, sed & illi abolebuntur. De malis tamen spiritibus accipi hoc loco consequentia docent.

25. *Oportet enim illum.*

Causæ redditio.

Αἰτιολογία est, quæ priora illustrat,s. quod de malis potestatibus,h.e. imperio Diaboli loquatur , q. d. regnum hoc Christi in militante Ecclesia durabit vsque dum omnes hostes suos subiecerit. Inter quos etiam mors est , quæ vltimò est demolienda Christi aduentu. Vide ordinem hostium Christi, & Ecclesiæ. Primus est Satan,quia primus author fuit defectionis,proximus est peccatũ,quod eius suasu successit. Tertius est calamitas à vitę miseria,morbi,diffidētia,dubitatio,& mille alia. Vltimus est mors:quo tādem finiuntur huius vitæ mala. Iste hostis quoq; vltimò tollēdus est. Sublata autē morte statuitur vita,nihil.n.morti contrariũ est,quàm vita,eaq; tā corporis quàm animæ. Locus est desumptus ex Psal.110.quem habuimus Matth.22.ver.44.& Act.2.v.34.Heb.1.& 10.

27. *Nam omnia subiecit sub pedes eius.*

Locus ex Psal.8. qui citatur etiam ad Heb.2.sententia est : Pater filio omnia subiecit, in hac gubernatione Ecclesiæ,vt de omnibus tandem subiectis planè triumpharet. Est hìc addita exceptio,Pater non subiicitur filio.

28. *Quando autem subiecta illi fuerint omnia.*

Quo sensu dicatur Filius Patri subiici.

Filius tandem Patri etiam subiicietur,ratione humanæ naturæ,quæ illi nobiscum est communis*, & hac inferiorem esse patre non est absurdum. Et hanc subiectionem tum demum palam videbimus. Deinde Ecclesia Christi tanquam illius corpus planè tum & integra Deo Patri offeretur triumphans. Qua ratione subiici dicitur Christus patri, quia corpus eius,hoc est,Ecclesia,planè Deo subiicietur, quæ in hac vita non Deo tota seruit,sed carni militat & desideriis aliis. Locum hunc Eutyches per conuersionem humanæ naturæ in diuinam est interpretatus & malè.

Vt Deus

Vt Deus sit omnia in omnibus, hoc est, pleno imperio suos gubernet, sine ministerio creaturarũ. Hic enim nos seruat mediis, cibo, potu, legibus, disciplina, sacramentis, &c. His tum non erit opus, sed suo aspectu solo, & plene seruabimur. Ita Deus erit omnia, hoc est, pro quouis medio conseruationis, quo nunc vtitur in hac vita vario, &c.

29. *Alioquin quid facient qui.*

Nonum argumentum ab absurdo, qui pro mortuis baptizantur, spe resurrectionis id faciũt. Ergo est credẽda. Quomodo quidam pro mortuis sint baptizati declarat Epiphanius cõtra Cerinthum scribens, qui solebat quosdam subornare, qui baptizarentur pro iis, qui sine baptismo decessissent, ne illis in resurrectione abesset baptismi penuria. Idẽ fecerunt Marcionitæ & Clinici. Sed affert Epiphanius aliam sentẽtiam nec malã: quòd fideles in mortis periculo baptizarẽtur, nõdum. s. baptizati, idq; in testimoniũ quòd resurrectionẽ sperarẽt. Sic valebit argumentũ à fine verbi baptismi. q. d. verus baptismus suo fine nõ frustrabitur. Ergo resurrectio est. Est & tertia sentẽtia pro mortuis, h. e. profitemur hoc in Baptismo, quòd credamus mortuorũ resurrectionẽ. Hinc baptizandi rogati cõfitebãtur in primis hoc: Credo mortuorũ resurrectionem. Vel ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, scilicet, σωμάτων. Sic omnes baptizamur pro moribundis nostris corporibus, hoc est, in consolationem, & spem, quia aliquando sint vitæ restituenda. Id totum vanum esset. Epiph. sententia.

30. *Et cur nos periclitamur?*

Decimum argumentum ab alio absurdo. Stolidi essent Apostoli si vellent pro nihilo tot malis & periculis exponi, quod sanè credibile non est. 10.

31. *In dies morior.*

Vndecimum argumentum à suo exemplo. Non est credibile Apostolum Paulũ pro re nihil tot mala sponte subire, quæ spe resurrectionis omnia suffert. Mala illa patheticè describit: In dies morior, inquit, quia tãta sunt vt singula per se iusta mortis causa haberi possint. Adeò in hac vita tota pij nihil pacatum, & volupe secundum mundum habent. Deinde confirmat hanc acerbitatem iuramento. Νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, de quo vide August. epist. 89. Alij legũt ὑμετέραν vestram, quasi Corinthios hic vrgeat. Sed idem est sensus. Ostendit autem piorum gloriam positam esse in Christi resurrectione, ex qua depẽdet etiam nostra. Tertiò affert singulare specimen calamitatum, quod illi contigit, scilicet Ephesi depugnasse cum bestiis. Id an de tumultu intelligi debeat, qui habetur Act. 19. an verò de bestiis reuera, quibus fuerit obiectus, vt Daniel in Babylone, non satis constat. Credibile tamen est singularem hunc casum non esse allegoricum, sed reuera bestiis obiectum. Cur verò in Actis eius non fiat mentio non constat, nisi quòd cum aliis multis etiam hoc intermissum est. Quæ mihi vtilitas? hoc est, ineptus sum si pro mendacio hoc fero, pro nihilo miser sum: satius erat edere & bibere, quia cras morimur, voces sunt impiorum. Sed nouum hinc facit argumentum. 11. Frustra serui Dei in hoc mundo laborare si nulla sit resurrectio.

32. *Edamus & bibamus, cras enim morimur.*

Duodecimum argumentum. Si non est resurrectio satius est indulgere voluptatibus. At id falsum est. Ergo illa debet sperari. Locum videtur desumere ex Esai. 22. vbi impij prophetam irrident prędicentem in dies mala impœnitentibus, illi contrà excipiebant ridendo, Edamus & bibamus, quia, vt ait propheta noster, moriemur. Id rectè accommodat præsenti quæstioni, quia impij, & de grege Epicuri sapientissimè sibi videntur facere omnibus contemptis, solis voluptatibus vacando. Id, inquit, rectè fieret, si non esset resurrectio. At est. Igitur illud non rectè dicitur. 12.

33. *Ne erretis.*

Epilogus confirmationis: hactenus variis argumẽtis probauit resurrectionẽ, nũc rem in Epilogũ cõtrahit, & Corinthios grauiter taxat. Primùm ne erretis, inquit. Error igitur est negare resurrectionem, & quidẽ magnus. Deinde mali dogmatis doctores iubet cauere, corrũpunt bonos mores colloquia praua. Menandri versus est, de quo vide prouer. apud Erasmum. Locus admonet periculosam esse malorum conuersationem. Quod declarant varia exẽpla. Deinde Ethnicos à piis legi posse exẽpla Apostoli, quẽ non pudet ab Ethnicis veram sententiam proferre: de quo plura diximus in locis. Tertiò subindicat causam dogmatis, quæ est illorum securitas, q. d. non satis vigilanter cauetis tales doctores, vnde fit vt dogma hoc locum obtinuerit. Superest vt euigiletis. Quartò securitatem hanc non carere peccato: quod verum est, tum in iis qui tales coërcere debebant, tum in iis qui illos sectantur. Cui est coniunctum aliud peccatum, quòd Dei ignorantiam habent. Nam qui negant resurrectionem, reuera non rectè norunt Deum. Cùm enim Deus sit Deus viuorum non mortuorum, quomodo corporum nõ erit Deus? aut quomodo illa non viuent suo tempore? Quintò finem obiurgationis indicat ἐντροπὴν, pudor, q. d. bono fine totũ hoc facio, porrò vobis nolo prodere nominatim autho- Conclusio. Erroribus occasionẽ dari à nimia securitate.

rē,quod possē.Interim vestrū est erubescere,eoq; magis quia nolo vos confundere,&c.

35. *At dicet aliquis,quomodo suscitabuntur mortui,qualine corpore prodibunt?*

Resurrectionis forma. Tertia pars sequitur de forma & modo resurrectionis.Hactenus ostendit τὸ ὅτι variis argumentis. Iam digreditur in formæ declarationem , quæ & ipsa ad confirmationem spectant. Rem.n.apertius proponit , vt Corinthij in ea minus dubitarent. Porrò initiò proponit quæstionē sub persona eorum qui dubitāt de resurrectione. Mox sua persona subiicit respōsionem per similia quidē,quæ causam illustrāt. Quæstio proponitur versu hoc. In quo obserua qui proponant eam. At dicet aliquis. Incerta est persona. In quo est obseruanda Apostoli modestia taxantis vitia,interim parcētis personis. Errores & scelera semper sunt odio habenda &corrigenda:at personis parcendū est,vt illas odio non habeamus.Qui autem illi fuerint,qui id dicunt,colligi potest ex superioribus,eos scilicet fuisse,qui cognitionem Dei non habuerunt,quos mox stultos vocabit,quia de resurrectione mortuorum dubitabant.Atque illa de persona proponentium quæstionem.

Quęstio duplex. Alterū est quæstionis genus.Quærunt.n.illi quomodo surgant & quali corpore. Duo igitur quęrebant πῶς καὶ ποίῳ σώματι?Prius illud πῶς intelligo de modo possibilitatis,q.d. quomodo id fieri potest?Estne possibile quod dicis de mortuorum resurrectione.

Posterius verò de æqualitate gloriæ, & ignominiæ:vt sit sensus, Si futura sit resurrectio, eritne idem discrimen, quod nunc videmus dignitatis, vt alia sit futura nobilium & magnorum virorum,alia idiotarum,qualia videmus in his terris seruari?Ad vtranq; respondebit ordine.

36. *Demens,quod seminas non.*

Responsio. Responsio est Apostoli ad superiores quęstiones. Ac primū priori satisfacit. Initio taxat personam obiicientem,ἄφρον, significans quæstionem hanc merā esse stultitiam. At mouent hanc sapientissimi quique in mundo philosophi,politici,diuites,ipsa ratio humana.Ex quo efficitur rationē ipsam,philosophos ipsos stultitiæ damnari ab Apostolo, saltē eo nomine,quòd in hac quęstione hærent.Deinde directè respōdet argumento satis populari à re rustica sumpto. Seminat nō renascuntur sine interueniēte morte, quæ si accesserit,læta spe surgunt ad vberiorem fructum,& ornatum.Ergo resurrectio quoque interueniente morte fieri potest.Argumentum à simili valet manente similitudine.

37. *Et quod seminas non corpus.*

Altera pars qua respondet posteriori quæstioni, scilicet diuersa dignitate surrectura, quàm sepeliantur nunc.

Argumentum à simili ducitur. Quemadmodum semina nuda seruntur , & cum quadam ignominia, quia putrescunt,& surgunt magna cum gloria, & dignitate in herbam & spicas:sic corpora nostra magna cum gloria resurgunt post mortem.

38. *Deus autem dat.*

Causam vtriusque ad eundem authorem refert Deum. Nam Deus tam in natura agit excitante ex grano herbam , quàm in cadaueribus nostris quæ ad gloriam aliquando redibunt, firmum est argumentum à Deo pendere causam nostræ resurrectionis, non à cadaueribus nostris. In quo errore Origenes quoq; dicitur fuisse,& Iudæi. Cauendum tamen hîc ne putemus diuersum corpus surrecturum:imò idem indiuiduum surget, sed alia maiestate & gloria.De quo in loco de resurrectione diximus,quem vide.

Eadem individua surrectura.

39. *Non omnis caro eadem caro.*

Altera ratio qua declaratur gloria resurrectionis,quòd scilicet sit differens futura ab hac gloria huius vitæ,primū quia hoc ita euenire videmus in seminibus,vt maiore gloria renascātur. Deinde quia discrimē hoc videmus in aliis speciebus animaliū si ad hominem cōferantur pecora,pisces, aues,cū homine commune id habent vt omnes caro sint.Interim differentia ingens est gloriæ.Nā hominis caro principatū habet. Id tamen nō tollit,quin caro sit,quod illi est cōmune cum ceruo,cane,pisce. Sic ergo gloriæ differentiæ non tollunt corporum proprietatem & naturam.Gloriosa erunt licet sint corpora mansura.Obserua obiter hic piscibus carnem tribui,quod & philosophi & medici agnoscunt.Stulta igitur est distinctio Pōtificiorum,qui carnem à piscibus distinguunt.

40. *Et corpora cœlestia.*

Tertia similitudo qua gloria illustratur corporum post resurrectionem. Qualitates illustres non tollent aut destruent corpora , quia in corporibus cœlestibus ac terrestribus idem videmus. Apta est distributio corporum in terrestria, qualia sunt ἔμψυχα, de quibus iam dixit,& ἄψυχα,vt lapides,metalla,plantæ,hoc quidem commune habent vt sint corpora. Differentia autem accedens dignitatem & gradum gloriæ facit. Cœlestia corpora quoque conueniunt in eo quòd sint corpora.At principatus Soli tribuitur,inde Lunæ,hinc ordine aliis stellis,quod genus non tollit.

42. *Sic & resurrectio.* Applicatio est argumentationis. Nam vt res est declarata in seminibus, in animalibus, & corporibus cœlestibus: sic se habet ratio resurrectionis, vt ingens discrimen sit futurum inter corpora quæ accipiemus in resurrectione, & illa quæ deponimus in sepultura & morte. Similis redditio.

Rem declarat per enumerationem contrariorum. Nam ostendit qualia deponamus. Et his opponit qualia sumus accepturi. Obserua, Seminari, per metaphoram hic esse sepeliri, vel deponere quocunque mortis genere corpus. Nam putrefactio speciem habet sationis, quia totum vnitum dissipatur. Deponitur ergo corruptibile, recipiemus incorruptibile. 2. Deponitur ignominiosum, recipiemus gloriosum. 3. deponitur imbelle, recipiemus forte & robustum, cui non sit opus pane, potu, medicamentis, &c. 4. deponitur animale, accipiemus spirituale. Animale ψυχικὸν dicitur, quale est ad has miserias instructum, contra famem, cibo & potu munitur: contra morbos, medicamentis, aliisq; infinitis modis consulitur miseriis huius vitæ. Illud ψυχικὸν est. At πνευματικὸν, quod his mediis omnibus non indiget, quod agile est virtute spirituali prǽditum, vt corpus Christi reuera manet corpus, quamuis potentia spirituali polleat.

45. *Sic etiam scriptum est.*

Applicat scripturæ testimonium, præsertim ad prius membrum vltimæ oppositionis: quòd scilicet animale corpus deponamus: quia, inquit, tale sumimus ab Adamo, & tale gestamus vsque ad mortem. Locus est Genes. 2. factus est Adam *Lenephesch chaia*, in animam viuentem. Hinc omnes dicimur animales, & corpora gerimus ψυχικὰ, animata, hoc est, quæ anima naturali aluntur & reguntur. Ergo in resurrectione contrà accipiemus corpus animali oppositum, quale est spirituale. Sed Apostolus hoc accommodauit ad Christum, vt esset plenior oppositio. Christus Adamo opponitur. Ergo vita in Christo vitæ Adamicæ opponitur. Hęc est animalis. Ergo illa spiritualis. Sic corpora ex Adamo sunt ψυχικά. Ergo ex Christo sunt πνευματικά.

46. *At spirituale non est prius.* Occupatio est contra rationis iudicium, quæ præstantioribus cuperet primum tribuere locum temporis ratione, aut vellet sanè sic ad cœlos sine morte mediante euolare. Respondet Apostolus id absurdum est nec sperandum. Ordo diuinus seruandus est, qui incipit ab inferioribus, & procedit ad perfectiora. Hinc fit vt spirituale non sit prius, sed animale, quod finitur in morte, qua mediante sequitur beata illa resurrectio, quæ initium est spiritualis. Spirituale esse animali posterius.

47. *Primus homo de terra terrenus. Secundus homo ipse Dominus è cœlo.*

Antithesis vtriusque Adami. Sumitur illa à natura originis, & principij ratione. Primus originem trahit à terra materialiter. Nam terrę limus illi dedit initium. Hinc terrenus dicitur, vt Latini ab humo hominem, Heb. ab *Adam* gleba, Adamum vocarunt. Secundus homo, h.e. Adam, non de terra, sed è cœlo initium habet. Non tamen dicit à cœlo cœlestem, vt illum à terra terrenum: sed dominum ipsum è cœlo. Præstat igitur primo Adamo, tum ratione originis, tum ratione dominij. Nam primus ille nō est dominus suæ materiæ, imò ab illa in seruitutem redigitur: vnde illud Apostoli, Miser ego homo quis liberabit me de corpore seruitutis huius? At secundus ille Dominus est cœlorū, sui iuris & volūtatis. Interim non sic accipi debet hoc, quasi Christus carnem de cœlo attulerit. Nam vt in illo primo non valet, terrenus est. Ergo omnia in eo sunt terrena. Habet.n. rationem, mentem ipsam, animam cœlitus. Ita hic minimè sequitur, Christus de cœlo est. Ergo omnia secum de cœlo attulit. Habet.n. carnem ex virgine Maria. Deinde non rectè diceretur frater noster, caro de carne nostra, os de ossibus nostris, si eius corpus cœlitus fuisset allatum. Interim verum est quod dicit Apostolus, Est Dominus ipse de cœlo, quia Deus patri coæternus & cōsubstātialis, corpus etiam sine virili semine sibi adaptauit ex substātia Virginis, & id gubernauit diuino modo, sine affectibus, sine peccato, sine lapsu. Posterior Adamus priori superior.

Vers. 48. Declaratio posteritatis vtriusque Adami. Nam vt scaturigo opposita est, & causæ contrariæ: sic inde orta posteritas seruat eandem oppositionem, vt habeat vterq; suam posteritatem, in quam transfundit naturę suę conditionem. Terrenus est, qui mox corruptibilis dicitur, caro & sanguis, paulò antè corpus animale, item mortalis. Summa, homo cum omnib. suis virib. extra Christum, necdum renatus, terrenus etiam in summa sapientia. Hic, inquam, sequitur principij sui naturā, hoc est, ad res diuinas ineptus est, terrena sapit quantus quantus est. Cōtraria est natura eorum, qui à cœlesti descendunt.

49. *Et sicut gestauimus.*

Applicat argumentum ad institutum. Nam hinc argumentum per analogiam ducitur, ad probandam resurrectionem. Ab Adamo trahimus naturam corruptam, morti subiectam. Ergo in Christo renati trahimus ab eodem immortalitatem, quæ nobis dabitur post resurrectionem.

50. *Hoc autem dico.*

Declaratio argumenti, quam ſumit à proprietate primi Adami, ac poſteritatis illius. Argumentum ſit ab impoſſibili:Caro & ſanguis,hoc eſt,primus ille Adamus,& ipſa natura corrupta inhabilis eſt ſua natura ad vitam æternam.Ergo per ſecundum Adamum expectanda eſt.Obſerua naturæ impotentiam eſſe in primo Adamo ad cœleſtia.Deinde vitam æternam gratuitò dari ratione hæreditatis. Præterea hanc ipſam carnem eſſe corruptionem nedum corruptam.

51. *Ecce myſterium vobis dico.*

Redit ad explicationem modi. Ac initio totam doctrinam de reſurrectione myſterium vocat, hoc eſt, rem abſconditam rationi. Dicitur enim myſterium alterius reſpectu, vt hoc loco reſpectu carnis, & primi Adami, doctrina hæc myſterium eſt, hoc eſt, abdita,&non nata in hominis ratione vel ingenio,ſed diuinitus reuelata.Hinc eſt quòd ſapientiſſimi quique philoſophi nihil de illa tradiderunt,ſed bona parte,vt fabulam referunt. Quod autem myſterium hoc aperit Corinthiis, ſignificat rem eſſe propriam Eccleſiæ Chriſti,boni doctoris illam poſteritati tradere,& tranſmittere per homines idoneos.Hinc ſubiicitur doctrina illa:Non omnes dormiemus. De morte loquens dormientes facit,ſignificans non tantú mali eſſe in morte,quantum vulgi creditur,ſed eſſe planè ſomnum,ac quod dormientibus ſolet euenire, id piis etiam morientibus,expectandum. Illi reſurgunt habiliores ad vitæ munia:ſic à morte viuidiores redibimus ad vitam. Deinde non omnes dormiemus, hoc eſt, qui in vita deprehendentur ab aduentu non morientur: ſed mutabimur,quod quomodo ſit futurum mox dicit. Se autem hìc ſimul includit, quia pietatis eſt ſic viuere, vt in omnem horam mortem expectet, imò aduentum Domini. Veniet enim vt fit in nocte. Hinc iuſſit ſemper vigilare, quia neſcimus quando Dominus veniet. Et inde puto Apoſtolos ſua tempora nouiſſima ſæpe vocaſſe, quia in omnia momenta eſt expectanda Domini præſentia.

myſterium

Mortuos dormire.

52. *In atomo.*

Declaratio mutationis à tempore,& ſigno publico.Dici enim poterat,quomodo mutabimur?Reſpondet in atomo,& nictu oculi,hoc eſt,breuiſſimo tempore. Eſt enim ἄτομον inſectile,vt apud mathematicos punctum,cuius pars nulla eſt,&τὸ νῦν,quòd labitur. Tali ergo momento perficietur illa mutatio.Sic ῥοπὴ dicitur momentum,quo lanx facilè in alteram partem inclinat,& ῥιπὴ teli iactus,nictus oculi,quo nihil eſt velocius,oculus clauſus facilè aperitur, & apertus ſubitò longè latéque diffundit viſum. Hæc celeritas erit in permutatione illa:primùm commendatur eo Dei omnipotentia. Deinde facilitas,quæ magnam habet conſolationem.

Mutationē illam in momento eſſe futuram.

Signum autem publicum erit,quia ad tubam vltimam hoc fiet. Vide 1.Theſ.4.ad primum tubæ ſonum prodibunt mortui,ad vltimum noſtra fiet immutatio.Tubæ etiam fit mentio. Matt. 23. & 24. Qualis autem ſit futura facilis ratio eſt. Dominus in Sina tubæ clangoribus conuocauit populum,in ſolemnitatibus idem fieri iuſſit. In bello etiam tubæ ſonitus auditur,quia maiores cœtus maiori ſonitu ſunt conuocandi. Hac ratione fit vt Dominus totum mortalium cœtum congregabit tubæ ſonitu.

Exod.19.

53. *Oportet enim.*

Ratio eſt cur neceſſaria ſit mutatio,quia ſine hac non datur vita æterna.Ratio igitur eſt habenda ordinis diuini, φθαρτὸν, & θνητὸν idem eſt, quod prius carnem & ſanguinem dixit, & animale. Hoc debet in nouam tranſire conditionem. Id non poteſt fieri ſine mutatione.

54. *Cùm autem hoc.* Declaratio à conſequentibus reſurrectionis.Implebitur,inquit, tum ſcriptura.Eſa.13. Abſorpta eſt mors in victoriam,hoc eſt,mors hoſtium Chriſti vltima abolebitur perfectè, vt victoria contra illam conſtituatur, qua deleta quid eſt aliud conſequens,niſi vt vita reducatur?

Deinde ſequitur etiam publicus ſanctorum triumphus contra mortem & ſimiles piorum hoſtes. Hunc triumphum prophetæ verbis inducit, Vbi tuus ô mors ſtimulus? vbi tua inferne victoria? κέντρον vocat quod Hebr. *Deuer*, quod ſignificat etiam δίκην, h.e. controuerſiam & peſtem, quo oſtenditur Chriſti mortem fuiſſe quiddam φθαρτικὸν ipſius mortis. Et ᾅδη infernum accipio,vel ſepulchrum: vtrunque enim delebitur,quoad pios infernus deſtruetur.Reddet enim ſanctos victori Chriſto. Sepulchrum etiam quoad im pios,nam & illorum corpora reſurgent.Itaque plena victoria Chriſti hìc conſtituitur.

56. *Stimulus autem mortis.*

Declaratio ſuperiorum,quid ſit ſtimulus. Et obſeruanda eſt conſtructio,ἡ ἁμαρτία eſt ſtimulus mortis: nam peccatum ſubiectum eſt, ſtimulus mortis prædicatum:ac eſt ſenſus,peccatum cauſa eſt mortis non ſimpliciter, ſed viuida cauſa,quæ in dies inſtigat,&

Peccatum mortis ſtimulum.

præcip

præcipitat in mortem, vt stimulus carni indutus infligit & lædit corpus. Vis autem peccati est hæc. Seruatur eadem constructio ὁ νόμος, lex est vis peccati, hoc est, irritatiua est causa ad peccandum. Primùm enim indicat peccatum, quòd alioquin in multis rebus ignoraremus. Hinc Apostolus: nesciebam peccatum nisi lex veniens mihi dixisset non concupisces. Deinde indicatum peccatum non delet, sed magis ad illud intendit naturam. Nitimur enim in vetitum cupimúsq; negata. Hoc est, δύναμις effectiua & semper vigilans, semper ad agendum parata.

57. *Deo verò gratia.* Reuocat Apostolus totam disputationem ad δωρολογίαν. Nam ex consideratione mortis, peccati, & legis, incidit in conseruantes causas, & malorum prohibentes. Hanc vnicam habemus, quam diligenter hic nobis commendat. Obserua grati animi esse, omnia ad Dei laudem conferre. Deinde hic non fieri mentionem alicuius meriti, sed solius gratiæ Dei. Deinde commendatur causa organica salutis Christus Dominus, qui organum est salutis nostræ. Tertiò ad quos victoria spectet, scilicet ad electos quos complectitur pronomine Nobis.

58. *Itaque fratres.*

Epilogus totius loci de resurrectione. Hortatorius autem est, monens in doctrina hac de resurrectione constantes maneant. Constantiam commendat suauibus verbis, ἑδραῖοι, & ἀμετακίνητοι, ἑδραῖος dicitur, qui sedem non facilè mutat ἀμετακίνητος autem qui vno motu perdurat. Non enim est simpliciter ἀκίνητος, sed qui suum motum non mutat, qui pergit recta via dicitur ἀμετακίνητος quantis moueatur. Si redeat conuerso versu μετακίνητος dicetur. Itaque constantia illis commendatur in cœpta doctrina. Conclusio

Deinde in hac professione veræ doctrinæ debent crescere, quod est περισσεύειν, abundare, hoc est, auctiores fieri. Quæ enim crescunt abundant, & est opus Domini, hoc est, quod Dominus in ipsis agit: vel quo ipsi Deum colunt & ornant. Est enim reuera cultus Deo gratissimus professio sanæ doctrinæ. Tertiò addit argumentum à spe præmiorum. Labor ille non erit inanis. Ergo perferendus est. Labor dicitur ipsa professio veritatis, quia coniuncta est cum quadam difficultate, & periculo sæpe. Id ferre permolestum est carni. Deinde quia coniuncta est cum confutatione falsæ doctrinæ. Ideò rectè dicitur κόπος. Est autem noster, hoc est, bono nostro nobis impositus. Deinde quia officij nostri est illum perferre, nec possumus stationem hanc sine turpitudine deserere. Non autem est κενὸς in Domino, hoc est, sine suo non frustratur, non carebit successu. In Domino, quia in eo omnia sunt auspicata, extra illum quicquid susceperis infœlix est. Valent autem illa multum ad promouendum adpud pios si spes sit præmij. Deinde certitudo auxilij diuini. Quibus duobus hìc vrget Corinthios Apostolus, &c. Fidelium laborem non esse vanum in Domino.

CAPVT XVI.



COnclusurus Epistolam priùs commendat Corinthiis studium beneficentiæ. Idem fecit ad Romanos 15. cap. & infrà 2. Cor. 9. eandem commendat. Ostendit autem quando & quomodo sit colligenda: per quos item commodè sit transmittenda Hierosolymam. Hinc subnectit alia quædam priuata, vt de suo aduentu: de quorundam commendatione, de constantia, & obedientia, quam debent bonis doctoribus. Hinc salutationes subiicit, & comprecatione more suo Epistolam concludit. Argum.

Propositio est, fides à piis declaranda est beneficentia in pauperes non solùm domesticos, sed peregrinos etiam & absentes. Propositio

Partes sunt 6. prima de eleemosyna, altera de suo aduentu. 3. συστατικὸς est commendatoria personarum. 4. προτρεπτικὸς ad constantiam & obedientiam. 5. continet salutationes. Vltima habet subscriptionem. Partes.

1. *De collecta verò in sanctos, quemadmodum constitui ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.*

Primus locus huius capitis de Eleemosyna in pauperes. Πρόϑεσις est, Collecta ad institutum Apostoli Corinthiis diligenter facienda est ad vsum sanctorum. Cur illam adeò diligenter vrgeat passim in Ecclesiis Gentilium, ratio colligi potest ex 2. ad Galat. vbi scribit se hoc in mandatis accepisse à Petro & reliquis Apostolis, ne pauperum obliuisceretur apud Gentes. Deinde quòd ratio charitatis hoc suadet & Christus eos nobis commendauit. Et Dominus in veteri testamento ne in populo suo esset egenus.

Membra propositionis sunt. Primum nomen, hoc est, subiectum: vocat eleemosynam λογίαν. Ad Rom. 15. κοινωνίαν, alibi εὐλογίαν, hìc paulò pòst χάριν, quæ nobis studium hoc commendant. λογία dicitur quia non ab vno sed à multis viritim colligitur. Idem enim est quod συλλογὴ, collectio. Deinde quia certa ratione, certóque fine datur. Id enim significat vox λογίζω, deliberatò, certáque ratione aliquid colligere. Inde λογισμὸς & συλλογισμὸς ratiocinatio, & λογία contributio.

Alterum membrum est, ad quos spectet λογία, h.e. propter quos sit instituenda, propter pauperes, quos hoc loco ἁγίους vocat, h.e. sanctos. speciosa est commendatio paupertatis, qua nihil est in hac terra contemptius & sordidius: eam tamen scriptura non dubitat ornare nomine sanctitatis. Habes hic sanctos viuentes adhuc, quales passim dicuntur omnes fideles, siue diuites sint, siue pauperes, vt sup. c. 1. ver. 2. Vocatis sanctis. Et ad Rom. 1. ver. 7. κλητοῖς ἁγίοις, & alibi passim. Alij sancti sunt defuncti, qui Græcis μάκαρες dicuntur. Hos nobis hodie ferè sanctorum nomine commendat Ecclesia. Vterque cœtus tam viuentium adhuc, quàm defunctorum commendatur nobis in symbolo, cùm dicimus: Credo sanctorum communionem: sed illi omnes participatione sancti sunt, & imputatione, non natura sua. Alius verò natura, & per se sanctus est, talis solus Deus est, fons & scaturigo sanctitatis, à quo quidquid sancti reliqui possidet habent. Porrò quare pauperes sancti dicantur, ratio est, quòd pauperibus in primis promissum sit regnum cœlorum. In quo cœtu bona pars ecclesiæ Christi hæret, & semper fuit inter pauperes. Ita ad finem vsque mundi paupertas hospitium præbet ecclesiæ Christi. Deinde quia hi ad sanctitatem in primis aspirant. Cùm enim bonis huius mundi destituantur, occasionem habent aspirãdi ad illa cœlestia. Accedit quia spiritus sanctificationis quoque illis promissus est. Sancti igitur sunt in spe, olim tales futuri.

Vnũ Deum & solũ per se sanctum esse.

Tertium membrum, quare facienda sit eleemosyna. Gemina ratio est. Prior quia Apostoli est mandatum, is ita constituit. Ergo faciendum est. Valet argumentum præceptoris apud discipulos. Poterat alias rationes producere, vt quòd Deus in lege mandasset, vel quia Christus eos nobis commendasset: vel quia lex charitatis hoc exigeret, aut simile aliquid. Verùm nihil horum audimus, solùm iussionem suam profert, ac ratio satis aperta est: nam fluit ex mandato Dei & regula dilectionis.

Eleemosynę exercende gemina ratio.

Altera ratio est, ab exemplo Galaticarum Ecclesiarum, quasi dicat, non primi vos estis, quibus hoc mando, sed habetis exemplum in Ecclesiis Galatiæ, quibus idem mandaui, & non detrectant hoc. Ideo quoque faciles ad hanc rem esse debetis. Valet argumentum ab exemplo inter pios, & in pio proposito. Ac eò magis quia rudes erant Galatæ, & inter Barbaros connumerati, vt pote qui originem à Gallis Europæis ducerent, & in Asiam commigrantes linguæ suæ barbariem semper retinuerunt, vt non Græci sed Gallogræci dicerentur. Corinthij verò in media Græcia culti, & homines politici erant, ideo turpe foret à Barbaris Galatis in studio pietatis superari.

Galatas pro semi barbaris fuisse habitos.

2. *Primo quoque die Sabbathi.* Declaratio propositionis à tempore, & modo sumpta. Ostendit enim quando fieri debeat collecta. Deinde quomodo. Quod tempus attinet, ait primo die Sabbathi instituendam, hoc est, tempore congregationis, quando cœtus sacros habent, & conueniunt ad audiendum verbum Dei, tum collecta fieri debet. Porrò intortum videtur quibusdam quando id intelligat. Ac sunt qui κατὰ μίαν σαββάτων vertant per singula Sabbatha. Tum sensus est, more Iudaico Ecclesiam conuenisse Sabbathis, cùm maior pars adhuc ex Iudæis crederet. Quod videtur propositio κατὰ significare, vt Latinè dicimus per singula Sabbatha. Nec malus est sensus, cùm certum sit Ecclesiam Christi diu mores illos Iudaicos obseruasse. Sed est alter quoque sensus, quo μία per πρώτην explicatur. Tum sensus est, Primo Sabbathorum conuenisse, hoc est, die Dominico more Christiano, non Iudaïco. Nam vna pro prima sumitur, vt in historia resurrectionis Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24. Vna sabbathorum, hoc est, prima. Quòd si is sensus est, tum maturè pij die Dominico cœtus facere cœperunt. Summa est, tempore congregationis collectam esse instituendam. Id valde prudenter iussit Apostolus. Nam in cœtibus sacris commendatur mutua charitas, & recitatur doctrina. Item confessio in qua est etiam articulus de communione sanctorum. Itaque maior illic pietas excitatur, maius studium & diligentia ex mutuo exemplo. Estque hæc quasi altera pars professionis. Nam prima fidei est, altera operum fidei. Alterum est de modo faciendæ collectæ, quò pertinent illa, quod singuli apud se debent reponere, hoc est, statuere quid & quantum velit conferre. Quæ sententia duplicem habet doctrinam. Prior est, quòd singulorum conscientiis relinquit facultatum suarum æstimationem, nec rigidè imponit quantum conferendum sit. Pietatis est bene præsumere de aliorum voluntate, & alios ex suo ingenio æstimare: quod cùm fit non facilè agitur imperiosè, parcit hoc pacto pauperum pudori, quibus integrum relinquit etiam modica conferre. Deinde altera est doctrina, quòd non simul, sed sensim conferre permittit, quò facit si κατὰ μίαν sumas per singula Sabbatha, quasi dicat, non opus est vno tempore hoc conficere, sed hodie parum, proximo conuentu iterum parum, singulis conuentibus aliquid, ita tandem fiet cumulus. Facultati hoc pacto consulit. Nam minus grauat, quod sensim fit, quàm quod subitò. Tertiò commendatur studium hoc, quia formam habet ditescendi. Θησαυρίζειν, inquit, q. d. quòd

Varius huius loci sensus.

Collectæ faciendæ modus.

quod sic colligitur pusillũ quidẽ initio videtur, at successu tẽporis crescit in thesaurum maximũ. Doctrinã habet illã vt sciamus quæ in pauperes cõferimus non perire, sed esse reuera thesauros pretiosissimos, quos nobis in cœlo reponimus, vbi nec fures nec tineę illos corrũpunt. Quartò quod cuiq; licuerit, h.e. pro facultatum modulo, ne aliis præsidium, nobis verò sit penuria. Iterũ auditorũ arbitrio, & volũtati rẽ permittit, q.d. quod sine vestri iniuria potestis. Quintò addit rationis loco, ne cum venero tum fiant collectæ, h.e. me absente colligite ne cogar esse illarum inspector & æstimator. Sed cur tandem noluit se præsente collectam fieri? Ratio facile reddi potest ex rerum circumstantia. Nam primũ pauperũ parcit pudori, qui libẽter cõtulissent multa: sed prohibebantur rei domesticę angustia. Ideo vt pauca tutius possint vult absens esse, ne supra vires conferrent ob Apostoli præsentiam, ideo factum est, vt illorũ arbitrio totum relinquat. Deinde diuitum ostentatio reprimitur. Certum. n. est pompolius omnia facturos Corinthios, si voluisset in sua præsentia collectam fieri. Præterea suis occupationibus parcit. Nam docẽdo prius occupari vult, quàm his externis. Quæ vtilis est obseruatio, ne tam politicis negotiis, nobisq; priuatim vtilibus nos ingeramus, quàm doctrinæ & fidei negotiis.

3. *Cum autem venero.*

De ratione transmittendi eleemosynam agit: vt. n. Corinthios promptiores haberet ad conferendum, omnibus rebus vndique prospicit. Primùm vide per quos ergo curaturus sit hoc, per eos quos delegerunt Corinthij: Iudicium & delectum Ecclesiæ permittit. Nec. n. quisquã alius melius nosse poterat qui idonei essent, nécne. Hic mos diu postea mansit in Ecclesia, vt ipsa Ecclesia sibi deligeret ministros, vel saltem nõ sine Ecclesiæ cõsensu electio fieret, quod hodie nõ fit. Deinde quis sit missurus. Apostolus nõ Corinthij. Partita sunt munera, Corinthij deligere debent internuncios. Apostolus autem mittet quasi nõ sit rata habenda missio nisi accedat approbatio Pauli. Et rectè quidem. Nam sic Apostoli pacti erant, vt Paulus pauperum esset memor. Nouerat præterea quibus essent transmittenda, h.e. Apostolis Hierosolymis, qui aliis nõ perinde noti erant. Act. 15

Tertiò noua est commendatio eleemosynarum. Prius λογίας vocauit, nunc χάριν, quia testamur hoc studio nostras possessiones esse in manu Domini qui sua gratia his nos ornauit. Sunt enim decimæ argumentum subiectionis, has soluimus pauperibus mandato Dei. Deinde quia gratuitò conferre debemus nihil inde sperantes. Tertiò quia χάριν, hoc est, beneuolentiam nobis conciliant. Nam pauperes officiosos reddimus vt pro nobis orent & æterna nobis præparent tabernacula. Denique nihil eo studio Deo est acceptius & gratius. Quartò sese offert etiam profectionis comitem, si opus sit. Ἄξιον refero primùm ad periculorum magnitudinem, quorum metu delecti fortè recusare possent tantam profectionem. Deinde ad collectæ magnitudinem. Deniq; ad alias causas quæ interea Paulo suadere poterant vt idem iter susciperet.

5. *Veniam autem ad vos.*

Alter est locus de suo aduentu, quem indubitatè promittit licet certa conditione. Primum vide quando sit venturus, quando Macedoniam inuiserit. Magna est Apostoli cura pro omnibus Ecclesiis. Poterat. n. compendiosius ex Philippis ire Corinthum, vt non attingeret Macedoniam, sed has Ecclesias inuisere voluit. Locus est de vtilitate visitationum. Nam in Ecclesiis facile in peius omnia ruunt nisi graues aliqui viri sua authoritate in officio omnes retineant. Deinde quandiu apud eos sit mansurus, diu sanè, & fortè per hyemem. Boni cum bonis libenter cohabitant & diu quidem. Tertiò quo fine, vt ab eis deduceretur deinceps, id est, vt itineris sui ab eis accipiat comites. Respicit secundarios fines de quibus iam sermonem instituerat. Alij erant maiores, vt scilicet doceret, confirmaret, & collapsam doctrinam restitueret. Quartò præoccupat quædam. Nam interea vagabatur per illas regiones Apostolus, vt posset quidẽ ad hos etiam declinare, hoc, inquit, nolo, quia momentaneũ hoc foret, sed differo in maius otiũ apud vos cõmorandi. Desiderium. n. explere nequit, sed piè loquitur de futuris rebus, si Deus permiserit. Sic Iacob. 4. Si Dominus voluerit. Quintò vbi interim sit hæsurus, Ephesi, inquit, idque vsque ad Pentecostem. Ergo ante hyemem scripsit hanc Epistolam, & ante Pentecostem, fortè initio veris mansurus Ephesi ad Pentecostem, reliquam æstatem in finitimis locis. Hyemem sequentem Corinthi. Sed de Pentecoste quærunt hîc aliqui. Sunt qui dicant significare quinquagesimum diem in genere, quod mihi non placet. Alij ad festum referunt nostratem, quod fieri non potest cùm Christiani nõdum haberẽt festa distincta à Iudæis & Ethnicis. Itaq; mihi placet Apostolum per Pẽtecostem significare festum Mosaicum, quod Corinthiis erat notũ, vt qui bona parte Iudæi essent.

Sextò, quare Ephesi sit mansurus tam diu. Quia, inquit, ostium mihi magnum est apertum & euidens, hoc est, magna docendi occasio. Id enim significat ianuæ metaphora.

Quomodo verò fuerit hoc illic euidens, fieri potest vt Spiritus sanctus id illi reuelarit. Quale habes exemplum in Actis cap. 18. Admonemur finem ministrorum oportere esse nullam docendi occasionē negligere, sed quotiescunque se iusta obtulerit illa vti. Quod facit contra eos qui sibi cauent à periculis, nec quantum prosit sed quàm tutò illic versantur spectant. Altera est ratio qui aduersarij multi sunt. Probabile est: Nam veritas odium parit. Et obserua colligendi modum. Multi sunt Ephesi aduersarij. Ergo Apostolus vult illic manere. Hodie contrarium colligeremus. Sed Apostolus priori rationi hanc coniungit. Simul enim iunctæ, valet hæc posterior. Boni autem pastoris est se pro grege exponere, in se deriuare potiùs pericula quàm in oues.

Nulli docendi occasionem esse prætermittendam

10. *Si autem venerit Timotheus.*

Tertius locus qui habet σύστασιν, hoc est, commendationem quorundam. Timothei scilicet & Apolli. De Timotheo vide Act. 16. Rom. 16. ad Philipp. 2. ver. 19. 1. Thess. 3. vers. 2. 1. Corinth. 4. vers. 17. Quæ de eo habentur hìc, illa sunt. Primò præceptum securitatis vt sine timore versetur apud eos. Quod intelligi potest primùm propter insidiatores vitæ, quales erant mali doctores, & aperti hostes Euangelij. Ex quo pendet ista doctrina: auditorum esse, suos ministros quoad fieri potest tueri. Deinde intelligi potest de successu doctrinæ, vt scilicet operam dent vt cum fructu audiant. Maxima enim tristitia boni doctores afficiuntur, si videant se frustra laborare, oleum & operam perdere.

Ratio est addita, quia opus Domini operatur, hoc est, in successu Euangelij promouendo laborat. Fungitur boni doctoris officio. Maxima commendatio est, quia sanam doctrinam docet. Rationis confirmatio est à pari, vt & ego, hoc est, non minùs quàm ego promouet sanam doctrinam. Illatio est. Ergo nemo illum contemnat. Si enim sanam doctrinam promouet contemni non debet. Contemptus autem causæ esse poterant, primùm iuuentus, deinde quia Paulum sequebatur. Tertiò Christianismi professio, quæ res mundo erat & noua & odiosa.

Alterum præceptum vt illum tutò ad Apostolum transmittant, & exornent in pace. Deinde quia illum expectat. Denique idem fratres reliqui expectant.

12. *De Apollo autem.*

Altera commendatio quæ ad Apollum spectat. De quo vide Act. 18. vers. 24. suprà 1. vers. 12. & cap. 3. vers. 6. & 22. & cap. 4. vers. 17. Hic de illo traditur, quòd rogatus noluerit Corinthum ire. In quo obseruanda est Apostoli modestia, qui nō imperiosè agit nedum in pares, sed ne in inferiores quidem. Quæ modestia laudabilis est in ministris erga ministros & inferiores. Deinde hoc propositum non reprehendit, sed potiùs excusat, venturum aliàs suo tempore. Quod nostris erat obseruandum rigidis Stoicis, quibus nisi mox obtemperes, fulmina, & comminationes expediunt. Obseruanda est concordia docentium illas Ecclesias quæ hodie non regnat, ideo mirum non est eundem successum non esse in Ecclesiis Paulus cum Timotheo & Apollo inferioribus consensum per omnia aluit, & in aliis aliud sentientes non traduxit, quia in summa religionis conueniebat eis. Hoc satis esse poterat etiam hodie, vt in summa causæ conueniret nobis. In aliis minutioribus singuli suo iudicio & sensu abundare poterant sine religionis iactura.

Exemplum in Paulo modestiæ.

13. *Vigilate, state in fide.* Quartus locus προτρεπτικὸς ad varias virtutes, in quibus Corinthij videbantur languescere. Docemur ministrorum interesse auditores in primis languentes excitare ad necessarias virtutes. Sic Christus discipulos dormientes vigilare iussit & orare semper. Sic Apostolus hoc loco Corinthios.

Marc. 14. 38

Deinde auditorum interest tales admonitiones boni consulere, & ad ea aspirare ad quæ cohortantur. Denique ad primaria admonitio fiat, & ad ea ad quæ naturæ sumus pigriores, quales hoc loco videmus. Primùm ad vigilantiam, quo ostendit somnolentiores fuisse, vt variis erroribus dederint locum. Vigilare autem est circumspectum esse & cautum, ne imponatur ei in causa fidei. Nam somnus obrepit ex vaporibus stomachi obnubilantibus caput: sic in causa religionis securitas somnus est, vt quum affectibus indulgemus, qui fidem & dilectionem obumbrant.

Secundò ad cōstantiam in suscepta professione. State in fide, hoc est quod semel professi estis, ne mox deponatis. Et stare vigilantum est. In quo oportet ἀνδρίζειν, hoc est, more viri agere, alludens ad id quod dixit cap. 3. scilicet quòd Corinthios vt infantes lacte alueri t. Ab hac infantia aliquando desinendum est. Deponenda pueritia & virilis ingredienda ætas, quasi dicat, vos satis diu infantes fuistis, viros tandem vos declarate. Virorum porrò est κραταιοῦσθαι, hoc est, prȩualere viribus, in quo consistit victoria nostra. Elegans ordo est: de somno surgendum est. Inde in fide fortiter standum. Tertiò viri declaranda virtus. Denique hìc speranda victoria.

Tertia virtus est dilectio. In hâc peccabāt litibus suis corā Ethnicis iudicibus, interdum

dum etiam de rebus satis friuolis cap.6.suprà. Iubet igitur omnium actionū condimentum & regulam adhibere, nec refert quales alij in nos sint, sed nostra omnia ergo proximum hac norma metienda sunt. Inde omnibus donis etiã præstãtissimis hanc prætulit.

Quarta virtus est obedientia erga superiores, nominatim erga ministros verbi. Sententia est, bonis Christi ministris pie obediendum esse in causa religionis. Huius rei exempla proponit nota, Stephanam, Fortunatum, & Achaicum. Hos initio commendat à virtutibus, quæ illis inerant. Deinde hinc infert. Ergo his est parendum. Tertiò iterum argumentum affert à communi consolatione. Occasio autem huius doctrinæ videtur, quòd minùs grauiter de his ministris senserint, & fortè conquesti sint de quorundam petulantia. Hos amicè in ordinem hîc reducit.

Cõmendatio personarum est. Primùm vos fratres notos eos habetis. Debet autem nota virtus honorari. Vos horum virtutem notam habetis. Quare grauiter peccatis in naturam, qui virtuti denegatis suum fructum: deinde primitię sunt Achaię, hoc est, totius Græciæ primi fuerunt Christiani. Ergo eo nomine vobis erant honorandi, quia vos etiam præcesserunt in Christo. In primitiis autem illis duo concedit, locum ordine primum: deinde benedictionem singularem, quæ per primitias deriuatur ad reliquos fructus. Quod eò facit vt intelligãt in bonis ministris sanctificari pios auditores. Ac quemadmodum veterani milites, boni efficiuntur duces: sic qui in Christi doctrina versati sunt, boni redduntur Doctores. Hinc Christus suos discipulos diu sibi cõuersari voluit: & Prophetæ sua habuerunt collegia, ex quibus Dei populo semper vtiles prodierunt ministri, alioqui non satis est bene cœpisse, nisi perduremus in bono proposito.

Argumentum hinc satis valet à diuturnitate temporis. Primi fuerunt Christiani hi inter Gręcos. Ergo his meritò obtẽperabitis. Tertiò non solùm possunt præesse, sed volunt etiam. De facultate constat, quia diu in hac palestra sunt exercitati. De voluntate autem quia se ministerio consecrarunt ad vsum Ecclesiæ. Ergo his obtemperandum.

Διακονία hic significat ministerium docendi, administrandi sacramenta, & disciplinam morum sine vi corporali. Alias διακονία significat officium Diaconorum qui mensæ adsunt, non autem docent, vt in Act.6. Sententia igitur est, Docendi munus sibi delegerunt, eique totos se consecrarunt. Deinde ad voluntatem pertinet, quia ait, seipsos ordinarunt: hoc est obtulerunt & consecrarunt se totos. Ac laudem id habet à superiori, quia possunt. Voluntas enim & facultas si concurrant, laudabilem reddunt ministrum velle & posse. Ad hoc pertinet id quod dixit Apostolus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Licet enim operam suam Ecclesiæ offerre, & alios honestos labores quibus par sis. Commendat voluntatem quòd ait τοῖς ἁγίοις. Significat enim ad certam vtilitatem facere illorum ministerium. Quid hoc loco per διακονίαν significetur.

16. *Vt & vos subditi sitis.* Finis argumentorum allatorum continens propositionem. His parendum est propter prædictas causas. Nec simpliciter inquit his, sed talibus, hoc est, quicunque tales sint ministri. Nec solùm ministris, sed omnibus συνεργοῖς. Dicuntur συνεργὰ quæ ad eundem finem collimant, vt diuersæ causæ interdum ad idem referuntur. Sic in doctrina Christi diuersæ conditiones, & in speciem pugnantes eũdem finem respiciunt. Sic magistratus politicus, res domesticæ ministerium idem respiciunt, ædificationem scilicet Ecclesiæ. Talibus igitur synergis omnibus obtemperandum est. Præterea κοπιῶντι, hoc est, priuatis honestis occupationibus deditis. Priuati enim vtiliter in multis monent quibus parendum est.

Vers.17. persequitur argumẽta alia, vt bonis viris authoritatem cõciliet. Quartũ hoc fit à suo affectu. Mirificè gauisus sum ob pręsentiam illorũ: h.e. honorificè de illis sentio. Ergo & vos idẽ facite. Nã quòd periti faciũt, aliis id sequendũ est, quia in illis maior sapiẽtia, & iudiciũ limatius. Addit autẽ rationẽ cur illorũ præsentia ei suauis fuerit, quia vestrũ defectum supplerũt isti. Quę nõnulli satis frigidè accipiunt de subsidio, quasi isti legati aliquid Paulo cõtulerint nomine Corinthiorũ. Quod præsenti instituto nõ cõpetit. Vult.n. his conciliare authoritatẽ apud Corinthios, id facit à suo iudicio. Quia ergo de his grauiter iudico, idẽ & vos facite. Sed cur tu illis multũ defers? Ratio à superioribus poterat peti, sed nõ facit, verùm à præsenti petit argumentũ. Quia vestrũ defectũ supplerunt. h.e. absentiam, quasi dicat, maluissem vos omnes coram videre & amplecti, quia id fieri non potuit, in his paucis vos omnes sum complexus. Gerunt.n. legati personam totius Reipub. sic ministri pauci personam referebant Ecclesiæ à qua erãt missi.

Ver.18. Cõfirmatio rationis, quomodo totã Ecclesiam absentẽ in his paucis sit cõplexus, quia meum spiritũ refocillarunt, simul & vestrũ, h.e. me: quia vidi vos de me adhuc honestè sentire, & de doctrina mea, quia ad me potius cõtrouersos hos articulos misistis, quàm ad alium: sic meum spiritum refecerunt. Alacriores sanè fiunt ministri quum

videt suam apud auditores illis saluam esse authoritatē. Vestrum autem spiritum refecerunt, quia illis abunde a me est satisfactū, & illi vicissim vestros animos abundè mihi explicarunt. Locus cōmendat bonorum virorum congressus, qui non solent sine fructu abire. Tale vidimus Rom.1. Semper aliquid vtilitatis ad eos redit ex mutuo colloquio.

Agnoscite igitur tales) Conclusio est. Ergo honeste de his iudicate, & illis obedite, quia mea vobis referunt, & vestra mandata bona fide apud me sunt executi.

Salutationes. 19. *Salutant vos.)* Quintus locus qui habet salutationes. Ordinem orditur à generalibus per quæ descendit ad indiuidua vsq;. Primùm totæ Ecclesiæ vos salutant. Et quia Ecclesiarum Asiæ meminit, non est absimilis coniectura Chrysostomi, epistolam hanc Ephesi scriptam, & nō Philippis. Nam Philippi Macedoniæ est ciuitas, & quid attinuisset transmarinas commemorare Ecclesias? Commodiùs id facit si Ephesi scripserit. Deinde Aquila & Priscilla eos salutant. De his vide Act.18. Et Epist. ad Rom.16. vers.3. His addit priuatam Ecclesiam, quæ est in domo ipsorum. Quod duplici modo intelligi potest. Primùm quòd familiam habuerint amplam quidem: sed ita instructam bonis moribus, vt non familia sed Ecclesia videri posset. Et reuera singulæ familiæ speciem Ecclesiæ habere debent. Parētes sunt loco ministrorū, domestici pij auditores. Talis enim ista fuit familia. Deinde sic intelligi etiam potest, quod domū suā hospitiū præbuerint Ecclesiæ, adeò vt conuentus Ecclesiastici apud hos sint facti. Quæ res non carebat inuidia, & periculo, præsertim apud obtrectatores Iudæos. Facit etiam hoc ad confirmationem illius, quod s. epistola hæc scripta sit Ephesi, quia Aquila & Priscilla hospites Pauli, Ephesi cōmorabantur. Tertiò, singulorū fratrum additur salutatio. Magnus fuit pietatis ardor & fidelium cōiunctio, adeò vt singuli vellent suo nomine salutari Ecclesias.

Vetus salutationis cōsuetudo. Quartò salutationum confirmatio additur certo symbolo. Vetus fuit Orientaliū consuetudo sese salutare osculo, quo Iudas etiam vsus legitur: vt hodie inferiores Germani, aliæq; quædam nationes eo vtuntur. Nos porrectione manuum beneuolentiam confirmamus. Et erat elegans admonitio in osculo. Nam coniunctionem intimā declarabant. Deinde non solùm consensum, sed communionem sanctorum, quam profitebantur in doctrina & sacris ceremoniis. Sed vt res fuit antiqua & augusta, sic non caruit enormi abusu. Ideo non frustra abolitus est iste mos. Addit etiam Apostolus differentiam quandam, significans non omne osculum mox pium esse. Sanctū vocat, significans aliud esse non sanctum, h.e. quos pios dedeceat, qualia sunt hypocritarū oscula, proditorum amatoria quoque oscula impia sunt & libidinosa. Auari quoque oscula sunt aliena à pietate, osculatur is non sanctos, sed nummos: vnde illi nomen apud nos *küs den pfennig.*

Talia omnia excludit sanctorum osculum, in quo solo regnat pietas & concordia in doctrina & professio mutui auxilij.


21. *Salutatio manu mea Pauli.*

Sextus locus continens subscriptionem. Quę hactenus audiuimus, amanuēsis scripsit dictante Apostolo. Nunc cùm ad calcem sit deuētum, suo more subscribit. Itaq; reliqua Pauli manu scripta sunt. Initio suam addit salutationem. Nam ita reliqua superioribus connectit rectiùs, q. d. addo salutationem etiam meam propria manu assignatam. Coniunctionis argumentum est. Deinde addit comminationem contra impios, qui de Christo vilius sentiebant. Hoc addit cōtra hypocritas qui titulum Christianismi ferebant,

Hypocritas esse anathemata. interim impij erant fide & moribus. Anathema sint, inquit, h.e. piacula, quæ non agnosci debent membra Christi. Ad Gal. 1. Anathema sit qui aliud Euangelium annunciat. Et ad Rom.9. cupit anathema esse pro fratribus eius secūdum carnem. Et suprà cap.12. Nemo Christum dicit anathema per spiritum Dei loquens. Tales homines piaculares καθάρματα dicuntur. Et ipse Apostolus se dixit mundo esse περίψημα suprà cap.4. summa est, eos qui Christum non diligunt vitandos esse tanquam piacula. Ac tales reuera sunt. Primùm apud Deum. Deinde apud Ecclesiam Christi. Addit aliam vocem Maran athá, quam alij ad excommunicationem referunt, quasi posteriori interpretetur quid sit Anathema esse, quasi dicat, nihil aliud volo quàm illos dicere *cherem*, hoc est, rem execrabilem. Quod sensum non malè explicat. Alij abominantis formulam interpretantur, & extremæ execrationis, quæ sententia superiori non repugnat. Placet tamen mihi illorum sententia, qui voces dicunt Chaldæas, sonātes Dominus venit, quasi dicat, ringantur illi & obstrepant honori eius quantum velint, *Maré* Dominum significat, cuius vsus est in Daniel.3.*al*.4.& 5. In 3. cap. bis inuenitur, &c. 5. *Maré* scribitur *venghal marê schemaia*, quod Germani Iudæi vertunt, *vnd über des himmels* idem est Adon Hebræis quod & Marè Chaldæis. Altera vox *ata* significat venit. Eius vsus est Deut.33.v.2.& 21. Itaque maran atha sonat Dominus noster venit. Alij τεχνικῶς sumunt quasi species sit anathematis Iudæis tum nota. Sed nihil certi potest in his constitui.

Vers.

Vers. 23. Hæc consueta est Apostoli subscriptio quam aliquando solam ponit, aliàs coniungit plura. *Charitas mea* affectum declarat suum, quasi dicat, animum suum non solùm in legatos illos effusum. Sed in totum illum cœtum, & pium affectum testatur: quia in Christo Iesu eos cum Apostolo coniungit. Scripta Philippis quę est Macedoniæ ciuitas: sed Ephesi scriptam credibilius est, vt vult Chrys. & Græca scholia, quia non Macedonicarum meminit Ecclesiarum, sed Asiaticarum. & tales subscriptiones non Apostoli sunt, verùm à posteris additæ. Reliqua bene habent. Nam legatos priùs iam ornauit suis laudibus, quos hic exprimit subscriptio Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, Timotheum quoque qui illis additur honorificè illic commendauit vers. 10.



DISPOSITIO POSTERIORIS EPISTOLÆ AD CORINTHIOS.

Qui fuerint Corinthij.



CORINTHVS olim Achaiæ fuit metropolis, & vt Cicero inquit, lumen totius Græciæ, adóque in ea æstimatione, vt Imperij authoritatem, & nomen sustinere posset, quales veteres Romani tres solùm vrbes computabãt, Carthaginem, Corinthum, & Capuam. Ad quam sanè rem magna erat commoditas ex loci opportunitate, cùm inter duo maria Ægeum & Ionium posita esset, vnde quamuis de Imperio certare non potuerit, celeberrimum tamen emporium exhibuit Asiæ & Europæ, & simul vt fit in maritimis emporiis, singularem admisit morum corruptelam. Quod eò facit, vt intelligamus magnam esse Dei misericordiam, qui tanta istorum ciuium corruptela, voluit sibi etiam congregare Ecclesiam, eámque admodum florentem, ad quam scribitur etiam præsens epistola.

OCCASIO EPISTOLÆ.

Occasio nata est ex maleuolentia aduersariorum Pauli, qui more suo omnia dicta & facta Apostoli rapiebant in deterius, in primis ea quę in 1. epist. piè ipse monuerat, & candidè promiserat, vt quòd c. 5. seueriter iusserat illum incestu pollutum tradi Satanę, id aduersarij mirificè exagitabant quasi dictum hominis ambitiosi, & censoris nimium seueri. Sic quod vltimo cap. promiserat suum aduentum, quem impeditus variis persecutionibus non potuit præstare, hoc rapiunt aduersarij in calumniam, & argumentum leuitatis, quasi aliud stans aliud sedens diceret, homo esset facilis in promittendo, non perinde in complendo. Eodem pacto alia multa rapiebant in contumeliam, quasi Apostolus dominationem quæreret, & authoritatem nimiam peteret, legem euerteret, homines carnales & dissolutos efficeret, imperiosus nimium in scribendo esset, cùm interea persona esset abiecta, & contemptibilis. His & similibus calumniis diligenter in hac epist. occurrit, & apud eosdem causam disceptat, apud quos hostes illum imprimis lædebant.

GENVS SCRIPTI.

Ex occasione facilè iudicari potest de genere. Quanquam enim mixtum sit genus scribendi: tamen principale est Apologeticum, quod constat accusatione, & calumniarum depulsione, & ob id pertinet ad iudiciale. Purgat autem se imprimis contra crimen leuitatis, asperitatis, ambitionis, inconstantiæ, & cauponationis in docendo, qui affectus erat carnalis, doctrinam accommodare ad priuatum quæstum, quæ omnia ita diluit, vt ostendat dilucidè hæc omnia multò magis aduersariis competere. Huic prædominanti generi accedunt, quę huic subseruiunt, & sine quibus commodè tractari non poterat defensio. Primũ συςατικὸν, quo passim de suo in Corinthios amore, aspersa etiam sui & Titi & similium commendatione quam opportunè hinc inde interserit. Deinde προτρεπτικὸν, vbi monet Corinthios officij, vt in hominis renati moribus persistant, nec admittant falsa de præce-

ptore iudicia. Hinc nascitur etiam ἐπαιρετικὸν, quo palam agit de propriis laudibus. Quæ omnia eò faciunt, vt constet se innocenter traduci à maleuolis, adeóque se non dubitare suam vocationem & in docendo synceritatem, simúlque genus doctrinæ cum summis aduersariis conferre.

PROPOSITIO PRINCIPALIS.

Hîc statuatur propositio principalis. Apostolus Paulus nulla leuitate in promissis, aut dominandi studio quicquam docuit, sed singulari erga Corinthios amore & benefaciendi studio, omnia & scripsit & docuit.

DIVISIO.

Membra hoc ordine cohærent. Principio est Epigraphe more consueto, quæ continet personas, addita breui cõprecatione. Locus vt in superioribus, est de ordinaria vocatione, quã vrget contra calumniatores. Secunda pars est exordium versu 3. quod ab ipsa causa deducit. Cùm enim vellet monstrare, quibus de causis impeditus nõ venisset, à gratiarũ actione exorditur, Deo pro defensione liberali in tot malis gratias persoluens. Loci sunt de afflictionibus piorũ, & earundẽ fine ac vsu: itẽ de consolationibus diuinis, & alij. Tertia pars est Narratio, versu 8. Hęc propriè spectat ad Apologiam, explicat enim causas impedientes, quæ cùm sint grauissimæ, non potest accusari leuitatis etiamsi præter promissum nõ venerit. Huic loco concurrunt alij, vt ex superioribus, locus de afflictionibus, itẽ de intercessionibus piorũ, in aduersis de vera gloria sanctorum, & similes, qui primo capite absoluuntur.

Cap. 2. diluit crimen asperitatis, cui concurrebat crimen tyrannidis. Ideo differit initio de vsu tristitiæ ipsis illatę vt explicaret finem seuerioris scripti, mox sententiam excommunicationis latam sup. cap. 5. mitigat, hortatúrque Corinthios vt exclusum recipiant, ne à Satana præoccupetur. Loci sunt de tristitia, & eius commodis, de condonatione fraterna, de successu Euangelij, & eiusdem impedimentis, de cauponatione verbi Dei. Cap. 3 agit contra crimen ostentationis, à quo se alienum facit, vel ipsorum Corinthiorum testimonio, quorum Ecclesia adeò feliciter instituta commendabat præceptoris fidem, & synceritatem. Hunc locum eleganti digressione amplificat, instituta collatione inter Christum & Mosen. Loci sunt de vera & pia iactantia, de spiritu & litera, de pręstantia noui Testamenti, de cæcitate Iudæorum in lectione Mosis, &c.

Cap. 4. persequitur fidem in docendo, quòd scil. nulla ambitione ductus, docuerit, sed omnia semper ad Christi gloriam dirigat, quò pertinet etiam cap. 5. Loci insigniores sunt de synceritate pij doctoris in docendo, de cæcitate impiorum, de iudicio sanctorum, de morte, de reconciliatione totius humani generis in Christo, & alij multi. Et hactenus quidem Apologia, per ista 5. capita.

Quarta deinceps sequitur pars, à capite 6. quæ iam non tam pertinet ad personam, siue doctrinam Apostoli, sed potius ad Corinthiorum officium. Videntur enim omnia sequentia παραινετικὰ esse præsertim cap. 6. 8 9. Nam 6. capite hortatur eos ad varias virtutes, etiam suo proposito exemplo. Vnde totidem nascuntur loci quot numerantur virtutes.

Cap. 7. sui & Titi habetur commendatio & plenior etiam excusatio sententię excommunicationis, quam suprà cap. 2. quoque excusauerat.

Cap. 8. & 9. agit de collecta facienda ad quam & rationibus & exemplis eos conatur excitare.

Cap. 10. instituatur 5. pars epistolæ. Quæ locum habet de propriis laudibus, qui facit contra eos qui humilitatem personæ Paulinæ incontemptum vocabant.

Quare cap. 10. incipit asserere authoritatem suam, etiam sine expresso, quòd scilicet faciat ad ædificationem non ad destructionem. Quod ipsius maleuoli non rectè seruabant. Nam illi quoquo modo mordicus tuebantur dignitatem. Illustris locus est de propriis laudibus: item de vi obtrectationis, item honestam sui defensionem esse concessam.

Cap. 11. modestè ipsis iniicit suspicionem, quasi non manserint in simplicitate fidei, hinc redit ad suas laudes, séque confert cum summis aduersariis, & mox percurrit prolixè eas laudes, quas sibi seriò potuerat tribuere præsertim varias & multas persequutiones, à quibus maleuoli sibi studiosè cauebant. Loci iidem sunt insignes, qui iam enumerati sunt, quibus accedunt, locus de vera æmulatione, item quòd gratis docuerit.

Cap. 12. idem adhuc persequitur argumentum vsque ad versum 14. Itaque eo loci constituatur sexta pars, quę tota est denunciatoria. Nam primitus suum iterum promittit aduentum, ne putarent sententiam à se esse mutatam. Hac occasione ostendit qualem sint ipsum habituri, impœnitentes certè seuerum, pœnitentes verò nihil Paulo clementius & humilius. Huc pertinet principium 13. capitis. Deinceps versu 11. septima pars constituatur, quæ breuem continet Epilogum. Constat autem ille cohortatione, salutatione, comprecatione, & ita totam Epistolam concludit.

IN



IN SECVNDAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.



VO sunt capita veræ religionis, de fide & operibus renati hominis, vtrunque D. Apostolus studiosè persecutus est Epistola ad Romanos, priori ad Corinth. ad Galat. & Ephes. & alibi sparsim. Cæterùm cùm illa capita cum fructu doceri non possint, si doctoribus desit sua authoritas, ideo vbique suam vocationem studiosè asserit, & authoritatem illæsam vlt sibi manere integram contra hostium calumnias. In quam rem in primis hæc præsens secunda ad Corinth. accommodata est Epistola. In hac enim pro authoritate sua depugnat apud Corinthios, ne plus malis doctoribus quod ambiebant, quàm sibi Paulo legitimo Apostolo tribuant. Quæ res vt commodius intelligatur, totam Epistolam breui complectemur argumento, hoc est, dicemus de illius occasione, genere, propositione ac partium dispositione, ita enim rectius ad negotium Apostoli descendemus. Breue huius epist. arg.

Occasio.

Oblata est occasio, & nata ex maleuolētia aduersariorum Apostoli, qui more suo omnia dicta & facta Apostoli in deterius rapiebant. Promiserat vltimo capite prioris Epistolæ suum aduētum, sed impeditus variis persecutionibus non venerat, id aduersarij in calumniam rapiebant quasi argumentum leuitatis, qui aliud stans, aliud sedens diceret, facilis in promittendo, non perinde facilis in complendo. Sic quod c. 5. grauiter iusserat illum incestuosum tradi Satanæ, id mirificè exagitabant reprobi quasi dictum hominis ambitiosi, & seueri censoris. Eodem pacto alia multa rapiebant in contumeliam, quòd dominationem quæreret, quòd authoritatem nimiam sibi pararet, legem euerteret, homines carnales & dissolutos efficeret, imperiosus in scribendo esset, persona alioquin per se abiecta & contemptibilis. His & similibus calumniis hîc occurrit, rem apud eos discutiens, apud quos in primis hostes illum lædebant.

Genus.

Mixtum est scribendi genus, principale & prædominans est ἀπολογητικὸν, constans accusatione & depulsione calumniarum. Pertinet enim ad genus iudiciale. Purgat autē se contra crimen leuitatis, asperitatis, ambitionis, inconstantiæ in doctrina, cauponationis, carnalitatis, quę omnia magis aduersariis competebant. Accessoria sunt συςατικὸν, quo passim testatur suum in Corinthios sincerum amorem. Titi etiam & aliorum commendatio suis locis tēpestiuè interposita huc pertinet. 2. προτρεπτικὸν adhibet cap. 6. 8. & 9. vbi ad officium Corinthios hortatur renati hominis. 3. ἐπαινετικὸν verò est quod cap. 11. & 12. de propriis laudibus scribit. Inseruiunt tamen omnia principali instituto, se innocenter tradi à maleuolis, ideo non dubitat se suámque vocationem cum summis aduersariis conferre, doctrinam quoque suam, cum aduersariorum doctrina.

Propositio.

Scopus & sententia Apostoli in his consistit: Nulla leuitate in promissis, aut dominandi studio quicquam scripsisse. Nulla etiam ambitione quicquam docuisse, sed erga Corinthios singulari amore, & benefaciendi studio omnia & scripsisse & docuisse, &c.

Partium dispositio.

Membra hoc ordine cohærent. Initio est Epigraphe, qua indicat personas scribentium, & ad quos scribat, breui addita comprecatione. Deinde subiungit exordium, quod à causa ipsa depromptum est. Cùm enim vellet monstrare quibus de causis impeditus non venisset, à gratiarum actione exorditur. Deo pro tam liberali defensione in tot malis gratias soluens.

Tertiò sequitur narratio quæ propriè ad Apologiam spectat. Explicat enim causas impedientes, quæ cùm sint grauissimæ, nō potest leuitatis argui, etiāsi contra promissa non venerit. Atque hic primus locus est defensionis, quo remouet crimen leuitatis. Alter locus est

de asperitate sui scripti. In hoc remouet crimen tyrannidis, ideo disserit de visu tristitiæ illatæ, & sententiam excommunicationis, suprà cap. 5 latam hic mitigat, & Corinthios hortatur, vt exclusum recipiant, ne à Satana præoccupentur.

Tertius locus apologeticus est contra ostentationem, à qua alienum facit, vel Corinthiorum testimonium, quorum Ecclesia feliciter in fide instituta, commendat præceptoris fidem & sinceritatem. Hunc locum amplificat collatione inter Christum & Mosen instituta. Cap. 4. fidem in docendo persequitur, quòd scilicet nulla ambitione ductus doceat, sed omnia ad Christi dirigat gloriam. Huc pertinet etiam caput quintum. Hactenus apologetici loci tres.

Quarta pars iam non ad Apostoli personam nec doctrinam pertinet, sed ad Corinthiorum officium. Ideo genus scribendi hic mutatur. Sunt enim parænetica quæ sequuntur, 6. 8. & 9. capitibus Ac sexto capite ad varias virtutes illos cohortatur suo ipsius proposito exemplo. Cap. 7. sui crebra est commendatio, Titi quoque obiter interserta, & plenior excusatio sententiæ excommunicationis, quam suprà quoque cap. 2. excusauit. Cap. 8. & 9. de collecta facienda disserit, ad quam exemplis & rationibus eos excitare conatur.

Quinta pars de propriis laudibus agit, idque contra eos qui humilitatem personæ Paulinæ in contemptum vocabant. Quare decimo capite incipit authoritatem suam asserere, sine expresso, ad ædificationẽ non ad destructionem, quod non obseruabant maleuoli, qui quoquo modo mordicus tuebantur dignitatem. Cap. vndecimo suspicionem iniicit, Corinthios non mansisse in simplicitate fidei. Hinc ad laudes suas redit, séque cum summis aduersariis confert, ac laudes quas sibi seriò arrogare poterat percurrit, præsertim varias & multiplices persecutiones, à quibus maleuoli sibi studiosè cauebant. Cap. duodecimo idem argumentum persequitur vsque ad vers. 14.

Sexta pars est denuntiatoria à vers. 14. cap. 12. denuntiat eis suum aduentum, ne putent sententiam à se mutatam. Ostendit autem qualem sint habituri, impœnitentes & reprobi seuerum experientur, boni autem & pœnitentes nihil clementius Paulo & humilius videbunt.

Septima pars ver. 11. capite vndecimo incipit. Est autem breuis Epilogus totius Epistolæ, cohortatione, salutatione, & comprecatione totam Epistolam concludens.

Hæc œconomia est præsentis Epistolæ. Locos plures & vtilissimos complectitur, quos in progressu fortè meliùs & commodiùs indicabimus, quàm hoc loco. Ideo Apostolum audiamus loquentem.

EPIGRAPHE.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaia.

2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.*

Inscriptio. Prima pars Epistolæ est Epigraphe, cuius sententia & propositio est: Paulus & Timotheus Corinthiis & Achæis optant gratiam & pacem. Similis est propositio in Epigraphe prioris Epistolæ. Partes tres sunt: duæ personas respiciunt, tertia comprecationem. Prima continet personas salutantes, Paulum & Timotheum. Altera personas salutandas, crescunt autem exornatione personarum. Personæ salutantes sunt duæ. Paulus qui se munere Apostolico exornat. Vbi sit electus Apostolus, vide Act. 9. Fuerunt primùm duodecim ordinarij

Pauli Apostolatus. Apostoli, Luc. 6. hinc super additi alij 70. Luc. 10. quibus, additus est Paulus singularis gentium Apostolus, Act. 9. Et quia Apostoli vox in Græca lingua magistratum ciuilem significat, ideo differenter de se loquitur, Iesu Christi Apostolus sum, distinguens munus hoc à politicis functionibus. Additur tertiò, causa efficiens, Per voluntatem Dei. Hinc vocatio astruitur, & quia non per homines, nec ab hominibus vocatus est, immediatè à Deo vocatus est, quod Apostolis commune est vt etiam prophetis. Altera persona est Timotheus, quem sibi coniungit vt consortem doctrinæ & doctorem Corinthiorum. Docuerat enim quoq; apud eos, se verò præfert, quia author est Epistolæ, ac scriptor. Sic in priori sibi coniunxit Sosthenem. Concordia doctorum mirificè facit ad consensum auditorem. Porrò Timotheum fratris nomine solùm commendat, quia id satis erat ad præsentem causam, vt viderent Corinthij Paulum consensum alere cum Timotheo ac similibus bonis doctoribus, interim falsos doctores in primis detestari. De Timotheo plura vide Act. 16.

Sequitur alterum personarũ genus, ad quos scilicet scribat. Et vt salutantes personæ duę fuerunt, sic geminæ sunt personæ salutandæ. Prior Ecclesia Corinthiorum, quam exornat titulo

titulo Ecclesiæ Dei, significans hunc cœtum Deo placere, verbum illius habere, & sacramenta, voluntatem quoq; eius præstare quoad fieri possit. Sunt alij cœtus infiniti, sed hoc titulo sese commendare non possunt. De Corintho suprà plura diximus.

Huic speciali Ecclesiæ, coniungit prouincialem. Ita supra generalem coniungebat omnibus sanctis, in quouis loco suo vel nostro habitantibus. Catholica Ecclesia eandem habet doctrinam, cum singularibus Ecclesiis, & singulares cum œcumenica in capitibus religionis cōsentiunt. Porrò Achaia hic pro Peloponneso sumitur; cuius diuersæ regiones postea cœperunt in genere Achaia dici propter fœdus Achaicum, de quo vide secundo Polyb. Hanc prouincialem Ecclesiam commendat titulo sanctorum, quo non poterat maior tribui. Discamus ergo verè sanctos esse ipsos fideles in hac terra viuētes, de quo aliàs diximus. Eande debet esse doctrina Catholicæ, & singularum Ecclesiarum.

Tertia pars Epigraphes est comprecatio, quæ & ipsa bimembris est. Gratiam enim & pacem comprecatur, de quibus suprà in Rom. & 1. ad Corinth. diximus. Retineatur autem eadem relatio hoc loco, gratia ad Deum patrem, pax verò ad Dominum Iesum Christum pertinet. Fons enim gratiæ Deus Pater est, pacis verò filius Iesus Christus. Sic infra dicet, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, Colos. 1. de Christo ait, Pacem faciens per sanguinem crucis eius. Rom. 5. Iustificati fidem pacem habemus apud Deum per Iesum Christum. Pacificatio igitur Christi est gratia Patris, quia sic dilexit mundum vt daret filium suum vnigenitum vt omnis qui crederet, &c.

Altera pars.

Exordium

3. *Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, qui Pater est miserationum.*

Exordium ad beneuolentiam spectat, vult enim animos Corinthiorum sibi conciliare. Ideo declarat animi sui erga Deum gratitudinem. Gratos enim homines natura diligimus. Deinde quia Deum fortunarum suarum rectorem profert, & consolatorem in aduersis, Corinthios ad se amandum incitat; dignus enim est amore nostro, quem Deus tanti facit vt tueatur illum in aduersis. Similia exordia habemus ad Ephes. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestib. in Christo. Et 1. Petr. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos regenuit in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi à mortuis. Sic hoc loco orditur à laudib. diuini nominis, gratias agens pro defensione in aduersis. Similia sunt exordia in priori ad Corinthios, vbi gratias agit Deo pro donis Corinthiis collatis. Et ad Rom. quòd fides illorum prædicaretur in toto orbe, quæ omnia εὐχαριστικὰ sunt. Differt tamen ab illis præsens exordium, quòd pro suo priuato bono Deum laudat, id tamen mox Corinthiis etiam commune facit. Hactenus de genere exordij cuius similia monstrauimus exempla.

Nunc statuatur exordij propositio ad hunc modū: quoties meas ærumnas cōsidero, non possum non vehemēter laudare Deum, pro clementissima & consolatione & liberatione. Propositio. Mēbra tractationis quatuor sunt. Initio est propositio, mox addita est ratio, hinc rationis confirmatio sequitur, deniq; confirmationis declaratio, qua rem ad personam Corinthiorum specialiter accommodat. Propositio his verbis ponitur: laudandus sit Deus εὐλογητὸς ὁ θεὸς quasi dicat, non possum non vehementer laudare Dominum, quoties meas persecutiones & tristissimos casus mecū reputo. Laudandus dicitur, dignus laude & benedictione. Docemur exēplo Apostoli omnem fortunam etiam aduersam ad Deum gubernatorem referre. Deinde Deo pro omnibus grates persoluēdas esse. Propositio illustratur dilatatione quadam. Nam ostendit quis sit ille Deus laudandus. Primùm enim est Pater Domini nostri Iesu Christi, diuinitatis est discrimē à personis. Pater est qui genuit sibi ab æterno filium, Filius autem qui genitus est. Est etiam Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, quoad humanitatem, quia corpus assumpsit ex Maria virgine, conceptum à Spiritu sancto. Sunt qui ita illa referant, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, sed alunt illi fucum, nam mox inferunt, filium deitate quoq; inferiorem, vt qui Deum Patrem agnoscat, & Dominum superiorem, à quo ipse diuinitatem acceperit. Sed falsa est interpretatio, ideo separanda sunt illa, vt Deus laudandus intelligatur, ob præsentia beneficia consolationis & conseruationis, qui idem Deus est & Pater Domini Iesu Christi. Pater autem & filius communem habent naturam, ideo nihil hîc inferius cogitemus. Deinde Deus ille est Pater οἰκτιρμῶν miserationum, significans summè misericordem & clementem esse Deum fidelibus. Tertiò est Deus omnis consolationis, quia illa est vera consolatio, quæ promanat à Deo, reliqua omnia vana sunt, & corruunt in veris terroribus conscientiarum. Attributa Dei conueniunt præsenti causæ, quia hîc de consolationibus sub cruce aget, ideo patrem miserationis & Deum consolationis vocat. Hactenus propositio & eiusdem dilatatio ab attributis. Personarum in diuinitate distinctio.

4. *Qui consolatur nos.*

Propositionis sequitur ratio, quare scilicet laudādus sit Deus. Rationes duas profert or-

dine cohærentes. Prior est ab effectis, quia me in omni fortuna efficaciter consolatur. Altera à fine, vt possim alios consolari me instruit. Addit his duabus rationibus formam posterioris, quomodo scilicet aliis consolatio debeat subministrari, scilicet non alia via, quàm per has ipsas diuinas consolationes, quas discimus in crucis palæstra.

Cur sibi laudandum esse Deum dicat.

Prima igitur ratio est propositionis, Deus me in omni afflictione consolatur, ergo à me est laudādus. Et cur hoc? quia præsens consolatio in aduersis, certum est argumentum clementis & propitij Dei: quos enim Deus odit eos deserit in aduersis, vt est videre in Saulis & Iudæ historia. Contrà quos amat Deus eosdem in aduersis erigit, & illis adest certa cōsolatione, vt in Apostolis est videre. Sic Apostolus hîc argumentatur, Deus me nunquā deserit sua consolatione in aduersis, igitur mihi est propitius. Emphaticū verò est quod ait in omni oppressione cum illi adesse, nō ait se non tentari, sed se nunquam destitui à Deo. Altera ratio à fine sumitur: ostendit enim finem cum consolationum in aduersis, tum ipsarum calamitatum. Cur enim Deus affligit ministros Euangelij, & cur eosdem non destituit certa consolatione? Respondet Apostolus fieri id, vt possint alios consolari. Simile est quod ad Heb. 2. dicitur de Christo, ideo afflictū vt sciret afflictis cōdolere. Argumentū valet à commodo quod ad Corinthios deriuatur. Laudandus est mihi Deus, quia vestro etiam bono ego affligor. Priori argumēto ostēdit suo cōmodo se affligi, hoc iam etiam Corinthiorum cōmodo id fieri docet. Locus diligenter obseruādus est de vtilitate afflictionū fideliū.

De afflictionum vtilitate.

Deus suos ministros doctrinæ exercet variis calamitatibus, vt statuat exēpla confessionis, in qua nullis cedant tyrannorū minis. 2. sint exempla constantiæ. 3. discant de suis virib. desperare. 4. in solo Deo cōfidere. 5 alios cōfirmare possint, & cōdolere in simili palæstra exercendis. Et ad hoc posterius præsens facit argumentū. Paulus enim affligitur, & in afflictione sentit consolationes diuinas, vt Corinthios possit cōfirmare. Duo hinc discenda sunt. Prius, ministrorū esse cōsolari & cōfirmare suos auditores, in primis rebus aduersis. Alterum auditores quoq; expositos esse persecutioni & cruci, ne putent hanc fabam in doctores solùm cudendam, quod somniat bona pars mortalium. Itaq; præparent se omnes ad crucem, nec putent se tutos fore ablatis pastoribus, Satan omnium saluti inuidet & insidiatur.

Tertiò loco modum veræ consolationis ostendit. Id obseruent doctores Ecclesiarum, vt has ipsas consolationes, quas ipsi in aduersis senserunt, aliis in primis proponant. Optima enim sunt remedia, quæ experimento didicimus.

5. *Quia sicut abundant passiones Christi in nos, sic, &c.*

Sequitur rationis confirmatio, ostēdit enim quare consolatio nō desit in aduersis. Sumitur cōfirmatio à comparatis. Contraria confert, vt παθήματα & παρακλήσεις, ac ait vno crescente, par esse alterum etiam crescere. Quemadmodū si medicus dicat morbo inualescente, medicamenta quoq; auctiora fieri. Disce hinc primùm, finem malorum in hac vita non esse sperandum, sed augmentum potius afflictionum. Deinde modestè de his sentiendum quia solùm παθήματα vocat, h. e. affectus, nō θλίψεις; vt priùs, & leuiora sunt παθήματα quàm sint θλίψεις.

Quænam sint Christi pathemata. 1. Pet. 4.

Tertiò non probari tamen quæuis παθήματα, sed Christi solùm dicuntur autem Christi pathemata, quæ Christi nomine ferimus, quæ Christus imponit, non quæ nobis improbitas nostra conciliat. Ideo curandum nobis, ne patiamur tanquam fures. Quartò magna est consolatio in maximis malis, præsentissimas esse rationes consolandi, vt ille dicebat. Oportet bono animo esse ô viri, vbi enim desinit humanum, ibi diuinum incipit auxilium. Id euincit hîc ratione contrariorum, quantò maior est afflictio, tantò maior est sanctorum consolatio.

6. *Siue autem affligimur.*

Expositio.

Quartum membrum exordij, ἔκθεσις. Initio proposuit, inde rationem subiecit, tertiò rationem confirmauit, quartò nunc confirmationē explicat. Sententia est, omnia ad vtilitatē Corinthiorum facere, siue aduersa siue secunda. Argumentū igitur dilemmaticum est, sed non ex oppositis, verùm consequentib. sumptum. Membrū prius est, siue affligimur, quasi dicat, quod mihi obiiciunt aduersarij, & ego libēter concedo. Admonemur eo mēbro, sanctos etiam subiici afflictionibus, quas nō negant, imò passim in his gloriātur. Deinde piorum afflictiones à maleuolis rapi in calūnias, quas interdū necessariò depellūt sancti. Mox Apostolus membrum hoc corrigit, appositione vtilitatis, quam aduersarij fraudulenter præteribāt, quasi dicat, illi solùm loquūtur de meis calamitatibus, sed vsum nō animaduertunt, cum vobis propono. Correctio igitur est cōcessionis per compensationem cōmodi.

Duplex commodum ex Pauli afflictionibus.

Nam malis opponit cōmoda. Duplex autem est cōmodum, quod ex his malis ad Corinth. redit. Prius est consolatio certa. Dicit enim suas afflictiones facere ad illorum consolationem. Primùm quia in ipso discūt cōstantiam, aliásq; virtutes. Deinde quia vident in his calamitatib. illum non succumbere. Eo mirificè eriguntur in fide, & doctrina, quam ab illa conceperant. Sic martyrum spectacula circunstantes sæpe excitarunt ad constantiam, vt videre

videre est in historia Eleazari, in Machabeis, & matris cum septem filiis, quorum constantia mirificè reliquos confirmauit.

Alterum commodum est quod faciat etiam ad salutem Corinthiorum. Salutis causa est media & adiuuans. Nam per se causa salutis est filius Dei, illius enim merito salutem consequimur. Inde σωτὴρ solus ipse rectè dicitur. Verùm de vera hac causa non fuit illa institutum dicere, sed loquitur de mediis causis, quibus in via salutis confirmamur & erigimur. Nam ad eundem finem plures sunt causæ, vt ad salutem nostram vtitur Deus etiam ministerio, sacramentis, legibus, calamitatibus, & fortunæ casibus, quibus in ordine contineamur. Sic loquitur hoc loco Apostolus, afflictio mea ad salutem vestram facit, scilicet tanquam causa adiuuans, per quam melius ambulatis per viam salutis. Vident enim constantiam, hinc in illius doctrina confirmantur. Ideo sequentia passiuè intelligo, τῆς ἐνεργουμένης, h. e. quæ efficitur per meas afflictiones, quasi dicat, confirmatior redditur tam consolatio quàm salus vestra, meis casibus.

Alterum membrum dilemmatis est, *siue consolationem accipimus*, quasi dicat, quod aduersarij subticent malitiosè, & mihi inuident, in eo gloriari poteram contra eos: sed malo ad vestrum commodum applicare. Ideo refert eosdem fructus ad consolationem & salutem Corinthiorum. Nam membra non contraria sunt, ideo eosdem effectus habent, tanquam causæ subordinatæ.

6. *Et spes nostra.*

Quintum est membrum exordij. Concludit enim hoc loco totum exordium. Et particulam καὶ accipio illatiuè, pro ἄρα οὖν, quasi dicat, igitur spes mea de vobis non potest me fallere. Intelligi autem potest spes, vel quia de illorum constantia in fide non desperet, vel etiam de illorum consolatione, quam ex suis calamitatibus hauriunt. Quò facit declaratio per argumentum à comparatis. Participes estis calamitatum, ergo etiam consolationum. Probabilis est consequentia. Participes autem erant calamitatum, quia condolebant casibus illius, deinde quòd ad ipsos etiam redundarent. Nam exprobrabantur illius Pauli aduersa, & habebant suos aduersarios, qui illos propter Paulum odissent & affligerent. Sic fortuna doctorum sæpe ad auditores redundat. Ideo par est & iustum, vt consolationis etiam sint cum Apostolo participes. Obserua Apostoli artificium, quia omnia sua ad auditorum applicat vtilitatem. Non enim melius illorum sibi animos conciliare poterat, & aduersariorum calumnias suspectas reddere. Fideles calamitatū esse participes suorum pastorum.

Tertia pars Epistolæ.

NARRATIO APOLOGETICA, IN QVA PRIMVM diluit crimen leuitatis in promittendo aduentum suum.

8. *Non enim volumus vos ignorare fratres.*

Quia tota Epistola est Apologetica, ideo obseruandus est ordo locorum defensionis. Primus hic initium habet contra crimen inconstantiæ. Aduersarij vrgebant Corinthios, Paulus leuis est, quia facilè promittit suum aduentum, interim non venit. Depulsio Apostoli est, Non ideo leuitatis sum accusandus, habeo enim causas grauissimas quibus impeditus sum. Ideo defensio habet μετάστασιν, hoc est, trāslationem culpę in alias circunstantias temporis & calamitatum. Hinc necessaria est narratio causarum: ideo ab his orditur defensionem. Propositio est, non sum leuis, quòd non aduenerim vt promisi. Ratio propositionis est, quia non potui præstare id ob calamitatum magnitudinem. Videamus igitur narrationis ordinem. 1. Apologiæ locus, quòd non fuerit leuis. Propositio.

Primùm προδιήγημα statuit, quod iterum ad beneuolentiam accommodatum est. *Nolo vos ignorare fratres.* i. de afflictione nostra, quæ nobis euenit in Asia. Fratris nomine sese cōmendat, quia illos vt fratres agnoscit. Deinde quia in re vtili illos fraternè admonet. Nolo vos ignorare. Ignoraturi videbantur, nisi Apostolus veras aperiret causas. Nam maleuoli data opera veritatem hic occultabant, boni verò pauciores, & meliores audiri non poterant, ideo ab Apostolo veritas fuit confirmanda, imò explicanda. Deinde narrationis statuit propositionem. Narraturus enim est de afflictione sua Asiatica. Locus est docilitatis. Nam qua de re hic sit acturus ostendit. Perpessus est quidem alias infinitas persecutiones, sed non faciebant ad rem præsentem. Porrò quæ fuerit illa afflictio, non satis constat. Sunt qui putent illam esse Act. 19. quæ Ephesi est excitata per Demetrium, sed fieri potest vt alia aliqua fuerit longè maior, quæ à Luca non sit conscripta.

11. Narratio ipsa de magnitudine afflictionis connectit partes per αἰτιολογίαν (ὅτι καθ' ὑπερβολήν.) Magnitudo ad excusationem facit, quę tribus constat mēbris. Primùm, *grauatus fui supra vires.* Metaphora est in voce ἐβαρήθημεν. Dicuntur enim grauari, quibus onus

maius imponitur, vt si puero viri robusti imponas onus. Hinc igitur sumit excusationem, Impar fuit afflictio viribus meis, igitur accusari non debeo de leuitate. Secundò ad magnitudinem facit, quia *dubitaui de vita*, magis igitur de aduentu ad vos. Modestè autem loquitur de desperatione, vocans dubitationem. Sed & illa ex carnis imbecillitate nascitur. Quò admonemur etiam sanctissimos in hac vita, interdum dubitatione, diffidentia, & aliis infirmitatibus laborare. Tertiò *sententiam mortis in nobis habuimus*. Gradatione crescit oratio in excusatione. Primùm vires superauit: deinde de vita dubium fuit, tertiò mortem ipsam proposuit, igitur non erat possibile ad vos redire. Porrò ἀπόκριμα illud potest referri, vel ad arcanum Dei iudicium, quo ille mortem imminentem denuntiarit, vt Ezechiæ, Niniuitis & aliis. Vel ad iudicium carnis, quòd planè desperarit de omnibus vitæ præsidiis.

Dubitatio ex carnis imbecillitate.

III. Persequitur commoda afflictionis tantæ, ostendit enim non temerè euenisse, sed certo Dei cõsilio. Vtilitas gemina est, prior vt discerem de me meisque præsidiis desperare. Maledictus enim qui sperat in hominem. Magna est illa, & latè patens commoditas afflictionum, vt in his discamus deponere omnia præsidia humana, in quibus alioquin mundus plurimum spei ponit. Hæc ipsa est mortificatio carnis nostræ. Altera est omnem spem ponere in Deum. Hinc illud, Inuoca me in die tribulationis, & audiam te, & tu celebrabis me. Huic membro adiecit argumentum suasorium ad credendum Deo: quia excitat mortuos. Id Dei est proprium. Quis igitur nolet huic tam forti Deo confidere? Ex morte suos potest liberare, ergo magis ex afflictionibus quales quales sint.

Afflictionis duplex vtilitas.

IIII. Commemorat liberationem euidentem. Hic vocat afflictiones has, mortem, quia sententiam mortis in eis acceperat: *attamen me liberauit in his Deus*. Rem commendat continuatione liberationis, *& adhuc liberat semper, & deinceps liberabit*. Triplex est temporis notatio in liberatione, præteritum, præsens & futurum, quæ omnia magnam habent consolationem & spem diuini auxilij.

II. *Vobis etiam vnà pro nobis operam conferentibus.*

Quintum membrum narrationis de causis mediis & concausis, quibus est liberatus ex tanta calamitate. Absoluta quidem & efficiens per se est Deus, qui ad nominis sui gloriam, & humanæ confidentiæ deiectionem Apostolum passus est summè affligi, eundémque demum in summa desperatione liberauit. Ad hãc causam absolutam vtiliter adiungit alias inferiores & concurrentes, preces scilicet Corinthiorum & suam innocentiam. Hinc sensim ad statum cõtrouersię descendit, crimen leuitatis remouens à vita anteacta, & à scriptis suis.

Propositio.

Πρόθεσις est, Deum in sui liberatione respectum habuisse intercessionis Corinthiorum, & suæ innocentiæ. Partes duæ sunt, de Corinthiorum precibus pro Apostolo, & sua anteacta vita. Quibus addit tertium de scriptis suis, & quartum argumentum prouocans ad Christi tribunal, vbi patefiet qualis fuerit Paulus.

Vers. II. Prima causa adiuuans est intercessio Corinthiorum, de qua ait, *vos etiam pro nobis administratis*. Nam, inquit, συνεργούντων, quia Deus absoluta causa agit, non vt faber, cui opus est causa instrumentali, & adiuuante: ita synerga indicant efficientis aliquem defectũ: Deus verò quia plenè agit, & absoluta potestate, ideo non indiget synergis. Nos verò quorum causa agitur, συνυπουργούντων desideramus, quæ dicuntur quasi condolentes, & simul subministrantes in patiendo cõmunem affectum, condolẽt simúlq; congemiscunt, & pro ipso tanquàm pro seipsis intercedũt. Deinde officium hoc non ab vno vel alio ei præstitum est, sed ἐκ πολλῶν προσώπων. i. multis personis. Beneficium fit illustrius quia à multis confertur, & cõmẽdatur amor eorum in Apostolum. Tertiò obseruetur quomodo de eo beneficio loquatur. χάρισμα vocat, quum suprà Sp. sancti dona χαρίσματα vocarit, quia gratuita sunt. At hîc beneficium ab homine homini præstitum dicit χαρίσμα, quia in eo etiam subest donum Spiritus sancti, inflammantis eorum animos intercedendi studio apud Deum pro Apostolo. Quartò, finis aliquis etiam huius beneficij declaratur: à multis est mihi exhibitum, vt à multis celebretur mea liberatio, quasi dicat, Deus voluit multos pro me orare, vt liberatio à multis posset celebrari. Hoc sensu διὰ πολλῶν refertur ad personas seu homines.

Precum commẽdatio & vsus.

Locus totus facit ad commendationem precum. Iussit Christus semper orare, Luc. 18. Et 1. Tim. 2. iubet preces fieri pro regibus & omnibus hominibus. Rom. 15. pro se orare cupit, vt liberetur à malis Iudæis. Verùm hîc vsus magnificus explicatur. Preces nostræ prosunt nõ solùm nobis sed aliis etiam. Orat Abraham pro Pharaone, & liberetur à manu Domini. Moses pro Ægyptiis, & tollitur pœna. Nathan pro Dauide, & exauditur. Esaias pro rege, & illius vita. Ita Corinthij pro Paulo orant, & liberatur. Alter vsus est, quòd nobis ipsis etiam prosunt. Certa enim est spes exauditionis. Ionas orat ex ventre piscis, & exauditur. Dauid pro se & dimittitur peccatum illius. Niniuitæ, & tollitur pœna diuinitus ordinata. Hoc beneficium orationi fidelium debemus. Deinde, hoc beneficium agnoscere gratitudo quædam est. Hinc Apostolus magnificat & celebrat hoc apud Corinthios. Tertiò, exauditi

diti admonemur, vt Deo laudes deferamus, & nouis precibus illum celebremus. Vt enim grati intercessoribus debemus esse: sic Deo liberatori in primis laudes debemus, postquam sentimus nos exauditos, quò pertinent, multi Psalmi Dauidis. Quartò viuorum pro viuis hic commendatur intercessio, sic prophetæ pro viuis orabant, & populus Deus semper ad viuos confugit intercessores. Abraham pro Sodomis orat nondum perditis, & pro Pharaone viuo. Hic mos veræ Ecclesiæ semper fuit, vt viuos quæreret intercessores, & ipsi quoque pro viuis fratribus oraret. Vtrunque hodie viciatum est à Pontificiis.

12. *Nam gloriatio nostra hæc est.*

Altera causa media, quam Deus respexit in sua liberatione, scilicet innocentiam suam & sinceritatem. Cohærent illa superiori tanquam causa cum effectu. Cur enim Corinthij adeò dilexerunt Apostolum, vt viritim pro illo orarent: causa est, quia perspectam habent illius simplicitatem & innocentiam vitæ. Non igitur frustra est, quòd tantopere pro illo solliciti fuerunt. Primò vocat innocentiam suam καύχημα, vel καύχησιν, quia apodicticum est argumentum, quod opponi potest omnibus omnium mortalium iudicis. Et illa vera est gloria, quæ subsistit coram Deo, iudicium bonæ conscientiæ. Discamus ergo magnifacere innocentiam conscientiæ, quæ si excusat, non refert quid de nobis loquantur homines. Iudæi Paulum apostatam vocabát & seductorem, Philosophi Athenis spermologum, Corinthiorum doctores leuem hominem. Sed his iudiciis vnam opponit conscientiam suam. Deinde vocat testimonium conscientiæ suæ. Vocant oratores ἄτεχνα. argumenta quæ à testimoniis ducuntur, sed his non connumerari debet testimonium diuinum & conscientiæ, quæ illi ignorarunt. Conscientia bona vim diuini habet testimonij, & conficit apodicticũ argumentum. Sic Dei mandatum apodicticũ est. Conscientia iudicium est animi honestæ & piæ vel secus actæ vitæ. Et in argumentatione affert minorem propositionem. Maiorem profert συντήρησις, Deus improbos non exaudit. Sententia vniuersalis est, quam agnoscit ratio vt veram. Huic conscientia addit minorem. Ego Paulus non sum improbus, vel leuis & versutus. Ratio est, quia & me & vos exaudiuit. Sic in terroribus desperabundorum efficiuntur syllogismi practici, vt vocant. Qui agnitam veritatem negant hos meritò reiicit Dominus. Hinc cõsciẽtia subsumit, tu Spiera negasti agnitam veritatem, ergo meritò Deus te reiicit. Ita argumentatur hîc Apostolus ex iudicio conscientiæ: illa me excusat in hoc crimine, ergo non debeo leuitatis accusari. Tertiò addit hoc conscientiæ iudicium, cui tribuit simplicitatem scil. vitæ. ἁπλότης enim opponitur versutiis & dolis. Sinceritatem refero ad doctrinam, duo igitur sunt, Vitæ innocentia & doctrinæ sinceritas, in quibus purus est Apostolus. Quartò à loco illustrat. *Sic versatus sum in toto mundo maximè autem apud vos.* Hoc testimonium opponit Iudæis, philosophis, falsis doctoribus, & omnibus aduersariis. Admonemur quanti sit facienda cõsciẽtia, quæ quia mille testium loco est, mille defensiones etiam suppeditat & firmissimas consolationes. Deinde innocentiam vitæ & doctrinæ puritatem in primis amplectendam. Nam hæc conscientiam puram reddunt. Tertiò vbique illa seruanda, in primis tamen apud sanctos Dei, vt Paulus apud Corinthios.

Bonæ cõscientiæ iudiciũ vera gloriatio.

Syllogismi practici ex iudicio conscientiæ.

13. *Non enim alia scribimus.*

Remouit crimen leuitatis à vita prius acta, nunc eandem remouet à scriptis suis. Scripta mea non spirant inconstantiam vel leuitatem, ergo illius damnari non debeo. Loquitur de scriptis prioris Epistolæ, quam permittit lectioni, & limato iudicio. Duo enim sunt quæ scripta examinare possunt, lectio scilicet & pensitatio. Ἀνάγνωσις interdum errare potest oscitantia quadam, sed ἐπίγνωσις non fallitur. Illa enim expendit sententias, quid, ex quo sequatur, quid cohærens vel pugnans scribatur. Id iudicij ipsis defert. Obseruandum est insigne eloquium Apostoli de suis scriptis, quæ vindicat ab obscuritate & ambiguitate, eísque tribuit summam simplicitatem & sinceritatem. Nec ei obstat iudicium Petri qui Epistola 2. cap. 3. tribuit Paulinis scriptis quędam difficilia, sed idem nodum soluit, quòd imperitorum malitia fiat, qui illa torqueant, quemadmodum ludunt in reliqua scriptura.

Scripta duobus modis examinari.

14. *Sicut & aliquatenus agnouistis.*

Commendat Corinthiorum Ecclesiam, à meliori parte, quasi dicat, multi apud vos me excusatum habent, sed supersunt aliqui praui iudices, quibus precor saniorem mentem, vt aliquando agnoscant meam innocentiam. Et addit his aliud innocentiæ argumentum, prouocans ad Christi tribunal, ad quod releuabitur omnis omnium hominum cogitatio, quasi dicat, isthic apparebit quantum vobis profuerim, & vicissim quantum ego vobis debeam. Mutua est correlatio, ego vestra declarabor, & vos mea declarabimini gloria.

15. *Et hac fiducia volui ad vos prius venire.*

Pergit accedere ad caput accusationis, confiterúrque primùm aduersariis primã partem. Mox addit consequentis inficiationem, hinc argumentatur contra crimen obiectum. Retineatur propositio, se non ideo leuem dicendũ quod promiserit venturum, & non venerit.

Pauli cõcessio, se aduentum promisisse. Initio ὁμολογία est, concedit enim primum membrum, promisi aduentum meum, & non veni. Sed munit confessionem duplici causarum ordine. Promisi honesta causa impellente, deinde honesto fine. Promissio igitur per se honesta est. Impellens causa est πεποίθησις, hoc est, illa de vobis æstimatio, & vicissim iudicium vestrũ de me; in quo mutuus est amor. Prius dixerat mutuam esse gloriam. Amor enim confidentiam parit, vt nihil non sibi de amato polliceatur. Πρότερον refero ad tempus promissionis & Epistolam priorem, in qua extat illa pollicitatio. Alij ad ordinem profectionis, quod mihi non placet.

Causa finalis multiplex est. Primùm ad finem pertinet, quia meo hoc aduentu volui vobis communicare secundam gratiam, hoc est, beneficium. Prima igitur est institutionis, altera visitationis: In vtraque amor est sincerus. Alter finis est commoditas vitæ, fortè non tam naturalis quàm quæsita ab Apostolo. Per Corinthum in Macedoniam ire voluit amore illorum ductus, & ad eosdem inde rediturus. Quod & ipsum argumentum est dilectionis. Nam ex Epheso facilior nauigatio erat in Macedoniam, intermisso circuitu Corinthi. Sed pendent ista à pia Apostoli deliberatione. De his vide Act. 20. & suprà 16. Tertius finis est, vt ab ipsis deduceretur in Iudæam. Hoc intelligo de comitibus qui collectam erant Ierosolymam deportaturi. Isti honoris causa prosecuturi erant Apostolum, suprà 16.

17. *Hoc igitur deliberans.*

An Paulus sit leuis censendus. Post concessionem, constituit principalem quæstionem, an ideo sit leuis censendus. In hoc cardo negotij versatur. Ideo huc referenda sunt argumenta Apostoli, quæ postea subiicit. Quæstionem ornatè proponit triplici isodynamia, & interrogatione vrget eos, quasi in conclusione non satis firma. Æquipollentia sunt, an sit vsus leuitate, an secundum carnem deliberarit, & an sit in sermone eius *etiam & non*, hoc est, temerè affirmet & neget, aliud sedens, aliud stans agat. Ἐλαφρία leuitas est ceruina. Ceruicis enim nihil mobilius est, quouis strepitu excitantur ad cursum. Sic ingenia quæ facilia sunt ad mutanda consilia, leuia dicuntur ἐλαφρά. Iucunda est metaphora. Hanc leuitatem explicat à causa efficiente. Secundum carnem consultare, hoc est, more hominum carnalium, qui non diutius in consilio persistunt, quàm ipsis vtile & commodum videtur. Leuitas igitur illa à carnali ingenio proficiscitur. Tertiò à forma vtranque sententiam illustrat. Forma enim est: si idem sermo affirmet nunc neget, hoc est, dubitanter agat. Leuitatis proprium est inconstantem habere orationem, miscere affirmantia & negantia in eodem sermone. Perspicua oratio vna qualitate solùm constat.

18. *Fidelis Deus quod oratio nostra.*

Duo iam absoluit, ὁμολογίαν & κατάστασιν quæstionis, nunc tertiò addit inficiationem, quasi dicat, nego consequens. Illa feci, fateor, at non sequitur inde me leuem esse. Confidenter autem negat Dei testimonio adhibito, vel quod magis placet, congratulatione quadam, *Gott sye lob es ist nit also, mynt vvver Gott, hat mich des vberhaben.*

Ponamus igitur hoc primum de nouo argumentum. Deus fidelis nouit me non leuem esse, imò beneficio suo abesse crimen hoc à me, igitur dicendus leuis non sum. Applicat autem constantiæ laudem ad totam doctrinam, quam vni & soli Deo debemus. Et in hac tutela, fidelis dicetur Deus, quia suos fideliter præseruat à lapsibus horrendis, defectionis, inconstantiæ, leuitatis.

19. *Nam Dei filius Iesus Christus.*

Confirmatio prioris argumenti. Nos hinc secundum elicimus: Paulus in docendo toto Euangelio de filio, fuit constans & minimè leuis, ergo nec hìc dicendus leuis, qui in difficilioribus adeóque maioribus solet esse constans, is etiam in leuioribus rebus non volet leuitatis notam subire. Argumẽtum patheticum est, à materia subiecta, Iesum Christum Dei filium docui inter vos constanter, cur igitur mihi inuritis leuitatis crimen? Tertium hinc deprometur etiam argumentum à consensu aliorum ministrorum, sanius iudicantium. Siluanus & Timotheus idem mecum docuêre, cum quibus consensum alo, non sum igitur leuis. Monet nos locus prouocare pios sæpe ad minorem partem, attamen saniorem. Et hic Apostolus non dubitat ad hos prouocare numero licet inferiores. Simul non obscurè indicat, se cum aliis malis doctoribus minimè consensum alere. Ἐν αὐτῷ refero ad λόγον, quasi dicat, non alium & alium Christum nos docuimus, sed vnum & eundem constanter.

20. *Quotquot enim sunt promissiones Dei.*

Ratio à natura promissionum diuinarum, Christum constanter docuimus apud vos, quia promissiones de eo constantes sunt. Promissionũ certitudo est, quia implentur vt promisit. *Sunt in ipso etiam*, hoc est, ratę, hoc est, categoricę. *Et sunt in Christo amen*, hoc est, verè impletæ. Sit argumentum quartum: Promissionum diuinarum sum interpres, & istæ sunt constantes, ergo me constantem esse semper decuit. Turpe enim foret constantem doctrinam explicando facere inconstantem & leuem.

Diuinas promissiones cõstantes esse.

Quintò,

Quinto, explicatio mea facit ad gloriam Dei, quod fieri non posset in leuitate interpretantis. Illud disertè dicit: *Deo ad gloriam facit per nos*, hoc est, nostra explicatio promissionum diuinarum ad Dei gloriam respicit, ergo non est accusanda leuitatis.

21. *Qui vero confirmat nos.*

Constantiæ laudem omnem refert ad Deum authorem, ex hoc enim habemus quicquid sumus. Coniungit autem causam suam cum Corinthiorum causa, quasi dicat, non possum damnari leuitatis, sine vestra insigni iniuria. Idē enim Deus est, qui & vos & me in Christo confirmat. Mox addit confirmationis illius certū signum, quod est ipsa vnctio Spiritus sancti. Commendat autē Dei liberalitatem in suos, qui non vno genere beneficij eos ornat, sed infinitis donis perfundit. Primùm vngit, ad futura scil. certamina, quasi athletas suos. Deinde ad certa officia vocationis, vt ad propheticum munus, doctoris, sacerdotis, regis, &c. Vide Luc. 4. Hebr. 1. & 1. Ioan. 12. Deinde *obsignat*: metaphora est à contractibus sumpta. Conuentio quę firma esse debet obsignatur, sic Deus sua dona in nobis obsignat vt certi simus de eius voluntate. Tertiò dat etiam arrhabonem Spiritus sancti in corda nostra. Arrhabon dictio Hebraica, qua tamen Græci etiam vtuntur, significans Symbolum, quod in firmo contractu datur, vt quod sponsæ dat sponsus, nummum vel annulum, in spem se mox habituram & ipsum sponsum. Talis arrha est Spiritus sanctus in cordibus fidelium. Ex his fluit argumentum sextum: dona Dei habeo vobiscum communia constantiæ & non leuitatis, vnctionem, obsignationem, & arrhabonem Spiritus sancti. Ergo leuis non sum. Spiritus vnctio.

23. *Ego verò testem Deum inuoco in animam meam.*

Hactenus argumentis vsus est directis. Nunc redit ad translationem criminis, suprà transtulit culpam in necessitatem incumbentem, qua præpeditus non potuit venire vt promiserat. Hic alia vtitur μετάστασει: nō veni, fateor, sed vestro bono mutaui consilium, si maximè venire potuissem. Bono fine mutaui, ergo non sum leuis. Bonus finis est vt vobis parcam, hoc est, ne esset mihi exercenda Apostolica seueritas, ideo malui absens scribere, & differre ad vestram emendationem, ne ille incestus per me esset corrigendus, & ἀταξία temerè litigantium apud infideles iudices, item in sacris cœtibus abusus. Hæc & similia malui per vos corrigi, quàm mea seueritate, quæ ex officio mihi incumbit. Argumentum hoc graui iuramento munit. *Ego verò Deum inuoco testem in animam meam*, hoc est, vt mihi propitius sit Deus, non mentior. Deus animaduertat in animam meam, si mentior. Expendant hoc qui omne iuramentum quouis modo conceptum damnant. Apostolus iurat vt saltem depellat crimen leuitatis, ergo piis iurare in loco & tempore licet. Corinthiorum bono, Paulum mutasse consiliū.

24. *Non vt dominemur.*

Remouet falsam causam, quam tacita obiectione hìc concipiebant aduersarij. Tu dicis te non venisse ne seuerior quàm velles cogereris in nos esse. Audio, itáne tu dominium tibi sumis in nos, quæ est illa tyrannis? Respondet, non illa est ratio mea. Fidei vestrę nolo esse dominus, donum enim Dei est, & in hac rectè statis. Sed gaudij vestri minister esse volui, scilicet si admoniti per me sponte corrigeretis corrigenda, & hinc à me laudem haberetis. Gaudent enim boni auditores commendari à doctoribus suis ob præstitam obedientiam, & emendationem vitæ. Admonemur ministrorum correptiones, non oportere spirare tyrannidem & imperium aliquod corporale, sed amicam correptionem & emendationem auditorum. Deinde sic esse attemperandas castigationes, vt auditores potius ex illis lætentur, quàm vt tristitia afficiantur, ministri potiùs gaudij quàm doloris sint. Quod tamen dextrè intelligi debet. Medicus dolore afficit curando, sed desinit in gaudium acquisita sanitate. Non enim indulget prauo desiderio ægri, sic minister cogitet. Denique fidem non subiici hominum imperio, quantumuis doctorum & sanctorum. Ratio, quia Paulus non voluit sibi imperium in fidem Corinthiorum sumere. Ergo ne Papa quidem hoc facere debet, quia minora habet argumenta Spiritus sancti, quàm habuerit D. Apostolus Paulus. Tyrannidis affectationē à ministris abesse debere.

CAPVT II.



CRimen leuitatis satis diluit: nunc accedit ad alterū locū defensionis, quo accusabatur cuiusdam seueritatis nimię. Quia suprà cap. 5. Apostolica grauitate iusserat excommunicari illum incestuosum, id maleuoli calumniabantur, tāquam crimē affectati dominij ac tyrannidis. Quare necessaria erat Apostolo defensio, ne factum in se pium & necessarium, putaretur tyrannis. Atque id priore huius capitis membro agitur. Postea pergit commemorare, quanto cum fructu Euāgelium hinc inde docuerit: ista duo hoc capite tractantur. Prius membrum tamen bipartitum est. Non solùm enim se defendit contra crimen nimiæ seueritatis: sed etiam intercedit pro excluso, ostendítque expedire vt miser ille homo recipiatur publica authoritate. Sta- Argu.

tus est, se non acerbitatis in scripto esse accusandum, licet illum iusserit excommunicari.

1. *Iudicaui autem hoc apud me.*

Transitio ad secundum apologiæ locum.

Μετάβασις à priore loco apologiæ ad alterum: ostenditque finem consilij sui, ne scilicet apostolica authoritate cogeretur præsens vti, ideo maluisse absentem scribere aliquantò seueriùs, vt ipsi corrigenda emendarent. Amicorum autem est, velle in conuentu suo omnem tristitiã excludere. Id Apostolus etiam decreuit, ideo amico animo quicquid fecit, præstitit.

2. *Si enim tristitia afficio vos.*

Confirmatio per præoccupationem. Nam illi excipere poterant, Tu quidem noluisti præsens seueritatem iustissimi iudicij exercere, vt careres dolore isto, sed interim non metuis nos tristitia afficere: quis illam nobis adimet? Respondet compensatione quadam, & quis meam mihi subleuabit? Iterum respondet sibi, vos id facietis à me tristitia affecti, ergo & ego vos exhilarabo quoque tristitia à vobis affectus. Mutua enim est agentium & patientium ratio.

3. *Et scripsi vobis hoc ipsum, ne si venissem ad vos.*

Illatio qua plenius consilij sui finem explicat, scilicet seuerius scripsisse, ne veniens offenderet illam corruptelam qua doleret. Honesta ratio est scripti à causa finali, ideò non debet accusari nimiæ seueritatis. Quod addit ἀφ' ὧν ἔδει με, potest vel neutraliter accipi, vt referatur ad factum, quasi dicat, ne impuro eo facto nondum punito tristarer, à quo punito vtiliter gaudere possem. Vel personaliter ad ipsos Corinthios, quasi dicat, per vos stat quominus gaudeam, quia oscitanter animaduertitis in scelera. Quæ ratio habet tacitam obiurgationem Corinthiorum, quia illis negligẽtia obiicitur corrigendi & puniendi scelera: πεποιθώς, addit suum præiudiciũ, quo denuò eos taxat, nimirum contra suam spem insuper eos esse temerarios, quasi dicat, sic cogitabam: sententiam meam omnes ratam habebunt, adeò vt ne vnus illam damnet. Meum gaudium illorum est gaudium, hoc est, meum iudicium omnium iudicio approbabitur quasi commune bonum. Sed nunc contrarium deprehẽdo. Multi damnant sententiam meam, quasi nimium seueram, id quod minimè expectabam.

4. *Nam ex multa afflictione.*

Synceri in Paulo affectus testimonium.

Hactenus vna ratione se excusauit, nimirum ne præsens tristior esse cogeretur, ferendo sententiam excommunicationis. Nunc alterum affert, fontem scilicet ex quo dictata est illa sententia. Profert autem animum mœstum & afflictum simúlque lachrymas faciei, quæ omnia testantur sincero animo scriptam fuisse illam sententiam.

Non vt tristitia afficeremini. Tertia ratio excusationis à fine, vt scilicet intelligerẽt amoris magnitudinem. Quæ enim enixè amamus, in his castigandis plus seueritatis adhibemus, & quæ minùs diligimus, minùs etiam curamus. Apostolus remouet falsam causam, qua vtebantur calumniatores, scilicet confundendi causa adò acerbè scripsisse: id pernegat Apostolus, & addit veram causam, amoris excellentiã. Docemur non esse alienũ à pietate vnam Ecclesiam certo casu, plus diligere quàm aliam, quemadmodum parentum amor inæqualiter diffunditur in liberos, vt alios aliis plus diligant: Sic Apostolus plus dicit se dilexisse Corinthios, attamen dubius est ille affectus. Nam quos sæpe plus diligimus, minùs Deo placent, vt Esau plus diligebatur à patre quàm Iacob, cùm Iacob Dei sit acceptior.

Gradus in dilectione esse.

5. *Quod si quis tristitiam attulit.*

Quarta causa defensionis, quia dolor communis est, non igitur vni Paulo impingenda nimia seueritatis nota. Non me contristauit, sed ex parte vos etiam, hoc est, dolor sceleris est communis, vel saltem communis esse debet. Ecclesiæ est propter offendiculum: Apostoli verò propter defensionem doctrinæ & morum disciplinam. Reliqua epenthesi concludi debent, ne opprimar nimia tristitia, quasi dicat, Deus vult communem esse dolorem, soli mihi intollerabilis esset. Communicatio leuius facit malum.

6. *Sufficit huic.*

Hactenus defensio, nunc additur intercessio. Ostendit vtile esse eum publica authoritate recipere. Ratio prima est, quia modus seruandus est in disciplina exercenda. Ἐπιτιμία est publica castigatio morum, quam satisfactionem vocant. Deinde ostendit vtile esse à pluribus administrari. Et vt à pluribus exclusus est, sic à pluribus recipi debet. Docemur disciplinam non vnius iudicio esse committendam, quia nec Apostolus suo solius iudicio, sed totius Ecclesiæ authoritate administrari & exerceri voluit. Quo deprehenduntur errare hodie, qui vnius vel alterius solùm arbitrio committendam volunt. Ἱκανὸν refero ad tempus primum, quòd sufficiat tandiu fuisse exclusum. Deinde ad authoritatem Ecclesiæ, quòd sufficiens sit authoritas Ecclesiæ & Apostoli Pauli ad restituendum fratrem exclusum.

Disciplinam pluribus esse committendam.

7. *Vt è contrà ei potius condonetis.*

Altera est ratio: disciplina non solùm constare debet seueritate excommunicationis, sed etiam condonatione & consolatione, quod fieri non potest sine restitutione: Ergo, &c.

Tertia

Tertia est à metu maioris periculi in futurum, *Ne absorbeatur talis*, hoc est, desperatione pereat, quod in primis cauendum in castigandis vitiis. Nam ad ædificationem, non ad destructionem valere debet illa censura.

Quarta est, vt ratā faciant in eum charitatem, qua sine restitutione nō sit rata. Nam verbis testantur dum excludunt solùm, re verò ipsa, dum amicè & fraterne recipiunt exclusos.

Quinta vt testentur etiam obedientiam suam. Vtrinque valet ratio: Prius scripsi seuerius, vt constaret mihi de obedientia vestra. Sic iam vt iterum videam, quàm sitis tractabiles in recipiendo, ideo expedit etiam vobis, vt illum amicè recipiatis, nequid desit obedientiæ vestræ.

10. *Cui verò condonatis.*

Submittit suam causam illorum iudicio, non vult ab illis dissentire, imò communi consilio iubet illum recipere. Consensus vtiliter conseruandus est.

Sexta ratio est, *Ne occupemur à Satana.* Argumētum habet vim à metu mali futuri, quod commune est. Prius priuatum malum indicauit, hic verò commune, quasi dicat, cedet ad totius Ecclesiæ perniciem. Nam Satan eo præiudicio deinceps vtetur, vt deinceps nulli recipiantur istius exēplo. Hic astus est Satanæ, quod imprudentes nō obseruant. Hoc malum postea induxerunt Nouatiani, qui lapsis negarunt recipiscētiam. Hoc est πλεονέκτημα Satanæ. Addit confirmationem: *non enim ignoramus illius dolos*, h.e. non debemus ignorare: vel saltem ministri norunt, si auditores ignorāt. Νόημα est astuta cogitatio, ratiocinatio sophistica. Hinc Latini etiam Noëma vocāt irrisoriam inuentionem, subsannationē, *ein spatzly*. Satanę noemata sunt cogitationes ad lædendum accōmodatę, & ad insultandum. Non solùm nocet hostis ille, sed insultat quoque & subsannat. Græci dicunt νοήματα, γρίφες καὶ λόγες αἰνιγματώδεις, hoc est, sententias prouerbiales, in quibus aliud dicitur, & aliud intelligitur, quod etiam Satanæ competit. Nam ambiguitate solet ludere & fallere. — Satanæ astus.

12. *Porrò cùm venissem Troadem vt prædicarem Euangelium.*

Tertius est locus apologiæ, in quo crimen ostentationis & falsæ doctrinæ amolitur. Multa autem hîc concurrunt, quòd non inutiliter hactenus docuerit, quòd non dolosè, quòd non vanæ gloriæ causa, quòd non priuati commodi nomine, quòd non vitandi periculi gratia, sed sinceriter vbique & semper magno cum fructu docuerit. Quæ omnia faciunt ad defensionem doctrinæ, vt superiora duo magis ad personæ defensionem pertinebunt, quòd non esset leuis, & quòd non asperitate affectata scripserit superiorem sententiam de exclusione incestuosi. Protrahuntur ista ad finem capitis quinti. — Huius 3. loci arg.

Πρόθεσις est, Apostolus Paulus Euangelium sinceriter semper & vbiq; docuit, nulla fraude aut spe, vel lucri vel honoris, vel propter periculorum metum, ab ea nunquam fuit deterritus. Partes suo videbimus ordine: nunc præsentia verba consideranda sunt, quorum partes tres sunt: prima de profectione in Macedoniam per Troadem, & simul de causa illius, neglectáq; occasionę in Troade sibi oblata, quam tamen neglexit, vt apparet graui de causa. Altera de fructu suorum laborum, adeóq; ipsa vtilitate sui ministerij. Tertia autem de sinceritate suæ doctrinæ, ex qua statui debet totius loci propositio. — Propositio.

12. *Porrò quum venissem.*

Noua narratio de studio suo inquirēdi Titū per Macedoniam. Troade ex pacto cōuenire debuerant, quod cùm factum non sit, necessariò Apostolo fuit mutandum consilium. Cur verò Troade conuenire voluerit, ratio videtur esse, quòd Apostolus Titum Corinthum remiserit ad explorandas res illius Ecclesiæ, cuius statum ex illo voluit cognoscere. Et sanè eos postea conuenisse in Macedonia infrà cap. 7. declarabitur. Simile consilium habuerūnt conueniendi ad Nicopolim, vt est ad Tit. 3. Breuiter conuentum hunc perstrinxit, quia res Corinthiis nota erat. Obserua autem aliam etiam causam veniendi Troadem, scil. docendi fidem, quod dixit in Euangelium Christi eò venisse. Dicuntur venire in Euangelium Christi doctores, qui docendi studio aliquò veniunt, proposito certo docendi. Auditores verò venire dicuntur in Euangelium, quando illis discendi offertur occasio. Itaque duas habuit causas Troadem veniendi. Vnam ex officio propagandi Euangelium, alteram ex priuata conuentione, vt à Tito res Corinthiorum perdisceret. Deinde vt res apud Troadem fuerint constitutæ ad Apostoli aduentum: admodum fœliciter, ostium enim illi magnum apertum fuit docendi. Qua metaphora significat amplissimam occasionē illi oblatam fuisse docendi. Vt enim ostium aditū patefacit ad interiora domus, sic se habet occasio ad docendi munus. Et vt ad Euangelium Christi venerat: sic in Domino ei fuit apertum ostium, h.e. occasio, vt intelligas iustam fuisse occasionem. Tertiò vt ipse Apostolus fuerit affectus. Titum inquit, se nō reperisse vt sperabat, quæ res illum mouit ad noua consilia, sed accessit interior quędam causa impellens, Spiritus sancti dictamē, *Nō habui*, inquit, ἄνεσιν. Futura erat ἄνεσις si illic mansisset aliquādiu, & animo suo satisfecisset docēdo. Hanc verò impedit Spiritus san- — Venire in Euangelium. — Elegans metaphora.

ctus, qui instat ne maneret, sed iret in Macedoniam ad perquirendum Titum. Quo docemur sanctos consilia sua sæpe mutare, non tam sua voluntate quàm impulsu Spiritus sancti. Quartò causa expressa est mutati consilij, quæ scilicet conuenit præsenti negotio, quia Titum non reperit: quo admonet hanc principalem fuisse curam hunc conueniendi, ex quo perdisceret statum Corinthiorum.

Quintò quò abierit, *In Macedoniam*, illic enim conuenit Titum. Vide autem vt illa efferat, ἀποταξάμενος αὐτοῖς, quasi dicat, abrenũcians illis, cùm valedixisse illis se velit dicere. Propria est huius verbi significatio in venditionibus, aliisque ciuilibus contractibus. Bonis venditis abrenuntio, nihil deinceps iuris in his me habere. Hinc translata significatio ad religionem, & nominatim ad professionem, quam adulti in baptismo ædebant, qui dicebantur ἀποτάττεσθαι τῷ Σατανᾷ, hoc est, renuntiare Satanæ. Et contrà συντάττεσθαι τῷ χριστῷ, coniungi Christo, hoc est, illum profiteri, & professioni vita & moribus respondere. Hoc loco separatum se ad tempus significat à Troadensibus.

Cur tantam docendi occasionē prætermiserit Paulus.

Sed quare Apostolus tantam docendi occasionem hîc intermisit? Respondeo id sine peccato factum. Primùm enim principalis finis mutatus fuit, ideo non mirum si consilium mutauit. Finis autem fuerat, vt ibi conueniret Titum. Deinde ex pacto isthuc venerat. Docendi autem munus vbique incumbebat, quod tamen vbique non exercuit. Denique manifestè excusat eum Spiritus sanctus, qui institit ei vt abiret quæsitum Titum. Fuit autem Spiritus sancti euidens testimonium penes Apostolos quòd non errarent in doctrina. Illius etiam hîc habet testimonium quòd eo authore non docuerit Troade, quamuis ampla visa sit occasio Apostolo. Igitur non peccauit. Et fieri potest Apostolo maiorem fuisse visam quàm reuera fuerit, saltem eo tempore non placuisse Spiritui sancto.

14. *Deo autem sit gratia.*

Alter est locus de successu laborum suorum, quòd scilicet feliciter, hoc est, magno cum fructu semper & vbique docuerit. Itaque non malitiosè docuit, sed, vt dicit, sinceriter. Primò hîc expende Apostolum gratias agere Deo, non tam pro laboribus quàm fructu laborum. Nam in laboribus per se non erat laus. Docemur modestiæ Christianæ esse, ad Deum referre omnem successum, & laudem laborum nostrorum. Deinde modum felicitatis notat verbo triumphandi, quod est satis efficax. Vtitur autem eo, transitiua significatione more Hebræo: *Facit nos triumphare in Christo*, quod pertinet ad victores & synerga alia victoriæ, quales sunt duces, milites, amici, consultores. Sic Paulus organum est, per quod Deus triumphat in Christo suo, Deus summus Imperator, Christus verò finis & materia, hostes, Satan, & impia illius membra.

Tertiò, *Odorem notitiæ suæ patefecit per nos in omni loco.* Noua metaphora ornat ministerium suum. Ὀσμὴ τῆς γνώσεως dicitur, initium cognitionis, vel occasio, vel organum cognoscendi. Organum erat Paulus, initia cognoscendi dabantur hominibus per hoc organum.

Varij cognoscendi modi.

Sunt enim varij modi cognoscendi Deum. Primus olim fuit per congressum Angelorum, qui hominibus patefaciebant voluntatem Dei. Alter fuit naturalis, quo per visibilia ethnici cognoscebant Dei inuisibilia. Tertius modus per filium Dei, qui character est substantiæ Patris. Quartus per ministerium verbi de quo hîc loquitur. Præterea obseruanda est laus ministrorum, quòd illi etiam dicuntur odor bonus vt sequenti versu dicitur. Sic dicuntur lux, non quòd ab ipsis talia proficiscantur, sed quia facem in tenebrosa mundi loca inferunt. Sic odorem de Christo in feces & sterquilinia ethnica deferunt.

Ministri odor bonus.

Quartò, nota temporis est obseruanda & loci, quòd semper & vbique summus sit doctor, hoc enim pertinet ad statum defensionis. Πάντοτε, semper: & ἐν παντὶ τόπῳ, in omni loco. Falsum igitur est quod calumniantur mali doctores. Debet autem commodè accipi de his locis in quæ venerat, vt ait Rom. 15. ab Ierosolymis vsque in Illyricum, se omnia complesse Euangelio.

15. *Quia Christi bonus odor.*

Causæ redditio quare vbique & semper bonus sit doctor. Perdurat autem in metaphora suscepta de odore, ac connectit superioribus forma quadam occupationis. Dicent enim calumniatores, At tu Paule multos doctrina tua offendis, & irritabiles reddis, vt & Christo & tibi maledicant. Quomodo ergo vbique omnibus instillas Dei cognitionem? Respondet, nihil hoc obest causæ suæ, quia Christi εὐωδία respirat ad Deum patrem, tam in saluandis quàm perdendis. Considera ad quem spectet ista εὐωδία, ad Deum Patrem, hoc est, ad illius facere gloriam bonos & reprobos. Deinde vnde spiret, à Christo, hoc est, ex illius doctrina. Tertiò in quibus deprehendatur, in saluandis & perdendis. Et huius minister est Paulus. Igitur in reprobis quoque Christo gloriam comparat.

Bonos & reprobos ad Dei gloriam facere.

16. *His quidem.*

Illustrat rem per distributionem. In saluandis odor vitæ ad vitam, reprobis odor mortis ad

tis ad mortem,hoc est,contrariorum sum causa efficiens,vnius per se,alterius per accidens. Sic Christus per se causa pacis erat, attamen dicit se venisse vt mitteret gladium, per accidens nimirum. Grauis locus est de reprobis qui ex audito verbo Euangelij deteriores redduntur,idque simul facit ad gloriam Christi & Dei patris.*Et ad hæc quis est idoneus*?Exclamatio his verbis inest.Remouet autem crimen arrogantiæ, quasi dicat, magnum est quod dixi, me esse Christi bonum odorem, tam in bonis quàm reprobis, sed totum hoc est Dei beneficium,non mea est dignitas,quis idoneus? quasi dicat, nemo: ἱκανότης solius Dei est, non nostræ est dignitatis,Et ταῦτα refero ad contrarios effectus ministerij.

17. *Non enim sumus,vt multi cauponantes verbum Dei.*

Tertius locus de integritate Apostoli,quam calumniatorum dolis opponit.Statuenda hîc est propositio: Apostolus Paulus semper & vbique sinceriter docuit Euangelium sine dolo.Initium facit à comparatione:*non sumus vt multi*.Hi multi,erant calumniatores Pauli,in quibus veriùs deprehendebantur vitia Paulo obiecta,in primis ostentatio in docendo.His inquit, similis non sum. Deinde vitium principale perstringit. Καπηλεύοντες, cauponantes sermonem Dei.Metaphora sumpta est ab hospitibus & cauponantibus,quibus in more est vinum aqua corrumpere. Sic Græci interpretantur καπηλεύειν,κακεύειν τὸν οἶνον,hoc est,vinum corrumpere.Et πῆλον dicunt olim significauisse οἶνον,vinum. Quòd si ita est,res apprimè conuenit huic instituto.Nam cauponari Dei verbum dicuntur, qui falsa dogmata admiscent,vt si Iudaismum,vel Gentilismum, Turcismum, aliquis commisceret religioni veræ,vt hodie qui humanas traditiones admiscent.Deinde corrumpunt,qui alio fine docent, etiamsi nulla falsa dogmata spargant, vt qui honoris, lucri causa docent, qualia Apostolo obiiciebantur,quæ hic retorquet in ipsos calumniatores.

Tertiò sibi vendicat sinceritatem,quam aduersarij illi detrahebant.Et hanc sinceritatem refero ad materiam doctrinæ suæ,in qua nihil erat fucatum.Deinde addit,*tanquam ex Deo*, quod refero ad legitimam vocationem. Ac vim argumenti habet: legitimè sum vocatus à Deo ad apostolatum,ergo sinceriter doceo.Addit in conspectu Dei,hoc est, sic doceo quasi Deum semper habens inspectorem præsentem,ideo sincera est mea doctrina,vel Dei reuerentia. Denique in Christo loquor. Christus veritas est. Mentiri igitur in Christo non possum. Ac videtur forma esse iurantis, vel certè asseuerantis testimonio Christi, in quo non fas est fallere.

CAPVT III.

Pergit in defensione sui nominis, ac indicat se apud Corinthios sic vixisse, vt nulla apud eos indigeat commendatione.Id ipsorum testimonio asserit,vt qui sint viua apud omnes fideles sua epistola.Sed ne hîc etiam incurrat crimen arrogantiæ,modestè omne à se meritum remouet,& vni Deo accepta refert omnia.Hinc ad ipsam doctrinam descendit, & collatione facta cum lege, ostendit doctrinam suam Euangelicam, multis partibus præferri debere doctrinæ legis, quam vrgebant sui aduersarij.Hinc de perspicuitate Euangelij disserit,opposita legis obscuritate. Quæ omnia eò faciunt vt sciant sinceriter & sine ambitione eum docuisse. Argum.

Partes principales duæ sunt. Prior de vera Apostolica commendatione quæ non in vanis laudibus consistit,sed auditorum rectè iudicantium de doctrina, conscientia:posterior de legis & Euangelij commendatione.

Propositiones speciales duæ etiam sunt,prior quòd Apostolus sine ambitione verè possit de Corinthiorum conuersione gloriari. Altera, doctrinam Euangelij sinceram, multis modis legali esse præferendam.Inseruit autem vtraque generali,de qua suprà diximus.

1. *Incipimus rursum nos ipsos commendare.*

Preoccupatio est: nam cohærent superioribus, in quibus sinceritatem sibi attribuit,& aliis multis prætulit.Id rapi poterat ab aduersariis in sinistram partem,quasi vana quadam laude seipsum efferret,cùm propria laus sordeat,nec debet ex ore proprio proficisci. Id totum præuenit Apostolus,& inquit,Laudo me ipsum,vt vos dicitis,sed non vana est gloriatio apud Corinthios præsertim, quia mihi debent suam conuersionem. Duo sunt membra in hoc versu.Prius confessionem habet. Nam initium hoc sine interrogatione lego:*Incipimus nos iterum commendare*,rectè sanè, quia Apostolus debitam laudem sibi vendicat, quod facit copiosius infrà 10.& 11.Quo admonemur boni ministri esse,non per omnia negligere famam boni nominis. In externis enim irreprehensibilis debet esse vita doctoris.Hinc tot crimina obiecta Apostolus in hac Epistola refellit. Alterum membrum est de vanis laudibus,quas studiosè ambiebant falsi doctores.Has laudes à se remouet, docetq; se valdè alienum ab his esse.Hoc membrum interrogationem habet, quia ita amolitur. Sententia est, non indigeo apud vos operosa & vana commendatione. Docemur hîc morem commen- Ministris famam boni nominis esse tuẽdam.

dandi admodum esse antiquum, cùm hîc audiamus moris fuisse, vt doctores per Ecclesias aliis commendarentur. Et Cyprianus refert suo seculo quosdam post lapsum commendationes à martyribus extorsisse & confessoribus, vt eò facilius ab Ecclesia iterum reciperentur. Fuit illa consuetudo vtilis, vt boni & ignoti bonis commendarentur. Sed accessit ingens abusus, vt & hodie, vt pessimi quique optimas circumferant commendationes. Nos sciamus optimam esse, quæ vita & moribus constat, quam singuli in sinu circumferre debent, ne virtutes in chartis scriptas, vitia verò in moribus circumferant.

Deinde obseruandum est, taxari hîc falsos doctores, qui ambitiosè quærebant vanas laudes, & abutebantur consuetudine recepta. Τινὲς intelligo illos πολλοὺς quos taxauit vers. 17. prioris capitis.

Tertiò, Συστατικὰ duplicia hîc esse: priora quibus alij Corinthiis commendabantur, posteriora quibus Corinthij aliis quosdam commendabãt. Vtrisque vtebantur aduersarij Apostoli, contrà neutro vtitur Apostolus. Quo docemur à vera pietate esse alienum, nihil posse apud fideles sine commendatione obtinere. Et reuera magna est penuria, vbique indigere commendatione.

Quo sensu Corinthij dicãtur viua Pauli Epistola.

2. *Epistola nostra vos estis.* Ratio est cur Apostolus non indigeat commendatione apud Corinthios. Ratio est, quia viua mea estis commendatio, q.d. Opus ipsum commendat doctorem. Primùm Epistolam per metaphorã hîc accipit, pro re efficaci instar Epistolæ commendatoriæ. Quod enim commendatio aliis prę staret, hoc conuersio Corinthiorum Paulo præstat, h.e. exhibet illi luculentum testimonium sanæ doctrinæ. Ideò ἐπιστολὴ συστατικὴ intelligi hîc debet. Deinde indicat vbi scripta sit: *In cordibus nostris*, hoc est, Apostoli summi amoris testimonium. Quanquam legam hîc ὑμῶν, vestris, quod ex sequentibus manifestum est. Nam prouocat etiam hic ad ipsorum conscientias, quæ testimonium Apostolo præbent veritatis. Tertiò Corinthiorum testimonium stabilit, aliarum Ecclesiarum consensu. Liberat hoc Corinthios rubore, & ad confessionem veritatis facit promotiores, denique causam Apostoli mirificè adiuuant. Lecta & relecta ab omnibus hominibus, hoc est, omnibus fidelibus. καθόλου est ὡς μὴ καθόλου, ideo restringenda est ad certam speciem. Magnificum est testimonium Apostolicæ innocentię, primùm Corinthiorum conscientia ad quam prouocauit suprà 9. Vos opus meum, Sigillum meum, apologia mea. q.d. nihil non mihi estis in hac causa. Deinde aliarum Ecclesiarum attestatio. Itaque non fuit obscura Apostoli doctrina. Præterea Corinthiorum religio notoria fuit, ex qua omnes sancti iudicium faciebant de Apostolo Paulo.

3. *Declarati quòd sitis Epistola Christi.*

Declaratio rationis allatæ. Docet enim quomodo sint Epistola sua, non quidem principaliter ratione causæ efficientis: sed potiùs ratione ministerij. Explicat igitur causas illius
1. Epistolæ. Initium sumit à publica experientia, ad quam prouocat, q.d. confessum est vos esse Christianos, & mea quidem opera conuersos, ergo mea estis Epistola. Deinde profert cau-
2. sam efficientem, Christum scil. Inuidiosum enim erat Corinthios Pauli esse Epistolam: ideo depellens inuidiam, corrigit id: Imò, inquit, Christi estis Epistola, hoc est, illi statis tanquam Domino & redemptori. Tertiò, causas organicas addit, ad quas pertinet ministerium Pauli, ideo inquit, *Subministrata per me.* Paulus igitur minister est conuersionis. Pertinet etiam huc Spiritus sanctus, qui per ministerium Apostoli fuit efficax. Mittitur autem à filio in corda credentium. Quartò subiectam materiam addit in qua sit scripta. Remotione constat ac positione, *Non in tabulis lapideis*, vt lex Mosis quam aduersarij mei vrgent, & commiscent Euangelio, sed in carneis tabulis cordis, scilicet vestri. Alludit ad locum Ier. 31. & Ezech. 36. asserentium nouum fœdus à Deo scribendum in corda populi sui & circuncidenda non præputia, sed labia & corda. Talis quædam Epistola sunt Corinthij, scilicet tyrocinium noui illius in prophetis promissi fœderis.

4. *Fiduciam autem hanc habemus.*

Pergit in explicatione cœpta. Hactenus veram causam efficientem indicauit, & se in ordinem instrumẽtalium reposuit. Sed superest noua quæstio de organorum dignitate. Coniunxit se spiritui sancto, se maximè Christo inferiorem fecit. Sed vnde hæc dignitas Apostolo? Itaque pergit & hanc arrogantię notam depellere, q.d. organum sum mutum & elingue, iners, nulliúsq; meriti quod me ipsum attinet. Exemplum est modestiæ Apostolus, cuius debent esse memores boni ministri. Deinde omnis meriti opinio hîc tollitur. Πεποίθησιν hîc accipio pro spe firma. Sic enim videtur se explicare infrà ver. 12. q.d. Christus qui author est conuersionis vestræ, is etiam est mihi author ministerij mei: Deo omnia accepta referre debemus, quod plenius facit vers. sequenti quinto. Obseruanda est virium hominis extenuatio, *Ne quidem cogitare possumus ex nobis ipsis*, scilicet boni aliquid vel in causa conuersionis & regenerationis. Alioquin vim cogitandi non adimit naturæ humanæ, qua pollet

Modestiæ exemplum

Virium humanarum extenuatio.

etiam

etiam non renata,sed respicit causam præsentem. Deinde obseruanda est causa vera, Deus scilicet. Ἱκανότης nostra est ex Deo, est igitur aliqua in sanctis, sed ex dono Dei, non naturæ vel meriti.

6. *Qui & idoneos nos fecit.*

Hactenus prior locus de veris Apostoli laudibus:nunc transit ad alterum,in quo confert suam doctrinam cum aduersariorum doctrina,hoc est,Euangelium cum legali.Scopus est, Euangelium infinitis modis præferri debere legali doctrinæ, ideóque minimè spoliandum esse sua debita adeóque necessaria laude.Continuat autem negotium, ab eadem causa efficiente. Deus passim locum efficientis causæ obtinet in toto ministerio.Consideranda hîc sunt in primis membra oppositionis in diuersa doctrina.

Pauli doctrina est.	Aduersariorum doctrina est.
1 *Nouum Testamentum.*	1 *Lex.*
2 *Spiritus.*	2 *Literæ.*
3 *Viuificationis.*	3 *Literæ.*
4 *Ministerium vitæ.*	4 *Ministerium mortis.*
5 *Insculptum cordibus.*	5 *Insculptum lapidibus.*
6 *Semper durans.*	6 *Abolenda.*
7 *Iustitia.*	7 *Damnationis.*
8 Ὑπερβάλλουσα δόξα.	8 *Illius respectu ἄδοξος.*
9 *Perspicua.*	9 *Obscura.*

7. *Si verò ministerium literæ.*

Effert suam doctrinam contra calumniatorum doctrinam,& argumentum sumit à comparatis.Mosis doctrina gloriosa fuit,vt est Exod.34.& tamen fuit externa,literæ,mortis,& aliàs abolenda,ergo Christi doctrina huic per omnia præstantior, & opposita multò magis non debent spoliari sua merita laude.

8. *Cur non potiùs.*

Altera pars argumenti prioris.

9. *Nam si ministerium.*

Secundum argumentum,quo dignitas Euangelio conciliatur,iterum à cōparatis ducitur.

10. *Nam ne glorificatum quidem fuit.*

Pleniùs detrahit dignitatem legalibus,quæ per se quidem considerata,magnā habuerunt gloriam propter authorem Deum, & ministrum Mosen. Sed si eadem conferantur Euangelio,omnem laudem amittunt.Sic etiam explicat D.Chrisostomus particulam ἐν τούτῳ τῷ μέρει, scilicet collationis , q.d.extra collationem suam habet laudem lex , sed in collatione cum Euangelio,cedit omnem laudem Euangelio.Ideo addit Apostolus causam cur id fiat, propter præcellentem laudem Euangelij,quę illam obscurat,vt solis ortus obscurat lucem stellarum,vt euanescant.

11. *Si enim id quod aboletur.*

Tertium argumentum excellentiæ. Lex abolenda erat, Euangelium verò μένον.i. stabile in æternum,ergo,&c.

12. *Habentes igitur hanc spem.*

Concludit semel susceptum argumentum. Ἐλπίδα intelligo quod prius dixit πεποίθησιν, h.e.certam confidentiam & persuationem iustissimi muneris,quod etiam diuinitus ad id sit vocatus,quod legi rectè possit præferri.Hęc certa spes facit,inquam,vt multa libertate vtamur. Παῤῥησίαν sumo pro tota Apostoli defensione, quòd liberè sese Corinthiis commendat,quòd damnat aduersariorum doctrinam,quòd suam tot nominibus legi,adeóque Mosi ipsi præfert:qua re tum nihil erat inuidiosius & audacius apud Iudæos. Hac libertate loquendi vtitur apud Corinthios suos,nec illius ipsum pudet.

13. *Et non vt moses.*

Tertius locus huius capitis,de perspicuitate doctrinæ apostolicæ,ac superioribus cohæret,quia collatio contrariorum adhuc manet.Ideo id nonum est ἀντιθέσεως membrum.Initio exprimit obscuritatem Mosaicæ doctrinæ,addens eidem sua incommoda,quæ ad auditores promanant. Deinde docet modum , quo illa obscuritas tolli possit.Tertiò quanta sit lux doctrinæ Euangelicæ,quam Apostolus profitebatur. Hæc ad finem vsque huius capitis continuantur.

Quod igitur obscuritatem attinet,illā eleganti metaphora exprimit,Moses imponit velamen faciei suæ,sup.1.Cor.11. Velamen erat symbolum subiectionis,mulier enim potestatem in capite habere debet:hîc obscuritatem significat.Historia habetur Exod.34. Filij Is- Doctrinę Mosaicę obscuritas.

raël radios faciei ferre non poterant, ideo velata facie illis loquebatur. Id hîc in argumentũ obscuritatis trahit. Facies velata obscura est, nescis enim quò oculos dirigat sub velamine. Sic doctrina Mosaica per id significabatur velata, hoc est, obscura. Primùm quia typis & variis allegoriis constabat, omnes etiam ceremoniæ & sacrificia ad Christum tanquam finem respiciebant. Quæ omnia nisi idoneos haberent interpretes, meritò obscura dici poterant. Adde his multitudinem præceptorum, & totius legis rigorem, quo Deus requirebat perfectam obseruantiam, quę homini erat impossibilis. Impossibilia autem quia difficilia sunt, per id etiam sunt obscura, quia mentem hominis implicant dubitatione ac desperatione sine mediatore Christo. Ideo Apostolus inquit, nos non ita faciem velamus vt Moses, hoc est, perspicuè docemus homines veritatem præsentem, rationem salutis, & alia.

Apostoli confidentia, cum modestia coniuncta. Obserua hîc magnam Apostoli confidentiam, qui audet non solùm sui seculi malis doctoribus sese præferre, sed Mosi etiam ipsi, suámque doctrinam toti legi Mosaicæ. Nec caret modestia, quòd non contra suos aduersarios agit directè, sed potius contra ipsum Mosen quem illi profitebantur. Incommoda autem velaminis istius sunt. Primùm, quòd filij Israël non potuerint intueri finem abolendi. τέλος accipio Christum, vt est Rom. 10. Christus finis legis est, & Christus ipse non venit soluere legem, sed implere. Et illud, Lex & prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam. Hunc finem legis non potuerunt videre auditores illius, propter iniectum velamen. Et quia Christus finis illius erat, meritò lex aliquando abolenda erat, exhibito scilicet Christo. Altera incommoditas est, quòd excæcabantur hoc pacto mentes illorum, quia hærentes in velamine faciem ipsam negligebant, hoc est, literæ insistebant, veram interpretationem mordicus repudiabant. Receptam enim interpretationem seniorum, solùm tuentur etiam hodie Iudæi. Hoc incommodum versu 14. explicatur, & additur ratio ex prioribus sumpta. Nam in hodiernum vsque diem idem velamen manet in lectione veteris testamenti nondum submotum. Ratio illustrat prius incommodum. Ostendit enim quid significarit velamen in facie Mosis, scilicet obscuram esse lectionem totius veteris testamenti.

15. *Sed in hodiernum vsque.*

Duplex velamẽ. Ostendit aliud genus velaminis. Primum velamen est in ipsa legis historia, quod significabat velata facies Mosis. Alterum velamen est in cordibus auditorum qui naturali laborant cæcitate & pertinacia aduersante veritatem. Hæc naturæ corruptio prohibet, quominus possint videre verum.

16. *Cum autem conuersum fuerit.*

Locus sequitur de remedio obscuritatis. Posterius illud velamen tollitur Christi beneficio per conuersionẽ, in qua regenerantur corda, & tollitur illa naturæ pertinacia, & subministrãtur noui motus, vera inuocatio, fides, spes, agnitio Dei & Christi mediatoris. Id hîc dicit in conuersione ad Christum tolli velamen cordis, & sup. vers. 14. per Christum illud aboleri. Magna igitur est vtilitas doctrinæ Christi quæ tollit istam cæcitatem.

Alterum velamen, quod legis historiæ inhæret, tollitur per idoneos interpretes & doctores ministros, qualis erat Apostolus Paulus & similes. Exemplum habes Act. 8. de Eunucho & Philippo. Eunuchus quidem legit Esaiam, sed non intelligit, donec Philippus idoneus interpres illi locũ explicat. Sic Luc. 24. Christus idoneus interpres euntibus in Emaus exponit scripturam. Ideo Apostolus. 2. Tim. 2. iubet sanã doctrinã tradi hominibus idoneis, qui alios possint etiam docere. Quæ omnia ad commendationem ministerij pertinent, cuius maxima laus est in eo, quòd velamen istud tollit auditoribus, idque in tota scriptura.

17. *Dominus autem Spiritus est.*

Christus legis spiritus. Sensus est, Christum esse spiritualẽ intellectũ legis. Sumo. n. hîc πνεῦμα vt suprà, Ministros Spiritus non literæ constituit nos. Item, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Sic Christus Spiritus est, hoc est, illa mens legis quæ viuificat, quæ opponitur literæ, cui inhærent Iudæi. Addit vtilitatem huius ministerij. Vbi Spiritus domini est, ibi est etiam libertas, h. e. non sunt affixæ mentes literæ occidenti, sed libertatem sentiunt. Priùs dixit se vti παρρησίᾳ in dicendo, quod ad ministerium pertinet, nunc auditoribus Euangelij assignat libertatem, quia liberũ eis est recedere à litera & historia legis, & ad Christum confugere, in quo libertatẽ reperiũt. Liberat is à lege & ceremoniis: addẽs, Cõfide fili, nõ nocebũt tibi peccata tua.

18. *Nos autem omnes.*

Vltimus locus capitis de perspicuitate doctrinæ Euangelicæ, quasi dicat, vos Mosen velatum contemplamini, nos non Mosen, sed Dominum ipsum, nec hunc velatum contemplamur, sed detecta facie illum contuemur.

Primùm hanc dignitatẽ omnibus attribuit. Πάντες inquit, quod alij ad doctores Euangelij referũt, quos Mosaicis doctoribus hîc opponat. Id quidẽ non malè, attamen refero ad omnes fideles, quia prius non de doctoribus sed auditorib. quoq; Mosis egit, quibus in genere omnibus

omnibus velamen assignauit, ideo ratio postulat, vt hîc contrà, fideles Christiani omnes intelligantur. Deinde inquit, *aperta facie contueri gloriam Domini*, hoc est, sine inuolucris vetus testamentum legimus & interpretamur de Christo, quem contuemur non velatum, vel nos non velati, quia in auditoribus erat etiam velamen quoddam. Tertiò expendi debet verbum κατοπτριζόμενοι, quod significat in speculo formam suam contemplari, quod Socrates iubebat sæpius iuuenes facere, vt si liberalis esset forma, hanc ornarent similibus virtutibus, sin deformis esset, eandem compensarent virtutibus. Tale speculum reuera lex est: primùm enim Christum quidem monstrat, vt hic ait. mox etiam prodit nobis formam nostram. Hanc fœditatem & naturæ deformitatem iubet agnoscere. Maledictus omnis qui non manserit in omnibus præceptis libri huius. Non seruamus autem totam legem, ideo reos cogimur nos agnoscere. Quartò in eandem imaginem transformamur, hoc est, ad Christi innocentiam, qua vt veste induimur, idque per incrementa, ex gloria in gloriam. Quid sit aperta facie intueri Domini gloriã

CAPVT IIII.



EDIT ad principalem propositionem, quòd scilicet Euangelium doceat constanter & sinceriter sine dolo & fraude, quibus verbis iterum magnificè sese effert cõtra calumniatores suos. Mox occurrit obiectioni, quî ergo fiat, quòd doctrina eius non ab omnibus admittatur, sed à multis damnetur: respondet Apostolus causam non ab Euangelio, aut se pendere, sed partim à Satana, partim induratorum pertinacia, se interim sinceriter docere. Tertiò occurrit ad calamitates & pericula, quibus deformari videbatur sua doctrina, ex his magis illustrari gloriam Dei, & suo certo bono sese affligi, imò Corinthiorum vtilitate. Ideo non est quòd has illi obiiciant. Hinc tandem alia colligit argumenta, quibus tum sese inconstantia sub cruce, tum Corinthios quoque suo exemplo confirmat. Hæc ferè hoc proponuntur capite. Argu.

Propositio est, Apostolum summa perspicuitate docere Christum, vtvt improbi illa hebetentur, nullo etiam metu periculorum ab eadem continuanda, absterreri posse, tum suo, tum auditorum maximo incommodo.

Loci sunt, πρόθεσις tractata per opposita membra ἀφαίρεσιν καὶ θέσιν. Primùm remouet à se calumnias aduersariorum & meritas laudes disertè sibi adscribit. Deinde de obscuritate suę doctrinæ illis satisfacit, iustis prolatis causis. Tertiò ad offendiculum persecutionum quoque respondet, quare scilicet Deus illum tot afflictionibus exornet. Quartò argumenta consolatoria sub cruce constitutis colligit, vt sciamus non esse deserendam confessionem veritatis in aduersis, imò ad gloriam Christi & Ecclesiæ vtilitatem illa pertinere exercitia. Loci insignes sunt, de veris laudibus bonorum ministrorum, de perspicuitate & obscuritate veræ doctrinæ, de cruce piorum & illius veris causis. 1. 2. 3. 4.

1. *Propter hoc quum habeamus.*

Illatione transit ad principalem institutum. Significat autem duas causas esse primarias suæ diligentiæ. Prior est muneris amplitudo, posterior vocatio gratuita. Propositio est καθ' ἀφαίρεσιν, *non deficio sub ærumnis*, οὐκ ἐκκακοῦμεν. Diximus suprà de eo verbo. Et loquitur de se tali persona, quia eadem est conditio ministrorum omnium, idémque ab ipsis requiritur constantiæ studium in docendo.

Rationes sunt: quia τὴν διακονίαν ταύτην habemus, hoc est, tam preclarum munus, quale priori capite est descriptum, quod præferri potest legi, quia ministerium est Spiritus, Vitæ, æternum, perspicuum, aliísque infinitis modis excellentius lege. Argumentum igitur est: præclarum munus egregiam requirit dilegentiam: nostrum munus est præclarum: ergo egregia nostra debet esse diligentia. 1. Ratio à muneris amplitudine.

Altera ratio est à genere vocationis. Gratuitò sum ad tantam dignitatem admissus, nullo meo merito: ergo debeo esse vigilans, ne indignus deprehendar tanta gratia. Obserua sibi nihil, Dei autem gratiæ ascribi omnia. 2. A vocatione gratuita.

2. *Sed abdicauimus occulta turpitudinis, non ambulantes.*

Altera pars propositionis, quæ θέσει constat, cui mox addit remotionem calumniarum, & eâdem iterum θέσει concludit. Tria igitur hîc sunt, gemina θέσις & interposita ἀφαίρεσις.

Sed abdicauimus, hoc est, repudium diximus in plenum omnibus sceleribus, quæ in doctrina & moribus boni ministri possint irrepere. Ἀπειπεῖν est abdicare filium inobedientem, vt nihil habeat iuris in bonis paternis: hinc ad vitiorum abnegationem transfertur. Occulta turpitudinis sunt quibus tutò videntur vti impostores, vt interim fraus non deprehendatur, aut si deprehendatur, videatur aliquo colore excusabilis. Est enim duplex turpitudo, vna notoria, quam renati quoq; damnant, vt latrocinium, furtũ, rapina, & similia: notoriam Turpitudo duplex.

habent turpitudinem. Alia est occulta quæ specie honesti sese tuetur. Et hac vtebantur mali doctores, vt miscere ceremonias Mosis cum Euangelio, circuncisionem, discrimina ciborum, & similia exigere à piis, item omnia accommodare ad priuatam gloriam, ad priuatum quæstum, quod multis tum erat solenne. Hanc turpitudinem occultam remouit à se, & in aliis quoque damnat. 2. Remotio est, qua explicat superius membrum, quid enim est occulta turpitudo: scilicet ambulare dolosè & versutè in Euangelio. Remouet igitur ista: primò non ambulantes in versutia, πανουργία dicitur calliditas, qua versuti homines vtuntur, vt in mercibus adulterina veris commiscentur, vino aqua, aromatibus veris putrida. Sic in doctrina πανουργία est puritati Euangelicæ admiscere obseruationes legales, aut traditiones hominum. Nam sub hac specie humana pro diuinis venduntur.

2. *Non falsantes sermonem Dei.*

Id quid sit sciri potest ex versu 17. cap. 2. non cauponantes. Dolosè tractant res quibus fallendi adest propositum. 3. Altera θέσις est, qua meritas laudes sibi ascribit. Commendo me apud omnem conscientiam, hominum scilicet fidelium, & eorum qui conuertendi sunt. Commendatio non omnis statim in vitio est. Deinde per quid se commendet, prædicatione veritatis, quam vocat manifestationem, hoc est, perspicuitatem doctrinæ suæ. Tertiò, *In conspectu Dei*, significans se Deum præsentem habere & testem suæ integritatis, qui vt falli non potest, ita dolum impunitum non relinquit. Hactenus propositio.

Apostolorum se non falsò commēdare.

3. *Si autem tectum est Euangelium nostrum.*

Secundus locus in quo respondet ad obscuritatem suæ doctrinæ. Præoccupatio est, continens primùm confessionem, quòd sit aliquo modo obscura, mox se explicat quibus sit obscura. Hac de re diximus priori capite, & inter locos. Obseruandum horrendum Dei iudicium quo lucidissima doctrina abit impiis in summas tenebras, non aliter ac lutum ad radios solis induratur. Contrà electis manet illa perspicuitas, quemadmodum cera ad solis radios mollior fit.

Verbum Dei incrudelis obscurū.

4. *In quibus Deus huius sæculi.*

Ἔκθεσις à causa efficiente obscuritatis. Suprà velamen à Mose ad totam lectionem veteris testamenti deduxit: hîc amplius deducit ad Euangelium quoque, ac affert rationem firmam à causa efficiente, quia Satan illam obscuritatem operatur in suis filiis. Dicitur Deus seculi huius, quia ab eo colitur & adoratur loco veri Dei, quemadmodum Philip. 3. Venter Deus dicitur, hoc est, quem voluptarij homines pro Deo colūt. Sic dicitur Deus Satan, non quòd natura talis sit, sed quia talem se venditet, & à suis membris talis habeatur. Is, inquam, excæcauit cogitationes infidelium, hoc est, effecit obscuram esse doctrinam meam illis, vt non intelligant dementati. Sup. cap. 3. ver. 14. ἐπωρώθη dixit. Addit causam finalem quam respicit Satan, ne illis irradiaret coruscatio Euangelij. Significans per se doctrinam perspicuam esse, sed dolo Satanę implicari mentes ne intelligant. Demum addit Christi encomium, quod sit imago Dei. Vide locum ad Hebr. 1. vers. 3. Colos. 1. vers. 15.

Expositio. Quo sensu dicatur Satā deus huius seculi.

5. *Non enim nos ipsos prædicamus.*

Monstrauit veram causam obscuritatis, nunc à se depellit calumniam, quòd scilicet non debeat ei impingi hoc crimen. *Non prædicamus*, inquit, *nos ipsos*, hoc est, non ad mea commoda, & meam laudem accommodo hanc doctrinam, quod qui faciunt meritò sępe obscuri sunt. Dum enim omnia gloriæ suæ & lucro inseruire volunt, necessum est obscurè multa proferre, vt malè cohærentia consuant. Argumentatur sic: qui suis commodis volunt inseruire, hi necessariò sæpe obscuri sunt: Ego non facio meis commodis inseruire doctrinam meam: igitur nihil attinet me obscurum esse. Obserua autem duo membra doctrinæ Christianæ. Prius de Christo qui fundamentum est totius Euangelij. Alterum de ministerio, de quo non aliter agit Apostolus, quàm de seruitute communi totius Ecclesię. Omnibus omnia fieri cupit, inde par est vt omnibus inseruiat. Obserua ministros Ecclesiæ seruos esse, nec alio honestiori titulo commendari posse.

Doctrinā Euangelicam non debere ministrorū commodis inseruire.

6. *Quia Deus qui iussit lucem illucescere, qui luxit.*

A causa efficiente ostendit se non absurdè docere, quia Deus author luminis in vniuerso, idem author est luminis in corde suo. Argumentum ducitur à pari. Vt enim totum mundum Deus luce illustrauit, sic hominem vnum minorem mundum luce illustrare potest. Talis est Apostolus Paulus. Itaque non est obscuritatis author Apostolus. Alludit enim ad historiam creationis, in qua totum vniuersum luce creata exemit à tenebris. Sic Paulum ab ignorantia & cæcitate.

7. *Habemus autem thesaurum hunc.*

Tertius locus in quo respondet ad offendiculum crucis, se quidem affligi, sed id totum cedere ad gloriam Dei & Ecclesię vtilitatem. Thesaurum vocat cognitionē veritatis, & munus suum satis augustum. Is inquam thesaurus in testaceis vasculis habetur. Antithesis est.

Nam thesauri precium opponit vtilitati inuolucri. Testa nihil vilius est, at illa tegit preciosissimas gemmas. Deinde explicat causam finalem, cur id Deus voluerit fieri, vt scilicet omnis gloria Deo tribuatur, dum in infirmitate tanta illustratur eius potentia. Altera est, vt homini nihil tribuatur, hoc est, affligor, vt Dei maiestas per me illustretur. Deinde vt constet, quàm meis viribus nihil debeatur. Obserua in contentione illa omnia Deo, nihil hominis merito tribui. Verbum Dei preciosissimum esse thesaurum, &c.

8. *Dum in omnibus premimur.*

Ἔκθεσις est, explicat enim crucis varios gradus, in quibus omnibus semper præsens Dei sentitur auxilium. Ex quo manifestum est, crucem non ad dedecus cedere. Obserua antitheses ordine, nam molestiis singulis opponit contraria remedia. Primùm, premimur, sed non anxietate deficimus. Opponuntur θλίψις & στενοχωρία. deinde hæsitamus, at non desperamus. Opposita sunt ἀπορία & ἐξαπορία in dubitatione desperatio, qualis fuit in Iuda. Tertiò *persecutionem patimur, sed non deserimur.* Opponuntur διῶξις & ἐγκαταλειψις. Quartò καταβάλλ & ἀπολλεῖν. Quintò νέκρωσις Christi & ζωή. Significat autem ad exemplum Christi se quotidie morti tradi, sed semper renouari ad vitam Christo dignã. Sextò huius vitæ mors, & veræ vitæ in Christo restitutio. Expositio.

12. *Itaque mors.*

Conclusio, ergo calamitatibus vt dicitis affligor, sed artificiosè refert ad commodum Corinthiorum, quòd illorũ id fiat bono, quasi dicat, mea afflictio vestra est viuificatio, nam meo exemplo discitis constantiam in vera professione.

13. *Habentes autem eundem Spiritum.*

Quartus locus in quo colligit argumenta constantiæ in vera doctrina, quæ ordine annotabimus. Ac ex superioribus, duo colligemus. Primùm in omnibus afflictionibus præsentissimum auxilium Dei sentio, hoc est, consolationes certas & firmas habeo, igitur oportet in his esse constantem, quia constans est consolatio. Secundò, vobis auditoribus meis prodest mea afflictio, quia in me discitis constantiam, igitur oportet semper constantem manere, vel propter vos. Tertiò exemplo Dauidis. Qui eundem habent Spiritum, eadem debent duci constantia, sed nos cum Dauide eundem habemus, ergo in simili proposito similis requiritur fides. Locus est Psal. 116 Discimus ex eo testimonio eandem esse fidem & spiritum in nouo Testamento, & Veteri. Quartò à spe resurrectionis, Constantes Deus restituet vitæ æternæ in resurrectione: tam doctores eius quàm auditores, ergo & me doctorem, & vos meos auditores oportet esse constantes. Quintò, constantia cedit ad maiorem gloriam Dei, quia plures Deum propter virtutem constantiæ laudant: ergo opera danda, vt quamplurimi sint excellentes in hac virtute. Ad constantiam adhortatio.

16. *Quare non succumbimus malis.*

Illata conclusio, ergo constantes sumus propter prædictas rationes. Addit sextam rationem. Quia his malis interior melior redditur. Argumentum à maioris boni commodo ducitur. Nam subest tacita antithesis, externi & interni hominis. Vterque magnifaciendus est, at interior præferri debet, & id quod facit ad illius commoda, quales sunt afflictiones. Septimò quia finem respiciunt meliorem, scilicet æternam gloriam, quasi dicat, hæc via est ad veram & immortalem gloriam, ergo hac est pergendum. Mira autem hîc est antithesis contrariorum. Primùm opponuntur αἰώνιον & παραυτίκα, æternum & momentaneum. Deinde ἐλαφρόν & βάρος, leue & pondus. Tertiò θλίψις & δόξα. Durans est bonum sperandum post afflictiones: ergo in his perdurandum est constanter. Octauò, præsentia temporaria sunt, quæ autem non videntur, hoc est, deinceps sperantur, illa sunt æterna. At afflictiones videntur præsentes, ergo tempore cedent. Vita æterna hinc promanans non videtur, igitur æterna est, quare in his est perdurandum. Homo interior exteriori anteponendus.

CAPVT V.



PERSISTIT in eodem adhuc argumento, scilicet quòd præstanda sit obedientia sub cruce tempore afflictionis. Id vt ostendat confert vitæ præsentis conditionem cum præstantia æternæ vitæ. Interim respondet etiam ad cogitationes carnales, quæ in sanctis interdum quoque excitantur. Cur scilicet velit Deus suos tantis malis affligi, & non potius sine morte & afflictionum exercitio transferat ad beatam vitam. Respondet Apostolus, Domino secus videri, cuius voluntas nobis regula esse debet. Ideo per fidem hîc nobis patienter est perdurandum, donec ad illa præmia peruenerimus, si non alio argumento, saltem metuendi istius iudicij terrore, quod omnes expectat. Hinc de se paucula interponit, Argum.

ad Christi meritum transiens, vt explicet mysterium redemptionis nostræ, & officium fidelium doctorum, qui legatione nomine Dei apud nos funguntur.

Propositio eadem manet, constanter ferendas afflictiones pro Christi cōfessione. Quam tamen Apostolus mutat aliquantulum infrà, scilicet dandam operam vt Deo placeamus in omni fortuna, tam in hac vita permanendo, quàm per mortem hinc emigrando.

1. Partes tres sunt, prima de cruce ferenda, eiúsque certis causis. Altera de Apostoli perso-
2. na, hæc non gloriandi causa scribi ab ipso, sed vt Corinthiis potius detur argumentum sese
3. efferendi & confirmandi. Tertia de redemptionis nostræ mysterio, in quo quid præstent boni ministri explicat.

Prior pars tria primaria complectitur argumenta. Primùm enim à comparatis ostendit Deo deberi obediētiam sub cruce. Deinde à diuina ordinatione & remedio quo suos Deus muniuit contra afflictiones. Tertiò à tremendo iudicio cui omnes sistendi sumus.

1. *Scimus enim quòd.*

Initium sumit à confirmatione, nam præcedentem collationem hîc illustrat. Dixerat prius constātes nos esse oportere eo nomine quòd præsentes afflictiones essent πρόσκαιρα, hoc est, breui desituræ, bona autem deinceps proposita esse αἰώνια i. æterna. Hanc collationem illustri ἐκθέσει hîc proponit, ac nouam instituit comparationē inter corpus hoc quod cruci subiicitur, & illud quod nobis per resurrectionem, gloriosum est, restituendum.

Elegans comparatio.

Argumentum tale sumatur. Domus ruinosa & per se caduca commutatur tandem cum æterna & cœlesti, ergo bono animo esse debemus in illa permutatione. Ex eo argumento primùm considerandum est, sanctos certò id scire verum esse, nec quicquam dubitare. Ideo Apostolus pronuntiat simpliciter nos id scire, οἴδαμεν γὰρ, quia scimus id, præstanda est obedientia. Infideles id non sciunt, ideo crucem abominantur. Nobis viuendum est secundum id quod scimus, nec meliora videamus, & deteriora sequamur, vt dixit Medæa in fabulis, Video meliora probóque, deteriora sequor. Deinde expende quibus ornamentis corpus hoc quod cruci subiicitur depingat. Metaphoræ sunt elegantes, quæ imbecillitatem eius explicant. Primùm est domus terrena. Domus quidem commoditatem habet, quia multa habet commoda, & quia terrena est, multum de dignitate remittit, præstat enim lignea, lapidea, marmorea, &c. Deinde domus illa tentorium est, hoc est, militare est tugurium, quod miles facilè deserit, imò euertit. Alludit enim ad castrensia militium tentoria. Huic domui tam vili opponitur domus gloriosa, quæ commendatur ab opifice Deo. Priorem habemus à parentibus caducis, ipsam quoque caducam, hanc verò ex resurrectione à Deo opifice. Deinde ἀχειροποίητος est. Opponitur hominis artificiosi operibus. Tertiò erit αἰώνιος æterna. Quartò in cælis eam habituri sumus. Multis ergo partibus præstat hoc caduco corpori. Caducum in afflictione destruitur, sed per se etiam erat aliquando casurum, hoc à Deo recipimus, gloriosum nunquam abolendum.

Corpus nostrum domus terrena.

2. *Nam in hoc ingemiscimus.*

Αἰτιολογία à gemitibus sanctorum, quasi dicat gemitus sub cruce testantur conditionem recipiendi corporis meliorem esse, quia ad hoc aspirat per dolores, quos alioqui non ferrent. Hîc cōsidera carnales cogitationes in sanctis, quas patiuntur interdum tempore persecutionum. Cuperent illi quidem gloria illa ornari, sed vellent simul non transire per tot afflictiones, sed vt illuc transferrentur, vt Helias & Enoch. Id indicat Apostolus verbo ἐπενδύσασθαι superindui. Induitur vestis deposita, sed superinduitur alia, priore nondum exuta. Sic mallent corpora hæc retinere salua à morte, & superinducere gloriam resuscitatorum corporum. Hæc infirmitas est carnis.

Sanctorũ etiam infirmitas sub cruce.

3. *Siquidem induti non nudi reperiemur.*

Induti iam sumus mortali corpore, ideo non sumus planè nudi, id videbatur carni satis vt hæc vestis nobis maneret salua. Corpus hîc dicitur ἔνδυμα indumentum & οἰκητήριον & σῶμα etiam philosophis, quia anima eo vt veste & domuncula vtitur, interdum vt carcere. Aliud est induere Christum, de quo legitur ad Galat. 3. & aliud, nuptialis vestis, de quo Mat. 22. Apocal. 3. vers. 18. Hîc de indumento corporis morti subiecti loquitur.

4. *Nam qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati, propterea quòd nolimus exui.*

Explicat se Apostolus, quòd scilicet loquatur de carnali vestimento corporis, secundum cogitationes rationis, quas pij etiam patiuntur, qui mallēt subuolare ad beatum illum statum, non intercedente morte. Primùm expende, dolenter afflictiones admitti, quòd dicit *suspiramus in hoc tabernaculo*, scilicet tempore crucis. Deinde affert rationem. Cur id? quia premimur ideo suspiramus. Pondus enim premit, & ideo dolet carni.

De quo vestimento loquatur.

Tertiò additur carnis consilium, quod est nolle dissolui, hoc est, ad mortem difficilem sese præbet.

Acerba enim est etiā pio memoria mortis, sempérq. id statuit. Dissolui nolles. Arctissima enim

enim est coniunctio animæ & corporis. Quartò nouum carnis consilium Dei consilio pugnans. Mallemus ἐπενδύσασθαι, h.e. retenta hac veste & pelle noua, ornari immortalitatis gloria. Id plausibile esset carni. Quintò commoda addit huius consilij, *Absorberetur sic mortalitas à vita.* Τὸ θνητὸν dicitur quicquid caducum est, vt in corpore peccatum, morbi, infirmitas & alia. In merito cæcitas & ignorantia, dubitatio, quæ omnia absorberentur, h.e. tollerentur radicitus à vita, h.e. gloria immortali corporis glorificati, qualia erũt post resurrectionem. Speciosa esset hæc forma eundi ad vitam, si Domino perinde placeret vt carni.

5. *Deus est qui nos fecit ad hoc ipsum, & qui dedit nobis.*

Hactenus primum argumentum tractauit per comparata, cui attexuit cogitationes carnis de alio modo transeundi ad vitam æternam. Nũc accedit alterum principale argumentum, in quo causam totam reuocat ad æternam Dei voluntatem.

Argumentum est, Deus ad crucem nos condidit & ideo dedit consolatorem Spiritum sanctum, ideo sub illa debemus esse constãtes, propter Deum conditorem, & Spiritum consolatorem. Connectitur argumentum superioribus per antithesin prius dixit quid nos vellemus, iam dicit quid Deus velit. Aduersatiua particula hic est δὲ, quasi dicat, caro quidem ita vellet, sed Deus non vult. Itaque sententia pendens supplenda est, *verùm* ὁ θέλει. Deus qui vos condidit non vult sine morte mediante beatos reddere. Εἰς αὐτὸ τοῦτο alij ad vitam æternam referunt, sed requirit verborum series vt ad crucem referamus. Deus, inquit, condidit nos ad crucem, ergo non est alia vita ad æternitatem optanda, quàm hęc ipsa, standum est consilio Dei qualecunque sit carnis iudicium. Deinde addit & alterum, frustra alioquin datus esset consolator Spiritus. De Arrhabone suprà cap. 1. habuimus, & de eo dicemus fortè suo loco in locis. Vide etiam apud Ioan. 14. Argumentum duplici ratione nititur. Prior est, quia hæc Dei est ordinatio, posterior, quia Spiritus sanctus pignus consolationis frustra esset datus si non deberet sanctos premere afflictio.

6. *Confidentes ergo semper.*

Conclusio est ex superioribus argumentis fluens. Duo autem concludit, primò generalem propositionem, ideo constantes semper esse debemus, quod est θαρροῦντες πάντοτε, quasi dicat, ergo magno animo oportet esse semper sub cruce, quia Deo sic visum est, & ideo nobis reliquit Spiritum sanctum consolatorem.

Alterum membrum conclusionis est, quod ad præsentia refertur argumenta, scientes nos aduenas esse in corpore. Ἔνδημοι sunt inquilini admissi in Rempub. certa conditione. Sumus inquilini in corpore, conditione vt moriamur, vt deseramus aliquando corpus hoc, ergo æquo animo ferenda est dissolutio. Contrà eo toto tempore peregrinamur à Domino, ergo gratanter est suscipienda dissolutio, quia via est redeundi ad Dominum à quo excidimus per peccatum.

7. *Per fidem enim.*

Confirmatio præcedentis antitheseos, cur hîc peregrinemur à Domino, quia, inquit, hîc ambulamus per fidem. Alludit ad morem peregrinantium, qui spe & fide domi sunt corpore absentes. Sic electi hic ambulant fide Deo præsentes, non de facie illum videntes.

8. *Confidimus autem & magis eligimus.*

Consilium sanctorum subiicit: postquam sese collegerunt, ita concludunt. Quia enim aut deserenda est præsens vita, aut pietatis professio, sic tandem cogitant, ergo sub cruce magis placet perdurare & eligere mortem præsentem, per quam transimus & redimus ad Dominum, quàm vt abiiciamus veritatis professionem. Speciosa est consolatio, non solùm in martyrio, sed morte naturali. Erigamus hac sentẽtia animos nostros, & cogitemus mortem non esse aliud quàm transitum ad meliorem statum. *Pium sanctorũ consiliũ.*

9. *Quare etiam contendimus.*

Porisma indicans propositionem, ergo in omni fortuna, Dei arbitrio nos submittamus, vt illi soli placeamus. Duplex est status, peregrinantium prior, posterior emigrantium iterum ad Dominum. In vtroque statu scopus esse debet, vt Deo placeamus. Dicamus ergo, si Deus velit me mori pro confessione veritatis paratus ero, sin velit me diutius hîc viuere, bene est, iterum eius iudicio me submittam. *In quocunque statu Diuinæ voluntati parendũ esse.*

10. *Omnes enim nos oportet manifestari coram tribunali Christi.*

Tertium principale argumentum à metu iudicij diuini. In quo emphatica multa sunt. Primùm quia nos omnes, hoc est, Christianos, ne putes iudicium istud cõtra infideles solùm esse institutum. Imò vos Christiani in primis id horrescite. Deinde quòd manifestandi sumus, hoc est, denudandi, vt nihil planè in nobis maneat occultum, omnia retegenda sunt, etiam animi & cordis latebræ. Tertiò quia tribunal est Christi iudicis, qui falli non potest. Quartò finis iudicij, vt secundum rationem actionum singuli reportent præmia. Vis igitur sperare vitam æternam? serua professionem sub cruce. Si non vis perdurare con-

stans in cruce, metue damnationem. Vide Rom.2.v.6.& 14. Matt.24. Vita æterna præmium quoq; dicitur, quia datur bene operātibus, licet bona opera nō sint efficiēs causa primaria.

11. *Scientes igitur.*

Conclusio tertij argumenti, quæ tamen generalis est. Artificiosè autem eam ad se applicat, vt reddat officij sui rationem. Tria illius sunt membra. Primum officium Apostolicum habet: *homines suademus*, hoc est, illis obedientiam sub cruce suademus. Alterum exemplum suum continet, & Deo reddimur manifesti, hoc est, quod verbis doceo, re ipsa verbis præsto, vt in vita mea sit exemplum constantiæ vobis propositum. Tertium, testimonium auditorum habet, quasi dicat, & vos huius rei mihi testes estis, me scilicet in tota mea vita constantiam seruare in profitenda veritate. Is demum bonus doctor est, quia vera docet, & vita idem exprimit, ac eius rei testimonia habet rectè iudicantium inter suos auditores.

Boni doctoris exemplū.

12. *Non enim nos iterum commendamus vobis.*

Altera pars huius capitis, in qua de se iterum agit. Purgat autē se contra calumnias, nulla ostentatione hæc à se scribi. Veras autem producit causas, Corinthiorum commodum & amorem Christi. Sententia igitur duas habet partes. Prior remotionem habet per præoccupationem: non commendamus nos iterum, vt calumniatores mei dicunt. Cùm prouoco ad vestras conscientias, rectè de meis laboribus iudicantes, hoc est, nulla ambitione ductus hæc scribo. Veræ causæ autem sunt, primùm, *Do vobis occasionem gloriandi de nobis*, hoc est, materiam suppedito veræ laudis & gloriæ. Obserua auditorum esse de suis doctoribus bonis interdum gloriari, scilicet quando & rectè docent, & id quod docēt vita ac moribus expresserint. Talis causa Pauli, constantiam docet, & eandem vita exprimit, qua de re suos Corinthios gloriari vult. Deinde vt possint vos obturare falsis doctoribus, qui mera ambitione ducti docebant. Obserua hoc loco duplices esse gloriosos homines: alij gloriantur in facie, hoc est, rebus externis & mundo plausibilibus, vt de eloquentia, sapientia, dignitate, amicis, diuitiis. Hæc gloria fallax est & fucata. Alij corde, hoc est, de veris bonis, vt de legitima vocatione, vera inuocatione, humilitate, constantia sub cruce, aliisque donis Spiritus sancti. In primo genere erant aduersarij Pauli laboriosi: in posteriore verò ipse Apostolus. Iubet igitur veras laudes fucatis illis thrasonicis bullis opponi.

Dupliciter homines esse gloriosos.

13. *Siue enim insanimus.*

Ætiologia à pugnantibus. Tacitè autem alia scommata calumniatorum profert ac retundit. Dilemma est, aut insanit, aut nimis sapit Paulus, vtranque partem reducit ad suas causas. Si insanio, inquit, Deo meo insanio. Insania Paulo etiam obiicitur Act.26. vers.34. Multę literæ te ad insaniam duxerunt. Significat autem raptum quemuis extra sese ecstasis, qualis est alienatio mentis, vt Act.10. Petrus ecstasim patitur. Et Marc.3.vers.21. propinqui Christi dicunt eum apud se non esse. Tales sunt motus heroici in sanctis, quos mundus ridet & insaniam interpretatur. *Siue sapimus*, hoc est, metas modestiæ obseruamus. Insania illas transgreditur: sed, inquit, mea insania Deum habet authorem, sin modestè aliquid agimus, vobis id totum inseruit. Sic omnibus omnia fit Apostolus. Obserua duplices motus in sanctis: heroicos quibus Dei Spiritu rapiuntur ad absona quædam, vt ratio iudicat. Communes & modestiæ conformes, quibus proximo inseruiunt. Marc.5. vers.15. vident eum qui priùs fuerat furiosus σωφρονεῖν, hoc est, modestè sese gerere.

Duplices motus in sanctis.

14. *Dilectio enim Christi nos constringit.*

Quarta hæc est ratio constantiæ, dilectio scilicet Christi, illa suos ita constringit, vt non possint non velle extrema quæque pro Christo perpeti. Sed eadem est causa cur Apostolus totum se Corinthiis impendat, quia Christi dilectione constringitur, hoc est, ita eos captiuos tenet, vt non possit aliud velle, hinc συνοχὴ, angustia.

15. *Iudicantes hoc.*

Ἔκθεσις per ratiocinationem. Colligit enim diligenter quid amor Christi in nobis efficere debeat. Vnus pro omnibus mortuus est, hoc est, Christus amore nostri ductus, pro nobis est mortuus, hinc primò sequitur nos omnes fuisse mortuos, hoc est, adiudicatos morti, non enim pro omnibus mori poterat, nisi omnes nos priùs rei teneremur. Deinde sequitur & hoc quod nos redēpti nunc Christo, nō nobis debemus viuere. Requirit enim φιλία ἀντιφίλησιν, ne ingratis tantum beneficium contulisse videatur. Ac vt hilarius id subeamus, addit pro nobis etiam resurrexisse, hinc enim spes nobis est de resurrectione nostra.

Expositio.

16. *Itaque nos deinceps.*

Infert conclusionem, ergo carnales dotes non amplius admiror, quia dilectio Christi me aliud docet, abnegare scilicet me, ne mihi viuam, sed Christo qui pro me est mortuus. Secundum carnem aliquem agnoscere, est aliquem carnaliter agnoscere, hoc est, eo modo quo mundus aliquem agnoscit, summa, probare & laudare, vel damnare quæ mundus damnat. Sic sapientiam & eloquentiam agnoscit mundus, id carnale est. Et ἀπὸ τοῦ νῦν latè accipio,

accipio, pro tempore suæ cōuersionis, vt τῦ νῦν sit præsens status Pauli post conuersionem, non momentum. Deinde exempli gratia subiicit de Christo, *quòd si Christum agnouimus secundum carnem, at iam non amplius sic agnoscimus*, h.e. aliquando Christum secundum carnem agnoui ante cōuersionem. Christum carnaliter nouerat, hoc est, hominem extrema morte dignum, impium & impostorem, ideo persequebatur illum. At iam, inquit, non amplius ita: iam Dei filium agnosco, seruatorem & liberatorem meum. Agnoscere Christum secundum carnem.

17. *Itaque si quis in Christo.*

Porisma colligit ex conclusione præcedente. In Christo esse, est, renatum esse, se ipsum abnegasse, is totus debet esse noua creatura, hoc est, renouatus Spiritu & mente. Gal. 6. in Christo Iesu nihil valet circuncisio, nihil præputium, sed noua creatura. Vetus creatura est in Adamo carnali, noua in Adamo secundo, Christo.

Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Locus videtur ex Esa. 43. vers. 19. Ecce ego facio noua & nunc orientur, vtiq; cognoscetis ea. Et Esa. 65. ver. 17. Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouā, & non erunt in memoriam priora, qui locus citatur 1. Pet. 3. & Apoc. 21.

18. *Hæc autem omnia.*

Tertia pars capitis, de ministerio redemptionis. Locus est de iustificatione, cuius ordine tres causas exponit. Primariam efficientem. II. Organicam. III. Adiuuantem, per quam doctrina illa retinetur in Ecclesia. Hoc versu proponit totum negotium tribus membris comprehensum, mox idem per partes explicaturus, &c.

Τὰ δὲ πάντα intelligo omnia noui hominis charismata, & quęcunque opera producuntur, ex Deo sunt, tanquam causa efficiente, significans nihil hîc esse de quo gloriari possimus. Ex Deo sunt τὰ πάντα τὰ καινά, hoc est, quicquid in nouo homine est, id totum gratiæ Dei. Tollitur omne meritum.

Deinde de Deo prædicat quòd reconciliarit nos sibi, nō enim alius fuit cui reconciliaremur. In Deum peccatum fuit, ideo ad eum pertinebat recōciliatio. Amoris autem est, quòd non expectarit nostras preces, sed offensus licet, nos tamen sibi quæsiuit & reconciliauit. Hominis renouationē à Deo esse totam.

Tertiò organū reconciliationis addit, per Iesum Christū, quod vlt. versu plenius exponet.

Quartò adiuuantem causam exprimit, hoc est, ipsum ministerium, per quod vera doctrina in Ecclesia conseruatur, vt homines erudiantur de vera reconciliationis via.

19. *Quod Deus erat in Christo.*

Primi membri explicatio, de causa primaria efficiente. Deus erat in Christo substantialiter, non vt est in sanctis, sed arctiori modo; diuinitate vnita cum carne in eadem persona, vnione personali. Sic Coloss. 2. In Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit corporaliter Ioan. 1. Deus erat Sermo. Quæ sequuntur, ad formam reconciliationis pertinent, *non imputans illa peccata sua.* Sic enim iustificamur. Primùm remisso peccato, mox imputata iustitia qua destituti eramus. Tertiò donando Spiritum sanctum, per quem in proposito conseruamur, ornamur nouis moribus, vt velimus Dei consilio consentire. Παραπτώματα dicuntur, quæcunque contra legem & iustitiam Dei committuntur, quale est etiam otiosum verbum, cuius est reddenda ratio, grauiora quoque delicta cordis operum, & consiliorum. Hæc, inquam, omnia condonantur. Ita nihil nobis tribui potest. Quo sensu dicatur Deus esse in Christo.

Et ponens in nobis sermonem reconciliationis.

Tertij membri est explicatio. Λόγος dicitur hîc officium docendi Euangelium, cuius status est reconciliatio. Habes hîc authorem ministerij Deum, qui hoc instituit. Habes etiam materiam ministerij, hoc est, docere reconciliationem humani generis cum Deo.

20. *Pro Christo igitur legatione fungimur.*

Respicit ad morem publicum, quo legatis debetur securitas & fides, nam hos violare non licebat. Corinthus à Romanis deleta est, ob violatos legatos: Paulus legatus est Dei patris vt doceat homines reconciliari per Christum. Deinde vrget Dei philanthropiam, quia is nos orat & obsecrat: at si princeps per legatum apud suos subditos rogaret, quæso manete in fide & obedientia mea, remittam vobis omnem offensam & onera publica auferam, magna ea esset principis clementia. Sic Deus agit nobiscum.

Tertiò agit hoc per Apostolos, aliósq; pios doctores, quod pertinet ad dignitatē eorum. Hîc enim intelligimus Deum in illis loqui, & his tanquā voci diuinæ obedientiam deberi.

Quartò accedunt preces doctorum, qui & ipsi rogant nos, vt salutem admittamus, ac si medicus ægrum oret, quæso admitte hoc tam salubre pharmacum. Disce imperium ministrorum non esse tyrannicum, nec prætorium, vt vi corporali possint cogere, sed esse politicum, quod ducit volentes non inuitos. Ideo consiliis, persuasione, rationibus, auditores debent trahere.

Quintò vice Christi rogant nos. Fac igitur pręsentem Christum te habere, Mi homo ne asperneris gratiam meam, ne excludas meritum meum, mors mea tibi desudauit, vi-

ta mea tua est, resurrectio mea tibi impenditur, hoc clamat Christus in concionibus piorum doctorum.

Sextò quid clament, Reconciliemini Deo. Sermo quidem ad Corinthios hic spectat, sed vox illa est totius Euangelij scopus, summariáque propositio, vt reconciliemur Deo. Disce non per Deum nec Dei filium stare, si qui non reconciliantur, sed per ipsos homines, qui hanc tam amicam inuitationem ad gratiam non volunt admittere.

21. *Eum enim qui non nouit peccatum.*

Secundi membri explicatio. Ordinem in explicando non seruat, quem in proponendo instituerat, sed id liberum est. De Christo organo reconciliationis, secundo loco dixerat, id hîc vltimo explicat. *Eum qui nõ nouit peccatum*, h.e. purus erat ab omni labe, in cuius ore non erat repertus dolus, vt est Esa. 53. Peccatum hîc est corruptio pugnans cum lege Dei, & nouisse peccatum, est actu ei esse subiectum. Nouerat enim Christus peccatum esse in mundo, & id homines tenere captiuos, sed non nouerat tanquam eiusdem particeps. Γνῶσις igitur practica hîc intelligatur. Deinde peccatum factus est, h.e. λύτρον, hostia pro peccato, in lege enim hostia pro peccato dicebatur peccatum. Talis hostia Christus est Ioan. 1. Hic est agnus Dei tollens peccatum mundi. Tertiò, pro nobis id factus est, hoc est, loco nostro dedit pœnas, expiauit nostra scelera. Quartò, finis additur, vt nos efficeremur iustitia Dei, hoc est, iusti pronuntiaremur, imputatiua iustitia, tanquam veste ornaremur. Dicitur autem iustitia Dei, quia nostra non est, sed precariò nobis gratis donata, nullo nostro merito, sed Christi. Deinde quia hæc valet coram Deo. Non autem de essentiali iustitia Dei intelligamus, qua Deus natura iustus est, tribuens cuiq; pro iustitiæ regula digna & competentia. Hæc æterna est Dei regula, sed hæc nostra imputatiua est, fluens ex illa æterna iustitia. Quia enim Dei filius luit pœnas pro nobis, par est, vt vis illius meriti in suis sit efficax, & illi non amplius puniantur æterna morte, ne bis sumatur supplicium de hominis peccato. *In ipso*, significat extra Christum nullam esse iustitiam, qua nos possimus ornare, & quæ valeat in conspectu Dei. Itaque frustra est quicquid homines comminiscuntur de satisfactionibus, quia vnicum hoc sacrificium efficax est, & solum placet Deo Patri.

Quid hoc loco significet nosse peccatũ.

CAPVT VI.

Argum.



HActenus loci apologetici propositi sunt, quibus depulit crimen leuitatis, deinde asperitatis in scribendo, tertiò, cauponationis, quòd nulla fraude, sed summa sinceritate Euangelij doctrinam proponat. Nunc stylum ad Corinthios transfert, auditores informans quales hi esse debeant. Est hæc pars quarta, in qua suos auditores ad officiũ Christiani hominis cohortatur. Doctrina de bonis moribus summopere est necessaria, ideo passim illam inculcat vt hîc, & ad Rom. 12. & alibi. Christus etiam Ioan. 13. beatos prædicat scientes tum demum, si fecerint eadem. Itaque scire non satis est, sed oportet accedat ex parte altera praxis, vt videant homines opera nostra bona, & glorificent Deum Patrem qui in cœlis est.

Propositio huius capitis est, Corinthiis opera est danda, vt gratiæ Dei respondeant, ac vitia cum illa pugnantia per quàm studiosè vitent.

Partes generales duæ sunt. Prior προτρεπτική, ad constantiam sub cruce, ac alias similes virtutes, posterior ἀποτρεπτική, à communione idolorum ac similium scelerum, de quibus suo dicemus loco.

Prioris partis hæc est tractatio. Initio proponit statum orationis, argumentis aliquibus inuolutum. Propositioni mox annectit apertam confirmationem ab occasione presente, qua elapsa non possint peruenire ad finem optatum. Tertiò confirmationi addit suum exemplum, in quo virtutes depingit, per quas possint gratiæ Dei respondere. Quartò, catalogo virtutum addit fortunam aduersam, per quam eluctandum est fidelibus ad vitam æternam. Hanc partem eleganti antithesi exprimit, docens sortem filiorum Dei in mundo quidem esse abiectam, at in illorum cõscientiis & coram Deo, longè esse splendidissimam.

1. *Cooperantes autem hortamur, ne in vanum gratiam Dei receperitis.*

Propositio est inuoluta argumentis quibusdam. Verba propositionis sunt, *Ne in vanum gratiam Dei receperitis*, h.e. danda est omnibus modis opera, vt gratiæ Dei respondeatis. χάρις dicitur gratia regenerationis, deinde gratia donorum Spiritus sancti, charismata. In vanum accipit gratiam, qui vocationi suæ nõ satisfacit, nec dona sibi collata auget. Id fit dum vitam non accommodamus doctrinę, nec ad certam Ecclesiæ vtilitatem donis vtimur. Κενὸν enim est, quod ad finem optatum non peruenit, irritũ, inutile. Sic 1. Cor. 15. de se dixit, Gratia eius in me non fuit inanis, h.e. omnibus modis operam dedi, vt ornarem munus meum & officium quàm diligentissimè præstarem. Disce frustra vocari nos ad agnitionem veritatis

Quis dicatur in vanum accepisse gratiam.

tatis nisi accesserit studium piè & honestè viuendi, adeóque augendi dona nobis collata. Propositionem hanc non nudè proponit, sed argumentis statim inuoluit.

Primò ad hanc diligentiam vos exhortor, hoc est, omnibus modis prouoco. Quod tantus Apostolus suadet, suísq; dilectissimis suadet, vtique id sequendum est, amor enim in eo non errat. Et accedit multiplex experientia, qua Apostolus nouerat quid illis expediret, & certum consilium Spiritus sancti, qui in his suasionibus non errat. Vim autem habet argumentum, quia Apostolus Dei legatus est sup. 5. ver. 20. Nomine Christi legatione fungimur, quasi Deo per nos obsecrante. Itaque Deus per Paulum illos rogat, & quod legati agunt, rectè principum nomine agere dicuntur.

Secundò, non simpliciter hortor, *sed cooperando hortor*, h.e. coadiuuando. Quęrunt hîc interpretes quò referri debeat illud σὺν, hoc est, cuius sit cooperarius in præsenti causa. Primùm certum est respectu Dei, Apostolum cooperari, sic enim suprà 1. Cor. 3. vers. 9. dixit, Dei sumus συνεργοὶ. i. cooperatores. Quo sensu docemur, Deo in causa iustificationis ac donis spiritualibus tribui principem locum, quia qui plantat & qui rigat nihil sunt, sed Deus qui dat incrementum, tamen opera ministrorum vti, tanquam vtilium organorum, vt gubernator in naui suos vult habere remiges. Itaque agnoscendum est beneficium Dei conferentis bonos doctores. Deinde respectu Corinthiorum quoq; est Apostolus συνεργός, h.e. coadiuuat illorum salutem, promouet quantum fieri potest illorum conatus, 1. Cor. 4. dispensatores sunt mysteriorum Dei, sine quibus Deus non vult illos vocare. Hic sensus geminum nobis suppeditat argumentū. Primùm si Apostolus tam studiosè promouet eorum salutem quantò magis ipsi in hanc curam debent incumbere? illorū enim causa hîc agitur, & cum periculo quidē, non perinde cum periculo Apostoli, si nō crediderint. Deinde quoque subest facilitatis ratio. Vbi enim multa sunt synerga, facilius ad finem peruenitur, vt causæ multæ adiuuantes facilius effectum pariunt: non ergo oportet Corinthios negligenter agere, cùm tot habeant Συνεργὰ, Deum offerentem, Paulum studiosè monētem, Titum, Timotheum, Syluanum, aliósque in idem incumbentes. Sed est hæc etiam relatio. Συνεργοῦντες *vos hortamur*, scilicet ego cū reliquis bonis doctoribus, omnes in hoc incumbimus. Rectè synergi sunt ministri 1. Cor. 3 Qui plantat & qui rigat vnum sunt, h.e. ad eundem finem collimant. Docet hic sensus concordiam in docendo apprimè esse necessariam. Triplex igitur est respectus Synergiæ, ad Deum, ad auditores, & mutuam operam ministrorum.

Triplex respectus synergiæ.

2. Respectus.

3. Respectus.

2. *Dicit enim tempore accepto.*

Diximus de propositione, sequitur iam cōfirmatio eius. Ac resoluenda sunt argumenta ordine. Duo iam indicamus, quibus vestita fuit propositio, hîc iam ordine tertium sequitur, cuius vis est ab oblata occasione rem bene gerendi. Rectè dixit Pind. καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφὴν, id est, in omni negotio occasio principē tenet locum: & reuera quia retro calua est, h.e. semel elapsa, nō facilè eadem se offert oportunitas. Id etiam valere in causa fidei ostēdit Christus Matth. 24. quia nescitis qua hora venturus sit, & Matth. 25. stolidæ virgines id suo malo didicere, quæ venientes post occasionem oblatam, ianuam clausam deprehenderunt, ac pulsantes non inuenerunt qui aperiret. Admonemur igitur hoc loco, ne oblata occasione bene agendi & augēdi, cęlestia dona negligamus. Deinde obseruandus est hic ordo. Καιρὸς momentum est sese approbandi Deo, dies salutis, fructus inde promanans. Locum sumpsit ex Esa. 49. Sunt illa inter se consequentia, obseruata occasio deducit ad salutem, vt eadem neglecta ad perniciem.

Occasione esse sedulò vtēdum.

Tertiò obseruetur diuersitas testimonij. Nam Esaias loquitur de Christo mittendo in carnem, cuius manifestatio habuit certum momentum, diem salutis peracta passione in cruce, id totum Apostolus ad Corinthios applicat, sed rectè, quia in capite Christo verum est principaliter, secundariè autem in corpore, hoc est, in Ecclesia eius, ex cuius numero erant Corinthij. Itaque & illi habebant occasionem vocationis suæ, & diem salutis.

Quartò in tempore etiam diuersitas est, nam de incarnatione & passione loquitur, quod Apostolus ad conuersionis tempus accommodat. Admonemur omnibus quidem sua esse posita momenta, ad quæ tamen nos accommodare debemus quoad fieri potest. Non enim agit nobiscum Deus, vt cum truncis & lapidibus, sed tanquam remigum operam requirit, nec excusat nos quòd illa momenta ignoramus, imò argumentum debent esse ad diligentiam & maiorem vigilantiam.

3. *Nullam vlla in re demus offensionem, ne reprehendatur ministerium nostrum.*

Illustris sequitur descriptio boni ministri, quibus virtutibus debeat esse prædìtus. Has sibi tribuit Apostolus contra calumniatores, vt Corinthios in sui studio retineat. Et hoc quartum argumentū cōfirmationis, ostendens modū per quem gratiæ Dei respondere possint, h.e. declarare se nō in vanū accepisse, scil. si ad exemplū Apostoli fuerint sub cruce constantes, alisq; necessariis virtutibus sese exerceāt. Vim habet argumentū ab exēplo, se vt verum

doctorẽ suis auditoribus imitandũ proponit. Partes ordine considera. Primò dicit se nulli
Fidelibus dandam operam ne sint occasio scandali. dare offendiculũ, scil. nõ esse occasionẽ perditionis aliis, quod vocant datum scandalum, de quo diximus Mat. 18. id remouet hîc à se, vt Act. 24. quòd studuerit sine offendiculo habere bonã conscientiam apud Deũ. Interim certũ est quòd acceperint in eo offendiculum multi, vt in Christo quoque, sed non suo vitio id factum est. Auditores igitur ad exemplum doctoris operã debent dare, ne suo vitio aliis sint occasio scandali perniciosi, Væ enim homini per quem scandalum venit in mundum, & Rom. 14. dixit, ne ponatis offendiculum fratri.

Deinde obseruanda est ratio cur vitandum sit offendiculum, *Ne vituperetur ministerium.* Pertinet id quidem propriè ad doctores, quorum interest in primis hoc cauere. 1. Tim. 6. ne nomen Domini & doctrina blasphemetur, sed ad auditores quoque referri debet. Rom. 2. Propter vos nomen Domini malè audit inter Gentes, significans improba auditorum vita, ignominia affici Dei gloriam, vt hodie Christi nomen non aliunde peius audit, quàm ex improba Christianorum vita. 3. θέον ponit, *sed in omnibus nos probemus vt diaconos Dei,* hoc est, commendemus nos veris laudibus bona conscientia apud Deum, vt decet Dei ministros. Idem ad doctores quoque & auditores applica.

4. *In tollerantia multa.*

Sequitur iam congeries virtutũ, quæ in ministro requiruntur, & quas auditores in ipso
Ministri virtutes. debent æmulari. Obserua ordinẽ. Prima est ὑπομονή, tollerantia, virtus qua Dei timore om-
1. nibus aduersis resistimus, qualiacunq; sint, ne in illũ peccemus. Deus enim supra omnia est timendus. Vox ipsa significat constantẽ quandam audaciã, quæ aduersis resistat. Tu contrà audentior ito. Hanc virtutẽ ab obiecta materia illustrem reddit: ostendit enim circa quid versetur, id explicat per species, qualia sunt θλίψις & ἀνάγκη, rerum necessariarum defectus, vt vestitus & cibi. 3. στενοχωρία, angustia mentis in periculis, vt nescias quã sit euadendum. 4. *In plagis.* 5. *In carceribus.* 6. *In tumultibus:* quales in Actis est expertus Ephesi & Hierosolymis. 7. *In laboribus,* manuũ scilicet. 8. *In vigiliis,* hoc est, coactis vigiliis. 9. *In ieiuniis,* vel spõte susceptis vel etiã necessitate impositis. Hæc omnia ad materiam tollerantiæ pertinent.

Secunda virtus est ἁγνότης. *Castitas,* Virtus est purum conseruans corpus à scortatione,
2. Virtus. adulterio & similibus. Item animum purum retinere à flammis libidinis, cuius præsentissimum est remedium ieiunum & preces, quibus caro in ordine retinetur.

3. Tertia virtus γνῶσις, *cognitio,* siue scripturæ sanus intellectus, qui in doctore in primis requiritur, siue sapientia practica, rectè statuens de agendis & omittendis.

4. Quarta *longanimitas,* non desperans de successu, omnia candidè interpretans, non etiam de peccantibus spem deponens.

5. Quinta *bonitas,* apex Christianarum virtutum in omnibus, id quod χρηστὸν, id est, optimum est decernens, Iustitia vniuersalis.

6. *Spiritus sanctus.*

Virtus in Apostolis fuit peculiaris, testimonium Spiritus sancti quòd non errarent. Id in auditoribus etiam requiritur, sed causam hîc omnium virtutum & fontem indicat: nisi Spiritum sanctum, hoc est, gubernationem illius intelligas.

7. *Dilectio minimè fucata.*

De hac diximus, 1. Cor. 13. Condimentum est Christianarum virtutum.

Sermo veritatis.

8. Virtus ministri propria, cuius officium positum est ἐν τῷ λέγειν ἀλήθειαν, hoc est, vt doceat veritatem. Id tamen ad auditores spectat. Primùm vt in vita politica veritatis sint studiosi, deinde in causa religionis veritatem omnibus doctrinis præferant.

9. Nona virtus, *Potentia* Dei. In Apostolis erat vis miraculosa, qua poterant edere miracula, quoties gloria Christi id requirebat. In nostris ministris, est doctrinæ coniuncta Dei potentia, si vox non solùm aures feriat auditorum, sed corda emolliat. Itaque in auditoribus quoque elucere debet illa Dei potentia.

10. Decima, *Arma iustitiæ,* hoc est, panoplia illa spiritualis, de qua ad Eph. 6. cuius partes om-
Quid per dextram & sinistrã significetur. nes hîc enumeratæ non sunt: doctori & auditori est necessaria. *Sinistra & dextra,* vel sunt res secundæ & aduersæ, in quibus omnibus animum moderatum retinere oportet. Aliis artibus res secundæ vincendæ sunt, aliis verò in rebus aduersis pugnamus: vel sunt more militari, quæ applicantur vtrique lateri. Alludit enim ad morem militarem veterum, quo miles sinistra ferebat parmam, clypeum, dextra verò ensem, hastam, aut simile aliquod telum: qui sic esset armatus, optimè videbatur munitus contra omnia aduersa. Sic oportet Christianum militem dextra ferre gladium Spiritus, sinistra scutum fidei.

8. *Per gloriam & ignominiam.*

Catalogum virtutũ illustrat eleganti schemate à contrà positis, quæ dicuntur antitheta. Virtutes organa sunt ad victoriam, sed hęc sequentia indicant quã eluctandum sit, per quæ conten-

contendendum sit ad victoriam, viam proponũt admodum arduam & lubricam. Membra sunt ordine nouem. Prior pars conditionem indicat, quam mundo premuntur: posterior pars conditionem sanctorũ in cælis & in conspectu Dei proponit, 1. *Gloria & ignominia*, 2. *Conuitia & laudes*, 3. *Errones & veraces*, 4. *Ignoti & noti*, 5. *Morientes viuimus*, 6. *Castigati non occidimur*, 7. *Dolentes gaudemus*, 8 *Pauperes alios ditamus*, 9. *Egentes omnia poßidemus.*

11. *Os nostrum apertum est erga vos Corinthij.*

Secunda pars huius capitis, in qua à consortio impiorum hominum dehortatur, ideo ἀποτρεπτικὴν esse diximus, vt prior προτρεπτικὴ fuit.

Πρότασις est, pij summopere cauere debent impiorum hominum consortium. Propositio.

Partes eleganti ordine cohærẽt. Initio enim nouo vtitur exordio, quo flagrantissimũ animi sui amorem declarat, qui causa sit exhortationis prioris, & dehortationis sequẽtis, eundemq; mutuum à Corinthiis requirit amorem, debet enim esse in amicitia ἀντιφίλησις. Secundo loco proponit totius loci certam sententiam, ne iugum trahant cum impiis. Tertiò confirmat graui argumentatione à pugnantibus cur fugiendum sit illis impiorum consortium. Quartò concludit more & verbis scripturæ, Ergo fugite consortia malorum. Deniq; nouis rationibus conclusionem munit. Itaq; locus hic quinquimembris est, habet enim exordium, propositionem, confirmationem, conclusionem, & conclusionis nouam probationem, quæ est ἐπικατασκευή, conclusioni subiecta. De his igitur iam ordine agemus.

11. *Os nostrum apertum est erga.*

Exordium est, quod ad beneuolentiam accommodat. Nam ostendit singulari quodam amore se duci erga Corinthios, vt intelligant priorem cohortationẽ ad virtutes ex candido pectore prodire, vt certum est. Vir prudens nõ facilè descendit in laudes proprias nisi apud amicissimos, quos putat suum exemplum facilè admissuros. Itaq; hoc sensu hîc prioribus subnectitur certa ratio, sed sequentia quoq; exordium hoc munit. Nam quia è certis vitiis dehortaturus est, proderat multum si Corinthij intelligere possent, amoris illa esse effecta, non autem prodire ex hostili animo. Ideo apostrophe sermonem conuertit ad Corinthios. Hęc ratio est exordij. Nunc illius singula membra examina: primum, *Os nostrum apertum est, erga vos.* Os aperire, loquentium est, hinc prophetis tribuitur, qui nomine Dei ad populum Dei loquebantur. De insolitis quoque dicitur, vt in Num. 22. asinæ os aperitur, quæ herum suum obiurgat. Et per metaphoram terræ tribuitur, quę aperuit os vt exciperet sanguinem iusti Abel. Et in historia Datan dicitur, quòd aperuerit os suum, & illos absorpserit, Deut. 11. In præsenti loco amoris signum est, aperto ore loqui, h. e. candidè & amanter admonere de rebus ad salutem necessariis, vt Dauid etiam de se inquit, In parabolis aperiam os meum. Os aperire. Gen. 4.

11. *Cor nostrum dilatatum est.*

Causa est prioris commatis. Nam cor fons est spirituum & cogitationum. Os verò sermonis organum, quod nõ loquitur nisi ex abundantia cordis. Itaque officina in corde posita est, illic formantur & fabricantur dicenda. Huic tribuit dilatationem. Dilatari dicitur cor, rebus secundis lætis, vt amore, gaudio, voluptate, vt contrà contrahitur dolore, metu, tristitia. Nam rebus lætis spiritus diffunduntur ex corde in totum corpus, vt delectentur omnes sensus. In aduersis contrà spiritus omnes reuocantur ad arcem vitæ, hoc est, cor cuius tutelam suscipiunt relictis aliis membris. Calor aperit, frigus constringit, sic læta se & aduersa habent, amor & odium.

3. *Non habitatis anguste in nobis.*

Effectus est prioris sententiæ. Cor tanquam locum habitandi illis patefecit, & eum satis spaciosum: ideo inquit, *habitatis non angustè.* Dicuntur angustè habitare, quibus locus minor est, quàm vt locandis rebus sufficiat. Latè habitant quibus locus amplior est locandis rebus. Cor patefacit vt omnibus sufficiat, ideo amanter inquit, non habitatis angustè apud me, quasi dicat, nihil secretum retineo, omnia mea vestra facio: cor ipsum vobis dedo.

4. *Angustè habitatis in visceribus vestris.*

Dixit quo amore ipsos complectatur, nunc quales ipsi erga Apostolum sint, & erga seipsos patefacit, q. d. quòd me attinet ardenter vos amo & intimè, quod verò id non agnoscitis, culpa vestra est. Angustè igitur habitabant primùm, qui de Apostolo non rectè sentiebant, non satis grauiter, quales erant eius obtrectatores. Deinde qui nimis meticulosè in causa Apostoli versabantur. Constringit enim metus & odium. Taxat igitur eos, quòd non satis respondeant amori suo.

5. *Eandem mercedem, vt filiis loquor.*

Hoc est, comprecor vobis saniorem mentem, vt sitis alter ego. Et reuera miser est amor, si non sortiatur ἀντιφίλησιν. Debet amicus esse alter ego, hoc est, candidè redamare amantem. id ἀντιμισθίαν vocat, quasi dicat, compensationem & mutuum præmium. Præmium amoris, amor est. Rem illustrat comparato, vt filiis, quasi dicat, vt pater vos diligo, non pos-

sum igitur non bona à vobis exigere. Summa est, vt amicissima coniunctio inter patrem & filium, talem cupit inter ipsos regnare.

13. *Dilatemini & vos ne ducatis iugum cum incredulis.*

Propositio exordij est, illis dandam operam, vt amori paterno respondeant, id metaphora vocat dilatari, quasi dicat, meum pectus vobis patet, cur igitur me non eodem affectu amplectimini: sinceriter & candidè mecum agite, vt ego vobiscum.

14. *Ne impari iugo copulemini cum infidelibus.*

Secunda pars loci huius qui continet πρόθεσιν. Sententia est, illis imprimis fugiendum esse cōsortium impiorum. Ac fortè respicit ad eos mores Corinthiorum, quos 1. Cor. 8. correxit de conuiuiis idolorum, quibus securè solebant interesse, sed simul alias species omnes periculosę cōuersationis hic prohibet. Nam cùm periculum est nos corrumpendos à deterioribus, iam finis conuersationum amissus est. Instituit enim Deus cœtus inter homines mutui auxilij causa, in quo non minima est ratio, vt melior deteriores emendet, & meliores reddat sua cohabitatione, nunc si res inuertatur, & boni à malis corrumpantur, satius est vitare illorum cœtus. Sic Christus cum peccatoribus vixit, vt eos ipse redderet meliores, non ipsum & suos illi corrūperent. Hæc est propositio. Sed obserua Apostoli elegantiam, metaphora eleganti maluit vti quàm simpliciter dicere fugite consuetudinem infidelium. Ἑτεροζυγοῦντες dicuntur, qui eodem iugo incedunt dispari conditione, vt si boui equum iungeres vel asinum, impar esset ratio. Ac verum quidem est, vnus bos iugum non facit, sed duo ad minimum sint oportet. Ideo lex præcipit, vt bos boui nō asino copularetur sub iugo. Deut. 22. Ad hanc legem hic respexit Apostolus. Pij cum impiis si copulentur, hoc est, familiariter viuant, non alia erit ratio, quàm si boui asinum coniungas, id lex vetat: ergo, &c. Admonemur hic damnosam semper esse nimiam familiaritatem cum impiis, & præcepto Dei vetitam citata lege. Ethnici hoc idem agnoscunt interdum, de quo vide versus Æschyli, vbi ait Amphiaraum ideo fuisse terra absorptum, quòd cum impiis sese coniunxerit.

Malorū cœtus esse vitandos.

Ἐν παντὶ πράξει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδὲν, καρπὸς οὐ κομιστέος, ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται, id est, In omni negotio mala conuersatione peius nihil est, fructus non colligendus. Infelicitatis terra mortem fructificat.

14. *Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia?*

Tertius locus, quem diximus κατασκευήν, id est, confirmationem. Locus totus est argumentosus. Maiorem ponit conglobatione æquipollentium sententiarum, mox minorem subnectit, vnius assumptione, quam itidem confirmat. Ad maiorem igitur pertinent istæ sententiæ. Prima est, Iustitiæ cum iniustitia nullum est commercium. Μετοχὴ participatio est, h. e. cùm multi re vna cōmunicant, id in pugnantibus fieri nō debet, imò ne potest quidem, quatenus pugnantia sunt, ideo per interrogationē affert sententias significans extremam inesse huiusmodi combinationi absurditatem. 2. Quæ κοινωνία *luci ad tenebras?* hoc est, ne in his quidē societas dari potest: nam absentia lucis sola inducit tenebras, præsentia easdem pellit, & nox cum die conciliari non potest, sed vnius absentia alterum constituit. 3. Quæ Συμφώνησις *Christo ad Belial?* quasi dicat, nulla planè. Vox à contētu musicorum instrumentorum sumpta est, quæ symphoniam habent, cùm toni singuli singulis iusto interuallo respondent, id inter Christum & Belial fieri non potest, Christus enim dux lucis est & iustitiæ. Belial autem princeps tenebrarum & iniustitiæ, itaque nulla inter duos dari potest concordia. Belial dicitur Satan sine iugo. Iugum Dei excussit dum factus est apostata & cecidit. Hinc omnibus author est ad eandem inobedientiam. Deinde impotens est, nihil enim potest per se, nisi quatenus Deus illi metas concedit, vt in historia Iob videre est. Et est inutilis, nocendi enim studio ducitur, quærit quos perdat, vtut simulet inter dum amicitiam cum hominibus. Hinc filios suos ad eam instituit, contumaces efficit, crudeles, sanguinarios, impotentes interim. Contrà Christus obedientiam docet, quàm præstitit vsque ad mortem Patri. Deinde salutem hominis procurat, denique nihil non illi possibile est, & ad eadem studia suos erudit sectatores.

Iob 1.

15 *Quæ pars fideli cum infideli?*

Opponit sectatores, quemadmodum opposuit ipsos duces, Μερὶς portio est.

6, *Et quæ συγκατάθεσις templo Dei cum idolis?*

Nulla certè: συγκατάθεσις sonat pactū, fœdus, quale est inter amicos, & olim dissententes. Significat ergo hostilia hic omnia sic esse, vt ἄσπονδον sit bellum. Obserua idem significantia. Μετοχὴ, κοινωνία, συμφώνησις, μερὶς, συγκατάθεσις idem sonant, elegans varietas vocum.

16. *Vos templum Dei estis.*

Minor est propositio, qua ad superiora membra omnia referuntur, *Estis templum Dei*, estis fideles, estis Christi membra, estis lucis filij, estis iusti, ergo nulla vobis societas debet

cum

cum infidelibus intercedere. Templum Dei dicuntur spirituale, vt suprà 1. Corinth. 3. & 6. cap. quia spiritu Dei duci debent, & corpora sua sancta conseruare, tanquam templa Spiritus sancti inhabitantis. Quemadmodum *dixit Deus.* Confirmatio minoris à Dei testimonio Leuit. 26. Ezech. 37. Duo autem coniungit, Inhabitabo, & inambulabo, significans Dei præsentiam non esse ociosam, sed actiuam, viuidam. ac de hominibus piis intelligendum, illis locis templum indicat, quia addit, ero illis Deus, & illi erunt mihi populus, quod de lapidibus non poterat accipi, quid enim attineret materiali templo dicare ista? Itaque homines pij templum sunt Dei. Fideles templa Dei.

17. *Quare exite è medio eorum.*

Quartus locus, conclusio, quia infert id quod intendit, sed non suis verbis infert, verùm prophetæ Esaiæ qui cap. 52. hæc verba habet, & citantur in Apocalyp. 18. ver. 4. de ruina Babylonis, etiam citatur Apocal. 14. vers. 8 Duas autem partes habet conclusio, prior generalis ad propositionem prius positam. Posterior specialis ad vitandam idololatriam, proinde ait, & immundum nolite tangere.

Et ego excipiam vos. Quintus locus, quo conclusionem nouis argumentis munit. Sunt autem προτρεπτικὰ ista vt priora. Primùm si seiuncti fueritis ab impiis, tum ego suscipiam vos hoc est, protegam, tuebor, ero Deus vester singulari protectione. Deinde ero Pater vester, hoc est, paterno affectu vos complectar. Citatur autem & Iere. locus cap. 31. Denique commodè terminat orationem in omnipotentiam Dei, significans huic vni securè & tutò nos posse res nostras committere, quia sit omnipotens, & ab eo si deflectamus, in nullo possumus vllum habere præsidium firmum.

CAPVT VII.



PRIMVM hoc capite concludit superiorem locum de vitando infidelium consortio, ac virtutum Christianarum studio. Deinde à Corinthiis mutuum requirit amorem, quem vt obtineat apud eos multis rationibus agit. Tertiò iterum asperitatem superioris Epistolæ pergit excusare, nominatim sententiam excommunicationis, quam ipsorum bono, asperiorem fuisse declarat. Hæc ferè hîc explicantur. Argu.

1. *Has igitur promissiones.*

Porisma est ex superiori argumentatione fluens. Splendidissimas habemus promissiones de auxilio Dei, ergo debemus studiosè infidelium vitare consortium.

Promissiones intelligit, quas ex Esaia & Ieremia protulerat: Ego suscipiam vos, item, Ego ero Deus vester & Pater vester, & vos mihi eritis filij.

Hæ, inquit, promissiones nos incitare debent vt magna alacritate separemus nos ab infidelibus. Apostolus mutatis verbis hîc vocat purgare se ab inquinatione, hoc est, non trahere iugum cum infidelibus, & dare operã ne in vanum gratiã Dei acceperint. Id quomodo fiat partitione proponit, à sordibus carnis & spiritus, significans non satis esse gloriari de animi integritate, nisi eadem in membris reluceat. Carnis sordes sunt, apertiora scelera quæ mundus etiam damnat, vt furtum, homicidium, rapina, vis, scortatio & similia. Carnis sordes.

Spiritus autem, sunt animi occultiora peccata, vt est auaritia, idololatria, concupiscentia, inuidia, ira, odium, &c. Dicit igitur vtrunque malum esse purgandum, Cor vt fons, Vita autem vt riuuli. Et reuera frustra gloriamur de puritate, nisi in tota vita in omnibus membris reluceat. Denique hîc obseruanda est causa finalis purgationis illius, quæ est perfectio sanctitatis: perfectio autem intelligatur homini possibilis, est enim in imperfectione nostra quædam perfectio, quæ Domino probatur, cuius formam nobis dictat dilectio. Perficimus igitur sanctitatem inchoatam à Spiritu sancto, si damus operam, ne gratiam frustra acceperimus, quanquam & hoc Spiritui sancto, & gratiæ diuinæ debeamus: Deus tamen sua in nobis coronans dona nos dicit perficere aliquid, quod ipse propriè facit. Spiritus sordes.

2. *Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem fraudauimus.*

Secundus est locus huius partis, de mutuo amore, quẽ Corinthij Apostolo Paulo debent. Blanda autem oratione ostendit animi sui affectum erga ipsos, vt ipsos similiter affectos reddat. Mouet enim auditores, non tam oratio, quàm affectus dicentis. Cœperat hoc quidem priùs capite sexto versu 11. sed hîc copiosiùs persequitur multis adhibitis argumentis.

Initiò obseruanda est propositio, χωρήσατε ἡμᾶς, capite nos, hoc est, date locum amori, me vicissim diligite, efficite vt videam me latè apud vos habitare. Alludit enim ad id quod dixerat, ipsos Corinthios in suo pectore non angustè habitare, οὐ στενοχωρεῖσθαι. Ex quo colligit, par igitur est vt & mihi detis in pectoribus vestris amplum locum habitandi. Locus est de mutuo amore, quem auditores debent doctoribus bonis. 2. Propositioni ad- Mirus animi affectus Pauli erga Cor.

dit rationes à sua innocentia. Remouet autem grauissima tria à se crimina, à quibus dum tutus est, illum meritò amare debent. Primùm est manifesta vis, *Nullum*, inquit, *iniuria affeci.* Alterum corruptela, *nullum corrupi*, scilicet tum falsis dogmatibus, tum exemplo vitæ. Nam minister dicitur corrumpere auditores, tum si falsa doceat, tum si vita non respondeat bonæ doctrinæ. Tertium est auaritia, quasi dicat, *nullius bona surripui*, hoc est, non mercenarius fui, sed gratis docui, manibus his me alui. Tria insignia sunt ministerij encomia.

3. *Non ad damnationem.*

Obiectioni respondet. Tua defensio nostra est accusatio & damnatio. Respondet, non dico hoc ad vestri contumeliã, idq; probat ab antecedentibus, quæ scripserat priori capite.

Estq; hæc altera ratio, cur illi mutuum amorem debeant, quia illi ab eo diligantur: Estis in corde meo: ergo mihi etiam debetur locus in cordibus vestris. Tertiò, à magnitudine amoris, paratus sum vobiscum mori, & sinè vobis nolo viuere, ergo par est vt me etiam redametis. Quartò, quia liberè vobiscum ago, hoc est, candidè & sine fuco vt decet in amicitia, liberam decet esse vocem apud amicos, ergo dignus sum amore. Quintò, de vobis hactenus magnificè sum gloriatus, decet igitur vos operam dare vt eam laudem retineatis. Bonis enim viris placuisse non est modica laus: laudari à bonis id demum vera est laus. Sextò, hactenus magnam consolationem mihi attulistis in rebus aduersis, decet igitur in eo proposito esse constantes. Id magnificè amplificat verbum ὑπερπερισσεύομαι, hoc est, supra modum abundo gaudio & consolatione in meis afflictionibus. Id totum vobis debeo.

5 *Nam venientes in Macedoniam.*

Narratio est, qua probat proximam rationem, quòd scilicet mirificam consolationem, & singulare gaudium à Corinthiis acceperit. Exponit autem quando & per quem & in qua re ea acceperit. Vide suprà cap. 2.

Initio autem narrat fortunam suam, quæ illum in Macedonia excepit. Admodum tristis & acerba illa fuit, *foris pugnæ, intus terrores*, hoc est, manifesti aliqui hostes veritatis obtulerunt se, aliqui autem clancularij, qui Christiani videri cupiebant, sed veritatem deprauabant, aperti ei exhibuerunt pugnas, occulti autem terrores. Ita quidam hęc interpretantur, sed malo terrores accipere pro animi anxietate & cura qua sollicitus erat de euentu. Item dubitationes, sollicitudines quibus interdum sancti etiam obruuntur. Deinde aduersæ fortunæ opponit præsens Dei auxilium. Ornat autem Deum decenti encomio, *qui consolatur afflictos*, scilicet in causa honesta ac pia. Ταπεινὸς dicitur humilis, sed qui simul sit miser. Duplex. n. est humilitas. Vna coniuncta cum miseria, quæ propriè est ταπεινότης. Alia humilitas modestè de se suísque rebus iudicans, non sese efferens, quæ est extra miserias. Illa dicitur ταπεινοφροσύνη, hic de priori loquitur, qui ipse in simili est positus statu.

Humilitas duplex.

Tertiò organum consolationis diuinæ exprimitur. *Titus*, inquit, *suo aduentu hanc mihi attulit.* Venerat autem ex Corintho, ideo descendit ad res per Titum illi expositas.

Quartò igitur materiam consolationis explicat, non solùm aduentu suo, quod sanè aliquid erat, boni enim occursu bonorum per se delectantur, sed hîc aliquid amplius ad rem facit, inquit, *Retulit mihi vestram pro me solicitudinem*, qua re mirificam cœpi consolationem, cupióque vnicè vt in eo proposito maneatis constantes. Rem hanc iterum graphicè amplificat conglobatione coniunctorum amoris, quæ sine copulis effert per asyndeton, vt fieri solet in ardenti oratione. Ἐπιπόθησις ardens est desiderium, nam ἐπὶ propositio αὔξησιν habet significationis. ὀδυρμὸς luctus est cum lachrymis. Potest duplici de causa intelligi hîc luctus. Primò pro causa Pauli lugerent, dum illum passim viderent exponi tot infortuniis. Deinde quia iustam senserant reprehensionem in causa incestuosi illius, quem iussi sunt excludere, id quod fecerunt dolenter & cum lachrymis.

Corinthiorum pro Paulo solicitudo.

Zelus pia æmulatio est pro iusta causa. Sic hoc loco accipi videtur, vel etiam pium studium imitandi alterius virtutes. Sed magis arridet prior significatio, quia causam bonam conati sunt tueri contra eius obtrectatores.

8. *Nam etiamsi tristitia affeci vos per Epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituisset. Vide namque quòd Epistola illa.*

Tertius locus huius capitis, in quo iterum excusat scripti sui asperitatem, de quo egit etiam suprà capite 2. Propositio est, sententiam excommunicationis à se quidem dolenter scriptam, & à Corinthiis exceptam, attamen eos protulisse fructus, vt illius ipsum pœnitere amplius non possit. Partes loci huius tres sunt. Prima habet propositionem, altera confirmationem, tertia conclusionem.

Propositio concessionem habet. *Tristitia vos affeci*, fateor, *non tamen eius me iam pœnitet*, scilicet iam quum fructus illius doloris considero. Deinde confessionē habet, etiamsi prius pœnituerit, hoc est, dum scriberem, dolenter id faciebam. Ita pœnitere pro dolere accipio.

Cur Pau-

II. Confirmatio rationes habet, cur iam de hac sententia dolere amplius non possit.

Prima

Prima est quia ad horam, hoc est, breue tempus tum durauit vester ille dolor, mox compensatus maiori gaudio. sum non amplius pœniteat Corinthios tristitia affecisse.

Altera, quia pœnitentia diuina hinc est effecta, quod ait secundum Deum tristitia estis affecti, hoc est, vtili tristitia & pœnitentia.

Tertia detrimẽto caruit, fuit quidẽ seuera quæ tristitiã incussit, sed tristitia nõ fuit dãnosa.

10. *Nam qui secundum Deum.*

A diuisione priora argumẽta illustrat. Tristitia duplex est, diuina & mundana, vtranque mox definitione explicat. Diuina dicitur, quæ salutem operatur perpetuam, mũdana autem quæ mortem operatur. Priori genere afficiuntur pij, vt Petrus, Dauid, Corinthij in pœnitentia: posteriori afficiuntur impij, vt Iudas, Cain, Saul, & similes. Duplex tristitia.

11. *Ecce enim illud ipsum.*

Quarta ratio ab effectis. Congerit autem diuersa bona quæ hinc fluxerunt, súntq; superioribus subiecta per subdiuisionem, nam connectit ista tristitiæ quæ secundum Deum est. Primùm effecit σπουδὴν, h.e. honesti studium, virtutis & disciplinæ amorem. 2. ἀπολογίαν, h.e. purgationem quòd innocentes sint, quòd non ferant culpam illius criminis. 3. ἀγανάκτησιν, hoc est, odium sceleris. 4. φόβον, timorem pœnarum diuinarum & iræ Dei, quia impunitum diu tulerant. 5. ἐπιπόθησιν, desiderium Pauli & honestæ disciplinæ. 6. ζῆλον æmulationem innocentię, virtutum, vel defendendi Apostolum, & suam de peccatore isto sententiam. 7. ἐκδίκησιν, studium puniendi incestum, seueritatem excludendi illum secundum Apostoli mandatum. 8. In summa se puros in eo negotio esse, h.e. non illis placuisse, non consensisse, sed tulisse, quia de modo puniendi incerti fuerint, donec à Paulo admoniti sunt.

12. *Nam etiamsi scripsi vobis.*

Quinta ratio à consilio suo, quod in scribendo est secutus. Remouet primò falsas scripti causas, qualis esse poterat, quòd in odium peccatoris scripserit, *hoc* inquit, *non feci.* Nõ enim debemus peccatorem odisse, peccatum odisse pium est, peccatorem non perinde.

Altera quòd etiam non scripserit in amorem patris quem filius offenderat, vt Ruben Iacobum polluens lectum eius, sed ne hoc fine scripsi. Vera igitur causa est, *vt manifestum esset studium meum erga vos*, q.d. paternus amor aliter declarari non potuit, & hunc debui nõ solùm vobis sed etiam Deo. Alij contrà vertunt, vt declararetur studium vestrum erga me, scilicet quòd intelligi non posset, quanti me faceretis, nisi aliquid graue iniungerem, id quia præstitistis, liquet vos me magni facere, & mandata mea præferre vestris opinionibus.

13. *Propterea consolationem.*

Sexta ratio quòd sibi etiam prosit, quia singulari consolatione hinc sit affectus, scilicet quia certum illi iam est, Corinthios homines esse frugi & seriò in Christum credere, quæ res magnam consolationem affert doctori.

Septima, quia eadem Tito prosit, cuius Spiritus ab omnibus Corinthiis sit refocillatus. Bonum quò latius diffunditur, eò censetur melius.

Octaua, quia Apostoli sermo per hanc viam est confirmatus, & verus deprehensus. Non sum pudefactus, inquit, in eo quòd priuatim vos laudaui Tito, id re ipsa deprehendit in hac sententia excommunicationis, vt vobis in veritate sum locutus, hoc est, vt verè monui quid vobis in hoc casu esset faciendum: sic deprehensa gloriatio mea apud Titum vera.

Nona, in futurum etiam amor Titi in vos est auctior redditus inde. *Viscera* ponit pro affectu qui in visceribus sedem habet, vt est amor, condolentia, commiseratio: hi, inquit, affectus aucti sunt. Viscera sunt maiora membra pectoris, vt est cor, iecur, pulmo, in his latẽt affectus amoris, commiserationis, secundum scripturam. *Obedientiam* hîc accipio, qua Apostoli sententiam sunt executi in incestuoso homine, quod mirificè Tito placuit. Deinde accedit illa causa, quia illum susceperunt cum timore, hoc est, honorificè, ne quid in Apostolum peccarent, & grauiorem obiurgationem in sese prouocarent. Tertia etiam est causa *tremor*, quem intelligo metum diuini iudicij, ne in se etiam Dei iram & pœnas concitarent. His causis auctus est Titi amor erga eos. Amoris viscera.

16. *Gaudeo igitur quòd in omnibus confidam vobis.*

Conclusio, itaque non possum non lætari de sententia illa, quamuis dolenter illam scripserim, quia in futurum per omnia optimè & confidenter bene spero de fide vestra.

CAPVT VIII.



Ixit hactenus quomodo efficere possint, vt gratiam Dei non frustra videantur suscepisse: deinde quòd sibi mutuum amorem debeant. Tertiò sententiam excommunicationis sinceriter esse ab illis interpretãdam. Nunc quarto loco ad studium eleemosynæ eos cohortatur: qui locus vltimus est in hac quarta Epistolæ parte, ac absoluitur hoc octauo ac nono capitibus. Porrò Argum.

hunc ipsum locum de collecta facienda suprà,id est,ad Cor.16.cap.habuimus,ideò hic argumentorum ordinem demonstrabimus.

Propositio. Πρόθεσις est,Corinthij cœptam eleemosynam exemplo reliquarum Ecclesiarum, aliisque etiam de causis debent diligenter complere.

Partes tres sunt: prior exemplum Macedonicarum Ecclesiarum, quod illustri tractatione expolit. Altera reliqua continet argumenta hortatoria ad collectam, vt quòd cæteris virtutibus omnibus ornati sint,quòd exemplū foret nocens, si negligant exemplum Christi,iudicium suum, quòd illis prosit, quòd facilia petat, quòd æqualitas id postulet. Tertia parte ipsos legatos qui collectam ab illis erant recepturi commendat,ne putent sua authoritate priuatim quicquam eos facere, sed id solùm quod Macedonicæ Ecclesiæ mandarunt, consentiente Apostolo Paulo.Nos ordine videbimus argumenta hortatoria.

1. *Notum facimus autem vobis.*

Exorditur à loco beneuolentiæ,nam fratrum nomine illos solet conuenire.Deinde in re graui eos commonefacit, de his quæ ipsis vtilia futura sunt, hinc mox proponit specialem propositionem primi argumēti ab exemplo ducto. Scopus est,Macedones diuino quodam instinctu,& supra quàm sperari poterat, liberales fuerunt. Hoc studium liberalitatis χάριν θεοῦ vocat,hoc est,donum Dei.Nam reuera Christianæ virtutes, non tam vsu & consuetudine contrahuntur, quàm diuina inspiratione. Sunt igitur ἀγαθὰ θεόσδοτα non naturæ dotes.Proinde inquit à Deo datam Macedonibus, ideo naturales illi affectus non sunt,sed supra naturam,& renatæ naturæ proprij. Alij χάριν ipsam collectam vocant, quod hic minimè quadrat. Sit igitur propositio, supra quàm dici possit, adeòque diuino afflatu liberales fuisse.Sequuntur rationes.

Christianas virtutes potius à diuina inspiratione proficisci quā vsu comparari.

2. *Quia in multa probatione.*

Confirmatio probationis sequitur,prima eius ratio est, quòd in summa afflictione constituti magno cum gaudio contulerunt: ergo diuinus ille motus fuit. Naturales enim virtutes rebus aduersis contrahuntur, & proximam curam sibi deberi decernunt, proximus egomet mihi,indusium pallio propius & similia, hoc illi non fecerunt:sed in periculo constituti cum gaudio contulerunt.Duo hic dicuntur. Primùm *quòd in periculo fuerint extremo,* quod est δοκιμῇ θλίψεως, hoc est, extrema probatio. Magnum erat in afflictione liberalem esse:sed maius est in in bilance afflictionum constitutum, liberalem esse maximum ἐν πολλῇ δοκιμῇ,in multo,hoc est,frequenti examine perdurare. Alterum est quia in tot malis abundauit gaudium in aduersis testimonium est bonæ conscientiæ,& cum gaudio, sua in aduersis pauperibus distribuere.

Egregiū Macedonum encomiū.

Altera ratio est diuini motus,quòd in extrema ipsi positi paupertate,liberales tamē fuerint,αὐξητικῶς vocat,βάθος πτωχίας,quasi ipsam paupertatem,Iro & Codro pauperiores: attamen redundauit in plutum,h.e.in collectam laudabilem.πλοῦτον vocat,quasi dicat, ipsum diuitiarum deum ex paupertate ortum. Atque id simplicitati tribuit,quasi dicat, non anxiè carnali modo circunspexerunt de suis commodis.

Tertia,quia non solùm pro facultatibus,sed etiam supra facultates contulerunt.Sapienti satisfacit dare κατὰ δύναμιν, & eo contentus fuisset Apostolus, sed vt diuinus appareat motus ait,ὑπὲρ δύναμιν contulisse,id non amplius hominis, sed diuini hominis est. Ac vt res fidem habeat,se interponit testem.Μαρτυρῶ cum obtestatione,& loco iuramēti ponitur. Emphatica etiam est dictio αὐθαίρετοι. Actiones,duplices sunt apud Græcos.Aliæ αὐτόματοι,hoc est, quas agimus non certo proposito,sed quę nobis quasi aliud agentibus excidunt,aliæ αὐθαίρετοι,hoc est, certo consilio & præmeditato animo actæ. Ita hic distinguit factum Macedonum à temeritate & inconsultis operibus,quæ pro more & consuetudine potius,quàm firmo consilio suscipimus.Talis in primis debet esse eleemosyna.

Duplices actiones.

Quarta,*quia præuenerunt nostras preces*: rogandi enim erant vt conferrent.Id adeò promptè fecerunt,vt præuenti ab ipsis rogati simus,vt paratam collectam benignè ab eis acciperemus, ita bis dat qui citò dat,& hilarem datorem diligit Deus. Obserua quibus titulis ornetur collecta.Primùm dicitur χάρις quia gratuitò dantur à Deo opes,deinde quia illius œconomi sumus in dispensando,& quia conciliant homines,& gratos efficiunt.Deinde dicitur κοινωνία, quia à pluribus ad plurium vsum colligitur,& in his multi participāt,& quia in Christo,nomine Charitatis omnes pares sumus,diues pauperi participat,& pauper diuiti.

Tertiò, διακονία, ministerium, quia opulenti subseruiunt pauperibus tanquam Christi membris.

Deinde obserua orantium diligentiam: multa comprecatione orarunt nos, hoc est, seriò,vt reciperemus,quasi dicat,nondum rogati à nobis.

Quinta, quia spem nostram vicerunt, non enim bona externa sponte contulerunt ad vsum pauperum: sed seipsos Domino consecrarunt, tradiderunt se Domino, hoc est, ad

omnem

omnem fortunam, constantiam in professione promiserunt, vt potius extrema quæque, adeò mortē ipsam sint passuri, quàm Christum negaturi, & id erat Domino & Paulo se tradere, Domino vt principi maximo, Paulo vt eiusdem legato. Sic Moses scribit de Iudæis, quòd crediderint Domino & Mosi, & Apostoli de se, quòd Sp. sancto & ipsis sic visum sit. Exod 14. 13.

Sexta, Quia insuper iusserunt Titum ad vos remittere, vt ipsorum exemplo vos quoque excitaret, nec illum rogarunt, sed me vt illum excitarem. Hinc triplex est argumentum, cum quia Macedones petunt, tum quia per Apostolum Paulum hoc postulant, deniq; quia ego Apostolus Paulus idem per Titum vobis candidè propono, & à vobis postulo. Perficere gratiam dicitur organica causa, quæ illos excitatura erat ad hilaritatem istam.

7. *Sed vt in omnibus abundatis.*

Hactenus vnum argumentū tractauit, quod ab exemplo duxit, idque illustri forma tractauit, ostendens eos diuino quodam ductu liberales fuisse, ideoque in primis Corinthiis imitandum, nam illi in persecutione, vos extra illam, illi pauperrimi, vos ditissimi, illi supra vires, vos facite saltem pro viribus, illi nos præuenerunt nondum rogati, vos bis iam à me rogati facite, quod illi vltrò præstiterunt, illi seipsos etiam libenter obtulerunt: à vobis saltem paucos numos peto: illi me etiam instigarunt ad sollicitandos vos, ergo sequendum est vobis illorum exemplum. Nunc secunda hac parte reliqua resoluamus argumenta, quæ breuius tractantur. Secundum igitur argumentum sit: Aliis multis virtutibus abundatis, ergo & hæc superioribus addi debet, nam qui multis sunt ornati, facilè vnum addunt, vt perfectiores sint, & id laudabile illi est: contrà turpe si vna aliqua necessaria sint destituti. Primò per enumerationem concedit illis possessionem multarum virtutum: *fidei*: hoc est, professionis Christianæ, *sermonis*, hoc est, eloquentiæ, *cognitionis*, hoc est, prudentiæ ciuilis vel secretioris scripturæ cognitionis, *study*, hoc est, honesti & æqui desiderij, mutui erga Apostolum amoris, quę omnia magnifica sunt & bis vrgent: primùm quia virtutum chorus sine hac non est perfectus, deinde quia Apostoli amori non aliter satisfacient. Quomodo enim declarabunt se Apostolum seriò amare, nisi præstent quod toties petitur.

Tertium argumentum versu 8. qui aliter non possunt bono exemplo aliis præesse, aut etiam aliorum exemplo satisfacere. Argumentum tractat præoccupatione, quòd nullo dominandi studio hoc petat, vt maleuoli calumniabantur, sed propter aliorum studium, hoc est, exemplum, quod vel his debent, vel ab iisdem expectabant, vtrunque enim concludit. Deinde vt germanitas dilectionis probaretur, quasi dicat, aut hypocritæ declarādi estis, aut verè fideles: hoc, imitando liberalitatem Macedonum, illud, nihil conferendo. Vos eligite.

Quartum ab exemplo Christi vtilissimum & sanctissimum argumentum. *Christus diues pro vobis factus est pauper*, ergo ne pudeat vos nomine Christi aliquid pauperibus conferre. Christi diuitias intelligo diuinam maiestatem: qua ornatus semper fuit ante incarnationem, paupertatem, exinanitionem illius, incarnationem, sortem abiectam in hoc mundo, adeò vt vulgò peculis & auibus pauperior sit factus, non habens quò reclinaret caput suum. Hac paupertate vos, inquit, ditati estis, hoc est, homo propter vos est factus, ergo faciamus in illius gratiam aliquid. Christus pro hominibus pauper factus.

Quintum, *quia prodest vobis*. Munit argumentum à suo præiudicio, Ego Paulus sic iudico hoc vobis prodesse, ergo sic est faciendum. Nam in causis dubiis confugimus ad pronuntiata virorum sapientum. Quod prudentiores pronuntiarint, id sequendum est, id in hac causa ego pronuntio, igitur. Et addit rationem cur illis prosit, *quia*, inquit, *prius iam declarastis voluntatem vestram, quòd velitis, & incepistis quoque ex parte negotium*, ergo turpe foret iam deficere in medio cursu.

Sextum à possibili, *peto tantum, vt promptitudinem declaretis* ἐκ τῦ ἔχειν, q.d. nihil impossibile peto, non volo vt ὑπὲρ δύναμιν aliquid præstetis vt Macedones, sed ἐκ τῦ ἔχειν, non totas facultates sed riuulos de fontibus vestris, non etiam vos ipsos, nam opponit illorum tarditati hilaritatem Macedonum.

Septimum, *quia Deus contentus sit modica liberalitate*. Nam εὐπρόσδεκτος refero ad Deum, q. d. Deus non requirit vt vos spolietis, sed placebit ei modica collecta. Primùm requirit animi promptitudinem, deinde pro ratione facultatum eleemosynam. Tertiò non respicit quantum desit, sed quid præsens sit, hinc est factum vt pauperculæ minuta duo maioris fecerit Christus quàm diuitum splendida munera, Luc. 21.

13. *Non enim vt aliis sit relaxatio vobis autem oppreßio.*

Octauū argumentū à modo & forma eleemosynarū. Dixerat Deum non respicere ad id quod non habeamus, sed pro facultatum modulo petere beneficentiam, id iam pleniùs explicat. Possibilia petuntur quæ sine damno vestro dare potestis, ergo sitis faciles. Ἄνεσις remissio est, refectio, subleuatio paupertatis. Id videri poterat semper necessarium, vt scilicet pauperes subleuaremus: sed Apostolus vt propriores faciat addit conditionem, siquidē vo-

bis, inquit, non sit θλῖψις. Itaque modus hic primò seruandus est, vt danti non sit θλῖψις, h.e. ne exhauriantur eius facultates. Cùm enim dare debeat, curandum est, vt habeant vnde det, de suo non de alieno. Itaque fontem non debet exhaurire, vt est Prouerb 5. Cauendum autem ne θλῖψις sit affectata, hoc est, ne conqueramur, vbi conqueri non oportebat. Altera conditio est vt fiat secundum æqualitatem, hoc est respectu facultatum. Ἰσότης dicitur æqualitas vel numeris vel rebus. Habet autem vtraque proportionem in se ad obiectum suum. Si ad numeros referas, æqualitas dicitur proportio arithmetica, in qua habetur ratio precij & rerum saltem, vt vnus soluat quantum alter. Sic pistor panem vendit pauperi eodem precio quo consuli, & ad sumptus belli in Republic. ego tantùm confero quantum consul. Æqualitas est, quia æqualiter singuli conseruet ipsi inæquales.

Dandum esse de suo non de alieno.

Altera est geometrica ἰσότης, secundum quam personarum & dignitatis, facultatum habetur ratio, vt in conferendis præmiis, consuli plus confertur quàm mihi, quia plus laborauit. Ciceroni maiores decernuntur honores, quàm aliis equitibus, quia sapientior & eloquentior est. Hûc modum Apostolus vult seruari in collecta, hoc est, vt qui multum habeat multum conferat, qui minùs habet minùs det, vt singuli decerpāt id quo commodè possunt carere, quod vocat περίσσευμα, abundantiam.

Tertiò accedit & illa facilitatis ratio, quia in hoc seculo tantùm durat hæc cura, quasi dicat, breui finiendam esse hāc paupertatem, vbi ad veram gloriæ & αὐταρκείας ἰσότητα peruenìemus in vita æterna. Attamen est καιρὸς non χρόνος, significans in hac virtute quoque esse certa momenta rectè agendi, quasi dicat, vobis proderit benefecisse olim, alios pœnitebit has occasiones benefaciendi neglexisse, de quo loquitur Christus Luc 16. iubēs facere amicos de iniusto mammona vt recipiant vos suo tempore in æterna tabernacula, significans beneficos in pauperes habere spem remunerationis in cœlis, qua destituuntur illiberales.

14. *Vt & illorum abundantia.*

Nonum argumentum à spe compensationis. Illi vicissim poterunt vobis prodesse in casu simili, ergo sitis in eos liberales. Ac potest quidem ἰσότης hìc accipi pro compensatione, vt fiat æqualitas, hoc est, vt tantundem aliquando recipiatis. Sed placet mihi alter sensus, quòd teneantur dare, quia paria aut certè maiora iam ab eis acceperint. Dominus enim iubet dare sine spe remunerationis. Explicetur igitur locus hic per illum, qui est ad Rom. 15. vers. 27. Placuit enim, imò debitores sunt, si enim spiritualia ipsorum participarunt gentes, debent etiam in carnalibus illis ministrare. Eodem sensu ministris asseruit deberi victum ex Euangelio, suprà 1. Cor. 9. vers. 11. Si vobis spiritualia seminauimus, magnum sit si carnalia metamus? Itaque hìc sensus est, dare vt accipiatis, datis carnalia, recipietis spiritualia in hac vita, veritatis cognitionem, Christi amorem.

Luc. 6. 34

15. *Vt scriptum est.*

Laudat æqualitatem in rebus humanis testimonio scripturæ. Locum vide Exod. 16. cap. 18. in mannæ collectione, qui auidè colligebat, non plus tamen auferebat, quàm alter qui remissius collegerat, significās subesse diuinam benedictionem laboribus iustis etiam modicis. Docet autem Deo placere moderatas opes, ideo danda est opera ne nimium abundemus, decerpendúmque semper aliquid ad vsum pauperum, vt æqualitati simus viciniores, minúsque nos aggrauemus odio.

16. *Gratia autem sit Deo.*

Tertia pars capitis de his quibus collecta fuit cōmittenda. Locus totus ad commendationem facit personarum: primum vt purgati essent apud Corinth. deinde vt fides illis haberetur, denique, vt eò plus apud Corinth. pro pauperibus obtinerent. Tres autem sunt partes, primùm de Tito, deinde collega. Tertiò de altero collega agit, quibus subiicitur generalis cōclusio. De Tito ait, *Deum dedisse studium hoc in cor illius.* h.e. motū esse diuinū, significās in inferioribus quoq; officiis dona Dei elucere, nec esse vllum pium cōsilium nisi à Domino.

Deinde accedit adhortatio, scilicet Macedonum sup. cap. 6 & Apostoli Pauli qui illorum nomine eum excitauit, hāc exhortationem grato animo admisit. Admonemur Deum quidem authorem esse salubrium consiliorum, sed agere per sua organa, vt hìc per Macedones qui agunt per Paulum, is demum Titum stimulat ad officium. Tertiò correctionis formam subiicit, imò sua sponte profectum esse, q.d. id facturus etiam non rogatus, σπουδαιότερος refero ad officium, in quo singuli diligentiam debent declarare: αὐθαίρετος ad animi promptitudinem, ac si dicat, nihil erat monitore opus, totum illi debetur.

18. *Simul autem misimus.*

De altera persona agit, quem iudicant Barnabam esse. Commendat eum primùm fratris nomine. Deinde à publica laude, quam habet per omnes Ecclesias. Tertiò quia ad hoc delectus sit publicè, hoc est, ab Ecclesiis, habens authoritatem & mandatum colligendi. Quartò quia suus sit collega in peregrinationibus Act. 13. de Barnaba hoc habetur, quòd cū Paulo depo-

lo deposcitur à Spiritu sancto ad opus. Quintò ab officio scilicet quòd cum docendi munere etiam hoc habeat in mandatis, vt memor esset pauperum, Gal.2.cap.10.

20. *Vitantes hoc.*

Reddit rationem cur collegas plures coniungat, vitandi scilicet offendiculi causa, quod ob vnius missionem posset oriri per momos. Obs. boni viri vbique causam scandali vitare debent præsertim in ministerio, & collectis pauperum. Deinde notoriam oportere esse famam integritatis boni viri, non solùm coram Domino, cui semper constat virtus nostra, sed etiam coram hominibus, idem habes Rom.12.vers.17. Causas scandali vitandas.

22. *Misimus autem simul.*

De tertia persona scribit, quam etiam nomine fratris commendat: deinde probatus per multa sit experimenta. Tertiò à studio, quo erga Corinthios ducitur. Plures personæ minus fallere & falli minus poterant, maior etiam securitas in via.

23. *Siue pro Tito.*

Conclusio est commendationis. Titus meus est collega, & vester cooperator, ergo spernendus non est vobis. Reliqui duo sunt legati Macedoniarum Ecclesiarum & gloria Christi, igitur & hi vobis amplectendi sunt.

24. *Itaque demonstrationem.*

Conclusio loci de collecta, redigens argumenta ad tria principalia capita, quibus in primis poterant Corinthij vrgeri. Primùm declaratis multã dilectionem, hanc confirmate liberalitate vestra, an vera sit fraterna dilectio, an verò hypocrisis. Alterum, multa de vobis passim prædicaui bona, ergo facite ne mẽdax deprehendar & vanus. Tertium, nõ erit clàm donum vestrum, sed omnibus Ecclesiis notorium, igitur date operam ne risui exponamini.

CAPVT IX.



Ocum de collectis hoc capite absoluit. Redit autem ad exhortationes, mox causas profert cur legatos in hoc negotio ad eos miserit, hinc iterum hortatur, totus in eo vt eos quàm paratissimos & promptissimos reddat ad conferendas eleemosynas, tandem locum totum δοξολογίᾳ concludit. Argum.

Propositio eadem manet quæ priori capite est monstrata, saltem nouo ordine hic tractatur. Initiò proponit per præteritionem, non moniturus grauissimè monet. Mox rationem subiicit cur admonitione nõ opus habeant. Vna ratio est, quæ cohærentes plures habet hortatorias, hinc excusat se quòd legatos interim ad eos miserit, cùm ne eo opus fuisse, possit videri. Postea non obscurè hortatur variis rationibus. Denique epiphonemate, vt dixi, concludit.

1. *De subministratione enim.*

Propositio est repetita, sed infirmata per præteritionem, quod schema locum habet apud amatos & eos quib. ex animo bene cupimus, quos sua sponte duci magis, quàm cogere vellemus. Obseruanda igitur hîc modestia Apostoli, & ciuilis candor, quo se in omnem formam vertit vt obtineat quod vult. Διακονία hoc loco est ipsa collecta, qua inseruiunt diuites pauperibus. Hanc commendat, quia in sanctos confertur, quos natura diligere debemus. *Abundans est mihi scribere.* Primùm quia optima quæq; à vobis vltro expecto non monitis. Deinde quia iam sæpius scripsi, vt priori octauo capite, & 1. Cor.16. quasi dicat, sæpe iam monui, vt amplius non sit opus, aut certè frustra id sim facturus, prior tamen sententia magis conuenit sequenti confirmationi. Apostolicę modestiæ exemplum.

2. *Noui enim promptitudinem.*

Propositionis est confirmatio, cur non estis mihi monendi? Ratio est quia vltro estis facturi, currenti equo non est necessum addere calcaria. Laudabile est ad honesta sponte duci, interim sollicitudinis paternæ est, omnia eò conferre vt voluntas illa non languescat. Prius est auditorum, posterius ministrorum.

Deinde admiscet προτρεπτικά, *quia glorior de vobis multum*, ergo danda vobis opera, vt verus deprehendar. Deinde quia apud Macedones hoc facio, hoc est, Ecclesias fideles, quę studio vestro excitatur, ergo turpe sit languescere. Tertio, de quo gloriaris? *Quòd scil. ab anno superiori parati sitis*, h.e. promisistis, & voluntatem iampridem declarastis, ergo complenda.

Quartò, honestum exemplum alios excitauit, scilicet Macedonicas Ecclesias, & alias, turpe igitur sit pedem retrahere, cùm aliis tantopere placuerit institutum vestrum.

3. *Misi autem fratres &c.*

Obiectioni respondet, dicerent enim, Cur ergo toties scribis, & legatos mittis ad nos excitandos, si cõfidis nos sponte omnia rectè facturos? Respondet ne mẽdax gloriator deprehẽdar, omnibus soleo vos laudare, & in exẽplum proponere, itaq; huius vos admonere vo-

lui,vt essetis paratiores.Sic non tam propter Corinthios quàm propter seipsum videbuntur hi legati missi.Altera est ratio,quæ ad Corinthios spectat,vt essetis parati. Nam prompti alioquin monendi erant de tempore,modo,loco,aliisque circunstantiis.

4. *Ne quomodo Macedones,&c.*

Est prioris responsionis plenior explicatio. Ostendit enim quomodo & coram quibus, item in quo sibi metuenda sit confusio.Macedones,inquit,mecum venient,quibus vos laudaui:ergo propter hos paratiores sitis. Deinde mea commendatio illis vana videretur vobis imparatis. Addit tamen correctionem, qua docet dedecus fore commune. Ne dicam vos,hoc est,vestra erit etiam turpitudo, non mea tantùm, cauete ergo ne sitis in eo negligentes.Obserua Apostolos habuisse passim ab Ecclesiis, comitatum honestorum virorum. Ita hîc Apostolus de Macedonibus idem prædicat:fortè non tam officij causa, quàm collectæ gratia addebantur, vt in Iudæam simul perferrent. ὑπόστασις, fiducia est hoc loco, vt ad Heb. 13. in definitione fidei, aliás theologis significat personam, vt cùm dicunt vnam esse οὐσίαν,tres autem hypostases,hoc est,personas.Sonat autem vox per se subsistentiam,ac dici potest de omnibus creatis,vt homo est ὑπόστασις,anima etiam,nubes,aqua,&c.ac opponitur ἐμφάσει,hoc est,apparentiæ,quæ per se non subsistit,vt aquæ hypostasis est, sed imago in aqua relucens solum est ἔμφασις,apparentia nuda.

5. *Itaque necessarium putaui.*

Illatio responsionis post explicatam sententiam,ergo necessum fuit mittere legatos,scil. præmissis de causis.Addit nouas rationes.Primùm vt aduentum meum præuenirent, deinde vt absoluerent collectam cœptam.

Obserua hîc εὐλογίαν dici eleemosynas,quia benedictionis diuinæ sunt argumentum,benedicit enim Deus beneficis.Deinde quia à pauperibus quoque eis benedicitur.Tertiò nostræ εὐλογίας,hoc est, gratiarum actionis est symbolum. Grati enim Deo de facultatibus nostris soluimus decimas pauperibus.

Hinc ingreditur locum de forma eleemosynarum,docens quid in his sit cauendum.Debet re & nomine esse εὐλογία.Ideo,inquit,abesse debet πλεονεξία,hoc est,tenacitas,qua mallemus nobis semper dari,aut rependi plura.Turpis autem est illa tenacitas, ergo fugienda.

Liberalitas sementi confertur.

Deinde spe compensationis tamen eos erigit.Inest autem collatio ac similitudo.Nam sementi confert liberalitatem,in quo profusio aliquo modo prodest, contrà qui parcè serit, parcè etiam metet,ergo liberaliter dandum est,vt liberaliter recipias. Tertiò adest etiam spes gaudij. Non solùm fructus sed lætitia est magni facienda , hoc est, qui læto animo dat læto etiam recipiet.Illud est quod dicit qui cum benedictione serit,cum benedictione quoque metet.

7. *Quisquis,&c.*

Hilariter conferendas eleemosynas.

Reuocat se ad illorum libertatem,ne videatur illos vrgere nimium,ac permittit vt vtantur hîc volūtatis iudicio,sed præmonet quid illic his cauendum sit.λύπη,tristitia & ἀνάγκη, necessitas,hoc est,nec inuiti dent,& ne extortum videatur beneficium. Summa,hilari animo:hilarem datorem diligit Deus. Simile dictu habet Ecclesiasticus cap. 35. In omni dono exhilara vultum tuum, & in lætitia sanctifica decimas.

Quartò,à Dei compensatione, quasi dicat,nihil deerit vobis, χάρις redundabit in vos, Deo sic volente,h.e.beneficium vobis proderit : sed id quomodo ? vt habeatis omnem αὐτάρκειαν hoc est,sufficientiam, vt nihil desit vobis,vel in ipsis rebus ad vsum necessariis, vel in animis vestris,vt modicis facultatibus sitis contenti perinde ac in amplissimis. Hanc αὐτάρκειαν mirifice hîc commēdat ἐν παντὶ,πάντοτε, πᾶσαν,ac si dicas,omni tēpore omnibus in rebus tam externis quàm internis,eámque totam & integram. Quæ posset esse perfectior sufficientia,quàm talis? Ac reuera sanctis illa exhibetur. Vide locum de αὐταρκείᾳ. Finis illius diuinæ benedictionis est, vt deinceps operibus bonis abundemus, hoc est, ornemus professionem nostram bonis moribus.

9. *Vt scriptum est,&c.*

Laudat liberalitatem testimonio scripturæ. Vide Psal.112. Admonet autem locus iste nos, beneficentiæ studium immortalem post se relinquere gloriam. Iustitia eius , hoc est, fama iustitiæ,& præmium iustitiæ manet apud Deum æternum,quia non peribit illius memoria apud Dominum.

10. *Qui autem dat,&c.*

Obiectioni occurrit,dicent enim vnde nobis tot,vt semper demus? Respondet, is qui agricolæ dat sementē, & panem, is idē vobis dabit vt non egeatis. Consolatoria igitur est sententia:qua admonet omnia à Deo dari,nō solùm frumenta,sed ipsum panem inde confectum. Id expendunt pij coloni. Alij per comprecationem hæc accipiunt , vt sit sententia optantis hunc statū felicitatis,vt nunquam egeant. Σπόρον eleganti metaphora vocat collectam,

Elegans metaphora.

lectam, quia rationem habet dispensationis. Videtur enim totum periisse quod expenditur, vt sit in dispersione. Hinc efficiuntur boni fructus qui collectam sequuntur, qui dicuntur γεννήματα, quasi dicat, germina, qualia sunt laus, gratiarum actio, benedictio, bona fama. Iustitia autem est causa collectarum, vnde idem nomen iis tribuitur, & est pars iustitiæ, quæ requirit vt de facultatibus nostris portionem demus pauperibus.

11. *In omni ditati &c.*

Cohæret superiori comprecationi hæc etiam sententia. Habet autem adiunctum nouum argumentum. Faciet studium hoc ad laudem nominis diuini: ergo liberales sitis. Idem sequenti versu clariùs proponit.

12. *Quia subministratio, &c.*

Explicat argumentum præcedens, quomodo scilicet faciat ad gloriam Dei. Amplificatione quadam geminam indicat vtilitatem. Prior est quia egestas pauperum suppletur hoc modo, deinde Deo redduntur per multos, gratiæ. Dicitur hîc iterum διακονία eleemosyna. Deinde λειτουργία quo admonet esse quoddam sacrificij genus, quo Deus imprimis delectatur, de quo vide etiam ad Hebr. 13. Magna est laus eleemosynarum.

13. *Per probationem, &c.*

Formam laudis indicat, quomodo scilicet homines moueantur ad laudes diuini nominis ex illo studio. Primùm probatur illorum ministerium, hoc est, benefaciendi studium: per hoc reliqui glorificant Deum, quia testimonium est verè vos credidisse Euangelio, quod non aliundè rectiùs potest colligi, quàm ex charitatis exercitio. Hinc & vos amare incipiunt, & desiderare, vt pro vobis Deum rogent.

15. *Gratia autem Deo, &c.*

Conclusio per δοξολογίαν, qua omnia ad Deum refert, tum opes, tum animum benefaciendi studio inflammatum, tum preces & gratitudinis studium in pauperibus.

CAPVT X.



QVINTA pars Epistolæ hîc initium habet, nam intermissa Corinthiorum persona, se iterũ purgat à certis calumniis, docétque quanto possit iure superior esse suis aduersariis, quia nulla ratione donorũ, laborum, reuelationúmque suarum magnitudinem attingere possunt. Ad hanc partem spectant tria illa capita, decimum, vndecimum, & duodecimum partim. Ac præsens caput præcipuè respondet duabus calumniis, scilicet quòd non carnaliter viuat: deinde quòd non alius sit scribendo Apostolus, quàm coràm loquendo & efficiendo esse possit. Argum.

Propositio generalis est: Corinthiis ita viuendum & sentiendum de Apostolo Paulo, ne sit opus illius asperitatem & dignam seueritatem coràm experiri.

Partes istæ sunt: Exordium duxit ab obtestatione, quam δεήσει munit. Deinde mox proponit in genere sic illis viuendũ, ne sit opus experiri Apostolicã seueritatẽ, & in specie proponit, falsam esse calumniam dicentium se carnaliter viuere. Tertiò hoc ipsum confirmat, quòd non carnaliter viuat. Quartò proponit alteram calumniam de personæ humilitate, quæ scriptis suis minimè respondeat, cui annectit tacitam collationem operum suorum cum aduersariorum vana iactantia. Denique correctione concludit, admonens aduersarios etiam modestiæ, in Domino Iesu esse gloriandum, ac non satis esse sibi videri idoneum ad ministerium doctrinæ, sed opus esse Dei approbatione.

1. *Ipse verò ego Paulus, &c.*

Obtestatio qua conatur in officio retinere suos Corinthios. Ac primùm à sua persona eos vrget: *Ipse ego Paulus*, quasi dicat, aduersarij mei me deprimunt, sed non pudet me nominis mei, vt vt illi hoc rideant. Deinde à persona Christi, qui primùm dedit exemplum nobis, mansuetudinis, Matt. 11. Discite à me, quia sum mansuetus & humilis. Est autem πραότης, virtus quæ moderatur iram, & iudicium præceps: Ergo vos Corinthij exemplo Christi non debetis de me sinistrè iudicare. Præterea Christi æquitas idem postulat, vt in meliores inclinetis sententias. Ἐπιείκεια moderatio est summi & stricti iuris probabili aliqua ratione. Fecit hoc Christus, ergo vobis est imitandum. Non iratus est quibus meritò poterat, vt dixit Oseas 11. Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus sum, & non homo, in medio tui sanctus. Mansuetudinis definitio.

2. *Rogo autem hoc.*

Secundo loco iam proponit: initiò autem mitigat obtestationẽ, suaui & humili obsecratione. Nã verbũ παρακαλῶ reddit verbo δέομαι. Propositio est generalis, sic vobis viuendũ, ne opus sit vobis experiri seueritatẽ meã. πεποίθησις est certa persuasio, de potestate miraculosa, si expediat, vt quòd potest aduersarios tradere Satanæ, excæcare, aliísque pœnis refrænare, id illis hîc cõminatur etiã. Deinde specialiter aduersus calumniatores illã potestatẽ dirigit,

qui dicebāt illum carnaliter viuere. Statuatur hîc specialis propositio: carnaliter non viuo.

3. *In carne enim ambulantes.*

In carne ambulare quid sit.

Confirmatio quòd carnaliter non viuat. Ac primum hoc probat à differētibus per concessionem. Aliud enim est in carne, aliud secundum carnem ambulare. Prius concedit, posterius confutat. In carne ambulant omnes, qui in carne viuunt. Ita sanctissimi quique fatētur se in carne ambulare dum hîc viuunt, h.e. infirmitate aliqua laborare, quàm hic Apostolus quoq; fatetur. Secundum carnem autem ambulare, est deditum esse affectibus carnis, opera illius præstare & ardenter perficere. Rom. 8. dicitur secundum carnem viuere: Si secundum carnem vixeritis moriemini. Apostolus hîc vocat militare secundum carnem, vt exprimat desiderium hominum, quod habent ad peccandum. Deinde simul ostendit damna hîc varia promanare, miles enim vastat omnia & voluntatem ac gloriam inde quærit.

4. *Nam arma militiæ nostræ.*

Expositio.

Ἔκθεσις est militiæ suæ, Ac vt ostendat eam non esse carnalem, ostendit armis se non vti carnalibus, ideo nec talis potest esse militia. Manet autē in metaphora militari, quam exorsus est verbo militandi, huic arma sunt omne telum, quo nos defendimus, & vim propulsamus. Commendantur hæc arma à causa efficiente, hoc est, ab authore Deo qui illa fecit δυνατά, h.e. efficacia. Deinde à fine, quia faciunt ad euersionem munitionum, quæ quales sint, mox declarabit. Vox militaris est. Cōsideres hîc quale sit officium ministrorū, tale scil. quale est boni militis, qui non solùm arma habet ad corporis sui defensionem, sed quibus aduersarij munitiones euertit. Tale quiddā Ieremiæ mandatur cap. 1. Ecce ego constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas & extirpes, perdas & euertas, ædifices & plantes, &c. His confer arma Ecclesiæ Christi, quæ expressa sunt versibus. Arma gregis Domini, verbum, lachrymæque precésque. Conscia nil sibi mens, dura parata pati.

Ministrorum officium.

5. *Ratiocinationes euertentes.*

Sequitur enumeratio munitionum carnis, quas Apostolus suis armis euertit. Sunt λογισμοὶ, h.e. subtiles speculationes carnis, quibus carnis sapientia vtitur in defensionē sui. Deinde ὕψωμα, h.e. quicquid gloriosum est in mundo, quod cuiq; singulariter volupe & speciosum videtur, vt superbus in vestitu exultas, auarus in copia pecuniæ, ambitiosus in honoribus, libidinosus in veneris operibus. Videtur mathematicorū vox, qui ὑψώματα vocāt exaltationes planetarum, h.e. ea signa quibus dominantur, & singulariter suos effectus declarant. Contrà vocāt ταπεινώματα opposita signa in quibus debiles sunt, & nihil operari possunt. Sic Apostolus iubet ὑψώματα conuerti in ταπεινώματα, h.e. supercilium carnis in humilitatē verè Christianorum. 3. Νόημα, cogitatio. Sunt νοήματα varia consilia & deliberationes humanæ mentis, quibus res suas fulcit contra iam Dei totum captiuandum est, h.e. infirmum agnoscendum, & de suis viribus prorsus desperandū, vt solent captiui amissa victoria.

6. *Punire omnem inobedientiam.*

Hoc ad omnia superiora refertur. Inobedientia enim genus est malorum operum, quæ cum lege Dei pugnant, & cum doctrina Euangelij.

7. *Quæ ob oculos sunt videtis.*

Alia ratio est à pari. Quemadmodum aduersarij mei volunt Christi discipuli videri, non obstantibus personæ conditionibus, vt quòd Iudæi sint Mosis sectatores, vel Ethnici, & olim idololatriæ: ita de me igitur iudicent, & me Christi esse ministrum, non obstante personæ meæ vilitate.

8. *Nam si amplius quiddam glorier.*

Aliud argumentum à potentia sua, quam diuinitus habet ad docendum Euangelium. Modestè autem præteritione vtitur, nō gloriabor vt possem. Deinde indicat finem potentiæ suæ, qui est οἰκοδομή. Obseruandum id, omnia nostra ad ædificationem debere facere, quam Apostolus etiam quærit in sui defensionem, & quia gloriando obtineri non potest, ideo in eo parcior est.

9. *Ne videar.*

Transit ad alterum membrum defensionis, scilicet quòd non sibi sit dissimilis in scribendo & præsentia corporali, non alius absens, alius præsens.

Connectit autem ea superioribus per ætiologiam, reddit rationem, cur nolit copiosior esse in propriis laudibus, nec scilicet vos perterrefaciam. Hoc crimen erat quod illi impingebant hostes sui. Statuatur hîc propositio, Paulus terribilis est scriptor dum est absens.

10. *Nam Epistolæ.*

Pauli aduersariorum sermones.

Confirmatio propositionis à sententia aduersariorum, habet enim mimesin, qua exprimit hostium sermones. Illi sic de Apostolo loquebantur. A contrariis constat ratio, Epistolæ graues sunt, βαρεῖαι, pondere sentiarum & obiurgationibus, comminationibus, &c. ἰσχυραὶ autem rationibus & argumentis, validè cōcludunt, quasi dicat, bonus est disputator

&i

& insignis censor morum. Præsentia autem corporis est infirma, & sermo contemptibilis, hoc est, nihil tale præstat coràm, quale absens sonat. Ἀσθενὴς dicitur, quia parum visus est illis miraculis valere, parum etiam rigidus præsens, parua etiam corporis erat statuta: λόγος autem ἐξουθενημένος, hoc est, non neruosa, languens oratio.

11. *Hoc cogitet talis.*

Confutatio sequitur positæ propositionis. Habetur hîc ἀντιπρότασις. Qualis sum scribendo absens, talis esse possum præsens.

12. *Non enim audemus.*

Remouet crimen ambitionis, nolle scilicet aliorum more gloriari inaniter. Vide hîc quid aduersariis obiiciat. Primùm quòd se ipsos cõmendent, quod sup. cap. 3. iisdem grauiter obiecit. Deinde quòd sibi mirificè placeant, quod dixit se ipsos sibi metiri, id quod valde absurdum est. Tertiò quòd se ipsos sibi comparent, & id puerile est. Oportet enim duo esse in comparatione, sed affert rationem, cæcitatem mentis, quia impediti hoc non aduertunt.

13. *At nos non gloriabimur.*

Dixit quales sint aduersarij, nunc de suo loquitur candore. Vtitur autem continua metaphora saltantium, apud quos propriè dicitur κανὼν spacium quod saltando conficitur à limine ad terminum. Limen dicunt metam, hoc est, vnde fit initium saltandi, Græcis βατὴρ, vbi finitur saltus, dicitur terminus, Græci ἐσκαμμένα, hoc est, scrobem vocarunt. Intermedium spacium dicitur Canon & μέτρον. Inquit igitur Apostolus, saltu meo me metior, is est, quousque ad vos saltaui docendo Euangelium.

14. *Non enim quasi non.*

Explicat quis sit Canon suus, scilicet felix successus in docendo Euangelio, ídque sine arrogantia verè se posse de se prædicare.

15. *Non gloriamur immodicè.*

Repetitio, cui addit spem prorogandi saltum suum, ad eas regiones etiam, quæ sunt vltra Corinthios, neque alienis laboribus gloriaturum esse: sed suo Canone, hoc est, saltu contentum esse. Obliquè aduersarios inuitat ad simile factum, quemadmodum bonus athleta ad sui salutis imitationem.

16. *Cæterùm qui gloriatur.*

Epilogus quo modestè reuocat sese ad veram laudem, quæ in Domino est, idémq; aduersariis faciendum ostendit. In Domino gloriari est, omnia ad illius gloriam referre. Locus est petitus ex Ieremiæ 9. de quo diximus sup. 1. Cor. 1. ad finem. Rationem reddit quòd vera laus non à nobis pendeat, sed à Deo. Sic ministerij ratio se habet. Non qui sibi bonus videtur minister & Apostolus, is statim talis est, sed qui à Deo ad id deligitur. Locus docet ordinariam vocationem esse aspiciendam, quod sui aduersarij non diligenter obseruabant. In Dominо gloriandum

CAPVT XI.

PErgit ad alias calumnias diluendas. Nominatim respondet ad sermonis ruditatem, & ad personæ humilitatem, item quòd gratis docuit Euangelium. Interim aduersarios suis coloribus egregiè depingit, & de suis periculis grauiter differit, adeò vt non solùm suis aduersariis superior esse possit, sed veris etiam & summis Apostolis par iure haberi possit. Argum.

Partes ita cohærent: initio quasi nouo exordio rem iterum suscipit, proponítq; se humaniter à Corinthiis esse audiendum, deinceps huius rei certas affert rationes vt patebit in ἀναλύσει. Deinde respondet ad illa tria conuitia, ruditatem scilicet sermonis, humilitatem personæ, & quòd gratis docuit Euangelium.

Tertiò digreditur ad describendos aduersarios.

Quartò collationem sui cum aduersariis facturus, præfatur iterum suo more. Hîc paria quædam vtrisque commemorat, mox propria quædam suæ personæ, in quibus se meritò aduersariis suis præfert, modestiæ tamen Christianæ passim memor existit.

1. *Vtinam tollerassetis me.*

Exordium ad beneuolentiam accommodat. Propositio est, Corinthiis opera danda est, vt in Apostoli causa sese præbeant beneuolos, cúmq; si non prius, attamen nunc in sui defensione humaniter audiant. Partes duas complectitur, quid hactenus non pręstiterint, deinde quid iam ab illis speret. Non præstiterunt hactenus, non tulerũt illius insipientiam, hoc est, recta docentem non audierũt constanter. Insipientiam suam vocat, more aduersariorum doctrinã suam, quã illi nomine insipientiæ traducebãt. Inquit igitur, vos sic vocatis meam doctrinam, vtinã hanc insipientiam tollerassetis. Non ergo tollerarũt, hoc est, nõ constanter illam retinuerunt, sed passi sunt se corrumpi ab adulatoribus, Apostoli hostibus. Alio- Insipientiam suã vocat ex aduersariorum sensu.

quid votum Apostoli totum hoc loco esset ociosum. Deinde petit vt deinceps benigne illum audiant, quod est tollerare ipsum, hoc est, in defensione sua benignas præbere aures.

Obseruanda est Apostoli facilitas, qui apud auditores in causa honesta ambit illorum beneuolentiam, non tamen sine sale, vt quos tacitè carpat inconstantiæ nomine. Deinde auditores hîc discant, quid piis doctoribus hîc debeant.

2. *Zelo enim vos Dei zelo.*

Confirmatio est propositionis, Cur enim humaniter audiendus est? Ratio adfertur, ab amore Apostoli erga Corinthios, pio & sancto amore vos depereo, igitur me debetis benignè audire. Zelum vocat ardentem amorem, quo deperibat illos sanctè. Zelum Dei vocat sanctum, vt cum ratione coniunctum amorem, non qualem Iudæis tribuit ad Rom. 10.

Altera ratio est ab effectis, *quia iam vos Christo copulaui*, h.e. mea opera conuersi estis, debetis igitur me benignè audire. *Copulaui vos*: More pronuborum loquitur, qui sponsis suas adducunt, & conciliant sponsas. Christus vir dicitur. h.e. sponsus, Ecclesia casta virgo, quia non debet colludere cum aliis amatoribus, cum idolis, quò facit etiam verbum ἁρμόζειν. Non enim congruit Christo sponsa quæ colludit cum aliis.

3. *Metuo autem.*

Tertia ratio à sancto ipsius timore pro Corinthiis. Constat argumentum comparatione: vt serpens decepit Euam, sic vos deceperunt falsi doctores. Serpens πανοῦργος est. h.e. versutus, vt constat ex colloquio cum Eua, Gen. 3. Contrà Euæ tribuitur simplicitas & ruditas. Eadem conueniunt præsenti causæ. Corinthij *simplices* erant in Christo: contrà aduersarij astuti. Non ergo frustra est, quod metuit de ipsis Apostolus.

4. *Si enim qui venit, alium Iesum.*

Quartum argumētum à doctrinæ suæ constantia. Aduersarij mei nihil vos docent, quod non à me acceperitis, non alium docent, non aliud Euangelium, non alia conferunt dona Spiritus sancti, ergo non sum prę illis à vobis contemnendus. Similis est loquendi forma ad Gal. 1. vers. 8. In eo tantùm differunt, quòd hîc similitudinem doctrinæ vrget: ad Galatas verò dissimilitudine arguit falsos doctores, & anathemati eos subiicit.

1. *Puto enim me non inferiorem.*

Quinta ratio. Non solum aduersariis meis sum superior, sed summis etiam Apostolis par haberi possum, ergo humaniter à vobis audiendus. Similia habes cap. 2. ad Galat. Porrò obseruandum hîc, illa dici non in contemptum verorum Apostolorum, sed ad confundendos aduersarios, homines improbos.

6. *Si autem rudis sermone.*

Hactenus præfatus, iam incipit respondere calumniis. Est hæc secunda pars capitis. Ruditatem sermonis compensat, meliore dono. Habet enim confessionem initiò, sermone quidem sum rudis fateor, sed non cognitione. Duplex igitur est ruditas, vna sermonis, altera rerum. Priori opponitur eloquentia, posteriori cognitio. Nunc si diuelli debeant, facilè est videre præstantiorem esse peritiam & cognitionem rerum, nam sine hac, stulta potius est garrulitas, non eloquentia, sed loquentia. Id probat Corinthiorum testimonio, qui nouerant quanta veritatis cognitione apud ipsos Apostolus Paulus declaratus sit.

Ruditas. duplex.

7. *Num peccatum admisi.*

Secundò respondet ad humilitatem suæ personæ. Concessionem & hoc crimen habet. Humiliaui me apud vos, fateor, sed quid tum, nihil in facto est peccati, ratio, quia humilitas mea quæsiuit vestram exaltationem. Obserua boni doctoris affectum erga auditores: deprimit se, vt illos subleuet, hoc est, in Domino magnos efficiat.

Quod gratis Euangelium Dei. Tertiò respondet ad id, quòd gratis docuit. Iterum concedit factum, Docui vos gratuitò Euangelium, cuius vos magis debebat pudere, cùm alij me aluerint, vt vos sine dispendio vestro docerem. Obserua morem Apostoli, non secus est ius suum, sed libenter cessit de suo iure vt omnes lucrifaceret.

.8 *Alias Ecclesias deprædatus sum.*

Occurrit necessariæ quæstioni. Non aluimus te nostrum ministrum, quis ergo te aluit? quis dedit necessaria? Respondet, *alias Ecclesias deprædatus sum*, quasi dicat, hoc potius mihi vertendum fuerat vitio, quàm quòd vos docui gratis, in quo vestra apparet ingratitudo, aut saltem rusticitas: ὀψώνιον, militare est vocabulum, de quo suprà dixi. Significat autem stipendium militare, quod olim frumento, pane similibúsq; soluebatur cibariis. Non obtorpui. Ναρκᾶν obtorpescere, à νάρκη, quæ est torpedo, & Narcæ ferula, stupor neruorum est hebetudo. Vult igitur dicere, se nulla fortuna, nec aduersa, nec secunda negligentiorem esse factum, quod boni est ministri. Alios enim pericula ab officio reuocant, alios optima stipendia remissiores reddunt, neutrum Apostolus fecit, sed officij tenorem secutus est, siue aleretur ab Ecclesiis quas docebat, siue non aleretur.

Pauli exemplū ministris imitandum.

9. *Nam*

9. *Nam inopiam meam.*

Iam oſtendit per quos ſit alitus, per fratres ex Macedonia venientes, hoc eſt, per illos, quos prius rectè inſtituerat. Erat hoc ſingularis induſtriæ, vt præſentibus parceret tanquam infirmis, ſumeret autem ab his qui iam robuſti erant, & nouerant quid præceptori deberent: quanquam ne hoc quidem ſemper fecerit, frequenter enim laborauit propriis manibus vt ſe aleret.

10. *Eſt veritas Chriſti in me.*

Declarat in hoc facto potiùs laudem eſſe ac materiam gloriandi, ideo tantum abeſſe, vt pudore & pœnitentia duci poſſit, vt multò magis deinceps hoc ſemper facturus ſit in his regionibus.

11. *Cur idénum quòd non diligam vos?*

Obiectioni reſpondet, quo fine id faciat. Aduerſarij calumniantur, quòd fortè odio Corinthiorum id faciat, contemnat eos, & ſua: ideo ab illis ali nolit. Fieri etiam poteſt, vt boni quidā dolenter ſic conquerantur, Ecce nos aſpernaris & noſtra, Macedones magis diligis quàm nos. Reſpōdet igitur nullo odio, ſed mera dilectione, & ſancto amore id totum fieri.

12. *Quod autem facio.*

Pleniùs reſpondet de facti ſui fine. Primùm faciebat hoc ad reprimendos aduerſarios, qui quiduis calumniā rapiebant. Itaq; ſi paſſim accepiſſet ab Eccleſiis neceſſaria, ſtatim interpretati fuiſſent quæſtū & καπηλείαν. Deinde alij erant, qui & ipſi ſtudebant gratis docere, & in eo ſeſe pręferebant Paulo. Ideo his quoq; ademit gloriandi occaſionem, vt nihilo plus præſtarēt, quàm ipſe Apoſtolus Paulus. Hi fines reſpectu aduerſariorū erant, alij verò fines reſpectu piorū conſiderandi ſunt. His volebat parcere, & ad Chriſti obedientiam incitare.

13. *Nam tales pſeudoapoſtoli.*

Tertio iam loco digreditur in aduerſariorum deſcriptionem. Oſtendit autem ſuperiorum cauſam efficientem, cur ſcilicet illi etiam fruſtra docere ſint conati, ſcilicet quia Satanę miniſtri, ad morem ſui doctoris, in Angelos lucis ſeſe transformant. Obſerua hic, quibus titulis eos ornet, primùm pſeudoapoſtolos vocat. Sic Chriſtus pſeudoprophetas, & pſeudodoctores. Itaque iam tum in Eccleſia Chriſti oberrabant ſanæ doctrinæ corruptores, ideo minus hodie mirandum eſt in hac mundi ſenecta, ſi hoc genus hominum multiplicatum audiamus. 2. *Operarij doloſi*, prior titulus doctrinam reſpexit, hìc iam vitam & mores, ſignificans omnia ad hypocriſin accommodari: itaque ſi fruſtra docent, ſi aliqua præſtant officia pij hominis, nihil curat Apoſtolus, ἐργάται ſunt, ſed δόλιοι, qualis mercenarius apud Ariſtophanem omnia propter ventrem facturus, ita illi omnia ad gloriam priuatam rapiunt. 3. *Transformant ſe in Apoſtolos Chriſti*, hoc eſt, habitum & mores piorum ſibi aſſuunt, ſua forma natiua dimiſſa, alienam ſpeciem induunt. Vide locos noſtros de falſis doctoribus. Pſeudoapoſtolorum deſcriptio.

14. *Neque id mirum.*

Cauſæ redditio, cur mali doctores, aliam ſpeciem induant: ratio eſt, quia illorum doctor Satan idem præſtat, is in angelum lucis ſeſe transformat, hoc eſt, bonos angelos æmulatur, cùm talis non ſit, id videre eſt in colloquio cum Eua, Gene. 3. & in tentationibus Chriſti Matth. 4. & alibi frequenter. Sonat autem Satan aduerſarium, defectorem, exploratorem, &c. Et ſi Iuſtino martyri credimus, vox compoſita eſt à *Satan*: quæ, vt inquit, Syris ſignificat ἀποστάτην & *naſch* ſerpens, cuius integra Hebræa dictio eſt *nachaſch*. Dictus igitur fuit Syris Satanas, quem Hebræi integrè dixiſſent *Satanachaſch*, h.e. defectorem, ſerpentem. Satanæ ingeniū.

15. *Non igitur mirum.*

Concluſio enthymematis, Satan præceptor iſtorum ſeſe transformat in Angelum lucis, ergo minimè mirandum eſt, ſi idem faciant illius miniſtri. Obſerua hìc quartum titulum malorum doctorum, quia ſunt διάκονοι Satanæ, cum velint videri Chriſti miniſtri. Miniſtri illius ſunt, tum quia illi inſeruiunt, illum colunt, tum quia eius regnum promouent, falſa dogmata ſpargunt, ſectas inſtituunt, recedunt à Chriſto & doctrinæ ſimplicitate. Quintò grauem addit comminationem, miſerè tandem perituros, *quorum finis erit, ſecundum opera eorum*, hoc eſt, qualis fuit vita, talis erit mors, vt Græci dicunt οἷά τε ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει. Concludit id vt plurimum, ſæpe enim peſſimi doctores placidè moriuntur, & contrà optimi doctores miſerè occiduntur. Probauit hoc Apoſtolorum exemplum, cùm interim infiniti mali naturaliter mortui ſint. Interim vera eſt Apoſtoli comminatio. Nam Deus ſolet eos frequenter in hac vita etiam confundere, vt Arrium & ſimiles. Quos hìc non confundit ſuis pœnis conſeruat cum Satana illorum principe.

16. *Rurſum dico.*

Quarta pars qua nouo exordio tranſit ad collationē perſonarū, ſuæ ſcilicet & calumniatorū. Membra tria ſunt. Initiò expendi debet exordiū, deinde collatio, tertiò concluſio per epiphonema. Exordium σκωπτικὸν planè eſt: nā graui ironia reprehendit Corinthiorū ſtulti-

tiam,qui sibi videbantur egregiè sapere,cùm interim vehementer desperent.Initium sumit à repetitione,quia vers.1.huius capitis quoque stultitiæ suæ fecit mentionem. Hic eos constringit enthymemate,hoc sensu:stultus apud vos iudicior,ergo stultitiam meam ferte.Loquitur de se,quemadmodum aduersarij sui apud Corinthios de ipso solebant loqui. Rectè igitur dilemma à disiunctiuis nectit:Aut liberate me titulo ἄφρονος, aut si id fieri nõ potest, me vt ἄφρονα tollerate. Addit à causa finali rationem:vt gloriari possim paululum,quasi dicat,iure morionum vtar,quibus in mundo à sapientibus datur potestas loquendi liberiùs, quàm ipsis sapientibus,isto iure fruar.

17. *Quod loquor.*

Expositio. Ἔκθεσις ostendens extra causam professionis Apostolicæ se illa dicere. Itaque personam Apostoli deponit,& assumit stulti personam, vt gloriari contra istos thrasones possit.

18. *Quando multi.*

Exemplo aliorum se tuetur. Notat autem malos doctores, quibus solenne erat gloriari de suis facinoribus.Quia igitur stultescendum est,inquit,stultescam illorũ more,& narrabo mea quoque facinora,maiori candore quàm illi.

19. *Libenter enim fertis.*

A persona Corinthiorum se excusat,sed habet oratio graue scomma, estis prudẽtes,ideo libenter fertis imprudentes, quasi dicat, magnorum principum quales vos estis, oportet esse moriones,quos ferant veritatem dicentes.Oratio ἀντιφραστικῶς intelligatur,minimè tales estis quales videri vultis.

20. *Fertis enim si quis vos.*

Falsorũ doctorũ mores. Depingit iam per ætiologiam illorum doctores quos tam patienter ferebant. Quinque autem enumerat eorum scelera.Primùm in seruitutem vos redigunt, docebant enim Circumcisionem esse necessariam,aliásque Mosis ceremonias cum fide in Christum coniungebant, quæ captiuas tenebant conscientias. Deinde exedebant eos. h.e. victum & amictum liberaliter capiebant,cùm Apostolus gratis eos docuisset.Tertiò, præter necessaria stipendia, rapiebant reliquas etiam facultates, adeò vt palàm auari essent, non deglubebant, sed excoriabant gregem Domini. Quartò palam etiam erant arrogantes. Quintò ab iniuria & violentia sibi non temperabant,quod erat in faciem cædere.

21. *Ad contumeliam dico.*

Exponit se,ostendens orationem suam non carere morsu,q.d.ad vestri confusionem ista pertinent quòd tales fertis,& à me vobis per scomma obiicienda sunt:ratio est,quia debilis sum apud vos,h.e.cõtemnor, & vilipendor.Repetit mox propositionem se gloriando stultè aliis etiam posse meritò sese conferre.

22. *Hebræi sunt.*

Secundus locus huius partis, in quo sese cum aduersariis confert, ac primùm in re pari, deinde in impari gradu,hoc est,in his quibus illis longè superior erat.Pares sunt illi aduersarij,quia Hebræi sunt,quia Israelitæ,quia semen Abrahæ.Similia habes ad Philip.3.De vocabulo Hebræorum diximus in Epistola ad Hebr.pluscula,an ab Eber,an verò ab Abrahamo Hebræi rectiùs dicantur.

23. *Ministri Christi sunt.*

Altera pars collationis, in qua producit ea quibus longè superior illis erat, qualia sunt varia pericula nomine Christi exantlata. παράφρων aliquid amplius significat quàm ἄφρων. Ἄφρων dicitur simpliciter cui sanum iudicium non est, homo imprudens, sed παράφρων qui simul delirat vt senes.Sensus igitur,delirum me ferte si placet. Recẽset autem varia pericula quibus præferre se potest, quæ nisi hîc repeterentur, ignota essent nobis ex historia Actorum,nam bona pars illic non est expressa.

24. *A Iudæis quinquies.*

De plagis his non legimus quicquam in Actis: tamen certum est quinquies id eum perpessum, nam hoc loco minimè licebat Apostolo falsum dicere. De numero plagarum vide Deut.25.modum seueritatis statuit Dominus.

25. *Ter virgis cæsus.*

In Act.16. Apostolus Philippis cæditur virgis, de reliquis nihil reperio. Lystris lapidatus est,Act.14.Naufragium paritur cum suis,Act.27.

28. *Absque his quæ foris.*

Amplificatio laborum suorum,quasi dicat,nõ solùm aduersis exercitatus sum:sed rebus secũdis,amplissimis curis diuexor,omnium Ecclesiarũ cura mihi incumbit, quia Apostolus gentium,ideo gentium Ecclesias omnes cura sua debuit complecti.Idea est boni Episcopi.

29. *Quis affligitur.*

Tertium membrum huius loci,quo Epiphonemate cõcludit laudum suarũ præconium.

Sensus

Sensus est, non solùm generalem curam Ecclesiarum gero, sed specialiter omnium fidelium, adeò vt nullus affligatur, quin ad me spectet, nullus offendatur, quin ego hinc diuexer. Alij tamen alium hic quærunt sensum, scilicet infirmitatem suam in his tantis laboribus sese agnoscere, adeò vt aliis suum infirmitatis proponant exemplum ad consolationem, quod illi magnifici thrasones minimè faciebant. Huc facit sequens clausula, *Si gloriandum est, de infirmitate mea gloriabor.*

CAPVT XII.

PERGIT ad alias suas laudes commemorandas, ac recenset duo singularia encomia. Primum de periculo apud Damascum, mirabilique Domini liberatione. Alterum de raptu in tertium cælum seu paradisum, quæque illic audiuerit. Tertio loco addit correctionem, gloriari potius expedire in infirmitate, quàm rebus tam augustis ac raris, atque illa omnia ad primam partem capitis pertinent, quibus laudes suas concludit. Posterior pars huius capitis denuntiat iterum Corinthiis suum aduentum, quibus de Tito etiam quædam interserit. Argum.

1. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi nouit quòd non mentiar.*

Prima pars capitis, in qua singularis est narratio liberationis ex Damasco: historiam vide Act. 9. Initio autem aditum facit ad narrationem idonea præfatione, quæ ad fidem faciendam spectat. Deum testem facit veritatis, quo docemur Deum rectè per iuramentum testem inuocari ad confirmationem veritatis.

2. *In Damasco.*

Sequitur διήγημα, quo breuiter explicat historiam, duo autem complectitur. Periculi magnitudinem, deinde mirabilem liberationem. Prioris sunt, locus vbi res contigit, in Damasco, vrbe amplissima, nomen accepit à sanguinis effusione, nam *dam* sanguis est & *schaca*, potauit, quia creditum est in hoc campo Abelem à Caino occisum esse. Deinde quia illi insidiatur ἐθνάρχης, hoc est, gentis præfectus, dignitas post regiā proxima, superior aliis præsidibus. Tertiò, quia regis nomine id facit, quorum longæ sunt manus. Quartò capturus erat. A fine ostendit periculi atrocitatem.

3. *Et per fenestram.*

Secunda pars narrationis de modo liberationis. Historiam explicuimus in Act. 9. Σαργάνῃ, quod hic legimus in Actis est ἐν σπυρίδι.

4. *Gloriari certè non expedit.*

Altera pars narrationis de visionibus suis, ad hanc iterum suo more accedit præfatus. Fatetur autem inuitum se protractum ad canendum suas laudes. Potest hic locus sic etiam legi, καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι, *gloriari oportet, at mihi non vtile est*, quasi dicat, aduersarij mei vix mihi extorquent hanc narrationem. Dicendum igitur mihi est in pudore. Hinc reliqua commodè subiiciuntur per ætiologiam, veniam enim ad visiones & reuelationes Domini, hoc est, pudore suffundar tanta de me narraturus, attamen omnino dicendum est. Πρόστασιν habent illa verba sequentis narrationis, Ὀπτασία visio est, quæ semper habet reuelationem aliquam rei alicuius, sed ἀποκάλυψις, reuelatio est, quæ potest carere visione, non enim omnis ἀποκάλυψις habet semper ὀπτασίαν. Visionē & reuelationē inter se differre.

5. *Noui hominem.*

Narratio rei sequitur, modestiæ causa de se loquitur in tertia persona, deinde addit tempus, quia vetus est historia, soliq; Deo & Apostolo hactenus cognita. Tertiò commēdat eius dignitatē ab ἐκστάσει. Nescit .n. an in corpore, an verò extra illud facta sit. Horret enim animus humanus, dū in corpore habitat, Dei præsentiā, vt non satis possit meminisse quomodo sibi obueniant visiones. Quartò additur τὸ ἁρπαγὲν, *raptum in tertium cælum.* Cælum hìc accipio pro sede beatorum, in qua Dei præsentia amplior est, & sanctorum cœtus sunt, vita æterna: aliàs cœlum sumit scriptura pro toto firmamento & orbibus planetarū coniunctis, Gen. 1. aliquando pro inferiore spacio, quod est infra concauam Lunæ sphæram, vt Matt. 6. Videte volatilia cæli. Non faciunt huc ordines cælorum quos philosophi statuunt.

Et noui talem hominē. Repetitio eiusdē narrationis, ostendit autem quid cælum vocet, deinde quid istic egerit. Paradisum intelligo hìc cælū illud tertium. Scriptura enim duos nouit paradisos, vnum terrenū, quem in Oriente plantauit Dominus, & illuc trāstulit primos parentes. Alterum in cælis sanctorum receptaculum, de quo Christus Luc. 23. ver. 43. Hodie mecū eris in paradiso. Quid autem illic egit? *Audiuit* ῥήματα ἄρρητα, hoc est, sermones & colloquia Dei, Angelorum ac Prophetarum, quæ explicari sermone humano non possunt. Itaque frustra quærunt quidam quæ fuerint illa ῥήματα, ideo scrutari non possunt nec debent. Sic verto etiā τὸ ἔξον, hoc est, ἀδύνατον, quasi dicat, lingua humana non potest effari ista colloquia: augustiora sunt illa verba & tersiora, quàm vt hominis os illa formare possit, ideo non huc facit locus Act. 22. Nā quæ illic Paulus extra se raptus audiuit, eadē potuit verbis e-

loqui,& Lucas illa scripsit. Itaque ῥητὰ erant, at præsentia sunt ἄῤῥητα & ἀδύνατα, ergo, &c.

De tali re gloriabor. Correctio ostendens non sui esse commendationem hic spectandam, sed Dei potius, de se autem nihil nisi infirmitatem prædicari posse.

Nam si velim gloriari. Propositio est iustissimè posse gloriari de magnis rebus, sed nolle certo consilio. Primùm quia vitanda est superstitio,& arrogantia: scilicet ne homines ex me idolum faciant,& plus Paulo tribuant, quàm deceat, id quod gloriæ Christi obesset, cui omnia accepta refero. Deinde ne extollar propria laude, hoc est, ne videar arrogans,& pauonino more nimia mei admiratione inebrier. Et ad huius posterioris remedium addit sibi datum à Deo σκόλοπα. Σκόλοψ, est aculeus corpori inhærens, vel spina pedem pungens, surculus, telum, assula & similia. Apud Dioscoridem vox nota est in remediis quæ tela extrahunt & aculeos, hinc σκόλοπας ἕλκει euellit spicula. Gell. lib. 5. cap. 14. de seruo quodam, leoni stirpem ex pede euellit in deserto, postea Romæ in theatro sese mutuò agnoscunt.

Angelus Satan. Apparet Paulum visibili specie interdum vexatum esse à Satana, aut saltē vehementiore tentatione, adeò vt colaphos sit visus accipere, hoc est, indignis modis me tractat ille angelus Satanæ.

Tentationibus opponendas esse preces.

Pro hoc ter orauit. Magnis tentationibus opponit orationem, docens piorum esse non desperare in tentationibus, sed ad Dominum confugere, cui nostræ querelæ sunt proponendæ. Ter autem intelligo pro frequenter & infinitis modis: non enim ter orasse credo, sed indesinenter, vel certè statas preces, contra hunc angelum ter habuit.

Et dixit mihi. Ostendit non omnino frustra se rogasse. Dixit mihi per Angelum consolatorem, vel voce diuinitus demissa, aliàve ratione, quia certior est factus de voluntate Dei. *Sufficit tibi gratia mea*, nam potentia mea in infirmitate perficitur. Præclara sententia significans non frustra nos orare, si maximè non ex toto exaudiamur, exaudimur tamen sic vt consolationem habeamus ex ratione consilij Dei. Ostendit enim prodesse id gloriæ Dei, vt non auferatur illi hic aculeus, nam sic potentia illustratur in magna infirmitate, quia Paulus homo infirmus persistit contra tantum Angelum tentatorem.

Libentissimè igitur gloriabor. Conclusio ostendens se in his infirmitatibus sui quærere solatia, mox addit per expositionem quæ sit illa ἀσθένεια, ne de corporis infirmitatibus intelligas, sed de contumeliis, indigentia, persecutionibus, anxietatibus.

11. *Fui insipiens gloriando.*

Epilogus quintæ partis, quo finit tandem locum propriis laudibus, deprecatur autem culpam,& causam eius in Corinthios reiicit, simul ostendit iustissimis de causis Corinthios potuisse causam Apostoli & debuisse defendere. Primùm fatetur in laudib. propriis inesse posse stultitiam. Laudabilis est ὁμολογία: quanquam in præsenti facto nullum sit crimen, tamen laus propria sordet, & vulgò inepti habentur qui suas laudes immodicè decantant: ἄφρων dicitur qui natura fatuus est, vel affectu proprio sibi nimium placet. Arrogantes enim fatuos imitantur ostentando & gloriando.

Auditorum erga doctores officium.

12. Culpæ translatio: μετάστασις, excusat enim se quòd non volens hunc campum sit ingressus, sed necessitate quadam adactus. Excusat autem factum, necessitas & ignorantia, q.d. vestra est culpa. Obseruandū est auditorū officij esse, bonos doctores tueri, id quia Corinthij neglexerūt, de eo cōqueritur Apostolus. Statuatur hìc propositio specialis, vos causam meam defendere debuistis. Id Apostolus his verbis proponit: Ego debui à vobis commendari. h. e. defendi & excusari. 4. Additur propositionis ratio: ***Non enim sum inferior aliis summis Apostolis.*** Qui summis Apostolis par est, is etiā à suis auditoribus defendi debet in causa honesta, sed Paulus talis, ergo, &c. Summi Apostoli intelligantur boni, qualis Petrus, Iacobus, Ioannes, quibus non edit officio Apostoli. Legitimè enim vocatus est,& summa cum cura adde successu in eo est versatus. Vel intelligi possunt summi Apostoli reprobi, qui apostolorum nomine sese venditabant, quòd illis essent conuersati, cum illis cohabitassent & didicissent omnia ab eis, quo nomine insignes haberi vellent. 5. Correctio additur, ***Quamuis nihil sum.*** Vel est oratio extenuantis personam suam, vt declinet crimen arrogantiæ, vel loquitur ex persona aduersariorum, qui illum contemptum habebant, nihil sum scilicet vt vestri illi thrasones iudicant.

Paulum summis Apostolis non fuisse inferiorē.

12. *Nam signa Apostoli.*

Secunda ratio est, cur debuerint illū defendere, ducitur ab anteactis, quæ illi re ipsa viderant apud se per Paulum effici. Σημεῖα hìc sunt argumenta quibus res confirmatur, quæ vel sunt probabilia, nec retinent signi nomen, vel sunt necessaria & dicūtur τεκμήρια. Talia sunt præsentia argumenta, quibus seriò probetur Apostolatus dignitas. Et verbum κατεργάζεσθαι ἐνεργητικὸν est. Reliqua enumerationem habent argumētorum, quibus Apostolatus confirmatus est, patientia scil. aduersorum,& ærumnatum, item rerum penuria, quæ omnia falsi doctores declinant. Deinde signis, hoc loco σημεῖον non est argumentum, sed miraculum,

vt hìc

vt hic & Matth.12.16. Mar.8. Ioan.2. Tertiò significat etiam coniecturam, vt Luc.2. Angeli dicunt, Et hoc erit vobis signum. Sic Matth.24. sumitur & 26. Iudas illis dedit signum, h.e. coniecturam, per quam agnoscerent Christum iam illis proditum. Tertiò sunt τέρατα portenta, ὅτι τεράττουσι, hoc est, terrent spectatores, species est miraculorum, vt quòd Petrus Ananiam & Saphiram morte afficit subitanea, & Paulus Elymam cæcitate percutit, alios Satanæ tradit. Quartò δυνάμεις, potentiæ, h.e. quibus Dei virtus declaratur ad salutem hominis: vt cùm sanat ægros, claudos, cæcos, &c. quæ ad spē faciebāt, nō ad terrorē spectantium. Act. 5. & 13.

13. *Quid enim est in quo sitis inferiores.*

Tertia ratio à persona Corinthiorum, si me voluistis defendere, ostendenda erat vobis ratio, qua ducti id non faceretis: qualis esse poterat, quòd reliquis Ecclesiis Christi essetis impares, & ob id mihi doctori indignaremini. At hoc non est, omnibus enim donis illis estis æquales, ergo turpe est vobis, quòd causam meam deseritis. Hæc sentētia est argumenti. Vrget eos propria confessione, ex quo disci potest, donis illos vbertim fuisse ornatos, quę omnia Paulo debebāt. 2. Addita est exceptio, *nisi fortè quòd vos gratis docui, hoc inferiores estis*, quasi dicat, si quid deliqui in vos, hoc fortè est delictum meum, quòd nimis vobis peperci, non vos grauaui. 3. ironiam addit, *Condonate mihi iniuriam hanc*, cùm minimè sit iniuria. Ita mordet eos notans illorum negligentiam & ingratitudinem.

14. *Ecce tertiò paratus sum.*

Sexta hìc incipit pars huius Epistolæ, qua denuntiauit iterum suum ad eos aduentum. Protrahitur per caput consequens vsque ad versum vndecimum. Ostendit autem hac parte qualis ad eos sit venturus, nimirum sibi per omnia similis, gratis docebit, quam laudem hactenus solam retinuit. Deinde erga peccatores seuerus, si non resipuerint, erga pœnitentes autem summè clemens. Ista ferè docet hac parte. Quærunt hoc loco quomodo tertiò venturus sit, cùm bis ad summum illic fuerit. Sed facilis est responsio: loquitur enim Apostolus de proposito suo ac consilio veniendi, nec ideo sequitur, ideo ter ad eos venisse, quò facit Græca phrasis ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν, paratus sum venire, ergo nondum venerat, sed consilium aperit. De eo vide Act.18. & 19.

Deinde qualis venturus sit ostēdit, non ero vobis oneri. Spē facit facilitatis in conuersatione, quasi dicat, gratis docebo vt prius. Ratio propositionis duplex est, prior quia non quæro vestras opes, sed vos, ergo gratis mihi docendū est, q.d. ita sum auarus, vt nō opes me vestræ satiant, nisi vos ipsos totos occupauero. Significans se magis cupidū esse illorū salutis quàm priuati cōmodi. Idea boni doctoris, qui de grege non quæstum agit. Altera ratio est, *quia in more sic est positum vt parentes pro filiis alendis sint soliciti, non filij pro parentibus*, ego sum vobis loco parentis, ergo de me alendo ne sitis solliciti, sed ego potius pro vobis. Boni Pastoris idea.

15. *Ego verò libentissimè.*

Habet argumentum insigne πάθος, quo significat omnia illa ex paterno prodire animo, interim non negat licere victum petere ab Ecclesiis, quemadmodum non negat parentes alendos esse à liberis in senectute.

Tertia ratio qua amorem eos declarat, tantùm abest vt vestra quæram, vt etiam libenter mea sim erogaturus propter vos, imò meipsum pro vobis morti impendam. Hìc iterum mordet eorum ingratitudinem, quòd amando non illi reddant paria: ardenter illos diligebat, cùm contrà illi frigidè redamarent Apostolum.

16. *Esto autem, ego vos non.*

Noua est calumnia cui hìc respondet: dicunt illi, Tu quidem gratis doces & nihil accipis, sed habes tuos emissarios per quos emungis ab Ecclesiis. Hoc sensu πανοῦργος hìc significat versutum, veteratorem, impostorem, quales sunt vulpeculæ mores.

17. *Num per aliquem.*

Iam respondet ad calumniam, quasi dicat, producite ergo mihi aliquem, qui per me ad vos missus emunxerit vos, id non potestis, ergo calumnia est quod obiicitur.

18. *Oraui Titum.*

Exemplum subiicit legati ad eos missi, sed ita purgatum est, vt nihil ei impingi possit, ex quo constat Titum etiam gratis docuisse, eodem spiritu ductus est, & iisdem vestigiis incessit, ergo gratis etiam docuit.

19. *Rursum putatis.*

Alter locus huius sextæ partis. Primus locus fuit de doctrina gratuita, tum ipsius tum Titi: alter iam est de seueritate sua, quam sub aduentum eius metuebant aliqui. Initiò autem abrumpit priorem disputationem defensionis, ac prouocat ad conspectum Dei & iudicium Christi, quem nihil latere potest. Simul indicat causam finalem apologiæ, quòd faciant illa omnia ad ipsorum ædificationem. Obserua hunc finem adeò esse generalem, vt ne defensio ministri possit suscipi nisi ad eum finem relata.

Deinde pergit narrare qualis futurus sit censor morum. *Metuo*, inquit, *ne tales inueniam quales velim.* Metus pius est ministri pro auditorum salute labefactata. Emendatos cupio inuenire, id si eueniat secus, iusta causa doloris erit. *Contrà & ego reperiar non qualem me vultis*, hoc est, durus, & immitis vitiorum censor, quod omnino eueniet. Hinc subiicit catalogum vitiorum quæ inter eos regnabant, nec dum satis erant correcta. Fluunt illa omnia ex penuria fraternæ dilectionis, quæ si regnaret inter eos, non essent lites, æmulationes, iræ, contentiones, obtrectationes, susurri, inflationes, tumultus.

21. *Ne iterum venientem.*

Auditorum impœnitentiam ad doctorũ humiliationem pertinere.

Alia est causa timoris, humiliatio, qua Dominus Apostolum castigabat quodammodo per impœnitentes, quasi dicat, ad mei humiliationem facit vestra impœnitentia. Disce doctoribus non esse laudabile, sed potius vituperabile si persistant auditores in cœpta contumacia. Deinde illorum officij esse tales impœnitentes deflere. Exemplum habemus in Samuele, qui luget Saulem, 1. Sam. 15. Ezras luget etiam populi sui peccata. 1. Ezræ 10. Ieremias optat riuos lachrymarum in deflendo populi peccato. Iere. 9. Daniel etiam suos luget. Dan. 10. Idem facit hîc Apostolus. Faciunt idẽ boni ministri hodie. Iterum hîc perstringit præcipua illorum scelera, vt est impuritas tum animi, tum corporis. Scortatio species est impuritatis, qua corpora polluuntur libidine. Aselgia morum est, & sermonis impuritas, petulans sermo, lasciui mores, qui de reliqua vita ac animi cogitationibus exhibent testimonium.

CAPVT XIII.

Argum.



ERGIT in denuntiatione sui aduentus, & qualis erga impœnitentes sit futurus, nimirum seuerior pręter suum morem, sed talem requirebant eum Corinthiorum mores satis corrupti. Postea totam Epistolam epilogo concludit: de quo postea, nunc primam partem capitis expendemus. Initiò proponit per comminationem. Non parcam iterum ad vos veniens peccatis vestris. Hanc propositionem vestit denuntiatione, præcisione excusationum, & comminatione. Deinde confirmat propositã sententiam οὐ φείσομαι. Confirmationẽ sumit à Corinthiorum improbitate, quia experimentum quæritis loquentis in me Christi. Ostendit autem illum non esse infirmum in suo ministerio, quod illorum testimonio probare potest. Deinde distinctione occurrit impiorum obiectioni de cruce ac morte Christi, quę infirmitatis fuit argumẽtum, cui opponit potentiam Dei, per quam potens est factus. Vnde mox à pari ad se applicat argumentum. Hinc vtile dat consilium, vt curam hanc ad sese vertant, & suam potius fidem probent quam curiosè in Apostolatum suum inquirant. Mox argumentum à fine producit, cur scil. sit vsurus seueritate, vt scilicet discant honesta facere, & cauere malum. Tandem conclusione locum hunc totum absoluit, repetens finalem causam seuerioris disciplinæ.

1. *Tertia iam vice venio ad vos.*

Quo sensu dicatur Paulus tertio ad Corinthios vẽturus.

Denuntiatio est sui aduentus. Quærunt hîc quomodo tertiò venerit ad eos, cùm semel tantum in Actis habeamus Corinthum illũ venisse. Primùm certũ est multa contigisse Apostolo, & ab ipso facta esse, quæ in historiam nõ retulit Lucas. Deinde venire ad eos dicit, nõ venisse, significans proposito eum in hoc inclinare, quemadmodũ idẽ consilium habemus Act. 19. ex Epheso per Macedoniam ad eos venire decreuerat, sed impeditur illius conatus: ac de conatu solùm loqui hinc cõstat, quia cap. præcedẽti. v. 14. dixit, Ecce tertiò iam paratus sum venire ad vos. ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν. Itaq. & hic tertius aduẽtus nõ de facto, sed cõsilio intelligatur. Alij ita explicant quòd primus aduentus factus sit Act. 18. Secundus aduentus per primam Epistolam, hic iam tertius aduentus per hanc secundam Epistolam: quæ enim per epistolas agimus, videmur quodãmodo coràm agere. Sed mihi prior sentẽtia magis arridet.

In ore duorum aut trium. Secundo loco præscindit Corinthiis excusationem, quasi dicat, nec est cur sitis vos excusaturi quòd non monuerim vos, ecce enim tertiò, iam moneo vos vt emẽdetis mores. Translatè testes vocat suas admonitiones, quasi dicat, bis & ter vos iam monui, non igitur poteritis vos excusare. Locus desumptus est ex Deut. 19. ac à Domino citatur etiam Matth. 18. Ioan. 8.

2. *Prædixi & prædico secundò tanquam præsens.*

Tertium est propositionis membrum. Magna asseueratione ostendit, non temerè sibi excidisse prius verbum: simul interpretatur qui sint illi testes, admonitiones scil. crebræ, *prædixi.* scil. præcedenti cap. 12. & 1. Cor. 4. ver. 19. 20. 21, & prædico iam secundò tanquam præsens, h. e. repeto idem quod prædixi iam primo versu, repeto quod dixi, sed tanquam præsens, non fuit igitur præsens sed tanquam præsens, ostẽdit scriptorum suorum debere candem esse authoritatem, qualis corpori præsenti debebatur. *Absens scribo.* Explicat id quid sit ὡς παρών, absentem scil. corpore esse. *Qui priùs peccarunt*, vel ante conuersionem, vel post conuersionem: ante autem secundum ad eos aduentum, & reliquis omnibus contumacibus

qui

qui eius personam contemnebant, leuem esse promissorē dicebant, rigidum præceptorem, contemptibilem autem personam. *Non parcam*, h. est seueritate vtar Apostolica, significans duplici modo cōsueuisse agere cū peccatoribus, quosdam institutione emendabat, h.e. patefacto peccato, rationibus docebat meliorem vitam quam sequebantur admoniti. Alios verò qui erant cōtumaciores, seueriùs tractabant Apostoli, vt illū incestu pollutum exclusit, Elymam Magum percussit cæcitate, alios tradidit Satanæ, alios aliis rationibus compescuit. Sic Petrus Ananiam & Saphiram morti tradidit. Ista erat Apostolica seueritas, quā hîc comminatur Corinthiis, nisi corrigant naturæ suę mores. Atq; hæc ratio adhuc in Ecclesia Christi bene constituta locum habere debet. Non enim omnes eodem morbo laborant. Bonus medicus certè non omnes eodem pharmaco curat, sed in quibusdam vtitur lenioribus remediis, adeóque clementioribus: in aliis contrà austeriora adhibet, vstionem, sectionem, mutilationem, quia morbi graues sunt, & aliis modis corpora curari non possunt. Act. 13. 1. Cor. 5. Act. 5.

3. *Quandoquidem experimentum quæritis.*

Post propositionem subiungit confirmationem, seu rationem instituti sui. Propositio est: vtar deinceps seueriore disciplina in vobis corrigendis, ratio est quia vos quæritis experimentum Christi in me loquentis, quasi dicat, Dubitatis de meo Apostolatu, & argumenta illius in me quęritis, dabuntur vobis. Sumpta est ratio à contumacia aduersariorum: magna enim erat præsumptio, velle Christum in Apostolo loquentem tentare, & velle probare vtrum hic Spiritus esset Christi néc ne. Ingenium est impiorum, in manifesta luce quærere lucem. Sic Pharisæi Christum tentant, an sit Christus & quærunt signa cœlitus: item quærunt qua authoritate ista faciat, cùm plena essent omnia argumentis. Sic Corinthij de Apostolo dubitant, cùm infinita habeant intra sese vocationis illius τεκμήρια. Matt. 16. 4.

Qui in vobis non est infirmus. Probat Christū in suo Apostolatu efficaciter operari, ratio est, quia idem Christus in vos per me est efficax, ergo in me magis erit efficax. In vos non est infirmus. h.e. efficaciter operatur in vos, donando Spiritum sanctum & alia eiusdem charismata, ergo idem in vobis puniendis erit efficax. Qui enim donando sua dona, fuit efficax in vos: idem etiam puniendo vestram ingratitudinem erit efficax. Sumatur hinc secunda ratio cur velit vti seueritate, quia donis illius estis ingrati, ideo efficaciam sentietis in puniendo, vt sensistis in donando, & benefaciendo.

4. *Nam tametsi crucifixus est.*

Distinctione vtitur, nam in Christo non potest per omnia negari infirmitas: itaq; docet qua parte infirmus sit, qua verò minimè. Infirmus est secūdum humanitatem, in qua, & secundum quam passus est, passus est quiescente diuinitate, vt mori & tentari posset. Contrà potens fuit secundū Diuinitatem, qua gloriosè reuixit. Huc pertinet quod ad Philippenses secundo dixit, Christū exinaniuisse sese assumpta serui forma. Nam & nos infirmi sumus in ipso. Argumentum est à simili, vt Christus infirmus fuit humanitatis ratione, potens autem virtute Dei: sic ego infirmus sum quatenus homo, sed robustus quatenus minister Christi ex potentia Dei in vos, hoc est, possum vti seueritate Apostolica si non emendaueritis vestros mores. Facit hoc ad tertiam rationem, cur sit vsurus seueritate, quia eadem Dei potentia in me est efficax, quæ in Christo. Viuemus cum eo apud vos, hoc est, viui adeò veri Apostoli ædemus argumenta.

5. *Vos ipsos probate an sitis in fide.*

Pudorem illis incutit, reuocando curam probandi alios ad propriam probationem, q.d. non est quòd in me probando tantum ponatis operæ, vos ipsos priùs explorate, manticam à tergo inspicite. *An sitis in fide.* alij pro cognitione Christi accipiunt, quasi dicat, an verè Christo credatis: sic de fide iustificante loquitur. Alij de miraculis, & quidem rectiùs meo iudicio: nam loquitur de Corinthiis, qui miracula quædam in Apostolo requirebant, quibus agnoscerent verum illum esse Apostolum. Sic retundit hanc curiositatem, & inquit, Probate vos an non habeatis fidem miraculosam. Sunt enim inter vos, qui linguis loquuntur, sunt qui dona habent sanationum, sunt qui propheticum habent Spiritum, sunt qui interpretationes norunt, quæ omnia sunt argumenta Christi in vos effusæ gratiæ. An ne id ignoratis? Quòd si scitis vt debetis, colligite hūc Christum in me etiam esse efficacem, nam per me vos illa dona estis consecuti. Si igitur in discipulis est efficax, quídni in præceptore etiam me? Quarta hîc depromatur ratio à minori, qua solùm id euincit quòd possit seueritate aliqua miraculosa vti, Ratio est, quia Corinthij discipuli possunt miracula ædere. *Nisi sitis reprobi.* Indicat fidem miraculosam non satis cum iustificatione esse coniunctam, sed locum habere etiam in reprobis. Ita fieri poterat vt Corinthij dona illa haberent, interim essent reprobi, non rectè viuentes, & sinistrè de Apostolo iudicantes.

6. *Spero autem.*

Asseueratio per comminationem promittens futurum, vt Christi energiam experian-

tur,qua intelligant legitimum esse suum Apostolatum.

7. *Opto verò per Deum.*

Redit ad argumentationem apertiorē,ac ostendit hîc finem suæ iam sæpius comminatæ seueritatis,qui est vt dediscant malè agere,& discant honestè viuere.Argumento fidem facit per iuramentum , sic enim intelligo πρὸς τὸν θεόν. Remouet mox suspicionem sinistram, quasi illa agat ad sui purgationē magis,quàm illorum commodo,q.d.modò vos emendemini,quicquid de me postea sentiatis parū curabo,siue probus siue improb⁹ apud vos habear.

8. *Non enim possumus aliquid.*

Confirmatio prioris sententiæ à generali fine,qui est promotio veritatis. Sumatur hinc noua ratio,cur vsurus sit seueritate , quia faciet ad defensionem veritatis. Pro veritate stat illa seueritas,ergo illa erit vtendum.

9. *Gaudemus enim.*

Ironia. Explicatio ironica mordens illorum iactantiā,quo sibi mirificè sapientes videbantur,& contrà Apostolum vt rudem contemnebant. Gaudeo,inquit, quòd habeam tam sapientes discipulos,qui præceptorem tot parasangis excellūt,vt ego præ vobis infirmus videar. Atque id ipsum opto,hoc est,vt seriò tales sitis non opinione vestra.Ideo addit vocem κατάρτισιν,quæ significat luxationis restitutionem.Medica vox quando luxata membra suo loco reponuntur & restituuntur,dicuntur καταρτίζειν. Non fit autem nec luxatio nec restitutio sine dolore.Itaque rectè indicat, opus esse seueriori disciplina,quemadmodum medicus in luxatione adhibet κατάρτισιν , vtvt doleat æger. Alia igitur est illa ratio. Luxati estis, ergo opus habetis seueritate.

10. *Propterea hæc absens scribo.*

Epilogus est quo concludit locum de suo aduentu. Repetit autem ea quæ dixit de causa finali suæ seueritatis,vt scilicet habeant spacium emendandi vitam,ne præcisè cogatur vti rigore sibi minimè cōsueto.Quo admonemur nos oportere magis semper inclinare ad mitiora remedia, in corrigendis hominum vitiis, nec nisi extrema necessitate procedendum esse ad seueriorem disciplinam. Vtriusq; enim disciplinæ est idem finis, scilicet ædificatio.

Omnia ad ædificationē dirigenda. Tanti facit Apostolus ædificationem,vt omnia ad hanc,tanquam scopum primarium dirigat.Illud est quod dixit vers.8. Nil contra,sed pro veritate possumus,est enim illa ædificatio.Sic 1.Cor.14.dixit omnia ad ædificationem fiant,& 2. Cor.10. Nobis illam dedit Dominus ad ædificationem.Et cap.12.propter ædificationē vestram omnia:& Rom.14.Quisquis proximo placeat ad ædificationem.Itaque diligenter expendamus, vt doctrina & vita , totáque conuersatio huc dirigatur,vt ædificemus non destruamus.

11. *Quid superest fratres.*

Septima pars præsentis Epistolæ,epilogus scil.Constat autem cohortatione,salutatione & comprecatione.Nam Apostolus visus est acerbiùs in eos scripsisse, itaque voluit sub finem Epistolæ omnem acerbitatem scripti temperare paterno quodam affectu. Ideo non tam cohortatio est quàm comprecatio,etiam id quod initio de virtutibus illis commemorat.Partes(vt dixi)tres habet epilogus,cohortationem,salutationem, & comprecationem.

Vnde sit fidelibus gaudendum. Cohortatio ad virtutes Christiani hominis refertur,quę sunt,primùm,gaudiū. *Gaudete,* inquit, scil.ex vera emendatione vitæ , quam instituetis meum sequentes consilium, vnde mirificum gaudium orietur. Ex cognitione peccati quidem dolor , ex pœnitentia autem vera fides de remissione,hinc ingens gaudium ob placatam iram Dei , & reconciliationem per Christum. Deinde gaudere debetis tam fidum nacti doctorem, qui non palpitat , non vestra quærit,sed vestram salutem. Et habet pręsens Epistola multa de quibus meritò gaudere poterant,quales sunt consolationes,obiurgationes, excusationes, defensiones, consilium vitandi malos doctores,emendandi vitam & similia.Altera est virtus,Instauratio. καταρτίζεσθε,instauremini.Dixi iam vocabulum medicum esse quo exprimatur luxati membri repositio in suum locum. Id quidem non fit sine dolore, at res est corpori summè necessaria. Significat igitur Corinthios multa præter officium & decorum facere,nec aliter in Ecclesia viuere quàm soleant in corpore luxata membra.Καταρτισμὸς erit,si singuli in statione sua manserint in officio diligentes. Tertia, consolatio, tum ex Epistola hanc hauriendam dixit tum ex fratrum mutua opera. Debent enim firmi infirmiorum ferre & subleuare infirmitatem. Quarta, consensus in doctrina & dogmatibus religionis. Hunc enim refero τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Quinta,est pacem colere in vita scilicet politica, in conuersatione , communi vita,iuuare proximum,opera charitatis exercere.

Et Deus charitatis & pacis erit vobiscum.

Ratio est propter quam ad pręcedentes virtutes sit aspirandum,quia sic,inquit,Dei pręsentiam habebitis,diliget vos, vt qui sua dona ametis. Est Deus quidem cum impiis modo

Quo sensu dica- conuersationis & gubernationis in fines idoneos, quanquam eos ad interitum suum sinat

ruere:

tuere: cum piis verò alia est ratione, tuendo & conseruando ab interitu, ad salutem illis adest. Chrysostomus de dilectione diuina locum accipit, cuius verba sunt, Hinc vobis pax à dilectione illius hinc malorum omnium sublatio, ista orbem seruauit, ista diuturnum bellum soluit, ista cælo terram coniunxit, ista homines angelos fecit, istam igitur & nos imitemur. Innumerabilium donorum mater est dilectio, per istam saluati sumus, per istam ineffabilia dona omnia assequimur.

tur Deus esse cum impiis.

12. *Salutate vos inuicem.*

Altera pars Epilogi continens salutationes. Initiò ipsos colligat communi vinculo. Nam Iudæis frequens fuit mos, vt salutationes non solùm verbis sed osculo simul testarentur. Vt hodie nos verbis salutamus, & simul manus porrigimus in symbolum, nos non verbis solum, sed reipsa promittere mutuam operam. Vide Rom. 16. vers. 16. & 1. Cor. 16. ver. 20. 1. Per. 5. vers. 14. Sanctum dicitur osculum, hoc est, non fucatum, non subdolum, quale fuit Iudæ & similium. Chrysostomus annotat suo tempore moris fuisse vt vestibulum templi & ingressum oscularentur, significantes se hìc cœtum Dei agnoscere, cum quo velit pacem colere & mutuam operam in eum conferre. Idem hodie fit in Papatu, sed magna superstitione, osculantur cruces & reliquias sanctorum, altare & similia, dilectionis nullam rationem habentes. In prima Ecclesia osculum erat coniunctum Cœnæ Dominicę, cui addebant eleemosynas, significantes non fucata esse oscula sanctorum. Mos iste apud nos non est, vt nec Latinis frequens fuit se mutuò osculari. In primis virginem non licebat osculari. Non igitur simus superstitiosi in ea re.


Papistarum oscula.

13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi.*

Tertium membrū Epilogi, continens comprecationem apertam. Tria autem illis precatur, gratiā Christi, dilectionem Dei & communicationem Spiritus sancti. Paria paribus applicat. Primum hinc discamus Trinitatis argumentū. Chrysostomus hìc eos refutat qui contendebant Spiritum sanctum, non connumerandū patri & filio quòd in exordiis Epistolarū Apostolus eius non faceret mentionē, quibus respōdet hìc addi manifestè, & in pari gradu.

Gratia Domino tribuitur, quia mediator est, & non gratiosos efficit suo merito coram Patre, cùm interim gratia etiam Patris sit. Ac significat gratia hìc, omnia Christi merita. Dilectio autem Deo Patri tribuitur tanquam causæ efficienti, & fonti ac origini: is enim sic dilexit mundum vt Filium suum, &c. Interim eadem quoque filij est: sed distinguitur fons à causa organica.

Κοινωνία autem Spiritus sancti est, quia per hunc nobis Deus confert sua dona. Deinde quia hic Spiritus nos Deo copulat. 1. Ioann. 1. vers. 7. Denique quia sanctam Ecclesiæ communionem continet, cuius nos membra efficit. Itaque per hanc precatur Corinthiis omnia charismata Spiritus sancti, & veram Ecclesiæ communionem, ac Dei præsens auxilium. Priùs Corinthios sibi ipsis copulauit per Symbolum osculi, nunc eosdem Deo copulat per Spiritum sanctum.



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD GALATAS

Qui fuerint Galatæ.



GALATÆ Asiatici fuerunt populi, originē ducentes ab Europeis Gallis, quos Greci Galatas appellabant, tū etiā Celtas, nomen indubiè adepti, ἀπὸ τοῦ γάλακτος, hoc est, à lacte, quādoquidē haberent corpora magis candida, nec more Italorū aut Hispanorū fusca, nec Asiaticorum instar denigrata, vnde Germanorum fratres dicti sunt, quòd magna esset inter eos corporū similitudo. Quomodo autē ex Europa in Asiam transierint, & sedes illic tandē obtinuerint inter Bithyniā & Cappadociam, vide Strabonem lib. 12. Plutarchū in vita Camilli, Iustinū lib. 25. statim ab initio, Liuium lib. 8. decadis quartæ, Pliniū lib. 5. c. 32. Dicti sunt Gallogræci, quod mixtim illa terra tū à Gręcis, tū à Gallis coleretur. Ab Oriente

habuerũt Cappadociam,& Halim fluuium:ab Occidente,Bithyniam, & Asiam: à Meridie, Pamphyliam:à Septentrione Pontum Euxinum,Ad hos Gallos,seuGallogræcos,aut etiam Galatas bis venit Apostolus,primò prohibuit illũ Spiritus ibidem loqui, quòd nimirũ vocaretur aliò,vt est.c.16.in Actis.Secundò iterũ eos cõuenit,c.18. Act.quo tẽpore eis diligenter exposuit fidẽ in Christũ,docens nos mera Dei gratia per Christũ saluos reddi , sine obseruatione ceremoniarũ legis,adeóq; ipsius circũcisionis.Nec defuit successus:nã nõ solùm vnã Ecclesiã,sed plures,& vt apparet florẽtes in ea regione instituit,vt patet ex epigraphe.

OCCASIO.

Occasio scribendi hanc Epistolã planè fuit oblata à Pseudodoctoribus. Nam post discessum Apostoli ex Galatia,homines vanis opinionibus imbuti multa cœperunt in illis Ecclesiis innouare,adeò vt reducerent ritus Iudaicos,circuncisionẽ,temporum & ciborũ discrimina,obseruationẽ nouilunij,& neomeniæ,quæ omnia simplicitatẽ doctrinæ Euangelicæ corrũpebant. Ac vt illa apud auditores obtinerẽt,nõ abstinebãt à calumniis,quibus ipsum Apostolum cõtemptim traducebant.Quòd cum Christo non vixisset in carne, nec illi esset conuersatus,& reliquos Apostolos non audiuisset,qui contra morem Pauli circũcisionem non reprehenderent,& alia legalia obseruarent.His & similibus, & personã & doctrinam Apostoli lædebant.Hinc motus hanc scripsit Epistolam. Primùm,vt corruptelas admissas emendaret. Deinde ipsis patefaceret quales iam haberent doctores, impostores scilicet & corruptores Euãgelicæ veritatis. Demũ vt se & doctrinã suam ab istis calumniis tueretur.

GENVS SCRIPTI.

Cùm sanam semel receperant doctrinã,& passi erant synceritatẽ illius corrumpi, in eius restitutionẽ incumbit tota Epistola, ideò ad Epanorthosim pertinet. Certũ. n. est scopum hunc esse,corruptelas corrigere, quæ nisi incidissent,non erat scripturus talem Epistolam. Præcipuæ autẽ corruptelæ erat,quòd quidam passi essent sese circumcidi, quasi esset necessaria circũcisio ad salutem,alij temporũ & ciborum delectũ obseruabant, ac si sine his salui fieri non possent in Christo. Accedunt huic specialia,quibus correctio commodius tractatur,vt Apologeticum,quo se suámq; personam defendit,& monstrat quomodo cum Apostolis conuersatus sit.Deinde accedit etiam ψεκτικὸς vt c.1.3.& 4. videre est, quo illos grauiter taxat,tanquam stultos,superstitiosos,incõstantes,& nimium faciles ad lapsum.Quædam sunt διδακτικά,quibus confirmat iustitiam fidei, contra operum merita, & circumcisionis dignitatẽ.Item quo docet legis necessariam abrogationẽ:vt est videre c.2.3.4. & partim 5. Accedũt etiam quædã προτρεπτικὰ quibus grauiter hortatur ad bona opera,& officiũ renati hominis,itẽ vt reuertantur ad eam simplicitatẽ doctrinæ , quã à Paulo acceperant. Præterea sunt quædã ἐπαινετικὰ quibus laudat Galatas, vt capite 4. quòd illum acceperant quasi Angelum Dei.Item quædam παραινετικὰ cap.5. vbi admonet de necessariis virtutibus.

PROPOSITIO.

Propositio duplex consideranda est,prior personalis est,ideóq; specialis, & ad hanc tota respicit Epistola. Nimirum quòd Galatæ in simplicitate Paulinæ doctrinæ debuerint constanter perdurare , nec sese ita faciles præbere seductoribus ad defectionem. Huc respicit iam tota argumentatio,vt quòd in titulo ostendit se non ab hominibus, neque per hominem vocatum esse, sed ab ipso Deo per Christum. Itaque minimè debuistis à mea doctrina deficere. Deinde in exordio à persona nouorum doctorum, qui vos, inquit, perturbant, contra mentem Christi, nouo introducto Euangelio:itaque minimè erant audiendi. Sic in Narratione ab authore suæ doctrinæ idem contendit, qui est ipse filius Dei. Itaque nõ erat ita facilè deserenda. Item quod in eadem Narratione habetur , quòd sua doctrina postea ab Apostolis nulla ex parte sit correcta,cùm imprimis eo nomine Hierosolymam esset profectus. Item quòd ipse Paulus potius correxerit Petrum , ídque in obseruantia legalium, quæ legalia Galatæ iterum admiserant Iudaico more. Et hanc correctionem Petrus æquo animo tulit. Atq; hæc prior est propositio. Altera est,quæ ad ipsam causam pertinet, & ob id generalis potest dici. Quæritur enim hîc de genere doctrinæ, quod apud omnes Ecclesias valere debet,scilicet fide in Christũ,mera Dei gratia,nõ operibus legis, aliísve ceremoniis nos iustificari. Hæc deinceps tractatur capite 3.4.& 5. quamuis hinc inde primo & secundo capite quoque aspergatur superioribus. Et hanc propriè opponit aduersariorum doctrinæ,eámque confirmat validis rationibus. Loci insignes sunt de iustificatione per fidem,de natura legis,circumcisionis,de bonis operibus,aliísque,&c.

DIVISIO.

1. Membra sic connectantur. Initio titulus est, qui more solito constat subscriptione, inscriptione & salutatione.Inseritur locus de sua vocatione,quòd immediatè à Deo ad hoc munus docendi accesserit,& attingitur principalis propositio, quòd Christi morte simus redempti à peccato secundum voluntatem Dei Patris , quod nihil aliud est dicere quàm quod

quod in secunda propositione explicuimus.¶Secundo loco sequitur exordium quod sumit ab admiratione noui lapsus. Nam reprehendit in eis facilitatem. Hoc loco statuitur propositio prior, non debuisse deficere ab eo genere doctrinæ, quod à Paulo acceperant. Tertio loco subnectitur narratio, in qua agit de rebus suis, hoc est, de sua vocatione, doctrina, peregrinationibus, congressu cum reliquis Apostolis, conuersatione cum Petro, eiúsque lapsu, & reprehensione sua, qua simulantem & dissimulantem castigauit.¶Quarto loco statuitur πρόθεσις, propositio totius causæ, quòd scil. fide in Christum, sine operũ dignitate iustificemur, id proponit capite 2. versu 16. & nonnihil explicat vsq; ad finem illius capitis, additis rationibus more suo. Quinto loco sequitur κατασκευὴ confirmatio propositionis, principio 3. capitis. Continuatur propositionis confirmatio per totum caput 3. 4. & principium quinti cap. Sexta pars continet παραίνεσιν, quæ superioribus annectitur per præoccupationem c. 6. ver. 13.¶Locus totus est de doctrina operum, de dilectione proximi, de fructibus spiritus & carnis, de lenitate erga infirmos exercenda, de victu quem Ecclesię debent piis doctoribus, de libertate Christiana moderanda, de beneficentia in pauperes: producũtur hæc vsque ad versum 11. capitis 6. Septima inde pars constituatur. Epilogus scilicet, in quo pauca quædam repetit de ingenio malorum doctorum, quorum opera circumcisio & alia legalia illis erant obtrusa, de vera gloria, de sua conditione, & cupiditate hic emigrandi: atq; hæc generalia videntur. Ad finem breui comprecatione totam concludit Epistolam.



IN EPISTOLAM AD GLATAS ΠΡΟΛΕΓΌΜΕΝΑ.

Qui fuerint Galatæ.



ALATÆ Asiatici populi fuerunt, originem ducentes ab Europeis Gallis, quos Græci tum γαλάτας tum Κέλτας vocarunt. Nomen adepti ἀπὸ τοῦ γάλακτος, hoc est, lacte, quòd corpora alba haberent, non more Italorum & Hispanorum fusca, aut Asiaticorum instar denigrata. Quomodo autem ex Europa in Asiam transierint, ac sedes illinc inter Bithiniam & Capadociam obtinuerint, vide Strabonem lib. 12. Iustinum lib. 25. ab initio. Liuium lib. 8. Decad. 4. Plin. lib. 5. cap. 32. Galatarum, origo.

Apud hos Galatas seu Gallogræcos bis fuit Apostolus, semel Act. 16. cap. quo tempore Spiritus illum prohibuit illic loqui quòd nimirum aliò vocaretur. Deinde iterum ad eos venit ca. 18. Act. quo tempore exposuit illis fidem in Christum, docens gratia Dei nos per Christi merita saluos reddi, sine circumcisionis, operum legalium, ac temporum obseruantia. Nec defuit successus, nam Ecclesiam illic Christi constituit florentissimam.

Occasio scribendi.

Oblata est occasio. Nam post Apostoli discessum in Galatarum Ecclesia cœperunt pseudodoctores multa innouare, nominatim in ritibus quos Iudaico more instituebant, vt temporum discrimina, nouilunij, neomeniæ, circumcisionis obseruantiam & similia, quibus simplicitatem doctrinæ Euangelicæ corrumpebant, & vt illa obtinerent apud auditores non abstinebant à calumniis, quibus Apostolum Paulum in contemptum vocabant, vt quòd cum Christo non fuisset conuersatus, non etiam Apostolos audiuisset, qui circumcisioni non resisterent, aliáq; legalia obseruarent & similia, quibus nõ solùm personam, sed doctrinam quoque in contemptum vocabant. Quare permotus Apostolus hanc Epistolam ad eos scripsit, vt corruptelas illas emendaret ac Galatis indicaret quales iam haberent doctores, impostores scil. & corruptores Euangelicæ veritatis.

Status.

Duplex hîc propositio consideranda est, Generalis ad quam tota respicit Epistola: scilicet Galatas in simplicitate doctrinæ Apostolicæ debuisse constanter perdurare, nec ita

faciles sese præbere ad defectionem à semel suscepta doctrina. Huc respicit tota argumentatio. Nam in exordio statim dicit, se non per homines, nec ab hominibus vocatum, sed ab ipso Deo per Christum. ergo non debuerant eius doctrinam deserere. Deinde à persona nouorum doctorum, illi vos perturbant, & nouum instituunt Euangelium, contra mentem Christi, igitur non sunt audiendi. Mox in narratione ab autore suæ doctrinę idem ostendit. Euangelium quod Galatis prædicauerat, accepit à Deo, igitur non erat sic facilè deserendum. Item quòd ab Apostolis postea sua doctrina nulla in re sit correcta, cùm eo nomine Hierosolymam esset profectus vt cum illis conferret. Item quòd Petro in faciem restiterit, cúmque ab huiusmodi obseruantia Iudaicarum ceremoniarum correxerit & similia.

¶ Altera propositio est de ipso doctrinæ genere, scilicet fide in Christum non operibus legalibus, aut ceremonialibus nos iustificari. Hanc immediatè opponit doctrinæ falsorum doctorum, atque eam multis validísque rationibus confirmat. Locus hîc explicatur de iustificatione, de fide, de lege, de operibus legalibus, alijsque articulis doctrinæ suæ, quos pridem viua voce apud eos explicuerat.

Partes.

Epistolæ membra sic cohærent. Primò more suo titulum ponit, vt constet cuius sit Epistola, ad quos scripta & quo affectu. Imprimis autem hîc meminit suæ vocationis, quòd ad munus docendi immediatè accesserit, non per homines vocatus. Secundò, exordium subiicitur quod ducit ab admiratione, in illis reprehendens facilitatem deficiendi à vera doctrina. Tertiò, subsequitur narratio de rebus suis, hoc est, de sua vocatione, de doctrina, de peregrinationibus, de congressu cum reliquis Apostolis, de reprehenso à se Petro & similibus. 4. Κατάστασις, quod scilicet fide iustificemur sine operibus. Hanc sententiam vers. 16. capitis secundi proponit, eámque sequentibus, tertio, quarto & partim quinto confirmat. Explicantur hîc varij loci, in primis allegoria illa suauissima de Sara & Agar. Quintò vers. 13. capitis quinti nouum locum ingreditur de doctrina operum, quem videtur superiori disputationi subiicere per præoccupationem. Totus hic locus paræneticus est, de dilectione proximi, de operibus carnis, de operibus Spiritus. Pertinent huc quæ initio sexti capitis disserit, de lenitate erga infirmos exercenda, de victu quem doctoribus debent Ecclesiæ, de lenitate erga infirmos exercenda, de victu quem doctoribus debent Ecclesiæ, de beneficentia in pauperes. Sextò, vltima pars est Epilogus vers. 11. capitis vltimi, in quo pauca quædam repetit de ingenio malorum doctorum, de circumcisione, cur illam requirant illi seductores, de vera gloria, & Apostoli tum temporis conditione.

Genus.

Principale hîc genus constituo ἐπανορθωτικόν. Nam certum est Apostolum voluisse corruptam doctrinam veritatis per falsos doctores corrigere, quæ corruptelæ nisi incidissent in illam Ecclesiam, non erat scripturus talem Epistolam. Corruptelæ autem erant, quòd paterentur nonnulli se circumcidi, quòd iam seruarent temporum delectum, & alia quędam, quæ conatur radicitus tollere ex Galatarum Ecclesia, & his substituere iterum simplicem illam doctrinę formam, quam apud eos primitus reliquerat. Accessoria deinde sunt, quibus principale illud exornatur & absoluitur, & est ἀπολογητικόν de se suáque vocatione & conuersatione cum Apostolis: ἐπιτιμητικόν cap. 1. 3. & 4. quo illos grauiter culpat, vt inconstantes, stultos, & superstitiosos. 3. διδακτικόν, quo confirmat iustitiam fide contra operum merita, legis abrogationem & similia. 4. προτρεπτικόν, quo hortatur vt redeant ad suam doctrinam, ad opera renati hominis beneficentiam & similes virtutes. 5. Ἐπαινετικόν, quo Galatas laudat, c. 4. vers. 14. 6. παραινετικόν, cap. 5. admonens de necessariis virtutibus. Hæc mihi de constituendo genere verissima & aptissima visa est ratio.

CAPVT I.

Cap. 1. arg.



RIMVM caput reprehensione & narratione ferè consumitur. Nam Galatas obiurgat quòd à simplicitate doctrinæ veræ tam facilè desciuerint, simúlque ostendit quantum sit peccatum simplicitatem istam veritatis corrumpere Mosaicis obseruationibus, rem nimirum anathemate dignam. Hinc longa narratione exponit vnde hanc doctrinam habeat, nimirum Deo reuelante & vocante ipsum, non ab vllis hominibus vtut sanctis.

Partes tres sunt. Initio titulus est qui complectitur subscriptionem, Inscriptionem, & salutationem. Deinde sequitur, πρόθεσις in exordio Epistolæ, cui additæ sunt rationes aliquot. Tertiò, instituitur narratio de sua vocatione ad Christianismum, vt ostendat diuinam esse hanc doctrinam, quam illis ore tenus priùs proposuerat. De titulo nunc agemus.

Titulus.

Summa tituli est: Paulus aliíque fratres Galatis precantur gratiam & pacem à Deo. Hæc

Hæc propositio ferè omnium Epistolarum Apostoli, titulis communis est. Tractatur autem non eodem modo, sed in singulis epistolis aliquid habet peculiare, ita hoc loco sua illa est tractatio propria.

Compositus est titulus ex ὑπογραφῇ subscriptione, quò pertinet Apostoli nomen, & fratrum qui cum illo erant, mētio. Ἐπιγραφῇ inscriptione, quò refero personam Galatarum ad quos scribit; & ἀσπασμῷ salutatione, quò pertinet comprecatio gratiæ & pacis.

De se magnificè loquitur, non enim contentus est Apostolica dignitate, sed simul vocationem immediatam sibi arrogat, paremque cum cæteris duodecim à Christo electis authoritatem. At de nomine Pauli diximus copiosè in epistola ad Rom. quò remittimus lectorem. Similiter de voce Apostoli, saltem id hîc addimus nomen hoc esse Ecclesiastici ordinis in nouo Testamento supremum, vt olim erat propheticum munus. De quo Ephes. 4. 1. Cor. 14. Ac à Domino Christo duodecim fuisse institutos certo cōsilio, quibus tamen postea plures accesserint. Nam Timotheo idem titulus tribuitur & aliis nonnullis. Et hîc D. Paulus sese illis eodem titulo & dignitate pari connumerandum contendit.

Vtitur autem eleganti argumentatione, primùm remotione repudians illegitimam vocationem, aut etiam legitimam, non autem supremam, deinde thesi sumit sibi præstantissimam, ἀφαίρεσις est, non sum vocatus ab hominibus, siue illi ius vocationis habeant siue minus. Nam si à Petro ac similibus fuisset vocatus, ab hominibus quidem vocationem habuisset & legitimam. Tales erant illi noui doctores, partim qui se Apostolorum discipulos dictitabant. Sin ab aliis falsis doctoribus subornatus venisset ad docendi munus, iterum quidem ab hominibus vocationem haberet, sed illegitimam. Itaque in genere repudiat vocationem, quæ illi ab hominibus dari potuisset. Primùm quia falsa esse poterat, deinde si bona fuisset, non tamen summæ authoritatis. Voluit enim Dominus hoc organum munire summa potestate docendi. Repetit hoc alia dicendi forma: Neque per hominem. Prior sententia accipi potest de illegitima vocatione, quæ autorem hominem haberet. Hæc iam de legitima, sed quæ per hominem confirmata vel procurata esset. Sententia enim est, vocationis meæ homo non est author, nec etiam medium. Illic efficientem causam remouit, hîc organum quoque tollit. Θέσις vtrunque ad Deum refert. Nam medium vocationis suæ est Christus filius Dei Act. 9. autor verò ipse Deus pater qui filium excitauit à mortuis. *Cur Paulus à se humanā vocationem remoueat.*

1. Obseruandum hîc nobis vocationem non esse vnius formæ. Alia enim est immediata quam sibi hîc tribuit Apostolus. Talis fuit Prophetarū & Apostolorum. Alia mediata, qualis ferè hodie est in ministerio Ecclesiæ, & hæc tum legitima est tum illegitima. Legitima quæ fit per eos qui ius vocationis habent vocandi bonos ad sanam doctrinam propagandam. Illegitima verò, vel per eos qui ius vocandi non habent, vel si habent, impios præficiunt & indoctos, vel sponte sese ingerunt, ipsi doctores falsi. *Vocationem non esse vnius modi.*

2. Deinde quia Apostolus tanta constantia asserit vocationem suam, discendum nobis est, oportere nos certos esse de vocatione nostra, nam facit id ad conscientiæ integritatem & alacritatem docendi, si nullis artibus procurata sit vocatio, sed ordinariis mediis ad illam accesserimus. *Oportere ministros de vocatione sua esse certos*

3. Tertiò, gloriari loco & tempore nobis licere de vocatione, vt hîc Apostolus falsis doctoribus opponit magna dicendi libertate vocationem suam, ac præfert se illis quòd ipse à Deo sit vocatus, illi verò ab hominibus, aut fortè etiam vltro sese ingerant in hoc munus.

4. Quartò, insignis hic locus est de diuinitate Christi, nam cùm se nōn ab hominibus vocatum testetur, à Christo autem affirmet, consequens est Christum homine aliquid maius esse. Deus igitur est. Sed dices, Christum Deo coniungit ac separat ab hominibus, igitur homo non est, negamus. Hominem autem esse declarat cōsequens clausula, qui excitauit eum ex mortuis. Non poterat excitari nisi priùs mortuus esset, si mortuus est, mortalem fuisse oportet. Fuit igitur Christus homo quia mortuus est, & idem fuit Deus quia ab hominibus hîc separatur in vocatione Apostoli.

5. Quintò, Christi resurrectio est quæ nostram confirmat salutem. Nam illius hîc mentionem ideo facit, vt ostendat, circumcisione, obseruātia temporum, aliorúmque legalium minimè opus esse, sed Christi merito nos iustos effici. Sic Rom. 4. dicit illum excitatū propter iustitiam nostram. Itaque nulla erat ratio cur Galatæ circumciderentur.

6. Sextò Patri hîc tribui quòd filium suscitarit, id tamen diuinitati filij nihil derogare Christus. Ioan. 10. rectè inquit se potestatem habere ponendi & sumendi animam, ideo & filius se ipsum excitauit, & pater excitauit. Non enim sequitur, pater hoc fecit, ergo filius non fecit, quia opera illa diuinitatis, vt dicunt, ab extra sunt indiuisa.

Sequitur alterum personarum genus, *Et fratres qui mecum sunt omnes.* Fratres communi more scripturæ vocat credentes, & eiusdem religionis consortes, vt Matth. 28. & 5. ac alibi. Cur autem sibi addat fratres, ratio est, vt seruet consuetam modestiam. Nam cùm Apostolis *Paulum*

sese æquasset vocatione, facilè ad arrogantiæ suspicionem hoc rapi poterat, ideo nunc submittit sese, fratres in consortium epistolæ admittendo, vt videant Galatæ nullo dominandi studio hoc scribi, sed communi fratrum consensu. Deinde consensus iste multorũ magnam vim habebat contra calumniatores & falsos doctores, ideo emphaticè dicit, fratres qui mecum sunt omnes, q.d. ego cum meis consensum teneo in doctrina Euangelij, quod falsi doctores de sua doctrina non possunt affirmare. Discamus consensum in doctrina tenere. Et quanquam de vocatione certus fuerit, tamen fratrum autoritatem hic allegat, ita nos in ipsa vocatione operam demus vt rectè iudicantium de causa religionis testimonia obtineamus. Hactenus exposita est subscriptio ὑπογραφὴ nobis dicta.

non fuisse dominandi studio ductum.

Inscriptio.

II. Explicanda etiam breuiter est ἐπιγραφὴ quæ continetur his verbis, Ecclesiis Galatiæ: de Galatis suprà iam diximus. Hîc illud obseruãdum est quòd Galatas enormiter lapsos, ornat tamen Ecclesiæ titulo, ex quo efficitur lapsis non esse negandam veniam, de quo etiam diximus. 1. Cor. 1. vbi sanctos appellat, quos tamen ob diuersos errores grauiter obiurgat. Id non obseruarunt olim Nouatiani & hodie qui lapsos mox omni venia indignos censent. Nos igitur discamus non mox desperandum esse de peccatoribus, imò Ecclesię membra esse posse. Nam Ecclesia alia est pura & sine ruga Eph 5. quæ sola in cælis locum habet. Aliàs dicitur de cœtu commixto bonis & malis, qualis erat Galatarum Ecclesia & Corinthiorum, omnésque in summa cœtus quandiu in his terris viuunt & profitentur Christi religionem. Atque hæc vel vniuersalis est quatenus consideratur vt vnum corpus collectum ex omnibus nationibus. Aliàs specialis, quales sunt priuatæ Ecclesiæ. Deinde Ecclesia illa aut vera est, in qua sonat doctrina vera & sana illius interpretatio, aut hypocritica, in qua sana doctrina & verus sacramentorum vsus locum non habet, qualis erat synagoga Iudaica tempore Christi & Apostolorum. Interim si maximè sana audiatur doctrina & verus habeatur sacramentorum vsus, tamen mixta est bonis & malis, præterea falsi doctores semper aspergunt veræ doctrinæ traditiones humanas, aut obseruationes aliunde petitas, vt apud Galatas fidei in Christum addebãt Circumcisionem, discrimina temporum, ciborum, & similia, quæ omnia quanquam Apostolus damnat, tamen agnoscunt Christi Ecclesiam.

Deinde quia plurali numero illos Ecclesias vocat, satis constat Apostolum plures cœtus in Galatica regione docuisse & instituisse Ecclesias particulares multas. Hos cœtus omnes corruperant falsi doctores, adeò vt omnes emendatione indigerent, tam ferax est zizaniæ prouentus, ideo vigilãter custodiendus est ager Domini. Tertiò nullo tamen alio titulo illos ornat, sed nudo Ecclesiarum nomine, ex quo voluit illos admonere de lapsu. Grauiter lapsi erant à simplicitate fidei, ideo non sanctos, non dilectos, non fratres vocat, quasi dicat, vix Ecclesię nomen retinetis. Quia tamen non omnes erant corrupti à meliori parte totum cœtum denominat.

III. Superest salutatio Epistolaris, quæ ad tertium propositionis membrum pertinet, continetur versibus 3. 4. & 5. Initio considerandum est quid comprecetur illis, duo scilicet maxima bona χάριν & εἰρήνην. Χάρις non est simplex dilectio, sed gratuita Dei beneuolentia, nihil tale merẽtibus nobis, nos gratos illi in Christo faciens, hoc est, acceptos & reconciliatos. Sic pax effectus gratiæ est, significans conscientiæ tranquillitatem Rom. 5. Iustificati per fidem pacem habemus apud Deum.

Deinde vnde hæc bona nobis contingant, à Deo patre, & Domino Christo. Gratiam ad Deum patrem referre licet, tanquam scaturiginem & originem aut fontem reconciliationis. Pacem verò ad Dominum Christum tanquam organum reconciliationis, is enim est qui pacem nobis confecit. Interim certum est, Gratiam Filij quoque esse, & pacem Patris quoque dici, de quo suprà.

Tertiò, obseruãda est declaratio beneficij Christi: nam breuiter digreditur in declarationem mortis Christi, cuius proponit causam efficientẽ & finalem. Tradidit, inquit, seipsum pro peccatis nostris. Duplex subindicat causarũ genus mortis Christi. Nostra peccata impellens sunt causa, quia nulla alia ratione poterant deleri, non ab hominibus, non ab Angelis, non vlla alia creatura, nec pares erant vllæ hostiæ à Deo institutæ. Itaq; filium Dei oportuit assũpta humana natura hostiam fieri pro nobis. Deinde spõte tamen hoc munus subiuit, ne putemus vi aliqua coactum, & necessitate quadam extrinseca. Amor erat in ipso Deo hominem diligens natura, & commiserescens illius miseriis. Deinde in morte Christi non tantum valuit astutia Iudæ proditoris & consilia Pharisæorum, vt Filium Dei morte pessima obruerent, nisi libera sua voluntas accessisset. Ideo rectè dixit Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me, finalis causa mortis eius est vt nos liberaret ex præsenti seculo malo, hoc est, nos in gratiam cum Deo patre restitueret, vita æterna donaret. Αἰών non sumit philosophorum more ἀεὶ ὤν, sed pro mundo qui principium & finem habet, & præsens vocat seculum, non vt physici τὸ νῦν vocant præsens, sed totum mundi cursum, à primo

hominis

hominis lapsu vsque ad mundi finem. Totum hoc dicitur præsens, respectu futuri, hoc est, vitæ æternæ. Duo enim nouit tempora scriptura, præsens quod de hoc dicitur seculo, & futurum quod dicitur de vita æterna. Alio modo Deo dicuntur omnia præsentia, de quo nihil hîc, sed præsens hîc ad nos refertur. Πονηρὸν autem dicitur, hoc est, prauum, malitiosum, non solùm quòd consilia illius & occupationes attinet, ipsam naturâ, vt dicitur alibi, Mundus in malo est, h.e. totus quantus quantus est corruptus est & malitiosus. Hanc prauitatem ergo aliquando delebit Deus in vniuersum, nunc sanctos suos vocãdo ad filij sui cognitionem: in fine mundi autem in totum beatificando, & impios segregando ab electis, vt illis molesti deinceps esse non possint. Id autem totum situm est in voluntate Dei, vt sciamus doctrinam hanc cœlitus esse reuelatam, non ab hominibus inuentam, aut à philosophia ortum habere. Porrò Deus pater hîc dicitur, vt sciamus in Christo nobis reconciliatum. Nam Deus prius nõ pater, sed Dominus dicebatur, in filio autem nos etiam patrem nacti sumus, sic Ioan. 20. Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum, patrem meum & patrem vestrum.

Quartò comprecationem δοξολογία concludit versu 6. significans beneficiorum Christi nos debere memores esse, semper eum gratiarum actione & celebratione nominis diuini. Mos ille Apostolo passim est. De voce Amen alibi diximus, Iustinius vertit per γένοιτο. Vide 2. apologiam. Acclamatio qua sacerdotis preces concludebat populus adstans in actione Cœnæ Dominicæ.

EXORDIVM.

6. *Miror vos ita citò.*

TRIA hactenus exposita sunt, ἐπιγραφὴ, continens personas scribentium: ἐπιγραφὴ, explicans personam eius ad quẽ scribitur Epistola præsens, & ἀσπασμὸς, h.e. salutatio, quæ complectitur amicam comprecationem gratiæ & pacis. Nunc explicandum est nobis Epistolæ initium. Vocamus id more recepto exordium, sumitur que ab ipsa rei controuersia, malè scilicet factum à Galatis, quòd ab Apostoli doctrina defecerint ad impostorum dogmata, hinc autores defectionis graui ferit fulmine, ac quomodo docenda sit veritas non obscurè indicat, nimirum sine hominum respectu, siue id placeat mundo siue minus. Exordij argum.

Duo hîc sunt consideranda propositio & confirmatio. Propositio generalis est totius Epistolæ, quam his verbis possis efferre. Galatæ non debuerunt doctrinam Apostoli ita facilè deserere. Initio vestit propositionem admiratione, *Miror autem vos hoc fecisse*, non debuerant ergo facere, quia præter spem Apostoli erat. Miramur primùm miracula propter raritatem & modum insolitum, itẽ propter metum futuri effectus. Deinde miramur etiam illa quorum causas non intelligimus, sic indocti admirantur eclypses, ergo rationes illarum ignorant. Denique quæ præter spem accidunt, quanquam de causis non dubitemus, sed effectus non ita faciles esse ad istas causas iudicamus. Sic Apostolus miratur Galatas defecisse, quia non putabat ad primum impostorum arietem ipsos defecturos. Et valet hîc argumentum ab incredibili, nunquam hoc facturos vos credidi, igitur factum non oportuit, non enim decet boni doctoris spem fallere, imò spei per omnia respondendum est.

Deinde addit πάθος à temporis breuitate. *Ita citò*, inquit, *defecistis*, igitur ineptè factum. Vincuntur interdum homines longa mora & diutina instantia, sic vos non defatigati estis, igitur stultè fecistis, magnum est crimen inconstantiæ. semel agnita veritas constanter est defendenda.

Tertiò addit ipsum defectionis crimen, sed leuiori voce, *transferemini*, inquit. Transferri hîc est à vera & simplici doctrina Euangelij transire ad corruptam doctrinam obseruationibus humanis. Hieronymus putat ea voce allusum esse ad appellationem Galatarum, q.d. reuera estis Galatæ, h.e. mobiles & inconstantes. Significat enim *galal* apud Hebræos volutari, rotari, quod ipse Græca voce dixit μετατίθεσθε. Obseruanda autem hîc est Apostoli lenitas erga lapsos. Passiua voce vtitur, vt significet, illos non tam voluntate, quam vi & dolo transferri. Tacita igitur est translatio criminis, qua mox infrà apertè vtitur, *sunt qui vos perturbant*. Præterea præsens est verbi significatio, significans eos recenter cœpisse nutare, adeò vt adhuc sint in actu, nec dum perfectè ceciderint, malum nondum induratum & immedicabile est, nondum radices egit. Allusio.

Quartò, à quo defecerint indicat, *ab eo qui vocauit vos*. Ambigua est sententia, alij subintelligunt Christum vocantem à quo defecerint, sic exponit Hieronymus: alij Deum patrem, vt Chrysostomus: nam vocare, trahere apud Ioannem Patri tribuitur. Mihi tertia placet sententia, vt intelligamus Apostolum Paulum, q.d. à me meáq; doctrina defecistis ad impostores, qui legem vobis obtrudunt: nã Paulus illos docuit & quidẽ primus. Deinde mox A quo defecerint Galat.

se falsis opponit doctoribus,& suum Euangeliū omni aliorum doctrinæ. Deniq; non nouū est vocationē tribui ministris ac ministerio, vnde cooperarij Dei dicti sunt,& 2.Thes.2. dicitur qui vocauit vos per Euangeliū nostrum. Et propositioni hic sensus optimè inseruit, nam huc incumbit tota oratio illos non debuisse ab ea fidei simplicitate quā à Paulo acceperant, deficere. Quòd autem indefinita vtitur persona, modestiæ est. Deinde aculeū relinquit in eorū animis dum cogitant, ecce Paulus vos nihil tale docuit qualia vos sequimini.

Quintò, addit doctrinæ breuem repetitionem, vt sciant quid à Paulo didicerint, & quid nunc sequātur, quàm hæc discrepent. *In gratiam Christi*, quasi dicat, hæc summa meæ fuit doctrinæ, vt crederetis vos gratia Christi saluos fieri sine operibus legis. Simplex fuit & certissima docendi ratio, ab hac receditis imprudenter & magno vestro damno.

Sextò, *in aliud Euangelium transitis*. Antithesis est, quasi dicat, aliena est hæc doctrina à mea. Aliud Euangelium vocat doctrinam Euangelicam, sed mixtam obseruationibus legalibus, vt quòd simul circumcisionem obseruabant, quòd sabbatha, aliásque Mosaicas traditiones, quæ quæstio agitata est Act. 15. & decisa doctrinam Euangelij his non esse commiscendam, & adulterandam. Hactenus propositio, ostendens quid illi commiserint, quod tamen factum non oportuit.

Doctoris boni prudentia. Obseruemus hîc quæ sit prudentia doctoris boni, Galatis quidem lenis est Apostolus, culpam in corruptores transfert, de Galatis spem retinet, illic implacabilis, hîc admodum mitis. Sic oportet erga peccatores non asperum esse nimium, corruptoribus autem implacabilē. Sic Christus erga Phariseos. Baptista itidē, Paulus præsenti loco, & suprà Corinthiis.

Deinde lenitas Apostolica sic attemperata est vt sinceritatem retineat, non blanditur, sed errores aperit, sic ministri lenitas non sit adulatio, sed amica reprehensio.

Auditores etiam hîc obseruent facilē esse lapsum in causa religionis, ideo non sint præsumptuosi, sed qui stat videat ne cadat. Pusilla quoque errata non contemnant, ne malum immedicabile fiat. Id nobis ideo diligentiùs est obseruandum, quia Galatis origine coniuncti sumus: à Gallis enim ac mixtis Germanis ortum habent vt nos, initia doctrinæ simplici formula accepimus: caueamus igitur ne impostoribus nos permittamus. Denique considerIanda est impostorum astutia. Nam puris cœtibus imprimis insidiantur, adeóque facili successu, vt vno momento plus destruant & corrumpant quàm multis annis multi boni doctores posint restituere.

Impostorum astutia.

7. *Quod non est aliud.*

Sequitur κατασκευὴ propositionis. Obseruent lectores diligenter scopum orationis: Galatæ non debuerunt à simplicitate doctrinæ quam à Paulo acceperant deficere, id probandum est toto cursu disputationis. Resoluamus igitur argumenta vt videamus quibus nitatur fundamentis.

Primum ex titulo sumamus: Paulus non est vocatus ab hominibus, nec per hominē, sed immediatè ab ipso Deo, ergo ab illius doctrina non erat recedendum. Nam summis Apostolis non est inferior, de Apostolorum autem doctrina certi sumus quòd sit diuinitus inspirata. Contrà illi sycophantæ firmam vocationem non habent, solùm sunt Apostolorum discipuli, quòd illos non liberat à suspicione falsi, cùm discrepent in summa fidei.

2.Tim.3.

Secundum ex verbis propositionis: quia fui vester primus doctor fidei Christianæ. A primis doctoribus veritatis non decet facilè desciscere, vos citò defecistis à me, igitur peccauistis grauiter, aut facti aliquam reddite probabilem causam, quòd non potestis: manendum igitur fuerat in prima illa doctrinæ simplicitate.

Tertium à genere doctrinæ: de gratia Christi solùm vos institui, hoc est, vt sciretis illius merito vos iustos esse pronuntiandos coram Deo, & ad hanc iustitiam nihil opus esse circuncisione, & aliis legalibus. Simplicissima autem & facilima ratio in qualibet re seruanda est: hæc fuit talis, ergo, &c.

Vnam esse verā doctrinā. Quartum in aliud Euangelium non erat transeundum, nam in qualibet re vnum quiddam verum est, præsertim in religione, vna est vera, cæteris omnibus corruptis. Vestri illi doctores monstrant aliud Euangelium, hoc est, pseudoeuangelium, corruptum traditionibus Mosaicis, aut monstrant in meo Euangelio errores, quod non possunt. Obserua corruptores titulo Euangelij fallere, vt piscatores qui hamum obducunt quadā esca, & aucupes laqueos tegunt sarmētis & cibo auibus grato, sic illi non nudos ponunt laqueos, sed illitos titulo veritatis. Ideo hoc versu 7. ἐπανόρθωσει corrigit orationem suam, *in aliud Euangelium*, quasi dicat, quid dico aliud Euangelium? non potest aliud esse nisi falsum. Vnum enim est sua natura, vt Deus vnus, vna fides, vnus mediator, vnum baptisma, sic vnum est Euangelium. Cùm igitur illi aliud afferunt mixtum legalibus obseruationibus, certum est illud falsum esse. Vnum autem dicitur consensu doctrinæ, de merito & gratia Christi, ideo Marcion erroris conuincitur, qui ex hoc loco contra Euangelistas quatuor egit. Vnū est Euangelium,

Marcionis error.

gelium, ergo vnus Euangelij scriptor. Non sequitur, putauit is quatuor Euangelistarum libros, totidem esse diuisa Euangelia, quod falsum est, alioquin nullius foret recipiendum, sed solius Apostoli Pauli, ac nullum illius nomine extat scriptum, nisi Epistolas eo nomine recipiamus, quod verum est. Epistolæ enim suæ Euangelium illud vnicum habent. Idem habent historiæ quatuor Euangelistarum.

Quintum argumentum ex versu 7 nam illic μετάςασιν apertam instituit, & culpam transfert in doctores, *illi, inquit, perturbant vos, & conantur peruertere Euangelium Christi.* Ταράττειν hic est perturbare conscientias, anxias reddere, incertas de salute, vt nesciant auditores quid tutissimè sequantur. Μεταςρέφειν autem doctrinam Euangelij obducere à vero scopo, commiscere legalia, euertere simplicitatem eius. Hinc efficimus igitur quintum argumentum ab effectis. Doctrina illa fugienda est quæ perturbat conscientias, incertas de salute facit, & euertit Euangelij simplicitatem, talis est nouorum apud vos doctorum, ergo fugienda erat & manendum fuerat in mea. Obserua miscere legalia cum Euangelio Paulo esse Euangelium peruertere, & perplexas relinquere conscientias, id hodie in dogma abiit, scholastici enim iubent de gratia dubitare, nec sciri posse an sis in gratia necne, id expressè hic damnatæ tribuitur doctrinæ. Scholasticorum dogma.

8. *Sed etiamsi nos aut Angelus è cælo.*

Sexta ratio à comminatione pœnarum. Authores illius noui Euangelij anathemati subiiciuntur, ergo in illud vobis non est transeundum. Apostolus miro ardore instruit argumentum à maiori. Angelus hic excusari non potest, nec ego ipse, nec alius optimus quisque doctor, ergo multò minus illi vestri Sycophantæ. videte igitur quàm periculosis doctoribus vos commiseritis. Anathema Hebræi significant rem abominabilem Deo, vt Esaiæ 6. & 7. de Ierichunte, de ea voce, vide Rom. 9. & 1. Cor. 16. item 12.

Obserua hic Euangelio huic vnico quod docuit Apostolus Paulus nihil esse addendum nec detrahendum, alioquin anathematis fulmen metuendum est. Similia Moses statuit de legis perfectione Deut. 5 Videant ergo qui scripturam imperfectam esse dicunt, nec omnia ad salutem necessaria continere, à patribus reliqua & conciliis supplenda. Videant, inquam, quomodo anathematis sententiam euadant.

9. *Vt antè diximus, nunc iterum dico.*

Præoccupatio. Poterat enim videri prior sententia de anathemate irato excidisse, quam semotis affectibus fortasse nollet esse ratam, id vt diluit, eam data opera repetit. Itaque indubitata & certa illa debet esse sententia, idem dicit verbis paululum variatis, graue fulmen est fulmen anathematis contra corruptores simplicitatis in doctrina Euangelij.

10. *Nunc enim an homines.*

Septima ratio hinc petenda est, non docui ad placitum, non fui in docendo ἀνθρωπάρεσκος ergo à mea doctrina non debuistis deficere, certissimum enim est falsæ doctrinæ argumentum, si doctores ad gratiam loquantur hominibus, non Deo sese approbent.

Aptissimè autem cohæret argumentum. Præcedenti contendit non esse docendum aliud Euangelium quàm suum, nunc id confirmat, quia non doceo humanum sed diuinum Euangelium. Instituit autem interrogatione quadam ac complectitur membra pugnantia, quorum tantùm verum esse potest. Hominésne suadeo an vero Deum? hoc est, humanitus excogitatam doctrinam, an verò diuinam affero. Nam verbum πείθω accusatiuo constructum satis indicat, non de auditoribus se contendere, homines enim se docere non Deum, manifestum erat, sed de qualitate doctrinæ cum aduersariis Galatis iudicibus contendit, quasi dicat, dicite vos mihi qualis sit doctrina mea, humanam aut diuinam esse oportet, humana non est, quia ad placitum non est accommodata, diuinam igitur esse oportet, cur igitur ab hac deficitis?

Obserua boni doctoris proprium esse non ad gratiam docere. *Fallitur & fallit vulgi qui pendet ab ore.* Et Christus Matt. 6. hypocritis id tribuit, omnia sua opera faciunt vt spectentur ab hominibus. Et Ioan. 5. Sed dicis, quomodo igitur dixit Apostolus. 1. Corinth. 9. se omnibus omnia factum? Resp. Bonis placere non excludit simul quin placeat Deo minister, sed malis velle placere in doctrina, & illam flectere ne gratiam amittas, hoc demum hîc prohibet. Si igitur sic possis placere hominibus vt simul Deo te approbes, bene est, sin vt fit, illa sese ferre non possint, oportet Deum sequi neglectis hominibus. Veronensis potius malis esse ciuis, quàm Placentinus, raro simul stare possunt.

Narratio.

11. *Notum autem vobis facio fratres.*

Tertiam epistolæ partem hinc auspicamur, nam perpetua hîc texitur narratio de vita sua ante vocationem, de immediato vocationis modo, déque doctrina sua post conuersionem. Narrationis argu.

Cùm enim obtrectatores passim de illo spargerent non esse eandem suam cum aliorum Apostolorum doctrinam, euincit eandem esse, nec dissidere in religionis capitibus. Initio autem de præceptore agit, se nõ hominem, sed Deum, in hac habuisse autorem, ideo non erat reliquis inferior. Deinde triennio toto docuit prius quam conueniret Apostolos, ergo ab ipsis illam non habuit, & postquam eos conuenisset, illi nihil mutarunt in Paulina doctrina, ex quibus manifestum est diuinam esse. Nos referamus ad principalem propositionem quæ est: Galatis non erat Apostoli doctrina deserenda. Hanc aliquot rationibus suprà probauimus, nunc eius nouum producitur hîc firmamentum, scilicet quia doctrina eius non humana sed diuina sit. Specialis igitur hîc est propositio, Mea doctrina diuina est ab ipso Christo mihi tradita, id tota hæc narratio probat.

Partes sic cohærent, principio proponit, mox propositionis affert rationem, tertiò addit rationis confirmationem. Atque tertia illa pars narrationem complectitur, quæ diuisa est in tres partes. Nam primò exponit τὰ ἡγούμενα, hoc est, antecedentia, secundò τὸ πραχθὲν, hoc est, ipsam formam vocationis. Tertio τὰ ἑπόμενα, scilicet quomodo à vocatione mox docuerit non consultis Apostolis, tandem post annos tres visendi causa Petrum accesserit, sed ab eo nihil mutatum fuisse in sua doctrina. Itaque diuinam esse oportet nec fuit à Galatis ita facilè deserenda, addit ad finem cõsensum ecclesiarum Iudaicarum, quæ Deo ob Pauli conuersionem mirificè gratias egerunt, quòd ex tanto hoste tantum effecerit doctorem & Ecclesiæ defensorem.

11. *Notum autem.*

Propositio est specialis. Mens Apostoli est, doctrina mea diuina est. Initio attentionem desiderat. Notum facio vobis scilicet in re graui & maximi momenti, attentos esse cupiens rem esse mirabilem, & supra vires hominis proferet. Quòd autẽ fratres vocat, iterum monet affectum fraternum peccatoribus non esse negandum. Autoribus quidem implacabiles esse debemus, sed erga seductos faciles. Hinc Corinthios sanctos vocauit, quãquam grauissimos alerent errores. Denique Euangelium suum inquit non esse κατ' ἄνθρωπον, hoc est, ἀνθρώπινον, vel hominum more ab aliis acceptum, varij enim sunt modi deueniendi in veritatis cognitionem, alij lectione, alij viuis præceptoribus vtuntur, alij aliorum ducũtur exemplo, quidam etiam picturis permoti sunt. Sed nihil tale Apostolus, non adeptus sum, inquit, mediis talibus Euangelij cognitionem. Id mihi nõ est κατ' ἄνθρωπον, hoc est, sum θεοδίδακτος qua les pauci sunt. Refert Augustinus de Antonio Eremita quòd impetrarit notitiam scripturæ à Deo & de quodam seruo barbaro, qui literarum rudis subitò ornatus sit dono legendi, vt oblatum librum expeditè legeret. Maius est quod de se refert hoc loco Apostolus, quòd totum Euangelij negotium diuina relatione acceperit.

12. *Neque enim ego ab homine id accepi.*

Paulum à Deo immediatè accepisse Euangelium. Ratio illa est qua probat πρότασιν: sententia est, non vsum vllo homine præceptore, sed filio Dei: ergo humana non est. Bipartita est ratio. Primò, remouet media humana, quibus alij ad cognitionem Euangelij solent peruenire, vt quòd discipuli sint Apostolorum, vel discipulorum discipuli. Non accepi nec edoctus sum ab homine. Prius referri potest ad Apostolos, posterius ad alios quoscunque, aut certè synonyma sunt, emphaticoteron tamen est posterius. Accipiunt enim multi gustum aliquem, qui non mox διδαχὴν solidam habent, vt multi docẽdi facultatem accipiunt ipsi rudes. θεὸς deinde est, *sed per reuelationem Iesu Christi*, h. e. insolito modo, & præter communem vocationem ego sum vocatus, qua in re non solùm aduersariis est superior, vt qui erant Apostolorum discipuli, sed ipsis etiam Apostolis, vt qui diu à Christo in carne erant imbuti, contrà Apostolus Paulus subitò edoctus est.

Obserua magnam esse gloriam bonorum preceptorum, de quibus boni viri loco & tempore meritò gloriantur. Maxima tamen Apostoli hic est gloria, quòd ne ab Apostolis ipsis suam doctrinam habet, sed ab ipso Christo. Deinde obiter hîc seruetur etiam argumentum

Diuinitatis Christi argu. diuinitatis Christi, non accepit ab homine Euãgelium, accepit autem à Christo: quo modo Christus aliquid maius est homine, non est homo hoc sensu, Deus igitur est. Non autem efficitur simpliciter esse hominem, quia loquitur de homine nudo in remotione, quales in genere omnes sumus. Christus autem cùm homo sit, simul Deus esse hinc conuincitur.

13. *Audistis enim.* Rationis est κατασκευή. Narrat autem bona fide historiam vocationis suæ, de qua vide Act. 9. Et quia ait Galatas audiuisse illam historiam, colligimus in omnibus Ecclesiis peruulgatam fuisse narrationem. Ἀναστροφὴ est vitæ genus, mores, acta, dicta, studia & similia continens. Iudaismum opponit Christianismo, tanquam pugnantissimum viuendi genus. Deinde non simpliciter erat Iudæus, sed *persequebar supra modum Ecclesiam Dei*. Sũt enim Iudæi natura hostes crucis Christi, at alius alio hostilior est. Tertiò, addit successum in suo conatu, *vastabam illam*, q. d. non deerat successus; feliciter succedebat persequendi studium, vt me vno patrono felix Iudaismus videri posset,

ſet,contrà me agente infeliciſſimi futuri eſſent Chriſtiani. Quartò,æqualium meorum ſtudia etiam vincebam, hoc eſt,inter Iudæos ingenio mihi nemo facilè conferri poſſet ex coetaneis.Id refero ad eruditionem & ſtudium legis.

Quintò,*Zelotes eram inſignis paternarum traditionum.* Qualis hic fuerit Zelus perſpici poteſt ex 10. cap. ad Rom. Non ſecundum notitiam, hoc eſt,cæcus quidam furor. Παραδώσεις alij accipiunt corruptelas per Phariſæos legi Moſaicæ additas, quales corrigit Chriſtus Matth.5. Verùm quia Apoſtolus non ſimpliciter illas damnauit,ſed ipſam circunciſionem & alia legalia diuinitus Moſi tradita,ideo de tota lege Moſis accipio,quaſi dicat, legis Moſaicæ acerrimus fui propugnator, hæc omnia nunc damno,fide in Chriſti meritum depoſita,ita cadent omnia opera legis contra doctrinam aduerſariorum.

15. *Quando autem viſum eſt Deo.*

Iam ſecundo loco narrat τὸ πραχθὲν, hoc eſt,ipſum modum conuerſionis. Obſeruentur hic cauſæ vocationis. Εὐδοκία ſuprema eſt cauſa in Dei conſilio repoſita, qui libera voluntate non conſultis nobis,deſtinat alium ad aliud vitæ genus. Deinde ſequitur ἀφορισμὸς in natiuitate ſeparans ſingulos.Sic Epheſ.1.Ante iacta fundamenta mundi nos ait electos eſſe. Sic Ieremiæ 1. Antequam natus eſſes noui te. Denique ſequitur vocatio aperta ſuo tempore, cuius organum eſt gratia Dei, ſeu potius plena cauſa efficiens. Finis autem docere filium Dei. Primùm quidem vt ipſe Paulus ipſum diſceret, deinde vt aliis eundem prædicaret.Vtrunque ſignificat phraſis ἐν ἐμοὶ,vel ſic ſimpliciter ἐμοὶ,vel organicè διὰ ἐμοῦ,vt ſequens etiam habet declaratio.

Obſerua mirabile Dei conſilium qui tam diu patitur errare Paulum, quem tamen ad tam inſigne munus deſtinauerat. Vtique illuſtrior redditur vocatio,& ipſe Paulus cogitur fateri hic nullum ſuum meritum habere locum ſed meram Dei gratiam. Talia omnia noſtra ſunt merita. Deinde opponi hîc doctrinam de filio Dei & legis. Euangelium enim eſt doctrina de filio Dei ſeu reuelatio de filio Dei, quaſi dicat, vocatus ſum non ad legem explicandam,ſed vt Chriſtum docerem.Sic de ſua vocatione loquitur Eph.3.verſ.8.9.&c. Dei conſilium in vocando Paulo mirabile.

16. *Statim non contuli cum carne & ſanguine.*

Tertia eſt pars narrationis τῶν ἑπομένων: oſtendit enim qualem ſe geſſerit mox à vocatione,à qua ſumatur hîc ſecundum argumentum, quòd doctrina eius ſit diuina & non humana,quia docuit priuſquam conferret cum vllis hominibus: ergo ab hominibus illam accepiſſe non poteſt.Caro & ſanguis debilior hominis pars pro toto per ſynecdochen. Intelligatur autem καθολικῶς pro quouis homine. Nec eſt hoc in contemptum reliquorum Apoſtolorum dictum,vt malitioſè dixit Porphyrius,ſed ad defenſionem diuinę vocationis contra calumniatores. Deinde non aſcendi Ieroſolymam niſi poſt annos tres. Triennio autem iſta docuit in Arabia, quæ triplex eſt: Petrea, Ægypto proxima,Deſerta & Felix,vnde orta fuit regina illa Saba. Remouet omnem humanam authoritatem à genere ad ſpeciem, non cum vlla carne,adeò vt ne cum Apoſtolis priùs contulerim,ergo non eſt humana. Quo ſenſu accipiat carnem & ſanguinem.

18. *Deinde poſt annos tres.*

Oſtendit quando venerit Ieroſolymam, & cur, & quamdiu iſtic manſerit. Veni, inquit, illuc non diſcendi cauſa, ſed videndi Petrum.Igitur priùs iam certus eram de mea doctrina: volui autem videre Petrum,vt inſigne Dei organum,ergo nihil ab illo noui didici.

Deinde accedit breuitas temporis, manſi apud eum ſolùm quindecim diebus, igitur ab eo non potuit accipere tantam doctrinam,quid enim tantillo ſpatio efficeres?

19. *Alium autem Apoſtolum.*

Præoccupatio eſt, ne de aliis dici poſſit ſe quicquam accepiſſe, quia inquit, reliquos ne vidi quidem, tantum abeſt vt ab illis ſim edoctus: ſolùm autem vidi Iacobum Alphei ſcil. Is frater Domini dicitur,quia cognatus fuit. Heluidius hinc conatus eſt oſtendere Mariam plures habuiſſe liberos.Sed rectè reſpondit D.Hieronymus fratres in ſcriptura dici quatuor modis,nec ſequitur frater eſt,ideo vterinus eſt.Primò enim dicuntur vterini fratres, vt Iacob & Eſau,deinde cognatione,vt Loth & Abraham,tertiò generis origine,vt Iudęi,Germani,quartò profeſſione religionis,vt Chriſtiani omnes, quo ſenſu priùs Galatas vocauit fratres. Heluidij error.

20. *Quæ autem ſcribo vobis.*

Narrationem ſuam concludit iuramento, nam fidem huic aliter facere non poterat, Deum ſolum habebat teſtem,ideo ad illum confugit.Docet licitam eſſe veritatis confirmationem per iuramentum.

21. *Deinde veni.*

Appendix narrationis de ſua doctrina poſt viſos Apoſtolos,q.d.eadem poſtea docui quæ priùs,illi nihil emendauerunt,nihil correxerunt in mea doctrina,ideo diuina eſt & conſentiens cum Petri doctrina,alioquin correxiſſet.

22. *Eram autem ignotus.*

Addit consensum Ecclesiarum Iudaicarum, quibus de facie non erat notus, vt confirmet veritatem suæ doctrinæ. Multum enim valet bonorum adeóque multorum in re vna consensus, q. d. omnes Ecclesiæ approbabant doctrinam meam & laudabant Deum propter meam confessionem, igitur non erat reprehendenda ab aduersariis meis, minus etiam à vobis Galatis adeò citò deserenda. Cum enim ipsi Iudæi probent à me negligi circumcisionem, nisi paucis pertinacibus exceptis, cur vos gentes vltro accersitis illam?

CAPVT II.

2. Cap. argum.



PERGIT in narratione de rebus suis, nouámque hîc peregrinationem refert Hierosolymam susceptam, in qua contulit suam doctrinam cum summis Apostolis, vt viderent omnes Ecclesiæ nihil in doctrina Pauli esse ab ipsis mutatum. Deinde refert congressum cum Petro Antiochię habitum, in quo Petrus illi cessit in causa legalium obseruationum, cuius occasione tandem accessit ad doctrinæ suæ repetitionem, imprimis de iustificatione per fidem sine operibus, quam quæstionem deinceps longiùs continuat.

Tria sunt membra huius capitis. Primum quid in altero reditu suo Hierosolymis egerit. 2. Altercatio cum Petro. 3. de fide iustificante.

1. *Postea interiectis annis quatuordecim.*

In Actis Apostolorum aliquoties reuersum Hierosolymam historia meminit. Hoc loco duo tempora inducit. Primum tribus annis post conuersionem, de quo priori capite dixit. Hîc secundum describit reditum in vrbem sanctam post annos quatuordecim, nec verò dissimile loqui Apostolum de illa historia quæ est Act. 15.

Porrò hîc ordinem considera narrationis. Initio tempus indicat ascensionis scil. 14. anno à priori ascensione, quibus si addas illos tres annos quibus docuit mox conuersus habes 17. Côuersus autẽ est secundo anno à passione Domini. Itaq; hîc annus decimus quartus incidit in annũ resurrectionis Domini decimũ nonum. Deinde comites itineris indicat, Barnabam Iudæum habet, & Titum Græcũ. Obserua iudicio deligi comites causæ valde idoneos. Barnabas plenus testis esse poterat rerum actarum inter Gentes, vtpote indiuiduus comes. Titus verò, quantum vellent tribuere circũcisioni, de qua præcipuè lis erat. Prętereа bonos sæpe conuenire vtile est, saltem ad contestationẽ pacis & vnionis in doctrina, quæ notoria debet esse non tã doctorib. quàm ipsis etiam Ecclesiis, & auditorib. propter quas Apostolus hanc etiã suscepit ascensionẽ. Tertiò indicat causam impellentem: *ascendi*, inquit, *secundum reuelationem*, scil. Spiritus sancti, quæ vel per manifestam visionem, vel tacitum Spiritus impulsum aut alio modo fieri potuit. Act. 10. Petrus manifestas audit voces cælitus sibi loquẽtes. Act. 16. Paulus à Spiritu prohibetur ne loquatur in Asia, ex quibus constat sæpe per Angelos admonitos, aliâs tacito afflatu, aliâs voce cælitus immissa. Obserua nihil Paulũ suscepisse nisi certo consilio, adeò vt Apostolos non esset conuenturus, nisi priùs à Deo monitus.

4. Τὸ ϖραχθέν. Exposuit illis suum Euangelium, hoc est, summam & ordinem suæ doctrinæ, quæ omnia in eo posita erant nos gratis iustificari merito Christi sine vllis operum meritis, ac Gentibus nullo modo imponendam esse legis ac circumcisionis sarcinam ad Christum conuersis, in Iudæis vtcunque ferri posse hanc obseruantiam propter infirmos.

Paulum cũ summis Apost. contulisse, & quo fine.

Quintò cum quibus contulerit, *cum his qui erant in pretio*. h. e. cum primariis Petro, Iacobo, Ioanne. Cum. n. examinanda esset sua doctrina, operæpretium erat id fieri per præstantissimos, vt quicquid hic statueretur, fixum & firmum esset contra calumniatores. Obserua Apostolum non subterfugere censuram summorum Apostolorum in sua doctrina, de qua tamen certissimus erat.

Sextò, quo fine suscepta sit illa collatio: *ne in vanum currerem, aut cucurrissem*, quæ verba non sunt dubitantis, sed solliciti de fructu apud auditores. certò sciebat veram se habere doctrinam, sed non perinde omnes auditores hoc credebant, præsertim cùm viderent falsos doctores contrarium docere, ac Paulinam in multis damnare doctrinam. Præterea corrumpuntur passim Ecclesiæ illorum falsis dogmatibus: hoc vt præueniat instituit conferre cum summis Apostolis, vt de consensu possit gloriari apud Ecclesias suas contra seductores. Alioquin tot labores frustra tolerasset, quod fuisset frustra currere, hoc est, frustrari successu. Aliter falsi doctores frustra currunt, hoc est, falluntur & fallunt, & qui illos sequuntur frustra agunt, hoc est, ad vitam æternam non pertingunt.

Hactenus primum membrũ narrationis, de collatione facta cum summis Apostolis in doctrina sua. His côple orationis seriẽ, vt habeas argumentũ ad principalẽ propositionẽ. Nihil autẽ illi summi Apostoli in mea doctrina emendarunt, ergo vobis Galatis nô erat deserenda. Institutũ fuit illud, itẽ & illa collatio ad hũc finẽ, vt certos vos redderẽ de vnione & consensu

consensu in doctrina, cõtuli & nihil correctũ est, idq; vos scitis, nõ ergo deficiendum erat.

3. *Sed neque Titus.*

Secundum membrum præsentis narrationis, quo aduersarios perstringit ac falsi damnat à manifesto exẽplo. Quæstio est de circũcisione, hãc Galatis obtruserunt vt ad salutem necessariam, cõtrà nititur Apostolus, & affert exẽplum Titi. Si necessaria esset ad salutẽ Gẽtibus, vtiq; Apostoli coëgissent Titum discipulũ meũ circumcidi. Erat enim incircumcisus vtpote Græcus. At hoc nõ fecerunt, sed passi sunt in suis cœtibus mecũ versari Græcum & incircumcisum, fidelem tamen & seriò Christianum. Falsum igitur est quod vestri doctores dicunt de circũcisione. Obserua hic quãdo sint repudienda adiaphora tum scil. cùm necessitas illis annectitur, h.e. meritum aliquod in causa salutis. Sin illa sine scãdalo, vsu aliquo politico, aut ob infirmitatem fratrum seruantur, non ita eis iniquus est Apostolus. Exemplum habes de circumcisione hoc loco, cui tam iniquus Apostolus, vt nullo modo in Galatis ferre possit, ratio est, quia opinione meriti illis est obtrusa, quasi sine illa iustificari nõ possent. Interim idẽ Apostolus circũcidit Timotheũ Act.16. Et 1.Cor. 9. dixit se omnibus omnia factũ esse, scil. hoc fine vt Christo quã plurimos lucrifaceret. Tulit igitur in Iudæis circumcisionem ob infirmitatẽ, & Timotheũ infirmorũ gratia circumcidit, non quòd esset ad salutem alioquin necessaria. Sic hodie differimus cõtra bona opera, quoties scil. meritum in illis quærunt & reponunt homines, iubemus hac deposita fiducia ad solã Dei gratiã & Christi meritum cõfugere. Simul autẽ docemus illa in renatis esse necessaria, vt cõstet fidẽ non esse simulatã, non hypocritas nos esse, prodesse debemus fratrib. amore Christi, idq; ex animo. — Quando sint repudianda indifferentia.

4. *Sed propter ingressos fratres falsos.*

Causæ redditio est quare Apostolus hic tãtopere damnet circumcisionem cùm eandem in Timotheo ferat & fortè in aliis multis: ratio est, quia aduersarij cõtendunt necessariam esse ad salutem, id cùm sit falsum, damnanda est in hac quæstione circũcisio, nec adiaphoron admittenda. Obserua hic quales sint mali doctores. Primùm sunt παρείσακτοι, h.e. ingressi obiter, significans non esse legitimam illorum vocationẽ, non sunt à Deo vocati vt erant Apostoli, & Paulus, sed à Satana excitati, vt noctu sati in agro Domini, vt est in parabola Christi Matth.13. Pertinet argumentum contra falsos Galatarum doctores, quasi dicat, vestri sunt παρείσακτοι, hoc est, non habent legitimas vocationes. Ego contrà à Christo habeo meam vt reliqui Apostoli, igitur mihi potiùs erat credendum quàm illis. Obseruent hanc notam illi qui sibi vocationes cõficiunt, extorquẽt, aut vltrò sese ingerunt. Deinde falsi dicuntur fratres, h.e. hypocritæ sunt, simulant Christianismum, qualis fuit ille Simon Magus Act.8. Philippum studiosè audit, baptizatur etiam, & nihil non facit, sed quæstum suum respicit. Tertiò, à fine notantur, ingrediuntur nõ vocati in Christi Ecclesiam, mox circumspiciunt omnia & lustrant exploratorum more, ideo κατάσκοποι sunt, hoc est, quales in bello exploratores in hostium castris hostes sunt, & hostilia illorũ cõsilia. Talis Dolon apud Homerum & Diomedes. Iliad.10. Apud Vergiliũ Æneid.2. Sinon est versutus explorator. Tales in Ecclesia Christi falsi doctores. Ad finem etiam pertinet, quod additur in seruitutẽ redigere, hoc est, ad Mosen reducere, & legalium obseruationum necessitatem, h.e. verè Iudeos pro Christianis effici, ex castris Christi ad Mosen transferre, cùm à Mose potiùs ad Christi castra sit præda & victoria transferenda. — Falsi doctores exploratores. Aeneid. 2.

5. *Quibus ne ad horam quidem cessimus.*

Tertio loco indicat quanta cum seueritate exploratoribus sit resistendum. Hic valeat ergo illud, Nulli cedo: sic in rerum mediarum quæstionibus quoties meritum affingitur, & tollitur Christi gloria ac libertas, vtique manibus pedibúsq; reluctandum est. Finis etiam hic obseruetur, veritatis scilicet patrocinium, *vt veritas Euangelij maneat apud vos.* Debent hos labores boni doctores Ecclesiis, pro illis sudandum & vigilandum est. Nam Paulo non potuisset eripi veritas, sed eo non est contentus, imò laborat vt Galatis suis quoque salua maneat. Veritas autem hic accipiatur sinceritas Euangelij, quasi dicat, ne corruptum & mixtum quoddam habebitis Euangelium ex Mose & Christi doctrina consarcinatum. Sed purum vt Christus docuit, cuius summa est, sola Christi gratia nos iustificari sine operum merito, sine circumcisione & legalium obseruatione. — Euang. summa.

6. *Ab iis autem qui videbantur.*

Tertium est membrum narrationis, duo enim hactenus obtinuit, primò, nihil in sua doctrina esse correctum ab Apostolis: secundò, circumcisionem Tito nõ fuisse, vt necessariam ad salutẽ ab Apostolis impositam. Nunc tertiò docet, nihil etiam suæ doctrinæ fuisse additum, q.d. nihil ademptum est, vt fit in superfluis, nihil etiam additum, vt fit in deficientibus doctrinæ generibus. Perfecta igitur est, quia nec addi nec demi ei potest. Porrò sermo non est cõtemnentis authoritatem Apostolorum, sed refutantis prætexum abutentium illa authoritate. Falsi doctores subinde in ore habebant Petrum, Iacobum, Ioannem, quod cum

Christo versati essent in his terris, illius vidissent miracula, audiuissent ex ore eius doctrinam & alia, talia non posse de Paulo dici, ideo contemptiorem esse. Respondet his calumniatoribus modestè, inquiens, *quales illi fuerunt*, hoc est, Christi in carne discipuli & conuictores, non curo in hac causa, non enim agitur res hic de personis, sed de veritate doctrinę, in quo quidem Deus non admittit respectum personarum. Locum vide Deut. 10. Eundem habuimus Act. 10. Ro. 2. vbi diximus de prosopolepsia. Summa, *nihil illi mea contulerunt*, hoc est, doctrinæ meæ nihil addiderunt, non putarunt etiam quicquam addendum esse. Perfecta sunt quibus nec addi nec demi potest, Paulinæ doctrinæ nihil addi nec demi per Apostolos potuit, ergo perfecta est. Ideo Galatis in illa fuit manendum.

7. *Imò contrà quum vidissent.*

Quartum narrationis membrũ, vt discessum sit ex illo colloquio. Initio ostendit Apostolos certa habuisse testimonia verę vocationis in Apostolo Paulo, id inquit, viderũt luce clarius, hoc est, cognouerunt. Videre pro cognoscere scripturæ frequens est. Deinde, *Euangelium præputij* & circumcisionis dicitur synecdochicè pro Iudæis & Gentibus, hoc est, me non habere minora testimonia Apostolatus mei inter Gentes, quàm Petrus inter Iudæos.

8. *Qui enim.*

Parenthesis est, qua vtriusque vocationem ad vnum authorem reducit, vnde conficitur argumentum, idem Deus in meo Apostolatu est efficax qui in Petri, ergo mihi non minus quàm illi est credendum.

9. *Et cognoscentes.*

Redit ad cœptam orationem, vt sint digressi ab illo colloquio. Vocum est declaratio, prius dixerat ἰδόντες, iam dicit γνόντες. Itaq; videre est cognoscere hoc loco. Deinde Euangelium suum hic vocat χάριν, h.e. rem gratuitò datam. Deinde simul intelliguntur χαρίσματα, h.e. quorum miraculis posset, si opus esset, suam doctrinam confirmare, Spiritum sanctum auditoribus conferre, nouis linguis suo loco & tempore vti, & similia. Hæc cognouerunt illi summi Apostoli qui στύλοι, h.e. columnæ videbantur. Tales prædicabant sectatores illorum & mali etiã doctores, vt illorum nominibus contra Paulum abuterentur. Ac certũ est illis multum nos debere, tamẽ hinc satis apparet titulos illos adulatorios mox in Ecclesia Christi cœpisse vsurpari, non tam à bonis quàm ab hypocritis. Certum enim est Petrũ, Iacobum, Ioannem nullibi in suis scriptis hunc titulũ columnæ sibi arrogare, faciebant autem id falsi doctores passim in Ecclesiis Gentium contra Paulum. Et indubiè iniquo animo boni viri id tulissent si intellexissent. Itaq; Apostolus illorum more loquitur de illis, q.d. summi illi quos mihi semper opponunt aduersarij mei, & quos prædicant vt columnas veritatis, illi longè aliter mecum egerunt quàm aduersarij sperent, approbarunt meam doctrinam, nihil addiderunt, nihil ademerunt, humanissimè audiuerunt, & summo consensu me etiam dimiserunt: non est igitur cur deinceps illorũ authoritate contra me pugnent. *Dextras dare*, symbolum est concordiæ & consensionis in doctrina. A signo igitur probat consensum. Non.n. credibile est daturos dextras, si nõ mecum consentirent. Deinde obseruãda est hic distributio prouinciarum. Paulo & Barnabæ assignãtur Gentes quas ordinariè debent docere: Petro, Iacobo & Ioanni, Iudæi. Vbi igitur primatus Petri in omnes Ecclesias? Certè si quis est, inter Iudæos quærendus erit, & Hierosolymis dominari debet. Paulus contrà Romæ & in Gentium Ecclesiis, alioquin frustra sic partiti sunt prouincias hoc loco.

Dextras dare concordiæ symbolum.

Nullum esse Petri primatum.

10. *Solùm vt.*

Ille est appendix non doctrinæ, sed officij, dilectionis, vt Iudæorum paupertati subueniret Gentium liberalitate in collectis. Testari debebant Ethnici suam in Iudæos gratitudinem Rom. 15. vers. 27. Faciebat etiam ad testimonium consensionis in doctrina. In ritibus quidem & moribus magna erat discrepantia primitus, attamen in summa religionis concordia & vnio erat, hanc profitebantur collectis. Præterea testimonium erat vnde veritas ad Gentes peruenisset, nimirum à Iudæis, ex Sion & ex Hierusalem. Hinc factum est, ait, vt studiosè pauperum vbique sim memor, vt videre est Rom. 15. 1. Corinth. 16. 2. Cor. 9. & alibi.

11. *Cùm autem venisset Petrus Antiochiã, &c.*

Secunda pars huius capitis de congressu Pauli & Petri in Ecclesia Antiochena. Agitur autem de obseruatione Mosaicarum ceremoniarum, sintne homini Christiano necessariæ: Apostolus probat non esse necessarias, ad quam rem vtitur narratione historica de altercatione quæ illi fuit eadem de re cum Petro principe Apostolorum Antiochiæ. Gentili more viuebat ille, vt in Ecclesia bona parte ex Gentibus conflata, mox superuenientibus Iudæis in illorum gratiam consuetudinem Gentium declinauit, obseruans Iudaicos mores in cibo alijsque, quasi hæ ceremoniæ essent obseruandæ etiam conuersis ad Christum. Apostolus, inquit, in hac causa à me emendatus & obiurgatus, & obiurganti cessit, igitur non sunt necessariæ ad salutem.

Argu-

Argumentum hinc conficiatur ad principalem propositionem. Petrum in hac quæstione correxi qui mihi cessit. Ergo vos Galatæ ab hac simplicitate doctrinæ Euangelicæ non debebatis deficere.

Πρόθεσις est, circumcisio & similes ritus Mosaici non sunt obseruatu necessarij ad salutem credentibus in Christum. Specialis est iustè se reprehendisse Petrum cum Iudæis simulantem obseruationem legis. Propositio.

Partes sunt. Initio totum proponit factum. Deinde ἔκθεσις explicat, in quo est factum Petri geminum. Deinde, quantum suo facto nocere cœperit. Tertiò, iustissima & tempestiua reprehensio. Hinc tandem ad alteram propositionem descendit de iustificatione per fidem sine operibus legis.

11. *Cùm autem Petrus venisset.*

Transitio est ad alteram partem capitis. Obseruetur membrorum ordo in narratione. Primùm egit de sua conuersione. 2. de prima visitatione Petri. 3. de altera ascensione ad Petrum, vt de doctrina cum illo conferret. Nam in primo cógressu nulla adhuc dissidia erant, postea autem suborta ab æmulatoribus legis, qui credentibus contra Pauli cósilium passim illam cupiebant obtrudere. Quartò, nunc describit certamẽ cum Petro qui & ipse aliquando pernicioso exéplo cum illis ęmulatoribus raptus sit extra viam, & à se maturè correctus. Habent autem hæc verba propositionem sequentium. Nam est προδιήγημα, complectens summam (vt fit) rei explicandæ. Initio personam indicat, cum qua sibi fuerit certamen, *Cùm Petrus*, inquit, *venisset*, hoc est, summus ille Apostolus, cuius titulo & authoritate mei aduersarij abutuntur, qui vobis obtrudunt circumcisionem, hunc, inquam, ipsum in hac quęstione aliquando correxi & cessit mihi, igitur vos Galatæ illis non debetis dare locũ, sed in mea doctrina persistere. Ac Petrum hîc non alium intelligamus, quàm Apostolum illum summum. Inepta enim est tergiuersatio dicentium hunc non fuisse Apostolum sed alium Petrum de numero 70. discipulorum, quod habet Eusebius, Clemens Alexander & Nicephorus etiam ni fallor. Nihil enim faceret ad causam præsentem præsens narratio.

Deinde locus vbi contigerit negotium hoc, *Antiochiæ*, inquit. Fuit illa prima & clarissima Ecclesia inter Gentes constituta, adeò vt fidelibus illic primum nomen Christianorum sit inditum. In florentissima igitur Ecclesia contigit, vbi exemplum plurimum potuisset nocere si tacuisset Paulus. De illa vide in Actis 11.13.14.15. capitibus.

Tertiò, factum indicat, *in faciem ei restiti*, hoc est, seriò illum reprehendi, animosè defendi simplicitatem doctrinę Christianę, quã pessimo exemplo corrumpebat. Nam κατὰ πρόσωπον significat in faciem, aduersum faciem, vt κατὰ νῶθον à tergo. Nec est extenuanda phrasis, vt facit Hieronymus in loci huius explicatione, quasi simulanter reprehenderit secundum faciem, hoc est, non seriò. Nam huic interpretationi repugnat causa quæ in præsentia tractatur. Magna vehementia obiurgat Galatas quòd ad legis obseruantiam transiuerunt, admittendo circumcisionem, magno etiam ardore anathemate percussit authores illius doctrinæ, itaque & hæc seriò acta sunt contra Petrum in eadem causa. De hac contentione lege Epistolam Augustini decimam nonam ad Hieronymum. Petrus reprehéditur à Paulo.

Quartò, causa reprehensionis monstratur, *quia erat reprehensibilis*. Κατεγνωσμένος, h.e. reprehensione dignus. Sic accipiunt vocem hanc Ambrosius & Augustinus. Hieronymus vt liberet Petrum à peccato præterito vertit, Erat reprehensus scilicet iam priùs ab Apostolis, quòd ad Cornelium fuisset ingressus Act. 10. quasi similem reprehensionem iterum timuerit à Iacobo, ideo subduxerit se sed in contrariam inciderit apud Paulum, quæ tamen seria non fuerit. Alij reprehensum à Iudęis dixerunt, qui recenter aduenerant à Iacobo, quibus se Paulus in gratiam Gentium opposuerit. Sed non potest ferri illa interpretatio. Quid enim ad Paulum si reprehensus fuit Petrus à Iudæis ob Cornelij congressum? sed de illo diligenter se etiam purgauit. Itaq; hoc nihil facit ad præsens institutum. Ostendit enim qualis sibi sit visus Petrus in præsenti facto, non qualis ab aliis habitus in alio facto. Itaque Paulo visus est reprehensione dignissimus. Nam suo facto corrumpebatur synceritas Euangelij: quasi opus haberet tutelis Mosaicis. Causa reprehensionis.

Obserua sanctissimos etiam suos habere næuos & sua peccata, suos errores vt sciant se homines esse. Sic prophetæ, sic Apostoli, sic Patriarchæ singuli sua habent vitia, nec est necesse vt in illis excusandis curiosi simus. Omnes.n. conclusit Deus sub peccatũ, omnium misereretur. Saltẽ hoc satis est in controuersia, fateri hunc Petri errorem nó fuisse in dogmatibus doctrinæ, sed in moribus ac speciali facto, vbi non satis videbat quid magis expediret sequi. Et in eo oculatior erat Paulus: videbat enim quantum hoc exemplum nociturum esset, rapuissent hoc mox in regulam vitæ aduersarij, Ecce legis obseruatio necessaria est ad salutem fidelibus, quia Petrus hoc fecit, & Paulus præsens ad id tacuit. Deinde obserua erroribus maturè obuiam eundum nec in his corrigendis quicquam tribuendum esse vllis Obseruatio, in sanctis esse næuos.

personis. Valet hîc, Deus personam hominis non recipit. Hoc si obseruatum esset in Ecclesia Christi, non extarent tot corruptelæ in doctrina & ritibus pietatis.

Tertiò, Paulo nos multum debere, qui vna reprehensione tantam molem errorum depulit, legem Mosaicam non requiri ad salutem, in hoc conflictu obtinuit. Et hinc iam liberè argumentatur, Vos Galatæ non debetis admittere circumcisionem, quia hoc iampridem apud Petrum obtinui, consentit ille iam mecum. falsi igitur sunt qui aliud docent.

12. *Antequam enim venissent quidam à Iacobo.*

Hactenus summatim proposuit, iam circumstantias rei actæ explicat, cur & quomodo fuerit reprehensione dignus, nam hac declaratione opus habet. Ostendit igitur factum Petri, deinde illius damnum, tertiò, suam reprehensionem vt iustam subiungit.

Petri factum reprehendendum. Factum Petri geminum est: prius, laudabile, posterius vituperabile. Laudabile erat quòd Petrus in Ecclesia Antiochena maiori & meliori parti se accommodabat, viuebat ethnico more, h. e. cum fidelibus ex Gentilismo conuersis promiscuos sumebat cibos, quos Moses prohibuerat: facto & exemplo suo approbans libertatem Euangelij, vt legalium obseruationum finem, quòd sine his salutem consequi possent homines. Obserua inter pares degentibus laudabilem etiam esse vitæ & morū similitudinem. Sic pij cum impiis facilè consentiunt in externis si prius in doctrina sint conformes & opinionibus. Hinc nata est illa rerum communio in prima Ecclesia, quæ deinceps aliquandiu durauit in Cœnę actione, vt in commune conferret aliquid de priuatis facultatibus. Cùm autem incipiunt homines dissentire in dogmatibus, facilè etiam moribus & vita discrepant, vt Iudæi à Turcis, nos ab vtrisq; hodie, & nos inter nos tot modis discrepamus, vestitu, cibo, moribus, forma orationis, aliisq; mille modis, quæ discrepantia non aliunde nascitur quàm ex diuersitate opinionum in dogmatibus religionis. Illaudabile autem est in Petro, quòd sub aduentum Iudæorum se subducit à conuersatione Gentium, vitat illorū conuiuia, cibos, colloquia & similia.

Incōstantia Petri. Primùm, hîc peccabat incōstantia, si enim liberum erat illi negligere Mosen absentibus Iudæis, cur non idem facit præsentibus? Itaq; maior constantia in moribus requirebatur. Deinde timet offensam vbi non erat timenda. Iudæi offendi quidem poterāt, sed institui simul poterat, ad salutem illa externa nihil facere. Tertiò, maiorem & meliorem partem facto suo magis offendit, quàm constantia eius Iudæi pauci offendi potuissent. Itaq; non satis perpendit quid magis sequendū esset, retinendíne Gentiles in recepta opinione libertatis, an contrà indulgendum Iudæis, in persuasione legem obseruatu esse necessariam. Obserua errorē hunc non esse in doctrina. Certū enim est Petrum sciuisse & docuisse legalia nihil facere ad salutē, sed in facto peccatum est, quia mens non facilè perspiciebat, quid hîc magis expediret. Deinde videmus hîc facilè euenire vt impares opinionibus etiam consentientes dirimant. Pomum illud est Eridis, quod inter maximos doctores interdum susurrones iniiciunt, olim & hodie etiam illius fuere exempla quæ nihil attinet refricare. Videant igitur doctores Ecclesiarum vt prudenter sese gerant, non facilè aliorum authoritati permittant, nec facilè præbeant aures susurris & dissidia suadentibus. Qui stat videat ne cadat.

Deniq; non quoduis offendiculum nobis statim esse metuendum, Petrus metuit Iudęos, hoc est, eos qui erant ex circumcisione. Hoc quidem aliquid erat causæ. Sed ex altera parte opponenda erat huic timori cura de retinenda sana doctrina, de qua iustior fuerat timor. Sic quoties periclitatur doctrinæ sinceritas offensa negligenda est. In qua re difficile est se explicare semper. Certè Petro imposuit familiaritas Iudæorum, & innatus quidam amor suæ Gentis. Deinde quòd venirent à Iacobo, hoc est, Episcopo & primario Apostolo, quibus voluit id honoris tribuere, sed magno cum periculo.

13. *Et simulabant cum eo.*

Factum Petri perniciosum quom. Secundo loco iam narrat facti perniciem, quàm scilicet fuerit exemplum hoc nocens, id non animaduertebat Petrus, Paulus autem videt quò illa vergant. Primus corripit secum alios Iudæos primarios, ac adeò ipsum Barnabam, qui tamen omnes certò nouerant ad salutem illa nihil facere, ideo appellat hypocrisin, quæ est cùm aliud sermone, moribus aut facto agimus, quàm reuera in animo sentiamus. Itaq; certum est Petrum, Barnabam & similes satis sciuisse legalia non requiri, in facto autem speciali & tempore errasse. Reliquos Iudæos intelligo non missos à Iacobo, sed qui in Antiochena Ecclesia fuerant priùs, & viderant Petrum Gentiliter viuere, hi nunc incipiunt sibi etiam timere, exemplo Petri. Itaq; qui videbantur firmi etiam falluntur. Hinc latiùs serpit malum ad Barnabam quoque, qui & ipse licet comes esset Pauli, ducitur Petri exemplo magis, quàm veritatis cognitione. Obserua exempla doctorum perniciosa esse. Principis exemplum in Repub. perniciosum est, doctoris in Ecclesia: nam quicquid auditores & subditi vident in persona præsidis, hoc sibi mox licere statuunt idque in vitiis, non perinde in virtutibus tanta est corruptio naturæ. Faciliores sumus ad imitationem mali quàm boni.

Deinde

Deinde discamus hinc ne nimium admiremur personas ministrorum, in quibus cùm vitia non sunt merentur excusationem, hîc peccat etiam Barnabas tam insignis doctor & comes Pauli.

14. *Sed cùm viderem.*

Tertio loco iam addit iustam reprehensionem. Obseruandæ hîc sunt causæ mouentes, quibus impellitur ad reprehendendum palam ipsum Petrum. Primùm inconstans est Petrus. Deinde, nimium tribuit suis Iudæis. Tertiò, prodit libertatem Euangelij. Quarto, corrumpit alios secum. Denique, perniciosissimum est etiam posteritati exemplum, ideò maturè corrigi debuit. Id totum dixit οὐκ ὀρθοποδοῦσι *non recto pede ingredi*, hoc est, claudicare in duas partes, aliquid tribuere Mosaicis obseruationibus in causa salutis, & aliquid gratiæ Christi, sic partiri negotium, vt totum non Deo ascriberetur, sed nostris obseruationibus. Ἀλήθεια hîc iterum est sinceritas doctrinæ Euangelicæ, quæ est solo Christi merito nos absolui à peccato sine nostri operis dignitate, hæc est ἀλήθεια, hoc est, sinceritas. Ad hanc non procedebant recto pede, sed claudicante, quia discrimina ciborum obseruanda affirmabant sua simulatione. Recto autem pede incedebat Paulus palam Iudæis & Gentibus hoc testificans. Sic hodie fit dum operum merita admiscentur causis nostræ salutis, non est recto pede ingredi ad veritatem.

Causæ mouentes Paulum ad reprehendendum Petrum.

Quicunque Euangelij sinceritatem corrumpunt verbo vel facto, meritò reprehenduntur. Petrus suo exemplo eam corrupit: Ergo meritò fuit reprehensus.

De causis impellentibus iam diximus, iam considera etiam modum reprehensionis: *dixi*, inquit, *Petro coram omnibus*. Quærunt quare coram omnibus reprehenderit, sed facilis est ratio, peccat Petrus coram omnibus, deinde ad omnes malum serpere cœpit, denique ad omnes causa illa pertinet: meritò igitur coram omnibus illum obiurgat, qui enim publicè peccat, publicè corrigi debet. Et phrasis hæc ἔμπροσθεν πάντων satis explicat quid prius dixerit κατὰ πρόσωπον, scilicet seueriter & seriò in omnium conspectu reprehensum esse. Obserua diuersum esse modum agendi cum peccatoribus, alij priuatim admonendi sunt, alij publicè. Illi quorum priuata vel tecta etiam adhuc publica peccata sunt: hi quorum notoria iam sunt si doctores sint, si lues ad plures serpat, si corrumpat sanam doctrinam.

Modus reprehensionis.

Postea argumentum reprehensionis expende. Status est: tu Petre non debes tuo exemplo Gentes ad obseruationem legalium rituum cogere. Hoc vocat *iudaizare*, hoc est, more Iudæorum obseruare discrimina in cibo, potu, tempore, vestitu, aliisque rebus. Ratio argumenti sumitur ab ipsius Petri facto laudabili, quod facit absentibus Iudæis. Tu Iudæus es, & contemptis illis nugis viuis Gentiliter, ergo Gentiles non debent cogi ad Iudæorum viuendi rationem. Item sequitur hinc, ergo Iudæi liberi sunt deinceps à ceromoniis Mosaicis, item liberam omnibus viuendi normam sub Christo. Aut tu Petre redde facti tui rationem cur tu sic viuis, si reliquis non ita licet viuere: aut enim honestè fecisti, aut inhonestè, si illud, cur tergiuersaris? sin hoc, fatere peccatum tuum, & abnegato Euangelio redi ad vomitum Iudaicum: id non facies, itaque ingenuè quod sentis profer non solùm verbis sed factis, quid opus est claudicare in duas partes?

Iudaizare quid sit.

QVARTA PARS DE IVSTIFICATIONE PER FIdem sine operibus.



GALATAS non debuisse deficere à simplicitate fidei quam ab Apostolo Paulo acceperant, hactenus probatum est. Nunc alteram propositionem aggreditur de ipsa doctrina, scilicet iustificari nos fide in Christum sine operibus legis. Nam vt Galatæ viderent à qua doctrina recesserint, eã repetit, ac de nouo probat quã indubiè viua voce apud eos, priùs diffusè demonstrauerat. Continuat autem hanc doctrinam cum superioribus, vt vix obseruari possit initium, nisi diligenter obseruetur ipsa propositio. Præcedentia habent asperam cũ Petro expostulationem, hanc finit noua subiecta propositione, nos Iudæi etiam desperata salute sub lege ad Christum transiimus, ideo Gentibus non est Iudaismus imponendus, quod tuo facis exemplo. Mox thesim vniuersalem statuit, Nemo ex operibus iustificari potest, sed per fidẽ solùm. De hac quæstione agit iam vsque ad versum 13 capitis quinti. Ac egimus hac de re suprà in epistola ad Romanos cap. 2. 3. & 4. & seorsim in locorum explicatione, de fide, iustificatione, & operibus egimus, quos locos inspice. Hic ordinem Apostoli obseruabimus.

Operæ non iustificant.

15. *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus, scientes.*

Μετάβασις ad nouam quæstionem quæ principalis est in hac epistola & commodè hîc ponitur post disceptationem cum Petro, quia factum Petri cum regula iustificationis pugnabat, ac videbatur tueri falsorum doctorum dogma, necessarias scil. esse Mosis ceremonias

obseruare sub Christianismo. Natura Iudæos dicit, hoc est, natos ex Iudæis parentibus, non proselytis, quasi dicat, ad nos propriè pertinent promissiones, ac sumus illud benedictum semen Abrahæ, posteritas sancta, ad quam pertinẽt patres, promissiones, testamenta, Rom. 2.v.17. & cap.9.v.4. Non sumus peccatores ex Gentibus, scilicet accessione facti Iudæi, poteramus in patria lege manere, si quam hinc fiduciam iustitiæ consequendæ haberemus, sed non mansimus: igitur facto declaramus nos per legem nostram non posse iustificari. Obserua magnam fuisse Iudæorum contra Ethnicos prærogatiuam, quam hypocritæ pópose poterant extollere. Nec erat illa fucata ante Christi aduentum, cuius aduentu mox corruit illa omnis iactantia. Deinde proselytorũ semper fuisse in populo Dei aliquam ignominiam propter prius vitæ genus, quia fuissent Gentiles, hoc totum discrimen in Christo tollitur. Porrò non negat Iudæos esse peccatores sua natura, sed hoc tantùm dicit, non fuisse peccatores ex Gentium numero. Et si iustitia in operibus legis Mosaicæ sit quærẽda, nullam fuisse rationem cur à lege ad Christum transierint. *Vvas haben vvyr dessen gevvellen vvarumb sind vvyr nit guot Iuden bleyhen vvan vvyr durch das gsaz mochten vverden.*

Iudæorũ prærogatiua.

16. *Scientes quòd non.*

Diligenter hîc seruetur propositio, deinde quibus argumentis probetur. Propositio argumentosa est, nam vestitur quibusdam argumentis, quæ resoluenda sunt. Verba propositionis sunt, Non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi. Indefinita quidem est, sed mox hoc ipso versu efficitur vniuersalis, vt sit sensus, non iustificatur omnis homo ex operibus legis. Porrò negatio adiecta prædicato efficit negatiuam. Itaque quanquam speciem habeat affirmatiuæ vniuersalis, tamen vniuersalis negatiua est. Nullus homo iustificatur ex operibus legis, sed per fidẽ in Christum Iesum. Iustificari est iustum pronuntiari in foro Dei, absolui à peccato. Vide locum de iustificatione. Homo infrà dicitur πᾶσα σάρξ, omnis caro. Caro autem ab infirmiori parte per synecdochen Ioan.3.vers.6. Quicquid natum est ex carne, caro est. Item caro & sanguis tibi non reuelauit. Admonet scriptura nos hac appellatione nostrę infirmitatis. Quale enim corpus erit, si fingas tibi corpus sola carne sine ossibus constans? vtique elumbe & ineptum ad omnem motum erit. Tales nos sumus natura nostra, quatenus sumus carnales & nostris relinquimur viribus.

Opera legis quæ.

Opera legis, intellige qualiacunque illa sint, siue moralia siue ceremonialia. Item lex qualiscunque sit siue scripta siue non scripta. Agit quidem propriè contra circuncisionem & similes ceremonias, quas Galatis obtruserant falsi doctores: sed eadem opera Apostolus à tota lege argumentatur. Legis opera simpliciter non iustificant, igitur nec ceremonialis. Item si moralia non iustificant, multò minus præstant id ceremoniæ. Vide Augustinum in hunc locum. Item Hieronymum qui totum hoc de ceremoniis accipit, sed meritò reprehenditur ab Augustino & nostris hodie.

Ἐὰν μὴ. *Nisi*, sed, est enim aduersatiua particula repudians id quod præcessit, hoc est, opera legis, quæ excludit à iustificatione, ad Rom.3. dixit χωρὶς νόμου, sine lege, & δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι. Itaque vera est exclusiua, sola fide iustificamur, si enim tantùm fide iustificamur, vel nisi fide, ergo sola fide. Excludit enim illa particula opera legis in genere omnia. Itaque retineatur particula, *Sola*, in disputatione de iustificatione coram Deo.

Sola fides iustificat.

Dixi de propositione Apostoli, nunc expendamus argumẽta. Primũ hinc petamus, quod Apostolus ait, Scimus quòd non iustificatur homo ex operibus legis: illud scire, refero ad Apostolos qui erant ex Iudæis, & habebant Spiritum sanctum, quòd in doctrina non errarent. Itaque hinc sequitur fide nos iustificari, non vllis operibus, quia Apostoli in doctrina non errant, & vera est illorum scientia, imò demonstratiua notitia in hoc articulo. Ac magna est temeritas huic scientiæ opponere hominum cogitationes. Obserua igitur canonicis scripturis nos simpliciter quidem debere credere, & credere, si rationes nullas proferrent, de quo habes elegantem locum apud Augustinum epistola 19. quem vide fol.70. Ego enim fateor charitati tuæ, &c. Sed nobiscum agit amicè & familiariter, & adfert rationes quibus id credamus quod proponit, præsertim in articulo de iustificatione.

2. *Et nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, non ex operibus legis.*

Arg. à Iudæorum exẽplo.

Argumentum est ab exemplo Iudæorum omnium, qui deserta lege ad Christum confugiunt, hoc propriè vrget Galatas, quasi dicat, non erat causa deserendi legem, si per illam iustificari poteramus. At deseruimus quasi re desperata de illius præsidio ad vitam æternam. Itaque fide sola in Christum nitamur, & de illius merito bene speremus, quòd nobis ad salutem sufficiat, aut certè reddamus rationem cur à lege ad Christum defecerimus, si verum dicere volumus, non fuit alia ratio, nisi quòd per illam non possemus cõsequi iustitiam, quæ per Christi meritum nobis promittitur.

Propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis vlla caro. Repetita est propositio & clariùs ponitur: nã vniuersaliter effertur. Deinde reddit rationẽ cur Iudæi deserta lege, ad Christum

ſtum transfugiant. Nulla, inquit, alia de cauſa fit, quàm quòd experimur per illam nos ſaluari non poſſe, non tam illius vitio quàm noſtro, lex bona & ſancta & perfecta eſt, ſed nos illi non poſſumus ſatisfacere, inde fit vt nos illa non poſſit iuſtificare, hoc vſu experimur: ideo ad Chriſtum tranſimus. Porrò ſententiam effert tanquam pronuntiatum, *Non iuſtificabitur ex operibus legis vlla caro*, quaſi dicat, *es vvyrt niemer darzuo kommen, machen daraus vvas vvier vvellen.* Ideo hîc argumentum tertium conſtituo à pronuntiatis, reſpexit enim ad mentem ſcripturæ veteris Teſtamenti, quæ ſimpliciter nos damnat in iudicio Dei, vt Pſal. 143. Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur coram te vllus viuens, quod Apoſtolus dixit vlla caro, vt Iob. 9. ver. 1. Quomodo poſſet homo iuſtus eſſe coram Deo? ſi velit contendere cum illo, non poterit ei reſpondere vnum ex mille. Ex his & ſimilibus locis indubiè Apoſtolus conſtruxit hoc argumentum à pronuntiatis. Non iuſtificabitur ex operibus legis vlla caro. — *Cur lex non iuſtificet.*

17. *Si autem quærimus iuſtificari per Chriſtum, reperimur.*

Digreſſiuncula eſt, qua reſpondet obiectioni, mox deinde ad argumenta rediturus: ſenſus eſt Iudæi nos ſub lege videbamur iuſti, & habebamur etiam iuſti, ſed defectione à lege ad Chriſtum facta, profitemur nos eſſe peccatores, hinc aduerſarij inferunt, ergóne Chriſtus miniſter eſt peccati? hoc eſt, author eſt peccati.

Obſerua deſiderium iuſtitiæ omnibus naturaliter ineſſe, cupimus abſolui & iuſti reputari coram Deo, natura enim ſui quærit conſeruationem & deſtructionem odit. Deinde, in Chriſto ſolo hanc viam reperiri: vnicus enim eſt mediator Dei & hominum. Tertiò, iuſtificationem per Chriſtum neceſſariò præcedit confeſſio peccatorum, ſtatuendi ſumus priùs peccatores, eáque confeſſio ſic eſt neceſſaria, vt ſine hac nulla ſit iuſtitia ſperanda. Sumus quidem natura peccatores etiam extra confeſſionem, ſed Chriſtus non niſi confitentes ſuſcipit. Denique, non tamen hinc effici peccatum à Chriſto pendere, ſed manifeſtationem illius ab eo requiri & confeſſionem. Ideo reſpondet, abſit, hoc eſt, id inde non efficitur.

18. *Nam ſi quæ deſtruxi, ea rurſum.*

Altera reſponſio ad ſuperiorem obiectionem, primum ſimpliciter negauit conſequens per abominationem, μὴ γένοιτο, quaſi dicat, id abſurdum eſt. Nunc veram peccati cauſam monſtrat. Solutio nititur diſtinctione. Ego, inquit, per ſe ſum peccati mei cauſa, non Chriſtus. Chriſtus autem illius cauſa dici poteſt per accidens. — *Homo peccati cauſa per ſe.*

Obſerua à cauſa odioſa totam diſputationem in ſe & ſuam perſonam transferri, *Si ædifico rurſum*, hoc eſt, ſi relabor in peccatum, *quod prius deſtruxi*, hoc eſt, deteſtatus ſum, *ipſe ſum illius author, & declaro me eſſe legis tranſgreſſorem.* Hæc propria peccati cauſa eſt in peccatore deprehenſa, animi in bono propoſito inconſtantia. Chriſtus autem quia requirit illius confeſſionem, & oſtendit omnes nos illius egere gratia, per accidens dici poteſt cauſa peccati, quia author eſt patefacti peccati, quod alioquin lateret ſolùm in conſcientia peccatoris. Hæc mea eſt ſententia horum verborum. Scio alios ad doctrinam referre, ſed difficilius cohærent cum ſuperioribus.

19. *Ego enim per legem legi ſum mortuus.*

Ratio eſt quare peccator ipſe ſit ſui peccati cauſa, quia, inquit, profitetur per legem Chriſti ſe legi Moſis eſſe mortuum, hoc eſt, affectibus ſuis quos lex Moſis patefacit. Fatetur igitur ſe fuiſſe & eſſe natura ſua filium iræ & in peccatis natum, pœnitere autem & dolere ac deinceps velle mori affectibus. h. e. peccatum fugere & deteſtari quoad poſſit. Hoc ſenſu lex priori loco eſt lex gratiæ. Poſteriori autem loco ſignificabit legem Moſis. Quo ſenſu Chriſto etiam opponitur ad Rom. 7. verſ. 4. Itaque fratres mei vos quoque mortificati eſtis legi in corpore Chriſti, vt eſſetis alterius, illius ſcil. qui ex mortuis ſuſcitatus eſt vt fructificemus Deo. Alij vtrobique legem Moſis intelligunt, quaſi dicat, lex Moſis effecit vt deſperarim de iuſtitia mea, quia vidi me non poſſe illi ſatisfacere, ideo confugi ad Chriſti gratiam deſerta lege, hinc effectum eſt, vt legi ſim quoque mortuus, Ita per eandem legem, eidem legi ſum mortuus. Dedit mihi occaſionem à ſe deficiendi, quod feci nactus Chriſtum, is me docuit damnare omnes affectus, & omnem legis iuſtitiam, itaque legi ſum mortuus. — *Cur peccator ſui peccati ſit cauſa.*

20 *Vnà cum Chriſto crucifixus ſum.*

Effecta commemorat quæ nactus eſt ex agnitione Chriſti. Primùm, inquit, *cum illo crucifixus ſum*, hoc eſt, mundo effectus odioſus. Deinde, carnem meam damno & affectus carnis Rom. 7. verſ. 5. & 6. Crucifigimur etiam cum illo, ſi pro illius confeſſione extrema quæque ſubeamus. Deinde didici de me deſperare, adeò vt Chriſtus ſolus viuat in me, nec vlla alia meritorum meorum opinio. Viuit in nobis Chriſtus per inhabitantem in nobis Spiritum ſuum. Sic Epheſ. 3. dicitur inhabitare in cordibus noſtris per fidem.

Quòd autem nunc viuo in carne. Noua eſt obiectio, dicunt enim aduerſarij, itáne non viuis Paule? at qui noſtro more videris viuere. Reſpondet, viuo quidem in carne, hoc eſt, car- — *Obiectio ad-*

uersario rũ Pauli. nalem vitam in mortali corpore, sed fidei illam etiam debeo. Caro hic mortalem vitam significat, vt 1.Pet.4.v.2.& Hebr.5.v.7. Addit confessionem dilectionis Christi & meriti mortis ipsius, quod grati animi est, & refutat illud dogma de ceremoniis seruandis, q.d. satis mihi est dilectio Christi & mors ipsius pro me peracta, nolo alia quærere media ad salutem.

21. *Non irritam facio gratiam Dei.*

Hactenus digressus ab argumentatione redit iam ad rationes.

Quarta ratio hinc deducatur, *non irritam facio gratiam Dei*, vt scilicet vos facitis, qui per legem iustificari vultis, aut certè partem iustificationis obseruationibus legalibus tribuitis, vt circumcisioni, quasi sine hac salutem consequi non possitis. Ἀθετεῖν est imperfectum pronuntiare, cassare, delere vt delentur adulterini versus, quales in Homero & Vergilio nonnullos reiecerunt Grammatici. Sic in hac causa ἀθετεῖν est merito Christi aliquid addere, in causa salutis imperfectum dicere meritum Christi. Vis argumenti est: merito Christi aliquid addere ex operibus nostris ad salutem, necessarium est gratiam Dei aspernari, ergo illi nihil est addendum. Itaque fide sola iustificamur sine operum merito. Id expendant hodie qui opera admiscent iustificationis causis, quasi gratia Dei insufficienter nobis offeratur in Christo. Et quantulumcunque sit quod additur nihil refert, eo enim deficere videbitur gratia Dei.

Ἀθετεῖν quid sit.

Quinta ratio, *Si enim per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est.*

Ratio valet contra Galatas & similes qui iam Christiani erant, sed operibus aliquid tribuebant. Vis est ab absurdo. Si per legis obseruãtiam salutem consequi possumus, Christus frustra mortuus est, at id perabsurdum est, igitur per legem non consequitur iustitiam. Frustra dicitur mortuus, quia alio medio quàm sua morte ad vitam pateret aditus. Sed hæc ipsa causa fuit, cur voluerit mori, quia nulla alia via reconciliationis restabat. Ingrati igitur Deo sumus & nasuti sophistæ cupientes Deo sapientiores esse, & modum salutis effingere, vbi nullus est. Vnus enim mediator Dei & hominum, vt vna fides, vnus Deus, &c. Et quid attinebat Christum mori si per aliud ad iustitiam peruenire poteramus? Indigna igitur & minimè ferenda est temeritas alia salutis remedia excogitare.

CAPVT III.

Argu.3. cap.



GALATAS conatur reducere ad veram doctrinam de iustificatione, nam seducti à falsis doctoribus admiserant circumcisionem, & simul hanc opinionem quòd Christianis necessaria esset obseruantia legalium operum, sine qua non possent iustificari. Hoc igitur dogma correcturus repetit præcipua argumenta suæ doctrinæ, imprimis verò illa quæ eis nota erant, & in intellectu facilia, vt ab experientia, ab exemplo Abrahæ, à tempore, à legis natura, à natura gratię, & ratione testamenti. Hinc respondet obiectioni de vsu legis. Cùm enim legem dicat nihil ad iustificationem conferre, imò contrà sub maledictione omnes retinere, quæstio oritur ad quid sit data: respondet illam habere vsum multiplicem, si maximè ad iustificationem non adhibeatur. Locus hìc explicatur etiam ad Rom.1.3.4.5.9. capitibus.

Propositio. Πρόθεσις eadem manet quæ suprà, scilicet iustificationem solius Christi merito nobis contingere, quod per fidem amplectimur, & in hac causa legem cum suis ceremoniis nobis nihil prodesse. Hanc doctrinam Galatæ semel professi iam ab eadem recedentes, meritò ab Apostolo inconstantiæ & stultitiæ damnantur.

Partes. Partes, initio nouo quodam exordio ad causam accedit. Constat id graui obiurgatione, nam diuersa illis impingit crimina, quæ tamen in doctores etiam transfert. Ἐπιτιμητικὸν est exordium. Altera pars est κατασκευή, nam in exordio non obscurè habetur propositio, debuistis veritati credere; hoc est, meæ doctrinæ de iustificatione. Hanc igitur propositionem reliqua argumenta confirmant. Tertia est in qua disserit de vsu legis. Ostendit enim legem non ideo inutilẽ penitus esse si maximè confidẽtia iustificationis ei detrahatur, habet enim sua commoda in vita hac communi regẽda, item quia est interim pædagogus ad Christum.

1. *O stulti Galatæ.*

Exordium est per apostrophen institutum, familiariter eos vult edocere & conuincere propria experientia, ideo prius aperit eis errores commissos. Sententia est, vos mirificè inconstantes estis in religionis professione, quo nomine mihi reprehendendi estis.

Galatæ vnde dicti. Primò, exorditur à compellatione, *ô Galatæ.* Faciebat enim ad rem ipsa cõpellatio, Galatæ enim leues & inconstantes erant, quod vitium quasi hæreditarium nomen ipsum exprimit: nam si credimus Hieronymo à *galal* Hebræa voce nominati sunt, quod est volutari, moueri, quod est incõstantis rei quæ loco non consistit, id testati sunt Galli sua crebra commigratione, nunc in Italiam, nunc in Hispaniam, nunc in Græciam, hinc in Asiam, Bithiniam,

niam, aliásq; nationes. Ab his orti Galatę, Gentis vitium retinent, vt in moribus sic in religione commutanda. Nos hinc *ein vvalen* appellamus, *vom vvallen*, quasi sit *ein vval ein vvaller*, Gallus certè nostro dicitur *ein vval*. Sententia igitur est, rectè respondetis nomini, estis Galatæ, hoc est, inconstantes & mobiles in religione etiam vt in reliqua vita.

2. Ἀνόητοι, Stolidi estis propter mobilitatem. Causa est inconstantię, amentia, imprudentia naturalis. Non enim affectata est malitia, sed naturæ vitium, meliùs non sapitis. Ἄφρων dicitur imprudens, qui intelligit quidem meliora, sed non sequitur illa. Ἀνόητος verò, qui ne intelligit quidẽ meliora. Facto igitur præsenti, vt simul genti aptissimũ cognomen.

3. *Quis vos fascinauit?*

Propius accedit ad crimen capitale, & ne eos nimium exasperaret, μεταστάσει vtitur, transferens culpam in doctores, q.d. video vos nimium stolidos, ideo doctoribus magis irascor, qui erroris causa sunt, ita temperatur asperitas obiurgationis. Βασκαίνειν significat fascinare, dementare, incantare oculos, vt aliud videas quàm reuera debeas videre. Græci dicunt τοῖς βασκαίνειν, h.e. τῷ βλέμματι φθείρειν, h.e. visu nocere & occidere. Inest enim mirifica vis etiam in visu vt in reliquis sensibus maleficiorum. Lædunt aliquando visu, vt contabescant infantes, quos ira percitæ sagæ intuentur acrius, interdum tactu solo corpuscula lædunt, non minus quàm basiliscus aspectu, tanta vis inest Satanæ ad nocendum, si Dominus illi permittat. Aliquando reuera non lædit, sed oculos intuentium perstringit vt videatur lęsisse. Exemplum vide in vita Macharij, Ægyptij in vitis patrum. Filiam quandam in equinam formam mutasse videbatur præstigiator, cùm reuera non mutasset, nisi quòd oculos aliorum sic perstrinxerat, vt nihil aliud viderent in puella. Galatæ fascinati

Sic fascinatores gallinaceo attexunt filum vel culmum straminis, spectatores autem putant eum post se trabem trahere, fascinum est.

Hanc vocem transtulit ad causam religionis, & ait Galatas esse fascinatos, h.e. sensum & iudicium in illis corruptum, vt aliter sentiant de iustificatione, quàm sentiendum sit. Fascinatores tales damnat scriptura: vide Deut. 18. incantator & fascinator non reperiatur in te.

Obserua hìc argumentum ad rem, aliquid operibus tribuere in iustificationis articulo, fascinum est, atqui hoc docent fascinatores, qui idem cedunt infascinati: igitur perniciosa est doctrina miniméque ferenda in Ecclesia Christi.

4. *Vt non crederetis veritati.*

Effectus est fascini & Satanicæ doctrinæ, non credere veritati. Nam fascini proprium est oculos perstringere vt non possis cernere verum, id autem sequitur quod vident oculi vel quod sibi videre videntur id iudicant verum, quanquam verum nõ sit. *Er vermeint ein hanzieche ein grossen halken dan er sicht nichts anders, sicht nit das es ein strouvv, oder faden ist*: ita non credit veritati, si dicas culmus tantùm est, non credit. Sic Galatæ non credunt meritum Christi sufficiens esse ad salutẽ, sed oportere addere circumcisionẽ & alia opera legis. Satanicæ doctrinę effectus. Opinionum vis magna.

Obserua magnam vim inesse opinionibus contra veritatem, quod pulchrè dixit Simonides, τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται, h.e. opinari & vim veritati facit, sæpe enim præualet & veritatem expugnat.

Deinde opiniones corruptas promanare à Satana qui se mutat in Angelum lucis, & sub specie veritatis sua spargit mendacia apud rudiores, quos dementat.

Deniq; ὁριστικὸν sume etiam hinc argumentum contra doctrinam operum in iustificatione. Tribuere aliquid meritis operum est veritatem deserere, eíque non credere, ergo perniciosa est doctrina miniméque ferenda in Christi Ecclesia.

5. *Quibus Christus depictus fuit ante oculos.*

Illorum erroribus & inconstantiæ opponit suam diligentiam & in docendo perspicuitatem. Est apud Rhetores schema, quod Aristoteles dixit πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, quo res ad viuum ita orationem describitur vt planè ei nihil desit, vt auditor rem ipsam oculis spectare videatur. Hac, inquit, diligentia sum vsus in vobis docendis. Christum ita depinxi vobis, vt ad cognitionem veritatis planè nihil defuerit, imprimis de iustificatione studiosè & dilucidè vos institui, quasi dicat, piget me laborum meorum, doleo me frustra docuisse vos, operam & oleum perdidisse. Diligentia Pauli in docendo.

Ratio est, *Quia Christus inter vos crucifixus est*. Vel ad antecedentia refer, vt sit diligentiæ argumentum, quasi dicat, videbamini omnia mysteria mortis Christi probè tenere: vel ad contrarium, quasi dicat, sed nihil effectum est, ita defecistis ab illa simplicitate doctrinæ, vt nunc Christus inter vos dennò sit crucifixus, quo nihil potest fœdius dici.

Obserua argumentum iterum ὁριστικὸν contra doctrinam meritorum. Operibus aliquid ascribere in causa iustificationis est Christum iterum crucifigere, ergo minimè ferenda est illa doctrina. Definitiuum arg. contra merita.

Hactenus exordium, in quo obserua ὁριστικὰ illa argumenta quæ torquet in nouum illo-

rum dogma de iustificatione. Fidei & meritis Christi aliquid addere ad fascinum. Deinde, est veritati non credere. Tertiò est Christum denuò crucifigere, ergo manendum est in simplici doctrina quam Apostolus Galatis in hoc articulo reliquerat.

2. *Hoc solum cupio.*

Confirmatio.

Secunda pars capitis, confirmatio. In exordio facilè statui potest propositio, fide sola in meritum Christi relata iustificamur sine circumcisione aut aliis operibus. Hæc doctrina Apostolica est & illam Galatis tradiderat, ab hac quia defecerunt obiurgat eos, nunc addens etiam argumenta, vt ab errore reducat in viam.

Hinc ordiamur igitur confirmationem nouam. In priori capite indicauimus quinq; argumenta, quibus eadem propositio stabilitur. In exordio iam ostendimus tria, hîc iam illustriora etiam hoc loco addemus.

Primum argumentũ ab experiẽtia sumit, quæ quia negari non potest, ideo interrogatione illos vrget. Hypothesis est confessa. Vos Galatæ Spiritum sanctum accepistis vt alij pij post conuersionem. Hoc vbi & quomodo factum sit Lucas in Actis non exprimit, ideo colligitur multa contigisse, quæ annotata sunt, non autem concedimus, quicquam ad salutem

Dilẽma.

necessarium prætermissum. Hinc iam vrget eos dilemmate, quando accepistis hunc Spiritum? hoc est, dona spiritualia, respondete. Aut accepistis ad prædicationem meam, quia per fidem vos iustos fore docui idque vos à me auditum admisistis & credidistis. Aut ad prædicationem vestrorum doctorum, quos in nouo dogmate nunc sequimini, qui docẽt ex operibus legis vos iustos fore. Sed ad hanc non accepistis, accepistis autem ad illam priorem meam doctrinam, ergo vel hoc debebat vobis esse certissimum γνώρισμα, quo vos fide iustificari & non operibus crederetis. Non enim Deus tam illustri miraculo, meam doctrinam inter vos cõfirmasset nisi vera esset. Argumentum validum est & in loco demonstratiuum, quia experientia illa non fallitur, certa habet iudicia veritatis.

3. *Adeò stolidi estis.*

Illatio est ex priori fluens, ergo meritò vobis stoliditatẽ obiicio, qui non potueritis rem adeò manifestam deprehendere. Sed efficiatur hinc secundum argumentum ex antithesi, Spiritu cœpistis, hoc est, vera opinione & fide vos Christi merito iustificandos, hoc dogma Spiritu cœpistis, hoc est, dono Spiritus sancti accepto approbastis, iam verò carne consummamini, hoc est, carnali doctrina de operum dignitate. Sic caro & Spiritus opponi videntur ad Philip. 3. ver. 3. Argumentum igitur est iterum δεικτικόν, operibus aliquid tribuere in iustificatione est à Spiritu ad carnẽ deficere hoc est, à perfecto modo ad imperfectum deficere: ergo fugienda est hæc doctrina.

Tacitè etiam eos simul mordet quod impostoribus, sua corpora dederint dilanianda per circumcisionem, quod est carne confici. Tum potuissent Spiritu illo donato esse contenti, quem in prædicatione Apostoli acceperunt.

4. *Tanta frustra passi estis.*

Deploratio est ab effectis, quasi dicat, doleo vices vestras quòd cõmaculaueritis vestras priores virtutes, quæ laudatissimæ in vobis erant, qualis est tolerãtia sub cruce, in amissione bonorum, in exilio, in ignominia & similibus, in quibus magna patientia perstiteratis, hæc vos tolerare non erat necessum si per opera vestra iustitiam possetis consequi.

3. Argu. contra merita operum.

Effice hinc tertium argumentum, contra doctrinam meritoriam. Opinio de proprio operum merito, tantum abest vt iustos efficiat, vt contrà potius omnes reliquas virtutes & opera per se laudabilia reddat inutilia. ergo falsa est doctrina. Dolor inest affectibus, ergo dolendum est labores magnos frustra tolerasse.

Mitigatio est addita, *Si tamen frustra*, ne nimium exasperet, vel ad desperationem adigat. Disce hinc lapsis veniam non esse negandam, contrà quàm Nouatus docuit, quia Paulus hîc Galatis veniam non negat.

5. *Qui igitur subministrat.*

Renouatio est primi illius argumenti ab experientia ducti. Et refero ad Deum quem hîc vt authorem donorum Spiritus sancti respicit Apostolus. Obseruanda est etiam hîc explicatio quid priùs per Spiritum intellexerit versu secundo, hoc est, δυνάμεις qualia erant sanare morbos, pellere impuros spiritus, futura prædicere, interpretari scripturam & similia dona. Hæc, inquit, accepistis ad prædicationem meam de fide iustificãte per meritum Christi: sine operibus ergo iustificamur, quod vobis erat retinendum.

6. *Sicut Abraham*

4. Argu. ab exemplo.

Quartum hîc elicio argumentum ab exemplo ductum, de quo vide ad Rom. 4. Locus est Gen. 15. Summa est argumenti: Abraham fide iustificatus est antequam accepisset circumcisionem, ergo vos Gentes etiam ad eàm consequendam non opus habetis circunsione.

7. *Agnoscitis igitur*

Illatio

Illatio argumenti prioris, qua diluit impostorum doctrinam. Dicebant illi, oportet vos inseri in fœdus Abraham si velitis iustificari in Christianismo: id autem fit per circumcisionem, ergo non potestis illam contemnere. Respondet Apostolus, imò cognatio illa cum Abrahamo pendet à fide potius, quia idem Abraham fide Deo est approbatus: ergo illius veri filij sunt ex fide, & non circumcisione. Idem habes Rom. 9. ver. 7. Non qui sunt semen Abrahæ ideo sunt etiam filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, vera spiritualis posteritas ex fide & promissione dependet, non à carnali prosapia.

8. *Præsciens autem scriptura.*

Quintum argumentum ab arcano Dei consilio, qui ideo Abrahamo promissionem dedit de benedicendis in ipso omnibus Gentibus ante legem datam, vt declararet Gentes per fidem sine circumcisione iustificandas. Hanc promissionem habes Gen. 22. cùm lex Mosis nondum esset data. Nam in illa in benedictione nec legis nec circumcisionis, nec illius meriti operum fit mentio. Quæ ad arcanum Dei consilium refert Apostolus. 5. Argu.

9. *Itaque.*

Illatio præcedentis argumenti, Abraham sine circumcisione est pronuntiatus iustus, & in illo benedicentur omnes Gentes, ergo benedicentur scilicet à Deo cum fideli Abrahamo ipsi quoq; fideles, quasi dicat, Filij & posteritas benedicetur ad morem patris ipsorum: ille fide, ergo & hi fide, vt constet analogia.

10. *Quicunque enim ex operib. legis sunt.*

Sextum argumentum, illi per opera legis iustificantur qui illam planè & perfectè seruant, sed nemo illam perfectè seruat, ergo per illius opera nemo iustificabitur, sed potiùs damnabitur. Ab hoc orditur argumentum Apostolus, ostendens naturam legis esse maledicere, nósq; sub maledictione retinere, culpa nostra est nō legis: nam si reperiret cultores, qui ex illius arbitrio perfectè viuerent, vtiq; illos absolueret & iustos pronuntiaret. At iam contrà fit, quum tales nūquam habere potuerit, vide Deut. 27. Rom. 4. vbi idē locus citatus est. 6. Argu.

11. *Quod autem in Lege.*

Septimum argumentum à pronuntiatis ex Habac. 2. Iustus fide viuet, vide Rom. 1. v. 17. Heb. 10. ver. 38. Vis argumenti est in distinctione posita, emphaticè enim addit, *apud Deum*, quasi dicat. Duplex est iustitia, vna ciuilis, de qua non contendo. Nam in foro politico vtique lex multos absoluit ac iustos pronuntiat, qui non furatur, qui non homicidium committit, &c. illum non ad supplicium rapit. Itaq; valet illa legis iustitia & valere debet. Sed est alia iustitia coram Deo, de qua mihi contentio vobiscum est. Hanc dico non posse in lege haberi. Illa apud tribunal Dei & eius iudicio non potest nos excusare, quia lex ibi accusabit etiam iustissimum, cùm Deus puniat etiam tacitas cogitationes. Sed Apostolus nectit integrum syllogismum in secunda figura, *Iustus fide viuet, lex non est ex fide, ergo iustus ex lege non viuet.* Maior est pronuntiatū Habacuc 2. Minor probatur ab Apostolo ex c. 18. Leuit. 7. Argu. Duplex iustitia.

Lex non est ex fide, hoc est, est doctrina de bonis operibus, non autem tradit rationem fidei, sed est Ergodioctes aliquis qui requirit opera, adeò vt nulli promittat vitam nisi factori & completori.

13. *Christus nos redemit.*

Octauum argumentum quo directè nunc ostendit sola fide erga meritum Christi nos iustificari in iudicio & foro Dei. Illo iustificamur quo ab execratione legis redimimur, at solo Christi merito redēpti sumus ab execratione legis, ergo illius solo merito iustificamur. 8. Argu.

Emphatica omnia hîc sunt, Christus nos redemit ἐξηγόρασεν. Ἀγοράζειν est pretio numerato emere, verbo à foro ducto, ἀγορὰ forum est, ἀγοράζειν res venales emere precio reddito, Sic nos eramus venales, vt pessima merces, nec reperiebat emptorem donec Christus venit. Κατάρα τοῦ νόμου, est peccati pœna debita, hoc est, æterna mors & damnatio quæ nos vrgebat ex lege. Factus pro nobis κατάρα. Sic 2. Corinth. c. 5. Factus pro nobis peccatum, hoc est, hostia peccati. Hostiis autem expiatoriis tota maledictio, ira Dei & indignatio imponebatur. Sic maledictum factus est Christus, tulit iram patris quam nos ferre sine interitu non poteramus. Probat id scriptura Deut. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hebræi habent, *ki kelilath. Elohim taluy.* Græci reddiderunt, ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Iudæi hodie vertunt, *Vvan ein verleichterung Gottes, ist dergehangen*, significātes hominem suspensum, Deo suo creatori esse ignominiæ, quia ad illius imaginem sit conditus. Sed Apostolus hîc longè alium elicit sensum, nimirum consilio Dei Christum debuisse mortem crucis subire vt incideret reuera in illam κατάραν quæ nobis debebatur. Id factum esse ait, non solum quia sit factum pretium redēptionis, sed etiam genere mortis, scilicet ligni: nam reliquis suppliciorum speciebus non erat addita maledictio, huic tantùm. Ideo cruce igitur passus est, vt omnis maledictio etiam à forma supplicij in illum concurreret.

14. *Vt in Gentes.*

Fructus 2 mortis Christi.

Causas finales mortis Christi explicat. Geminus, inquit, fructus ex illa morte tam ignominiosa promanauit, prior ad Gentes pertinet, vt scilicet benedictio Abrahami in eos sic deriuaretur, nam alio medio eius non poterant fieri participes. Posterior ad nos etiam Iudæos spectat, vt promissum Spiritum acciperemus per fidem in illius mortem. Id ad Spiritum sanctum refertur, vel ad ipsam promissionem benedictionis, aut certè ad dona Spiritus sancti effusa per prædicationem Euangelij in credentes.

15. *Fratres secundum hominem dico.*

9. Argu. à simili.

Nonum argumentum à simili doctum vsq; ad vers. 18. cuius sensus ita colligatur: hominis testamentum solenniter confirmatum nemo solet infringere, Deus cum Abrahamo testamentum solenniter cõfirmauit, ergo nemo hoc infringere debet, ne lex quidem. Initio autem præfatur ad argumentum, quia à rebus politicis ducturus est, qualia sæpe occurrunt, vt Matt. 7. Heb. 9. v. 13. ad Rom. 6. v. 19. Additur causa argumentationis illius, propter infirmitatem vestram. Porro vim habet à maiori, quia plus videtur violabile humanum Testamentum & tamen non solet violari, ergo nec Dei violandum est, quod minus etiam potest violari. Deinde ~~non~~ de quouis humano testamento loquitur, sed de eo quod solenni ritu & forma authoritatem acquisiuit, quale dicitur testamentum διαθήκη κεκυρωμένη, qualia sunt quæ adhibitis testibus obsignatione, hæredibus certa bona distribuunt authoritate publica. Tertiò, modos indicat quibus violari possunt, quales duo sunt. Prior fit demendo, si infirmum statuatur testamentum, vt si persona non fuerit libera, non sui iuris ad testandum, aut de alienis bonis testamentum sit factum, tum cassatur testamentum, quod est ἀθετεῖν, hinc ἀθετούμενοι στίχοι, adulterini versus & reprobati apud Homerum vel Vergilium.

Alter modus corrumpendi est addere aliquid. Vterque modus solet in humanis ordinariis testamentis caueri. In Dei testamento simul vterque committitur, nam gratia Dei in Christo oblata iudicatur insufficiens, demitur gratiæ, adduntur nostra opera tanquam supplementum.

16. *Abrahamo autem.*

Promissiones dictæ testamentum.

Minor est propositio positi syllogismi, Sed Deus cum Abrahamo solẽniter confirmauit testamentũ redemptionis. Primùm obserua promissiones dictas hîc esse testamentũ illud solenniter confirmatũ ῥηθεῖσαι ἐπαγγελίαι & διαθήκη κεκυρωμένη, idẽ hîc significant, nisi quòd prius materiale, posterius magis formale est, quod manifestum est ex consequenti mox v. 17. Deinde excipit non solùm Abrahamo, sed semini eius esse etiam confirmatas. Videndum igitur vbi Abrahamo detur promissio illa, & vbi detur semini eius. Gen. 10. vers. 3. De Abrahamo dicitur, *Ni vrechu becha col mischpechot haadama*, benedicentur in te omnes familiæ terræ. Quibus verbis Abrahamo datur promissio, quòd in ipso sint redimendæ Gentes omnes, h. e. ex omnibus nationibus certi aliqui electi. Semini autem eius datur, Gen. 22. ver. 18. *Nithbarecu bezaraghaca col goiẽ haaretz*. Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ. Quæ verba semini eius dant promissionem redemptionis, h. e. benedictionis, & quidem diu ante legem, imò ante circumcisionem etiam, nam illa demum datur c. 17. cùm fœdus & promissio data esset cap. 12. & solenni ritu confirmata c. 15. Istic solennitas expressa est, vitulo, capra, ariete, turture & pullis columbarum, solennitas instituitur, & confirmatur fœdus inter Deum & Abrahamum, cuius summa erat, in te & semine tuo benedicentur omnes Gentes, h. e. redimentur à maledictione. Itaq; officium redemptionis ad illum & semẽ illius pertinet. Iam tertio loco quærendum est quod sit illud semen, nam de Abrahamo certum est illum mortuum esse in fide, nondum patefacta redemptione Gentium, satisq; est si in semine eius compleatur. In ipso Abrahamo tamen completa est ad similitudinem fidei, quò pertinuit superius argumentum versu 6. & Rom. 4. vt scilicet ad similitudinẽ fideles Abrahæ iustificentur. De semine igitur id pertinere ad Christum Apostolus hîc euincit, quia scriptura manifestè dicit, *& semini tuo, non seminibus tuis*, q. d. singularis numerus singulare requirit semen, nihil enim impediuisset quominus pluraliter dixisset aliquando, toties repetita illa promissione, vt c. 12. 13. 15. 17. 18. 21. semper vniformiter loquitur, Semini tuo dabo terram hanc, in semine tuo benedicentur omnes Gentes. Itaq; inest singulare mysteriũ quo singularis numerus officium redemptionis ad singulare semen Abrahæ alligat. Atq; hoc, inquit, est Christus. Itaq; efficitur hinc Christi solium beneficio nos tam Iudæos, & vos ex Gentibus benedictionem consequi & liberari à maledictione æterna. Hic sensus est & vis argumenti Paulini. Nec ignoro quid alij hîc afferant de semine collecto ex Iudæis & Gentibus, cuius caput est Christus & Ecclesia dicitur. Sed sudent & laborent in argumenti explicatione, & applicatione ad propositum. Adde quòd figuras Apostolo obtrudunt inuito. Apostolus se ipsum interpretatur de semine illo vnico quòd is sit Christus. Quid igitur attinet id de Ecclesia & membris Christi explicare? Certè peruertitur speciosum argumentum illa interpretatione.

Promissio facta semini Abrahæ.

Semen Abrahæ quodnã.

Obserua

Obserua igitur hîc duplex esse semen Abrahæ, quod illi non animaduerterunt hoc loco. Prius est redimendum semen propter quod tota promissio est instituta, & tandē etiam re ipsa exhibita. Illud semen rectè collectiuum est, ex Iudęis & Gentibus, continens omnes vbiq; electos membra Christi & Ecclesiæ suæ. Alterum est semen redimens, quod nisi vnicum & singulare esse potest, nec vllo pacto collectiuum admitti potest. Hinc Euæ primitus promissum semen singulare in paradiso contra serpentis imposturam, deinde patribus toties repetitum, in primis Abrahamo locis suprà citatis. Nec obstat quod illi dicūt, agi de promissione terræ Canaan. Primùm enim falsum est, quòd de terra illa solùm agatur, cùm manifestè fiat mentio benedictionis per semen Abrahæ, quā non possumus aliter accipere, quàm de restitutione in eum gradum ex quo exciderant homines per peccatum. Deinde dent nobis oportet terram illam Canaan externum quiddam fuisse, nec principale caput promissionum, sed sub illis externis latuisse vitæ externæ promissiones, vt in aliis omnibus promissionibus Prophetarum & Dauidis. Quomodo enim consistet sibi alioquin scriptura, quod addit aliquādo, *legnholam gnhad gnholam* & similia. Itaque firmiter stat semen hoc de quo hîc Apostolus agit, esse Redimens semen, ipsúmq; adeò Christum, nisi illis cum Iudæis ineptire placeat ad tuenda sua dogmata. Semen Abrahæ duplex. 1. 2.

17. *Hoc autem dico.*

Cóclusio est totius syllogismi adhibita etiā ἐκθέσει. Nā satis obscurū erat in minore quid esset ῥηθεῖσα ἐπαγγελία. Repetit igitur sermonem, q.d. hic meus est sensus, dictę promissiones sunt mihi illud solenniter confirmatum testamentum. Et quod dixi semen singulare hîc esse intelligendum de Christo, dico. Deus enim in illo toto fœdere respexit ad Christū. Ideo rectè dixit εἰς χριστὸν, q.d. semen illud singulare est Christus, vt priori etiam versu dixit. Itaque testamētum illud solenniter confirmatum de redemptione ad Christū solùm pertinet. Conclusio syllogismi.

Deinde cogit argumentum ratione tēporis. Nō potest solui hoc officium redemptionis Christo promissum, quia prius solenniter est confirmatū ante datam scilicet legem Gen. 15.

Præterea extenuat legis vim & operū merita à tarditate, quia serò tandem successit post annos 430. Itaq; immota stat conclusio: Lex non debet nec potest confirmatū illud testamentū de redēptione per Christū implēda, tollere. Porrò de numero illo annorū 430. vide Exod. 12. Sumatur initium à prima emigratione Abrahæ ex Haran Genes. 12. à qua vocatione prima vsq; ad natum Isaac sunt anni viginti quinq;. Hinc ad natum Iacobū sexaginta. Inde ad natum Iosephum nonaginta. Ioseph deinde vixit annis centum & decē, à cuius morte vsq; ad natiuitatem Mosis sunt sexaginta quinq;. Hinc ad egressum populi, & datam legem anni octoginta. Quos si omnes ritè addas, habebis hāc summam annorum 430.

18. *Nam si ex lege.*

Decimum argumentum est. Superiori cohæret per ætiologiam. Vim habet à pugnantibus, quale est illud ad Rom. 11. v. 6. Si ex gratia iam non ex operibus, quia gratia non esset gratia. Sin ex operibus iam non ex gratia, quia opus non esset opus. Ita hîc argumentatur, si ex lege est hæreditas, nō potest eadem esse ex promissione, q.d. se mutuò non ferunt in gradu iustificationis lex & promissio, quemadmodum nec gratia & opus. Lex hîc igitur accipiatur pro quouis legis opere, cui meritum iustificandi possit tribui. Hæreditas autem salus ipsa & vita æterna quæ iustificationem comitantur. Promissio item accipiatur pro gratuita oblatione diuinæ gratiæ qua Deus ante datam legem imò ante datam circumcisionem, humano generi suam beneuolentiam obtulit, quam deinceps Abrahamo in semine singulari confirmauit, adeò vt officium redemptoris & mediatoris ad vnam certam personam alligarit. Hanc promissionem, inquit, Deus mera gratia Abrahamo obtulit & præstitit. Hic geminus sensus est, & nullis vtitur ambagibus. 10. Arg.

19. *Quid igitur lex?*

Hactenus argumentis est vsus quibus aduersariis extorsit etiam inuitis officium iustificationis ad solum Christum pertinere, non ad legem vel vlla eius opera. Nunc obiectionibus duabus respondet. Pars illa tertia est huius capitis de vsu legis. Prima obiectio hoc versu continetur. Πεῦσις est, ad quid ergo lex est data? q. d. nos hunc illius primariū vsum putamus vt nos iustificet. Respondet Apostolus, non est is illius vsus sed longè alius. In summa quadruplex est. Primò, indicat & patefacit peccatum, de quo vide Rom. 7. v. 7. cap. 3. ver. 20. cap. 5. vers. 13. Alter est augere etiam peccatum. Nam peccatum accepta occasione à lege, supra modum fit peccans peccatum Rom. 6. ver. 13. Tertius est damnare demum peccatores Rom. 4. ver. 15. Iram operatur. Denique pædagogus est ad Christum, de quo mox hoc capite. Primùm, vsum hîc expressit, inquiens, *Lex addita est propter transgressiones*, hoc est, vt nos in officio retineret, mores & vitam gubernaret, ciuiles & bene moratos redderet monstratis peccatis. Conscientiam.n.& alia multa nisi lex diceret peccata, vix aliquid pro peccato agnosceret. Deinde durationem legis annotat, scilicet nō ideo datam vt perpetuò du- Pars tertia capitis, de vsu legis.

raret, sed finiendam & abolendam suo tempore, scilicet cùm veniret semen illud vnicum & singulare, cui facta est promissio de officio redemptionis. Hic iterum vides Apostolum loqui de semine redimente non redimendo, ideo Christum legi opponit, legem, inquit, abolendam, semen autem illud singulare nasciturum in mundum & subiturum officium redemptionis à maledictione illa primaria. Deniq; indicat etiam modum promulgatæ legis. *Ordinata est*, inquit, *per angelos in manu mediatoris*. Sunt qui hic Angelos intelligant Angelicas substantias. Testatur enim historia datæ legis Exod. 20. & Deut. 18. ministerio angelorum vsum fuisse Deum in eius promulgatione. Auditus est tubarum sonitus in monte, tonitrua & fulgura, voces, &c. Atque isti mediatorem postea interpretantur ipsum Mosen, qui inter Deum & populum medius fuit. Atq; illa sententia vim habet ex ipsa historia. Nam populus vocem Domini ferre non valens, petit vt Moses illis loquatur, ne moriantur ad terrorem vocis diuinæ. Dominus ratam habet hanc etiam sententiam. Itaq; solus Moses ascendit postea montem cum ministro, ac legem accipit à Domino: verùm Dominus in eadem historia mentione intercessionis facta eos ad altiora reuocat. Promittit enim illis Prophetam alium de medio fratrum ipsorum, quem sint audituri. Itaq, Μεσίτης hîc Christus ille est, semen illud singulare, quod respexit Deus etiam in illis promissionibus Abrahæ toties repetitis, seminis sui facta mentione. itaque sensus est, lex quidem data est ministerio Angelorum in manu mediatoris, h. e. Mosis, sed in illo respexit Deus Christum verum Μεσίτlω & prophetam magnum, qui nasciturus aliquãdo tolleret legem à se latam. Huic sententiæ fauet etiam Ambrosius, qui per ministros legis accipit Mosen, Iosuam, Iudices, Prophetas, sacerdotes, vsque ad Ioannem Baptistam. Deinde quod Patres omnes ferè statuunt in veteri Testamento filium Dei locutum cum patribus. Itaque λόγος etiam est qui legem dedit, & rectè dicitur Μεσίτης.

Qui dicantur hic Angeli.

Quis sit Messias de quo in legis promulgatione.

20. *Mediator autem vnius non est.*

Argumentatur à natura mediatoris, digressus nonnihil à principali argumento, quasi dicat, vbi Μεσίτης est, illic duas oportet accipere partes, quasi duo extrema vtrinque, inter quæ Μεσίτης sit medius. Sed lex data est per Μεσίτlω, ergo erant duo extrema hic pugnantia, ob quæ necessarius esset mediator. Nunc Deus qui vnus est non indigebat mediatore. Itaque ab altera parte sunt accipiendi homines, legem nunquam plenè præstantes, propter quos adhibitus est Μεσίτης. Sic de Christo loquitur Apostolus 1. Tim. 2 vers. 5. Vnus enim Deus qui semetipsum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus.

Arg. à natura mediatoris.

21. *Num igitur lex aduersus.*

Secunda est obiectio per ἐρώτημα. sensus est, Si lex propter transgressiones est addita, nec iustificat, promissio autem per semen illud singulare iustificat, itaque lex pugnat cum promissione. Respondet Apostolus, non pugnat: sed subseruit promissioni vt solent subalternæ causæ ad primum facere aditum. Tum pugnaret si iustificaret vt falsi doctores tradunt, inuaderet enim gratiæ officium. Non autem iustificare potest, igitur reuera ex lege non est iustitia, itaque tantum abest vt pugnet cum promissione hoc sensu, vt iustificandi officium legi ascribi non possit nisi pugnantem facere velimus.

22. *Sed conclusit scriptura.*

Exponit officium legis à fine & consilio Dei. Scripturam hîc accipio legem scriptam à Mose quæ omnes homines reos agit, quod prius dixerat esse officium legis & ad Rom. 3. à versu. 9. copiosè probatur omnes peccato teneri. Causam hîc explicat, vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus, hoc est, desperare priùs vult nos de propria operum iustitia, hinc ad mediatorem Christum confugere. Non enim gratus est mediator nisi priùs desperemus de nostra iustitia. Itaque non pugnat, sed potius promissioni inseruit.

Legis officium.

23. *Antequam autem veniret fides.*

Ἔκθεσις est à differentia temporis. Legis tempus durauit ante natum Christum, & in illo tempore valuit officium illius vt nos scilicet cohiberet vt monstraret facienda, id eleganti metaphora explicat præsidij. φρουρὰ enim munitionem significat, quasi dicat, sub lege tanquam carcere & rigido exactore viuebamus, sed finienda erat illa tyrannis Christo incarnato. Πίστιν hîc pro Christo libenter accipio, nam fidei obiectum est Christus, quæ semper fuit à patrum origine in mundo, sed obiectum illius, hoc est, Christus nondum venerat. *Venire fidem*, & reuelari fidem est Christum ostendi in mundo.

24. *Itaque lex pædagogus.*

Illatio est non pugnare legem cum promissione, ratio est, quia est pædagogus ad Christum. Id priùs aliis verbis dixerat, nos sub lege detentos in custodia, & actos reos propter peccatum. Hoc alia similitudine iam proponit,

Lex pædagogus ad Christum.

Pædagogus duo habet officia, erudire & castigare iuuentutem. Castigat comminatione pœnarum æternæ damnationis, erudit autẽ monstrando Christum & verum mediatorem.

Acsi

Acsi in schola pædagogus superiori doctori præparet iuuentutem ad altiores disciplinas capessendas, quo veniente vtique cedit pædagogus, ipsi doctori dans locum.

25 *At postquam venit fides.*

Assumptio est, at Christus venit: ergo cedit meritò lex. Vides hic fidem poni pro Christo. Bis fidem nominauit pro Christo, versu 23. semel, & hoc 25. iterum, intermedio versu 24. Christum dixit.

Fides pro Christo.

26. *Omnes enim filij Dei.*

Ratio est sublati pædagogi, Quia Christus doctor nos filios Dei efficit, quod quæritur per iustificationem legis, quasi dicat, iam consecuti estis quod illi doctores vestri demum vos quærere iubent. Iam obtinuistis iustificationem, quid ergo per legem illam quæritis? Filios Dei esse, iustificatum esse, benedictum esse, obtinuisse promissiones, semen Abrahæ esse, in fœdere Dei esse, idem hanc disputatione sunt. Hoc, inquit, obtinuistis per fidem in Christo Iesu: frustra igitur laboratis.

27. *Quotquot enim.*

Probatio noua quòd scilicet sint filij Dei, hoc est, reconciliati & iustificati. Probatum sumitur à vi Baptismi, à natura sacramentorum, quorum vsus est collata dona Dei in nobis confirmare, admisistis autem Baptismum, ergo fatemini hoc symbolo, vos iam priùs accepisse dona reconciliationis & iustificationis: stultum igitur est noua media iustificationis conquirere velle.

Christum induere, suauis est metaphora, significans primùm nos in regeneratione nouos effici, noua quadam veste donamur & ornamur nimirum iustitia Christi. Deinde in professione hac, vita & moribus illius exemplum exprimamus, beneficentia, dilectione, mutuis officiis, patientia, humilitate, &c. sic iubemur Christum planè induisse. Deinde obserua hinc dignitatem baptismi. Christum induunt qui in illum baptizantur. Baptismo tribuitur quod Christi & gratiæ est: is enim dat se nobis induendum, hoc est, nouos dat motus, & veram regenerationem, cuius symbolum est externus Baptismus. Et reuera Baptismus omnibus ex æquo offert regenerationem, quòd autem non ex æquo illam accipimus culpa nostra est. Inde fit vt alij nudum circumferant symbolum, alij cum symbolo rem symbolicam simul habeant.

Induere Christũ.

28. *Non est Iudæus.*

Altera illatio, in Christo quoque tolli discrimina personarum. Nam hoc etiam falsi doctores iactitabant, ecce nos Iudæi excellimus, sumus filij promissionis, & vos Gentes, non debemus nobis vos æquare. Respondet igitur, imò hoc discrimen sublatum est. simile habes ad Coloss. 3. ver. 11. *Omnes vnus estis*, consensu scilicet, & summa quadam coniunctione, ac si vnus essetis in Christo homo, qui à seipso nullo pacto dissentiret. Sic ad Ephes. cap. 4. Vnum corpus & vnus spiritus estis. Et Actor. 4. Credentium erat vnum cor & vna anima Rom. cap. 12 Vnum corpus sumus in Christo. Ioan. cap. 10. Vnum ouile. Ioan. cap. 18. Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: quibus sententiis summam concordiam exprimere voluit scriptura. Sic in ministerio consensus requiritur. 1. Cor. 3. qui plantant & qui rigat vnum sunt. Interim hæc vnio Christi opus est. Eph. 2. Ex vtrisque fecit vnum. Aliter Christus cum patre vnum est 1. Ioan 5. Et hi tres vnum sunt consensu quidem, sed insuper naturę & substantiæ communione.

Personarum discrimen in Christo sublatum.

29. *Si autem vos Christi.*

Applicatio ad institutũ. Duo coloraria infert ex priori hypothesi. Christi iam estis membra, quid hinc efficitur? Primò, esse semen Abrahæ, etiam sine circumcisione ex operibus legalibus. Et semen hìc collectiuè dicitur, de semine redimendo. Deinde sequitur etiam hinc vos esse hæredes promissionis, hoc est, iustificatos, ad vitam æternam idoneos per fidem in Christi meritum. Itaque nihil opus est per circumcisionem ad illa dona contendere.

CAPVT IIII.



VIDETVR locum de iustificatione absoluisse Apostolus. Ostendit enim verum medium salutis esse Christum, hinc officia legis exposuit, nequis dicat frustra latam esse. Nunc conuertitur ad doctrinam seductorum, qui docebãt circumcisione aliisque ceremoniis opus esse Ethnicis, si quidem vellent in Christo rectè seruire Deo. Variis autem argumentis dehortatur à legis obseruantia, tum quòd lex conditionem suam durationis sit adepta, tum quòd diffidentia illa non minus sit peccatum, quàm idololatria illa qua ante Christi cõfessionem in Gentilismo diis fictis seruiebant. Item quòd sic omnes labores sui vani sint, quòd repugnet suo exemplo quod eis tutò imitandum proponit. Quòd discrepet etiam ab illis indiciis summi

Arg cap. 4.

amoris quæ docenti declarauerant. Denique quia fideles in Christo omnes benedictionem Abrahæ in Isaaco sint consequuti, ideóque liberi non serui ex Agar. Hæc ferè in præsenti sunt capite.

Proposi-tio. Πρότασις, Galatæ non debent iugum legis Mosaicæ admittere, sed in Apostolica doctrina quam summo cum gaudio admiserunt perseuerare.

Partes. Partes: quatuor sunt in hoc capite argumentorum genera. Totum caput dissuasorium est, ne scilicet legem Mosaicam admittant. Primò διδακτικὰ adfert de iure tutoris in orphanum, cuius ius limitatum est, vt certo tempore tollatur. Sic duratio legis conditionem hanc habuit, vt ad Christum exhibitum saltem duraret.

Secundo loco adfert ἐπιτιμητικά, quia hic error non leuior est illo crasso sub Gentilismo, quo priùs detinebantur, quò pertinet metus Apostoli & suum exemplum.

Tertiò ἐπαινετικὸν adhibet à beneuolentia qua illum primitus exceperunt.

Quartò, ἀλληγορικὰ de duabus Abrahæ vxoribus. Sara libera cuius electi in Christo, sint liberi vt successores. Agar serua, ad quam perpetua spectat seruitus legis & ceremoniarum.

1. *Hoc autem dico.*

Diligenter seruandus est scopus Apostoli, hinc faciliùs est argumenta colligere & dirigere ad certam propositionem. Non debetis legis ceremonias obseruare, quia legis duratio iam finita est. Finitam esse durationem illius probat hoc loco. Ratio ducitur à simili.

Lex cum tutore collata. Quemadmodum tutor in pupillum ius habet tātùm quandiu pupillus est infra annos iustæ gubernationis, qui dum completi fuerint, finitur totum ius tutoris, sic lex valere debuit, donec veniret Christus, quo exhibito desiit legis obseruantia. At iam exhibitus est, igitur non est amplius seruāda lex. Hæc summa est argumenti. Porrò duas habet partes, prior habet τὸ ὅμοιον: posterior hæc προσαπόδοσιν. Priori duo insunt quæ competunt posteriori, ius scilicet in pupillum, & finienda potestas, legi insunt vt tutori.

Λέγω δέ. Continuatio est ἐπιδεικτική, nam seipsum est explicaturus Apostolus, vt sup. cap. 3. vers. 17. λέγω δὲ τοῦτο, q.d. hoc volo dicere, priùs legem contulerat pædagogo cui iuuentus commissa est ad erudiendum & castigandum, sed veniente superiore doctore, pædagogus loco cedit. Ius pædagogi quidem rectè legi conueniebat, sed cedendi necessitas non perinde. Ideo noua similitudine seipsum explicat Apostolus.

Νήπιος quis dicatur. Νήπιος ad ætatem hîc pertinet vt infans Latinis qui fari non potest, h.e. commodè loqui, & res suas administrare, sic Græcis νήπιος dicitur. Aliàs dicitur de imprudentia animi quodam vitio, quod in adultis sæpe regnat, adeò vt rerum suarum mali sint & tardi prouisores. Sed de priori loquitur hîc, de quo scil. spes est, paulò pòst, suo arbitrio rectè administraturum sua negotia. Interim dum sub annis est, tutori plena subiicitur potestate, adeò vt principum & regum liberi suo arbitrio non possint viuere dum sub tutoribus viuunt. Ἐπίτροπος & οἰκόνομος rectè ad legem transferuntur, vt priùs nomen pędagogi. Requirit enim vitam politicam, & monstrat facienda prohibétq; contraria, dispensat interdum in erroribus non affectatis. Προθεσμία præscriptio patris, h.e. certus annorum numerus ad quem durare debet tutela, nec vlterius. Itaq; tutor regit vitā pueri: deinde dispensator est bonorum eius: tertiò, finitā habet potestatē, quòd minimè ignorare debet tam pupillus quàm ipse tutor.

3. *Ita & nos.*

Expositio similitudinis. Altera pars argumēti de re præsenti, ad quam illustrandā superior adhibita est similitudo tutoris. Infantia, inquā, est totum illud tempus ante aduentum Christi. Mundus enim rudis erat, nihil aut parum de Deo rectè sapiens paucissimis exceptis. Ideò meritò cum mūdo legi Mosis cedebat, & qui rectè vellet Deum cognoscere, faceret hoc ordinariè secundū legē Mosi datā, quia sola illa religio habuit veri cultus testimoniū, vt quòd diuinitus esset reuelata, ideo religionis erant στοιχεῖα. h.e. rudimēta. Sed Apostolus mūdi vocat στοιχεῖα, quia externa erāt & mundana. h.e. de rebus politicis & ethicis & Ecclesiasticis, agebat per externa

Leges Mosis elementa. & sensibilia, per sacrificia, oblationes, decimas, expiationes, lotiones & similia. Et rectè dicuntur leges Mosis στοιχεῖα, h.e. elemēta: vt enim sunt in singulis artibus & disciplinis quædam rudimenta & elementa quæ rudibus proponuntur, à perfectis autem mox & peritioribus aliis negligantur, sic Moses totus στοιχεῖα habet, h.e. rudimenta veræ pietatis quæ ad Christum ducit, illo autem agnito facilè illa στοιχεῖα, negligūtur, & erant scitu vtilia & obseruatu necessaria ante Christum exhibitū: ideo etiam verè στοιχεῖα, & post illius aduentum non perinde, ideo nobis non sunt στοιχεῖα. Et fortasse στοιχεῖα dixit mundi, quia mūdus extra Christum confingens religiones & cultus diuinos ad illa Mosaica semper relabitur, vt videre est in Turcis, Iudæis, aliisque Barbaris, quorum religio conflata est ex Mose & Euangelio, ac humanis opinionibus. Sic de στοιχείοις loquitur ad Colos. 2. v. 20. Si mortui estis ab elementis mundi cum Christo, quid vt viuentes in mūdo opinionibus oneramini? hoc est, si verè estis fideles, quid conflatam religionem ex diuersis opinionibus & ritibus amotis?

4. At

4. *At postquam venit.*

Dixerat dominium legis ordinarium fuisse ante Christi aduentum, quasi mundo in sua infantia existente tum temporis, ideóque indiguerit pædagogo & tutore. Nunc alterum ostendit, scilicet tempus ordinatum à patre iam aduentasse, vt à potestate tutoris liceat nobis egredi. Πλήρωμα τοῦ χρόνου est quod priùs dixerat προθεσμία, illud liberat hæredem à potestate tutoris. Πλήρωμα verò electos à seruitute legis. Respexit autem ad oracula de nascituro Christo, quale est Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Tribu Iuda donec venerit Silo. Et Dan. 9. A templi restitutione ad Messiam Dominum numerâtur septimanæ septem & sexaginta duæ. Hoc, inquit, tempus, iam venit. *Emisit Deus.* Finitum erat argumentum, sed placuit Apostolo addere summam totius religionis, in quo nodus pendebat in ea quæstione, scilicet ordinem liberationis nostræ voluit patefacere. Deus igitur pater, inquit, est author & fons salutis, qui dilexit ita mundum, vt daret filium suum vnigenitum pro illius redemptione. Deinde media causa & organum salutis est ipse filius Dei, hunc emisit, hoc est, cùm Deo patri per omnia esset æqualis, inferiorem fecit cõditione seruili assumpta & carne humana, in qua nobis similis redderetur, emisit igitur ex cœlo in terras certo delegato officio, vt nomen patris annuntiaret fratribus. Tertiò, modus missionis exprimitur, *natum ex muliere.* Γενόμενον, natum malo vertere, quanquam factum idem sit, non enim se euertunt. Qui natus est in ordine creaturarum, idem etiam factus est. Omnis enim creatura factum Dei est: propriè tamen nasci dicitur filius Dei ex virgine, vt reliqui homines ex hominibus nascuntur. Γυνὴ hoc loco non opponitur virgini, sed est nomen commune totius sexus muliebris, vt fœmina quicquid fœmineum est. Præterea scriptura de rebus sæpe loquitur non quales sua natura sunt, sed quales publicè habentur. Sic Christus matrem virginem mulierem vocat. Ioan. 2. & 19 quia desponsata erat ordinario marito, & publicè inter mulieres nõ virgines reputabatur. Interim non sequitur tamen, desponsata est & virum habet ordinarium, ergo non est virgo. Hoc contra Heluidium valet, alterum verò ad asserendam veritatem assumptæ carnis contra Marcionem. *Natum sub lege.* Christus sub lege natus est, & sub illa vixit, morte illius & resurrectione tandem sublata est. Natus autem sub illa dicitur, quia secundum legem est circumcisus, ad templum deductus pascha seruauit, & alia omnia, adeò vt perfectè legem implerit, quod nobis impossibile erat. Deinde pœnas legis in se transtulit quas nos ferre debebamus. Quartò, finem incarnationis indicat, item seruatæ legis perfecta obedientia, vt eos qui sub lege erant liberaret, hoc est, pretio soluto redimeret, quod est ἐξαγοράζειν. Hinc efficitur Galatas non debere alligari ad legem, quia Iudæi etiam ab ea liberati sunt. Deinde alter finis est, accipere ius filiorum, hoc est, adoptaremur in numerum filiorum, tam Iudæi quàm Gentes, itaque nihil hic facit circumcisio.

Dominium legis tollit Christus suo aduentu.

Summa religionis, vbi de salutis causis.

6. *Quod autem sitis filij.*

Posterius membrum de adoptione nostra obscurius erat, nam Iudæi id Gentibus non concedebant facilè, ideo probat Galatas esse filios Dei non minus quam sint Iudæi. At probat hoc euidenti tecmirio, Deus Spiritum sanctum non dat, nisi suis electis qui filij Dei sunt & dicuntur: vobis datus est Spiritus sanctus, ergo oportet vos esse filios.

Primùm obserua de missione Spiritus sancti loqui Apostolum, vt prius locutus erat de missione Filij, quia vtrique singulare est delegatum munus, quod nemo alius potest administrare. Deinde vocat Spiritum filij, quia ab eo etiam procedit non minus quàm à patre. Et hinc euincitur etiam diuinitas Filij, quia Spiritus sanctus illius est, vt etiam Dei patris. Deinde quia per illum & propter illum datur nobis, vt ipse filius testatur, rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Tertiò, mittitur in corda sanctorum, hinc est quod templum Dei & Spiritus sancti dicuntur. Quartò, effectum Spiritus sancti est, clamare, h. e. in vobis efficere nouos motus, nouos affectus, veram docere inuocationem, adorationem, dictare patientiam, spem, fidem, & similes virtutes. Abba Syriaca est dictio ex reduplicatione Hebraicæ au nata, ideo ὁ πατὴρ interpretatio est peregrinæ vocis. Docet autem veram inuocationem fieri ad Deum vt patrem, nũc per filium mediatorem, quæ sub Mose ad Deum Zebaoth dirigebatur, sub nomine Domini & Dei Israëlis. Sic Rom. 8. vers. 15. idem dicitur de Spiritu sancto quòd doceat clamare abba pater.

Missio Spiritus sancti.

7. *Itaque non amplius es.*

Illatio est totius argumenti à similitudine ducti. Primò, obserua numeri mutationẽ, nam quæ plurali dixit numero nunc singulari concludit, quod sanè est magis emphaticum, quasi dicat, singuli fideles hoc sibi specialiter applicare debent, ne putetis in genere saltem hoc verum esse. In quo magna est consolatio. Deinde obserua ordinem consequentiarum, nam climacẽ instituit, & hypothesin sumit ex proximè probata sententia. Accepistis Spiritum filiorum, ergo estis filij, hinc sequitur estis filij, ergo hæredes etiam estis Dei, & hæc omnia consecuti estis per Christum mediatorem, qui impetrauit Spiritum illum vobis à patre, qui

Climax.

missus est vt liberaret Iudæos ab onere legis, vt omnes ad adoptionem filiorum Dei vocaret. Hic nullæ partes sunt circumcisionis, aut legis Mosaicæ, ergo ad illa bona consequenda lex non est necessaria, itaque nulla est causa cur illius iugum admittatis.

8. *Sed tum quidem non scientes Deum.*

Variis argum. ostēdit legis iugū sublatū à Galatis.

Secunda pars, in qua ἐπιτιμητικὰ quædam adhibet argumenta. Cohærent autem superioribus quadam redditione: nam ostendit ratione temporis legem ad ipsos non spectasse, ne quidē ante Christum, quia Gentes fuerint. Ad Iudæos enim spectabat necessariò, vsque ad Christum natum, quo exhibito etiam illi soluti sint ab oneribus legis, sed ad vos Galatas ne tum quidem spectauit, ergo ne nunc quidem. Deinde collatione hinc efficitur aliud argumentū, hic posterior status perinde est vitiosus atque ille primus sub Gentilismo, ergo pari studio à vobis vitari debet. Id vt intelligamus, considera in Galatis triplicem conditionem. Prima sub Gentilismo admodum corrupta, & ignorantia veri Dei oppressa. Altera sub Christianismo verò, cuius religionem à Paulo acceperant puram.

Tertia iterū corrupta obseruationibus legalibus, quā didicerāt à falsis doctoribus, facti semiiudæi. Primus & vltimus status inter se conferūtur, vtriq; vitiosus, ad mediū eos reuocat, tanquā perfectū & purū. Argumentū igitur est, nouissimus hic status vester non minus corruptus est quàm primus ille in Gentilismo: ergo non minus quàm ille vobis est vitādus.

1. Galatarum cōditio.

Qualis primus fuerit ostendit, *nescientes Deum*, hoc est, verum Deum ignorabatis, in tenebris versabamini, cæci & duces cæcorum. Deinde *seruiebatis idolis, quæ natura non sunt dij.* Rectè natura distinguit Deū verum à falsis, nā illa non natura subsistūt, sed opinione, Deus autem Israëlis natura subsistit. Deinde illi ab hominibus fiunt & eliguntur, hic autem à se est & homines fecit. Sic de vno Deo loquitur. 1. Cor. 8. ver. 5. & Ephes. 4. ver. 6. Hoc vitium Corinthiis quoque obiicit. 1. Cor. 12. ver. 2.

9. *Nunc autem.*

2. Conditio.

Alterum membrum antitheseos de statu præsenti in quo semiiudæi erant, grauiùs errantes quàm priùs. Nam primus status mera laborabat ignorantia, quo nomine aliquid excusationis habebant, vt Petrus excusat Iudæos Act. 3. ver. 17. quòd ignorantes crucifixerint Christum, at iam nullam possunt ignorantiam prætexere, norunt enim Deum satis, sed noto diffidunt, & quærunt partem aliquam præsidij ad salutem in proprio merito. Hoc demum pessimum est crimen diffidentiæ, & imperfectionis Deum arguere.

Μᾶλλον δὲ. Correctio est sermonis adimens homini opinionem meriti, *Cognoscentes imò cogniti*, vt ne de cognitione gloriari possint, quasi dicat, & hoc donum Dei est: sic Ioan. 15. Christus loquitur, non vos me, sed ego vos elegi, & 1. Ioan. 2. Prior ipse nos dilexit. Et Rom. 10. ex Esaia ostendit Deum inuentum ab his qui de illo nihil interrogabant.

Infirma elemēta

Πῶς ἐπιστρέφετε. Conclusio est interrogatione illata. simplex erat, ergo hunc statum perinde atque primum debetis vitare, sed interrogatione maius accedit pondus mutatis etiam nonnihil verbis, quasi dicat, absurdum est quod facitis, & nulla ratione excusari potest. Infirma & egena vocat elementa, respectu doctrinæ falsæ. Nam aduersarij docebant circumcisionem illis esse necessariam ad salutē, contrà ostendit Apostolus nihil virium habere, & inopem esse hanc totam doctrinam coram Deo. Lex enim per se quidem bona & honesta est, manserúntque ex illa multa sub Christo, vt totus decalogus paucis mutatis, sed apud tribunal Dei & in foro conscientiarum obseruatio illi inops est & impotens, hoc est, non potest hominem excusare, non potest conferre iustitiam qualem Deus à nobis requirit. Talis hodie etiam est tota doctrina ferè Pontificiorū. quid enim de humanis dicemus traditionibus, si Apostolus legem audet eo respectu inopem & infirmam appellare?

10. *Dies obseruatis.*

Obseruatio dierū quando licita quando non.

Per exemplū indicat illorum errorem, nam illa magis feriunt. Dies obseruatis vt sabbatum aliósque dies festos, menses; calendas, næomenias, καιρὺς, hoc est, occasiones rerum agendarum & momenta, vt quousque liceat sabbato ambulare, quando quæque secundum traditiones patrū sint peragenda: annos, vt septimū, quinquagesimum, iubileum & similia.

Sed dices, ergóne temporum nulla sunt obseruanda discrimina? Respondeo id non prohiberi hoc loco, sed ita obseruare, quo modo id Galatæ faciebant, scil. fiducia meriti & iustificationis in eius obseruatione deposita, hoc demum prohibet Apostolus. Interim concedit ciuilia temporum discrimina, vt dum seruamus dies nundinarum, fori, litium, nuptiarum. Sic in Ecclesia obseruamus dies festos, diem resurrectionis, conceptionis, ascensionis, dati S. sancti, natiuitatis, passionis, sed nulla addita superstitione. Ita medici obseruant dies criticos tertiū, septimū, nonū. Et rustici dies certos in secunda materia durabili ad ædificia, ad fundamēta in aquis alio tempore rectiùs cædūtur arbores. Verùm in his omnibus manifestum nullū accedere cultum aut opinionē aliquam meriti, cuiusdā coram Deo, ideo non incurrunt hanc Apostoli reprehensionē. Alia ratio igitur est in obseruatione concessa propter

pter εὐταξίαν vel vsum naturalem, alia verò in illicita quæ habet coniunctam persuasionem meriti.

11. *Metuo de vobis.*

Aliud argumentum à sua erga eos solicitudine, quæ illis meritò debuit pudorem incutere, dum Apostolus tantopere pro illis solicitus est ipsis stertentibus. Spem tamen relinquit, quia dubitanter loquitur. Argumentum est, si in hoc statu permanseritis, mei labores omnes erunt & mihi & vobis inutiles, sed non est prudentis operam & oleum in aliqua re deperdere. Ideo mnibus modis hic status vobis est vitandus. Arg. ab Apostoli sollicitudine.

12. *Scitis vt ego.*

Aliud argumentum à suo exemplo ad quod Galatas prouocat. Sensus varius esse potest, vel enim dicit & ego olim eram in hac opinione qua vos nunc laboratis, sed emendaui, resipui, vos igitur idem facite. Vel ego natura Iudæus non obseruo illa discrimina, igitur nec vobis sunt obseruanda qui proselyti estis non natiui Iudæi, si enim obseruatu essent necessaria, vtique Paulo non erant deserenda. Aut intermedia illa locate, vt ego omnibus omnia fio, nunc Iudaicè, nunc Gentiliter viuo, ideo vos etiam nolite nimium anxiè illa obseruare. Aut certè ad dilectionem refertur, q.d. candidè me amate quando idem ego in vobis amandis præsto. Debet enim amantium esse vna mens, vnus spiritus, & quasi vna persona. *Fratres precor vos.* Admiscet preces, rogat quibus aliàs mandat, sed ducere vult non trahere. Oleum aspergit passim vulneribus, ne nimium offendat. *Nihil me læsistis.* Correctio est amolliens omnem suspicionem sinistri affectus, quale poterat esse odium, inuidia, &c. Non hæc est causa, inquit, meæ seueritatis, nam quod meam attinet personam, nihil me læsistis. Arg. à Pauli exemplo.

13. *Nostris autem.*

Tertia pars quæ ab ipsorum commendatione, & veteri beneuolentia illos conatur reuocare in viam. Summa est, humaniter me excepistis docentem Euangelium, & summa amoris indicia exhibuistis, igitur decet vos in hac beneuolentia etiam erga absentem perdurare. Orditur à confessis, quasi ad ipsorum prouocat conscientiam. Ἀσθένειαν vocat molestias quæ ei propter confessionem veritatis accidebant, vt erat persecutio & metus persecutionis. 1. Cor. 2. v. 3. illa incommoda refert 2. Cor. 6. vers. 4 5. & cap. 11. ver. 24. quasi dicat, summa ignominia oppressus veni ad vos, nihilominus me gratanter excepistis. Infirmitas Pauli quæ dicatur.

14. *Et experimentum.*

Ἐξήγησις est, quæ nam sit illa imbecillitas, nimirum experimentum fidei ipsius quantum pro Christi vellet pati. Sic reuera de persecutionibus & tota cruce sentire debemus quòd sit probatio fidei. Iacob. 1. v. 3. 1. Pet. 1. v. 12. Opponit autem summæ ignominiæ, summam beneuolentiam. Ac subesse rationem oportet, si quis hominem ab omnibus despectum & ignominia publicè notatum posit ardenter amare. Hinc signa amoris addit non pœnitenda, vt Euangelium Dei suscepistis, imò vt Christum ipsum, hoc est, non maiori gaudio audiri poterat Angelus, aut ipse Christus, ergo summa beneuolentia in me vsi estis. Amor Galatarũ erga Paulum & eius causa.

15. *Quæ igitur erat beatitudo?*

Instat ab antea ctis, ac causam inquirit tanti amoris, quasi dicat, causam aliquam esse oportet cur ita facilè à me recesseritis. μακαρισμὸς amplius quiddam est quàm μακαριότης fructus scilicet & gloriatio illius. Hinc relabitur ad summi amoris indicia, ac per hyperbolen indicat charissima quæque promptè pro Paulo exposuisse si fuisset opus. Nam oculum eruere pro altero, vix amicissimus faciet.

16. *Itaque inimicus.*

Conclusio est argumenti per præoccupationem. Quærit enim defectionis iam causam, ac mox falsam remouet quę est veritas, quasi dicat, num ideo defecistis à mea doctrina quòd veritatem vobis dixerim? Vt illud verùm sit, Veritas odium parit?

17. *Depereunt vos, non bene.*

Vera causa est defectionis, quasi dicat, meliùs de vobis spero, non enim veritas vos à me alienauit, sed hæc causa est dolus scilicet seducentium vos. Apposita est translatio, qua non tam Galatas vituperat quàm ipsos doctores, quorum astutiam non animaduertunt. Sed addit differentiam, depereunt vos non bene. Itaq; zelus alius est bonus qualis in Christo, Apostolis, Elia, Phinees, Machabæis & similibus repertus est. Alius verò malus qualis in Galatarum istis doctorib. Sumpta est metaphora à procis qui vnam puellam ambiunt, Vterque conatur illam in suam sententiam pertrahere. Ideo addit Apostolus finem aduersariorum, me volunt excludere, hoc est, id vnicè quærunt vt vos totos occupent me in solidum excluso. Dicitur excludi amator, dum puella alteri præbet aures, hoc neglecto. Defectionis Galatarum causa.

18. *Bonum autem est æmulari.*

Maior est propositio cui facilè subtexi potest minor vt fiat integer syllogismus. In re honesta constans debet esse amor etiam erga absentem, sed amor vester in re fuit honestis-

sima, ergo in eo debebatis esse constantes. Vides illis modestè obiici inconstantiam quam suprà cap.1.ver.6.mox illis obiecit.Porrò nó solùm præsentem se,sed absentem diligi cupit. Nam causa doctrinæ à persona Pauli non poterat separari. Ideo ad Philippenses idem requirit studium cap.2.ver.12.vt semper obediuistis, non solùm quum essem præsens,sed magis in mea absentia, sic cum timore & tremore salutem vestram operamini. Admonemur quid piis ministris debeamus,item quid illi iure suo à nobis possint requirere.

19. *Filioli mei quos iterum.*

Allegoria de duabus Abrahæ vxoribus. Quarta pars capitis in qua allegoriam de duabus Abrahæ vxoribus inducit,probans discrimen & veræ & falsæ Ecclesiæ,veram esse quæ nititur Christi merito secundùm promissiones Isaaci,falsam quæ naturæ viribus subnixa per legis seruitutem quærit iustitiam. Partes huius allegoriæ quatuor sunt. Initio nouum est exordium, quo præparat sibi viam ad argumentum allegoricum:deinde addit narrationem historicam, de Abrahæ duabus vxoribus geminisque filiis & duplici origine. Tertiò, subnectit interpretationem allegoricam historiæ.Quartò,applicatio ad institutum præsens habetur.

Amor Pauli erga Galatas. *Filioli mei.*Ε῎υνοια est,captat enim Galatarũ beneuolentiam à suo in ipsos paterno affectu. Filios dicit propter religionis imitationẽ. Nã Apostoli beneficio deserto Gentilismo Christiani facti erãt,Regenerationis igitur organum fuit,& ideo pater.Deinde molestias exprimit,quas pro ipsis pertulerit,& deinceps perpessurus sit pro ipsis,quod verbo ὠδίνω indicat. Significat autem mulierum more cum dolore & gemitu parere, Sic vsus est eo ad Rom. 8.vers.22. quòd tota creatura nobiscum ingemiscat, & parturiat. Et hoc cap. vers.27.ex Esaia,erumpe & clama quę non parturis,ἡ οὐκ ὠδίνουσα.Alibi patris personam induit,vt 1.Cor. 4.ver.15.Ego vos per Euangelium genui. Ad Philem.ver.10. Oro pro filio meo quem genui in vinculis meis. Tertiò:finis dolorum & scopus quis est? *Vt formetur in vobis Christus*, scopus est totius Epistolæ huius,vt Galatæ intermissa legis obseruantia, redeant ad verã Christi agnitionem,cuius gratia & merittum illis sufficiat ad salutem. Itaque hic propositio innuitur,vt dum ait formari in ipsis Christum,satis indicat contraria doctrina fuisse deformatum in ipsis, quare tantum abest vt legis obseruãtia iuuentur ad salutem, vt hoc ipso amittant totum Christum & ipsam salutem.

Scopus huius epistolæ.

20. *Velim autem nunc adesse apud vos.*

Alterum membrum exordij,speciem habens attentionis.Exprimit enim singularem curam sese singulis attemperandi & accommodandi,id scripto non perinde poterat fieri,ac si coram præsens esset.Ita solet industrius medicus coram singulorum morbis sese & medicamina applicare, sic in doctrina errores omnium rectissimè corriguntur à ministro præsente.Id dixit,*mutare vocem suam*,hoc est,vtiliter illorum captui applicare,hos consolãdo, alios erudiendo,alios confirmãdo, quosdam etiam contumaciores excludendo. Addit rationem desiderij sui,*quia*,inquit,*dubito de vobis*, h.e. non satis certus sum de vestra salute & emendatione quasi sit eos habiturus minus obsequentes absens,præsentia plus illos moueret.

21. *Dicite mihi.*

Indicat argumenti formã,scilicet quòd à confessis & concessis cum illis sit acturus,quod sanè in bono doctore imprimis est laudabile. Vrget autem eos interrogatione, quia recentes erant legis discipuli facti, nec fortè satis illis nota esse poterat. Deinde impingit illis spontaneum errorem *vultis esse sub lege*,quasi dicat, poteratis hoc onere & illa molestia carere,sed quia sic vobis placet,ecce vestra vos lege conuincam erroris.

22. *Scriptum enim est.*

Allegoria ab vxoribus Abrahæ. Alter locus argumenti huius,quo narrat historiam ex Genesi 16. & 21.capitibus.Obserua hîc,duas vxores Saram & Agar,deinde geminos filios Isaacum & Ismaëlem : tertiò, geminam originem. Sara Isaacum peperit vi promissionis, hoc est, præter naturæ cursum, vtpote nonagenaria,sola Dei gratia. Agar autem Ismaëlem peperit secũdum carnem, hoc est, in vegeta ætate dum adhuc esset succi plena. Quartò, duplex etiam est hîc conditio,Sara in libertatem generat.Agar autem in seruitutem.Soboles enim conditionem vteri sequitur.

24. *Quæ sunt per allegoriam.*

Expositio allegoriæ. Tertium membrum huius loci, quo historiam nunc allegoricè interpretatur. Obserua igitur vt singulis membris reddas suam significationem, sic nihil erit obscuri in interpretatione.Duæ matres sunt duo testamenta.Sara nouum Testamentum adumbrat:Isaac Ecclesiam fidelium, promissio gratiæ est de merito Christi ad salutem suam sufficiente omnibus piis : libertas est solutio ceremoniarum legalium sub Mose. Contra Agar typus est veteris Testamenti, Ismaël populus Iudaicus est, secundum carnem hic natus est, & Iudæi ex Patriarchis Iudæis natiui Iudæi. Seruitus est, legis iugum quod Iudæi mordicus retinere & tueri volunt. His adde plura ex contextu, vt quòd Agar typus est Sinæ montis, in quo lex data est,item Hierosolymæ terrenæ.

25.Nam

25. *Nam Agar est mons Sina.*

Αἰτιολογία est confirmans typum à ratione nominis. Agar, inquit, est nomen montis, Arabum lingua, vt tradunt, qui Iudæis Sina dicitur. Igitur aptè sub eodem nomine mons & ancilla serua Ægyptia continetur in argumentum, ancillam istam esse typum legis in Sina datæ, hoc est, veteris testamenti. Hic mons Sina serie pari respondet Hierosolymæ præsenti, hoc est, externæ. De verbo συστοιχεῖ multum disceptatum est inter interpretes, sed non est cur in verbis laboremus, cùm de sensu & mente Apostoli constet. Verè σύστοιχα sunt hic Agar, Ismael, caro, seruitus, Sina cum toto veteri Testamento, Ierusalem externa cũ synagoga Iudaica, ad eandem enim pertinet seriem, quæ στοῖχος Græcis dicitur, vocabulo à militaribus aciebus mutuato. Vt igitur στοῖχος est series militum à fronte aciei ad vltimum vsque finem, qua sequentes semper antecedentium tergoribus insistunt. Sic in argumento allegorico sunt voces ad eandem seriem & significationẽ pertinentes. Habes hic duas series, vnã veteris legis, alterã gratiæ in Christo. Itaque σύστοιχα sunt ab vna serie, vt dixi, Agar, Ismael, repræsentantes Sinam, legem ibi datam, populum sub illius seruitute viuentem, hoc est, synagogam. Hierosolymam quoq; externam, in qua floret synagoga & seruitus legis regnat.

Redditio causę in allegoria.

26. *Illa verò sursum Ierusalem.*

Alterum membrũ interpretationis. Hactenus dixit de Agar & his quæ ei sunt σύστοιχα, quæ omnia sub seruitute detinentur. Nunc de altera matre agit, hoc est, quid Sara nobis adumbret, & qualia hæc habeat σύστοιχα. Itaq; ad hanc seriem pertinent ista. Sara mater, Isaac filius, libertas, nouum testamentum, Ecclesia Christi in libertate sine circumcisione viuens, cœlestis Hierusalem communis patria & quasi mater omniũ. In hac συστοιχία nihil video incommodi nec obscuri. Nec ignoro hic alios Hierusalem non duas, sed vnam facere. Verùm illi mihi vehementer videntur falli. Primùm enim Apostolus manifestam facit antithesin in hoc nomine, eóque bis posito, vnam externam, alteram cœlestem faciens. Τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλήμ, quæ antithesis planè perit illorum interpretatione, & tollit alterum membrum in altera serie. Deinde verbum ipsum συστοιχεῖ hoc conuincit manifestè. Nam primò refert vrbis nomen ad συστοιχίαν Agaræ, quatenus scilicet externa est Hierusalem, mater synagogæ & legis polytia. Deinde ad συστοιχίαν Saræ etiam transfert, quatenus est mater nostrum omnium, hoc est, quatenus cœlestis est ciuitas, cõmunis omnium ciuium politia. Itaque necessariò est duplex ciuitas hîc facienda, vt seruetur συστοιχία. Accedit quod Prophetæ sic de Hierosolyma loquuntur, vt videre est Esa. 65. ver. 18. Ezech. vltimo Apoc. 21. vers. 2.

Saræ series & eius significatio.

27. *Scriptum enim est, lætare sterilis.*

Probatio quod ad Sarãm & illius συστοιχίαν pertineat benedictio diuina, ex quo efficitur Ecclesiam Christi per gratiam obtinere cœlestem illam Hierosolymam, ad quem per opera legis frustra aspirant Iudæi in συστοιχίᾳ Agaræ. Locus est ex Esa. 54. Sterilis Sara est, ad partum secundum naturam inepta, eadem est deserta non habens maritum, quia Agar illo iam fruebatur. Sic Ecclesia Gentium sterilis erat & sine marito, sed plures obtinuit filios Christo quàm synagoga. Idem habemus ad Romanos 9. ver. 7. & 8. Neque enim quia sunt semen Abrahæ, ideo mox omnes sunt filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis ij mox filij Dei, sed qui sunt filij promissionis reputantur in semen.

Benedictionem ad Saram pertinere.

28. *Nos autem fratres.*

Quartum membrum huius allegoriæ, quo specialiter applicat ad credentes illam allegoriæ alteram συστοιχίαν de Sara loquentem. Sunt quasi corrolaria ex quibus primum est, nos secundum Isaac, sumus promissionis filij, igitur legis onus nihil ad nos, sed gratia Domini nostri Iesu Christi nos patri reconciliat Rom. 9. Non qui sunt semen mox sunt filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen.

29. *Sed quemadmodum.*

Alterum porisma, carnales filios perpetuam litem moturos filiis Spiritus. Hoc adumbrauit Ismaël irridendo Isaacum Gen. 21. ver. 9. Aduertendum Apostolum hîc interpretari Mosem, qui de dissidio illo modestè locutus est. Nam ait Saram vidisse Ismaëlem *metzachek*, illudentem vel irridentem, sed Apostolus interpretatur διώξιν persecutionem. Ac fieri potest vt ille tanquam maior natu in Isaacum & verbis & verberibus insurrexerit. Hoc dissidium semper durabit, inquit Apostolus. Sic Iudei cum Christo egerunt, cum Apostolis, cum omnibus fidelibus, falsi doctores cum Ecclesiis ex Gentibus conuersis. Deinde obserua veræ Ecclesiæ proprium esse pati, falsæ autem persequi. Itaque non est cur miremur si idem conspiciamus hodie fieri.

Dissidiũ carnaliũ filiorum cum spiritualibus.

30. *Sed quid dicit scriptura?*

Tertium porisma Dei sententia pronuntiatum de causa dissidij. Causa litis est vita æterna, vtrum ad hanc perueniamus legis obseruatione, an verò gratia & merito Christi per fidem apprehenso. Quæstio soluta est diuina authoritate, quia Deus iussit Agaram cum filio

Litis causa.

eiici, vt heres non sit cum Isaaco, ergo filij promissionis per gratiam solùm saluabuntur, Iudæi autem vt Agaræ filij seruíque legis minimè iustificabuntur per legem.

31. *Itaque fratres.*

Conclusio specialis corolario primo respondens. Generalem conseruat ad consequens caput.

Ἀντιστοιχία.

συστοιχία		συστοιχία
Agar	1	Sara
Ismael	2	Isaac
Seruitus	3	Libertas
Lex veteris Testamenti	4	Gratia noui Testamenti
Carnis possibilitas	5	Promissio
Hierusalem externa	6	Cœlestis Hierusalem
Synagoga legem defendens	7	Ecclesia gratiam asserens.

CAPVT V.

Argum. cap. 5.



EPILOGVS totius disputationis de iustificatione per Christi meritum, & non per obseruationem circumcisionis aut ceremoniarum Mosis. Totum ferè est exhortatorium. Nam propositis incommodis & impossibilitate, item rectè sentientium iudicio, eos in viam suæ doctrinæ reuocat.

Propositio. Partes. Πρόθεσις, Galatæ repudiatis erroribus istis nuper receptis, ad eam simplicitatem doctrinæ quam pridem ab Apostolo Paulo acceperunt, debet redire. Partes duæ sunt in hoc capite, prior habet perorationem superioris disputationis. Posterior locum de doctrina operum, significans renatos non ideo legem repudiare quòd bona damnent opera, sed quòd iustitiam in his aut meritum non quærant, interim toti in eo sint vt professionem vita & moribus decenter ornent, & cùm fecerint omnia dicāt tamen, serui inutiles sumus.

1. *In libertate igitur.*

Repetitio est propositionis principalis paulò mutatis verbis. Cohæret autem superioribus per illationem quia conclusio est generalis: quam in tota disputatione respicit. Sententia est, constanter debetis permanere in doctrina libertatis Christianæ, nec vllo pacto iugum legis admittere.

Partes duas habet, quarum prior θέσιν habet, posterior ἀφαίρεσιν. Nam illic de vera doctrina: hîc de erroribus recētibus loquitur. Forma tota habet ἀντίθεσιν. Nam facienda omittendis eleganter opponit. Libertas est doctrina hîc de libertate Christiana, in qua continetur præcipuus articulus salutis de iustificatione scil. nostra coram Deo. Hanc euertebant aduersarij per circumcisionis doctrinam, in hac, inquit, manendum est. Ratio, quia Christus illam nobis peperit, significans priùs omnes homines fuisse mancipia operum, per quæ tamen nullo pacto saluari poterant. Standi verbum ostendit constantia opus esse in professione veræ doctrinæ, in qua ipsi nutauerant deflectentes ad Iudaismum, quod non erat stare, sed vacillare. Itaque inconstantiam illis iterum tacitè obiicit. Obserua cum Christo stare & in bonis per Christum comparatis. qui iustificationem vni merito Christi adscribunt. Remotio est, *Et ne iterum iugo seruitutis detineamini.* Iugum seruitutis est seruile iugum opponitúrque libertati Christianæ, contrariorum contraria sunt consequentia, illic standum est, ergo hîc minimè. Obserua falsa dogmata iugo subiicere, nam vt iumenta detinentur iugo, sic erroribus homines sæpe inuiti detinentur, sequuntur tamen dum meliora nesciunt. Deinde non quoduis iugum damnat hîc, quia Christi est quoddam iugum leue & suaue, ideo seruitutis iugum dicit, hoc est, quod pugnat cum libertate.

Libertas Christiana.

Iugum seruitutis.

2. *Ecce ego Paulus dico vobis.*

Propositionis cōfirmatio, in qua variis rationibus probat inutilem

Sequitur cōfirmatio propositionis, nō debetis errores receptos sequi, sed meam de libertate Christiana doctrinā. Quare hoc? Respōdet subiectis rationibus. Primùm, quia si illa sequamini dogmata Christus vobis est inutilis, ergo sequenda nō sunt, ne hoc eueniat. Vis argumēti est ab inutili. Christus inutilis fit, hoc est, vestro vitio nō applicabitur vobis meritū suum, alioquin Christus semper est vtilis, si nō Galatis, certè aliis. Argumētum exornat sua authoritate. *Ecce ego vobis dico*, q. d. non sum vobis contemnendus, & mea authoritas seductorum authoritati debet opponi. Illi dicunt, nisi circumcidamini salui esse nō potestis. Act. 15.

Act 15. Sed ego Paulus cōtrà dico, si circūdamini non potestis salui esse. Itaq; expendatur hic gemina antithesis personarū scil. & doctrinæ. Obserua Christū nō ferre parem in conscientiis hominum. Solus regnare vult aut cedit totus, Qui non est pro me, contra me est: &, Nemo potest duobus dominis seruire. Ideo Apostolus ad Philipp. 3. suam iustitiam cupit abiicere vt Christi iustitiam apprehendat. Itaque discamus de nostris viribus desperare.

esse circumcisionem. 1 Ratio.

3. *Testor enim rursus omni homini.*

Secunda ratio à consequenti nouo incommodo, per circumcisionem vos toti legi astringitis seruandæ, quod sanè vobis est arduum, imò impossibile. Repetit autem contestationem, ne putemus prius argumentum per iram & casu excidisse. Christus nihil prodest, imò etiam totius legis estis debitores: circumcisio enim tum prodest si legem seruaueris, Rom. 2. vers. 19. Id fieri non potest, Actor. cap. 15. Itaque stultum est onus importabile vltrò vobis imponere.

2. Ratio. Circumcisio legi astringit.

Obserua de circumcisione hîc agi respectu abusus quem inducebant falsi doctores. Alibi circumcisionem tulit vt rem mediam in Timotheo, alibi vt sigillum iustitiæ commendauit in Abrahamo, sed dum abusus inducuntur, omnibus viribus illam oppugnat.

4. *Excidistis à Christo.*

Tertia ratio, alia consequentia refert, quibus ostendit quàm absurdè & stultè faciant. Primùm, inquit, *à Christo excidistis*, idem priùs dixit vers. 2. Christum illis nihil prodesse, sed hic ampliùs aliquid dicit, vos etiam Christo inutiles estis, *ihr sind Christo ein schandt vnd vnnutz ding*. Considerent hoc qui iustitiam in operibus ponunt cùm Apostolus hoc dicat contra legem Dei, lege Mosis iustificari vultis, ergo Christo excidistis. *Es ist schon gefalt.* Deinde accedit alterum incommodum quòd gratia Dei excideritis hoc consilio, perniciosum igitur est & meritò damnandum. Iterum gratia opponitur operum iustitiæ, sic vt vnum alterum ferre non possit.

3. Ratio.

5. *Nos enim spiritu.*

Quarta ratio à sententia rectè iudicantium de hac quæstione, quasi dicat, vos ita censetis circumcisionem & reliquas ceremonias esse ad salutem necessarias. At Ecclesiæ rectè iudicantes de hac quæstione aliter sentiunt. His se Apostolus coniungit contra Galatas, *nos* inquit, *expectamus spem iustitiæ*, quasi dicat, vos toti iusti vobis videmini, nos verò tantum absumus vt spem solùm iustitiæ expectemus, non habemus etiam hîc integram, quia iustus septies etiam per diem cadit. Et hanc expectamus spiritu, hoc est, ardenti inuocatione illam obtinemus, vel spiritu nunc obtinemus olim reipsa possessuri. Addit etiam, *per fidem*, quia organum est quo Christum apprehendimus, eiúsque beneficia nobis applicamus.

4. Ratio.

6. *Nam in Christo.*

Quinta ratio à proprietate regni Christi, quæ est nullum personarum admittere respectum propter opera. Circumcisio in hoc regno nihil momenti habet, nec præputium aliquid impedit. Hæc discrimina in politia Mosis valebant, at in Christi politia inutilia sunt. Sic dixit cap. 3. ver. 18. in Christo non esse Iudæum Græcum, seruum, liberum, marem, fœminam, sed omnes vnum esse in Christo. Similia habes Colos. 3. ver. 11. & infrà 6. cap. idem repetit. v. 15. Quid ergo valet isto regno? respondet, fides hîc valet per dilectionem operans, hoc est, vera & viuida fides, significans non quamuis opinionem facere Christianos, sed fidem operosam quæ viua dicitur, in dilectione hæc imprimis sese exercet. Ideo fidei coniungitur. Nec est cur Iustitia dilectioni tribuatur cùm fidei sit quasi manus & pes.

5. Ratio. Christus personā non accipit.

7. *Currebatis pulchrè.*

Sexta ratio à priori statu valde laudabili, cui præsentem corruptissimum opponit. Habet autem obiurgationem seu querelam dolentis præceptoris. Laus prioris status desiderium illius debet mouere. Admonet nos currendi verbum vitam piorum cursum esse, hoc est, perpetuas habere molestias sine intermissione. Deinde culpam transfert in deceptores, *Quis vos euertit vt non crederetis veritati?* ergo iustitiam tribuere operibus est euersio, est non credere veritati. Sic cap. 3. dixit fascinum esse, vt non obediant veritati.

Sexta ratio à priori statu Galatarum.

8. *Persuasio hæc non est.*

Septimum argumentum à distinctione, non est à Deo, ergo est à Satana. Vocat autem πεισμονὴν quia opinio est fallax. Non est à vocante vos Christo scilicet, vel Deo: sequitur igitur doctrinam hanc esse Satanicam. Hæ notæ competunt operum iustitiæ & opinioni meritorum propriorum.

Septima ratio.

9. *Modicum fermenti.*

Octaua ratio, ostendit autem nocentissimam esse hāc doctrinā. Similitudo fermēti Christo familiaris fuit. Et suprà 1. Cor. 5. eandem habuimus. Vide locum de fermento. Obserua hîc miscellam hanc non posse fieri sine iniuria sanitatis in doctrina. Deinde paruos errores etiam non esse negligendos, quia serpunt vt cancer, & vt farina inficitur fermento.

8 Ratio à simili.

10. *Ego confido de vobis.*

9. Ratio. Nona ratio, consolatur eos ne videatur de resipicentia desperasse. Spes lapsis nō est neganda, imò quouis modo in viam reuocandi sunt. Confido nihil aliud sensuros, scil. quàm quod ego vos docui, vos saluandos solius Christi merito quicquid aduersarij dicant. Deinde orationem conuertit contra impostores. Obserua qui sint turbatores, isti scilicet qui iustificationem operum docent, turbant conscientias, vt non habeant quod sequantur certò, aut cui fidant. Tertiò, pœnarum est comminatio. Κρῖμα pro pœna ponitur, & neminem hîc excipit vt suprà, id est, ne Angelos quidem.

11. *Ego autem fratres.*

Occupatio. Occupatio est, nam aduersarij causam suam apud Galatas interdum palliabant exemplo Apostoli, quasi ipse quoq; circumcisioni fauerct, vt quòd circumcidit Timotheum. His ergo calumniis respondet per absurdum, quasi dicat, hæc vnica causa est cur omnibus sim odiosus: si circumcisionem vellem docere vt illi, possem florere inter meos Iudæos. Obserua igitur alio fine interdum indulsisse Iudæis in causa circumcisionis, & alio fine eandem doceri à falsis doctoribus. *Scandalum crucis*, hoc est, veritas doctrinæ omnia adscribens morti Christi, hæc sublata esset si ita docerem. Quare ad defensionem crucis neganda est circumcisionis dignitas.

12. *Vtinam abscindantur.*

Pathos est magno ardore spiritus expressum. Videtur autem alludere ad morem circumcidentium se, nam illi præputium abscindunt. Ait igitur, vtinam pro præputiis vestris ipsi doctores abscindantur, hoc est, euertantur ne vobis noceerent. Imprecatio Spiritus sancti in loco adhibita sine vitio.

PARS QVINTA DE DOCTRINA BONORVM operum, & officio renati hominis.

Argum. quintæ partis epistolæ.



Absoluta est disputatio de sinceritate doctrinæ quam Galatæ ab Apostolo Paulo quidē acceperant, sed in illa non permāserant, ídq; nō tam sua quàm falsorum doctorum culpa. Huius doctrinę caput fuit, de iustitia, solius Christi merito consequenda, sine omni operum legis dignitate. Itaq; de iustitia, de fide, de gratia disseruit, contra legem totam, opera nostra, circūcisionem, & quicquid fidei adiungi poterat damnauit, vt omnis gloria solius Christi esset. Nunc descendit ad aliud membrum doctrinæ, scilicet de officio renati hominis. Nam libertas Christiana toties inculcata, videtur stabilire ius viuendi simpliciter vt velis, quæ sanè doctrina foret plausibilis carni & hominibus mundanis. Ideo necessaria est declaratio quæstionis illius quænam sint officia renati hominis, & quomodo sese ad opera bona habeat fides ac libertas Christiana. Hac occasione texitur catalogus operum carnis & operum Spiritus, adiectis vtriusq; successibus ac euentu. Atq; illa in genere hortantur ad exercitia operum. Deinde sequenti parte suadet vt infirmorum in fide ratio habeatur. Tertiò, de præstanda gratitudine doctoribus veritatis agit, vt scilicet necessarium victum & amictum habeant. Quartò de beneficentia in pauperes admonitionem addit, Hæc sunt huius partis membra.

Partes.

Locus totus est παραινετικός. hortatur enim ad officium Christiani hominis qualia præcepta habuimus ad Roman.12. capite & sequentibus.

Propositio. Πρότασις est, renati hominis est fidem suam officiis charitatis passim declarare, nec carni indulgere.

Partes. In argumento ostendimus totius tractationis locos quatuor, quos ordine decet persequi. Quod igitur præsentia attinet verba, locus præcipuus est de operibus carnis & spiritus, nam hæc longa enumeratione ἀντιθέσει quadam opponuntur. Aduertemus autem nos ipsam dispositionem cuius hic ordo est. Proponit initio. 2. Confirmat. 3. concludit. 4. iterum argumentatur. 5. iterúmque concludit. Quæ durant ad finem vsque capitis.

13. *Vos enim in libertate vocati estis fratres.*

Propositio hîc statuenda est quintæ partis specialis. Libertas Christiana non carni, sed dilectioni mutuæ seruire debet.

Subiicitur hæc propositio superioribus per occupationem. Nam nomen libertatis fauorabile erat, sed malo intellectu, perniciosum generabat abusum. Contra istum abusum igitur præsens remedium adhibuit.

Quò vsque pateat libertas. *Tantum ne libertatem.* Respondent aduersariis hæc verba. Illi dicunt, libertatem nobis in Christo promittis, igitur quod libet licebit. Respondet minimè, concedo quidem libertate nos donatos per Christum: sed non concedo ob id quidquis vobis licere. Hinc statuit propositionem negatiuè & affirmatiuè. Primò.n. indicat ad quid non faciat, postea ad quid referenda

referenda sit. Remotio est, libertas Christiana non debet esse occasio carni, hoc est, non illius prætextu indulgendum est carni. Caro sit quicquid in homine renatum non est, Deoq; repugnans, vt sapientia eiusque ambitio, ratio humana cum tota philosophia, hinc omnes affectus carnis damnabiles. Θέσις est, Per dilectionem vobis inuicem seruite. Dilectio per opera viuida est, gubernatorem habet fidem, rectorem Spiritum sanctum qui dictat facienda & omittenda, fundamentum ipsum Christum. Itaque in libertate Christi nihil carnale locum habet. Caro quid sit.

14. *Nam tota lex.*

Propositioni mox subnectit confirmationem, considerentur hîc rationes. Prima est à compendio valde vtili & facili, q.d. vultis seruare legem, quod tamen Christus à vobis hoc modo non requirit. Ecce ostendam vobis compendium facilimum. Dilectioni inseruite, ita complebitis legem. *Tota lex*, q.d. non solùm decalogus, sed ceremonialis, & quicquid Moses habet, completum à vobis videbitur si regnet dilectio. Λόγος hîc dicitur præceptum. Christus ad hunc modum reducit, vt est Matt.22. Locus sumptus est ex Leuit.19.v.18. Idem dixit Apostolus ad Rom.15.ver.9. Mox addit quod sit illud vnum verbum. Præceptum scilicet dilectionis. Christus Matth.22. ex Leuit.19. duo refert capita, Diliges Dominum Deum tuum totis viribus, & proximum vt te ipsum. Hic vnius solùm fit mentio, quia respexit scopum suum: agit enim hîc de dilectione proximi non de amore erga Deum, quanquam connexa sint. Legis compendium.

15. *Si autem vos mutuò mordetis.*

Secunda ratio à contrario dãno. Dilectioni Christianæ contrarium est, cõtẽtio, odium, rixæ, &c. *Quòd si alius alium mordetis & deuoratis*, significans inter eos fuisse acerbas cõtentiones quæ non multum abessent à sanguine. Metaphora videtur sumpta ab animantibus feris quæ solẽt in se mutuò sæuire rabie quadã, vt leo, vrsus, lupus, & ex domesticis catus & felis in suam speciem rabie quadã sæuiunt, adeò vt canis canem mordeat ac laceret, felis felem interimat. Illorũ more vos agitis. Moneo igitur vt spectetis euentum. Animalia quę sic in se mutuò sæuiunt, illa se mutuò etiam consumunt, h.e. interimunt & perdũt, ergo idem vobis accidet. Calamitosi & infelices euentus sunt cauendi piis. Vos tales videri vultis, igitur cauere hos euentus, id fiet si dilectioni mutuæ incubueritis, desertis affectibus carnis. Dilectioni quid repugnet.

16. *Dico autem spiritu ambulate.*

Illatio est duabus rationibus subiuncta, q.d. ergo libertas dilectioni non carni seruire debet, sed id aptioribus verbis declaraturus, inquit, λέγω, quod verbum habet ἐμφάσιν, qualis suprà cap.3.ver.17. & cap.4.vers.1. Nam spiritum hîc & carnem opponit, vt suprà in propositione dilectionem & carnem. Πνεῦμα est motus & affectio renati hominis. *Spiritu ambulare*, est duci affectibus & moribus renati. Ἐπιθυμία carnis est ἀταξία in carne, hoc est, toto veteri homine qui non est renatus. Vide Rom.6. & 12. ad finem. Spiritus & carnis lucta.

17. *Nam caro concupiscit.*

Redit ad argumentationem, estq; hæc tertia ordine ratio, quæ ducitur à contrariis, qualia sunt caro & Spiritus. Vtriq; suus est effectus. Caro suos conatus dirigit ad euertẽda consilia Spiritus, sic Spiritus vt euertat conatus carnis, de qua lucta vide Rom.7.8. & 6. Hæc autem pugna non frustra instituta est. Sed ne faciatis quę vultis, hoc est, propterea naturę inditum est, vt vnum & idem subiectum non possit ferre duo contraria simul, eodem tempore, & eiusdem respectu, vt in bona incumbamus, nec ambiguè fluctuemus. Nemo potest duobus Dominis seruire.

18. *Quòd si spiritu ducimini.*

Quarta ratio ab vtili. Verus libertatis vsus vos liberabit à iugo legis, ergo in hanc est incumbendum. Spiritu duci est eidem obsequi tanquam Domino & ductori, quod faciunt renati, his lex non est posita. Itaque supra legem sunt. Carnis effecta fugienda.

19. *Manifesta autem sunt opera.*

Quinta ratio quæ ducitur à carnis effectibus & effectorum euentu. Sententia est: effectus turpissimi & euentus calamitosissimus diligenter est omnibus piis cauẽdus, sed carnem sequi habet turpissimos fructus, & calamitosum euẽtum, igitur carnis studia diligenter sunt cauenda. Partes argumenti duæ sunt, prior catalogum habet effectorum, hoc est, operum carnis vt vocantur: posterior euẽtum finalem. Opera carnis dicuntur φανερὰ, manifesta, vel quia notoria sunt, adeo vt ipsi carnales non possint illa palam iusta pronuntiare, vt furtum homicidium, ebrietatem. Ipse fur, latro, ebrius cogitur damnare & improbare. Vel dicuntur φανερὰ quòd publicè committantur, & carnem sic resipiant, vt ouum ouo non possit esse similius. Vel etiam quia contra conscientiam admittuntur.

Catalogus fructuũ continuatus est ex præcipuis sceleribus quę in mũdo regnant. Ac referuntur ad quatuor classes. Prima est venereorum scelerum. Μοιχεία, coniugatorũ, violatio Classes quatuor

fructuũ carnis. 1. Classis. thori, contra fidem matrimonij. Vide 1. Cor. 5. Altera πορνεία, solutorum est. Tertia, ἀκαθαρσία vtriusque & simul dictorum, sermocinationum. Quarta, ἀσέλγεια, petulantia quoque in moribus, victu, amictu, quæ ad venerem omnia faciunt. De Selgis populis vide Strabonem lib. 12. De quibus alias etiam diximus. Altera classis vitiorum respicit Dei cultum, huc

2. pertinet idololatria, falsa de Dei cultu persuasio, quæ Gentes imprimis detinuit, Rom. 1. Al-

Tertiæ classis scelera. tera φαρμακεία, magiæ species, familiaritas dæmonum, quorum opera & consilio mira efficiuntur. Hic videtur perstringere amatoria phyltra, & in genere libros & artes magicas. Tertia hæresis, ad hanc classem pertinet etiam studium innouandi fidei dogmata, quando à vero scripturæ sensu receditur ad nouam interpretationem, quæ cum scriptura pugnant, quam deinceps violenter propugnant.

Tertiæ classis sunt iræ & commotiones, qualia sunt ἔχθραι, inimicitiæ priuatorum: altera ἔρις, contentio de leuibus rebus interdum, ex qua grauissimæ sequuntur inimicitiæ aliquando, vt dicitur φοιτᾷ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα, oberrat hominum pernicies, Eris frustra obganniens. Tertia ζῆλοι, æmulatio improba. Nam in malam hic ponitur partem vox illa. Quarta, θυμοὶ, iræ, hoc est, furores subitanei, concitationes quę mox euanescunt. Quinta, ἐριθεῖαι, contentiones forenses pro rerum proprietate. Sexta, διχοστασίαι, id est, factiones ciuiles, quales erant apud Corinthios, dum hic Cephæ, ille Pauli, tertius Apolli vellet esse discipulus. Perniciosum est malum præsertim in Repub. Ἐν διχοστασίῃ καὶ πᾶς κακὸς ἔμμορε τιμῆς. In seditione etiam pessimus assequi potest honorem. Septima, φθόνοι, inuidiæ, cui seruire abiecti est hominis, φθόνος πρὸς τὸν ἔχοντα ῥέπει, hoc est, sibi ipsi plurimum nocet, Octaua, φόνοι, id est, cædes, filia inuidiæ: nam inuidia gignit plurima homicidia, quale est exemplum in Caino, qui inuidia ductus Abelem occidit. Et mors per inuidiam Diaboli ingressa in mundum.

Quarta classis. Quarta classis habet duo vitia, ebrietatẽ & comessationẽ. Μέθαι, fons scelerum. Κῶμοι habent adiunctas saltationes, cãtilenas, nocturnas helluationes, vagationes & licentiã dicacẽ.

Et his similia. Catalogum concludit more dialectico. Nam post enumeratas præcipuas species, solent clausulam vniuersalem subnectere, ne in infinitum abeat enumeratio, quasi dicat, plura adhuc referri poterant, sed ex his de reliquis fiat iudicium.

Quæ prædico vobis. Altera pars argumenti, de calamitoso euentu, qui est, regnum Dei non assequi. Primùm expendatur frustratio illa quæ non leuis est, sed in re grauissima. Inde fiant argumenta dissuasoria, contra illos carnis fructus turpissimos.

22. *Fructus autem spiritus.*

Spiritus fructus. Sexta ratio à contrariis effectibus. Carnis contrarium est spiritus. Huius effecta recenset per antithesin. Vocat autem fructus non opera. Nam carnis operari & in his gloriari, Spiritus autem est sine iactantia fructum ferre & percipere. Catalogum orditur à dilectione, quia de hac quæstio instituta est. Deinde quia est fons & scaturigo aliarum virtutum. De qua vid. 1. Cor. 13. vbi omnibus donis pręfertur. Alter, Gaudium, pium & sanctum in Domino de bonis præsentibus exultans, vt quòd sentit Deum reconciliatum sibi, remissum peccatum, deletam vim mortis & imperium satanæ, de his vtique lætatur. Tertius, Pax cum Deo primùm, deinde cum proximo, denique secum ipse consentit. Vid. Rom. 5.

Quartus, Longuanimitas quæ differt libenter pœnas. Quintus. Χρηστότης, Benignitas, ad optima inclinans. Sextus, ἀγαθωσύνη, amicè omnia interpretans nõ summo rigore nec acerbè. Septimus, Fides politica, in dictis & factis constantia. Octauus, Mansuetudo in condonando errata fratribus. Virtus à Christo discenda, Discite à me quia lenis sum & mitis. Nonus, ἐγκράτεια affectibus resistit.

23. *Contra tales.*

Septimum argumentum à facili, tales liberi sunt à lege, ergo his virtutibus insistendũ est. Respicit autem ad ea quæ sunt vers. 18. Huc pertinet 1. Tim. 1. locus. Iusto non est lex posita.

24. *Quæ autem sunt Christi.*

Octaua ratio à proprietate membrorum Christi quæ est carnem domare & affectus eius. Vid. Rom. 6.

25. *Si viuimus spiritu.*

Viuere spiritu quid sit. Nona ratio à consequentibus. Spiritu viuimus, ergo Spiritu etiam ambulandum est. Spiritus iterum homini non renato opponitur. Illi viuere est, motus spiritus sancti ædere. Incedere est vita & moribus professionem suam ornare.

26. *Ne simus ambitiosi.*

Conclusio specialis. Nam ad certa Galatarum vitia illam applicat. Generalis fuisset, ergo non secundum carnem, sed secundum renatum hominem est ambulandum, sed voluit simul vlcus Galatarum tangere qui erant ambitiosi, ideo id concludit quod correctione indigebat. Ambitionis comites sunt obtrectatio & inuidia. Soli enim volunt videri & dominari

minari omnibus, ideo omnium odia in eos consurgunt. Omnibus malè loquuntur, ideo omnes ipsos etiam arrodunt.

CAPVT VI.

PERGIT in exhortatione ad virtutes renati hominis, quam priori capite ingressus est, ac omnium virtutum caput præfixit, fidem per dilectionem operosam, huius mox amplissimam sobolem recensuit, varios scilicet fructus Spiritus, quibus è contrario opposuit fructus carnis, hoc est opera hominum nondum renatorum. Nunc in eadem materia procedit ad officium ministrorum in coarguendis peccatoribus, qua scilicet lenitate eos vti conueniat. Deinde, quid contrà subditi debeant bonis ministris. Tertiò, ad beneficentiam in pauperes hortatur. Quartò, totam epistolam conclusurus, ostendit quantum inter se & falsos doctores intersit, inter suam etiam & illorum doctrinam, inter suam gloriandi rationem & illorum. Hinc enim iudicium sumi potest de veritate doctrinæ. Argum. cap. sexti.

1. *Fratres si etiam præoccupatus fuerit homo.*

Propositio huius loci hinc petenda est, ac statuatur ad hunc modum, doctores veritatis leniter ac humaniter tractare debent peccatores minimè malitiosos. Vide hoc idem argumentum tractatum & explicatum ad Rom. 14. ver. 11. Nos hîc resoluemus argumenta ex contextu Apostoli. Propositio variis argu. explicata.

Primum argumentum à conditione & qualitate peccati, *si præoccupatus fuerit* προληφθῆ, hoc est, à satana, malo exemplo, aut alia euidenti occasione magis ad peccandum pertractus. quàm sponte idem eligens, *leniter igitur corrigendus est*. Ex quo discimus peccatum duplex esse, aliud ab animi electione profectum, quod simpliciter est voluntarium, ad quod præparato & præmediato accedimus animo, hoc vtique non leniter, sed seueriter curandum est, de quo hîc non agitur. Aliud temerarium est, ad quod magna occasione & aliud agentes pertrahimur, quales sunt infirmorum lapsus quotidiani, de his corrigendis hîc agitur. Valet etiam argumentum à qualitate & specie peccati. Non est malitiosum peccatum sed infirmitate quadam commissum, ergo humaniùs tractandus est. 1. Argu. Peccatũ duplex.

2. Ratio sumitur quoq; à qualitate delicti, est παράπτωμα, hoc est, casus infirmitatis, ergo clementiùs est tractandus. Differunt ἁμάρτημα & παράπτωμα, quia illud malitiæ est, hinc ἁμαρτωλὸς dictus est cui in peccando obrepsit consuetudo, qui in sceleribus habitum contraxit: παράπτωμα verò infirmitatis est humanæ.

3. Fratres estis, igitur fraterno animo vos inuicem debetis tractare, non malitiosè & acerbè inuehi in peccata aliena.

4. A persona & virtutibus doctorum, quas sibi tribuebant. *spirituales vos estis*, hoc est, donis & virtutibus Spiritus sancti polletis: ergo sine acerbitate castigate peccantes. Nam Spiritus sanctus alienus est à maleuolentia. ab odio & inuidia, sed lenitatis & mansuetudinis author. Facite igitur vt illius spiritus indicia in vobis compareant.

5. A forma castigationis quæ debet esse καταρτισμός, hoc est, luxati membri in locum suum repositio. Verbum est medicorum qui solent magna cura & arte luxata curare. Sic faciendum ministris in curandis peccatoribus. Absit igitur omnis petulantia & insultatio.

6. A priuata persona doctoris & pari ad lapsum facilitate. *Te ipsum expende* hoc est, illius exemplo sapito tu, & considera te hominem esse qui possis perinde faciliter labi: Ergo in alios debemus esse leniores, quia lenitatem nobis etiam exhiberi vellemus. Obserua hîc vocari tentationem quod priùs peccatum vocauerat, notans ortum esse à satana, qui variis modis infirmos conatur ad lapsum trahere, eóque nomine varias tendiculas ponit, non secus quàm auceps incautis auibus & piscator piscibus. Hinc insidiatori tu quoque es expositus, igitur humaniter corrige. Tẽtatio quo sensu hic dicatur.

2. *Aly aliorum onera.*

Illatio est quam ad genus accommodat, quasi dicat, Christiani per omnia debent sua facilitate proximum subleuare: ergo etiã in corrigendo hoc debent ministri. Obserua hîc vocari onus ipsum peccatum, & rectè, quia aggrauat hominẽ reũ & Deo odiosum efficit, conscientiam mille modis grauat. Est autem argumentum à more peregrinantium sumptũ. Qui simul iter faciunt solent vnus alterius sarcinam interdum subire, vel saltẽ partẽ suis imponere humeris. Vita Christiani hominis peregrinatio est, in qua viatores sunt ministri & auditores, igitur pari facilitate in se mutuò vtantur, qua viatores vti solẽt. Deinde subest aliud argumentum, *Sic legem Christi implebitis*, q.d. cupitis legem Mosis implere, & vt id possitis admisistis circumcisionem, aliásque ceremonias Mosis, sed præstat Christi legem non Mosis implere, illa hoc modo implebitur si dilectione fraterna vtamini in correctione peccantiũ: Peccatũ est onus.

Antithesis legis Christi cum Mosis.

ergo hanc viam ingrediamini. Emphatica est antithesis inter Christi legem & Mosis legem. Hanc vrgebant cùm esset superuacanea, illam negligebant summopere necessariam.

3. *Si enim quis videtur aliquid esse.*

Persuasio de nobis noxia.

Qui præsunt sæpe solent ex aliorum collatione sese efferre, quasi ipsi tales non sint. Hanc vanam persuasionem hîc corrigit argumento à damnoso adhibito. Nocet vobis ipsis vana propriæ iustitiæ persuasio, ergo illam diligenter cauete in corrigendis aliorum peccatis, *si quis videtur aliquid esse*, scilicet sibi vt ille Pharisæus. Luc. 18. Et Pharisæi in genere, vt est Luc. 16. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, hi nihil sunt, displicent Deo, & id quod simulant minimè præstant. Vtique hic se ipsum fallit. Nam vitam æternam non assequitur hypocrita. Itaque sibi ipsi sui mores damno sunt.

4. *Opus autem suum.*

Nostra non aliorum peccata inquirenda.

Reuocat ab inquisitione aliorum peccatorum in qua seduli erant, vt adhuc sunt mali doctores quod est suum explorare opus, hoc est, suam à tergo maticam inspicere. *Sich selber beschawen, vnd bey der nasen nemmen.* Idem iubet 1. Cor. 11. Probet autem homo se ipsum. Itaque diligenter videant illi censores morum, vt sua quoque examinent facta. Addit argumentum à vera gloria, quæ durat apud Deum, de se gloriari, hoc est, de sua innocentia apud Deum potest bona conscientia & non in alium, hoc est, respectu alterius. Nam hypocrita dicit non sum vt isti, laus est respectu alterius, quæ damnabilis est. Oportet sine comparatione bona conscientia agere coram Domino sine fuco. Sic. 2. Cor. 1. Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

5. *Nam quisque suum.*

A metu deterret. Argumentum est ab æqualitate, quisque pro suis peccatis plectetur, ergo quisque pro peccatis propriis debet magis esse solicitus quàm pro alienis, & in se castigando seuerior censor, quàm aliis. Simile vid. 1. Cor. 3.

6. *Communicet autem.*

Ministri ab auditoribus.

Altera pars capitis de alendis ministris ab auditoribus, quem locum habuimus 1. Cor. 9. & inter locos à nobis est explicatus. Sententia, Victus & amictus debetur bonis doctoribus, qua in re auditores gratitudinem suam declarare debent. Κατηχεῖν dicitur magister rudimentorum pietatis. In ecclesiastica historia est catechista, qualis fuit Origenes, Panthenus, & alij multi. Cathecumenus autem est ipse auditor pietatis, quales ex Iudaismo & Paganismo erant adulti conuersi ad fidem Christi. Admonet autem ipsa vox nos diligentiæ & sedulitatis, significat enim circum sonare & perstrepere. In Ecclesia enim Christi sonare debet semper doctrina pietatis inter adultos & iuniores. Deinde vnde sint iuuandi doctores, *de bonis nostris*. Vbi obserua ἀγαθὰ dici de fortunæ, vt loquuntur, bonis, quales sunt opes, quasi dicat, liberaliter iuuandi sunt. Et sunt opes, bona Dei dona, abusus malos facit. Vid. locum de Diuitiis.

7. *Ne erretis.*

Rationes cur alendi ministri.

Confirmatio sequitur propositionis. Debetur victus doctoribus, quare? Rationes vidimus 1. Cor. 9. Hîc nouas addit. Prima, *Ne erretis* ergo error est aliter facere, hoc est, qui victum doctoribus negant, errant: ergo dandus est, ne errore nos implicemus.

1.

2.

Altera, *Deus nos irridetur.* Argumentum est à mali grauitate. Multi enim putant nihil in eo peccati esse, modò honesta ratione negare possint ne dare cogantur. Respondet Apostolus, Calua excusatio irrisio Dei est, ergo maius est peccatum quàm vos putatis. Metaphora est in irrisionis verbo vel potius imitatio. Nam μυκτὴρ dicitur nasus. hinc μυκτηρίζω, nasum ridendo comprimo & dilato, quod est argumentum subsannationis, quod dicitur aliquem naso suspendere. Amara est irrisio & hostilis μυκτηρισμός.

3. A similiorum qui seminant.

Tertia à simili seu communi sententia. *Quod quisque seminat, hoc metet.* Prouerbialis videtur sententia ducta à rusticis laboribus, in quibus genere idem metitur cum eo quod satum fuit, vt qui hordeum serit, hordeum metit, qui triticũ, triticum, qui legumina, legumina suę speciei. q. d. Si vultis aliquid boni aliquando metere, serendum erit id priùs vobis. Sementis est beneficium egenti exhibitum, vt ministro, mendico, &c.

8. *Quia qui seminat.* Ἔκθεσις est prioris argumenti: ostendit enim quid sit seminare. Per species autem rem explicat. Caro est quidam ager, sed admodum malus, in quem siquid seras fœcunda sobole, solet zizania proferre. Contrà Spiritus optimus est ager, & fœcundus quoque. *In carnem serere*, est carni indulgere, ad illam sese accommodare. *In spiritum serere*, est huic obtemperare: illic metuunt homines interitum, hîc vitam æternam. Negare ministris debitum victum, est in carnem serere. Ergo hinc acquiritur mors. Ideo diligenter cauendum.

Beneficentia in pauperes.

9. *Benefaciendo autem ne.* Tertius locus capitis de beneficentia in pauperes in genere. Initio autem constantiam requirit in bene agendo, quia qui perseuerauerit vsque ad finem,

finem, hic saluus erit. Ideo vt in omni virtute, sic etiam in beneficentia opus est constantia, quia hæc sola præmium habet. Ideo addit hinc argumentum à spe remunerationis, *tempore suo proprio metemus*, hoc est, præmia recipiemus. Hinc vita æterna merces dicitur, quia soluitur bene agentibus, non vt meritum, sed vt fructus laborum vt consequens. Μὴ ἐκλυόμενοι, *non languentes*. Potest referri ad antecedentia. q. d. si constantes manserimus, tum metemus, alioquin nihil. Vel ad ipsam messem, q. d. metemus fructum immarcessibilem. In satione fortè sit labor & defatigatio, sed in messe nulla erit. Nulla satietas erit gaudij vitæ æternæ.

10. *Igitur dum tempus habemus*. Illatio ex superiore argumento. q. d. non semper erit occasio beneficiendi, quæ nunc est: ergo præsente vtamur diligẽter occasione. Obserua hanc vitam suppeditare benefaciendi occasiones infinitas. Hinc Christus iubet amicos facere ex Mammona iniquitatis. Post hanc vitã nulla amplius faciendi occasio, sed tempus recipiendi præmia vel pœnas. Vbi igitur purgatorium? Deinde expende hîc cui exposita debeat esse nostra beneficentia, omnibus pauperibus. Nam ait πρὸς πάντας, sic lex iubet proximum diligere, h. e. quẽcunque Deus tibi obtulerit egentem opera tua, adeò nullum est discrimen in regno Christi. Denique aliquo modo limitatum est, *imprimis erga domesticos fidei*, hoc est, qui eundem nobiscum Christum profitentur, eandem religionem, eadem sacramenta. Sic Ephes. 2. v. 19. Conciues sanctorum & domestici Dei dicuntur pij, &c. Benefaciendum omnibus.

SEXTA PARS, EPILOGVS EPIstolæ totius.

CONclusurus epistolam, se Galatis commendat, singulari amoris contestatione. Aduersarios autem odio dignos demonstrat ex fine consiliorum suorum, quia non amore Legis ac religionis, sed ambitione potiùs ac metu, circumcisionẽ cum Euangelio commiscent. His se opponit declarans veræ laudis materiam in cruce Domini nostri Iesu Christi positam esse, quam illi tantopere aduersantur. Et ad hanc viam gloriandi omnes inuitat siue Iudæi, siue gentes fuerint. Vera enim circumcisio non est illa externa, sed nos qui spiritu Deo seruimus, Philipp 3. Rom. 2. Non qui in propatulo Iudæus est, &c. Epilogi arg.

Πρότασις est, Galatæ non debent aures præbere illis circumcisionis doctoribus, sed Apostoli doctrinam sequi. Propositio.

Partes. Membra quinque sunt in hoc epilogo. Primum habet amoris testificationem. Alterum, fines aduersariorum exprimit, ambitionem, timorem, & iactantiam. Tertium, de se suóque candore erga Christum agit. Quartum, deprecatione constat. Quintum, finalis est clausula cum subscriptione. Partes.

11. *Videte quanta epistola*. Testificatio est sui in Galatas amoris & curæ. Sumitur à suo more quo solebat in scribendis epistolis vti amanuense. Ne autem in dubium vocarentur, subscribebat postea propria manu. Sic 1. Cor. 16. salutationem ac nomen suum subscripsit. Hunc morem hîc seruaui, quia impensius vos Galatas diligo, sed totam scripsi propria manu, cuius sanè nulla est alia causa, quàm insignis amor. Cur verò amanuense vti maluerit, non alia mihi occurrit ratio quàm occupationes, & interdum fortè vincula, quibus constrictus scribere non potuit. Quanquam & hanc ex vinculis scripserit, fortè liberiore vsus carcere. Ex illa consuetudine obrepsit corruptela, vt falsi doctores interdum Ecclesiis ostentarent adulterinas epistolas, vt est colligere ex cap. 2. secundæ ad Thess. Amor Apostoli erga Galatas.

12. *Qui volunt iuxta faciem placere*. Alterum membrum quo aduersarios vt impostores odio grauat. Sententia est, eos non amore religionis, aut etiam Galatarum, eis circumcisionem obtrudere, sed alios esse fines quos respiciant. Primùm volunt εὐπροσωπῆσαι, hoc est, placere more assentatorum. Nam de illorum moribus propriè dicitur verbum hoc: vnde εὐπρόσωπα dicuntur argumenta plausibilia, quę arrident spectatoribus ac auditoribus, vt si diuiti laudes diuitias, in aula disseras de laudibus nobilitatis, pigro de ocio concineris, *das hoert man gern*. Tales erant doctores illi Galatarum: quærebant laudem apud Iudæos & hostes Christi. *Ideo*, inquit, *cogunt vos circuncidi*, scilicet sua doctrina & argumentis, quasi ad salutem sit necessaria. Sic hodie doctrinam Euangelij multi hoc genere docendi tractant, docent quod magistratibus placet, quod aulicis & principibus placet, quod Pontifici & Episcopis arridet, quia hæc via est compendiaria ad emergendum. Deinde vitare volunt persequutiones, hoc genere docendi volunt extra pericula esse, & extra teli iactum constitui. Hæc propria est nota falsi doctoris, nolle quicquam pati pro Christi nomine, & quia nulla erat maior causa persequutionũ, quàm quòd Apostolus negaret legalia, & circumcisionem ad salutẽ diceret inutilem, ideo illi contraria via ingressi, coniunxerunt cum Euangelio circumcisionem tanquam ad salutem necessariam, inde tuti poterant esse, hoc non fecit Paulus suprà 5. vers. 11. Et Christus Matth. 5. beatos dixit qui persequutionem pa- Dolus falsorum doctorũ. Nota falsi doctores.

terentur. Et 2. Tim. 3. Qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Hinc Apostolus tanto animo ad persequutiones parat,& persequutionum declinationem aduersariis tribuit,1.Cor.4.Persequutionem patimur,& sustinemus.

13. *Nam ne ipsi quidem legem seruant.* Ratio est à coniectura valde probabili, vestri doctores legem non seruant,ergo certum est non amore legis vobis obtrudi circumcisionem. Tertia nota est falsi doctoris, aliis imponere onera quæ ipse minimo digito non attingat. Sic hodie ferè concionantur de virtutibus pietatis,sobrietate ebrij,castitate mœchi,humilitate superbi & arrogantes,&c.quam dissolutionem Dominus puniet.Oportet enim doctorem vita & moribus suæ doctrinæ viuum exhibere exemplar. Quartò, *In carne vestra gloriari volunt*, hoc est, quòd illorum opera sitis circumcisi,hinc laudem apud Phariseos aliósque Iudæos quærunt.Sic Christus Iudæis obiicit studium faciendi proselytas, Matth.23. Et hæc nota diligenter seruanda est, quòd in copia sectatorum mali doctores vt plurimum gloriantur.

Candor Pauli erga crucē Christi.

14. *Mihi verò absit gloriari.* Tertium membrum epilogi, de Apostoli candore erga crucem Christi. Subiecta autem sunt prioribus per antithesin. Comparatione enim loquitur de se & aduersariis,illi crucem fugiunt,ego amplector,illi placere hominibus volunt,ego id detestor,illi docent quæ non seruant ipsi, ego & doceo & viuo secundum doctrinā meam, illi applausum quærunt in copia sectatorum, ego illa nihil facio. Imprimis autem respectu crucis se aduersariis præfert.Sic Rom.2.Non pudet me Euangelij,&c.1.Cor.2. Non iudicaui me quicquam scire inter vos nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.Obserua veræ gloriæ materiam esse pro Christi nomine fortiter subire crucem.Addit Apostolus effecta crucis, *Mundus*, inquit, *mihi est crucifixus, & ego vicißim mundo*, hoc est, vt ego illum cum suis occupationibus detestor, sic ille me vicissim odit, habet pro re indigna & fœda. Hinc se dixit reiectamentum mundi & piaculum,ad Corinthios. Nam sic mundus iudicat de piis, indignos esse hac luce,dignissimos omnium odio. Hoc intelligo mundo esse crucifixum. Aut certè crucifixus dicitur mundo, qui eius studia simpliciter non potest amplius approbare & sequi,qui enim crucifixus est,non est sui iuris,vt eat quò velit aut apprehendat manibus quæ cupit:Sic Apostolus inquit de se, Sum mundo crucifixus, quia alius in me spiritus dominatur,qui membra mea captiua detinet. Sic mundus mihi est crucifixus, quia alio spiritu regitur,vt non possit mea approbare & sequi.

Crucis effecta.

Crucifigi mundo quid.

15. *Nam in Christo Iesu.* Ratio est consilij Paulini, cur scilicet mundum cum suis studiis damnet,quia,inquit,video hanc proprietatem esse regni Christi vt nulla discrimina quæ in mundana Repub.magni sunt momenti,curet. Circumcisio in Rep. Mosis habuit magnam prærogatiuā: contrà præputium magno erat dedecori,sed Christus hoc nihil fecit. vide suprà capite 5.versu 6. Obserua hîc circumcisionem esse mundanam occupationem, quam Apostolus damnat ex natura regni Christi: & contrà damnare præputium, consilium esse mundanum, quum in Christi regno non damnetur. Quid ergo nos Christo commendat? *Noua creatura*, hoc est, vt simus regeniti & viuamus secundum nouum hominem ad præscriptum Christi.Sic 2.Cor.5.loquitur: Si quis igitur est in Christo Iesu, noua creatura est, illud est deponere veterem hominem, de quo ad Ephes. 4. Renouari Spiritu mentis,&c. Col.3.vbi discrimina quoq; recenset sublata esse in Christi Rep. Rom.6.Ne posthac seruiamus peccato.

Noua creatura.

16. *Et quotquot iuxta hanc normam.* Illatio qua nos ad positam regulam regni Christi incitat,quasi dicat.Sis pius in Christo, siue sis circumcisus,siue præputiatus nihil refert,noua saltem sis creatura,satis eris idoneus Christi regni ciuis.Ideo emphaticè inquit, ὅσοι, quotquot,q.d.etiam Græci & Barbari Christo placere possunt in suo præputio & sua barbarie, si renouati sint Spiritu mentis suæ.Falsa igitur est doctrina aduersariorum.Et στοιχεῖν etiam emphaticè posuit, significat enim semitam curiosè obseruare, & sequi antecedentis vestigia,vt ab his nulla ratione deflectat.Argumenta adhibet à consequentibus bonis. Pax, hoc est,conscientiæ tranquillitas & Dei reconciliatio,Pacem cum Deo & suis conscientiis habebunt: alij nihil tale.Deinde,*misericordia super eos*,hoc est,scient se esse in gratia & de misericordia Dei nulla ratione dubitabunt.*Et super Israelem Dei.*Mallem legere per καὶ ὡς, tanquam velut super Israëlem Dei. Mens enim Apostoli est indicare renatos esse Israëlē Dei, excludens carnalem Israëlem & Iudæos qui palàm tales sunt, vt ad Rom.2. Itaque præputium,inquit,vos non remoratur quod minus sit in seminis benedicti censu.Sic ad Philipp. 3.dixit,Nos sumus circumcisio qui Spiritu Deo seruimus, & gloriamur in Iesu Christo nec confidimus in carne.


Renouatorum bona.

17. *De cætero.* Quartum membrum epilogi,quo deprecatur tanquā emeritus miles & fidus Domini seruus maiora certamina cum aduersariis. Fideli seruo, cuius fides multis experimen-

perimentis exprobata est nemo debet esse molestus: Paulus talis est, ergo. *Stigmata* vocat cicatrices in corpore suo pro Christo acceptas, de quibus vide 2. Cor. 11. Colligi hinc potest epistolam hanc serò scriptam esse, nam videtur sibi mortem prospicere. Stigmata.

18. *Gratia Domini nostri, &c.* Quintum, finalis clausula comprecatione constans. Fratres compellat vt in officio retineat, se illis æquans non præferens. Christi autem gratiam comprecatur, contra legis & circumcisionis merita, *Cum spiritu* verò *illorum*, hoc est, sano intellectu doctrinæ, contra carnis prærogatiuam Iudaicam, &c. Clausula finalis epistolæ.

Scripta est Romæ ex vinculis, post illam quæ est ad Ephesios, & illam etiam quæ est ad Philemonem: Latini Ephesi scriptam habent, meliùs Græci.



DISPOSITIO IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Qui fuerint Ephesij.



EPHESEVS ciuitas posita est in littore maris Ionij, spectans ad Occasum minoris Asiæ, olim amplissima mercatu, & Dianę cultu admodum superstitioso, ex quo effectum est, vt minoris Asiæ haberetur metropolis, & Ioniæ quoddam lumen. Mercatum auxit maris opportunitas, quæ commodam exhibet stationem nauigātibus in Syriam, Iudæam, Ægyptum ex Italia, Macedonia, Græcia, alijsq; Europæ locis, & inde in has regiones redeuntibus. Superstitionem vero confirmauit & admirabilem reddidit Dianæ illud antiquissimum & sumptuosissimum templum, de quo refert Plinius libro trigesimo sexto, capite decimo quarto, quòd annis ducentis viginti à tota Asia sit conditum, & loco quidem palustri, ne scilicet terræmotu quateretur, & strato priùs carbonibus fundamento ne subsideret. Pausanias tamen refert in Achaicis libro septimo, templum hoc à rege Crœso & Epheso erectum, incolentibus tum ista loca Lelegibus & Lydis, antequam eò commigrassent. Amazones, quæ postea & vrbem & templum occuparunt. Porrò Iones duce Androclo inde eiecerent Lydos & Leleges contracto cum Amazonibus fœdere, inde facta est ciuitas Ionica. Ad hos Ephesios, vt constat ex Actis bis venit Apostolus Paulus, primo aduentu humaniter fuit exceptus, tamen non diu ibi permansit, quòd festinaret Hierosolymam, vt est Actorum 18. interim tamen posuit fundamenta quædam & initia religionis, mox capite 19. ad eosdem reuersus māsit biennio, quia videbat ostium docēdi sibi magnum hîc apertum esse, vt ipsemet testatur in prima ad Corint. 16. cap. Capite autem vigesimo Actorum, Apostolus Paulus in oratione ad seniores Ephesios ait, se tribus integris annis illic vixisse, exactiùs scil. & diligentiùs tempora computans. In hac Ecclesia constituenda magna vsus est felicitate. Nam homines illi non solùm erant moribus leues & superstitione imbuti, sed magicis etiam artibus dediti, quibus malis euertendis Dominus voluit demonstrare vim Euangelij, quantò scilicet potentior esset hęc doctrina omnibus Satanæ incantamentis. Nam magicę artes ita confutantur ab Apostolo, vt ipsimet comportatos libros suos magicos publico spectaculo comburant. Quorum librorum pretia Lucas dicit computata fuisse ad quinquaginta millia denerariorum. Cæterùm in hac felicitate Euangelij, Apostolus tamen nō caruit suis periculis, vt est videre Act. 19. in prima ad Corinth. 16. vbi inter alia testatur se cum bestiis pugnasse Ephesi. Vide etiam Nicephorum lib. 2. cap. 25. Ad hos igitur Ephesios toto triennio adeò feliciter institutos, & in fide adhuc syncerè constantes præsentem scribi Epistolam.

OCCASIO.

Occasio quæsita videtur esse. Nondū enim defecerāt Ephesij, nec vllos errores in doctrina admiserant, quemadmodū Corinthiis & Galatis acciderat: tamen Apostolus vicinus iam morti & senex, Ecclesiam hanc voluit ad constantiam in professione cohortari. Itaq; amor

veritatis illi occasionem præbuit. porrò reliquerat apud eos seniores quosdam & cum istis Timotheum quasi Episcopum, quos diligenter admonuerat officij sui in extremo digressu, Actorum vigesimo, vbi satis patefecit quid in futurum metueret. Itaque iam absens curam hanc pro eis conseruandis non deposuit. Nā mansit adhuc metus futuri periculi, quòd mox post suum digressum emersuri essent lupi graues & falsi doctores ex ipsorum ipso cœtu, qui fratres post se abducerent. Hunc metum non fuisse frustraneum antecedentia quædam exempla docent. Itaque Apostolus voluit extare illustre aliquod testimonium suæ doctrinę etiam in hac Ecclesia, quod falsis doctoribus suo tempore posset opponi, & quò rectè sentientes habent regulam in doctrina & moribus, quam tutò sequerentur.

GENVS.

Genus principale constituamus, προτρεπτικόν, quia scopus Apostoli est ad constātiam hortari traditæ ipsis doctrinæ, & quam adhuc purè retinebant. Accessoria multa sunt. Laudat enim illorum fidem & constantiam, quod est ἐπαινετικόν. Præterea copiosus est in explicandis diuinis beneficiis, quæ nobis nihil tale merentibus contulit, quod est ἐξηγητικόν, & pro his tot beneficiis sæpe agit gratias Deo quod est εὐχαριστικόν. Interdum petit à Deo, vt dona sua in Ephesiis augeat, quod est εὐκτικόν, & ipsis etiam detur præsentium bonorum vera agnitio & constantiæ robur. Accedunt διδακτικά, quibus ostendit vim salutis in vno Christo residere, & esse gratiæ merúmque donum Dei, non operum aliquod meritum, ne quis glorietur. Sic διδακτικά sunt quod cap. 2. de se & suorum laborum fide disserit. Sunt etiam quædam νουθετικά quibus admonet eos, quales olim fuerint ante conuersionem, quàm indigni tot beneficiis, & contrà quàm felix nunc sit rerum status apud eos, vt scilicet bona præsentia in Christo haberent eò chariora.

ARGVMENTVM.

Argumento Epistola nō videtur esse dissimilis ei quæ fuit ad Romanos & ad Galatas scripta: tamen alio genere tractatur, vt difficilè sit partes commodè distinguere, nisi secundum ipsam materiam. Tamen in hoc genere tractat, Deum Patrē in Christo infinita nobis cōtulisse beneficia, quæ statim applicat tum ad Iudæos, tū ad Gentes, & cōtrà ostēdit omnes homines natura sua fuisse inhabiles ad ea, & in genere ad totā causam salutis, in quo iterum Iudæos Gentibus æquat. Hinc tandem infert quod inde sequitur sponte, salutē & vitam æternam esse donū Dei, nec posse vllū de aliquo merito gloriari. Hinc digreditur in prioris vitæ descriptionem, cui opponit præsentem vitam post conuersionem & beneficia Christi, quæ negari non poterant. Inde ad doctrinā suam se cōuertit, ostēdens ad illius conseruationem pertinere totū suum ministerium, & præsentē etiam captiuitatē, adeóq; mortē, qua sit confirmaturus hāc doctrinā: ex quo etiā sequitur principalis propositio, Ephesios exēplo Pauli oportere cōstantes esse in hac doctrina. Vltimò disserit de operibus renati hominis, ne putarent fidem constare nuda quadam confessione, sed necessariò in ea requiri bona opera.

PROPOSITIO.

Duas in hac etiam Epistola cōstituimus propositiones, quę tamē sibi subseruiunt. Prima personalis est, quòd scil. Ephesij in doctrina sibi tradita ab Apostolo & Christianæ dilectionis officiis vti hactenus fuerunt, ita deinceps quoq; debeant esse constantes. Altera propositio ad rē ipsam pertinet. Nā explicat quæ sit doctrina Paulina, & eam copiosè in hac epistola ornat, & magis explicat quàm probet. Concipiamus igitur eam hoc pacto: Deus Pater in filio suo nobis maxima dona, quorum caput est vita æterna, gratis nihílq; tale merentibus contulit, ideo vitę sanctimonia & constantia professionem hanc fidei ornare debemus.

PARTES EPISTOLÆ.

Principalis propositio tres habet partes, quarū prior habet cōmemorationē diuinorū beneficiorū, quę in Christo electis cōferuntur. Altera verò ostēdit quàm simus omnes natura inhabiles ad ea beneficia percipienda. Tertia quòd oporteat hāc doctrinā constantia, bonis moribus ornare. Sed partes ordine sic connectamus, Initio titulus est cōstans inscriptione, subscriptione & salutatione. Secūdo loco est Exordium quod sumitur à rei magnitudine, ac facit ad attentionē, éstq; hoc loco statim cōstituenda propositio, ad quā reliqua referūtur, scil. ver. 3. hac sententia, Deus omnibus piis laudādus est. Hinc tertia pars cōstituatur, Cōfirmatio, eodem versu & habet commemorationem causarum, cur Deus sit laudandus. Causæ sumuntur à beneficiis, quæ piis conferūtur in Christo, qualis hæc sunt: vocatio, electio, sanctificatio, prædestinatio, reconciliatio, redēptio, dona S. sancti qualia sunt sapientia & prudentia, patefactio diuinæ volūtatis, restitutio totius creaturę in Christo, quę omnia efficiūt Deum esse laudandū. Hinc sequitur minor propositio, nos Iudæi & nos Gētes talia accepimus: ergo laudādus est à nobis omnibus. Additur minori propositioni ἔκτασις de vsu donorū Spiritus sancti. Ac ista quasi ad vnum locum pertinent cōfirmationis à rerum magnitudine. Alter locus confirmationis est capite primo, vers. 15. ab authoritate Apostoli Pauli qui in

hunc

hunc ipsum finem pro Ephesiis semper intercedit apud Deum, vt tanta beneficia ritè agnoscant, adeóque auctiora ipsis reddantur. Tertius locus confirmationis sequitur capite secundo, quo ostendit ab ipsorum persona quàm fuerint tantis beneficiis indigni, adeóque prorsus inhabiles ad salutem consequendam, & vt ipse loquitur, natura filij iræ. Nam hinc etiam efficitur Deum magis laudandum esse, quandoquidem indignis contulit. Et hactenus confirmatio propositionis in exordio positæ. Quarta pars deinde constituatur eodem cap.2.v.8. & 9. quæ habet principalem propositioné causæ, quòd gratis sine respectu operũ in Christo iustificemur: fluit hæc rectè ex superiori argumentatione. Confer hæc cum propositione simili ad Romanos tertio, ver.24. & 28. & ad Romanos 11. ver. 6. Ad Galatas 2. ver. 16. & ad Gal.3.v.28. Huic propositioni additur sua cõfirmatio. Nã instituitur antithesis prioris vitæ ante conuersionem, & vitæ post conuersionem. Ex quarum rerum consideratione ostendit quomodo gratis iustificemur. Capite 3. ostendit ad huius doctrinæ cõseruationem pertinere totũ suum ministerium, imprimis officium docendi Gentes, sua pericula & ipsam mortem, quibus aditum sibi facit ad alteram principalem propositioné de cõstantia, quæ tandem ponitur capite 3.v.13. Statuatur ergo hic quinta pars cõtinens propositionem, quæ ad ipsam personã Ephesiorũ spectat, quòd hanc doctrinã constãtia tueri debeant: huc facit superior tota argumentatio, in primis suum exemplũ cõstantiæ. Cap.4. ingreditur doctrinã operũ, quæ sexta sit pars de officiis renati hominis. Habet hoc membrũ suam propositioné, confirmationem & similes locos. Propositio est, Vita & moribus ornanda est hæc doctrina, quod ideo dicit ne putent causæ huic satisfieri inani quodã fidei simulachro, dum tãtopere fidei nomen mundo cõmendatur. Hoc in genere tractat, mox ad speciem descédens de vita ipsa emendenda: subiiciuntur hinc magis specialia, vt locus contra mẽdacium, de ira, furto, de oris castimonia, & contra similia vitia. Cap.5. dilectionem commendat Christi exemplo, & iterum digreditur in prioris vitæ vitia, & mox inde se recipit ad propositioné, cautè ambulãdum esse, ver.15 capitis 5. ac iterum recenset vitia, quæ emendatione digna sunt, quibus opponit virtutes, & honesta exercitia Psalmorum & eiusmodi. Atque ista omnia ad omnes pertinent, tanquam verè Ethica Christiana. Secunda parte persequitur officia priuatorum. Locus communis est de subiectione, sed cadit in tres classes, in subiectionem cõiugalem, filialem, & seruilé. Ideo cap.5. v.23 persequitur officia vxoris & mariti, quibus aspergit elegãs exemplum Christi & Ecclesiæ. Cap.6. alteram speciem subiectionis persequitur, scilicet filiorum erga parentes, vbi etiam docet quod sit officium parentum erga liberos. Et eodem cap.ver.5. persequitur speciem tertiam, de seruorum & dominorum officio.

Versu 10. constituatur vltima pars, quæ habet epilogum generalem, cuius partes præcipuæ sunt. Primum repetitur principalis propositio, qua ad constantiam hortatur. Secundò, describitur Christiani hominis πανοπλία, hoc est, armatura, in qua continentur instrumenta constantiæ. Tertius locus est de precibus, tum priuatis, tum publicis. Faciunt autem preces etiam ad tuendam constantiam. Quartus locus priuata continet, vt quòd illis commendat Tychicum, ex quo omnia copiosiùs sint percepturi.

Quintus locus continet comprecationem, & finalem clausulam totius Epistolæ.



Προλεγόμενα.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD EPHESIOS.

Qui fuerint Ephesij.



EPHESVS ad occasum Asiæ minoris posita est, in littore maris Ionij, mercatu & Dianæ superstitioso cultu, amplissima ciuitas, hinc Asiæ minoris metropolis, & lumen Ioniæ habita est. Mercatum auxit maris opportunitas, in Syriam, Iudæam, Ægyptum, ex Græcia, Italia, Macedonia nauigantibus, indéque in has regiones. Superstitionem verò admirabilem reddidit. Dianæ antiquissimum & sumptuosissimum templum, de quo Plinius scribit lib. 36. cap.14. 220 annis à tota Asia conditum, in loco palustri, ne terræmotu quateretur, strato priùs carbonibus fundamento, ne sub- *Ephesus vrbs amplissima.*

sideret. Pausanias tamen libro 7. fol.99.refert in Achaicis,templum hoc à Crœso rege,& Epheso erectum fuisse, incolentibus tum Lelegibus ac Lydis ista loca antequam eò deuenissent Amazones,quæ & ipsæ postea vrbem & templũ occuparunt.Porrò Iones duce Androclo,Leleges & Lydos inde eiecerunt, contracto cum Amazonibus fœdere, hinc Ionica facta est ciuitas. Ad hos bis venit Apostolus Paulus.Primo aduentu humaniter exceptus, non diu commorari illic potuit,quòd festinaret Hierosolymam,vt videre est Act.18.Posuit tamen initia religionis. Mox cap.19.ad eosdẽ reuersus mansit biennio,nam ostium docendi magnum sibi hîc videbat apertum,vt est 1.Corinth.16.cap.20.tamen Paulus ipse in oratione ad seniores Ephesinos testatur se tribus annis illic vixisse. In hac ciuitate conuertenda,magnæ fœlicitatis fuit, præsertim hominibus superstitioni & magicis artibus deditis. Voluit tamen Dominus demonstrare vim Euangelij quantò potentior esset omnibus incantamentis Satanæ ista doctrina.Ideo damnant ipsi suos libros, & comportantes in vrbe publico spectaculo concremant quorum prætia computata sunt 50.millium denariorum. Interim non caruit suis periculis, vt est videre in Act. 19. & 1. Cor.16. Aduersarij, inquit, multi.Et 1. Cor.6.testatur se illic cum feris depugnasse, de quo vide Nicephorum libro secundo capite 25.Ad hos,inquam, toto triennio in fide optime institutos,& in eandem confessione adhuc constantes,hanc scribit Epistolam.

II. *OCCASIO.*

Quæsita occasio. Quæsita scribendi videtur occasio. Nam nondum defecerant à vera religione, nec vllos errores in doctrina admiserant, vt Galatæ:tamen vicinus morti, & iam senex hac epistola voluit ad constantiam in professione cohortari.Itaque amor,quo ducebatur erga amplissimam Ecclesiam,illi occasionem dictauit.Reliquerat iam priùs apud eos Timotheum,& seniores instituerat,quos officii admonet in discessu vltimo, Actor.20. Interim absens curam pro eis non intermisit.Deinde accedit metus futuri periculi,quem declarat in oratione sua ad seniores , quòd mox post suum discessum sint emersuri lupi graues & falsi doctores, ex ipsorum numero,qui fratres post se abducturi sint.Hunc metum non frustraneum fuisse docet Galatarum lapsus, qui iam semi Iudæi facti erant adhuc viuente Apostolo. Hæc quum præuideret spiritu,extare vôluit illustre suæ doctrinæ testimonium in illa Ecclesia, quod falsis doctoribus aliquando opponi posset, & rectè sentientes haberent quæ tutissimè sequi possint.

III. Ὑπόθεσις.

Argum. Argumento non dissimilis est epistolæ ad Romanos,& ei quæ est ad Galatas.Nam docet quæ sit vera de iustificatione sententia,quòd scilicet donum Dei sit,& fide apprehendatur, non verò consistat vllis operibus.Interim opera omnibus electis esse necessaria , quia fructus sint quibus ornanda est nostra professio. Hanc doctrinã triennio toto expositam hîc breuiter repetit,& ad constantiam in eius professione hortatur.

IIII. Πρόθεσις.

Propositio. Principalis propositio est. 1. Ephesij in doctrina fidei, & Christianæ dilectionis officiis, debent vt hactenus,sic deinceps quoque constantes manere.2. Specialis verò est:Deus pater in Filio suo nobis maxima bona, quorum caput est vita æterna gratis nihilque tale merentibus contulit, ideo vitæ sanctimonia & innocentia professionem nostram ornare debemus,quoad fieri potest.

V. Partes

Partes. I. Initio consueto more habet titulum,qui subscriptione inscriptione,& salutatione constat,atque hinc etiam patet genuinam hanc esse Apostoli Epistolam.

II. Ἐξήγησις est doctrinæ suæ,ad cuius conseruationem Ephesios cohortatur. Huc pertinet specialis propositio , quæ tribus est distincta membris. 1. Initio enim enumeratione docet quæ bona nobis in Filio donarit Deus Pater,atque id toto primo capite agitur.

Deinde capite secundo docet,quòd gratis nihilque tale merentibus,detur salus.

Tertiò quod ad huius doctrinæ conseruationem spectet omne suum ministerium,omnes etiam labores, præsens captiuitas, ipsáque tandem mors, ideò diligenter cognoscenda & conseruanda est hæc doctrina.

III. Pars continet repetitionem doctrinæ, de operibus renati hominis, & vita Christiana , ne mortua fide nos mundo commendemus, sed vt videant opera nostra bona, & laudent Patrem qui in cœlis est.De his cap.4.5.& 6.

IIII. Pars est Epilogus,quo breuiter totam epistolam concludit.

VI. Genus.

Genus hortatorium. Principale & prædominans est προτρεπτικόν, quia scopus Apostoli est hortari ad constantiam in tradita illis doctrina:item ad exercitia Christianæ dilectionis,cap.4.5.6. Accessoria deinde sunt, quæ illustrant & confirmãt & adiuuant.1.Ἐπαινετικόν,quo laudat illorum fidem

fidem,& in ea auditam constantiam capite 1.vers.15. 2. Ἐξηγητικὸν, quo exponit ordinem iustificationis,& quanta bona in Christo habeamus apud Deum patrem cap.1. 3. Εὐχαριστικὸν, quo Deo pro acceptis beneficiis ac donis gratias agit, & ad idem inuitat Ephesios. 4. Εὐκτικὸν quo petit à Deo,vt dona in Ephesiis augeantur.cap.1.ver.17.Detur etiam illis bonorum præsentium agnitio,quæ sit spes ad quam ille vocauit, & quàm diues gloria hæreditatis illius in sanctis.Sic c. 3.ver.14.vt illis addatur fortitudo, quò possint perdurare in vera doctrina,cognitio vberior,& donorum omnium complementum. 5. Διδακτικὸν,quo docet vim salutis in Christo residere & esse gratiæ diuinæ,ac merum donum, non operum meritum,ne quis glorietur,cap.2.Sic didactica sunt,quę capite tertio de se & suorum laborum fine disserit, quòd scilicet ad doctrinæ suæ confirmationem & Dei gloriam spectent. 6. Νουθετικὸν, quo admonet eos quales olim fuerint,& quàm fœlix præsens sit rerum status, vt præsentia bona eò chariora habeant.

VII. Loci præcipui.

Locos insignes continet hæc epistola,de Iustificatione gratuita. De ordine causarum in iustificatione nostra.De Christo Mediatore. De impotẽtia humana,& inhabilitate in causa salutis:iræ enim filij omnes sunt.De ministerij Apostolici dignitate, & ærumnis. De fine ærumnarum sanctorum.De doctrina operum,de donorum diuersitate & consensu.De veteri homine & renato.De virtutibus piorum,concordia,constantia,veritate, lenitate, benignitate, castitate sermonis & corporis. De vitiis contrariis,quæ sequuntur hominem nondum renatum lasciuia,scortatione,auaritia,obscœnitate,stultiloquio,idololatria, ebrietate,&c.1.Speciales hinc loci sunt de officio coniugali, quid vxor pia marito,& contrà maritus pius vxori debeat. 2. De Christi erga Ecclesiam suam amore & fide. 3. de liberorum officio erga parentes.Et contrà de officio parentum in corrigendis liberis. 4. De seruis & dominis.5.Denique elegantissima pij hominis panoplia hîc descripta est.



COMMENTARII IN EPISTOLAM D. PAVLI AD EPHESIOS.

CAPVT I.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi,& fidelibus in Christo Iesu.

2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

INTERPRETATIO.

TITVLVS coniunctus est, constat enim subscriptione & salutatione. Subscriptionis sunt verba, *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* De nomine Pauli vide in Rom.2.Nomen Apostoli calumniatoribus passim opponit, qui personam & authoritatem Pauli conabantur contemptibilem reddere, contra hos asserit ipse muneris sui dignitatem. Vide ad Rom.3.*Iesu Christi*,differentia est Apostolatus sui. Sunt enim legati principum, Satanæ: ideo suum Dominum exprimit nomine,vt vocationẽ & Apostolatũ ab aliis legatis distinguat.4. *Per voluntatem Dei.*Efficiens causa est,q.d.nõ me ingessi,nec vltro feci me Apostolum,sed Deo vocante talis effectus sum.Voluntati Domini quis resistet?Nemo certè.Igitur vobis sum audiẽdus.De vocatione ad ministeriũ,vide locos & examẽ. Hactenus ὑπογραφή. Subscriptio.

II. *Sanctis qui sunt in Epheso, & fidelibus in Christo Iesu.*

Secundus locus tituli continens verba inscriptionis.De Ephesiis iam diximus. Quòd autem eos ornat titulo sanctorum,facit ad dignitatem militantis Ecclesiæ,quę impura adhuc & mixta malis,tamen sancta esse potest. Inscriptio.

Primùm obserua hunc titulum viuis rectissimè tribui à Scriptura, quia rebus diuinis destinati sunt. Sic Græcis ἅγιοι dicuntur, quia sensus debent habere defecatos, & à rebus mundanis liberos. Deinde sancti dicuntur omnes pij apud Ephesios, inter quos erant mariti, vxorati non omnes cœlibes, itē diuites & pauperes. Ex quo efficitur matrimoniū rē esse sanctam, nec eo titulo ornandum solùm cœlibatum, vt hodie faciunt. Sic de diuitiis & paupertate etiā sentiendū est. Alter titulus est quo eos ornat πιστοῖς, fidelibus, h.e. in fide perdurantibus, constantibus, fidem seruantibus. Habet fides suos gradus, attamen infirmos etiam complectitur fidelium nomine. Non enim mox perfecta omnia à nobis requirit Christus, sed contentus qualicunque luce veritatis, modo initia illa non extinguamus data opera.

Salutatio. III. Pars tituli continet ἀσπασμόν. Comprecatur autem gratiam & pacem. χάρις gratuita est beneuolentia, quia nos nihil tale meritos gratis in Filio amplectitur. Pax conscientiæ tranquillitas ob placatū Deū Christi merito. χάρις & εἰρήνη se respiciūt vt causa & effectus, nā χάρις causa est pacis. Deinde χάρις rectè Deo patri tribuitur, tanquā fonti bonorū, contrà pax Christo, quia pacificator noster est. Interim non nego Patri etiam pacē tribui, & Filio gratiā, quēadmodū Pater dicitur Deus, & Filius Dominus, quū & Filius Deus sit, & Pater dominus: tamē distinctè libēter loquitur Scriptura, quod discrimē nobis etiā est obseruandū. Dicitur autem Pater Deus tanquā fons diuinitatis & scaturigo. Filius autem Dominus respectu nostri, quia Ecclesiæ caput est, & impios reprimit, & Satanæ fregit dominium.

II. Ἐξήγησις.

3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.*

Quæ sequuntur ad exordium refero. Habent autem verba sequentia duas exordiorum virtutes. Nam statim ab initio à rerum magnitudine attentionem conciliat, commemorando beneficia, quæ in Christo nobis contulit Deus pater, postea à suo erga Ephesios studio, beneuolentiam quoque sibi comparat, disserens deinceps de bonis, pro quibus impetrandis ipse quoque pro Ephesiis laborat.

Partes ordine sic cohærent. Initio statuit πρόθεσιν, Deum scil. à piis omnibus studiosè celebrandum esse. Deinde addit rationes per cōfirmationē, quæ rationes quia aliàs viua voce per Apostolum erant demonstratæ Ephesiis, ideo hîc nuda cōmemoratione tantùm repetuntur & explicantur. Ideoq; diximus hanc partem habere exegesin beneficiorum Dei, quę in Christo nobis contulit: vt est vocatio, electio, prædestinatio, sanctificatio, reconciliatio, redēptio, patefactio arcanæ suæ voluntatis, restitutio totius creaturæ in Christo. Hæc omnia beneficia in vno habemus Christo. Ideo laudandus est Deus pater per eundē Christum.

Tertiò additur applicatio specialis, qua ista accōmodat tā Iudęis, quàm Gētibus seorsim.

Quartò de se, suoq; in ipsos studio agit. recitās in quibus bonis deinceps sint confirmandi. Digreditur hîc in laudes maiestatis Christi, ad quam post resurrectionem est euectus.

Benedictus Deus & Pater, &c.

Propositio. Πρόθεσις est in his verbis. Sententia est, Deus pater à fidelibus, in quorum numero etiam Ephesij sunt, diligenter est celebrandus. Benedicere hoc loco est laudare. & commendare, hoc est, rebus omnibus præferre, ac si in nostra positum esset potestate naturam illius immutare, nulla ratione id essemus facturi, sed ita optimè constitutam agnosceremus, illámque supra omnes res amaremus, tum demum verè dicimur benedicere Deum. Deinde vide quàm distinctè hîc loquatur de Deo, *Deus*, inquit, *& Pater Domini nostri Iesu Christi.* Sed quemadmodum non sequitur Christus filius est Dei, ideo nos filij non sumus, ita non hinc efficitur, Pater est Deus, ideo Christus filius Deus non est. Tertiò obserua quæ sint sacrificia sanctorum Deo verè grata, sacrificium laudis. De quo Psal. 49. & 50.

Qui benedixit nos, &c.

Confirmatio. II. Κατασκευή, in qua commemorantur Dei in nos beneficia, quæ sunt loco argumentorum, cur Deus nobis sit celebrandus. Primum beneficium est vocationis, quòd scilicet nos

1. Vocatio. tam clementer ad Filij sui cognitionem, & eius spiritualia merita vocarit. Sententia est: Ipse prior nos benedixit, ergo à nobis quoque est benedicendus. 1. εὐλογεῖν hîc est ornare beneficiis vtilem & commodum alicui esse. Sic Deus benedixit Abrahamum ac reliquos Patriarchas, hoc est, ornauit eos variis beneficiis, ditauit eos, reddidit terribiles hostibus suis, gratia ornauit coram hominibus, longa vita ac similibus donis. Sic Deus nos benedixit. Contrà nos Deum alio modo benediximus. 2. Addit ἐπίθετον benedictionis diuinæ, *Omni*, inquit, *benedictione spirituali.* Distinguit benedictiones Euangelicas à benedictione veteris Testamenti, quia illæ ferè erant carnales, ideo inquit has esse spirituales, quarum caput est vita æterna. Deinde addit, *In cælestibus*, eadem ratione, vt enim spiritus carni opponitur, sic cœlum, terræ, vtriusque distincta sunt bona. Cœlestia sunt & spiritualia, spes, fides vera inuocatio, constantia sub cruce, vera dilectio, cognitio Filij Dei, verus intellectus scripturæ, quorum omnium caput est vita æterna. His bonis nos benedixit Deus Pater.

Quartò

Quartò additur hic etiam organum benedictionis diuinæ, Christus scilicet id seruat ex consequenti enumeratione beneficiorum Dei, & omnia ad Christum Mediatorem reuocat. Vt enim omnia à Deo patre, vt fonte promanant, sic per Filium vt canalem ad nos deriuantur, adeò vt extra eum nihil bonorum consequamur.

4. *Quemadmodum elegit nos.*

Alterum beneficium electionis. Ab externa vocatione ascendit Apostolus ad mentem diuinam primámque prædestinationis cognitionem, contrà facit ad Rom. 8. v.29. Ἐκλογὴ est deputatio saluandorum, qua determinauit qui, quando, per omnia secula ad cognitionem veritatis essent rediturи. Hoc beneficium illustre efficit circumstantia temporis, quia fecit hoc sine nobis, ante iacta fundamenta mundi, ideo gratius debet esse, quia Deus in causa nostra bonum in nostrum vigilauit, nondum natis nobis. Sic Christus loquitur Matth. 25. Possidete regnum paratum vobis ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, quo significatur vitam æternam pridem paratam esse piè victuris in hac vita. 2. Electio.

III. Beneficium eodem versu, *Vt essemus sancti, & irreprehensibiles coram ipso in dilectione.* Beneficium est sanctificationis. Coheret autem superioribus Ἐκθέσει à causa finali. Ostendit enim ad quid elegerit nos, scilicet ad opera bona, quod est esse sanctum, renouatos habere motus & cogitationes. Ἄμωμον verò esse, est culpa coram hominibus vacare, vt quanquam sancti peccent, possunt tamen ἄμωμοι permanere coram Deo, hoc est, vt nemo iusta ratione eos damnare possit, quæ res summā habet consolationem, quòd licet coram hominibus omniū odio digni habeātur, interim coram Deo consistunt Christi gratia & merito. 3. Sanctificatio.

5 *Prædestinans nos.* Quartum beneficium prædestinationis, in qua libenter agnoscimus cognitionem Dei & electionem, modò ad consolationem & nō ad perterrefaciendas conscientias faciant. Est autem προορίζειν metas ponere & limites, quibus futuris controuersiis obuiam eatur. Sic Deus Ecclesiam suam notis quibusdam signauit, vt scire possis cuius Domini sit pecus istud, qualia sunt, verbum Dei, Christi enim solius vt veri pastoris audit vocem. Deinde verum retinet vsum sacramentorum. Tertiò dilectionis operibus sese exercet, vt videat mundus Christi esse discipulos. Has notas impressit iampridem Deus suæ Ecclesię, quibus illam ab aliis cœtibus segregaret. Deinde hîc expende ad quid nos prædestinarit, *ad filiationem*, inquit. Christus filius est φύσει, non autem θέσει, hoc est, adoptione. Ideo nihil impedit Christum dici filium, & simul nos etiam diuerso respectu. Tertiò organum repetitur, idem quod fuit vocationis, electionis & sanctificationis. Quartò causa mouens est εὐδοκία, hoc est, bona Dei voluntas: θέλημα generale est, significans voluntatem tam gratiæ, quàm iræ: sed εὐδοκία solùm gratiæ est voluntas. Huic voluntati debemus acquiescere, & gratos nos eidem exhibere. 4. Prędestinatio. Ecclesiæ notæ.

6. *In laudem gloriosæ gratiæ ipsius.*

Quintum beneficium quod in Christo habemus, reconciliatio scilicet. Cohærent autem superioribus per præoccupationem. Quæri enim poterat, cur tandem Deo placuit nos in Christo adoptare in filios? Respondet in eo se respexisse laudem gratiæ suæ. Itaq; finem explicat: quasi dicat, vt illi essemus ornamento. Non autem poteramus natura illi esse ornamento, quia peccatum nos impediebat. ideo reperit Deus alium modum vt essemus illi ornamento, scilicet per gratiam. Obserua finem actionum Dei esse, laudem nominis sui in electis. Deinde reconciliatos nos Deo merito Christi, quod hîc dicit gratos sibi redditos in dilecto, hoc est, Christo. Hoc admirabile medium latuit omnem creaturam, quòd scilicet ornamento possemus esse Deo Patri, per Filium gratis reconciliati. 5. Reconciliatio. Finis actionum Dei, eius dē laus.

7. *In quo habemus redemptionem.*

Sextum beneficium redemptionis, quo scilicet à iure Satanæ, & dominio mortis, ac pœnis peccatorum sumus redempti. Nam Deo patri non poteramus reconciliari, nisi poneretur aliquid ad satisfactionem, ideo Filius deposuit vitam suam, hinc nobis confecta est ἀπολύτρωσις, ideo mentionem fecit sanguinis tanquam pretij. Et addit remissionem peccatorum tanquam fructum pretij, & subiungit diuitias gratiæ, tanquam causam mouentem in Deo Patre. In nobis enim nihil erat mouens, nisi simplex & absoluta miseria nostra. Vide Rom. 3. ver. 24. 6. Redēptio.

8. *Qua abundauit in nos.*

Septimum beneficium à singularibus effectis, quibus ornauit suos electos, quasi dicat, effudit copiosè dona etiam alia, vt est sapientia & prudentia. Commendatio est gratiæ diuinæ ab effectis. Σοφία habet virtutes contemplationis, vt est vera Dei cognitio, adoratio & similes. Φρόνησις autem habet practicas virtutes, vt est constantia sub cruce, intelligere quando fugiendum sit aut consistendum, quibus & quomodo benefaciendum. Summa, prudentes efficit etiam suos vt ser[...]tes. 7. Alia dona.

9. *Notum faciens nobis myst[...]um.*

8. Diuinę voluntatis reuelatio. Octauum beneficium, quòd in Christo nobis plenè voluntatem suam patefecit. Nam Euangelij doctrina est cœlitus reuelata, nō à ratione aut solertia hominū reperta. Hinc Ioā. 1. dicitur, Filius qui in sinu Patris est, is reuelauit nobis. Patefactio igitur Christo debetur, in quo mysterium hoc nobis est communicatum. Causa impellens eadem est εὐδοκία. Nam in nobis nihil erat mouens. Organum Christus est, in quo patefecit. *Proposuit in ipso*, hoc est, in Filio patefecit, is enim salutis est præco. Et quanquam Ioannes Baptista, Prophetæ etiam priores docuerint, attamen nullus tam apertè, ac ipse Filius Dei. Deinde eius spiritu donati docuerunt. In Christo autem plenè patefacta est voluntas arcana Dei Patris.

10. *In dispensationem plenitudinis.*

9. Beneficium. Expositio est voluntatis illius arcanæ quę nobis in Christo est patefacta. Ac continet nonum beneficium quod in Christo habemus, scil. ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, quæque in cælis sunt, quæque in terra. Significat hoc verbum in summam reuocare, quo vtuntur Rhetores in epilogis, totam argumentationem in pauca quædam capita reducentes, addito motu ad commiserationem aut odium inclinante. In mathesi est diuersorum numerorū in vnam summam collectio. In rebus ciuilibus dicitur reductio rei ad suum caput, vt mulier viro dum reconciliatur, restituitur suæ familiæ, & domino suo, tanquam capiti. Sic ait Apostolus in Christo omnia restitui Deo Patri. Tota enim creatura ob hominis peccatum debilitata fuit, & à Deo tanquam capite suo abalienata. Iam Christus veniens eam Deo restituit, reconciliato nimirum homine. Christus organum reconciliationis, Deus pater est cui facta est restitutio, Creatura est persona reconciliata per Christum. *Quæ in cælis sunt*, intelligo defunctos pios ante Christi aduentum: contrà, *quæ in terris*, eos qui aduentum Christi sequuti sunt. Non absurdum tamen fit per cœlestia intelligere bonos Angelos, de quibus diximus Romanorum 8. quomodo scilicet ad eos pertineat ius redemptionis in Christo. Vide item locos nostros, quomodo creatura sit vanitati subiecta. Hoc Christi officium illustrat circunstantia temporis in dispensatione plenitudinis temporum, quasi dicat, suo tempore hoc debuit perfici à Christo. Hæc est œconomia temporis & plenitudo eius, quia definitum erat tempus quando esset nasciturus, nec prius nasci poterat nisi illa tempora complerentur. Sic Gal. 4. etiam loquitur.

11. *In ipso in quo etiam electi sumus.*

Declaratio est causæ organicæ, quasi dicat, id totum in vno Christo consequuti sumus. Addita est causa efficiens ex superioribus repetita, propositum Dei prædestinantis nos, & efficientis omnia, scilicet honestas actiones in Ecclesia, secundum consilium voluntatis suæ. Mouens causa est mera Dei beneuolentia. Quòd si aliqua causa mouens bona lateret, vtique eius hîc debuit Apostolus mentionem facere, quod quum non fiat, certum est mouentem causam in Deo quærendam, non in aliqua nostra dignitate.

Salutis nostræ causa mouens mera Dei beneuolentia.

12. *Vt nos qui priores credidimus.*

Tertium membrum exordij, quo beneficia commemorata, iam specialiter applicat Iudæis ac Gentibus. Ac primùm de Iudæis agit, quia priores sperauerunt in Christum, scilicet vt in promisso Messia spem in eo habuimus, quo sensu de toto populo accipi potest, quia omnium promissionum caput erat Messię promissio. Sic in illo sperauerunt omnes, sed differenti modo. Alij & maior pars in eo quærebat mundanum regnum, pauci verò initio viderunt spiritualia esse in illo spectanda. Ac quia de beneficiis loquutus est, quæ electis tantùm exhibita sunt, ideò membrum hoc intelligo de veris credentibus, quales fuerunt Apostoli & alij nonnulli, de quibus rectè dicit, qui priores sperauimus in illo. Nam prima Ecclesia Christi ex Iudæis habuit seminarium, vt Apostolos. 70. discipulos, & alios quosdam, postea demum accesserunt ex Ethnicis aliqui, donec ad fines terrarum dilatata est Ecclesia. Deinde indicat finem ad quid scilicet illa beneficia Iudæis credentibus sint collata, vt scilicet *essent laus gloriæ suæ*, hoc est, vt cederet hæc res in laudem diuini nominis. Gloriosus est Deus semper apud se, & laudatur inter Angelos illius gloria, sed eo non fuit contentus, quin vellet ab hominibus etiam cognosci & celebrari, ideò gratuitò tanta contulit beneficia immerentibus nobis, vt amplissima esset materia laudandi nomen Domini. Itaque *laudi esse gloriæ eius*, accipio pro laudare gloriam eius, ornare nomen ipsius, vt idem propè sit quod suprà dixit εὐλογεῖν. Obserua autem duplicem finem esse beneficiorum diuinorum, prior est respectu Dei. Laus scilicet nominis diuini, quę vt effectus debet emergere ex ipsius beneficiis apud nos. Alter verò respectu nostri, vtilitas scilicet & commodum nostrum. Vtrunque obtinet in suis. Nam iustificati sentiunt Deum re & nomine illis esse Deum, hoc est, vtilem & commodum. Deinde hinc in gratiarum actiones erumpunt, & gloriam illius longè latèque propagant. Sic omnia tandem ad suum finem, hoc est, gloriam nominis diuini referuntur.

Finis beneficiorum Dei in nos collatorum duplex. 1. Finis.

13. *In quo & vos.* Altera pars accommodationis, qua beneficia Ethnicis etiam applicat, & in

& in his eos coæquat.1. Obserua autẽ hîc ordinem vocationis, quo Deus vt plurimum vti solet. Primum audiuisse illos dicit, quia fides ex auditu Rom. 10. Deinde ex auditu fluit fides: prius igitur est tempore audire Euangelium, posterius est fides. Tertio loco succedit obsignatio fidei per Spiritum sanctum. Hic ordo vt plurimum seruatur à Deo in conuertendis peccatoribus. Interdum vtitur alio ordine & miraculoso, sed hîc ad ministerij conseruationem pertinet, ne scilicet de eo vtiliter sentiremus, sed augustè tanquam de organo conuersionis & salutis nostræ. Vocatio nis ordo

Deinde obserua quæ sit obsignatio illa, scilicet confirmatio Spiritus sancti, quæ est loco ἀποδείξεως. Nam Spiritus ille sanctus constantiores efficit in fide suscepta, quàm vlla possit facere demonstratio certioresque sunt de salute sua, quàm sint Mathematici de suis demonstrationibus. Hinc tanta confidentia, pericula, tormenta, tyrannos, mortémque ipsam contemnunt. Significat enim vocabulum obsignandi certitudinem, vt contractus dicuntur propriè obsignari, testamenta & literæ publicæ quæ robur non habent nisi obsignentur. Obsignatis autem accedit confirmata veritas & indubitata fides. Sic in electis accedente Spiritus sancti certificatione, sine qua fides nostra magis est opinio fluctuans, quàm certa persuasio. Sic de Spiritu sancto etiam loquitur infrà capite 4. vers.30. Obsignã di signi- ficatio.

Præterea expendantur hîc ornamenta doctrinæ Euangelicæ, quæ suaui periphrasi dicitur λόγος ἀληθείας, descriptione sumpta à materia subiecta. Versatur enim tota circa veritatem docendam. Veritas Christus est, ipso dicente, Ego sum via, veritas, & vita. Et quia Euangelium vnicum nobis inculcat Christum, rectè dicitur Sermo veritatis. Deinde quia à Spiritu sancto dictata est hæc doctrina, qui & ipse spiritus veritatis dicitur, Ioan.14. Paracletum alium dabit vobis, Spiritum scilicet veritatis. Sed & verbum Dei simpliciter veritas est, vt Deus ipse nuda est veritas, Ioan.17. Sermo tuus veritas est. Præterea efficit in nobis studium veritatis, qui prius eramus addicti mendacio, sequentes patrem mendacij. Inde omnis homo mendax dicitur, naturæ respectu, sed post regenerationem filij sunt effecti veritatis, eámque diligunt, & vnicè sequuntur passim. Alterum elogium est quod dicitur Euangelium salutis, à fine nimirum, quia hoc vnum quærit in nobis, vt ad salutem perducat. Est illi quidem hoc proprium, salus scilicet, verùm quia à multis respicitur illa proprietas, ideo ad finem refero. Euange- lium ser mo ve- ritatis. Ioan.10.

14. *Qui est arrhabo)* Breuis est ἐκθεσις declarans vsum Spiritus sancti in nobis obsignandis, q.d. ille Spiritus est tessera quædam, vel symbolum nos semper felices victuros in regno cælorum. Arrhabonem vocat ex publica consuetudine loquendi. Nam in emptione datur arrha. Sic in contracto matrimonio, imò in conducẽdo famulo & famula datur. Seruies mihi? Ita. Ecce ergo tibi hunc nummum qui sit eius tessera. Is, inquam, nummus arrhabo dicitur: sic Deus ascitis nobis in filios, & numerum ciuium vitæ æternæ, dat symbolum promissionis illius. Illud est Spiritus sanctus, inquit, is, inquam, est arrhabo. Sic de eo loquitur.2.Cor.1.ver.22. Qui obsignauit nos, dedítq; arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Et 2.Cor.5.v.5. Deus est qui nos condidit ad hoc, & dedit nobis arrhabonẽ Spiritus. Hic Spiritus docet nos orare & clamare Abba pater, vt est Gal.4.vers.6. Rom.8.v.15. Arrhabo igitur hæreditatis est firma tessera & obsignatio hæreditatis in cœlo repositæ. Redemptio autem acquisitionis explicat prius membrum, scilicet tesseram non simpliciter confirmare nobis promissam hæreditatem, sed simul confirmare redemptionem acquisitionis, hoc est, acquisitam redemptionem, scilicet quòd à morte & Satanæ dominio liberati simus. Aut sanè περιποιήσεως, de electis accipiatur. q.d. Ecclesiam esse redemptam sanguine Christi, testatur ille Spiritus sanctus. Additur ad finem repetita causa finalis, quæ in priori membro de Iudæis quoque posita fuit. Spiritus hæredi- tatis cæ- lestis ar- rhabo.

15. *Propterea etiam ego audiens.*

Quartum membrum exordij de se suóque in Ephesios amore. Locus est beneuolentiæ. Nam hic illa virtus secunda exordiorum admiscetur, nimirum à suo in eos studio & cura, beneuolentiam illorum ambit. Considera hîc primùm causas mouentes, deinde factum Apostoli. Causæ facti duæ sunt, quæ illum impellunt: ***audita illorum fides & dilectio.*** Fides sit constantia in fide & sincera doctrina. Nam fidem Paulo doctore acceperant, igitur nihil attinebat dicere, se illorum audiuisse fidem, nisi per fidem constantiam in fidei doctrina accipiamus. Hanc audiuit absens Romæ in vinculis. De aliis secus audiuerat, vt de Galatis quòd semi-Iudæi essent facti, admissa circumcisione. De Corinthiis quòd litigarent & dissidia alerent. De aliis alia. De Ephesiis autem nihil præter constantiam audit prædicari. Et prudenter addit fidei obiectum, scilicet Dominum Iesum. Nam fides in eo vt in obiecto hæret, illúmque cum suis beneficiis amplectitur firmiter. Ac eatenus fides iustificat, quia Christum organum iustificationis retinet. Quatenus verò animis nostris inhærer, éstque Fidei ob iectum.

qualitas subiecto cordis nostris, catenus non iustificat. Non enim idem est subiectum & obiectum. Altera causa mouens est, *dilectio illorum in omnes sanctos*, hoc est, illam quoque audiui, hoc est, studium benefaciendi pauperibus, & hinc addit suum obiectum, pauperes scilicet qui titulo sanctorum nobis commendantur, quia Christus sibi reputat factũ, quod his datur. Et sanè hoc elogium illos admonere debuit officij sui, quò dent operam vt reuera sancti sint, hoc est, verè credentes & innocenter viuant in hoc seculo. Deinde obserua commendari nobis hîc domesticos fidei, quia de ordinata loquitur dilectione, quæ à Deo orta, diffundit se in proximos, nimirum domesticos fidei: deinde in alios quosuis, quibus prodesse potest.

16. *Non desino.* Redditio est periodi continens factum Apostoli, quod est geminum. Nam primùm gratias agit Deo pro Ephesiis. Deinde pro iisdem in futurum intercedit. Atque in his propriè latet εὔνοια. De vtroque seorsim dicamus. Εὐχαριστία est pro acceptis beneficiis gratiarum actio, qualia in Ephesiis, sunt fidei constantia, & dilectionis fraternæ exercitiũ, quia in his duobus totius Christianismi fundamentum est positum. Suntq; duæ hæ integrales partes, quarum altera deficiente frustra dicimur Christiani. Deinde huc refero prius enumerata beneficia, quæ Ephesiis quoque cum fidelibus Iudæis fecit communia, quale est beneficium vocationis, electionis, sanctificationis, prædestinationis, reconciliationis, redemptionis, donorum sapientiæ & prudentiæ, beneficium reuelatæ arcanæ voluntatis Dei, ac deniq; restitutionis omnium, quæ omnia in vno obtinent Christo. Pro his, inquit, gratias agit, & de bonis non sibi, sed tanquam aliis collatis, Ephesiis nimirum. Ideo dignus amore & beneuolentia est, quia in bonis alteri collati delectatur, próque his tanquam sibi collatis Deo gratias agit. Alterum factum est, quod insuper preces fundit de augmento præsentium bonorum, & pro aliis consequendis, quod sanè paterni amoris argumentum est. Quæ illa sint mox patebit.

17. *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi.*

Τελικὰ illa sunt, hoc est, fines exprimunt posterioris facti, nimirum quare non sit contetus εὐχαριστία, sed insuper addat προσευχάς. Causa finalis in genere est, vt præsentibus bonis auctiora addantur dona. Considera hîc vt de Deo loquatur distinctè. Deus dicitur Domini nostri Iesu Christi, & pater gloriæ. Priùs ideo, quia Christus homo factus, nobiscum cõmunem habet Deum Patrem, licet illi natura sit, nobis verò adoptione. Deinde quia in veteri Testamento, Deus Abrahę, Isaac, &c. dicebatur, id in Nouo explicatiùs proponẽdum fuit, vt dicetur etiam filij Dei Deus, non quòd ille Patre inferior esset ratione diuinitatis, sed ad astruendam veram hominis assumptionem. Denique ostendit hæc phrasis quomodo instituenda sit adoratio & vera inuocatio. Deus pater inuocandus est, & ad eũ tanquam fontem dirigendę sunt preces, inuocandus autem per Filium, per quem solum exaudit nos. Interim Filius quoque rectè inuocatur & adoratur. *Pater gloriæ* dicitur rectè quidẽ gloriosus Pater: sed indicat phrasis fontem gloriæ. Vt enim dicitur Pater luminis, hoc est, fons & scaturigo, sic Pater gloriæ, hoc est, fons & origo, vt intelligamus veram gloriam apud Deum nobis repositam esse: deinde hunc vnicum nobis laudandum & glorificandũ. Hinc subiicit opera bona. Primùm *precatur illis Spiritum sapientiæ*, h.e. ipsam sapientiam, donum Spiritus sancti. Suprà ver. 8. inter beneficia exhibita dixit abundè effusam esse in eos sapientiam & prudentiam. Hîc verò de sapientia tanquam bono absente loquitur, sed nulla est discrepantia: illic enim quod res erat fatetur, Ephesios dono sapientiæ fuisse in præsens ornatos. Nihil tamen impedit pro huius doni augmento & continuatione hîc orare. Deinde quanquam sapientiæ dono essent ornati: nõ tamen sequitur, eos omnes partes in omnibus actionibus sapiẽtiæ esse consequutus, adeò vt in nullo fallantur & labantur. Deinde vt *illis det Spiritum reuelationis*: scilicet mysteriorũ Christianæ pietatis. Nam præsentia bona non satis grauiter interdum æstimamus, amissa demum deploramus. Itaque singulare est Dei beneficium agnoscere præsentia bona, quod fieri nõ potest sine Domini reuelatione. Tertiò, *cognitionem eius*, h.e. Dei patris, vel Filij mediatoris, aut certè vtrunq;, cum tota pietatis ratione pertinet ad incrementum bonorum præsentium. Quartò, *illuminatos oculos mentis.* Explicat hoc membrum superiora. Nam huc recidunt omnia, vt mentis oculus penitus intelligat & agnoscat præsentia bona. Illustris est comparatio, mentem sanam optare & rectè iudicantem de bonis præsentibus. Oculos tribuit menti, quia ibi latet ratio & iudicium de rebus. Summa igitur est: opto vobis ex animo vt præsentia bona pro dignitate æstimetis, ne quando amissa deploretis vestro incommodo. Id quale sit iam pergit explicare.

Quomodo instituenda sit vera inuocatio.

18. *Vt sciatis quæ sit spes.*

Hactenus monstrauit causas mouentes, deinde factum suum, quòd scil. Deo gratias agat, & in futurum pro illis intercedat. Tertiò ad quid intercedat, nimirum vt illis detur Spiritus sapientię, reuelationis, & cognitionis Dei, simúlq; oculi illuminati mentis ipsorum. Iam

Vsus illu

quartò

quartò additur vsus illuminationis,scilicet vt præsentia bona rectè discant agnoscere, non enim modica sunt quæ nobis in filio Dei offeruntur,sed nostra id fit iniuria, vt pro dignitate non perpendantur. Ad tria autem hanc considerationem refert,scilicet ad spem vocationis: secundò ad diuitias hæreditatis, tertiò ad potentiam defensionis. De his igitur tribus nunc agendum est. minatio nis.

Vt sciatis quæ sit spes. Primus locus est de spe vocationis, quam omnibus modis expendendam proponit. Est autem spes ipsum bonum obiectum, hoc est, cui inhæret spes, speranda bona, quæ 2.cap.ad Tit. dicuntur beata spes. Horũ bonorum caput est vita æterna. Intermedia sunt resurrectio, clarificatio corporũ nostrorum immortalitas, agilitas. Et quia spes vltima & perfectissima præcipuè amplectitur, ad illa interdum refertur, vt Tit.3. secundũ spem vitæ æternæ hæredes. Interdũ ad intermedia refertur, vt Act.23 De spe, inquit Paulus resurrectionis ego iudicor. Interdum absolutè ad omnia vt Rom.6 Gloriamur sub spe. Sic 1.Cor. 9. Qui arat, sub spe arat. Sic fideles hic sub spe militant Christo, quia maior bonorum pars & potior differtur in alterã vitã. Quod oportet diligẽter expendere in persecutionibus & cruce, ne periculorũ metu reddamur pusillanimes. Porrò vocatio dicitur Dei, quia ortus vocationis à Deo proficiscitur, quia author est salutis, is etiã vocat quos vult, & quãdo vult. Quo tollitur meritũ nostrum & operum dignitas, cum præcedat omnia opera ipsa vocatio Dei. Spes vocationis.

II. *Et quæ opulentia gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Hoc etiam perpendendum nobis est. Primùm spes confirmari debet ex obiectis bonis. Deinde ex magnitudine hæreditatis. Sensus enim est, in Christo omnium amplissimum patrimonium nobis est repositum. Amplissimum, quia non diuitiæ sed ipse Plutus hîc nobis repositus est. Inexhausta bona, copiæ cornu, ipsa αὐτάρκεια. Et illustria illa bona ostendit locus 1. Cor. 2. Quę oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non descenderunt, quæ præparauit Deus ipsum diligentibus. Plutus autem gloriæ dicitur, hoc est gloriosus, quia illustrat gloriam Domini, & spectabilem facit. Vnde spes confirmari debeat.

In sanctis additur, quia relatiuè sanctos respiciunt ista bona promissa. Titulus officij nos admonet, vt demus operam quò sancti simus, hoc est, innocenter ambulemus, bonis moribus ornemus professionem nostram.

19. *Et quæ sit excellens illa magnitudo.*

Tertius locus de potentia defensionis. Hoc, inquit, membrũ diligenter expendite, vos in patrocinio Dei constitutos esse, qui velit & possit vos ab omni malo tueri. Illustris hic locus est amplificationis. Non enim contentus est dicere Deum paratum esse ad suorum defensionem, quod satis poterat esse fidelibus: addit μέγεθος δυνάμεως, vt amplissimam potentiam ostenderet. Deinde adhuc addit τὸ ὑπερβάλλον, vt non admitteret Deo æqualiter potentem, quasi dicat, superat totius mundi, omnium dæmonum potentiam. Hinc specialiter applicat sanctis, quibus seipsum incorporat, *In nos qui credimus*, quasi dicat, singuli meo exemplo sibi accommodare debent hanc potentiam consolationis ergò. Hinc iterum potentiæ vocabula persequitur, ac mutatis vocibus iam vocat ἐνέργειαν, quæ solet esse in actu cùm δύναμις in potentia sit magis posita. Hinc aliud synonymon κράτος, quod robur est, quale in brachiis viri fortis solet esset. Denique ἰσχὺς additur, quę omnia magno ardore considerationis diuinæ protectionis congessit, vt nos in illius seriam meditationem perduceret.

20. *Quam operatus est in Christo.*

Membrum illud de potentia diuina illustrat per exemplum. Est autem valde appositum, nam de Christo capite loquitur, cuius exemplo nos confirmare possumus infinitis modis, q.d. si nullum esset illius paternæ potentiæ exemplum in rerum natura, certè hoc vnicum longè illustrissimum esse potest, quod in Filio suo nobis proposuit. Primùm in resurrectione, quòd *potenti manu die tertia à mortuis illum suscitauit.* Deinde in exaltatione ad dextram Dei patris in cœlestibus. Dextera quidem regnum Dei est, omnipotentia, maiestas & iudicandi potestas, attamen quum loquitur de Christi humanitate, non in infinitum illa extendi debet, ne proprietatem humani corporis in dextera Dei amittamus. Paternæ potentię exempla multa in Christo extare.

21. *Supra omnem principatum.*

Declaratio est exaltationis Christi. Enumerat autem nomina principatuũ cœlestiũ, qualia sunt ἀρχὴ, ἐξουσία, δύναμις, κυριότης, ὄνομα, quæ quomodo differant vix satis constat. Nam angelorũ gradus & ordines humana ratio nõ satis percipit, cùm pauca de his tradita sint in sacris literis. Sententia autem Apostoli est Christũ omniũ creaturarũ, qualescunq; tandẽ sint Dominũ & iudicẽ esse constitutũ. Ac mihi placet in genere illa dici de omni potestate angelica, h.e. tã de malis quàm de bonis. Nã Ethnici plurimũ tribuebant dæmoniis ac Spiritualibus illis intelligentiis. Ideo Ephesiis ostendit Christum, his omnibus superiorem esse, vt nõ sit opus dæmonia metuere. Huc facit quod hîc dicitur, nõ solũ quę in hoc seculo nominantur, sed etiã in futuro. In hoc seculo nominabilis est princeps huius mũdi Satã, cuius maxi- Nomina principatuum cœlestium.

ma est potestas, attamen finita & limitata imperio Christi. Id accipio nomen nominabile, vel quod nominatur, quod Hebræi dicunt *auefeen*, hoc est, gloriosos & potentes. His igitur dæmoniis famosis Christus superior est. Deinde bonis etiam Angelis, quorum illustris est gloria, sed in vita æterna, nunc quidem in cœlis, coram Domini conspectu, quæ nobis futura dicitur, cùm Angelis & Deo præsens nunc sit.

22. *Et omnia subiecit.* Pergit in declaratione exaltationis Christi. Iam dixerat illum supra omnia euectum, nunc à contrario dicit illi omnia esse subiecta: subiectionis argumentū est, pedibus alicuius subiici, cuius illustre habes exemplū 10. cap. Iosuæ, vbi quinq; reges producti, humi prosternūtur, ac principes totius populi pectora & colla suis pedib. calcāt. Pedib' autē eius subiecta esse omnia, significat illū merū & plenū habere imperium, iudicādi & statuendi de his pro arbitrio. Atq; id de hostibus Christi accipi potest, quos frenat & cōpescit, ne vastent Ecclesiā vltra modū. Tandem eosdē in totum damnaturus in nouissimo iudicio.

Christus vnicum Ecclesiæ caput.

Et ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ. Hoc membrum, superiori apponi videtur, q. d. hostes pedibus illius subiecti sunt, sed Ecclesia nō subiecta pedibus, verùm agglutinata ei tanquā capiti. Ille caput est, igitur Ecclesia corpus est, nam correlatiua sunt. Caput autem dicitur cohærens corpori, idémque viuificans, alens, defendens. Et vnicū hoc caput est. Nullibi in scripturis fit mentio alterius cuiusdā capitis, vicarij. Nā Christus semper præsens est suo corpori, ideo vicarium nō habet, alioquin absens esset. Hinc quoties Ecclesia aliter corpus ad Christum refertur tanquam caput, & nō ad ministrum aliquem præsidem aut vicarium, vt 1. Cor. 12. v. 12. & 13. Eph. 4. v. 4. & 5. Col. 1. v. 18. Col. 3. v. 15. & similibus locis. Diligenter etiam consideranda est particula hîc addita ὑπὲρ πάντα. Significat enim nullam partem in Ecclesia vacare opera Christi, adeò vt & ministri & auditores ab illo regantur. Item interna bona & externa ab illo proueniant, omnia bona ab illo proficiscantur, neque quisquam sit, qui illi præiudicare vel possit vel debeat.

23. *Quæ est corpus ipsius, &c.*

Dixit quid Christus sit Ecclesiæ, nunc contrà quid Ecclesia Christo sit. Est corpus ipsius, hoc est, refertur ad caput suum Christum, non ad aliquem episcopum vicarium. Deinde est πλήρωμα, hoc est, complementum, quasi dicat, constat ex variis indiuiduis, tanquam integralibus partibus, quæ omnes ad totius constitutionē necessariæ sunt Rom. 12. v. 4. & 5. Denique Christi omnia hîc sunt. Is enim est qui omnia agit & complet. Itaque merita tolluntur, & relatio ad aliud caput negatur, quum Christus sit vnus ille, qui omnia id omnibus scilicet fidelibus compleat. Aliter agit omnia in impiis, de quo suo loco.

CAPVT II.

Argum.



RECENSVIT beneficia, quæ Deus pater nobis in Christo contulit, eáq; summa consideratione digna esse monstrauit. Nunc procedit ad alterum membrum instituti sui, vt doceat immerentibus & planè indignis nobis illa diuinitùs contigisse. Ostendit autem quales fuerimus ante conuersionē, nimirum reprobi & Satanæ mancipia. Atq; in eo Iudæi Gentibus nihilo sunt

Partes.

meliores. Atque illa inhabilitas ad gratiam nos indignos ostendit. Deinde qualis sit in nos Dei beneficentia. h. e. vnde excitata, quo organo nobis applicata, quomodo à nobis comprehensa & quo fine instituta. Tertiò prior conditio ante regenerationē diligētiùs proponitur expendenda. Nā præstat scire quantis bonis careant nōdum renati. Quartò demū per antithesin opponit veteri cōditioni fructus recōciliationis. h. e. malis naturę, cōmoda Christi. In primo membro locus est de corruptione nostræ naturæ in genere, non tā in actualibus peccatis, quàm in malo originali. In altero illustris locus est de iustificatione, sed ordine salutis nostræ. In tertio locus est de vocatione Gentium ad cognitionem Filij Dei, per gratiam. In quarto, renatorum dignitas, & præstantia quam in Christo habent.

Propositio.

Πρότασις est, à Deo Patre per Christum seruatos nihil tale merentes.

1. *Et vos, cùm essetis mortui.*

Inhabiles ad gratiam ac salutem nostram ostensurus, fermè illa considerat. Primùm actiones vitæ: deinde tyrannidem Satanæ, & tertiò malum originis seu corruptionem naturalem in qua nascimur.

Quid sit mortuū esse peccatis: quod geminū habet sensum.

De vita ac moribus initio inquit, Gentes mortuas fuisse peccatis, quod libenter interpretor ex cap. 2. ad Coloss. vbi inquit, Et vos mortuos existentes in peccatis, & præputio carnis vestræ, cum illo viuificauit, condonans vobis omnia delicta. Itaq; peccatis mortuum esse, est idem quod in peccatis absorptum esse & planè periisse, adeò vt actum sit de salute. Aliâs mori peccato significat à peccato desistere, resipere & per pœnitentiam ad meliora anniti: vt Rom. 6. vers. 2. Qui morimur peccato, quomodo ampliùs viuemus in illo? quasi dicat,

dicat, id fieri non potest, vt abnegantes peccatum, in illo denuò volutemur.

Deinde obseruanda hic est series mortis & peccati. Præcessit peccatū, subsecuta est mors & stipendium peccati, Rom. 6. Ac mortem intelligo illam secundā quæ animi est, quæ efficit vt præsens vita reuera non sit vita. Hanc consecuta est corporis etiā mors & pœna. Vtraque ingressa est, per primi hominis peccatum. Rom. 5. v. 12. Tertiò obseruanda est etiam quædā peccati distributio. παράπτωμα ferè significat peccata actualia, quales sunt casus quotidiani etiā in sanctis ἁμαρτία autē totū significat peccatū in quo originale cōtinetur quoq;.

2 *In quibus olim, &c.*

Qualis sit nostræ naturæ deprauatio.

Explicat vitæ & morum corruptelam, qualis nimirū sit, ne putemus leuem esse hanc deprauationem ac depositiuam solùm, quæ facilè impediri possit. Non ita est. Sed planè habitualis, adeò vt consuetudo peccādi callum obduxit, vt nihil præter peccare naturaliter nouerimus. Hinc phrasis illa, ambulare in peccato, & ambulare in consilio impiorum. Psal. 1. significat constantiam & immorationē in malo. Ab hac morum corruptela deinde ascendit ad causam efficientem, scilicet ad diabolū, quē in illustri descriptione proponit spectandum. Princeps dicitur propter gradus malorū angelorum, quos sub se vt membra continet. Deinde habet quandā potestatem in inferiora ad nocendum tanquā carnifex. Hinc grandine, pruina, pluuiis, imbribus vtitur in perniciem hominis. Sic elemētis, igni, aqua, aëre homines ipsos variis modis aggreditur, & vastat, vt videre est in tentationibus Christi, & historia Iobi. Limitata tamen est illa potestas superiori imperio Dei. Præterea habet peculiare regnum tenebrarum in abysso, in quo cum suis membris æternā expectat damnationem. Deinde potestas aëris illis tribuitur, quia in aëre vt plurimum suum exercet imperiū. infr. 6. vocat spirituales nequitias. Hic mundi princeps à Christo iudicatus & damnatus est Ioan. 12. Demum dicitur spiritus efficax incredulis. Non enim dormitat, sed currit quærēs quem deuoret: & conatus illi non sunt irriti, multos auellit, alios euertit fortunis omnibus, alios aliis modis peruertit. Demum in filiis incredulis, hoc est, suis organis propriis efficaciter spargit suos errores, & dogmata praua, vt per Arrium, Pelagium, Mahometem.

Quo sensu dicatur diabolus princeps.

3. *Inter quos & nos omnes.*

Omnes homines Peccato fuisse corruptos.

Quæ hactenus dixit de morum corruptela, & Satanæ efficaci imperio, illa iam omnibus in genere applicat. Ac videtur præoccupatio instituta contra Iudæos, qui sua peccata solebant extenuare, séque in omnibus Ethnicis præferre. Ideo inquit, pares hic sumus, nihilóq; meliores nos Iudæi vobis Ethnicis. Et particula ἐν οἷς potest referri ad proximè præcedens τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, tum sensus est, omnes nondum renatos mancipia diaboli esse, & quidem efficacia, quibus vtatur pro libidine ad aliorum etiam perniciem. Vel ad remotius τοῖς παραπτώμασι, tum sensus est, mores pariter corruptos in his qui nondum sunt renati, siue Iudæi sint, siue Gentiles coram Deo. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Vtraque sententia vera est. Et obserua hîc de Iudæis dici ἀναστρέφειν, quod prius de Ethnicis dixerat περιπατεῖν, quæ sensu idem sunt. Vtrique commune est, τὸ ποτέ, hoc est, tempus illud ante Christi cognitionem. Hinc subiectum commune etiam indicat, peccatum concupiscentiæ carnis, hoc est, in carnalibus desideriis nihil differebat Iudæus & Ethnicus. Actio quoque similis est. Facientes θελήματα carnis & mentis. Caro externa significat peccata, quæ in oculos incurrunt, διάνοια mentis & rationis. Nam & hîc peccatum latet. q. d. quicquid in homine excultum, pium, prudens, sanctúmque videri poterat, hoc in nondum renatis peccatum habebat, si ad diuinæ iustitiæ trutinam examinetur.

Et eramus natura filij iræ.

A causis efficientibus ascendit ad naturæ deprauationem. Nam sic demum manifestum erit nobis immerentibus diuina contigisse beneficia. Filij iræ natura dicimur, hoc est, naturaliter corrupti & pœnis digni. Locus est de originali peccato, quod nulla ratione potest extenuari, quum in radice nostra lateat. Sic Rom 5. dicitur, Per vnum hominem ingressum peccatum. Et Rom. 1. ver. 18. Reuelatur ira Dei cælitùs contra omnem impietatem & iniustitiam. Clariùs autem hoc malum descripsit Dauid. Psal. 51. In iniquitate concepit me mater mea. Et Moses Genes. 8. Cor hominis prauum esse à iuuentute sua. Hinc est vt natura simus filij iræ, hoc est, iræ adherentes, & mancipati damnationi. Atque id de Iudæis accipit, quod declarat sequens clausula, *Vt & reliqui.* Hoc est, Ethnici quidē tales habiti sunt damnabiles & exitio digni, at nos Iudæi, nihilo his meliores extra Christum censendi sumus coram Deo. Adæquandi sunt delicto, qui mox sunt æquandi gratia.

Filij iræ.

4. *Sed Deus qui diues est.*

Alter locus est de Christi beneficio iustificationis nobis applicato. Primò antithesi tantæ corruptelæ nostræ opponit diuitias bonitatis Dei, vt peccato violentior declaretur gratia. Obserua hîc ordinem salutis nostræ. Efficiens causa Dei est misericordia abundans, quam suprà capite primò versu 7. πλοῦτον τῆς χάριτος. q. d. copiæ cornu. Mouens causa est

Efficiens salutis.

nostræ causa, Dei misericordia. dilectio illa insignis & copiosa, sic Ioan.3. Ita dilexit Deus, &c. Et Rom.9. Non esse currentis aut volentis, sed miserantis Dei.

5. *Et quum essemus, &c.*

Redditio est periodi. Nam pendens mansit oratio à primo versu ad hunc vsque quintum. Resumit igitur principium orationis, & periodum tandem absoluit. Redditio proponit effecta misericordiæ diuinæ, per Christum nobis exhibita. Primò, inquit, vnà cum Christo viuificauit nos. Id quidem in spe, quod re ipsa aliquando habebimus. Ob certitudinem autem spei, iam nos vitæ restitutos dicit. Ad Col.3. dicit vitam nostram in Christo absconditam esse, quia nondum apparet, quales simus futuri. Adæquantur in Christo Ethnici Iudæis, qui priùs pares reperti sunt in naturæ corruptione.

Secundò, *Cum illo simul excitauit à mortuis*. Resurrectio igitur nostra etiam in Christi resurrectione latet comprehensa. Nam caput nostrum est, suprà cap.1.v.22. Item Spiritu illius ducimur. Fieri igitur non potest quin simus resurrecturi, ac caput suo careat corpore, vt illud iusto complemento.

Tertiò, *Simul exultauit nos ad dextram Dei.* Supra capite 1. versu 20. de Christo hoc dixit, nunc idem nobis pronuntiat. Quum enim humana Christi natura, sit illuc subuecta, magnam habemus spem de nostra translatione, iámque in illius humanitate gloriamur de nostræ carnis dignitate.

7. *Vt ostenderet seculis.*

Quæstio. Causas finales hîc illustrat. Quæri enim poterat, cur tandem Deus tantopere dilexit hominem, vt illum tanta gloria ornaret, & nihil merentem sibi restitueret in gratiam per Filium? Respondet Apostolus à causa finali, Deum in hoc respexisse gloriam suam, vt hãc omni posteritati notam faceret. Secula subsequentia intelligo omnes hominum ętates à Christo reuelato vsque ad finem mundi. Non desunt interim qui accipiant tempus illud, quod nouissimum iudicium subsequetur. Istic enim ad plenum cognitam fore gratiæ Dei amplitudinem. De gratia autem vide quàm magnificè loquatur. Suprà vocauit simpliciter χάριν, mox πλοῦτον χάριτος. Capite secundo dixit, θεὸν πλούσιον ἐν ἐλέει. Nunc ad summa ascendente oratione, vocat ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος, quasi dicat, inexhaustum esse hũc gratiæ fontem, adeò vt nullum peccatum sit tam enorme, quod deleri non possit. Hinc factum est vt Petrus negator repererit gratiam: Latro in cruce sit receptus: Mulier peccatrix sit admissa, Publicani & passim peccatores. Ideo Christus inquit se non venisse propter iustos, sed vt peccatores vocaret ad pœnitentiam. Itaque magna est consolatio in hac gratiæ commendatione posita. Quòd verò interim non omnes illius fiunt participes, non est culpa gratiæ, sed hominum illam aspernantium. Cur enim Iudas admissus non est? quia pœnitentiam seriò agere non potuit, fide hanc Dei summam misericordiam apprehendere non potuit, sed & Cain peccatum suum maius iudicauit, quàm vt remitti posset: ideo sciendum est gratiam Dei tum demum vim suam obtinere, si fide illam amplectamur. Ideo hîc addit Apostolus, illam valere in nos in Christo Iesu, hoc est, in credentes Christo Iesu, hoc est, pios & sanctos efficacem esse. Quod non sic accipies, quasi pios priùs esse oporteat, sed satis est oblatam gratiam peccatorem non respuere, & agnoscere delicta sua, atque ad Christi gratiam confugere, cui suam causam totam commendet. Hi deinceps quanquam enormes sint peccatores, tamen sancti dicuntur.

Matth.9.13.

8. *Gratia estis seruati.*

Propositio generalis. Generalis est πρότασις effecta ex superiori causarum commemoratione. Ac cohæret illi tanquam consequens. Memorabilis enim est sententia & diligenter seruanda. Nam omnium disputationum Paulinarum caput est, & hac bene constituta ac intellecta, reliqua facilius superstruuntur. Talis habetur ad Roman.3. vers.24. Iustificati gratis illius gratia, per redemptionem Iesu Christi. Et hîc paulò antè, Gratia estis seruati. Et Rom.3. versu 28. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis. Rom.11. vers.6. Si per gratiam, iam non per opera, sin autem per opera, iam non per gratiam. Galat.2. vers.16. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, sed solùm per fidem Iesu Christi. Galat.3. vers.8. Deus ex fide iustificat Gentes. Et similes sententiæ passim occurrunt, quæ præsentem propositionem illustrant & confirmant. Obserua autem efficientem causam salutis esse iterum χάριν, cuius effectus est salus nostra, idque propriè, ideo nihil attinet alias causas non veras hîc coniungi. Deinde causa organica respectu nostri est fides. Ideo addit, διὰ τῆς πίστεως, quia hac apprehendimus gratiam & meritum Christi: ideo iustificat respectu obiecti sui, non respectu subiecti, hoc est, non quatenus est qualitas nobis inhærens. Tertiò submouet falsam causam, nostram scilicet dignitatem. *Non ex vobis*, inquit, hoc est, nihil vos contulistis ad salutem vestram consequendam. Quartò efficitur hinc merum esse donum. Dei donum est, salus nimirum. Sed & ipsa fides. Hinc dicitur

citur. 2. Thessal. 3 ver. 2. Non omnium est fides.

9. *Non ex operibus, &c.*

Ἔκθεσις est prioris particulæ quã dixerat, Non ex vobis, id hîc repetit clariori sententia, quasi dicat, non est opus vestrum, salus non vestra opera & merito est effecta. Excludit hæc clausula gloriationem. Sic Romanorum 3. versu 27. Vbi igitur est gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? operúmne? non, sed per legem fidei. Et 1. Corinthiorum 1. vers. 29. Elegit contempta ne glorietur coram ipso omnis caro. Cadit igitur hic omnis illa boni meriti præsumptio, quia donum est, quia non ex nobis, quia non ex operibus, quia nemo gloriari debet. Expositio.

10. *Nam ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, &c.*

Causa est quare salus non sit ex operibus nostris nata. Et simul causam finalem salutis aperit. Quod autem non sit operibus nostris ascribenda, hæc ratio est: quia illius sumus factura, ποίημα, quod refero ad regenerationem, vt sit tale argumentum: Creatura nihil confert ad suum Creatorem, sed id opus totum est in manu Creatoris positum. Sic regenerandum ad sui regenerationem nihil confert: totum enim positum in priuatione, ac regenerantis opus est ipsa regeneratio: nos fideles sumus Dei ποίημα, hoc est, noua creatura, quando non ex operibus nostris orta est noua hæc salus. Deinde causa finalis est, quia conditi sumus ad bona opera. h. e. eo fine vt regeniti, deinceps sanctè & piè viuamus. Obserua hîc primùm renatos solos bene operari, aliorum opera omnia qualiacunque sint, Deo displicere in causa salutis. Deinde *opera bona à Deo nobis præparari*, non illa esse, quæ nos nobis eligimus. ideo videndum quid scriptura de his loquatur, vt illa exerceamus, qualia sunt eleemosyna, beneficentia in pauperes, fraterna dilectio, castitas, sobrietas, &c. Cadunt hîc peregrinationes, cultus diuorum, adoratio, fictum illud ieiunium, & falsus iste cœlibatus & similia, quæ Deus non præparauit, sed humana requirit curiositas. Tertiò in Christo demum placere Deo, in quo debemus esse palmites fructuosi, tanquam in vite fructifera. Demum perpetuum studium oportere esse, vitæ innocentis & castæ, quia Dei voluntas est vt in bonis operibus ambulemus, hoc est, toti occupati simus, in his meditemur die ac noctu. Cadit hic ficta illa & vmbratilis fides, idolum potius fidei, qua gloriantur multi hodie de fide μέχρι τῆς λόγου, quum interim vita sit probrosa, & omni scelerum genere scateat: libidine, ebrietate, auaritia, rapina. Interim gloriamur de fide cuius nullum vestigium in moribus & vita relucet. Cur salus non sit nostris operibus ascribēda. Quę sint bona opera. Ioan. 15.

11. *Propterea mementote vos quondam Gentes.*

Tertia pars capitis, in qua post declaratam naturæ inhabilitatem, & diuinæ gratiæ in nos indignos exuberantiam, nunc hortatur Ephesios, vt priorem illum statum diligenter perpendant. Multum enim conducit ad iustam beneficiorum æstimationem, si priùs agnouerimus indignitatem nostram. Declarat igitur quales olim fuerint, additis iustis epithetis.

Πρότασις specialis. Ephesij ante Christi agnitionem omnibus populi Dei ornamẽtis, tam externis quàm internis prorsus carebant, quæ illorum cōditio eis ne nunc quidem renatis, nunquam debet ex memoria elabi. Partes sunt in enumeratione positæ. Continet enim septem conditiones prioris vitæ, quæ illos à populo Dei separabant, possunt autem distingui in externas notas & internas. Externæ sunt quòd Ethnici fuerint. 2. quòd præputiati. 3. quòd alieni à Repub. Israëlis. 4. quòd alieni à promissionibus. Internæ verò sunt. 1. quòd sine Christo. 2. sine spe. 3. sine Deo, &c. De his igitur dicendum hoc loco. Propositio.

12. *Propterea mementote.*

Locum exorditur ab exhortatione, quia beneficiorum Dei magnitudo & præstantia expendi non potest, nisi his opponamus miserias nostras. His rectè intellectis videbimus demum quàm beneficus in nos fuerit Deus. Deinde particula ποτὲ diligenter obseruanda est. Nam distinguit Ephesiorum statum in duo tempora. Vnum ante conuersionem ad Christum, alterum post conuersionem. Hic gratiæ est, ille naturæ, hic ad laudem nominis Dei cedit, ille ad nostri confusionem. Expende igitur quales fuerimus. Primùm Gentes, hoc est, populus non electus, sed in electione suæ malitiæ relictus, non assumptus. Loquitur autem Apostolus communi Iudæorum consuetudine, qui *Goym* intelligunt eos qui Dei promissiones non habent, & Iudæis opponuntur, quem loquendi morem scriptura etiam interdum seruat. Non tamen est hoc discrimen perpetuum. Nam scriptura etiam Iudæis hunc titulum tribuit Exod. 19. Eritis mihi gens sancta, vbi dictio *Goym* ponitur. Et Ios. 4. manifestè de Israëlitis in genere dicitur: Et factum est postquam desiissent omnes Gentes *cal hagoy* transire Iordanem. Et Ioëlis cap. 1. de locustis dicitur. Ideò rectè annotarunt illic interpretes Hebræorum ***col Kibutz min hachay ykaregey***: hoc est, omnis con-

gregatio viuentium, id est, animalium, dicitur *Goi*. Verùm in præsenti loco Apostolus Iudæis opponit hunc titulum tanquam probrosum, vt reuera erat.

Duplex circumcisio, & duplex præputium. Sam.17.26.

II. Ἀκροβυστία, præputium erant, hoc est, incircumcisi. Et hic titulus probrosus erat in populo Dei, quia eliminandus de populo suo omnis incircumcisus. Hinc Dauid Goliadem incircumcisum vocat per ignominiam. Et Saul ab armigero cupit interire, ne veniat viuus in manus incircumcisorum. Distinguebat circumcisio populum Dei à prophanis nationibus omnibus, ideo demit eis sacramentum externum, vt re ipsa vacuos fuisse intelligant. Obseruandum hîc etiam duplicem esse circumcisionem, & duplex quoque præputium. Vna quæ est in carne & fit manibus. Altera est in corde, & fit à Spiritu Dei. De qua Rom.2. ver.28.29. Deut.10.[illegible] v. 16.

III. *Sine Christo*, hoc est, sine gratia benedicti seminis. Christus Messias est promissus Iudæis, & in eo habebant spem felicitatis externæ & internæ. His bonis omnibus priuatos dicit, quum ait fuisse sine Christo, quasi dicat, vt à populo Dei disiuncti fuistis per circumcisionem, sic etiam à Christo ciúsque regno separati fuistis. Et tempus iterum notat mutatis verbis, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, quod respondet superiori τῷ ποτέ.

IIII. *Alieni a Repub. Israelis.*

Hoc est, ab externa professione. Prius dixit sine Christo fuisse, h.e. regno eius. q.d. planè cæcos & damnatos. Nunc separat etiam ab externa professione, & vitæ consortio.

V. *Peregrini à testamentis promissionis.*

Gen.3.

Ξένοι opponuntur ἐγχωρίοις, hoc est, indigenis. q.d. omnes promissiones & ipsum testamentum Dei cum patribus initum ad vos nihil pertinebat. Promissionum caput fuit illa de benedicto semine, quæ quia sæpe est repetita, & testamento Dei inclusa, plurali numero loquitur de pactis. Illustranda sunt ex cap.9. Rom. ver.4.5. & cap.2.v.2.

VI. *Spem non habentes.* De reconciliatione & aditu ad cœtum externum profitentium veram religionem. Itaque quicquid illis contigit, præter spem diuinitus contigit.

VII. *Ἄθεοι in mundo, &c.*

Ἄθεοι.

Colophon est damnatæ naturæ ἄθεον esse. Dicitur autem ἄθεος, qui Deum non timet, non colit, qualis Lucianus, Epicurus, Plinius, & similes, qui Deum negarunt esse. Deinde etiam, qui licet Deum esse fateatur, mores tamen non accommodat ad honestatem. Sic ἄθεοι sunt flagitiosè viuentes. Idem competit omnibus ante regenerationem.

13. *Nunc autem in Christo Iesu.*

Quartum membrum huius capitis, in quo per antithesin miserrimæ conditioni opponit felicissimum statum post Christi agnitionem. Initio manifesta est temporum antithesis. *Nunc autem*, q.d. ante regenerationem fuistis miserrimi, quod probè debetis expendere, at nunc Christiani facti, videte quanta sit vestra felicitas, quanta dignitas, quanta beneficia à Deo per Christum acceperitis, ideóque gratos esse decebit. Deinde antithesis est conditionis: nam per metaphoram τῦ μακρὰν καὶ ἐγγὺς, indicat priorem conditionem & præsentem. Prior est μακρὰν εἶναι, hoc est, remotum esse à Christo: quasi procul stare, & per consequens alienum ab eius regno esse. Ἐγγὺς autem eidem incorporatum esse. Id nobis, inquit, contigit Dei beneficio. Vt ait Oseæ.2. Vocabo non populum meum, populum, &c. Locus est de vocatione Gentium, de qua alibi diximus. 3. Postea addit organum per quod Deo sint reconciliati. *In sanguine eius.* Explicat superius comma in Christo Iesu. Si enim quæras, quomodo in Christo Iesu Deo simus reconciliati: respondet, in sanguine eius, hoc est, morte & passione eius, vt postea dicit vers.16. Per crucem eius. Sanguinis autem crebriùs meminit, quia pretium est pro nobis solutum. Sic Romanorum 3. Propitiationem habemus per sanguinem eius. 1. Ioan.1. Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. Act.20. Ecclesiam dicitur acquisiuisse sanguine suo. 1. Pet.1. Agni sanguine.

14. *Ipse enim est Pax nostra.*

Mediatoris officium pacem facere.

Dixit quales sint facti beneficio Christi. Nunc hoc ipsum confirmat. Superiora igitur continent πρότασιν, scilicet Ephesiis naturæ defectum, resarcitum Christi gratia, seu indignos licet & ineptos ad salutem, gratia Dei per Christum ad salutem vocatos. Id confirmat, vt dixi. Sumitur ratio ab officio mediatoris Christi: ipse enim est pax nostra, hoc est, per illum parta est, & per illum firma retinetur, ne iterum illa excidamus. Sic ad Coloss.1. pacem faciens, inquit. Deinde modus pacificationis ostenditur. *Faciens vtrumque vnum*, hoc est, duos populos vniuit, Gentes & Iudæos. Primùm Deo, deinde ipsos inter se, & tertiò etiam sibi, vt vniti corporis Ecclesiastici sit ipse vnicum caput. Obserua in Gentium vocatione reconciliationem fieri non per legem aut circumcisionem, vel etiam per Iudæos, sed per tertium alium scilicet Christum. Deinde Gentes hîc iterum æquari Iudæis in reconciliatione. Fecit ex vtrisque vnum. Igitur Iudæi quoque opus habebant reconciliatore. Et pergit modum expressiùs proponere, *Interpositum parietem sepimenti soluens.*

Id de lege intelligo Mosaica, quæ dicitur, μεσότοιχον, hoc est, medius paries qui diuersa conclauia dirimit, illo sublato, ex vtroque vnum fit conclaue. Sic erat Synagoga Iudaica distincta per legem Mosis quasi pariete à Gentibus, quæ suis viuebant legibus, hoc φράγμα sublatum est, hoc est, tota politia Mosaica, & simul discrimen illud Gentium, vt vtrinque iam vnam Christi constituant Ecclesiam. Locus est de abrogatione legis, de quo alibi. Paries lex Mosaica.

15. *Inimicitiam in carne sua.*

Confirmationi subiicitur ἔκθεσις clarior, qua commemorat Christi beneficia nobis gratuitò collata. Primum, *est restituta pax*, alterum verò *sublata lex*. De vtroque dixerat breuiter in ratione, nunc dilucidiùs rem explicat. Ac pacis restitutionem declarat à contrario. *Inimicitia sublata est per ipsum*, quæ scilicet nobis erat cum Deo. Iratus nobis erat ob peccata, nos vicissim illum contemnebamus, & irascebamur ei immeritò post multa illius in nos beneficia. Addit particulam de modo, *per carnem*, vel in carne sua. Suprà dixerat in sanguine suo, & paulò pòst, per crucem suam, hoc est, per passionem & mortem inimicitiam sustulit. De lege autem sublata dixerat subobscurè, interpositum parietem septi soluit. In qua sententia gemina erat Metaphora. Nam μεσότοιχον ab ædificantibus sumptum est, & φραγμὸς à sepimentis agrorum. Vnde κάλαμος φραγμίτης, harundo ad sepiendum idonea, & θάμνος φραγμίτης, frutex sepibus vtilis & accommoda. Sed Apostolus transtulit ad legem vtranque vocem, quia Iudæos à Gentibus separabat, instar valli ac sepimenti. Nunc igitur propriè de legis abrogatione loquitur. Legem mandatorum aboleuit, hoc est, totam legem Mosaicam sustulit, diuersa tamen ratione. Nam ceremonialem sustulit, vt seruatu non sit necessaria. Finis enim omnium ceremoniarum Christus, erat adumbratus per varia sacrificia & oblationes. Moralem verò sustulit, vt damnare electos non possit. Præterea Spiritum suum reliquit, vt sponte faciant honesta, etiamsi nulla lex esset posita. Hoc sensu dixit alibi iusto legem non esse positam. Porrò lex mandatorum dicitur, propter diuersitatem præceptorum, quorum varius est numerus. Ἐν δόγμασι, alij referunt ad ritus legales, sed mihi placet referre ad fidei doctrinam, quasi dicat, legalem doctrinam sustulit per doctrinam gratiæ, qui sensus suauem habet consolationem, nos iam ad gratiam vocari per fidem, non ad ceremonias legis per opera. Ac eo sensu accipitur δόγμα in Actis Apostol. capit. 16. versu 4. tradebant illis seruanda dogmata Apostolorum, hoc est, decreta & statuta religionis Christianæ, non legis. Expositio. Quo sensu accipiẽdum sit, legẽ esse sublatam. 1. Cere. 2. Moral.

Vt duos conderet. Τελικὸν αἴτιον est. Ostendit enim finem sublatæ legis, & diruti interstitij, quasi dicat, voluit ex duobus populis & gregibus facere vnũ cœtum Ecclesiasticum, ideo diruit sepimentum, quo dirimebantur. Et loqui illum de duobus populis distinctis, ostendit articulus τοὺς δύο. Non autem dicit vt ex duobus vnum faceret cœtum, sed emphaticè notat malum naturæ, vt conderet inquit, hoc est, naturæ deprauationem corrigeret. Nam Creandi vocabulum aliquando significat ex nihilo aliquid facere. Sic loquitur Moses περὶ τῆς κτίσεως. Aliàs producta iam, sed corrupta in melius restituere, vt hoc loco. Obseruandum autem iterum æquari Iudæos Gentibus in restitutionis beneficio. q.d. de nouo quasi formandi erant tam Iudæi quàm Ethnici. Itaque non est quod præ his illi sese efferant. Quo facit subiecta particula εἰς καινὸν ἄνθρωπον. q.d. Iudæi quoque improbi erant, & minimè renati, veteris Adami viuebant more, quare beneficium regenerationis illis necessarium erat. Et addit ἕνα admonens mutuæ pacis & dilectionis, Ecclesia enim Christi quasi vnum corpus est, pace & dilectione compactum. Ἐν ἑαυτῷ enim ad meritum Christi pertinet, quasi dicat, pacis factæ & legis sublatæ, vnicum organum est ipse vnicus Christus. Prius dixit ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. Causa finalis.

16. *Et vt reconciliaret vtrosque.*

A fine pergit mortem & passionem Christi explicare, quasi dicat, cur tandem in se pacem facere voluit. Respondet reconciliare nos Deo voluit. Expende hîc cui fiat reconciliatio, nimirum Deo. Deinde quis reconcilietũr homo, de quo hîc indifferenter loquitur, ἀμφοτέρους, significans tam Iudæos quàm Gentes iræ diuinæ non potuisse satisfacere, sed opus habuisse mediatore, quo iterum deiicitur supercilium Iudaicum. Tertiò per quid fiat, Per vnicum Christi meritum, ἐν ἑνὶ σώματι, in vno corpore, scilicet Christi, quasi dicat, vnica fuit hostia digna, quæ par esse poterat, tot hominum delictis expiandis. Et quomodo id factum sit exponit διὰ τοῦ σταυροῦ, describit nobis totam historiam passionis vnico verbo. Deniq; ad quid faciant tot crucis ærumnæ, *Occidens*, inquit, *inimicitiam in se ipso*. Prius dixerat inimicitiam soluens vel eneruans, nunc magis significanter de ea loquitur, occidens, quasi dicat, sic deleta est, vt timenda piis amplius non sit. Quod enim vita & spiritu est spoliatum, non solet metui. 1. Cui fiat recõciliatio. 2. Quis reconcilietur. 3. Per quid fiat. 4. Quomodo fiat.

16. *Et veniens prædicauit pacem.*

Tertium hoc beneficium est Christi prædicationis. Quia ipse assumpta carne docere etiam voluit homines rationem consequendi salutem, ac in eo ministerio deinceps vsque ad finem mundi relinquere pios doctores. Indicat autem summam Euangelij, quæ est, pacis concio. Hinc Euangelium dictum est. Et ob id ab Esaia dicuntur speciosi pedes prædicantium pacem, & annuntiantium bona. Quod ad Rom. 10. quoque citatur. Postea addit auditores huius doctrinæ communiter esse gentes & Iudæos. Retinet autem voces in propositione vsurpatas ver. 13. τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγύς, hoc est, Ethnicis qui alieni erant à promissionibus, & Iudæis qui solebant ob id superbè miseras Gentes contemnere, equantur iterum in gratia, qui in externis plurimum differebant.

Euangelij summa.

Esa. 52. 7.

18. *Quia per ipsum.*

Quartum est beneficium Christi mediationis, in superioribus per redditionem causæ subiungit. *Aditum per illum habemus ad Patrem.* Προσαγωγὴν vocat quasi adductionem. Nemo enim venit ad Patrem nisi per Christum, dicente ipso, Nemo venit ad Patrem nisi per me, Ioan. 14. Sic nemo venit ad Filium nisi quem traxerit Pater, Ioan. 6. Æquantur iterum in Christo mediatore, deinde in paritate Spiritus, significans eodem spiritu omnes electos inuocare & adorare Deum Patrem, per Filium Iesum Christum. Commendatur consensus fidelium hîc, quia ab eo declarantur filij Dei. Deinde tollitur supercilium Iudaicum, contemnentium Gentes. Deinde frangitur dignitas meritoria in nobis, cùm non simpliciter sit aditus, sed adductio. Ducit igitur nos Christus.

19. *Itaque non amplius estis.*

Conclusio.

Contrahit in vnum, quæ dixit de naturali corruptione, & beneficiis per gratiam acquisitis, ostendens quales nunc sint conuersi ad Christum. Est igitur συμπέρασμα congruens cum superiori propositione, scilicet quòd quæ naturalis corruptio negabat illis, idipsum in Christo per gratiam esse consecutos. Constat autem duobus membris, remotione & positione. Remotio est, Non estis ξένοι καὶ πάροικοι, id est, peregrini & aduenæ, hoc est, alieni à Christo, à fœdere Testamenti, & sine Deo, qualia de illis dixit nondum conuersis vers. 12. Illa omnia his duabus vocibus remouet. ξένος peregrinus est, alienigena. Πάροικος aduenam significat, hoc est, qui habitandi causa domicilium suum in alienā religionem trāstulit. Quo sensu voces duæ se mutuò explicant. Sic coniunxit Cicero eas. Peregrinus autem & aduena nihil præter suum negotium agere debet, nihil de alieno inquirere, miniméque esse in aliena Repub. curiosus. Hæc conditio nostra erat ante Christi cognitionē, quæ res nobis diligenter expendenda est, vt eò arctius amplectamur Christi beneficia præsentia. Remotioni subiicit θέσιν, quid ergo sint, si illud non sunt? Estis συμπολῖται sanctorum, q. d. estis ἐγχώριοι incorporati ciuitati cęlesti, Phil. 3 v. 20. nostrū πολίτευμα iam in cælis est. Quo sensu sanctos accipiemus eos, qui rebus humanis exempti in triumphante iam versantur ecclesia in cęlis. Ac admonet nos in his terris nihil firmū nobis esse expectandum, sed ad illum in cælis respiciendū semper cœtum, vt est ad Hebr. 13. v. 14. Hîc non habemus ciuitatē permanentem, &c. Sed potest alius etiam esse sensus, scil. estis conciues sanctorum, h. e. militantis Ecclesiæ, quæ constat ex veris Christi membris, quæ verè Catholica & sancta est, quam fatemur in symbolo: huius, inquam, estis conciues, hoc est, idem ius habetis, atque fideles ex Iudæis, nec illa re eis estis inferiores. Quo sensu supercilium Iudaicum mirum in modum frangitur, & confirmantur in fide Gentes. Deinde estis οἰκεῖοι Dei, hoc est, αὐτόχθονες opposita voce πάροικοις. Sunt autem αὐτόχθονες qui nati sunt in terra illa, vel familia aliqua. Parœci autem aliunde accesserunt. Sensus igitur est, eos non amplius pro gentibus maledictis habendos, sed pro filiis Dei electis & charissimis domesticis. οἰκεῖοι ius habent in familia, quales sunt filij heriles & adoptati: sed πάροικοι nihil iuris habent in re domestica, saltem laborandi & excolendi causa agros admissi sunt in regionem, quales hodie in Cypro plurimi sunt, ex Syria & aliis regionibus adducti, qui agros colunt, sed vendendi aut commutandi nullum ius obtinent. Dominis soluunt tertiam prouentuū partem, reliquis se & suos alunt, qui tamen omnes manent in dominorum potestate, vt vendere vel retinere in seruitute, aut donare libertate possint, qualia olim fuerunt mancipia. Dicuntúrque adhuc πάροικοι quotquot ad vnum spectant dominum, habétque interdum ditiores ad 500. aut 600. παροίκους, quæ res congruit cum nominis proprietate. Nam sonat πάροικος qui domos iuxta habent, eodémque fonte & sano vtuntur.

Aduersus supercilium Iudaicum.

20. *Superstructi super fundamentum.* De electis locutus est, tanquam de familia & ciuitate quadam. In eo loquēdi genere pergit, ac illius familiæ ac ciuitatis inquirit fundamentum. Nam in eo bona felicitatis pars est posita, si solido nitantur fundamento. Hæc ciuitas eò est commendabilior quòd solidissimo nitatur fundamento, Prophetico & Apostolico. quod quale sit mox addit, Christo nimirum summo angulari lapidi. Habes igitur solidissima fundamenta, & ob id firmā ciuitatem. Porrò fundamentū Apostolorū dicitur & Prophetarum,

Quo nitatur fundamento ciuitas Christiana.

Quo sensu dicatur Apostolorū fundamētum.

phetarum, quòd ipsi etiam huic nitantur fundamento, dicēte Christo, sine me nihil potestis. & Apostolo ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me confirmat Christo. Deinde quia doctrina illorum ad hoc respicit fundamentum: toti.n.in eo sunt, vt Christum nobis probè depingant & infigant. Fundamenti moles recumbit in Christū, inde dicitur ἀκρογωνιαῖος id est, vel imus lapis, qualis solet esse petra aliqua firma, natura vel arte posita, vel summus qui angulos ex diuersis parietibus, & muris concurrentes firmissimè complectitur, & vnit, de priori significatione loquitur Apostolus 1.Cor.3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, quàm quod positum est, Iesus scilicet Christus. & 1.Cor.10. Petra autem erat Christus. De posteriori autem 1. Pet. 2. Ecce pono in Sion lapidē summū angularem electum & pretiosum. vide Esa.28.v.16. Psal.118. vnde phrases repetitæ sunt. Et Act.4. & ad Rom.9.ver.33. vbi de hac re aliquid diximus. Nos obseruemus idē esse fundamentū Ecclesiæ Gentiū & Iudæorum, eadem etiam doctrina regi, Prophetica nimirum & Apostolica, quorum prius facit contra Marcionitas negantes Prophetas, & ob id ex præsenti loco nomē Prophetarum expūxerant. Vid. Epiph. contra falsos alios doctores, asserentes in Christo fideles non posse iustificari nisi legem Mosis obseruarent. Sed quale Christus esset iam fundamentum?

Idē fundamentum Iudæis & Gentibus.

21. *In quo omne ædificium.*

Structuræ Ecclesiæ ratio.

Tertio loco declarat structuræ rationē, nam Ecclesia ciuitas quædam est. Deinde fundamentum habet Christum, tertiò nunc structura eius qualis? Primùm ait, structura ciuitatis huius debet habere suam harmoniam, hoc est, concinnam proportionem & decorū, quod tum fit si singuli in sua vocatione consistant, & illā ornent vita & moribus, queadmodum in ædificio decorum potissimum in eo est positū, si singuli lapides concinno suo locentur loco. Illustris hic locus est de non perturbandis vocationibus, sed diligenter conseruandis. Deinde ex hac harmonia efficitur alterum, vt eleganter crescat ædificium: αὔξησις referatur primùm ad totum corpus, hoc est, plures in dies accedant ad Christū seruato decoro & vocationum ordine. Videbunt bona illorum opera, & laudabunt Patrem qui in cælis est. Qua ratione Apostolorum tempore plurimi accesserunt ad fidē vt est videre in Actis, ad singulas Apostolorum conciones infiniti conuersi sunt. Quæ ratio durauit vsque ad inclinationem Ecclesiæ Christi, vt vix animaduerti amplius possit qui accedāt, nisi hac ratione, quando ex malis Christianis & hypocritis fiunt, probi & minimè ficti Christiani. Altera est αὔξησις, quando nos singuli in dies magis magisque instruimur, ardentiores reddimur, spiritu constantiores in fide, promptiores ad dilectionem fraternam, quæ αὔξησις planè est necessaria. Tertiò ex illo priuato & publico profectu conficitur elegantissimum templum Dei, hoc est, vniuersalis & catholica, verè sancta Ecclesia, ex viuis lapidibus constructa. Obseruandum igitur templum spirituale aliquando dici de tota Ecclesia, vt hoc loco, aliâs de singulis fidelibus, vt 1.Cor.3.v.16. & primæ Cor.v.19. Quæ loca inspice.

Matth.5.16. Act.2.

Ex singulis fidelibus totum Ecclesiæ corpus constare.

22. *In quo & vos.* Quarto iam loco specialiter Ephesiis iterum applicat ius hoc ciuitatis & templi cælestis, quasi dicat, vos Ephesij templi illius membra estis. Nam ex singulis fidelibus totum corpus constat, quasi ex diuersis minoribus templis vnum illustre & magnum fit. Reuera autem ex indiuiduis piis, cœtus speciales fiunt, vt ex his particularibus Ecclesiis vniuersalis & sancta. Porrò vox συνοικοδομεῖσθε potest accipi etiam impuratiuè, h.e. ædificemini, tum sensus erit, Ephesiis curandum probè, vt pergant incœpta semel professione, feliciterque cursum absoluant. Deinde vox κατοικητήριον mansionem significat, quales peregrini in via habent quiescendi causa, admonens Ecclesiam in his terris semper habere aliquod hospitium, & angulum in quo tutò latitet etiam in mediis persecutionibus. Significat etiam domesticorum mansiones, quæ significatio hîc magis quadrat propter additam vocem θεοῦ, quasi dicat, habitacula Dei estis sic constructi, aut perseuerantes eritis mansiones Dei, hoc est, Deus constanter in vobis manebit. 1. Cor.6. ver.10. Similis est templi significatio.

CAPVT III.

Argum. cap. 3.



OStendit hactenus quanta bona Christo nobis Deus pater contulerit. Deinde quòd gratis nihilque tale promerentibus dederit. Nunc tertio loco ostendit ad doctrinæ huius conseruationem adeoq; confirmationem pertinere suum totum ministerium & fortunam aduersam quam in ministerio suo experitur. Disserit autem magnificè de vocatione sua, ad docendas Gentes, de vocatione Gentium ad Christi cognitionem, quæ omnia ad æternum Dei consilium reuocat. Inde aperta vtitur exhortatione ad constantiam, quæ loci est propositio. Hinc descendit ad vota ac preces, quibus locum hunc concludit.

Propositio.

Πρόθεσις, Ephesij in suscepta professione debent constanter perdurare, nullóque peri-

culo aut crucis metu ab ea deficere.

Partes. Partes sunt quatuor: Initio differit de fine suorum periculorum ac totius vocationis suę, qui est vt Gentes in Christi confessione confirmẽtur, agnoscántque se non minùs ad Christi Ecclesiam pertinere, quàm Iudæi. Deinde aperta est πρόθεσις. Tertiò, votum ac comprecatio Apostoli, optantis vt Ephesiis dona spiritualia auctiora reddantur. Quartò, finalis epilogus subnectitur.

1. *Huius rei gratia, ego Paulus vinctus sum.*

Connectit sequentia superioribus per causam finalem, dixit Ephesios superstructos lapidi angulari Christo, qui Ecclesiæ est fundamentum, ex quo ipsi quoque sint facti habitaculum Dei in Spiritu, hoc est, veræ Ecclesiæ Christi membra. Nunc addit ob hanc doctrinam se quæuis aduersa pati. *Huius gratia vinctus sum*, hoc est, quia doceo Ethnicos in Christo quoque reconciliari gratis Deo Patri, omnes in me insurgunt etiam hi qui boni videntur. Erat quidem captus propter totam confessionem Christi, sed in hac alij articuli aliis magis erant infensi, qualis præcipuè hîc erat de gratuita reconciliatione facta per Christum. Hunc non solùm aperti hostes impugnabant, sed qui volebant etiam Christiani haberi, vt falsi doctores qui addebant legem Mosis. Hanc inuidiam augebat altera disputatio, quòd Gentes etiam ad hanc Christi gratiam pertinerent. Quam rem ne Apostoli quidem initio satis intelligebant. Vnde Petrus ad Cornelium non ingreditur nisi diuinitùs admonitus. Et Paulus aliquoties apologia opus habuit apud fideles Iudæos quòd ad Gentes ingrederetur. Itaque argumentum est à suo exemplo. Ego Paulus pro vestra professione vincula non erubesco: debetis igitur in ea constantes manere. Sic infrà cap. 4. ver. 1. Precor vos ego vinctus in Domino. Obserua carceres & vincula piorum facere ad cõseruationem doctrinæ. De qua tamen priùs oportet esse certos. Ideo non erubescit proferre sua vincula, hîc & Col. 4. v. 3. 2. Tim. 1. v. 8. Deinde ad argumentum etiam pertinet, quòd ait se pro ipsis Gentibus illa pati, hoc est, ad Ephesios etiam spectare hanc suam sortem, quasi dicat, vestro bono ego patior vincula, non meo aliquo commodo, ideo in professione confirmari debetis, cùm me pro hac videatis libenter ferre aduersa.

Act. 10.

1. Arg. à suo exẽplo.

2. *Audiuistis enim dispensationem.*

2. Argu. De Pauli vocatione non dubitandum fuisse Ephes.

Alterum argumentũ à certitudine suæ vocationis. De mea vocatione dubitare non potestis, igitur ne quidem de doctrina dubitandum est, & ob id in illius confessione constantes esse debetis. Cur autem de vocatione dubitare non possint colligit ex publico in pios iactato rumore. Quæ enim publica fama nobis commendat, de his nemo solet dubitare. Audiuistis, inquit, scilicet ab aliis multis, qui historiam vocationis meæ explicarunt. Extat in Act. cap. 9. de qua hîc modestè loquitur, tum alibi non dubitat hanc speciosè commemorare vt Actor 22. Οἰκονομίαν τῆς χάριτος vocat officium sibi ex gratia collatum, ideo addit, *Sibi datum in ipsos*, hoc est, Ephesios & similes Gentes. Notanter id addit, vt sciant Apostolatum Pauli singulariter ad Gentes confirmandas pertinere.

3. *Quia secundum reuelationem.*

3. A qualitate suę vocationis.

Tertium argumentum à qualitate vocationis. Superius autem argumentum explicat. *Per reuelationem illi est patefactum*, hoc est, res arcana & paucis cognita. Deinde *mysterium est*, quod & ipsum doctrinam hanc commendat. *Vt paulò antè scripsi.* Reuocat eos ad superiùs scripta cap. 1. vers. 9. vbi mysterium hoc patefactum piis dixit, per quem locum præsentem explico, ne sit opus disputare de quadam Epistola ad eos scripta etiam amissa.

4. *Ex quo potestis, &c.*

Remittit ad ea quæ suprà scripserat cap. 1. vers. 9. ac conciliat sibi authoritatem, quasi dicat, si vocationis meæ modum & reuelationẽ probè expẽderitis, poteritis videre quantum in doctrina Euangelij profeceritis. Laus est propria, sed in loco posita ac confirmata publica fama. Deinde expende boni doctoris virtutes esse necessarias. Σύνεσιν πνευματικὴν, intellectum spiritualem, ne de ignotis loquatur, &c. Δύναμιν ἑρμηνευτικήν, facultatem interpretandi, hoc est, eloquendi & conceptis verbis proponendi animi cogitationes, ne destituatur verborum proprietate & pondere. 3. Accedat amor erga Ecclesiam Christi, vt illius nomine velit extrema quæque perpeti, vt hîc Paulus ostendit se pro Ephesiis affligi.

5. *Quod in aliis ætatibus.*

Sui temporis felicitatem opponit omnium seculorum cognitioni, quasi dicat: nullo vnquam tempore tanta fuit támque manifesta veritatis cognitio. Manifesta enim est collatio diuersorum temporum. Habent singulæ ætates suum cognitionis modum, in quo sese debent exercere, vt Mosis, Prophetarum, imprimis Danielis tempora. His, inquit, omnium clarissima est notitia Dei effusa nostro seculo.

Nostri se Debent igitur Ephesij diligenter hanc præsentem fœlicitatẽ agnoscere, & amplecti grato animo

to animo. Ita discamus nos nostri seculi felicitatem agnoscere, in quo luce meridiana clarius Dei cognitio proponitur mundo, adeò vt nihil possit desiderari. Verbum Domini ostiatim oberrat, in plateis omnibus offertur, modico tamen vt apparet fructu, *Man lyset es, Man prediget es, man hort es, Man singt es pfyffet es, malet es, doch gath man fur on frucht.* Vide autem quibus Apostoli ætate reuelatum sit, Apostolis & Prophetis, hoc est, paucis quibusdam reliquis altùm dormientibus, & suauiter ridentibus hanc doctrinæ inuocationem. Id certè hodie etiam fit.

culi fœlicitas.

6. *Esse gentes cohæredes.*

Applicat cœptam comparationem ad vocationem Gentium, quasi dicat, in eo feliciores sumus patribus veteris Testamenti, quòd hodie certior est vocatio Gentium, quòd & hæ pertineant ad beneficium Messiæ. Hanc gratiam magnificè celebrat. συγκληρόνομα, eiusdem sunt sortis, scilicet quia sunt conciues sanctorum capite 2. versu 19. Deinde σύσσωμα eiusdem corporis vel Ecclesiastici, hoc est, ipsius Ecclesiæ membra, quasi dicat, Iudæi non soli constituunt Ecclesiam, sed ad huius constitutionem vos etiam pertinetis. Id valet præpositio σύν: vel ad Christum refertur, quasi dicat, Christi corpus ex Gentibus quoque colligitur. Tertiò συμμέτοχα, participes sunt eiusdem gratiæ. Hoc ignorabant veteres, nobis hodie reuelatum est, igitur debetis in tam clara doctrina & illustri permanere.

Gentes eiusdem sortis participes.

7. *Cuius factus sum minister.*

Specialiùs iam applicat ad suum ministerium: huius doctrinæ sum διάκονος, hoc est, doctor, promulgator. Id enim diaconus hîc significat. Seruit docendo, admonendo, cohortando. Inter officio Ecclesiastica suum locum habet diaconus. Propriè significat ministrum. διακονεῖν seruire est. Hodie Græci διάκονον & διακονίτζω mendicum vocant, & διακονεύειν mendicare, γυνὴ κάθω ἐστὶ ὅποιν διακονεύει, id est, mulier infrà est quæ stipem petit. Porrò in ministerio duo sunt, δύναμις & ἐνέργεια, hoc est, facultas & successus in docendo. Vtrunque ad Deum refert authorem, nihil sibi ascribit.

8. *Mihi minimo.*

Extenuatio est sui ipsius, qualis est 1. Cor. 15. Indignus qui vocer Apostolus. Et 1. Tim. 1. peccatorum primus. Id eò facit, vt sit illustrior Dei in ipso gratia. Deinde doctrinam notat à præstantia materiæ ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον, hoc est, inexhaustas & infinitas, imperscrutabiles, qualis est gratia Dei in Christo respectu peccatorum nostrorum, indicibilis vis quædam remittendi peccata, & conciliandi nos Deo Patri.

9. *Et illuminanti omnes.*

Vocationem gentium nouo titulo commendat, quòd scilicet sit communio mysterij absconditi à seculis, in Deo. h. e. soli Deo fuerit cognita. Ideo maioris est facienda, tanquam singulare Dei beneficium. Ad Dei omnipotentiam pertinet sequens comma, qui omnia creat per Christum, hoc est, vt in eo omnia initio condidit, sic per eundem iam omnes regenerat. Vel simpliciter de regeneratione accipiatur, vt suprà cap. 2. vers. 15. vt duos conderet in vnum nouum hominem in seipso, hoc est, regeneraret.

Vocatio gentium mysterium à seculo absconditum.

10. *Vt innotescat nunc.*

Admirandum Dei consilium commendat à fine. Ostendit enim quo fine tam mirabili ratione vti voluerit in vocandis Gentibus, vt non solùm apud homines, sed etiam in cœtu Angelorum sanctorum celebraretur nominis ipsius maiestas. Primùm hinc discimus vocationem Gentium etiam Angelos latuisse. Sciebant quidem vocandas olim ad gratiam, sed modum & circũstantias reliquas ignorabant, quando scilicet, vbi, quomodo, per quas personas vel organa. Id principatus & potestates in cœlis ignorabant, nunc illis innotuit, Ideo finita est cognitio Angelorum, vt etiam illorum potentia. Et certum est bonorum Angelorum longè maiorem & puriorem esse de rebus cognitionem, quàm sit malorũ, tamen finita est, si ad Dei absolutam & perfectam notitiam referatur. Sic in vocatione Gentiũ multa illos latuisse, non est quod admiremur. Deinde Angelos hoc discere in Ecclesia vel per Ecclesiam, nõ quòd adstent tanquam alij auditores, & discant à docente ministro, sed quia experientia vident impleri, id quod prius partim nouerant, partim ignorabant, & insolitũ hunc modum admirantur. Id illis discere est, quum per experientiã rem compleri vident, de qua tamen in genere non dubitabant. Tertiò per mimesin Angelorũ quasi voces admirantium, Dei sapientiam exprimit, ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. Quàm varia & multiplex est Dei sapientia. ποίκιλον satis videri poterat, sed varietati addit etiam copiam, quod est πολυποίκιλον, multipliciter varium. Illius specimen habent Angeli in Ecclesia Christi, quæ ex Gentibus vocatur, per Paulum & alia infirma organa. Hoc enim nunquam sperabant Angeli, Paulum tantum hostem & vastatorem Ecclesiæ conuertendum & doctorem fore Gentium. Item quòd tam facili genere doctrinæ cessuræ essent Gentes doctrina tumentes. Et alia

Cur Deus in vocandis gentibus eam ratione inire voluerit.

Angelorum cognitio finita.

Dei sapientia multipliciter varia.

infinita habent Angeli quę admirentur in Ecclesia Christi. Hæc illis schola est cui intersunt spectatores certaminum sub cruce, confirmatores infirmorum & consolatores, ideo in ea oportet Ephesios quàm esse constantissimos.

11. *Secundum propositum.*

Totum negotium vocationis Gentium reducit ad primum principium æternæ prędestinationis. *Propositum seculorum* vocat, quia omnia secula antecessit. Ideo etiam est admirabile Angelis. Finitur autem Christi beneficio. Ideo factum dicitur in Christo Iesu Domino nostro.

12. *In quo habemus, &c.*

Christi beneficium explicat, quòd ad gentes etiam spectet, vt Ephesios promptos reddat ad constantiam.
1. Primùm in illo habemus προσαγωγὴν, de qua voce diximus suprà capite 2. v. 18. Ac propriè est aditus reconciliatorum, qui per Mediatorem ad principium suum deducuntur.
2. Deinde constat ille accessus παῤῥησίᾳ quadam, hoc est, libera hilaritate. Non enim adducimur ad Deum per Christum tanquam latrones ad conspectum iudicis, qui accepturi sint illic scelerum suorum sententias pœnales, sed metu, timore caret Christo pręsente.
3. Tertiò adest etiam πεποίθησις, id est, confidentia, fide inuicta. Respicit illa Christi meritum, cui tribuit spem reconciliationis, credit enim promissionibus,
Ioan. 3. Quicunque in illum crediderit non peribit, sed habebit vitam æternam.
4. Quartò fides accedit vt organum, apprehendit enim bona in Christo nobis promissa, éstque tanquam manus in nobis. Fidem & confidentiam nominibus distinguimus, cùm re ipsa & natura parum differant, imò coniuncta sint. Interim rectè hîc distinguitur, quòd accessus & parrhesia, & fiducia nitantur fide tanquam radice. Nisi enim adsit fides, illa omnia cadunt, debétque vera miniméque ficta esse fides, hoc est, quæ viuidè in Christum referatur, professionem suam ornet, & præstet officia renati hominis. Hæc inquam, priores virtutes omnes regit & informat. Fides etiam Christi dicitur, quia donum illius est, quod datur per auditum, interdum tacito Spiritus sancti afflatu.

13. *Quare peto ne.*

Conclusio. Altera pars capitis quæ continet generalem propositionem totius epistolæ. Diligenter autem seruanda est hæc sententia, quia scopus est ad quem collimat tota oratio. In dispositione epistolæ diximus totam exhortatoriam esse ad constantiam, ideo prædominans genus constituimus προτρεπτικὸν, & πρότασιν generalem, Ephesios deinceps vti hactenus debere in professione fidei constantes permanere, quæ omnia ex præsentibus verbis habemus. Subiicitur autem superioribus forma illationis, quia conclusio est effecta ex præcedentibus beneficiis Dei, quæ in Christo nobis imprimis Gentibus obtulit: qui enim maximis, hísque inexpectatis beneficiis ornantur, isti debent constantes manere in illorum confessione. Ephesij tales, ergo, &c. Porrò conclusio vt propositio sensu congruunt, loco solùm distant, & genere elocutionis. Quod verba attinet, primùm manifesta est ἀποτροπὴ ab inconstantia, inde contrarium, hoc est, constantia illis commendatur. Ἐκκακεῖν est malorum pondere frangi, quemadmodum sub nimia sarcina succumbit baiulus, vel alterius malis deterreri, quemadmodum Ephesij nondùm premebantur ipsi, sed Apostolum Paulum videbant premi, illius malis poterant absterreri à confessione veritatis, ne in eadem mala inciderent. Hoc igitur est quod metuit Apostolus, ne deficiant priusquam illos propria apprehenderit persecutio, sed doctoris saltem aduersis erubescant ne

Doctorũ aduersis debere cõfirmari Ecclesiam. mutent sententiam. Ideo munit propositionem vocibus argumentosis. Primùm ὑπὲρ ὑμῶν, hoc est, mea afflictio pro vobis confirmandis non absterrendis facit, ergo in fide suscepta oportet esse constantes, ne hoc certamen meum suo priuetur fine. Deinde, *Est gloria vestra*, hoc est, facit ad gloriam boni vestri nominis. Igitur constantes sitis oportet. Illustre est argumentum à spe gloriæ. Natura enim ducimur spe laudis & gloriæ etiam ad difficilia & ardua modò adsit opinio laudis. Sed in constantia Christianæ professionis est amplissima laus, quæ apud Deum & homines rectè iudicantes durabit, ergo, &c. Deinde emphaticum est, quod dicit sua vincula ad laudem Ephesiorum facere, cùm potius ad ignominiam spectare viderentur, quemadmodum falsi doctores id totum interpretabantur, & probrosè traducebant passim hoc nomine Apostolum quasi omnibus exosum. Hanc calumniam diluit contraria illatione. Facit ad gloriam, igitur nihil est quòd erubescatis aut sententiam mutetis.

14. *Huius gratia.*

Tertia pars huius capitis continens preces Apostoli, & deuotum illius pro Ephesiis studium: pertinet autem ad superiora tanquam confirmatio. Nam constantes reddere vult, quò plurimum faciebat declaratio propensi in ipsis adiuuandis animi. A suo exemplo, & fine precationum suarum, argumentum ducitur. *Ego pro vobis in dies oro*, hoc vnicum petens,

tens,vt Christus constantes vos in fide seruet. Igitur in hoc præcipuè incumbendum est. τύτου χάρειν,hoc est,vt sitis constantes,q.d.pro constantia vestra ego etiam in carceribus oro. Deinde non dicit oro, sed à nota orantium expressit quid agat. Gestus enim hic proprius est orantium,vt flectant genua.Diximus alibi de gestibus orantium. Vera oratio & ardens cum Deo colloquium, nunquam carebit suis gestibus ac moribus. Alij complicant manus,alij tundunt pectora:quidam prosternunt se:quidam inclinant genua,alij alijs vtuntur gestibus,quibus preces denotantur.Paulus hic vsus est genuum flexione. Nos in publicis precibus eadem vtimur. Iudæi olim prosternebant se.Hodie Græcæ Ecclesiæ stantes orant,quæ varietas nihil impedire debet consensum Ecclesiarum. Præterea Apostolus hîc modum & formam orandi proponit,scilicet,vt fiat ad Deum patrem per Filium suum. Deus exorandus est per Filium, quia in hoc illi complacitum est. Interim nihil impedit Christum inuocari etiam & adorari.

Vera oratio gestus etiā suos habet.

15. *Ex quo omnis familia.*

Christi fecit obiter mentionem priori argumento, hunc igitur pleniùs nobis commendat,ne sit nobis molestum in Christi confessione constantes manere. Ac colligatur hinc quartum argumentum. A Christo habemus denominationem illam illustrem, vt dicamur Christiani,igitur in illius professione oportet constanter perdurare. Cur enim suscepta est si nō placeat continuare? Πατριὰ familiam significat. Ego hic Ecclesiam interpretor,q.d. tota Ecclesia vniuersalis,nomen suum Christo debet,suprà cap.2.vers.21 vocauit ναὸν ἅγιον, templum sanctum.Et vers.19 eiusdem,singula membra συμπολίτας τῶν ἁγίων, conciues sanctorum.Hæc ipsa domus Dei est.2.Timothei.2.ver.20.Et habitaculum Dei, suprà 2. vers. 22. Porrò ista catholica Ecclesia duas habet partes integrales,quarum vna iam est triumphans in cælis,verè pura & sine ruga,Christi sponsa,exempta mundi casibus. Altera verò adhuc est militans in his terris, & cruci subiecta, aspirat autem ad illam sanctorum communionem in cælis.Vtramque hîc notat,quum dicit familiam hanc,partim in cælis partim in terris nominari.Ac verbum ὀνομάζεται accipio pro ἐπονομάζεται, hoc est,denominatur à Christo.Nam à Christo dicimur Christiani.Atque hic titulus nobis debet sufficere,nec alij insuper arrogandi sunt,vt nostri faciunt.Vide locum de origine Christiani nominis.

4. Argu.

Catholicam Ecclesiam duabus constare partibus.

16. *Vt det vobis.*

Finem orationis suæ pluribus explicat. Quia enim posuit iam se in carceribus orare pro constantia Ephesinæ Ecclesiæ, nunc id ipsum expolit adhibitis circunstantiis quibusdam. Causa primaria efficiens est Deus,largitor virtutum omnium,ad quem hic dirigit suas preces.2.Adiuuans causa est oratio sanctorum. Rogandus enim Deus vt det, secundum illud, Petite & dabitur vobis.3. Causa mouens est,gratia & amor Dei in nos. Hanc gratiam vocat πλοῦτον τῆς δόξης suprà cap.1.ver.7.dixit πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ,quas phrases idem significare puto.Dicitur autem πλοῦτος τῆς δόξης, quia ad gloriam eius facit constantia fidelium, quia virtus Dei in infirmitate illorum perficitur. 4.Factum ipsum est,vt confirmentur potentia, hoc est, constantes reddantur.est scopus orationis Pauli,& diuinæ gratiæ,τὸ πραχθὲν,respectu autem causarum effectus.5. Organica causa est Spiritus sanctus, qui datur à Patre propter Filium ad confirmandos & consolandos piorum animos. 6. Subiectum est interior homo.Forma potius est,quia respicit ad regenerationem per quam datur hic constantiæ Spiritus.Interior homo dicitur renatus, quo 2.Cor.4.diximus.

17. *Vt inhabitet Christus.*

Adiuncta constantiæ addit,qualia sunt Christum inhabitare in nobis,hi enim soli constanter manent, qui Christum in se habent gubernatorem. Respicit ad superiores translationes, quibus Ecclesiam & sanctos vocauit templum Dei,habitaculum Dei,donum Dei, membra Christi,& conciues sanctorum. Inhabitat autem Christus secundum Spiritum & diuinitatem in nobis, ideo nō displicet per idiomatum communicationem hæc interpretari. Fides iterum manus est apprehendens seu organum. Cor linguæ opponitur.q.d. verè Christianos desiderat hæc virtus non simulatos, non hypocritas, qui μέχει τῶν λόγων ,hoc est,oretenus Christiani sint.Veri habent Christum in cordibus habitantem,cuius domicilium toti sunt,hypocritæ solùm in summis labris.Ac de virtute & pietate disserunt speciosè,nihil autem reuera tale præstant.Planè Pharisæi & simulatores.

Quomodo Christus in nobis inhabitare dicatur.

18. *In dilectione radicati.*

Formam constantiæ exprimit. Primùm radicati dicit, dilectione Dei scilicet, qua ipse prior dilexit nos. Nam in hoc radices habet cōstantia in professione, dicēte Christo Ioan. 3. Sic dilexit Deus mundum vt filium vnigenitum daret, vt omnis qui crederet in illum non periret,sed haberet vitam æternam. Non potest igitur perire per inconstantiam pius, sed Christi imperio ducetur per ardua quæque. Metaphora sumpta est à physicis rebus, quæ sponte ex terra crescunt, vt arbores similésque plantæ, quæ tum demum constantes

Constantiæ forma.

sunt, si altè actis radicibus in terra firmatæ sint. Altera metaphora est ab ædificiis sumpta, quæ firmitatem habent à fundamento suo. Additur hîc iterum constantię nota, *vt possitis apprehendere* q. d. constantia in fide sola coronabitur, ergo de hac vobis diligenter est cogitandum. Quintò, & hoc vim argumenti habet quòd in communionem addit sanctos omnes, q.d. sancti in cælis per hanc ad victoriam peruenerunt, in quorum numero vos haberi hic vultis in militante Ecclesia, igitur illorum constantia vobis est imitanda. Quæ addita hîc sunt, à Mathematicis desumpta sunt, qui solidum corpus ferè sic definiunt quod habeat latitudinem, longitudinem & profunditatem. Quos terminos ad Christi dilectionem transfert, q.d. summa scientia est Christi cognoscere dilectionem, quę se in omnes dimensiones diffundit: antè verò, suprà, infrà, à dextris, & sinistris sese copiosissima offert. Mitto hîc libenter aliorum disputationes, de figura crucis, quia nihil ad rem.

19. *Et cognoscere abundantem.*

Christi in nos dilectionem rebus omnibus antefert, & ob id cognitionem eius, omnium rerum scientiæ, quasi dicat, hic cardo salutis nostræ positus. Nec caret argumento: Christus indicibili sua dilectione pro nobis passus est, ergo gratuitò postulat, vt in illius confessione maneamus constantes. Antecedens hic declaratur cùm dicitur ὑπερβάλλουσα ἀγάπη. Et Ioan. 15. v. 13. Maiorem nemo potest habere, quàm si quis pro amicis ponat animam suam, Romanorum 5. ver. 8. Commendat autem charitatem suam erga nos, quòd quum essemus adhuc inimici, Christus pro nobis mortuus est.

Ecclesiæ πλήρωμα.

VII. Argumentum, *quia sic complemur, complemento Dei*, hoc est, vnica hæc via est ad sanctam catholicam Ecclesiam cælestem perueniendi. πλήρωμα accipio Ecclesiam, quæ constat ex multis particularibus cœtibus, quorum respectu dicitur tota πλήρωμα, quia complemur in dies vsque ad finem mundi, nec potest integra dici, donec omnes ingressi fuerint. Beneficium autem hoc Dei est, ideo dicitur complementum Dei, in hoc crescimus in hac vita fide & constantia in vera professione.

20. *Et verò qui potest*

Cõmendatur hic nobis orandi studiũ.

Quarta pars continens epilogum totius prioris loci de beneficiis Dei, quæ per Christum nobis exhibuit. Similem vide clausulam ad Rom. 16. ver. 26 27. Porrò commendat nobis hîc orandi studium à liberalitate Dei. Primùm quia plura potest, & vult etiam dare, quàm ausis petere, ergo diligenter petendum est. 2. Quia hoc ipsum quod dat, ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ facit, hoc est, non parcè, non tenaciter, sed hilariter dat & suauiter.

Tertiò quia etiam *supra id quod quàm possimus cogitare*, hoc est, nobis nihil tale cogitantibus multa confert. Id singuli in se verum esse experiuntur, si modò diligenter rerum suarum cursum attendant.

Quartò, organum orationis & impetrationis est Spiritus sanctus, qui hîc dicitur δύναμις ἐνεργουμένη, potentia operosa, efficax, tum quia pios semper instruit ad orandum, tum quia confirmat animos, eámque illis efficaciter re ipsa suppeditat, qualis imprimis est constantia sub cruce, pro qua rogare voluit Ephesios.

21. *Ipsi sit gloria.*

Altera pars epilogi, quę constat δοξολογίᾳ. Ostendit autem quis sit piorum & rectè orantium mos, scilicet omnia ad gloriam nominis Dei conuertere, adeò vt in omnibus precibus hoc excipiant, nisi fecerit ad Dei gloriam, se nolle exaudiri. 2. Vbi vigeat vera Dei laus? In Ecclesia Dei. Nam apud inferos nemo confitebitur nomini tuo, &c. 3. Per quem rectè laudetur Deus? per Christum, nam organum est, per quod Deus omnia nobis largitur, & per quem nos vicissim ad Deum ascendimus. Ἐν accipio posteriori loco pro διὰ 4. Temporis ratio addita est, quo docetur in hoc mundo semper fore homines pios, qui Deum ritè colant & inuocent. Ideo semper Ecclesia habebit aliquod hospitium, qualecunque tandem sit, & in hac semper durabit vera inuocatio. *Per omnia secula seculorum*, hoc est, ad finem vsque huius mundi corruptibilis.

Hactenus disseruit de Dei in nos beneficiis, nominatim in nos Gentes. Deinde quòd nihil tale merentes in nos talia contulerit. Tertiò hanc doctrinam constantia semper esse tuendam.

CAPVT

CAPVT. IIII.

PARS TERTIA, DE OPERIBVS RENATI HOMINIS.



ABSOLVIT hactenus locum principalem de beneficiis Dei Patris, quæ in Filio suo nobis exhibuit, eáque longa expositione enumerauit, & ad Ephesios pertinere eam docuit. Tandem quod præcipuè in his spectauit, ad constantiam huius sanæ doctrinæ est cohortatus. Argum. cap. 4.

Nunc subiicit doctrinæ de fide, locum de operibus renati hominis, ne fidei quodam inani simulachro decipiantur homines. Quoties enim audimus fidem nominari, homines prophani opinionem quandam & notitiam historicam sibi fingunt, quæ secreta sit à bonis operibus. Hoc spectrum diligenter cauens Apostolus, subiicit fidem operosam esse oportere, & illustrem multis hísque bonis fructibus. Hanc rationem docendi seruauit in Epistola etiam ad Romanos, vt post expositam rationem fidei subiiceret cap. 12. doctrinam operum. Sic ad Galatas capite 5. ver. 13. eandem incipit explicare. Πρόθεσις est. Renatorum est imprimis operam dare, vt vocationem suam vita ac moribus in omni virtutum genere exornent. Propositio.

Partes plures sunt, quia contra diuersa agit vitia, & contrà ad diuersas hortatur virtutes. Initio autem commendat nobis pluribus argumentis concordiam & studium pacis. Deinde generatim de moribus veteribus deponendis, ac de nouo vitæ genere assumendo disputat. Inde ad specialia descendit vitia, ac contra mendacium disserit. Hinc paucis de ira vitanda, de furto, de turpiloquio. Hinc generali συλλήψει comprehendit vitia præcipua, his opponit virtutes quæ ad hanc considerationem pertinent. Atque hæc sunt de quibus hoc cap. 4. agitur. Quinti & sexti capitis locos, suo videbimus tempore. Partes.

1. *Hortor igitur vos.*

Initium sumit à propositione noua, quæ ex superioribus ordine fluit, ideo vsus est particula οὖν significans veram fidem necessariò subsequi bona opera, ad quorum studium deinceps cohortabitur. Sententia propositionis est, Ephesij imprimis curare debent, vt fidei professionem bonorum operum studio ornent. παρακαλῶ accipio pro hortor, quia maior est emphasis hortantis, quàm rogantis. Deinde quia oratio est argumentosa. Eo sensu suprà dixerat αἰτοῦμαι capite tertio, versu decimo tertio. Argumentum addit à sua conditione. Ego vinctus hoc iubeo, scilicet in eadem causa ornans professionem meam. Quia enim me Deus vocauit ad pericula subeunda pro vera confessione, id præsto constanter. Vt igitur in aduersis à me ornatur mea statio, sic in secundis à vobis est ornanda. Admonemur in vtraque fortuna semper respiciendum ad id vt vocationi nostræ simus ornamento. Sic enim gloriabitur Deus pater, per nos, qui in cælis est. Addit autem differenter ἐν κυρίῳ, quia non statim quælibet vincula laudem merentur. Quia causa martyrem Christi facit non supplicium. Ideo Christi vinctus sum inquit, hoc est, in causa Christi & illius confessione. *Dignè ambulare*, est fidem ornare re ipsa, bonis moribus. Dignitas illa primùm ad Deum refertur, quia vt benefactor dignus est, vt illius nomine præstemus constantiam in confessione, eámque ornemus dignis operibus. Deinde ipsa vocatio digna est hoc ornamento, quia ad cælestia & magna vocamur bona. Vocatio est ipsa professio, quam confitemur. Christiani à Christo dicimur, curandum igitur vt re ipsa quod dici & videri volumus simus. Vocatio hæc generalis est. Alia verò specialis dicitur, in qua singulis suo loco committitur statio, quemadmodum in bello videre est, quum militibus distribuitur ordo stationum in excubiis & vigiliis contra hostes, quæ singulis quoque diligenter est tuenda. De ea loquitur 1. Cor. 7. v. 20. vbi loquitur de vocationibus non temerè deserendis aut etiam perturbandis. Causa facit martyrem non pœna.

2. *Cum omni.* Propositionem positam ἐκθέσει illustrat à causis conseruantibus concordiam. Ostendit enim præcipuas virtutes quibus vocatio nostra imprimis ornatur. Primò enumerat ταπεινοφροσύνην, quæ est virtus de se moderatè sentiens. Et potest esse in magnis virtutibus aliis, vt sapientia, fortitudine, constantia, eruditione, opibus, boni viri est ταπεινοφρονεῖν, hoc est, de donis illis quoad se moderatè sentire, ne efferatur, aliósque contemnat. Aliud est ταπεινῶσις. Deinde addit πρᾳότης, mansuetudo, quæ virtus est reprimens iracundiam, & animi impetus frænans. Tertiò, μακροθυμία, longanimitas, virtus differens libenter pœnas & vindictæ studium. 4. Dilectio quæ omnia in meliùs interpretatur. His virtutibus imprimis dignè ambulemus vocatione nostra. Et si ad consequentia referas, causæ sunt conseruantes concordiæ. Vbi enim dominatur modestia vbi regnat mansuetudo, vbi lenitas, vbi dilectio, fieri non potest quin cõcordia seruetur: at vbi istæ virtutes desunt, succedit pestis mo- 1. Modestia. 2. Mansuetudo. 3. Longanimitas. 4. Dilectio.

rum & fidei, ipsa contentio etiam de rebus interdum friuolis, vt testatur experientia.

3. *Studentes seruare.*

Specialis hîc ponitur propositio, de seruanda concordia & consensu in Ecclesia.

4. *Vnum est corpus.*

Confirmatio. Vnum corpus. Κατασκευὴ est propositionis specialis. Ostendit enim cur concordia sit nobis seruanda: primò, quia vnum est corpus, scilicet Ecclesiæ Christi, hoc est, tota Ecclesia vniuersalis, vnum est corpus consentiens, cuius cùm velitis esse membra, consensus erit seruandus, ne alterius cœtus potius quàm Christi corpus videamini membra. Vide 1. Cor. 12. v. 12. 13.

2. Vnus spiritus. II. *Vnus est etiam spiritus*, regens vnitatem corporis, hoc est, consentiens sibi est, non dissentiens Spiritus sanctus, igitur concordia non est rumpenda, nisi alieni ab illo Spiritu velitis haberi, 1. Cor. 12. ver. 13. Non placet hîc πνεῦμα accipere pro anima ψυχὴ, vt est Act. 4. v. 32. Multitudinis autem credentium anima vna erat, hoc est, consensus animorum summus quasi vna anima, vnúsque homo haberi possent.

3. Vna spes. III. *Vna etiam spes.* quasi dicat, qui ad vnum scopum collimant, non possunt non concordes esse, vos id facitis quia idem speratis, ergo, &c.

4. Vnus Dominus. IIII. *Vnus est Dominus.* A relatiuis argumentari voluit. Eiusdem domini serui concordiam alere debent, nisi heri iram in se voluerint prouocare. Vos omnes electi vnius Domini estis serui, ergo, &c. Dominus Christus est.

5. Vna fides. V. *Vna fides.* Obiecto scilicet Christo Messia in vnum credunt omnes sancti. Ideo sancti ante legem, sub lege, & nos post legem eandem finem amplectimur, quoad fundamentum Messiam Christum. Ideo Christus dixit Abrahamum vidisse diem suum, & gauisum fuisse. Ioan. 8. 56.

6. Vnum bapt. VI. *Vnum baptisma*, hoc est, initiatio religionis. Nam baptismus, tessera est quæ ab aliis Gentibus segregamur, quasi dicat, qui paria habent authoramenta, & eiusdem ducis gerunt insignia, debent consensum alere, vos omnes, &c. ergo, &c.

7. Vnus Deus. VII. *Vnus Deus & pater omnium.* Iterum relatiuè infert. Vnius patris filij debent consensum alere in re domestica. Electi omnes Dei Patris sunt filij, Ergo, &c. Dissentio fortè tolerari posset in diuersorum parentum liberis, sed gemini fratres imprimis concordia commendabuntur. Et quia hîc Patris fit mentio, speciosè illum nobis commendat, ne videamur abiecti Patris filij, *Qui est*, inquit, *super omnia*, mero scilicet imperio præditus. 2. *per omnia* efficax, scilicet suo Spiritu agente etiam in reprobis. 3. *in omnibus vobis*, ad salutem scilicet. Sic plenum imperium omnibus creaturis superiorem facit. Vis agendi ad omnium conseruatorem, Vis autem salutis ad solos electos pertinet. Sed possunt eadem verba masculinè per omnia accipi, vt in singulis membris repetatur pronomen ὑμῖν. Est supra omnes vos, per omnes vos operatur, in omnibus ad salutem propriam efficax est, quo sensu magis vrgebit consensum.

7. *Vnicuique autem.*

Occupatio est de donorum diuersitate. Cùm enim omnia ad vnitatem retulerit, mox occurrit donorum diuersitas, ac dicere poterant, mirum igitur quòd non vnum sit etiam omnium donum, vt plenè in omnibus vnitas consisteret: respondet Apostolus diuersitatem donorum non facere ad dissidia alenda, sed potius ad totius Ecclesiæ consensum, quemadmodum in vno corpore multa & diuersa membra non dissidens sed consentiens efficiunt totum corpus. Vide Rom. cap. 12. v. 6. Χάρις hîc est χάρισμα, qua voce ad Romanos capite duodecimo vsus est. Et μέτρον mensura, hoc est, modus discrepans donorum, quæ aliis pauca, aliis magna sunt data dona, vt fit in geometricis mensurarum proportionibus. Itaque inæqualitatem hîc libenter fatetur. Author donorum est Christus, quia per hunc omnia largitur nobis, quia in illo solo est placatus nobis.

Diuersitatem donorum non facere ad dissidia alenda.

8. *Quare dicit.*

De donorum authore, hoc est, causa efficiente loquitur, ac citat locum ex Psalmo 68. in quo est epinicion victoriæ Christi. Explicat autem diligenter mentem Psalmi, quòd non de alio quàm Christo debeat accipi. *Captiuam duxit captiuitatem*, hoc est, victorum more & triumphantium, hostes & turmas captiuorum duxit. Vide apud Liuium triumphum Lucij Pauli Æmilij descriptum Decadis 5. lib. 5. De Christo sic loquitur Psalmus victore. Hostes erant Satan, mors, peccatum, infernus. Deinde, *suis subditis dona diuisit*, vt fit in publica lætitia triumphi, imperatores suis ducibus & militibus de spoliis hostium largiuntur, addunt conuiuia, aliáque lætitia publicæ argumenta.

Psal. 68. de Christi triumpho accipiendus.

9. *Cæterùm illud ascendit.*

Explicatio est oraculi citati, quasi dicat, Dauid saltem de victoria Christi ascendentis ad cælos locutus est, sed nosse etiam conuenit eundem priùs descendisse ad nos in terram, vt illic ascendere posset. Id colligit Apostolus eruditè ex mutuo respectu. Nam qui sit ascensurus

ſurus ad loca ſuperiora, oportet vt prius ad inferiora ſeſe conferat, quorum reſpectu alia ſint altiora ad quæ eſt aſcenſurus. Infimas partes terræ ſimpliciter accipio pro terra, quaſi dicat, λόγος filius in terra obambulauit aſſumpta carne humana viſus vt homo. Alij de deſcenſu ad inferos interpretantur, ſequentes Origenem. Non eſt impia ſententia, ſi commodum habeat interpretem. Sunt tertij qui de incarnatione præciſè accipiant, quia Pſalmo 139. Dauid inquit ſe formatum in inferioribus terræ, hoc eſt, vtero matris ſuæ, ſic Chriſtus deſcendit in infimas terræ partes, hoc eſt, in vtero virginis aſſumpſit ſibi puram carnem in qua nos redemit.

10. *Qui deſcendit.*

Coniungit duas actiones diuerſas in vna perſona Chriſti, hoc eſt, victoriam in reſurrectione contra hoſtes, & triumphum in aſcenſione ad cœlos. Idem eſt, inquit, Chriſtus qui deſcendit, hoc eſt, in carne pro nobis eſt paſſus, & idem qui aſcendit ad cœlos ſpecioſo acto triumpho. *Supra omnes cælos*, hoc eſt, ad lucem illam inacceſſam, & indicibilem maieſtatem gloriæ diuinæ, vt impleret omnia, τελικὸν eſt αἴτιον aſcenſionis Chriſti, vt corpus humanum cælis inferret ad dextram Patris, ex quo expectamus eundem iudicem. Sic Petrus Actor. cap. 3. verſ. 21. dicit Chriſtum quidem debuiſſe cælum accipere, vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Nec inde efficitur Chriſti corpus iam omnia implere, quia ſecundum aliud Chriſtus omnia implet, ſcilicet ſpiritu ſuo & diuinitate. Poteſt tamen hic etiam eſſe ſenſus, vt impleret omnia, ſcilicet oracula prophetica, quæ de aſcenſione & effuſione donorum prædicta fuerunt. Hac phraſi vtitur Ioan. cap. 19. v. 24. & alibi alij Euangeliſtæ. Itaque ſenſus erit, Chriſtum oportuit etiam aſcendere glorioſè ad cælos, & mittere ſuis dona cælitùs, vt impleret omnia oracula de ſe prædicta. Cauſa finalis aſcenſionis Chriſti.

11. *Dedit alios.*

Cœpit diſſerere de conſenſu, & concordia alenda in Eccleſia, ideo omnia ferè vnitate copulauit. Hinc occurrit diuerſitati donorum Dei, illam iam enumerat, ac mox à fine oſtendit, illam diuerſitatem quoque ad conſenſum ſpectare. Locum de chariſmatibus ſuprà expoſuimus ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. & eiuſdem 14. Ideo hîc minus immorabimur. *Dedit alios Apoſtolos.* Initio de cauſa efficiente, hoc eſt, de authore donorum nos admonet, ipſe dedit ſcilicet Deus per Filium ſuum Ieſum Chriſtum, de quo prius ver. 8.

Deinde ordine refert præcipua dona doctrinæ. Primò, *dedit Apoſtolos*: Apoſtolus à mittendo nomen habet, quia legatione fungitur nomine Dei ad mortalium genus. Ideo eſt perſona immediatè vocata, ad docendum Euangelium vbique gentium, habens etiam teſtimonium Spiritus ſancti, quòd non erret. Ideo tanta fiducia huic Apoſtolicæ doctrinę innitimur, non minus quàm olim Propheticæ, quia ſcimus à Spiritu ſancto impulſos illa & docuiſſe & ſcripſiſſe. Deinde, *alios prophetas*. Prophetæ Apoſtolis inferiores videntur, vel illo quòd non paſſim oberrarent docendo, ſed per certa interualla haberent aliquas reuelationes vel ad politica vel religionis cauſam pertinentia. Tales in Actis Agabus capite vndecimo, & vigeſimo primo. Item filiæ quædam Philippi. Ideò ſuprà capite tertio, verſ. 5. eoſdem Apoſtolis ſubiecit. De prophetia, vide Rom. cap. 12. ver. 6. & 1. Cor. cap. 14. ver. 3. vbi cum linguis per peregrinis confert. Doctorũ varietas. 1. Apoſt.

III. *Euangeliſtas.* Iſti Apoſtolorum erant ſectatores & interdum in certa Eccleſia ſubſiſtebant, docentes & defendentes Apoſtolorum doctrinam. Ideo ſæpe pro ipſo miniſtro verbi accipit, vt 2. Tim. 4. Opus fac Euangeliſtæ, hoc eſt, diligenter & vigilanter doce. Talis fuit etiam Philippus in Act. 21. Aliàs ſcriptorem huius doctrinæ ſignificat. Tales ſolùm quatuor ſunt recepti Euangeliſtæ. 3. Euang.

IIII. *Paſtores*, ſunt qui hodie miniſtri vulgò dicuntur, & olim etiam Epiſcopi. Gregem docebant & litigantes quoque dirimebant vnà cum ſenioribus. 4. Paſtores.

V. *Doctores*, ſcilicet qui in cœtibus ſcholaſticis docerent initiandos, quos poſtea catechiſtas vocarunt, quia catechumenis præeſſent. Vide locum de catecheſi. 5. Docto.

12. *Ad coagmentationem.*

Diuerſitatem oſtendit donorum, nunc conſenſum indicat, idque à fine inſtitutionis. q. d. Deus quidem diuerſa inſtituit, ſed in hac diuerſitate reſpexit communem finem, ſcilicet vtilitatem Eccleſiæ & ædificationem, ergo illa diuerſitas donorum non diſſenſionem, ſed conſenſum potius alere debet. Tria autem commata effert ad eundem finem declarandum. Primò καταρτισμὸς ἁγίων, id eſt, ſanctorum reſtauratio dicitur profectus in melius. Metaphora à luxatis membris deducta eſt, qua docemur officia Eccleſiaſtica, ſingulos quaſi ſuo reponere loco, vti membra mota ſuis ſedibus reſtituuntur. Luxatio facta eſt per peccatum primi hominis, hinc variis modis omnes aberrauimus. Deus verò nos reſtiturus varietatem donorum Eccleſiæ dedit, vt ſinguli ſua haberent media, per quæ ad pœnitentiam vocarentur. Deinde ſubeſt etiam illa doctrina, quòd miniſtris danda ſit opera Conſenſus donorum.

vt hæc dona probè locent, non solùm in docendis auditoribus, sed etiam ne perturbent vocationes, sed singuli diligenter in sua statione perdurent, ne potius luxent quàm luxata curent.

Dona illa esse practica.

Alterum comma est, *In opus ministerij*, ἔργον διακονίας dicitur dum sumus in actione, dum officium re ipsa præstamus. Itaque dona illa non sunt theorica, sed practica. Et meminerimus tum demum rectè fungi officio cùm sumus ἐν τῷ ἔργῳ διακονίας. Διακονία genus est omnium functionum in Ecclesia, ἔργον illarum actio propria secundum quam differunt, sine consentiunt.

Tertium est, *In ædificationem corporis Christi*. Hic vltimus est finis donorum in hac vita, certa nimirum & euidens Ecclesiæ vtilitas, quam nisi obtineamus, præstabat nos in cœtu auditorum manere, & aliis docendi munus relinquere. Porrò corpus hoc prius vnum dixit, itaque vniti illius corporis consensus curandus est per dona illa, non dissensio.

13. *Donec euadamus.*

Donorũ diuersitatem non perpetuò duraturam.

Dixit de fine, iam de duratione etiam admonet, quasi dicat, hæc diuersitas non semper durabit, sed ad conditionem huius vitæ est instituta, quæ cum mundo hoc aliquãdo terminanda cùm sit, diuersitas etiam donorum finietur. Vnitatem fidei accipio, plenũ illum consensum totius Ecclesiæ, post iudicium nouissimum, quando reuera vnum erit ouile & vnus pastor. Ideóque vna solùm fides, etiam in externis moribus sanctorum, cùm iam infinitis modis discrepemus, quò facit verbum καταντήσωμεν, quo indicat vniuersalem sanctorum restitutionem, & occursum, quando rapientur obuiam iudici filio Dei. Idem est ἑνότης τῆς ἐπιγνώσεως, id est, vnitas agnitionis Filij Dei. Significat enim tum demum plenam nos habituros filij Dei cognitionem, quia coràm de facie cognoscemus omnia, quę hîc vix per ænigma & vmbras, aut in speculo, vt Apostolus ait, contemplamur. Itaque quod ait, *in vnum perfectum*, eodem sensu accipio, quia tum deponemus infantiles istos sensus quibus hîc laboramus. Et reuera τελειότης tum demum obtinebitur. In hac imbecillitate perpetua laboramus imperfectione, in qua tamen sunt gradus, in quibus qui plurimùm promouent, perfecti dicuntur, vt qui omnibus posthabitis soli Deo se toti mancipat, adeò vt pro veritate non dubitet vitam deserere. Sic Christus dixit suis, Estote igitur perfecti, quemadmodũ Pater vester in cælis perfectus est. (Mat.5.48) Attamen reuera nulla est hîc perfectio, illic eam planè consequemur: suauis autem est metaphora viri perfecti, quasi dicat, hîc perpetuò sumus pueri, totáq; hæc vita infantiæ est, respectu illius beatæ vitæ. Simili phrasi vtitur 1. Corinth. cap. 13. vers. 11. Dum puer eram, vt puer loquebar, vt puer sentiebam, at iam factus vir aboleui ista puerilia. Itaque multò rectiùs tum abolebuntur illa puerilia in quibus iam semper hæremus. Hæc mihi simplicissima & verissima videtur sententia, singuli tamen suo abundant iudicio. Porrò quòd addit, *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*, hoc idem describit. Significat enim planè perfectos & omnibus numeris absolutos ad vitam æternam resurrecturos, idque ostendit exemplo Christi, ad cuius perfectionem nos quoque reformabimur. Manebit ipse quidem in summo gradu maiestatis diuinæ, nostra verò corpora ad illius corporis formam perfecta reddentur.

Non ignoro quàm varia hîc sunt interpretum iudicia, quæ piget referre. Vide Augustinum de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 15. vbi præcisè ad ætatem Christi refert, quòd nimirum eadem ætate, hoc est, in ipso flore resurrectura sint corpora nostra, qualis est in homine flos circa annum ætatis 33.

14. *Ne simus amplius pueri.*

Sunt ista vera quædam illatio fluens ex prioribus, quasi dicat, Itaque par est ne simus amplius pueri, vt scilicet hactenus fuimus, móxq; subiicit suaues metaphoras, quibus priorem vitæ conditionem describit, quæ fuit ante conuersionem. Ostendit autem summa inconstantia laborasse nos prius, hoc enim est κλυδωνίζεσθαι, ferri instar arundinis ad quemuis venti flatum & περιφέρεσθαι, vt folia, lana, & similes res leues. Ἄνεμος διδασκαλίας, est spiritus erroris, qui operatur efficaciter in filiis incredulitatis, à quo vitio procul debent abesse renati homines. Reliqua postea formalia sunt, mores enim & ingenia inconstantium describunt. Κυβεία fraus est in alea, in qua collusores miris vtuntur technis ac strophis ad fallendum collusorem. Sic πανουργία fraudes mercatorum exprimit, qui & ipsi in emendo & vendẽdo non abstinent à fraudibus. Μεθοδεία peruersa est via, ideo erroris propriè est, quod hîc etiam adiecit infrà cap. 6.

15. *Veritatem autem.*

Sola veritatis professio constans nos vnit Christo.

Ab inconstantia professionis deterruit, nunc ad contrarium inuitat, hoc est, veritatis & candoris studium. Additum est nouum argumẽtum, quia sic crescemus solùm in caput nostrum Christum, hoc est, illi copulabimur, quasi dicat, Sola veritatis constans professio nos Christo vnit, igitur huic soli inuigilandum intermissis aliis fraudibus.

16. Ex

16. *Ex quo omne corpus.*

Fecit mentionem capitis, nunc correlatiuè ostēdit quomodo huic capiti cōiungamur. Et πᾶν σῶμα accipiamus totā Ecclesiam militantē, cuius altera pars iam in cælis triumphās est.

Hoc igitur corpus, hoc est, Ecclesia militans coagmentatur & conglutinatur per omnes cōmissuras, hoc est, indiuiduorum accessione, quæ singula sua habent dona, per quæ vocentur, ad Ecclesię vnionem. Sunt autem illa μέτρα Geometrica, h.e. imparia, quia hic vnum, alter duo, alius tria accipit talenta, singulis tamen danda opera, vt ad salutem his vtatur. Obseruandus hic diligenter geminus donorum finis. Prior ad totam Ecclesiam refertur quam debemus accessione nostra augere & ornare, quod est, αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖν. Duplex donorū finis. 1.

Alter finis ad nos refertur, vt nos ipsos ædificemus, hoc est, ne aliis tantùm sonemus, sed ad nos conuertamus nostram institutionem, in quo hodie frequenter peccamus. Aliis enim concionamur, nobis minimè, vt Mercuriales statuæ aliis viam monstrant, quam ipsæ nunquam ingrediuntur. Vt campana auditores conuocat ad audiendum verbum Dei, ipsa nunquam auditura. Caueamus nos ne talia simus organa, quæ solùm aliis, sibi autem nunquam seriò prosint. 2.

17. *Hoc igitur dico & testor.*

II. Locus huius capitis, in quo de tota vita Christiani hominis agit. Ideo à specie ad genus transfert orationem. q.d. non solùm concordiæ debent esse studiosi homines renati, sed de omni sua vita emendanda ac moribus corrigendis diligenter cogitare debent. Ad propositionem pertinent illa verba, μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν, καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ. Sensus est, non debetis more nondum renatorum, sed iam renatorum imprimis ad exemplum Christi vitam accommodare. Περιπατεῖν de tota externa conuersatione dicitur. Sic ad Col. cap. 3. vers. 7. dicitur, In quibus olim ambulabatis, quum viueretis in eis. Et Romanorum cap. 8. dicitur secundum carnem ambulare, cui opposita est ambulatio secundum Spiritum, ibidem. Et ad Gal. cap. 5. vers. 16. Dico autem Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis nolite perficere. Itaq; ambulare vt Gentes, est viuere more nondum renati hominis. Et quia Ephesij ex gentibus erant conuersi rectè illos prioris vitæ admonet, cùm interim ex Iudæis infiniti quoque sic viuerent. Nam particula μηκέτι ostendit eos aliquando sic vixisse, nunc verò assumendos alios mores. Præterea exemplum Gentium dissimilium exhibet argumentum, quasi dicat, illæ sic, vos autem non ita. Luc. cap. 22. ver. 26. Vos autem non sic. Valet argumentum à dissimili, nondum renati sic viuunt, ergo piis in Christo sic viuendum non est. Deinde obseruetur genus dicendi, λέγω καὶ μαρτύρομαι, Dico & testor. Ad Galatas verbo λέγω ἐκθετικῶς, vt cap. 4. vers. 1. & cap. 5. vers. 16. sed hîc καταφατικῶς ἢ κατηχητικῶς ponitur habens vim obtestationis, & magnæ asseuerationis. Ideo alterum adiunxit μαρτύρομαι, quasi dicat, *das sag ich vnd bezeuges by der vvarheit.* Sic Dominus Christus in re seria vsus est phrasi, Amen amen dico vobis. Ad Gal. cap. 5. vers. 2. & 3. λέγω καὶ μαρτύρομαι in simili significatione posuit, attamen diuisim. Ambulare vt Gentes quid sit.

In vanitate mentis suæ. Hactenus proposuit, nunc vitam illam gentilem à qua dehortatur depingit suis natiuis coloribus. Plurimum enim referebat scire qualis esset ille status & conditio vitæ nondum renatorum. Primùm illæ viuunt in vanitate suæ mentis, hoc est, suis insomniis & deliriis fruuntur, quasi propria & natiua insania, cùm renati rebus nitantur solidis, Dei promissionibus, Christi gratia, vitæ innocentia, verisque virtutibus quæ Deo placent in Christo & propter Christum. Diligenter autem notandum accusari ipsam mentem in nondum renatis, quæ cùm fons sit consiliorum & actionum vitæ, non possunt non infecta esse omnia, tanquam ex contaminato fonte prodeuntia. Est enim νοῦς τὸ ἡγεμονικὸν ἢ τὸ λογιστικόν, quæ pars regere debet τὸ ἄλογον, καὶ τὸ μετέχον τοῦ λόγου. Sed in his quid sani sperabis, cùm ipsa ratio gubernatrix corrupta sit? Sed cuius rei accusatur? Vanitatis, ambulant in vanitate mentis suæ. Ματαιότης, significat στέρησιν donorum ac bonorum quæ inesse menti debebant, illa absunt, succedunt in illorum locum diliria & idola quædam, speciem repræsentantia, cùm nihil tale habeant vt à mente debebat venire singularis Dei & viuifica cognitio, desiderium virtutum, amor Dei & proximi, sed absunt, & regnat in mente odium Dei, ignorantia veritatis, &c. Hæc est illa vanitas mentis in qua omnes nondum renati ambulant. Interim sibi docti & sapientes videntur. Qualis sit hominis vita antequā regeneretur. Vanitas?

II. *Obtenebrati cogitatione.* A fonte descendit iam ad riuulos. Διάνοια enim mentis est portio in cogitando & examinando rerum obiectarum pondere posita. Hæc officium suum præstare non potest, quia est obtenebrata, quasi dicat, ex mente vana, διάνοια sequitur cæca. Itaque meræ tenebræ, & caligo perpetua inest cogitationibus nondum renatorum.

III. *Alieni à vita Dei*, hoc est, recta viuendi ratione: ideo damnantur etiam ciuiliter iusti & boni, quia extra Christum adhuc sunt, vt Aristides, Cato, Socrates. Nam moralis

philosophia tum demum integra est, si Christi accesserit agnitio, is enim est via, vita, & veritas. Deinde vita Dei hîc accipi potest de æterna, à qua reuera sunt abalienati, vt suprà dixit cap. 2. v. 12. eos in hoc mundo fuisse sine Deo, & alienos à Rep. Israëlis.

4. *Versantur in ignorantia naturali.*

Naturalis ignorantia etiam in sapientissimis.

Hoc est, de Deo nihil integrum habent quod sequantur constanter. Sic Plato fatetur se in maximis quęstionibus de Deo & mundo fluctuare. Et Cicero se quidem probabilia multa habere, certa autem quæ tutò sequatur admodum pauca. Hæc est illa naturalis ignorantia de vero & vnico Deo, de vita æterna consequenda, & vsu bonorum operum, de dilectione proximi & similibus, qua laborant nondum renati.

V. Πώρωσις τ̃ καρδίας, durities cordis: significat πώρωσις callum qui sensum adimere solet, vt quibus ex continuis laboribus manus occalluerunt, illi non facilè mollia sentiunt. Sic transfertur ad cor, quod durum dicitur, quia ex cæcitate innata non intelligit meliora, nec admittit sana consilia. Eò quum est ventum, deploratum de salute hominis videtur, vt apparet in Pharaone, Iudæis, quibus durities cordis obstitit quò minus sanaretur.

VI. *Dedoluerunt*, hoc est, frontem perfricuerunt, & callum obduxerunt ita, vt cum voluptate & gaudio in omnibus sceleribus viuant, quod est desperantium, *syo haben verruocht.* Hinc alia mala sequuntur, vel sine rubore quiduis loquantur, & perpetrent.

VII. *Tradiderunt se ipsos lasciuiæ.*

Α'σέλγεια est proteruia, impudentia, libido quiduis perpetrandi. Selgæ dicebantur continenter & modestè viuere, hinc ἀσελγεῖν dicuntur, qui alieni essent ab illius Reip. moribus. Quanquam Suidæ collectanea contrarium habeant, vult enim is, α non esse priuans, sed potiùs intendẽs significationem, quasi Selgorum respubl. deploratissima fuerit, vt ἀσελγεῖν dicantur qui nequiter flagitiosè viuant.

VIII. *In operationem impuritatis cuiusuis.*

Hoc est, nihil tam fœdũ dictu est, quod nõ ausint reipsa cõmittere. Impuritas hîc de vita externa intelligatur, vt sint ebrij, scortatores, homicidę, vsurarij. Deinde etiã de sermone, impura illorũ sunt colloquia. Deniq; de cogitationibus, impia alunt de Deo, aliisq; rebus.

IX. *In auaritia.*

Aliàs πλεονεξία studium est pecuniæ, Latinis propriè est auaritia, sed hîc auiditas est, qua certatim impij seipsos in sceleribus nituntur vincere, vt videmus certare inter se vinosos, scortatores, honoris auidos. His demum sceleribus proponuntur sua præmia, & in his quęritur triumphus. Qualia præmia potatoribus constituit Alexander Magnus, Nero cinædis, & nouarum voluptatum inuentoribus.

20. *Vos autem non sic.*

De professione Christiana.

A contrario nunc agit de professione Christiana, qualem in Christi schola pij discunt, non secum afferunt à natura. Sensus est, vos aliam viuendi rationem in Christo didicistis. Christum discere, est illius doctrinam & viuendi rationem discere. Non oportet alienam à professione vitæ rationem sequi, sed illa est aliena, ergo sequenda non est.

21. *Siquidem illum audiuistis.*

Vrget Ephesios in dubium ponendo an verè Christiani sint, quam notam non possunt euitare, nisi diligenter caueant istos mores nondum renatorum, & omnibus modis Christi regulam in vita communi expresserint. Christum audiuisse eos dixit, quum certũ sit Ephesios non Christum, sed Paulum audiuisse. Itaque ministerio suo dignitatem conciliat. Qui enim vos audit, inquit Christus, me audit, Luc. 10. Sed illa regula non ampliùs valet, quàm si Christi verbum proposuerint, non enim amplius Christum audit, qui malum audit doctorem. Meminerint igitur vt maneant serui Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Explicat tamen Apostolus se hîc, cùm addit & in illo instituti fuistis, hoc est, si rectè de Christianismo estis edocti, vtique intelligetis longè alios mores requiri in renatis.

Vt est veritas in Iesu.

Malim hæc verba cum sequentibus connectare, vt sit tale argumentum, quemadmodum est veritas in Iesu Christo, sic oportet vos seriò deponere veterem hominem.

22. *Deponere iuxta priorem conuersationem.*

Iam noui hominis, nouos describit mores, vt superior forma viuendi habeat antithesin. προτέρα ἀναςροφὴ est vitæ ratio quam ante conuersionem sequuntur homines mundani. Nascitur illa regula à natura, & formatur ingenio rationis, ideo dicitur vetus homo, quia tales nascimur omnes natura à primo Adamo corrupti & filij iræ ex corruptis. φθειρόμϵνος autem dicitur, vel dignus abolitione, vel quia regnum Dei hæreditate non potest, vel quia in dies à renatis mortificatur & aboletur, ne regnet in ipsis peccatum. De veteri homine vide Rom. 6. ver. 6. & locos nostros.

Qua ra-

23. *Renouari*, Modum indicat deponendi veterem hominem, scilicet si renouentur in dies

dies magis ac magis in vera Dei agnitione,& bonis moribus,2. Cor.14.v.16.Si exterior noster homo corrumpitur, tamen interior renouatur de die in diem. Et fortasse hoc ipsum est quod dixi 2.Cor.3.vers.18.nos transformari ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν,hoc est,in dies reddi meliores & cautiores.

tione vetus homo deponatur.

24. *Et induere.*

Veteri homini iam manifestè opponit nouum. Dicitur nouus, quia donum est. Nostri enim respectu nouus est & dicitur, quia in nostros sensus prius non peruenit,& in natura nostra est natus,sed de nouo accessit Christi beneficio.

Nouus homo.

II. *Secundum Deum est formatus*,hoc est, ad illius imaginem & voluntatem factus noua creatura.sup.2.v.10.nos dicit conditos in Christo Iesu ad bona opera. Et Gal.6.v.16. In Christo nihil valere nisi nouam creaturam.& 2.Cor.5.v.17.Noua creatura in Christo, ecce vetera abierunt,noua facta sunt omnia.

25. *Quapropter deponentes.*

III. Locus iterum specialis contra mendacium pro veritatis studio. Noua etiam specialis hic statuatur propositio,Homines renati candidè & ingenuè cum aliis agere debent sine fuco & mendacio,hoc dixit deponere mendacium, hoc est, hypocrisin & fucum, quo homines callidi vtuntur ad fallendum. Veritas huic opposita est,hoc est,candor & sinceritas. Vniuersale autem est præceptum omnes ligans vt superiora,ideo ait ἕκαστος. Non igitur mercatores tuetur sua negotiatio, non milites professio, non principes & magistratus dignitas,non Episcopos titulus:summa omnes debent candidè agere.

Κατασκευὴ est,*quia sumus inter nos membra*.Prius de corpore dixit, cuius essemus membra, eiq; caput vnum Christũ præfecit , nunc igitur commodè argumentatur ab officio membrorum,quæ candorem imprimis amant.Sic manus cum pede,pes cum oculo, oculus cum ore,lingua cum manibus,&c. summa ingenuitate & candore agit sine omni fraude, sine mẽdacio:tanta igitur simplicitate & fide inter se & cum aliis renati homines agere debent.

26. *Irascimini & nolite peccare.*

Quartus locus de frenanda ira. De ira vide locos.Hîc obseruetur propositio,scilicet in ira diligenter cauendum est peccatum & cõtinuatio.Itaque ira per se non damnatur,cuius exempla habes in Elia,Baptista, Domino Christo, &c.ille est zelus pro gloria Domini & ipsa veritate.Locus facit contra Stoicorum ἀπάθειαν, qui solebant omnes simpliciter affectus damnare.Contrà,scriptura modos ostendit,quibus ira amor,commiseratio, &c.affectus laudabiles esse possint.Deinde peccatur in ira variis modis, dũ leui de causa irascimur, quando non oportet,quibus non oportet,quantum non oportet. Peccato irasci oportet, idque in nobis ipsis grauiter vindicare.Continuatio autem ideo damnatur,quia dilectioni imprimis repugnat,quæ facilè ignoscit. Deinde quòd causa sit indurationis, hoc est, iram efficit pertinacem. Vult autem nos placabiles, & ad reconciliationem faciles Apostolus, ideo ante solis occasum etiam meditari reconciliationem.vide Psal.4.v.4.

In ira cauendum esse peccatum.

27. *Neque detis locum diabolo.*

Dare locum diabolo est affectibus indulgere, eísque credere. Hoc sensu rectè superioribus connectitur.In ira est vitanda continuatio,quia diabolus eius author est. Sed doctrina contra omnia vitia eodem sensu elici potest. Diabolo non est dandus locus, ergo nullis etiam vitiis tanquam diaboli operibus est indulgendum. Est etiam hic sensus, Ne detis locum diabolo.hoc est,criminatori.q.d. delatori ne facilè credideritis vt dici solet. Susurronem eiicere foras.Hoc enim genus hominum imprimis iræ & contentionum seminaria ponit.Vis igitur animo esse pacatus & irascendo minimè peccare,caueas delatores.

Diabolo non dandum locum generaliter sumendum.

28. *Qui furabatur non amplius.*

Quintus locus contra furtum, ac de honesta viuendi ratione. Furti nomine intelligit omnem iniquam rationem comparandi victum & amictum, quale est primò furtum clàm factum in res alienas.Deinde peccãt hîc grassatores, qui alios spoliant vi,vestes detrahunt, parietes perfodiunt.Demum ipsi latrones,qui cum pecunia vitam adimunt.Omnis talis iniusta viuendi ratio prohibetur furti nomine.Contrà verò honesta est ratio comparandi victum & amictum , *laborare manibus* , hoc est , occupationibus honestis victum quærere, qualis est agricultura,pastoritia vita,artes manuarias exercere,literis incũbere, ingenium exercere,alios docendo,instituendo iuuentutem,&c.Huc facit Domini mandatum,In sudore vultus tui vesceris pane tuo. In præsentia Apostolus addit argumentum à fine quem debemus respicere,vt scilicet possimus potius aliis dare,quàm illis adimere, q.d. Dominus honestis laboribus ita benedicit , vt non solùm te honestè alas, sed habeas quod des indigenti, ergo huc imprimis est incumbendum. Turpe est adimere,beatum autem dare,ideo laborandũ est manibus.Huc pertinet quod dixit Salomon,Beatius est dare,quàm accipere.

Contra furtum.

Gen.3.

29. *Omnis sermo spurcus.*

Spurcitiem sermonis vitandã.

Sextus locus de orationis castimonia. Spurcus dicitur sermo impudicus, lasciuus, quales sunt amatoriæ narrationes. Huiusmodi praua colloquia decet pios diligenter cauere. Peccãt in hoc præceptũ sæpe parẽtes qui audiẽtibus liberis, suos narrãt amores, conatus, quiduis perpetrãdi. Sic peccãt hîc ministri, dum in suggestũ odiũ afferunt, affectus suos produnt, iram, inuidiã, arrogantiã, & similia mala. Vitanda igitur talia sunt. Contrà ostendit Apostolus qualis debeat sermo piorum esse, pudicus nimirũ, & ad ædificationẽ faciens, si enim omnia ad ædificationem fieri debent, vtiq; sermo imprimis, qui δήλωμα est animi nostri. Facit autẽ ad ædificationem, si pios non lædat, castas aures nõ offendat, sed in officio confirmet, pietatem alat, quod est gratiam dare auditoribus, h.e. vtilem esse ad consequẽdam gratiam Dei, vel si sit gratiosus piis auditoribus, quibus nihil placere potest nisi pium & castum.

30. *Et ne tristitia.*

Non esse tristitia Spiritũ afficiendum.

Superioribus illa connecto vt sit argumentum dehortatorium ab effectis. Spurcus sermo lædit Spiritum sanctum. ergo cauendus est. Suprà dixit illum in nobis habitare, & corpora nostra illius esse templa. Rectè igitur hîc argumentatur, non oportere Dominum inhabitantem corpora nostra offendere. Nam offensus emigrat succeditque improbus possessor. Itaq; præstat tacere, nisi vtilia & pudica loqui velimus, quod Greci eleganter dixerũt ἢ σιγᾶν, ἢ λέγειν τὰ καίρια δεῖ.

31. *Omni amarulentia.*

Hactenus species aliquas recensuit, nunc vno quasi fasce omnia damnat vitia in cœtibus piorum. Rectè tales clausulę vniuersales specierum enumerationem concludunt. Πικρία genus est, & altius radices egit, ira quædam inueterata *byt terkeit.* Θυμὸς, subitaneus est motus, furor breuis, qualis apud Latinos est excandescentia. Ὀργὴ commotio animi & sanguinis circa cor efferuescentia. Dictio media est, bona enim & mala esse potest iræ causa. Κραυγὴ effectus est iratorum cùm contentio in rixas erumpit, longius procedit à recto βλασφημία, nam hæc in calumnias & conuitia digreditur. His additur vt genus omnis κακία, quam sic accipio pro quouis peccato, quod ab iratis committi potest. Alij versutiam intelligunt, hoc est, speciem certam peccati, clàm lædentem proximum.

32. *Sitis autem alij in alios.*

Virtutes vitiis oppositæ.

Opponit vitiis virtutes laudabiles, quas in sanctis requirit Spiritus sanctus. Primùm debent esse χρηστοί, h.e. cõmodi & vtiles proximo, faciles ad gratificandum, humani. Ei opponitur φαῦλος, κακὸς, malitiosus. 2. εὔσπλαγχνοι, misericordes. h.e. ad condonandum faciles, remittere libenter offensas. 3. χαριζόμενοι, gratificantes nobis mutuò. h.e. ignoscentes. Explicat enim superiores dictiones. Summa est, pios debere fratribus libenter ignoscere & facilè. Addit argumentũ ab exemplo Dei, qui omnibus ignouit in Christo, ergo nos illius exemplo idem facere debemus, eóq; magis quòd inter nos mutua sit remissio. Nemo enim tam piè viuit, quin aliquãdo alios offendat, ideo ei sit opus alterius εὐσπλαγχνία. Ideo dixit Apostolus, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, q.d. nullus est quin opus habeat interdum proximi remissione. At in Dei exemplo nihil tale. Nos omnes illum offendimus, contrà Deus nos nullo pacto. Ideo quum illius opus habeamus reconciliatione, Deus tamen nostra non indigebat.

CAPVT V.

Argum. cap. 5.



Pergit in doctrina de moribus renati hominis, ac ad varias virtutes nos exhortatur, contrà à vitiis omnibus modis reuocans. Estque diuisum caput ferè in duas partes, quarum prior est ethica ad omnes omnium ętatum homines pertinens. Posterior verò est œconomica, in qua de vita coniugali disserit, quid nimirum vxor marito & maritus vxori debeat, quam rem illustri exemplo Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ illustrat.

Propositio.

Propositio generalis manet, scilicet pios omni virtutum genere professionem ornare debere, & ab omni crimine quàm longissimè abesse.

1. *Estote igitur imitatores Dei.*

Primus locus de facilitate ignoscendi, ad quam virtutem ad finem prioris capitis cohortatus est, exemplo Dei: quem locum iam concludit, sed nouo quodam adhibito argumento à natura filiorum. Filij libenter imitantur domesticas parentum virtutes, vos estis filij Dei, igitur facilitatem ignoscendi in Deo Patre libenter imitari debetis. Maior vera est in filiis genuinis, in quibus virtus locum habet, vt testantur exempla Decij, Scipionis, Thesei & similiũ. Minor vera est ex Apostolo. Itaq; nisi degeneres esse velimus. Dei naturã in hoc imitari debemus. Locus est de imitatione, de quo alibi diximus. Referturis ad duo capita, quid imitemur & quomodo. Prius dicitur archetypus, ad quem actio nostra in imitatione referri debet, vt hîc Deũ imitãdũ proponit. 1. Cor. 4. Seipsum Apostolus proposuit imitandum,

Locum de imi-

dum. Thessalonicenses etiam dixit se imitatores. 1. Thes. 1. v. 6. &c. 2. Ecclesias per Iudæam, sed addit in afflictionibus multis, cùm eadē passi sint à cōtribulibus, quę Iudæi à suis Iudęis. 1. Cor 11. Sui iubet esse imitatores vt ipse Christi, quò restringit imitationē ad certum modum, imitādo scil. ministros & alios sanctos quatenus ipsi Christū imitātur. Id si seruaretur nō tanta regnaret κακοζηλία hodie inter Christianos, qui sanctorū potius vestitū, mores imitātur, quā veras virtutes. Alij miracula conātur exprimere, vt ieiunare 40. diebus, quę naturæ nostræ impossibilia sunt, nō secus quā ambulare super mare, excitare mortuos, &c. Scriptura quoties de imitatione loquitur in Deo, Christo Dei Filio, sanctis certas proponit virtutes ethicas quas exprimere iubet, vt hîc cōdonanti facilitatē, alibi constantiā sub cruce, confessionē veritatis, beneficentiā in pauperes, & similes virtutes. Quod addit vt filij, differentiam notat veræ imitationis. Nā boni filij non facilè imitabuntur vitia parentū, aut suis viribus maiora. Sic Dei filij diligenter obseruabunt, quid in Deo patre ipsis imitabile sit. ratione ad duo referri cap.

2. *Et ambulate in dilectione.*

Secūdus locus de mutua charitate, ad quā priori cap. quoq; cohortatus est, & aliâs sæpè. De dilectione mutua

Propositio specialis. Dilectio exemplo Christi studiosè est exercenda. In qua sententia duo sunt. Prius quòd sit exercenda, h. e. facto declaranda, quod dixit verbo περιπατεῖν. Est enim ἐνεργητικὸν, q. d. non satis est verbis profiteri dilectionem, sed re ipsa declaranda est beneficentia, eleemosynis, cōsilio, re, opera, omniq; modo, quo proximus iuuari potest. Deinde quòd exēplo Christi id debeamus præstare. Exemplum sanè illius notissimum est, & hîc declaratur ab effectis. *Dedit se pro nobis oblationem & victimā Deo.* h. e. pro nobis est mortuus. Elegās mortis est descriptio. Alludit autem ad ritum veteris Testamenti, in quo oblationes & hostiæ frequentes offerebantur pro populi peccatis, placebántque Deo propter futuram filij Dei hostiam, quam adumbrabant προσφορὰ à προσφέρειν, vt Latinis oblatio ab offerendo genus est, cui species est addita θυσία quæ hostiam significat, cuius sanguis effundebatur. Sic filij Dei sanguis expiauit nostra peccata in ara crucis, qua in re summam dilectionem erga nos declarauit. Nam dilectionē maiorem nemo habet, quàm si ponat vitam pro amicis suis, Ioan. 15. illa hostia grata fuit Deo patri. Id dicit *odorem suauitatis.* Nā si Deo grata erat hostia, dicebatur odorari odorem bonæ fragrantiæ, sin minùs, dicebatur Deus se auertere ab illorum sacrificiis. Filij Dei hostia grata fuit, quia semel oblata expiauit suorum peccata, Hebręorum decimo. Porrò non solùm exemplo docuit charitatem, sed præcepto ostendit ad nos id pertinere, Ioan. 13. Nouum mandatū do vobis, vt diligatis inuicē. Idem Ioan. 15. v. 12. Ideo Apostolus 1. Thes. 4. dicit ipsos diuinitùs edoctos scire diligendos se mutuò. Et 1. Ioan. 3. quòd Christus mandarit nobis vt diligamus nos, &c. vide locos. Filij Dei erga nos dilectio.

3. *Scortatio autem & omnis.*

Tertius locus contra vitia quædam. Commemorat autem sex ordine vitia, à quibus nos vult procul abesse. Primùm est scortatio, quod Græcis nomen habet à πέρνω. h. e. vendo. Venalis enim est pudor & ipsum corpus in tali scelere. Ideo meminerimus diligenter grande peccatum esse, quando solutus cum soluta peccat, quia hîc illis comminatur, quæ nos à regno Dei excludunt, vide locos.

Alterum est ἀκαθαρσία, impuritas, genus speciei subiungens. Videtur enim ἀκαθαρσία omne peccatum concupiscentiæ continere nomine libidinis.

Tertium est πλεονεξία, auaritia, de qua paulò pòst grauiùs pronunciabit, illa omnia talia sunt, vt ne nominanda sint inter sanctos, Ergo re ipsa & vsu nullum debent locum habere. Quæ enim nomine turpia sunt. h. e. indigna, piis vsu quoq; fœda sunt. Deinde *sanctos ita decet*, h. e. vt talium scelerum nomina etiam ignorent, ex quo coniice quantum absimus à titulo verè electorū, quū non solùm notissima sint inter nos illa vitia, sed vsu frequentissima.

Quartum turpitudo, αἰσχρότης, hoc est, quicquid officium nostrum dedecet.

Quintum μωρολογία, stultiloquium, quod iudicio pio & ratione caret, fortè quod suprà dixit cap. 4. vers. 29. σαπρὸν λόγον. Idem habetur Col. 3 v. 8. 24.

Sextum εὐτραπελία, vrbanitas, quæ à philosophis inter virtutes recensetur, consistens inter βωμολοχίαν excessum, & ἀγροικότητα, rusticitatem. Sed quia difficile est medium seruare vrbanis, imo multa mentiuntur & fingunt, ideo pro excessu sumitur. Nam peccat hoc vitium non solùm fingendo, sed quia aliis grauioribus vitiis viam sternit vt scortationi, ebrietati, homicidio & aliis, quæ vrbanitate sua conficiunt faceti isti εὐτράπελοι. Ideò rectè dicitur à Chrysostomo, λόγοι τῶν πραγμάτων ὁδοὶ, Sermones aditus sunt ad res ipsas. Ideo Christus agrestes præfert & rudes, qui in defectu peccare videntur, minus enim à medio dissident. Et nos simus viciniores defectui quàm excessui, vt in proportionibus medius numerus vicinior est minori, non maiori, vt 3. 6. 12.

His nouum additur argumentū, *quæ non decent*, τὰ ἀνήκοντα, h. e. non decent sanctos omnia scil. commemorata, & ipsa etiā εὐτραπελία indigna est pio viro, ergo vitanda. Contrà in san-

ctorum cœtibus audiri debet εὐχαριστία, h. e. preces, in quibus ſemper locum habet εὐχαριστία, orandi ſemper eſt materia, ſi reliquis virtutibus nō ſit locus. Infr. v. 20. idē & Col. 3. v. 17.

5. *Nam hoc ſcitis quòd omnis.*

Vniuerſalis regula contra omnia vitia. Vniuerſalis regula contra commemorata vitia, qua naturam illorum pleniùs proponit, vt quàm fœda ſint omnes ſciant. Primùm conſtringit eos propria notitia & conſcientia. Renati norunt peccatorum iſtorum naturā, igitur debent illa ſtudioſè fugere. Deinde exprimit hāc naturam, quæ eſt excludere à regno Dei. Argumentū eſt ab effectis. Quæ tantis bonis ſpoliant, diligenter ſunt cauenda, ſed iſta vitia his ſpoliant, ergo, &c. Quę autem ſint, paucis indicat, ſcortatio, impuritas, auaritia, & his ſimilia. Nam iſta non ſunt ſola huius naturæ. Obſeruandū hîc, quòd auarus dicitur idololatra. Coloſ. 3. auaritia idololatria eodem ſenſu, quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Chriſto teſte. Ideo cùm auarus ſeruiat opibus, quaſi idolum habet, & præſidia vitæ in eis collocat neglecto Deo. Denique expende hîc quando dicat in regno Chriſti Dei, quaſi differentia ſint & aliud Chriſti, aliúdque Dei regnum. Sed idem eſt regnum, tempore differens. In hac vita Eccleſia eſt regnum Chriſti, quia illius Spiritu, miniſterio, ſacramentis, diſciplina regitur. In futura autem vita dicitur regnum Dei, quia illic miniſterio, ſacramentis, diſciplina, vt à Chriſto ſunt inſtituta, non erit opus. Et Chriſtus ipſe omne regnum tum tribuet Deo patri, vt ſit omnia in omnibus, &c. Itaque nihil eſt quod hîc Trinitarij ſuffugia quærant. 1. Cor. 15.

6. *Ne quis vos decipiat.*

Quartus locus contra vanitatem ſermonis, ſpecialis admonitio. Sunt enim pij columbinis moribus & ouino ingenio præditi, hoc eſt, ſimplici, ideo deceptioni videntur expoſiti. Admonet igitur vt caueat vanitatem ſeductorum. Κενοὶ λόγοι primùm ad doctrinam referri poſſunt, qualia erant tempore Apoſtolorum, quod quidam docebant reſurrectionem iam eſſe factam. Alij Chriſtum venturum ad iudicium viuentibus adhuc Apoſtolis, contra quod diſſerit 2. Theſ. 2. Item de quo inquit Chriſtus Marc. 13. Hîc eſt Chriſtus, illic eſt. Sic vanitas eſt omnis falſa doctrina in religione. Deinde κενοὶ λόγοι dicuntur fabuloſi ſermones inepti & leues, nugatoris & qui corrumpunt bonos mores, colloquia praua, de quibus hîc imprimis admonere videtur, ſignificans caſtos mores non poſſe retineri, niſi caſti ſint & pudici piorum ſermones. Ratio additur quæ hunc etiam ſenſum videtur approbare, *propter hæc enim venit ira Dei ſuper filios incredulitatis*, hoc eſt, Deus impudicos ſermones ſolet ſingulariter punire. Nihil perinde Deum offendit, ac impudens oratio, exempla huc referantur ex hiſtoriis. Filij incredulitatis. Filij incredulitatis dicuntur contumaces & rebelles, qui ad diuinas admonitiones aures occludunt, vt Sodomitæ fecerunt, prior mundus diluuio perditus, Saul, Iudas ſimileſque omnes nullis admonitionibus corrigi potuerunt. Itaque ſubſecuta eſt ira Dei, hoc eſt, certa pœna. Sic Arrius punitus eſt & alij.

7. *Ne igitur ſitis.*

Concluſio. Συμπέρασμα argumento à pœnis ſumpto, ſubiectum. Impudicos ſermones ſequitur morum corruptela, hāc contumacia in ſceleribus, hanc excipit Dei ira certis pœnis, ergo impudici ſermones diligenter piis ſunt cauendi. Eleganter autem dicūtur συμμέτοχοι participes, hoc eſt, conformes moribus. Nam qui moribus impiorum ſeſe accommodant, hi poſtea in pœnis quoque ſunt participes, quod vtrunque hoc verbum ſignificat. Alibi dicitur iugum trahere cum impiis. Nos dicimus *theilhuſt ſyn* tam in pœnis quàm peccatis & moribus.

8. *Eratis enim olim tenebræ.*

Quintum locum ſuperiori concluſione ingreſſus eſt, de vitæ & morum innocentia conſeruanda, ne impiorum exemplo à propoſito vocentur pij. Hanc generalem ad virtutes ſententiam & dehortationem à contagione morum impiorum, nunc pleniùs confirmat. Itaque hîc ſtruentur argumenta propoſitionis, ſic enim res erit dilucidior.

Primum argumentum à priori genere vitæ, per antitheſin confirmatum. Ante conuerſionem ad Chriſti fidem ſic viuebatis, ergo iam conuerſis non licet ampliùs ita viuere, ſed iam vt lucis filij innocenter debetis ambulare. Simile argumentum eſt ad Col. cap. 3. Rom. 6. Σκότος opponitur φωτί. Tenebræ ſunt prior vita ante conuerſionem, ac ſignificat ipſam veritatis ignorātiam cæcitatem innatum, caliginem mentis de Deo rebúſq; diuinis, vt Eſa. 9. Populus qui ſedit in tenebres, & vmbra mortis, lux magna orta eſt ei, hoc eſt, ignaris veritas illuxit. Deinde quia hîc agitur de morum corruptela, rectè dicuntur tenebrę, ipſa conuerſatio praua, mores corrupti, petulantia vitæ, q. d. olim in omni genere ſcelerum viuebatis, ebrij, adulteri, ſcortatores, periuri, auari, &c. at iam non licet ita. Hinc opera tenebrarum mox vocabat ipſa ſcelera & vitæ corruptos mores. φῶς noua vita eſt renatorum, quaſi dicat, iam illuminatam habetis mentem veritatis notitia, oportet ergo mores quoque renatos eſſe. Nam debent profeſſioni reſpondere. Quid per tenebras intelligat.

9. *Nam fructus ſpiritus.*

Alterum

Alterum argumentum ab effectis Spiritus sancti, qui sunt propriè virtutes. Fructus significat effecta honesta, h. e. bona opera, vt Ioan. 3. Facite fructus dignos pœnitentia. Sic Gal. 5. fructus Spiritus enumerantur, hoc est, virtutum opera. Hic reducit ad tres generales virtutes, quas alibi diffusiùs persequitur. Sic philosophi ad quatuor cardinales reduxerunt.

10. *Probantes quid sit.*

Tertia ratio à studio piorum, quorum proprium est sese Deo approbare quoad fieri potest, vt filij boni qui in omnibus obseruant parentum voluntatem, nec ab illa scienter recedunt. Eiúsque forma per quã corruptelam morum possint facilimè & expeditissimè vitare.

11. *Et non.* Quarta ratio à natura scelerum quæ sunt ἔργα ἄκαρπα. h. e. opera sterilia. Ἄκαρπον hic dicitur id quod præmio boni destituitur, quod laude & remuneratione caret, sed potiùs Dei incurrit indignationem & pœnas. Alioquin nimium ferax est & fructuosa vitiorum seges, sed euentus tandem docet sterilia esse, quia vitam non quærunt, sed mortem. Quinta in eo est versu, *Sed potius redarguite.* q. d. morum contagio, non solùm vitanda est, sed etiam passim ab omnibus traducenda. Non solùm impij non sunt imitandi, sed illorum mores taxandi. Itaque peccant ministri moribus corruptis conniuentes. Deinde auditores etiam qui vitia non obiurgant. Amici in amicos etiam dum illorum peccantis indulgent. Apostolus enim vult mores tales ab omnibus reprehendi, & si sapiant vtique diligenter reprehensores. Et Prouerb. 9. dicitur. Argue sapientem & diliget te, sin impij maneant, saltem nos excusabiles erimus coram Domino. Opera sterilia quo sensu.

12. *Nam quæ occultè.*

Sexta ratio à fœditate morum in impiis. Tanta est fœditas impiorum, vt castis auribus explicari nõ possit, ergò studiosè cõtagiũ est vitandũ. Quis. n. ferat nominari quę inter se cinędi patrãt, quid adulter, quid scortator, quid bestialis, quid fures, latrones, grassatores, ebrij?

13. *Hæc autem omnia.*

Septima ratio ab euẽtu. Omnibus hęc vita flagitiosissima tandẽ detegẽda est & traducẽda summa cum ipsorũ ignominia & turpitudine, ergo studiosè est cauẽda sanctis. Hic mihi sensus placet. Sic 1. Cor. 3. Cuiusq; opus quale sit manifestabitur. 1. Cor. 4. Manifestabit consilia cordiũ. 2. Tim. 3. Insipientia illorũ erit manifesta. Eundẽ sensum his verbis tribuo, nisi quòd hìc additur causa manifestans, h. e. lux ipsa veritatis, quæ latebras scelerum olim reteget, in nouissimo scil. iudicio. Interim multorum flagitia in dies deteguntur, vt quales sint omnibus constet. Ideo τὸ φανερούμενον accipio actiuè, hoc est, τὸ φανεροῦν, quod proprium est lucis. Omnia vitia manifestanda.

14. *Quapropter dicit.*

Illatio est rationibus subiecta. Ac nititur nouo argumento à pronuntiatis sumpto. Deus in tota scriptura veteris Testamẽti exigit emendationem morum in melius, & conuersionem ad filij agnitionẽ, igitur emẽdatio hæc studiosè est amplectenda, & contagio fugienda. Quod sit illud testimonium ad quod hìc respiciat vix certò dici potest. Alij ex Esa. 60. cap. alij 26. proferunt verba, sed non satisfaciunt huic loco. Mihi placet Hieronymi sententia à Spiritu sancto addita esse per Paulum. Mentem enim & sensum Scripturę loquentis de pœnitentia retinuit, & propriè ad Christum applicuit. Surgere à somno & à mortuis dicuntur peccatores, dum per pœnitentiam corrigunt mores. Ex quo efficitur peccatum, esse somnum & mortem, Christum illucescere, est illius accipere agnitionem, suósque mores pristinos detestari, gratiam Dei sentire, & vitæ æternæ reddi hæredem. Hic gustus veritatis est initium æternæ lucis, ad quam pij paulatim transferuntur.

15. *Videte igitur.*

Repetitio propositionis, ἀκριβῶς ambulandum est piis, hoc est, cautè & circumspectè. Ἀκρίβεια animi est conatus & diligentia, nec ad dextram nec ad sinistram aberrandi à proposito. Hæc diligentia adhibenda est piis in conseruanda vitæ innocentia. Additur argumentum, quia hoc efficit sapientes, aut potius sapientię est propria nota, vt contrarium nota est insipientis hominis. Σοφοὶ accuratè ambulant, nec errent, ne impingant, & se ludibrio exponant. Contrà insipientes passim impingunt & errant. Debent autem sancti circumspecti esse & prudentes vt serpentes, ideò ἀκρίβεια in illis relucere debet.

16. *Redimentes occasionem.*

Decimum argumentum, Si gratis non licebat esse probis, pretio hoc erat redimendum etiam, interim Deus infinitas suppeditat occasiones piè viuendi, has non decet negligere, sed studiosè conquirere, & venari, quod imprudentes non faciunt. Contrà prudentes multis occasionibus fœliciter vtuntur ad vitæ honestatem. Additur huic argumento ratio, cur diligenter obseruãdæ sint rectè viuendi occasiones. *Quia*, inquit, *dies mali sunt*, hoc est, passim infinita pios circumstant pericula. Ac si forti viro dicas, fortiter esse agendum, quia hostes multi & atroces sint. Sic pio dicit, infinitę sunt peccãdi occasiones, ideò cautè est viuendum ne labaris. Vndecima hinc sumatur tractatio à circumstãtia temporis, quod infinitas Rectè viuendi occasiones esse redimendas.

ſuppeditat occaſiones labendi, ergo cautos eſſe oportet. Mali dicuntur dies, non natura, ſed opera Satanæ, ſuſcitantis malas occaſiones, alio tempore plures, quàm aliâs.

17. *Propterea ne ſitis.*

Noua eſt illatio, & additur argumentum duodecimum iterum à natura piorum, quorum eſt proprium ſeſe diuinæ voluntati ſemper approbare. Noua hîc ſunt epitheta oppoſita. ἄφρονες dicuntur impij & peccatores, qui ſe ſuáque omnia perdunt peccando, συνιέντες autem fideles, qui occaſionibus rectiſſimè vtuntur, ad vitam æternam conſequendam. Ita priùs oppoſuit σοφοὺς & ἀσόφους ver. 15.

18. *Et ne inebriemini.*

Contra cōmeſſationes. Sextus locus huius capitis cōtra ebrietatem. Videtur locus hic additus, vt corrigat commeſſationum abuſum, qualis apud Corinthios quoq; fuit, 1. Cor. 11. idē fortè Epheſij retinebant, & in cōuiuio inebriari nō magnū ducebant crimē. Apoſtolus igitur oſtendit qua modeſtia ſit vtendū. Ac vinum nō damnat, donum. n. Dei eſt, homini in bonum cōditum. Lætificat. n. cor hominis, Pſal. 104. ſed immodicū vſum, addit enim, *in quo eſt luxus*, in ebrietate ſcil. Nam vinum medio modo ſe exhibet bibenti, ſi moderatè vtar bonum eſt, ſin immoderatè malum. Itaq; luxus ab vtēte affertur & infertur in vinum. Ideo Ariſtoteles putauit duplo puniendos, qui per ebrietatem peccarent, cum propter vini abuſum, tum propter ſingulare peccatum. Ἀσωτία eſt helluatio, rectè ſic Græcis dicta, quia perdit corpus, animam & bona fortunæ. Itaq; idē Ariſtot. rectè dixit illos peſſimos eſſe, multíſq; ſimul vitiis laborare.

19. *Loquens inter vos mutuò.*

Septimus locus de honeſtis relaxationibus animi & recreationibus. Videtur locus etiam ad conuiuia pertinere, in quibus veteres hymnos deorum, & facta heroum recitabant, quę res variis fabulis fuit confuſa & contaminata. Ideo piis pręſcribit alias cantiones, pſalmos, hymnos, odas ſacras, de quibus alibi 1. Cor. 4. quædam huius argumenti expoſita ſunt. Et Iacob. 5. ait, Si quis læto animo eſt inter vos, pſallat. Pſalmodia vetus eſt inſtitutum, & ſemper in populo Dei floruit, ideo in Eccleſias cantus Eccleſiaſticus eſt admiſſus, honeſto primùm fine, ſed variis abuſibus mox corruptus. Locus ad muſicam pertinet, de qua vide Timæum Platonis, & Ariſtot. polit. lib. 8.

20. *Gratias agentes.*

Muſicæ finis. Finis muſices, laus & celebratio nominis diuini, ſimul forma rectè inſtitutæ orationis, quæ ad Deum patrem debet dirigi per Filium. Is enim eſt per quem ſolùm exaudimur, & omnia à patre luminum accipimus. Extra hunc nemo exauditur.

21. *Subiecti alij aliis.*

Altera pars præſentis capitis de vita œconomica coniugatorum, h. e. qualis vxoris erga maritū, & mariti erga vxorē debeat eſſe conuerſatio. Abſoluitúrq; duplici mēbro. Primum enim inſtituit vxores, poſtea quoq; maritos. Ac hoc quidem verſu comprehenſa eſt προτασις γενικὴ, ſcilicet, pij ſeruato decoro libenter ſibi inuicem ſubiici debent. Súntque duo hîc

1. Mandatum. conſideranda: primùm mandatum, deinde mādati forma, ſeu cauſa. Mandatum eſt, *Subiecti vobis inuicem ſitis*. Subiici accipio pro honore præuenire, vt eſt Rom. 12. v. 10. Eſt enim vera ſubiectio, qua his quibus honos debetur nos ſubmittimus, non ſolùm ſuperioribus, ſed paribus etiam, & quandoque inferioribus, quædā animi facilitas cuiuis ad inſeruiendū parata. Ideo additur ἀλλήλοις, quia in ſuperioribus quoque requiritur, ne ſcilicet ſuperbia & arrogātia tumidi, ſoli videantur ſibi ſapere, alióſq; omnes præ ſe contemnant, ſed diſcant ſe

2. Mandati forma. etiam aliis ſubmittere. Alterū eſt forma præcepti: *In timore Dei.* Significat. n. modum ſubmiſſionis: ſcilicet eam tum demum piam eſſe, ſi Deum in omnibus reſpiciamus, hoc eſt, in inferioribus dona Dei honoremus. Aut ſalua ſemper pietate, q. d. ſubmiſſio nō excedat modeſtæ pietatis limites. Non enim ſcorto ſubiici debet pius vir, nō adultero pia matrona, ſed in timore Dei, hoc eſt, ſalua ſemper pietate. Sed poteſt etiam cauſa impellens hîc obſeruari mandati, vt ſit ſenſus, ſubditus vnus alteri ſit in timore Dei, hoc eſt, quia Deus hoc requirit. Sic Rom. 13. Subditos eſſe oportere docet, nō ſolùm propter iram, hoc eſt, metu pœnarum. ſed etiam propter conſcientiam. Nam Dei ordinatio eſt, vt alij præſint, alij ſubſint, quam ordinationem qui violant, Dei iram in ſe prouocant, & ſuas conſcientias lædunt.

22. *Vxores propriis maritis.*

Ex generali propoſitione format iam ſpecialem. Nam ὑποταγὴ apud Apoſtolum hîc diuiſa eſt in tres ſpecies, ſcilicet in οἰκονομικὴν coniugatorum in πατρικὴν liberorum erga parentes, & tertiò in δεσποτικὴν ſeruorum erga dominos. Prior hoc capite abſoluitur, reliquę duę ſequenti cap. 6. Propoſitio hîc ſtatuatur, Vxores omni reuerentia proprios maritos co-

Coniugatorum mutuum officiū. lere debent, & contrà mariti proprias vxores caſto amore debent amplecti. Hinc duo officiorum genera naſcuntur in matrimonio, prius ad vxorem, poſterius ad maritum ſpectat. Ac quod vxores attinet obſeruetur hîc mandatum Apoſtoli, deinde mandati rationes.

Manda-

Mandatum est, *Vxores propriis viris subiectæ sint*, hoc est, reuerenter colant. Non requirit amorem qui tamen debet adesse, sed subiectionem, quia hoc illis vitij est, vt etiam hæ quæ ardenter amare videntur maritos, attamen dominij sint studiosæ. Sic deinceps in maritis nō requirit vt dominiū sedulò tueantur, sed vt ament vxores, quia in eo videmur plus efficere. Sic prudenter singulis id mandat, in quo plus videtur peccare. Notanter autem addit ἰδίοις, propriis maritis. Non enim concedit illicitam cōuersationem scorti & scortatoris, nec approbat subiectionem scorti, quia non est suus proprius maritus cui subiicitur. Vide sup. 1. Cor. v. 11. de decoro mulieris, Col. cap. 3. v. 18. vbi similia præcipit. Tit. cap. 2. ver 5. Subiectæ propriis viris. 1. Pet. 3. v. 1. idem habetur præceptum.

Sequitur propositionis confirmatio, quò pertinet quod subiicit, *vt Domino*, mandati ratio est, subiici debent vxores propriis viris, vt Domino, hoc est, Deo sic obedientes erunt, q. d. ordo hic à Deo est institutus, ideo viris propriis authore Deo debēt reuerenter subiici, & in viris ipsi Deo subiiciuntur. Contrà quæ maritos contemnunt, & imperium illorū detrectant, ipsi Deo sunt immorigeræ. Cogitent igitur diligenter Deo ipsas subseruire. Confirmatio propositionis.

Altera ratio est, à iure & præstātia viri, *quia est caput vxoris*, h. e. dignitate illā præcedit. Metaphora sumpta à corpore humano, in quo, si singula mēbra respicias, caput facilè singula antecellit, nā in eo sunt omniū sensuum organa, tanquā in arce posita. Sunt enim illic aures, oculi, nares, os, lingua, memoria, ratiocinatio. Itaq; caput pro toto corpore vigilat, sapit, videt, audit, loquitur, prouidet, memoria valet, iudicat, ratiocinatur. Sic vir in humano genere, & in toto luxu pręcellit mulierem. Magna est viri præstātia, quòd dicitur caput. Sed meminerit hic vir, ne sit caput nomine & dignitate tantùm, sed virtutibus capitis etiā præstet, ne sit stolidum & insanum caput, vt opus sit imperio prudentis vxoris cedere, quod sępe accidit, vt plus sapiat costa quàm caput. Et sæpe prudentiores sunt oues ipsis pastoribus, qui rerū ordo inuersus est, & ad ignominiā ministerij & virilis dignitatis cedit. Caput igitur reuera sit, hoc est, alat, vestiat, nutriat, tueatur, instituat in pietate, & similia officia sensati capitis præstet. Hanc rationem illustrat exemplo Christi, qui est simili ratione caput Ecclesiæ, hoc est, gubernatione, tutela, prouidentia & similibus. Vide 1. Cor. 11. ver. 3. Vir caput vxoris.

Tertia ratio est, *Quia maritus est quoque*, σωτὴρ τοῦ σώματος, hoc est, conseruator rei domesticæ, & salutem dans vxori, ideo debita reuerentia illum debet colere. Interim pertinent ista verba imprimis ad Christi beneficia, quæ Ecclesiæ præstat. Is enim re & nomine propriè est Ecclesiæ Σωτήρ, quæ hìc dicitur corpus Christi, & alibi sæpe. Attamen enim inox vxor dicatur caro viri, & ambo corpus vnum, non malè viro post Christum accommodantur, vt sit sensus etiam quem dixi. Vir est σωτὴρ, hoc est, saluator, vel conseruator rei domesticæ, & vxoris imprimis, quæ ipsius est caro, hanc alit, vestit, tuetur, instituit in pietate, vt videatur illam omnibus modis saluare, seruare, ideo ipsum colat. Christus solus propriè seruator.

24. *Itaque vt Ecclesia subiecta est Christo.*

Illatio est post sufficientē confirmationem apposita. Obseruetur subiectionem quā maritis debent vxores, restringi ad exemplum Ecclesiæ quadam forma correctionis, seu declarationis. Nam vox ἀλλὰ quidem est illatiua, simul tamen præcepti modum aperit. Dicere enim poterant vxores, quomodo debemus subiectæ esse maritis nostris, cùm & ipsæ iudicio valeamus, nihilne licebit mihi meo agere arbitrio? Respondet Apostolus, nihil refert istud, volo pio amore omnem reuerentiam maritis tribuatis, nō secus quàm Ecclesia Christo, quæ sanè non curiosa est in gubernationem & prouidentiam, sed curā omnem Christo relinquit, ipsa simpliciter hìc militat sub cruce, & in vocatione, in vita autē æterna triumphat, gubernationē rerum omnium soli Deo & redemptori sponso Christo permittens. Sic in matrimonio viuat pia vxor. Cogitēt igitur mariti vt pręstent id vxoribus quod Christus Ecclesiæ, vt tutò gubernationem solis maritis possiut relinquere. De subiectione quā maritis debent vxores.

25. *Viri diligite vxores vestras.*

Altera concio ad maritos spectans. Prior in cœtu vxorū habenda erat, hāc audiant nunc imperiosi mariti. Initio mandatū est continens πρόταση. Casto amore vnicè amplectendas proprias vxores. Obserua requiri in maritis ἀγαπᾶν, quia in eo deficimus sæpe, alioquin dominij satis studiosi, præsertim stolida capita. Est autem ἀγαπᾶν, sua solùm delectari, adeò vt post Deum maximū amorē vxori deferat, vt vxor casta post Deum, maximum obedientiæ studiū defert marito. Deinde hìc etiā addit ἑαυτῶν, quia legitimus debet esse amor nō adulterinus. Ratio propositionis est ab exēplo Christi sumpta, vt enim vxores ad exemplum Ecclesiæ debent respicere, sic mariti ad exemplum Christi, ita minimè peccabitur. Idem præcipit ad Col. 3. Obserua rationis & exempli propositi suauem tractationē, initio τὸ ὅτι ponit, quòd dilexerit Ecclesiam, ergo nō pudeat maritū vxorē suam diligere. Qualis autē fueris Ecclesia. vide Ezech. 16. nimirum polluta, fœda, fœtens, attamē dilexit: igitur non quæuis macula in vxore debet esse odij sufficiens causa, aut repudij. Deinde amoris maximi addit Maritis diligendas esse vxores. Christi exēplo qui Ecclesiam diligit.

argumentum, quia pro illa mortuus est, Mortem circumloquitur, *seipsum tradidit pro ipsa*, hoc est, mortuus est sponte, pro redimẽda hac spõsa. Maximi amoris est signũ posse pro aliquo mori. Ioan.15. Maiorẽ dilectionẽ nemo habet, quàm si quis animam suã tradat pro amicis suis. Hoc argumemtum suprà ver.2. quoq; attulit. Tertiò mortis causam finalẽ affert, *vt illam sanctificaret* ἁγιάσαι, prius enim erat impura, polluta peccato originis, & actualibus delictis, libidine, idololatria, alijsque horrendis vitijs, quorum, hoc est, remissio, dicitur ἁγιασμὸς, ex peccatore iustum facere, ex iræ filio, gratiæ filium reddere, ex terreno cælestem & renatum. Quartò additur modus sanctificationis καθαρίσας *purgans*, Polluta vestis dicitur purgari, mundari, sic remissio peccatorum fit abstersione affectuum, nouos enim dat motus, noua consilia, nouos animos, vt priora non ampliùs placeant. Quintò addit organa tanti beneficij, *lauacrum aquæ in verbo*, hoc est, per baptismum, qui lauacrum aquæ dicitur in verbo. Loquitur autem de Baptismo vt re constante duabus partibus, elemento & verbo, & ei tribuit vim abluendi peccata, quia administratur ab ipso Christo, qui efficiens causa & agens primarium est. Nec potest non vtilis esse Baptismus qui ab ipso Christo administratur. Itaque otiosæ hîc sunt disputationes de nudo elemento Baptismi, ei enim minimè competit remissio peccatorum, aut donatio Spiritus sancti, cùm hîc Christo illa tribuantur agenti in & per baptismum. Ideò rectè dicitur ab Augustino quoque, Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum. Sextò etiam addit vltimos fines, quos Dominus respicit in redimenda Ecclesia, *vt illam sibi sisteret* ἔνδοξον, id est, gloriosam, sibi & Ecclesiæ ornamento, hoc est, sine omni peccato, in vita æterna sine macula. σπῖλος methaphora est à panno vel vestibus, in quibus ex gutta vini, olei, alteriúsue rei contrahitur alius color, quàm sit natiuus. Sic maculæ in facie dicuntur σπῖλος, hinc ad peccata transfertur, quæ hîc quidem adhuc inhærent, in vita autem æterna hic nitor ad plenum restituetur. ῥυτὶς etiam metaphoram habet. Alij legunt ῥυπίδα, quæ vox maculam significat, sed ῥυτὶς ruga est à verbo ῥύω, quod est ἕλκω, contraho, ætatis declinantis à vigore vitium. Græci dicunt, συστροφὴ τοῦ δέρματος ἐν τῷ προσώπῳ, hoc est, contractio cutis in facie. Hinc in Pluto Aristophanis dicitur de vetula, ἐν δὲ τῷ προσώπῳ ῥυτίδων ὅσας ἔχει, quot in facie habet rugas? Hic natiuus nitor initia habet in hac vita per regenerationem, post resurrectionem aut plenè conspicietur. Durant enim in hac vita vitia etiam in sanctis.

Obserua vt hîc loquatur de Baptismo.

28. *Ita debent viri diligere.*

Accomodatio est totius argumenti, ad causam præsentem, vt videant mariti qualem ideam amoris casti ob oculos habeant in Christo. Mox addit nouum argumentum, declarans & ipsum modum, vt sua ipsorum corpora, ergo non leuis, non contemnendus amor debet esse. Sit hæc altera ratio, cur vxores sint diligendæ, summo post Deum amore à maritis quia sunt corpus mariti, hoc est, caro, vt mox declaratur ex Genesi.

Tertia ratio est, eodem versu posita: *Qui diligit vxorem suam, seipsum diligit*, hoc est, compendium est proprij amoris in vxore. q. d. vis te ipsum rectè diligere, ostendam tibi compendiosum modum, dilige castè vxorem, sic te rectissimè dilexeris.

29. *Nemo enim vnquam suam*, &c.

Quartum argumentũ à natura ipsa quæ dictat hunc amorem, cui consentit vt rei honestæ, exemplũ Christi, alioquin natura nõ semper bene audit in sacris literis. Argumentũ est tale, Nemo vnquã suam carnem odio habuit, vxor propria est caro, ergo illã odisse pugnat cũ ipsa natura. Maior Apostoli est hoc loco, ac dextrè debet intelligi, Nemo vnquam suam ipsius carnẽ odio habuit, scil. homo qui rectè de rebus iudicat qui non prauo est iudicio & corrupto præditus, vt furiosi, insani, qui seipsos laniãt, oderũt carnẽ suam. Sic desperabundi qui se præcipitant, strangulant, suffocant, &c. oderunt carnẽ suã sed peccant in Dei bonã creaturam. Est enim caro hîc res bona, & à Deo bene & sine peccato est condita. Hanc in peccato etiã non debet odisse homo sanæ mentis, sed insani, vt Medea, vt desperabundi oderũt vitio suo. Sic lurcones & ebrij oderũt carnem suã, qui ingurgitando immaturã mortem, & morbos infinitos carni suæ cõtrahunt. Verùm de his omnibus, in quibus læsa sit ratio, nõ loquitur hîc Apostolus, sed quid homo sanę mentis agit, secundũ naturę ductũ honestum. Nemo vnquam talis odio habuit carnem suã, adeò vt cæci nati se tamen mirificè diligãt, sic gibbosus, luscus, claudus, &c. diligit se, non potest odisse suã carnẽ, in qua tamẽ naturæ agnoscit errores. Sic vxor non ob quosuis errores & debilitates vituperãda. Est tamen caro aliquando odio habenda, quãdo scilicet significat malitiã carnis & naturæ corruptionem, vt ad Gal.5 opera carnis enumerãtur, & hoc cap.5. ad Eph. paulò antè de operibus tenebrarum locutus est. Hęc, inquam caro odio est habenda, & crucifigenda, significans veterem hominẽ Dei legi repugnantẽ, sed de carne sic non loquitur hîc, verum vt est res bona à Deo condita. Deinde etiam significat summam cõiunctionem & vnionẽ, qualis debet esse inter amicissimos. Quo sensu caro sæpe fratres & sanguine coniunctos significat, vt Gen.

Propositionem hic positam, esse dextrè intelligendam.

Quo sensu caro sit odio habẽda.

Gen.29. Laban ad Iacobū ait, Os meum & caro mea es tu. Et cap. 37. fratres de Ioseph. dicūt, caro nostra est. Et Iud.9. Abimelech ad Sichimitas ait, de osse vestro, & de carne vestra sum, h.e. è vestro sum sanguine, ideò non contēnendus. Vera igitur est maior apud sanæ mentis homines, vt se intimè diligant, non odio habeant, cui addit contrarium affectū. *Sed enutrit & fouet*, scil. suā carnem, q.d. odium cum ipsa natura pugnat: contrà amor sui, consentaneus est naturæ. Emphaticè autem dixit ἐκτρέφει, quasi dicat, molliter & summa cura seipsum alit. Significantius enim est quàm simpliciter τρέφει. Sic in altero verbo θάλπει cura exprimitur, significat enim more gallinæ incubare, & calore fœtum partui idoneum reddere, quod vrsi faciunt lambendo, gallinæ incubando. Sic claudus summa cura carnem suam curat. Hunc amorem iterum ad Christi exemplum applicat, vt constet hunc naturæ affectum per se non esse culpabilem, sed consentire cum lege diuina. Ideo eidem congruere exemplum Christi. Confutatur hîc Stoicorum dogma, quo omnes affectus simpliciter damnantur. Deinde perfectissimum dilectionis sinceræ exemplum in Domino Christo proponitur.

Minor, quòd scilicet vxor legitima sit caro viri, mox probabitur ex Gen.2. vt etiam à Domino Christo, Mat.19.1. Cor.6. Sed & v.28. præcedenti, vocauit vxores maritorum propria corpora, sunt igitur propria caro. Itaque efficitur amandas esse lege naturali intimo affectu, imprimis cùm huic legi congruat Christi exemplum. Vxor legitima caro viri

30. *Quia membra sumus.*

Ratio est posterioris cōnatis de Christi dilectione. Cur.n. Christus Ecclesiā tanto amore fouet? imprimis quū in hac vita suos habeat næuos, sua errata? Respōdet Apost. *Quia singulis nos fideles sumus membra Ecclesiastici corporis, sed de carne & ossibus eius*, h.e. humana natura verè participamus cū Christo homine. Ex quo efficitur Christū verè hominē assumpsisse, vt verè noster frater esset. Hęc cōmunicatio autē latè patet. Nam impij hoc cū piis cōmune habēt, vt humanæ naturę ratione cum Christo homine cōmunicent carne & ossibus. Itaq; pij alterā etiā habent peculiarē cōmunicationis & cōiunctionis cū Christo rationē. Quòd scil. ab ipso redempti & renati eodē Spiritu cū Christo regūtur, & ad vitā æternā præparantur.

31. *Propterea relinquet homo.*

Quintum argumentum ab effectis, vel maioris collatione. Amor coniugalis præferendus est præcepto de honorandis parentibus, ergo maximus sit oportet. Vide Gen. 2. ad finem. Matth.19. vbi diximus de verbo προσκολλῶμαι.

32. *Mysterium hoc magnum est.*

Per Epiphonema transfert vim amoris coniugalis ad Christi & Ecclesię coniunctionem. Mysterium rem rationi humanæ inscrutabilem significat, sumpta voce à sacris Gentilium, in quibus arcana nō solebant celebrari, nisi digressis nondū initiatis. hinc prouerbiū, Ante mysteria discedere. Inde sacræ literæ mysteria dicunt, quæ singulari reuelatione diuina patefiunt. Sic Mat.13.2. Thes.2. Hic misteriū allegoricus sensus & typica adūbratio est, quæ per Adæ & Euæ coniugium fuit adumbrata, impleta autem in Christo & Ecclesia. Quàm ineptè hinc probent coniugij sacramentum Papistæ, satis iam ab aliis est declaratum & cōprobatū. Mysteriū quid sit.

33. *Veruntamen & vos singuli.*

Conclusio totius loci de officiis cōiugalibus. Subiicitur prioribus per correctionem πλὴν, q.d. quod de typica adumbratione dixi, non impedit præceptum expressum. Itaq; vos reuoco ad ipsum præceptum externum. Verum est mysterium, sed seruetur à vobis interim literæ præceptum, idq; adeò firmiter, vt nemo hîc debeat eximi. Generale est omnium coniugatorum. Primò maritorum, vt vxores tanquā propriā carnem diligant. Deinde vxores reuerenter colāt maritos suos. Timor enim hic non seruilis debet esse, sed liberalis, ne verbis contradicant facilè, ne in ipsos insurgant, néve dominandi in ipsos desiderio ferantur, &c.

CAPVT VI.



Ersequitur reliquas species imperij œconomici, patricam scilicet & herilem. Docet enim quid liberi parentibus debeāt, & vicissim quæ sint officia parentum erga liberos. Et rectè quidem coniugij præceptis subiicit liberorum & parentum officia. Sunt enim liberi fructus coniugij. Ac vt ex marito & vxore constituitur domus, sic eadē crescit in familiā per liberos & seruos. Ideo vltima cura seruis impenditur, cùm liberi de carne nostra sint. Hinc redit ad generalia præcepta vitæ Christianę. Ac instruit nos certa quadam armatura, qua decertandū est cōtra conatus & tētationes Satanę, quod certamē orationib. quoq; adiuuatur. Ideo ad studiū orādi hortatur. Demū epilogū de priuatis rebus subiicit, ac familiari cōprecatione Epistolā totā concludit. Argum. cap.6.

Partes igitur sunt quinque: Prima de liberorum ac parentum officio. Altera de seruis & dominis. Tertia de panoplia Christiani hominis. Quarta de studio orandi, imprimis pro viuis in hac vita. Quinta est Epilogus totius Epistolæ. Partes huius cap.

1. *Liberi obedite parentibus.*

De mutuis parentum & liberorum officiis.

Locus primus est de mutuis liberorum & parentum officiis. Continet autem locus partes duas: prior de liberis, posterior de parentibus agit. Ac quod liberos attinet duo sunt obseruanda in Apostolo πρότασις & κατασκευή, πρότασις est, liberi parentibus quàm religiosissimè obedire debent. Id Apostolus dixit, *Liberi obedite parentibus vestris in Domino.* Obedire est omni officiorum genere colere, dicto esse audientem, necessaria subministrare, honestè de ipsis sentire & loqui, tueri illorum famam. Id totum liberi debent parentibus, quia sunt τόκος partus & fructus illorum, vitam, libertatē ab illis accipiunt. *In Domino* ait, h.e. quatenus pietas id patitur, ne impia iubentibus cedant pij filij. Seu *in Domino*, h.e. in colendis parentibus respiciant ipsum Deum, quia in parentibus ipse Deus colitur. Tum argumēti vim habebit hoc comma, diligendi sunt parentes, quare? quia in his etiam Deus colitur. Hic verus est cultus, quia Deus hunc cultum præcepit. Ideo hîc etiam potest esse, *In Domino*, h.e. iubente Domino, quo sensu nititur argumentum authoritate diuina. Cur enim colendi sunt, quia Christus sic præcepit. Secundus tamen sensus mihi magis placet.

Confirmatio.

Propositionis confirmatio. *Nam hoc iustum est*, scilicet natura, vt sit sensus, ius naturale hoc dictat, ideo faciendum est. Huc pertinent Philosophorum sententiæ de colendis parentibus, quas ex iure naturæ hauserunt.

2. *Honora patrem tuum.*

Altera ratio à pronunciatis. Profert enim locum scripturæ idem iubentis, Honorare latius patet quàm obedire, sed Apostolus obedientiam imprimis requirit, quia per hanc declaratur honor qui nihil aliud est, quàm Virtutis aliquod testimonium ab aliis profectum. Id exhiberent etiam reprobi, qui interim non facilè obedirent. Ideo requirit à filiis, id quod grauius est & in quo plus deficiunt. Vide ad Col. 3. v. vigesimo. Matth. 15. Exod. 20. Deut. 5.

Quod est primum præceptum.

Quo sensu dicatur primū præceptum.

Ἐπένθεσις est Apostoli verbis facta. Voluit enim nobis commēdare hoc præceptum, & ad eius obseruantiam iuuentutē excitare. *Primum est præceptū*, h.e. primarium in secunda tabula, aut simpliciter primū secundæ tabulæ. Aut certè primū cui sit addita specialis promissio. Nā quod secundū attinet præceptū primæ tabulę, habet quidē promissionem misericordiæ diuinæ, sed spectat ad totam legē, hæc verò promissio singulariter huic præcepto inseruit.

3. *Vt bene tibi sit.*

Finita παρενθέσει redit ad verba Mosis, ac recitat promissionis verba, in quibus est argumentū, à spe boni cōsequendi. Si honoraueris parētes, bene tibi erit, h.e. eris sanus & fortunatus in hac vita. Igitur colēdi sunt vel hoc nomine, vt bene tibi sit, quod de sanitate & successu rerū accipio, ex quo docemur sanitatē corporis & εὐτυχίαν Dei esse dona, quib. ornat piā posteritatē, quæ honorauit parētes. Sic lōgæuitas benedictio Dei est, qua ornat pios liberos. Interim si videas impiā sobolē feliciter agere, sanā esse, diu viuere, ne cogites quicquā derogare huic argumēto. Nā mali etiā ornātur externis his donis, in maiorē sui perniciem, nec agnoscunt, illa Dei dona. Pij autē agnoscūt, & his incitantur, vt magis colant parentes.

4. *Et vos parentes.*

Parentū erga liberos officium.

Alterum membrum huius loci de parentum officio in liberos. Propositio est parentes prudenter liberos suos in disciplina retinere debent.

Primum præceptum est, μὴ παροργίζετε, id est, *ne ad iram prouocetis.* Significat autem irritare, ad iram prouocare, exasperare. Vide sup. cap. 4. Sol ne occumbat ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν. Nam παρὰ hîc vt illic vitium significat, cùm non omnis ira sit vitiosa, tamen vitiosum est materiam iræ liberis exhibere, *zu zorn reytzen. Vexieren zannen vnd grannen machen.* Pertinaces enim & reprobi redduntur.

Alterum præceptum. *Sed enutrite illos* ἐκτρέφετε, hoc est, necessaria præbete, vt alimentum & vestitum. Deinde educationem piam significat, & liberalem institutionem. Summa est, necessariis rebus illis prospiciendum, ac liberaliter & honestè educandos.

Tertium præceptum, est ἐν παιδείᾳ, h.e. date operam, vt non solùm necessarius victus & amictus illis non desit, sed etiam sit liberalis, & pio homine digna sit institutio. Nam παιδεία est ipsa castigatio, *zuchtigung*, exempla vitæ proposita, exercitia corpori necessaria.

Quartum est, *educate eos in* νουθεσίᾳ *Domini*, hoc est honestis admonitionibus. Est νουθεσία, quæ animum ac intellectum ducit, præmiis propositis aut pœnis. Sic Christiana institutio pueritiæ habet νουθεσίαν, vt intelligat iuuentus se Deo sic placere, si honestè vixerit, contrà Deo esse abominabiles & odio, si sceleribus se polluant.

5. *Serui obedite.*

De seruorū officio erga dominos.

Secundus locus huius capitis, de officio seruorum erga dominos, πρότασις est, serui carnalibus dominis pia simplicitate obedire debent, eósque reuerenter amare. Quod addit κατὰ σάρκα, habet quandam seruitutis mitigationem. Quicquid enim est carnale, caducum est, & ob

& ob id finietur statim, itaque finem habebit illa seruitus. Deinde & hæc subest consolatio, quòd domini illi externi solùm ius habent in carnē, nō perinde in mentē ac spiritū. q. d. externi tātùm sunt domini, qua autem parte es melior, ea es liber, vt inquit 1. Cor. 7. Libertus domini est seruus. Hinc sequitur propositionis quædā explicatio, quæ formā & modū seruitutis exprimit. Vult. n. seruū per omnia fidelē & piū instituere, qui etiā malis dominis possit cōmode inseruire. Prima igitur est conditio boni serui, *vt cum timore & tremore inseruiat.* Timor reuerentia est seruilis qua heros excipiunt & alloquuntur. Τρόμος autē metus pœnarū, ne delinquant absentibus heris. Habebant enim ius vitę & mortis, quā licentiā imperatorū clementia postea mitigauit, interim magnum manebat ius in mancipia. Flagris cedebantur ad sanguinem, in pistrinum retrudebantur, & similia mala ferebant. Altera est conditio, *vt inseruiant cum simplicitate cordis.* Ἁπλότητα opponit panurgiæ, fraudibus & imposturis seruorū, quæ ex comœdiis facilè perspici possunt. His fraudibus igitur Christianus seruus carere debet. Tertia est, *Vt Christo seruiendum esse carnalibus dominis.* h. e. in hac conditione respiciendus est Christus Dominus, quasi huic seruias, sic hero seruiendum. Quarta, *non secundum oculi seruitium*, ὀφθαλμοδουλία, est studium fictum seruiēdi ad fallendū solùm accōmodatum. Præsentibus adulantur, absentes mox irrident & decipiunt, *ougendienst.* Quinta, *non hominibus placentes* ἀνθρωπάρεσκοι, studium sese approbandi aliis, placendi præsentibus, nihil tamen seriò agunt tales, sed hypocritæ sunt vel ambitiosi. Sexta, *tanquam serui Christi.* Congruit cū tertia cōditione, sensus est, Christū in omnibus respiciendum esse, & manendū in hac conditione propter Christū, qui & ipse seruiuit aliis, Deus existens. Deinde humilitatē & subiectionē mandauit, & ne ipse propter nos malè audiat apud infideles heros. Septima, *facientes voluntatem Dei ex animo.* h. e. seriò agendū est, sine simulatione & hypocrisi, tanquā Deo præsente & inspectore. Octaua, *Cum beneuolentia seruientes Domino.* Animā requisiuit, nunc etiā affectum animi, & externam beneuolentiæ significationem, adeò nihil admittit simulatum in seruo. Nona, *non hominibus*, hoc est, respice Deum & Dei filium, his te seruire, non hero, quamuis ei seruias, in eo tamen Deo obtemperas, qui hunc tibi dedit rectorem.

8. *Scientes quòd quicquid singuli.*

Hactenus proposuit, deinde circunstantias piæ seruitutis addidit, nunc tertio loco confirmat rem, vt seruos in officio retineat. Sumitur autem argumentum à spe præmiorum, q. d. si rectè inseruieritis, accipietis seruituris amplissima præmia. Deinde non ab homine, sed Domino Deo dabuntur illa præmia. Tertiò, in hoc gradu omnes pares sunt serui & liberi. Itaque non tam refert, libérne an seruus sis, sed vt bene agas, & piè viuas in tua conditione. Quartò, non alieni boni accipiet præmium, sed sui ipsius, hoc est, hoc ipsum quod fecit reportabit. q. d. quod serit quisque, hoc etiam metet. Vt quisque viuit ita remunerabitur. Hîc nulla valebit domini prærogatiua, nec oberit seruo sua conditio seruilis. Atque illa omnia munit testimonio ipsorum, *scientes hoc*, q. d. immota & fixa est hæc doctrina omnibúsque piis notissima, ideo firmiter sic omnibus est viuendum.

Seruos ad liberaliter seruiendum adduci debere quòd tanta illis præmia proponantur.

9. *Et Domini eadem facite.*

Alterum membrum huius loci de officio dominorum in seruos: πρόσταξις est, moderatè & vt decet pios dominos, suo iure in seruos vtantur. Apostolus dixit, eadem facite, scilicet pari candore, quo iussi seruos vobis inseruire, eadem vos in illos vtamini. Est enim hoc æquum & iustum, cum ratione humanitatis tum pietatis.

Ratio propositionis est. *Quia habetis etiam vos Dominum*, cui vobis est reddenda ratio, quo modo scilicet fueritis vsi, vel potius abusi vestro iure in seruos. Significat autē non esse absolutum illorum imperium, sed Dei censuræ subiectum. Deinde hic dominus non terrenus est, sed in cælis habitat, h. e. altissimus, sapientissimus est, omniscius etiam est, ideo falli non potest. Deniq; apud eū nihil valet aliud, quàm veritas & candor, & contrà personarum respectus nihil valet, igitur placari non potest. προσωποληψία est quicquid respicitur in causa, præter ipsam nudā veritatem, vt honores, opes, amicos, nobilitatem, gratiā, munera, paupertatem & similia: Si ad illa deflectas oculos, veritatis regula intermissa, personarum dicitur respectus. Hoc malo iudices vt plurimum laborant, ideo hîc Deum iustissimum iudicem describens, inquit, quod eiusmodi affectibus minimè laboret, sed nudam respiciat veritatē.

Quid sit personarum acceptio.

10. *Quod superest.*

Tertius locus præsentis capitis, in quo ad constantiam hortatur, ac panopliam Christiani militis profert ex armario Dei. Ostendit autem difficilem esse vitam sanctorum in his terris, vt quæ sine magno ac singulari Dei patrocinio conseruari minimè possit. Inde rectè Iobi 7. Militia est vita hominis super terram, militia est ideo periculosa. Hinc tot arma ad defensionem, quæ hîc referuntur. Et 2. Cor. 6. Dextra & sinistra requirit. Et in eadem cap. 10. ait, Arma nostra non sunt carnalia, significans hostem quoque non carnalem esse, quamuis per carnem nos oppugnet. Hanc armaturam igitur hîc describe.

Propositio. Πρόθεσις loci est, pij omni tempore quàm instructissimi esse debent contra Satanam, non secus quàm bonus miles contra astutissimum hostem.

Partes. Partes sunt, initio proponit, mox explicat, tertiò confirmat, quartò concludit, quintò arma specialiter enumerat. Propositioni aditum facit μετάβασει, *quod superest*, à specialibus preceptis vitæ œconomicæ transit ad generalem præceptionem. Hinc εὐνοίᾳ munit causam, fratres compellans. Debet enim fratris apud fratres valere consilium. Inde tandem statum & propositionem infert, *Corroboremini in Domino, & in robore potentiæ eius*. h.e. contra omnia pericula in Domino vos confirmate, ἐνδυναμοῦσθε confirmemini, roboremini. δύναμις vt genus hîc ponitur, inde mox ei subiicit duas species κράτος & ἰσχύν. Prius robur est, quod miles habet in manibus & brachiis. Est enim κράτος, θάρσος in manu, ἰσχὺς verò laterum & lumborum, quibus partibus vires imprimis insunt. Totum verò hoc à Deo habent pij, ideo in Domino corroborari iubet. q.d. à Deo robur illud habemus. Sic Philipp. cap. 4. Omnia possum in eo qui me corroborat, Deo. Et Christus ait Ioan. cap. 15. Sine me nihil potestis. Itaque ad eum recurramus, qui robur & vires dare potest.

11. *Induite panopliam.*

Expositio. Ἔκθεσις est propositionis κατὰ μεταφοράν. Nã quod propriis verbis proposuerat, id iã trãslatis explicat, πανοπλία est παντευχία. h.e. quicquid armorũ ad cataphractum militẽ pertinet, quales sunt equites cataphracti, & in staria pugna miles cataphract⁹ totus armis tectus est, ei addebatur leuis armaturæ miles, ad procedendũ & recedendũ vtilis. Itaq; armaturam induere, est confirmari & τὸν Θεὸν est quod prius dixerat ἐν τῷ Κυρίῳ. Huic addit argumẽtum à fine, cõtinens panopliæ vtilitatẽ, *Vt possitis stare contra insidias diaboli*. q.d. tot insidiis & imposturis nõ potestis resistere nisi hac ipsa armatura muniti. Μεθοδεία est ἐπιβολή, ἐνέδρα insultus ex insidiis, quales astuti hostes solent machinari. Vox formata est ex dictione μέθοδος, quę significat compendium, rectè & breuiter tradendi artes. Et quia ingeniosi sunt methodici, ideo trãslata est μεθοδεία ad captiones astutas & artes fallendi, in qua re facilè princeps est diabolus, optimus est methodicus ad fallendũ, cõpendio fallit & euertit, quod alij multis ambagibus vix conficerent. Hinc etiam μεθοδεύειν, non solùm compendio tractare artes, sed ἀπατᾶν & πανουργεῖν significat, quasi dicat, συντόμως ἐξαπατᾶν, compendio fallere.

12. *Quia non est nobis lucta.*

Quibus cum hostibus sit nobis lucta. Confirmatio propositionis sequitur à natura hostis, Initio remouet cõsuetam militiam, & congressum tolerabilem, *non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem*, q.d. impar est congressus, vt homo cum diabolo mille artifice congrediatur, caro cum Spiritu, fieri non potest quin succumbat homo. Sanguis & caro naturam significant debilem, & infirmam, h.e. aduersarius noster non est caro, nõ sanguis, quales nos sumus natura. Sic accipitur Gen. 6. Non litigabit Spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est. Psal. 78. Recordatus est quòd sit caro, spiritus transiens, & non reuertens. Esa. 31. Equi eorum caro sunt & non spiritus, hoc est, fragiles, hostis noster non est caro, ergo fortis est & astutus.

Deinde θέσιν infert, descriptione ampla virium Satanæ. Vocat autem illum nominibus amplis, quæ potestatẽ eius adumbrãt. Ἀρχὴ dicitur quia subiectos habet multos Spiritus improbos, & homines pessimos. 2. Ἐξουσία, ab exequendi facultate, scientia ac rerum peritia. 3. Κοσμοκράτωρ, mundi princeps, quia totum mundum sub suum iugum semel redegerat, vt esset monarcha. Hinc dominus Christus Ioan. 12. principem mundi vocauit. Et cap. 14. ac 16. eodem titulo ornat. 2. Cor. 4. Deus huius seculi dicitur, h.e. damnatorum & mundanorum consiliorum, quod hîc dixit tenebras seculi huius, h.e. consilia & studia mundanorum hominum. Quartò, τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας appellat, significans naturã à Satanæ, non esse nostræ naturæ similẽ, sed subtiliorem & agiliorem ad fallendũ, quàm nos simus ad defendendũ. Ac cum addit πονηρίας, significat non solùm vim docẽdi ei inesse, sed etiam voluntatem: ideo quicquid nõ lędit, id Dei protectione consistit. Quare rectè dicitur leo rugiens, 1. Pet. 5.

Satã quo sensu dicatur mundi princeps

13. *Quare assumite panopliam.*

Illatio est post argumentum illud à natura hostis ductum. Repetit autem initio πρόθεσιν totidem ferè verbis vt priùs fuit posita. Deinde additur ratio repetita prior, *vt possitis resistere*. Exornatur circumstantia temporis, *in die malo*, hoc est, aduersis, quæ partim Diabolus, partim mundus, partim nostra debilitas nobis conciliat. Demum correctio per additionẽ, quasi dicat, imò, non state simpliciter, sed omnibus confectis etiam post pugnam consistite. Multi stant qui mox cadũt, alij in victoria etiam corruunt. Sed omnibus superatis demum state, illa erit laudabilis victoria.

14. *State igitur cincti.*

Iam enarrat apparatũ panopliæ, h.e. quæ arma sint necessaria cõtra hostem tã astutum.

Quibus armis. Primò munit lumbos, in his enim robur est, vt patet Iob. cap. 40. In lumbis robur eius. deinde in his est vis generãdi, vt est Gen. cap. 35. vbi Dominus inquit ex lumbis Iacob reges proditu-

proditurosHinc metaphora transfertur ad animi cōstantiam.Nā vt cingulum lumbos munit,sic veritas animos nostros. Hinc dicuntur elumbes debiles ac molles. Et qui grauiores subeunt labores cingulo lato cōfirmant latera sua,sic veritas munit animos fluctuātes.Hinc 1.Pet.cap.1.dicitur,cincti sitis lūbos mētis vestræ,h.e.cōfirmati in veritatis cōfessione ne fluctuetis.Apud Esa.legitur cingulū labiorū Messię iustitia.Et Christus Luc.cap.12.cinctos iubet esse suos.h.e.paratos ad docendū & crucē ferendā,cùm discincti inepti sint ad labores. sint fideles instruendi.

II. *Thorax iustitiæ.* θώραξ dicitur illa pars à collo ad vmbilicum, continens cor, iecur, pulmones. Hinc lorica muniens istas partes, thorax etiam dicitur, Græcis placet dici à θορεῖν,hoc est,subsilire,propter cordis palpitationem. Nam perpetuò motu vigilat. Alij ab ὡρεῖν τὸ θεῖον,hoc est, quia continet partes diuiniores. Debet igitur pectus iustitia ornari, hoc est,politica pia & sancta vita,simúlque imputatione iustitiæ Christi.Esa.59.v.17. Indutus est iustitia vt loricam,& galeam salutis in capite eius. Quid sit calceatū esse.

III. *Pedes muniendi sunt calceis Euangelicis.* Significat calceatum esse, paratum esse ad peregrinandū,& cinctum,paratum ad labores.Sic Iudæi calceati debebant Pesach in Ægypto edere,iamiam emigraturi.Sic Marc.6. calceatos esse iubet. Matth.cap.10. prohibet calceos.h.e.curam rerum terrenarū, hîc promptitudo ad pacem dicitur calceus, cuius cùm sit doctrina Euangelium,ideo cōiunxit, Christi enim sectatores pacifici sint oportet. Videtur respexisse ad Esa.cap.52.v.7.Quàm speciosi pedes,annuntiantiū bona annuntiantium pacē.

IIII. *Scutum fidei.* Scutum dicitur defensio. Sic Dominus dicit Abrahamo Gen.cap.15. Ego ero scutum tuum,id est,defensio.θυρεὸς dicitur ἐκ τῆς θύρας.h.e.à similitudine ostij,quod Eustath.quoque confirmat.εἶδος,inquit,ἀσπίδος μεγάλης ἐοικυίας θύρᾳ, ὅθεν καὶ λέγεται. Fides scutum est,quo extinguuntur iacula, h.e.tentationes carnis, mundi, Satanæ. Ignita autem sunt,hoc est,aculeos relinquunt,sauciant animos,mores etiam corrumpunt,demum etiam in ignem æternum præcipitant,qui est inextinguibilis.

V. *Galea salutis*,id est,ipsa salus Christus est galea,vel salutaris galea. i. vtilis ad salutem. Esa.59.v.17.Galea salutis in capite eius. Spes dicitur galea,sed nominatim spes salutis. Ideo salus in Christo galea est,quæ tegit caput,præcipuam militis partē, hanc etiam munit spes.

VI. *Gladius verbum Dei.* Machera grandiores sunt gladij, eorum qui primam aciem tuentur.Hic gladius verbum Dei est.Sic Heb.4 v.12. Sermo Dei efficax est, & penetrantior quouis gladio ancipiti. Regula igitur est doctrinæ & morum, vt omne vitiosum in moribus resecet, & in doctrina omnem errorem amputet. Verbum Dei gladius.

18. *Per omnes preces & supplicationem.*

Quartus locus de precibus adhibendis in hac tam periculosa pugna. Obserua initio quas species velit nos adhibere προσευχὴν, quæ est oratio pro illustranda Christi gloria.Item intercessio pro fidelibus. Admonens nos,in tota hac pugna respiciendū esse imprimis, vt per hanc illustretur Domini gloria,ne quid hîc vanæ gloriæ quæratur. Altera species est δέησις, quæ deprecatur aduersa, vt 2.Thess. 3. vt eripiatur à peruersis hominibus, ideo in hac lucta orandum contra aduersa,vt Dominus nos tueatur,& mitiget crucis asperitatem.

Deinde quando orandum sit, *Omni tempore*, hoc est, semper esse orandi materiam. Sic Christus Luc.18. oportet semper orare & non deficere. 1. Thes.5. Sine intermissione orare, quasi dicat,semper sunt causæ orandi.

Tertiò,quomodo,*In Spiritu*,h.e.sine pompa externa,sine hypocrisi.i.secretò,Matth.6.in conclaui.Vel Spiritu orandum, h.e.mente, vt 1.Cor.4. Sic supra 5.v.19. Corde orate.h.e.ardenter & seriò,ne tepida sit oratio,sed toto pectore,& cū affectu oremus.Potest tamen esse etiā hic sensus,Spiritu gubernante esse orandū,vt ille sit dictator petendorū à Deo gubernator precum.Sic Rom.8.Spiritui tribuitur, quòd is sciat petenda nos autē nō perinde nouerimus quid orandum aut petendum à Deo. Ad modū etiam pertinet quod ait vigilantes oportere nos esse in precibus,q.d.sine hoc frigere preces, non igitur oportet somnolentos aut pigros esse. Item quod addit, *In omni perseuerantia*, constantiam requirit.q.d.in omni fortuna etiam est orandum. Nam multi in aduersis demum orant: rebus secundis elati vix precum memores.Ideo reuocat nos,ne abiiciamus studium orandi,etiam rebus secundis. Sine hypocrisi orādum.

Quartò,pro quibus sit orandū,*pro sanctis*,& his quidē omnibus.q.d.non notis solùm,sed etiā ignotis & peregrinis,quales hodie in Turcia,aliisq; regnis sunt sub cruce. Hos omnes precibus nostris iuuare debemus. Cùm autē hîc sanctorū tantùm meminit, rem ad causam præsentem accōmodauit, loquitur enim de sanctorū lucta contra Satanā ac effectus carnis. Interim non negat, quin pro impiis quoq; orandum sit, & vt Christus Luc.cap.6.ait,pro calumniantibus vos.Item Matt.c.5.pro persequentibus vos, & pro inimicis in genere. Sed non erat instituti sui percensere omnes gradus pro quibus oratio esset habenda. Addit autem etiam se. *Et pro me*, inquit. Se fidelibus connumerat, & his pro quibus sit orandum. Vnde liquet quàm illi enormiter peccent,qui pro se orari nolint, cùm Apostolus tot donis Luc.6.

ornatus,non aspernetur fideliũ preces,imò studiosè illas ambiat,vt hic & Rom.15. & alibi.

Quintò,finis orationis.Cur scilicet pro se orari velit, ponit autem tria tanquam finalia, & fructus orationis fidelium. Primò *vt illi detur* λόγος *ad apertionem oris sui.* h.e. vis & copia verborum,quibus commodè Euangelium doceat. Deinde addatur παῤῥησία, h.e.fiducia liberè loquendi,carpẽdi & taxandi vitia, impietatem mundi,idololatriam & similia,in quibus ministri interdum satis sunt frigidi. Tertiò,detur etiam illi maior cognitio mysteriorũ Euãgelij.h.e.rerum plenior cognitio. Nam qui cõmodè docent,imprimis debent instructi esse rerũ & verborũ copia,quibus si accedat methodus,h.e.perspicuitas & ordo, videntur ad plenum instructi. His igitur sese ornandum pleniùs optat. Interim si expendas personam Apostoli,videbitur his ad plenũ ornatus.Certè non tacebat,sed palàm docebat tum etiam in carcere,vt constat ex cap.28.Act.Nec deerat illi parrhesia,& habebat altissima mysteria cognita,teste etiam Petro.Interim sibi nunquam satisfaciebat, sed fatetur liberè hæc dona in se nondum esse tanta,quin possint auctiora reddi.Pro eo fideles interpellat. Docemur vt nostram singuli infirmitatem libenter fateamur.Deinde aliorum preces non aspernemur etiam superiores, nec donis collatis superbiamus, quin in his decentem seruemus humilitatem.Mysterium Euangelij vocat,quia à seculo res abscondita fuit.1.Corint.2.Quia caro & sanguis ista non patefecit,sed filius Dei ex sinu Patris cœlitus nobis attulit.

20. *Pro quo legatione fungor.*

Expositio.

Ἔκθεσις est: dignitatem Euãgelij ornat nomine legationis.Solent autẽ legati à principibus suis authoritatẽ & nomen accipere. Ideo Apostoli tanquam Dei legati maximã habebant authoritatẽ, adeóq; diuinam. Sic 2.Cor.5.loquitur, Legatione nomine Christi ad vos fungimur,Deo vos per nos hortãte,reconciliemini Deo. Hæc splẽdida est legatio, qua Dei voluntas declaratur.Hinc scriptura dicitur Epistola Dei omnipotẽtis ad genus humanum. Hanc epistolã nobis declarãt isti legati tã nobiles. Addit, *In catena*, significans causam efficientẽ,cur scil.sit in catenis,nimirũ ob hanc legationẽ. In causa igitur bona captiuus est.Et in his vinculis tantũ abest,vt meditemur palinodiã, vt magis potius cogitet, quomodo in dies magis ac magis vtatur libertate loquẽdi,& doceat intrepidè,quod fecit,vt patet Act.28.

Constantię exemplum in Christianismi professione.

21. *Vt autem sciatis.*

Quintus locus de priuatis. Nam finiturus Epistolam, more suo priuata addit, sed compendiosè significat illa Tychico esse commissa,vt oretenus illa coràm expediat. Sic necessaria nobis posteris transmisit scripto,nõ necessaria nuncio oretenus mandauit. Deinde expende hic laudes Tychici,quas habes etiam ad Col.4. v.6.& 7. Frater dicitur respectu religionis & professionis: diaconus autem publici ministerij, quò facit quòd ei tribuitur mox facultas consolandi,quod inter docendum solebat fieri.

22. *Quem misi ad vos.*

Repetitio est cœptæ narrationis. Ac additur alia etiam causa, finalis nimirum, vt illos confirmet. Duo igitur respiciebat Apostolus primum vt suam fortunam Ephesij scirent ex Tychico:alterum vt ex eodem consolationem haberent. Ideo illum commendat, vt virum bonum & ad docendum idoneum.Simul autem innuit Ephesios opus habuisse consolatione,in primis ne Apostoli vinculis offenderentur. Denique singularis cura Apostoli declaratur pro illa Ecclesia,de qua magis est sollicitus,quàm de propria vita.


23. *Pax sit fratribus.*

Quid per pacem intelligatur.

Valedicit sua vicissim comprecatione. Primò pacem comprecatur,vt in exordio. Intelligamus ergo pacem tranquillitatem publicam,qua imprimis opus habet Ecclesia in his terris.Deinde pacem cum Deo conscientiarum,item dilectionis exercitia,quæ pacis sunt,adeò vt cum omnibus pacem seruent quoad ipsos.Alterum est dilectio vinculum pacis.Tertium fides, quorum omnium Deus est author, organum verò Christus filius Dei,per quem & in quo omnia largitur.Ideo per hunc solum efficaces etiam sunt preces.

24. *Gratia cum omnibus.*

Fontem trium bonorum iam aperit,gratiam scilicet,nam ex hac fluit pax, dilectio & fides. Et vt priora ad fratres accommodauit(cum his enim agitur) ita hîc gratiam ad eos applicat,qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum,hoc est,ad verè pios,hi enim verè sunt fratres.Quòd autem addit ἐν ἀφθαρσίᾳ intelligo de cõstantia & sinceritate,q.d.qui seriò & sinceriter Christum diligunt,non fucatè.Sic Chrysost.interpretatur ἐν ἀρετῇ, in virtute, hoc est,seriò.Alij constanter,quod idem est.Alij ad vitam æternam, quia vox Græca incorruptibilitatem significat,& accipiunt pro πρός.Significat autem hic sensus finalem vltimam causam. Cur enim Christum diligimus, cur omnia eius nomine acerba subimus? non certè alia de causa,quàm ob vitam æternam,in qua vera regnabit,ἀφθαρσία, hoc est, vera & beata immortalitas,omni fine carens,ad quam nos perducat Deus pater, per filium suum vnigenitum,Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES.

Qui fuerint Philippenses.



PHILIPPI vetus fuit Colonia Thasiorum in Macedonia, olim Datos appellata, & ante nomen hoc Crenida. Nam fontibus abundabat collis ille in quo condita fuit. Hanc vrbẽ Philippus Macedo vallo muniuit & auctiorem reddidit, & à se Philippos appellauit. Plinius lib. 4. cap. 11. Traciæ connumerat. Hîc campi sunt Philippici, nobilitati victoria Octauij Augusti contra Brutum & Cassium Iulij Cęsaris interfectores. Appianus Alexandrinus libro 4. de bellis ciuilibus pulcherrimè eam describit his verbis, Philippi ciuitas est, quæ olim Datos dicebatur, Crenida autem ante nomen Dati appellata, quippe fontes plurimi circa collem vberibus scaturiunt aquis, eum locum Philippus vt accommodum metatus super Tracesvallo sepsit, & à se Philippos nuncupauit. Condita autem est ciuitas in prærupto quodam colle, & magnitudo eius collis latitudinem cõplexa est, habétq; à Septentrione saltus & nemora, ad quæ Rascupolis Bruti exercitum considere monuit. A Meridie palus adiacet, & mare vltra illam. Ab Oriente Sapiorum & Torpilorum visuntur angusta. Ex Occidente campus est amplissimus, ad Marcinum vsq; & Trabiscum & Strymonem fluuium, per stadia trecenta quinquaginta, gramine vberrimus & amœnus, &c. Ad hos Philippos peruenit Diuus Apostolus, vt est Actorum 16. vnà cũ Sila. Multis diebus ibidem docuit Spiritu sancto monitore, hospitio vsus Lydię purpurissæ, mox vterque ibi cæsus in carcerem coniectus est propter spiritum Pythonis à puella eiectum, sed mox mirabili Dei consilio gloriosè iterum emittitur. Hos igitur absens, & à se rectè institutos confirmat in suscepta doctrina, hortatúrque vt omnibus modis persistant in fide, & professionem hanc vitæ innocentia ornent.

OCCASIO.

Occasio certis de causis illi oblata est. Nam habebant domestica dissidia, vt est videre capite 1. ver. 28. & capite 2. ver. 3. & 4. vbi hortatur ne quid per contentionem & æmulationem agant. Præterea imminebant ipsis vt aliis ecclesiis grauia pericula & persequutiones, in quibus ignominia crucis, & præsens Apostoli captiuitas multos mouebat, quæ omnia voluit hac epistola diluere, ipsósque confirmatos reddere contra huiusmodi offendicula, & quæuis pericula. Præterea sollicitabantur à falsis doctoribus, vt circumcisionem & alia onera legis admitterent, vt est videre capite tertio. Ne igitur his eueniret quod Galatis acciderat, præmonet ne hos doctores admittant, imò tanquam canes & hostes crucis Christi diligenter caueant. Quæsita etiam videri potest. Nam in ipsum Apostolum multa contulerant beneficia, pro quibus voluit illis agere gratias, imprimis quod aluissent ipsum suis sumptibus in ecclesia Thessalonicensi, vt est videre capite quarto.

PROPOSITIO.

Principalis propositio est, In hac ipsa doctrina Christianæ religionis, quam acceperunt à Paulo constanter Philippensibus perdurandum est, solùm vitæ innocentia eandem strenuè ornent vsque ad aduentum Domini Christi. Hoc totum Apostolus appellat dignè ambulare Euangelio, cap. 1. vers. 27.

GENVS.

Genus principale suasorium est. Nam hortatur ad fidei constantiam, concordiam, humilitatem, vitæ innocentiam, & similes virtutes. Huic accedunt plura, vt est Eucharisticum, quo Deo pro illorum fide gratias agit. Item ipsis Philippensibus pro subministratis vitæ

necessariis. Didacticum, quo docet sua vincula non facere ad ignominiã doctrinę, sed potius ad eius confirmationem. Item capite tertio, planè didacticus est, pro iustitia fidei differens contra legis iustitiam. Epæneticum cap. primo aspergitur, nam laudat eos à constantia. Item capite quarto, laudat ipsorum liberalitatem & capite secundo, habentur Timothei laudes, & ibidem Epaphroditi. Sunt quædam etiam μεμπτικὰ inuectiua, siue reprehensoria, vt capite secundo, de falsis doctoribus, quòd sua solùm quærant, & non quæ sunt Christi. Item capite tertio, appellat canes, malos operarios, concisionem pro circumcisione: item hostes crucis Christi, quibus taxat Iudæos quosdã qui legem Mosis, imprimis verò circumcisionem cum Euangelio conabantur commiscere, quasi obseruatu res necessarias Christi sectatoribus.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes sic connectimus. Initio titulus est, personarum ratione coniunctus, collatione verò partium simplex. Constat enim nuda inscriptione, subscriptione, & salutatione. Altera pars exordium est versu 3. genere Eucharisticum, virtute exordiorum spectat beneuolentiam, quam diligenter captat à suo erga ipsos affectu. Et constat propositione, & propositionis ratione. Propositio est, Se nunquã non pro ipsis Deo agere gratias. Ætiologia est à genere vocationis, à suæ personæ decoro, à cõmuni gratia & fortuna, & quia Deum habeat testem huius erga illos beneuolentiæ. Addit comprecationem, quibus ipsis optat auctiora bona & infert mentionem bonorum operum, quia ad illorum studium mox est exhortaturus, & hactenus exordium. Tertia pars constituatur ver. 12. quæ habet vim confirmationis. Nam est Apologia pro vinculis suis: sentẽtia est, sua vincula non facere ad ignominiam doctrinæ, sed potius ad confirmationem eiusdem. Rationes sunt, quia Christo gloriosa est captiuitas, deinde hominibus bono fuit exemplo. Nam multos etiam ex hostibus excitauit ad æmulationem docendi. Hoc argumentum illustri diuisione tractat, & præterea quia hoc ipsi sit salutare, & ipsis Philippensibus vtile. Hactenus confutatio ignominiæ. Quarta pars constituatur ver. 27. quæ continet generalem prositionem, quòd oportet præsentem doctrinam bonorum operum studio exornare, quod vocat ambulare Euangelio Christi. Hic scopus est totius Epistolæ, ideo propositioni connectimus confirmationem. Confirmationis præcipua argumenta sunt, à sua spe & expectatione, deinde quia hoc promouet causam fidei: tertiò à persona hostium & contrariæ, quæ est perniciosa ipsis suis doctoribus: quartò à dono Spiritus quod illi habebãt Apostoli dono non inferius, atque sic concluditur hoc primum caput.

Capite secundo ad specialia descendit, vt constet quibus operibus ornanda sit hæc doctrina. Hortatur igitur primùm ad studium concordiæ quod suaui immoratione tractat, & contrariorum collatione. Secundò, hortatur ad humilitatem, & curam pro fratribus, cui addit suaue exemplum Christi. Tertiò ad obseruantiam suæ, id est, Apostolicæ doctrinæ. Huic loco adduntur multa argumenta, vt quòd hactenus semper se tales præstiterint, & quòd Deum habeant in hoc cursu propitium, & quòd ex hac re magna sit speranda vtilitas. Item quòd ipsi Apostolo sit futurum ornamentum, Præterea quòd ipse Apostolus quoque pro ipsis quiduis passurus sit. Atque hactenus Protreptica. Deinceps à ver. 19. capitis secundi, intermissa argumentatione conuertit se ad συςατικά, id est, ad commendationes. Ac primùm promittit & commendat ipsis Timotheum. Secundò suum etiam promittit aduentum. Tertiò, commendat ipsis Epaphroditum.

Capite tertio præmonet de cauendis seductoribus, & grauiter disputat contra circuncisionem, suo proposito exemplo, quo tanquam absoluto ostendit veram iustitiam, quæ coram Deo valeat esse ex fide in Christum, non ex operibus seu circuncisionis, seu alterius legis.

Capite quarto repetit exhortationem ad constantiam, quæ planè pertinet ad generalem propositionem priùs positam, mox specialia ingreditur, & priuatas personas officij admonet, vt Euodiam, Syntichem, & similes. Versu 8. constituatur quinta pars, Epilogus totius epistolæ. Cuius loci sunt: primùm repetitur exhortatio ad vitam, quæ ornet Christianam professionem. Alter locus habet laudes Philippensium, & in Apostolo grati animi est argumentum: dederant illi vitæ necessaria præ reliquis ecclesiis liberaliùs, hoc studium hîc commendat. Similia habuimus in 2. ad Cor. cap. 11. Tertius locus habet Doxologiam. Quartus, salutationes. Quintus & vltimus, comprecationem: & sic absoluta est etiam præsens Epistola.

IN



IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.



PHILIPPI vetus colonia fuit Thasiorum in Macedonia, olim Datos & Crenida dicta, quia fontibus abundaret collis in quo condita fuit. Hanc postea Philippus Macedo vallo muniuit, & auctiorem reddidit, ideo de se Philippos appellauit. Plin. lib. 4. cap. 11. Thraciæ vrbibus hanc connumerat.

De vrbis Philipporum origine.

Appianus Alexandrin. pulchrè eam describit lib. 4. De ciuilibus bellis. Sunt enim hîc campi Philippici nobilitati victoria Octauij Augusti contra Brutum & Cassium Iulij Cæsaris interfectores. Verba Appiani sunt, Philippi ciuitas est, quæ olim Datos dicebatur, Crenida ante nomē Dati appellata: fontes quippe plurimi circa collem, vberib. scaturiunt aquis. Eum locum Philippus, vt accommodum, metatus super Thraces vallo sepsit, & à se Philippos nuncupauit. Condita est autem ciuitas in prærupto quodam colle, cuius magnitudine collis latitudinem complexa est, habétque à Septentrione saltus & nemora, ad quæ Rascupolis Bruti exercitum considere monuit: à Meridie palus adiacet, & mare vltra illam: ab Oriente Sapeorum & Torpilorum visuntur angusta: ex Occidēte campus amplissimus ad Murcinum vsque & Drabiscum & Strymonis fluuium per 350. stadia protenditur, gramine vberrimus, & amœnus, &c.

Ad hos Philippēses etiam peruenit diuus Paulus Spiritu monitore, Act. 16. & vnà cum Syla multis diebus ibi docuit, hospitio vsus Lydiæ cuiusdā matronæ purpurissæ: mox cæsi in carceres coniecti sunt ob spiritum Pythonis è puella eiectum, sed mox mirabili Domini consilio gloriosè dimittuntur. Hos igitur absens & à se rectè institutos confirmat in suscepta doctrina, & hortatur vt omnib. modis persistant in fide, & vitæ innocētia professionē ornent.

Occasio.

Occasio partim oblata est, quanquam enim constantes manserint: attamen dissidia habebant domestica. Hinc toties hortatur, ne quid per contentionem agant, vt cap. 1. vers. 28. cap. 2. vers. 3. & 14. Præterea omnibus passim Ecclesiis imminebant grauia pericula & persequutiones, imprimis ignominia crucis multos auocabat, vt ipsius Apostoli vincula, quæ omnia hac epistola commodissimè diluit, & ipsos confirmatos ad quæuis pericula subeunda facit.

Accedit etiam quòd à falsis doctoribus solicitarentur vt Circumcisionem susciperent, vt cōstat ex c. 3. v. 2. & seq. Ne igitur his accideret quod Galatis euenerat, præmonet vt hos doctores quasi canes & hostes crucis Christi, fugiant. Partim etiam quæsita videri potest, vt nimirum ob diuersa beneficia ab hac Ecclesia accepta, piis gratias ageret: vnde c. 4. prolixè illorū commendat liberalitatem, qua & nunc, & priùs Thessalonicam Apostolo miserint necessaria vitæ.

Propositio.

Scopus principalis est, Ecclesiam confirmare vt persistant in hac professione, Sit igitur πρότασις, Philippenses in vera Christi religione, vitæque innocentia constanter perdurare debent vsque ad finem, cap. 1. vers. 27. dignè vocat hoc, ambulare Euangelio Christi.

Genus.

Vt in aliis epistolis, ita in hac ferè mixtum est, respiciendum tamen ad id quod principale ac prædominans solet esse: id puto hîc esse suasorium. Nam ad fidei constantiam, ad innocentiam vitæ, ad concordiam, ad pacis studium, humilitatem, ac similes virtutes hortatur.

1. Accessoria deinde sunt: congratulorium εὐχαριστικὸν, quo Deo pro illorum fidei dono gratias agit: item quo ipsis Philippensibus pro subministratis vitæ necessariis gratias agit.

2. Διδακτικὸν, c. 1. ver. 12. & sequentibus planè est illustris doctrina, vincula scilicet sua non facere ad ignominiam doctrinæ, sed ad eiusdem confirmationem: sic in confirmatione ex-

hortationis omnia didactica sunt, quòd scilicet oportet esse cõstantes in fide & innocentia vitæ:& cap.3.didactica omnia sunt quæ contra iustitiam Legis pro iustitia fidei differit.

3. E'παινετικὸν etiam hinc inde est aspersum, vt cap.1.Philippenses à constantia laudat, & cap.4.à liberalitate sibi exhibita: sic cap.2.v.20.laudes asperguntur Timothei, & ibidem v. 25. Epaphroditi.

4. Sunt quoque μεμπτικὰ quædam hîc,hoc est,reprehensoria, vt cap.2 vers.21. omnes sua quærere,& non quæ sunt Christi.& cap.3.vers.2. Cauete canes,malos operarios,concisionem.& ver.18.hostes crucis Christi,quo Iudæos quosdam traducit, qui doctrinam Legis & Circuncisionis cum Euangelio commiscebant, quasi ceremoniæ Mosis & Circuncisio obseruatu esset necessaria,Christi sectatoribus.

Partes.

1. Quinque sunt membra præsentis epistolæ. Primum, continet Titulum: complectitur hic,more Apostoli, personas scribentes, personas ad quas mittitur epistola, & piam comprecationem.

2. Deinde, sequitur exordium, quod constat εὐχαριστίᾳ pro dono collatæ cognitionis Filij Dei,& multiplici fructu in eo.

3. Hinc subsequitur confutatio eorum,quæ maleuoli solebant in inuidiam Apostoli torquere,vt quòd captiuus teneretur,quòd de vita eius esset actum & similia.

4. His mox additur generalis Propositio,cap.1.v.27.de innocentia vitæ retinenda, quod ipsum est dignè Euangelio viuere. Huic sententiæ addit confirmationem plenam, qua primùm ad constantiam hortatur cap.2. Deinde eadem vehementia hortatur eos vt falsos doctores caueant cap.3.Tertiò,ad specialem descẽdit, ac quosdam nominatim in Ecclesia Philippensi hortatur ad vitam Christiano homine dignam,qualis est Εὐωδία,Σύζυγος, &c. Atq; illa omnia ad quartam partem refero, quandoquidem omnia sunt προτρεπτικὰ, vt meritò ad idem genus spectent.

5. Vltima pars,est Epilogus cap. 4. vers.8. hîc enim continetur breuis repetitio præcipuarum virtutum ad quas eos prouocat. Deinde narrat ipsorum studium, quo non semel subministrarunt Apostolo necessaria. Tertiò est δοξολογία. Quartò adduntur mutuæ salutationes.Demum consueta subscriptione finit epistolam.

Atque illa est huius epistolæ œconomia natiua ex ipso contextu deprompta. De singulis ordine,quoad fieri potest,breuiter & perspicuè agemus deinceps. Dominus addat gratiam suam & benedictionem. Amen.

CAPVT PRIMVM.

TITVLVS.

Inscriptio & eius partes.



EPIGRAPHE more Apostoli complectitur tria membra, quæ ad perspicuitatem & beneuolentiam pertinent:indicat enim quis scribat, cui scribat, & quid comprecetur.

Quis scribat?Paulus est & Timotheus: coniunctus est titulus ratione scribentis:sic 2.Corinth.quoque hunc sibi coniunxit, & ad Galatas, omnes fratres qui secum erant. Illic fortè,quia causa de qua scripturus erat, plurium autoritatem requirebat,imprimis apud Galatas qui ignauiter lapsi erant:hîc contrà scribens ad Ecclesiam piam & constantem in veritate fidei, Timotheum vt hominem & ministrum charissimum in Domino sibi coniunxit. Vtrumque serui nomine ornat, quod satis erat ad professionem humilitatis & conditionis præsentis,qua pro Christo in vinculis tenebatur. Apostoli nomen omittit, quia authoritate Apostolica non opus erat apud Philippenses, qui per omnia adhuc constantes manserant contra seductores:non ita Galatæ & Corinthij.

Sancti qui dicantur.

II. Cui scribat? *Omnibus sanctis qui sunt Philippis*, id est,fidelibus,qui Christi professionem susceperunt & vt se cum Timotheo seruum Domini agnoscit, ita sanctos eos qui in Christum credunt,eiusdem Domini ministros & auditores faciẽs,qui non minus curat pios auditores quàm eruditos ministros, ideo fraternè agant, & humiliter ambulent & diligenter doceant, eidem Domino reddituri rationem. Addit auditoribus ordinarios ministros *cum Episcopis & Diaconis*,Episcopi sunt vigilantes ministri, qui sedulò & cum fructu docẽt, & quia de pluribus hîc loquitur,apparet amplissimam fuisse Ecclesiam, vt mirabile sit tam breui tempore in tantam magnitudinem excreuisse: vnde quibusdam placet scribi hanc epistolam,non ad metropolitanam solùm Ecclesiam, sed ad omnes in toto illo Philippensium agro,quemadmodum illa ad Galatas ad omnes totius Galatiæ.& 2.ad Corinth.ad omnes totius Achaiæ. Mihi placet id quod etiam certius est, solam habitam rationem Ecclesiæ in Philippis constitutæ: illa pro sui amplitudine plures habebat Episcopos,hoc est,vigilantes

Episcopi qui sint.

tes ministros,qua significatione etiam sumitur Act.20. vers. 28. & aliâs diximus quoque de voce Episcopi. Diaconi sunt, vel qui Episcopis cõiuncti erant, docebántque interdum & eis etiam aderant in aliis negotiis:vel qui pauperum curam gerebant,ægrotorum, aduenarum, quorum nomine collectam à fidelibus colligebant & distribuebant in vsus pauperum, consilio ministrorum ac aliquorum seniorum. Diaconi qui dicti.

III. Quid comprecetur? Duo illis à Deo optat, *gratiam*, id est, Dei beneuolentiam, & *pacem*, hoc est, studium concordiæ inter fideles & cum aliis: cum Deo verò pacatas conscientias. Horum bonorum fons est Deus Pater, organum autem per quod ad nos deriuantur, Filius Iesus Christus, qui dominus est, quia Pater Filio dedit omne iudicium, nec excludit quominus sit etiam simul Deus: vide superiores epistolas. Gratia & pax.

Exordium.

Vers.3. *Gratias ago Deo meo. &c.*

Exordium declarat pios affectus Apostoli erga Philippenses, nam absens pro illis apud Deum intercedit: deinde ipsis per epistolam congratulatur, atque hunc ipsum intercedendi affectum scripto aperit multísque rationibus confirmat: hinc ad comprecationem sese conuertit, Deúmque rogat vt dona præsentia eis augeat, imprimis verò mutuam dilectionem, quam munit cognitione & sensu. Exordiũ.

Genus igitur Exordij συςατικὸν est ad comparandam beneuolentiam institutum: hinc sententias habet morales, quæ bonam conscientiam, pium studium,& sinceram dilectionem declarant. Itaque τῇ ὕλῃ est ἠθικὸν, forma συςατικὸν, sine τὴν εὔνοιαν respicit.

Partes duæ sunt: congratulatio ob statum præsentem, qui felicissimus videtur ob facilitatem admissæ veritatis, & ob continuationem in eadem professione. Comprecatio autem optat eis dona auctiora, præsertim dilectionem. Congratulatio postea constat Propositione & confirmatione: à Propositione igitur sumit initium. Partes.

Vers.3. *Gratias ago Deo meo.*

Propositio est Exordij, cuius hæc est sententia, Deo in precibus meis semper pro vobis ago gratias, sed hanc sententiam multis circunstantiis expolit: nam affectuum magnitudo non fert simplicem orationem, sed vt affectus exuperans est, ita orationem reddit redundantem. Declarat quid ipse in eorum causa soleat agere in vinculis. Primùm ait, *Deo meo ago gratias*, non simpliciter Deo, sed suum facit, qui ratione dominij & creationis communis erat, idem piorum specialiter est, quia Deus Abrahæ, Isaaci, Iacobi, singulariter dici voluit: & in nouo Testamẽto Deus fidelium: sic Christus iussit inuocare Patrem nostrũ, & dixit Christus in cruce, Deus meus, Deus meus quare deseruisti me? Sic Apostolus Deo suo, hoc est, tutori & propitio defensori agit gratias: deinde, *in omni memoria vestri*, hoc est, quoties vestri sum memor, soleo in laudes Dei erumpere & gratiarum actionem. Tertiò, *semper id facio*: dici enim poterat, raro forte nostri es memor: respondet, imò semper. Quartò, *in omni deprecatione mea*, hoc est, quamuis semper vestri sim memor, attamen imprimis in orationibus meis ad Dominum tum sese affectus erga vos latissimè effundit. Coniungit autem vtiliter εὐχαριςίαν & δέησιν, nam illa pro acceptis beneficiis Deo refert laudes: hæc verò mala deprecatur, & ea quibus euerti præsentia bona poterant. Deinde comprecatur illa omnia, quibus ad conseruationem nostri indigemus. Quintò, *pro omnibus vobis*: omnes complectitur suo affectu, respiciens saniorem partem, nam indubiè erant in eo cœtu etiam improbi, hypocritæ & similes, sed eorum non offensus numero, totam Ecclesiam piorum titulo complectitur. Deinde *cum gaudio preces faciens*, hilaris est affectus in rebus secundis, & quia Apostolus in vinculis detinetur, amplior est dilectionis declaratio: non enim fieri potest quin sincerus sit amor in vinculis pro aliena felicitate exultantis. Propositio. Cur Paulus vocat Deum suum.

Vers.5. *Pro communicatione vestra in Euangelium, &c.*

Ratio propositionis sequitur, nam reddit causam cur Deo tantopere gratias agat pro Philippensibus. Mouentes igitur causæ sunt priores à ratione vocationis ipsorum ad veritatis cognitionem.

Primùm inquit, mouet me vocatio vestra, quia video vos facili quadam ratione vocatos ad Euangelium: εἰς τὸ εὐαγγέλιον notat terminum ad quem: nam pœnitentia duos habet terminos à quo sit conuersio, eum hîc præterit tanquam notum: conuersi enim erant à tenebris, à Gentilismo, ab erroribus & summa ignorantia. Terminus ad quem, est Euangelium, hoc est, vera Dei cognitio, lux, Christus filius Dei, quæ omnia nunc amplectuntur, reiectis tenebris. Huius tanti boni κοινωνία vobis data est: est illa non iuris, sed gratiæ. Communicatio iuris est, qua plures vsumfructum in eadem re habeant, vt syluæ, campi, agri, loci compascui, vnius pagi incolæ habent κοινωνίαν: quia ius illis commune est. Hoc modo si fideles omnes spectes habent etiam κοινωνίαν in bonis Euangelij, quia communi iure acce- Pœnitentiæ termini duo, à quo & ad quem.

dunt ad vsumfructum, nec vnus altero plus hîc iuris occupat. Cæterùm si deum ipsum spectes, tota illa κοινωνία non iuris, sed gratiæ est. hinc est quòd Apostolus tanto affectu sese Deo gratum pro eo beneficio declarat, quia in hac communicatione multi illustres prætereuntur à Domino, eliguntur ignobiles & cœtus quidam abiecti: pompa mundi illustris, ex doctis, nobilibus, sapientibus, & diuitibus negligitur. Ideo agnoscenda est Domini gratia. Considerandus etiam in hoc argumento est modus vocationis: videtur enim innuere facilè & sine magnis motibus vocatos esse à prima statim die: idem quidem verum esse potest quod ipsos attinet, nam Paulus certè isthic summa expertus est pericula, Act. 16. sed illa plenam videntur occasionem dedisse conuertendis illic electis. Hæc varietas passim solet accedere, alij pacatè vocantur sine turbis & seditionibus, vt nostro seculo bona pars Germaniæ pacificè admisit Euangelium: contrà Gallia magnis tumultibus vixdum cedit veritati, ac plus hausit sanguinis Christiani, quàm contra externos hostes, hoc est, Turcas, eo toto tempore sit effusum. Deploranda est illa hominum miseria.

Communicatio Dei, gratiæ est. Modus vocationis.

Deinde non solùm beneficij collatio mouet Apostolum, sed etiam continuatio. Cœperant rectè de Christo sentire, quod doni erat, sed in ea confessione diu perstant, *vsque nunc*, hoc est, ad hoc vsque tempus quo scripta est à me hæc epistola: quantum hoc sit temporis spatium ex circunstantiis colligi debet Act. 16. in secunda Apostoli peregrinatione conuersi sunt. Epistola autem postea Romæ scripta in vinculis, mora commendabilis in honesto proposito, nec frustrà à diuturnitate se dicit excitari ad gratiarum actionem. Itaque hoc alterum sit argumentum, veritas Euangelij iam aliquot annis apud vos est conseruata diuinitus. Ergo meritò pro eo beneficio Domino gratiæ aguntur per me.

Versu 6. *Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit opus bonum, perficiet vsque ad diem, &c.*

Tertio loco beneficium continuat in futurum quoque, bene cœpistis, deinde hactenus rectè perdurastis, denique certus sum vos deinceps etiam perseueraturos: meritò igitur pro vobis Deo ago gratias. Ἔργον ἀγαθὸν vocat felicem illam veritatis agnitionem, huius causam refert ad Deum, qui est ἐναρξάμενος, exordiens, dat enim velle, & perficere, dabit etiam vobis (ait) optatum finem, hoc est, vt feliciter perduretis vsque ad mortem: vocat diem Domini plenam restitutionem temporum, nec interim tribuit illis tandiu viuere, sed pios constanter in hac professione mori: non igitur desperandum est vbi viderimus initia pietatis aliquibus esse communicata: nam Dominus non deseret opus suum, qui cœpit idem etiam continuabit, & perficiet opus suum.

Dies Domini.

Vers. 7. *Sicut decet me hoc pro vobis omnibus curare, propterea quòd vos in corde teneam: & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij participes.*

Argu. à persona Apostoli

Quarto loco à sua persona ducit argumentum: habet autem vim à decoro & honesto, quòd suam personam hoc deceat: vt enim decet præceptorem bene sperare de suis discipulis, & pro his intercedere, Deóque pro eorum profectu agere gratias: sic doctorem decet pro auditoribus suis Deo gratias agere, déque eorum profectu bene sperare. Sic intelligo præsentem locum. ἐστὶ δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο, decet me hoc: & τοῦτο refero primùm ad πεποιθὼς, quasi dicat, decet me de constantia vestra etiam in futurum bene sperare. Deinde ad primum illud εὐχαριστῶ: nam in genere argumentatur à decoro suæ personæ, quasi dicat, simpliciter enim officium meum hoc postulat, vt pro vobis apud Deum intercedam, illi etiam summas gratias agam, de vobis omnibus bene sperem, &c.

Propterea quòd vos in corde teneam.

Redditio est qua confirmatur personæ suæ decorum: dixit, decet me absolutè hoc facere: sed quare hoc te decet? Resp. quia intimè, & minimè fucatè vos diligo, ius amoris mihi dictat hoc officium, dilectio imponit mihi hoc decorum, quòd habeam vos in corde, hoc est *den ich hab euch hertzlich lieb*. Est quidem ambigua sententia Græca: nam potest etiam hic esse sensus, quia vos me tenetis in corde, hoc est, amanter me diligitis. q. d. par est vt rependam vobis hunc amorem quum tantopere me diligatis: oportet enim ἀντιφίλησιν esse in amore, sed prior sensus melior est ad præsentem locum, vt constat ex versu 8. Sensus igitur est, intimè vos diligo, ideo decorum seruare debeo: quæ sequuntur αὐξητικὰ sunt amoris, *Etiam in vinculis meis* vestra procuro, imò in apologia mea vestri sum memor.

Dilectio Pauli erga Philippẽses.

Et confirmatione Euangelij participes.

Alia est decori sui ratio, quia, inquit, agnosco vos fratres consortes gratiæ in confirmatione Euangelij, hoc est, in gratia Dei me non inferiores: debeo igitur pro æqualibus Deo gratias. Deinde hic sensus ad dignitatem Philippensium mirificè facit, nam vt Apostolus ipse confirmabat Euangelium doctrina, moribus, & constantia in confessione: sic non minora agnoscit in Philippensibus, quòd scilicet & ipsi docendo, innocentia vitæ, & constantia in confessione fortiter tuerentur Euangelium. Et hæret sensus à particula διὰ, prius dixit,

Dignitas Philippẽsium.

dixit, διὰ τὸ ἔχειν με, iam διὰ τὸ ὄντας ὑμᾶς, quia estis mihi consortes, hoc est, non inferiores me in gratia, Modestia Apostolica est de piis auditoribus piè sentire ac loqui.

Vers.8. *Testis mihi enim Deus est, &c.*

Confirmatio amoris Pauli, per iuramentum.

Redit ad confirmationem amoris, quem Dei conscientia illis testatum facit. Ac poterant Philippenses Apostolo tutò credere etiam iniurato, nec est vlla necessitas compellens ad prouocationem hanc: tamen amoris magnitudo sibi non satisfacit, quin ad Dei tribunal quoque sese recipiat. Confirmat igitur veritatem Dei testimonio. Et quia nulla compulsus necessitate hoc facit Apostolus, dolendum est quosdam ita superstitiosè esse simplices, vt compulsi etiam nolint Dei testimonio sermonis veritatem contestari. Apostolus ait, quòd verum loquar hîc, vósque sinceriter amem, Deus mihi testis est. Ita non impium est dicere, hoc vel illud me seruaturum, facturum, facere & seriò dicere, Deus mihi testis est. Deinde hæc verba satis declarant priori versu de suo amore, non Philippensium esse loquutum.

Vers.9. *Et hoc precor, &c.*

Comprecatio secunda pars exordij.

Secunda pars exordij quam nominaui comprecationem. Hactenus congratulatio est absoluta. Cohæret autem superioribus tanquam effectus: intimè vos diligo, quomodo pro vobis etiam apud Deum intercedo, non solùm ago gratias. Itaque gratiarum actio & intercessio vel εὐχαριστία pro acceptis, & προσευχὴ pro agendis beneficiis ex eodem fonte promanat, amoris scil. Πρότασις est, Oro Dominum vt dona sua in vobis, præsertim dilectionem augeat: pro hac autem augenda imprimis intercedit, quod in reliquis commodè videantur habere, sed practica semper crescere debent. Deinde difficiliora sunt ea quæ in praxi sunt posita. Denique Christus prædixit futurum vt languescat, Matth.24. & certè proximus hac imprimis indiget: ideo pro illius auctione semper est orandum. Deinde obserua dilectionem hîc muniri duobus comitibus, cognitione scilicet & sensu: cognitionem hîc intelligo iudicium quo vir bonus ab hypocrita, frater à falsario discerni potest. Ἐπίγνωσις igitur est comes charitatis discernens bonos à reprobis: nam quum dilectio omnia credat, facilimum est ei imponere: munienda igitur est ἐπιγνώσει. Sensus verò αἴσθησις est, qui compatitur miseris, vt igitur cognitio reprobos repellit, vt indignos amore, sic αἴσθησις, sensus commiserationis quosuis obuios complectitur, eos iuuat & subleuat nomine Christi.

Dilectionis duo comites.

Vers.10. *Vt probetis differentia, &c.*

Comitis prioris h.e. cognitionis vsus.

Officium & vsum iam monstrat illorum comitum, imprimis cognitionis, cuius opera homines pij probant rerum discrimina. Δοκιμάζειν probare & examinare est, quod fit ab his qui rerum differentias & discrimina inquirunt. Διαφέροντα accipio simpliciter pro rerum discrimine, quasi dicat, charitas iudicio debet esse instructa, vt diiudicetis quid in salutem vestram faciat, quid minus, vt cum fructu dilectionem exerceatis. Deinde, *vt sitis sinceri*, scilicet erga proximum in faciendis eleemosynis, vt sitis ἀπρόσκοποι, hoc est, nulli detis offendiculum, sed potius omnes, quoad fieri potest, ædificetis. Ita de se loquitur Apostolus Actorum 24. versu 16. In hoc me exerceo vt habeam sine offendiculo conscientiam. 1. Corinth.10.v.32. Sine offendiculo sitis Iudæis & Græcis.

Vers.11. *Pleni fructibus iustitiæ, &c.*

De dilectione se loqui pleniùs iam declarat per fructus iustitiæ: nam bona opera hoc titulo ornantur, & inter bona opera præcipua sunt liberalitas in pauperes.

Bona opera cur fructus dicantur.

Fructus dicuntur, quia in consequenti declarant iustos, non faciunt: hinc fit vt homines sæpe in iudicando fallantur, iustos pronuntiando dum vident bona opera, quæ tamen reuera bona non sunt, vel certè non bono fonte prodeunt. Ideo Apostolus mox verè bona opera separat ab hypocritarum operibus: τῶν, inquit, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, hoc est, illa verè sunt bona quæ efficiuntur per Christum in suis electis. Hypocritarum non fiunt per Christum, ideo non huc pertinent. Deinde altera est distinctio à fine, his, inquam fructibus iustitiæ debitis pleni esse, qui fructus concernunt gloriam Dei, & laudem illius, quum hypocritæ sua omnia faciant vt spectentur ab hominibus & magni ac spectabiles sint. Prior distinctio sumpta est à causa efficiente: posterior à fine.

Confutatio.

Pauli hostium duplex genus.

Habuit Apostolus duplex genus hostium: quidam palàm illi erant infensi propter doctrinam, qui nulla ratione illi communicabant, quales erant Iudæi nondum conuersi, Pharisæi & alij inimici crucis Christi: hi palam damnabant & personam & doctrinam Apostoli. Alij contrà eandem videbantur agnoscere religionem, & Christiani haberi volebant, interim damnabant in Paulo multa, in docendi genere quoque desiderabant quædam: hi obliquè insectabantur Paulum, adeò vt aduersam illius fortunam calumniosè interpretarentur, quasi Deo irato traheretur hinc inde in vincula, & iam Romæ detineretur captiuus magna cum Euangelij ignominia, & infirmorum scandalo. His calumniis hîc respondet Apo-

1. 2.

Confutationis arg.

stolus, sed admodum modestè: nam solùm recenset fructum qui ex suis vinculis ad causam Euangelij peruenerit: hinc reipsa confutantur nugæ hypocritarum clàm illum calumniantium. Hac occasione differit de docentium diuersitate, & patefacit promptum animum, & ad vtramque fortunam paratum, cùm ad mortem, tum ad vitam, & quum sui respectu ei expediret mori, tamen in Ecclesiæ gratiam se vitam non aspernari.

Genus. Genus διηγηματικὸν est, nam confutationem velat simplici narratione, quæ recenset τὰ ἐκβησόμενα.

Partes. Partes quatuor sunt: primò enim narrat incrementa veræ doctrinæ. 2. docentium aperit contentionem. 3. suum de his fert iudicium modestè. 4. Pia est ἀπορία, dubitatio, & hæsitantia constituti in mortis aut vitæ electione, vtrinque rationibus consilij non pœnitendis expressis.

Vers.12. *Velim autem vos scire, &c.*

Ab attentione exorditur locum, de re scitu necessaria admoniturus, inquit, *Scire vos velim*, quasi dicat, hoc vos scire multum interest: nam confirmandi erant contra calumniatores, & expediebat rei veritatem nôsse. Deinde fratres compellat, vt sciant ab animo amico hanc admonitionem prodire. Hinc propositio statuitur, Fortuna mea magis ad Euangelij profectum quàm impedimentum facit. τὰ κατ' ἐμὲ vocat acta secum in vinculis, in quibus constantiam seruauerat. προκοπὴν profectum, tacitè opponit aduersariorum calumniis, qui dicebant illa facere ad ἐγκοπὴν, hoc est, ad impedimenta. Itaque perfecta statuatur propositio, seu potiùs ἀντιπρότασις. Vincula mea non faciunt ad ἐγκοπὴν, sed magis ad προκοπὴν Euangelij, hoc est, magis illustratur Euangelium meis actis, quàm obscuretur, quicquid maleuoli mei dicant.

Vers.13. *Adeò vt vincula mea, &c.*

Constantiæ Pauli in vinculis vtilitas. Confirmatio propositionis ab euentis: primò vincula mea, hoc est, cōstantia mea in vinculis, quæ Christi nomine perfero, illa, inquam, notoria est facta in toto prætorio, id est, aula Neronis, significans multos in aula Cæsaris admirari suam cōstantiam, & hinc etiam meliùs sentire de causa Euangelij, quò facit quod infrà cap.4. vers. 22. Multi ex familia Cæsaris fideles salutant.

Deinde non in aula sese continuit constantia mea, sed totam Romam etiam compleuit, & multi passim me accedunt, audiunt, & meliores discedunt, vt colligi potest ex fine Actorum.

Tertiò, infirmi fratres meo exemplo confirmati sunt, vt liberiùs & doceant, & confiteantur Christum. λέγειν τὸν λόγον est Euangelium docere, id faciunt fratres, inquit, iam περισσοτέρως copiosiùs quàm priùs, quasi dicat, priùs ne hiscere audebant, at mea perspecta constantia, in apologia Euangelij liberè docent: deinde ἀφόβως docent sine metu, quum priùs nihil non metuerent.

Vers.15. *Nonnulli quidem per inuidiam, &c.*

Doctorū discrepantia & eorum genera duo. 1. Secunda pars de doctorum discrepantia, éstque ordine quartum ἐκβησόμενον, quia etiam maleuolos irritaui ad mei æmulationem, vt nunc diligentius doceant Christum. Duo igitur sunt genera docentium, alij per inuidiam & contentionem, quod postea vocat ἐξ ἐριθείας Christum docere: item προφάσει prætextu quodam Christum docere: hi non castè docent, hoc est, non bono Spiritu impulsi docent, sed liuore quodam & inuidia, mihi inuident istam laudem, qua prædicari me meásque res passim audiunt. Deinde finis etiam vitiosus est, volunt afflictionem augere mihi, & misero miserias augere: sed rectè, inquit, putant se hoc effecturos, quasi dicat, falluntur tamen, quia suo me ingenio & pede metiuntur, putant id me mordere & malè habere, si audiam illos etiam Christum docere: sed non ita est, non laboro ipsorum morbo, ambitione scilicet & inuidia. 2.Genus. Alij sunt qui pio studio ducti docent Christum meo etiam exemplo excitati. Tribuit his docere δι' εὐδοκίαν, hoc est, bono animi proposito: item ἐξ ἀγάπης docere: item τῇ ἀληθείᾳ docent, hoc est, nudo veritatis studio. Hos excitat meum exemplum: quia vident me positum esse ad defensionem Euangelij: magna est laus Apostoli, quam tribuit illi conscientia rectè iudicantium de religione.

Versu.18. *Quid tum? interim omni modo, &c.*

Sentētia Pauli de diuersis doctoribus. Tertium membrum in quo suam fert sententiam de doctoribus tam diuersis. Locus habet ἐπίκρισιν, sui iudicij expressam censuram. Ostendit autem omnino falli hypocritas, qui docendo cupiebant Apostolum vrere, quasi dicat, tantum abest vt hoc me mordeat, vt magis singulari afficiar gaudio: *Annuntiatur interim*, inquit, *Christus quouis modo, de hoc lætor:* cautè loquitur non dicens annuntietur, sed annuntiatur: non præcipiens, sed narrans simpliciter vt res gerebatur. Nam si penes Apostolum fuisset, consilia illa mutasset, quum non possit, relinquit mouentes causas malas & finem etiam peruersum, ac laudat id

quod inde aliud agendo, Deus eliciebat bonum, ac de illo gaudet.

Verſ.19. *Scio enim quòd hoc mihi, &c.*

Confirmatio conſolatoria: oſtendit enim quî gaudere poſſit in hac docentium contentione. *Poſſum*, inquit, *quia mihi cedet ad ſalutem:* euentus eſt in manu Domini poſitus, non in inuidiorum arbitrio vt eliciant id quod ipſi cupiunt. Magna eſt conſolatio euentum ſcire Dei iudicio gubernari, & non hominum libidini permiſſum eſſe. Contentio docentium conſolatur Paulum.

1. Addit cauſas adiuuantes, preces ſanctorum, quaſi dicat, ſeruabor inuitis meis æmulis, hoc ſcio quòd adiuuabor veſtris precibus quibus me Dominus donabit adhuc ad tempus breue. Interceſſio fidelium multum poteſt in hac vita. 2. Adiuuanti ſubiungit efficientem, *Subminiſtrationem ſpiritus Chriſti*, is enim per ſe donat conſtantiæ virtutem, & dat in ipſa hora quid loquendum ſit. 3. Addit aliam adiuuantem, *ſuam infallibilem expectationem.* Ἀποκαραδοκία ſolicita & anxia eſt expectatio, qualis ſolet eſſe in parturientibus, vel anxiè aliquid explorantibus, vide Rom. 8. verſ. 19. Quartò hanc confirmat ſpe quæ falli nõ poteſt, quum Dei verbo & miſericordia nitatur, q.d. non fraudabor honeſto fine: Chriſtus glorificabitur per me ſiue moriar, ſiue viuam diutius.

Verſ.21. *Mihi enim viuere Chriſtus eſt & mori lucrum.*

Γνωμολογία eſt, oſtendens ſe ad omnem fortunam paratum, cadat res vtut velit, fixus eſt mihi ſcopus, Chriſtus gloria, hãc aſſequar viuens & moriens. Mors lucrũ dicitur, quia compendio deponuntur omnes ſimul miſeriæ: & eſt aditus ad æternam felicitatem, ad conſpectum Domini, ad cœtum ſanctorum. Eſt tamen alius ſenſus hîc obſeruatus minimè negligendus, ſcil. Chriſtus eſt mihi lucrum κατὰ τὸ ζῆν & κατὰ τὸ ἀποθανεῖν: quo ſenſu Chriſto totum defertur tam in vita hac, quàm in mortis agone. Sententioſa locutio.

Verſ. 22. *An verò viuere in carne, &c.*

Quartus locus, ἀπορία pia conſtituti inter vitam & mortem, quid eligendum ſit. Difficilis eſt illa electio homini pio, videt enim vtrinque rationes, emigrare ad cœtum ſanctorum erat conducibile Apoſtolo, at contrà videt Eccleſias ſua indigere opera: nouas igitur hîc exprimit cogitationes. Viuere in carne, eſt in carne ambulare, vt loquitur 1. Cor. 10. ver. 3. Eadem phraſi vtitur Galat. 2. v. 20. Dubitatio pia conſtituti inter mortem & vitam.

Verſ.23. *Conſtringor ex duobus, &c.*

Ardua eſt liberatio de vita & morte: mori hortaretur ſuauitas vitæ æternæ, conſpectus Chriſti, deſiderium ſanctorum. Et Ethnicos quoſdam legimus ſe enecaſſe tædio vitæ huius, ac futuræ deſiderio, quod de Cleombroto Cic. refert lib. 1. Tuſc. idem de Cleanthe, Zenone, aliiſque philoſophis narratur.

Verſ.24. *Manere autem in carne, &c.*

Altera deliberatio de vita continuanda: neceſſarium eſt Eccleſiæ habere ſuperſtites bonos doctores: ſic Apoſtolus bono Philippenſium viuere cupit, imò reditum ſuum ad ipſos eis promittit.

Confirmatio verſus 27.

De ſeipſo egit ſuperiori loco, defendens vinculorum ſuorum cauſam contra obtrectatorum calumnias. Nunc tranſit ad partes Philippenſium, quos monet vt ſui officij magis ſint memores, quàm Apoſtoli præſentiam anxiè expectent.

Cohærent ſuperioribus, quia illic ſuam præſentiam promiſit Philippenſibus, de qua ne nimium ſibi tribuant aut exultent, eos ad conſiderationem magis neceſſariam reuocat. Genus exhortatorium eſt, vbique enim ad certas virtutes eos excitat, aut in iiſdem ipſos cõfirmat. Confirmationis argum.

Confirmationem voco, quia vt ſuperiùs manifeſta fuit calumniarum depulſio: ſic in his aperta eſt ſententiarum confirmatio, proponit enim Apoſtolus certas virtutes, & ad has firmis rationibus cohortatur, quod Confirmationum eſt proprium.

Πρότασις generalis eſt, Modis omnibus conandum eſt Philippenſibus, vt Euangelij profeſſionem ornent vitæ innocentia, conſtantia in profeſſione, concordiæ ſtudio, aliiſque ſanctis virtutibus. Propoſitio.

Partes ſunt ſecundum diuerſos locos inſtituendæ, qui tractantur. Primus eſt de conſtantia in profeſſione, qui vſque ad finem huius capitis explicatur. Secundus de conſenſu, & pacis ſtudio inter fideles. Tertius, ſpecialis eſt de laudibus Timothei & Epaphroditi, quem locum digreſſione quadam præſenti cauſæ interſerit. Quartus, de vitandis falſis doctoribus, qui ſinceritatem Euangelij corrumpebant Legis doctrina & ceremoniarum Moſaicarum. Quintus, ſpeciales habet cohortationes ad priuatas quaſdam perſonas, in quibus aliquid deſiderabat Apoſtolus, vel quæ ob infirmitatem ſingulari egebant exhortatione. De his agitur vſque ad verſum 8. capitis 4. Partes.

Verſu 27. *Tantùm vt dignum eſt Euangelio, &c.*

Locum orditur à μεταβάσει, tranſit enim ad officium auditorum, quod docet oportere Trãſitio

ad officiũ auditorum.

vita & moribus respondere Euangelicæ professioni, quasi dicat, de mea præsentia nolite nimium anxij esse, potius hoc curate, &c. vt sit tacita quædam antithesis curarum. Honesta quidem est cura pro ministris solicitum esse, at multò vtilior cura proprij officij, in quod toti debemus incumbere. Deinde obseruetur propositio, quæ his verbis expressa est: dignè Euangelio Christi conuersemini. Sententia est, vita & moribus Euangelium ornate. πολιτεύειν verbum sumptum est à moribus bene institutæ Reip. in qua singuli ordines suum sequuntur officium, vt nemo alteri sit molestus: sic Ecclesia Christi debet hoc ornamentum quoq; seruare, vt honestas publicè seruetur in moribus, ne quis alteri ponat offendiculum: sic erga Deum nos eadem sinceritate debemus gerere. Paulus Actor. 23. vers. 1. Ego omni bona conscientia gessi me coram Deo vsque hodie, vbi eadem est significatio verbi πολιτεύομαι. Hinc πολίτευμα consortium ciuile, societas: discimus hinc pios habere in his terris quoddam πολίτευμα, quod sine crimine non possunt deserere. Illud est quod hîc præscribit Apostolus. Aliud habent in cælis, de quo infrà cap. 3. ad quod per hoc iter est: non enim celestis ciuitatis reddũtur ciues, nisi in his terris cœperint eidem aggregari. Ideo Apostolus vrget vt iam iam ambulent vt decet Euangelium. Ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου, dignè Euangelio, hoc est, vt decet conuersos & renatos, qui bonos mores, innocentiam vitæ & similia profitentur. Itaque constat si illi dignè Euangelio viuunt, qui illud ornant moribus & conuersatione, reliquos afficere ignominia Euangelium, qui pro libidine viuunt: & reuera sanctissimum Euangelij nomen, & honestissimum Christiani hominis nomen prostituitur, nulla re magis quàm impietate & petulãtia Christianorum, vt malè audiat nomen Domini propter illos inter Gentes, non minus quàm olim inter Iudæos.

Πολιτεύειν quid sit.

Ambulare dignè Euangelio.

Vt siue veniam, &c.

Argum. ab ambiguo.

Προτάσει iam subiicit confirmationem. Ac primum argumentum sumit à causa præsenti: promiserat suum aduentum, sed in eo non totos vult hærere, non tamen omnino eius spem illis adimit: ideo ex ambiguo argumentatur: siue veniam, siue non veniam, debetis ornare professionem Euangelij: ergo in hanc curam toti incumbite. Munit argumentum suo desiderio & cura, semper enim hoc intelligam, si veniam præsens videbo, sin venire non possim, absens tamẽ audiam ab aliis. Turpe sit vobis, me doctorem vestrum tristitia afficere sinistro de vobis rumore. Huic argumento addit specialem propositionem per subiectionem, quòd statis vno spiritu & vna anima. Specialis Propositio, Philippenses curare debẽt vt constantia in suscepta professione Euangelium ornent. Stare vno spiritu & vna anima, accipio de constantia in confessione: nam de consensu specialis sequitur locus. cap. 2. Deinde verbum *Standi* constantiam exprimit, qualis est militum in sua statione. Stare vno spiritu de mente accipio, quæ rectis sententiis debet imbuta esse, vt norit se non absurda dogmata sequi, sed veritatem tueri. Deinde vna anima stare, accipio de assensu voluntatis, quæ mota honestis rationibus subiicit sese Dei voluntati: atque hic consensus necessarius in confessione fidelium, & constantia professionis. Præterea huc facit verbũ συναθλοῦν quod athletarũ est, quo exprimitur pugnantium ardor & cõsensus: estq; verbi huius vis valdè emphaticè hîc posita. Primùm enim ostendit ipsos mutua opera indigere, vt enim in prælio multitudo non tam prodest quàm militum consensus: inde fit vt maximi exercitus sæpe deleantur à paucis concordiam seruantib. Hic sensus, Philippenses sui muneris admonet. Deinde intelligi potest etiam de Apostolo Paulo. Συναθλοῦντες scil. μοὶ, nam ad finem capitis suum proponit exemplũ, & ostendit eis secum commune esse prælium, qui sensus consolationem habet: vident enim Philippenses se non solos in periculo versari, sed habere Apostolum doctorem suum certaminis ducem & participem. Denique ex verbis ipsis emergit etiam hic sensus συναθλοῦντες τῇ πίστει, id est, in prælio opem ferentes ipsi fidei, quasi dicat, fidei professio inanis est nisi viduis exemplis confirmetur in constantia & similibus virtutibus: & reuera Σκίας ὄναρ est tota professio religionis, si non vita & moribus ornetur. Fidem hîc accipio pro fidei & religionis Euangelicæ professione. Hæc adiuuanda est, h. e. confirmanda in ipso prælio, h. e. reipsa in nobis relucere debet id quod verbis profitemur, ne inanis & mortua sit fides nostra.

Specialis propositio.

Stare vno spiritu & anima.

Vers. 28. *Et non terreamini, &c.*

Constantia in professione tuenda.

Altera ratio à contrario: hostibus nulla re cedendum est. Ergo constantia in professione diligenter est tuenda. Ostendit autem multos esse hostes: alij palàm impugnant religionem, quales erant Nero, Ethnici, Iudæi, Pharisæi: alij domestici, qui nomen Christi profitebantur, interim corrumpebant sinceritatem doctrinæ, quos infrà canes & hostes crucis Christi vocat. Tertia ratio est ab euentu dispari. Hostibus certissimum imminet exitium: vobis autem constanter perseuerantibus manifesta salus. Ergo, Durate & vosmet rebus seruate secundis: ἥτις refero ad πίστιν in præcedenti versu, nam alioquin neutro genere dicendum erat, ὅπερ ἐστι, si ad totum complexum respiceret: fides ergo oppugnata manifestum est argumentum perditionis hostium: sic contrà constantia in professione signum est sa-

est salutis. Et ἔνδειξις est ἐπίδειξις declaratio & signum quod rem comitatur, duratque illius argumentum ἐὰν τὸ ἀποκείμενον εἴη, hoc est tandiu valet quandiu illi fidem oppugnant, aut hi etiam constantiam seruant. Sic argumentum sumit à constantia Thessalonicensium, quòd sit signum ἔνδειγμα eos iusto Dei iudicio vocatos ad salutem: quod colligit quia constantes sint in afflictionibus.

Vers.29. *Quia vobis datum est, &c.*

Quarta ratio à donorum copia ac præstantia. Dona Dei non possunt non esse vtilissima & saluberrima, ideo non sunt occultanda: & quantò maiora sunt, tantò maius est crimen illa negligere, ac defodere. Vos habetis duo præstantissima dona Dei, fidem scilicet & constantiæ donum. Ergo in vtroque debetis excellere. Illa duo dona quadam contentione inter se opponit, quasi fides sine constantia nihil esset. Obserua fidem esse donum Dei, vt Ephes.2. ver.8. & Rom.2. ait Apostolus, Deum mensuram fidei distribuere singulis, & 2.Thes.3. ver.3. Fidem non esse omnium. Itaque singulare Dei donum est. Deinde constantia etiam Dei donum: nam ratio nihil tale sub cruce Christi reperit, quale Deus promittit, & suis largitur. Id donũ quum habeant Philippenses, non debent illud terra obruere, sed vsu nitidum reddere. Dei dona fides & constantia.

Vers.30. *Idem certamen, &c.*

Quinta ratio à suo exemplo, quod cõsolationem habet. Quomodo viderint id in Paulo, vide Act.16. &c.

CAPVT II.



LOCVS secundus & similiter tertius hoc capite tractatur: de constantia in professione egit suprà, quem locum validis argumentis muniuit. Hos verò duos non minori diligentia persequitur: graui enim obtestatione eos compellat. Hinc completa propositione exemplum Christi, humilitatis & dilectionis inducit, in quo præcipuè differit de gloria, humiliatione & exaltatione post mortem. Istis annectit alias quoque rationes ad idẽ institutum pertinentes. Tertius locus ad hanc materiam nihil pertinet, sed est sui generis, laudes Timothei & Epaphroditi continens. Argum. cap.2. Partes.

Πρότασις loci secundi est, Consensus & amor mutuus cum summa humilitate quàm studiosissimè in Ecclesia conseruari debet. Partes ordine videbimus. Propositio.

Vers.1. *Si qua igitur exhortatio in Christo, &c.*

Scopus est, Philippenses in summa dilectione, concordia, & humilitate confirmare: quod poterat nudè proponere, vt superiori loco fecit. Sed pectus his virtutibus ardens non satisfecit sibi propositione simplici, nisi etiam addat suos affectus, & auditores affectu quoq; imbuat. Ideo exorditur à contestatione, & commemorat summa, & piis charissima quæque, quasi per sacra ipsos orans vt his virtutibus studiosè incumbant. Attestatio ad concordiam cõtinens 4. membra

Quatuor autem ponit summi ponderis in contestatione: *exhortationem in Christo*, quasi dicat, Christus seruator hoc à vobis requirit, & ipse Deus Pater per nos vos rogat & excitat ad istas virtutes, vt loquitur 2.Cor.5. v.20. Christi nomine legatione fungimur apud vos, Deo rogante per nos hortamur vt Deo conciliemini. Et Christus Filius Dei inquit, Nisi iustitia vestra abundauerit plusquam Scribarum & Pharisæorum non potestis ingredi in regnum cælorum. Matth.5. Item pacem meam relinquo vobis, Ioan.14. Item de mutuo amore ait, In hoc cognoscent homines quòd discipuli mei sitis si dilexeritis vos mutuò, Ioan. 13. versu 35. Hoc pacto Filius Dei hortatur nos: ipse Pater hortatur, & Apostolus nomine Christi hortatur ne in vanum curramus, 2.Cor.6. v.1. 1. Exhortatio in Christo.

Secundo loco ponitur *consolatio charitatis*, quæ & ipsa pondus habet obtestationis. Quum enim Deus sic dilexerit mundum, vt dederit Filium suum vnigenitum, &c. quomodo non hac Dei philanthropia excitabimur ad mutuum amorem, concordiam, & humilitatem. Deinde solatium charitatis est, quia in illo reliqua mandata Dei videntur omnia compleri. Et Christi insignis dilectio nos excitare debet, qui animam suam posuit pro inimicis suis: in quo facto omne solatium nobis est repositum. Denique fratribus nostris solatium est in charitate non tenue, quia indigent nostra opera & liberalitate, quam illis denegare non debemus. 2. Solatium charitatis.

Tertiò, *communicatio Spiritus sancti* in hoc nobis est data: nam inter fructus Spiritus sancti hæ virtutes referuntur, Galat.5. Deinde communis spiritus eadem efficit opera, hoc est, non dissonantia à sua natura edet: sed vbique pacem, dilectionem, humilitatem dictat. Itaque hanc Spiritus κοινωνίαν declarat. 3. Spiritus communio.

Quartò, *Si quæ viscera & miserationes*, refero hæc ad affectus pios Philippensium erga præceptorum Paulum, quasi dicat, per amorẽ mei vos obtestor, ac nisi fucatè me amaueri-

tis, hoc efficite quod iubeo.

Itaque prima ratio est propositionis à grauissima Apostoli obtestatione sumpta: per authoritatem Christi, per dilectionem Dei Patris, per communionem Spiritus sancti, denique per mutuum Philippensium amorem ad has virtutes hortatur, dignæ igitur sunt quas studiosissimè in Ecclesia conseruent.

Vers. 2. *Explete meum gaudium, &c.*

Adhuc suspensa hæret sententia, hîc tandem absoluitur: est enim in his verbis redditio, seu ἀπόδοσις superioris contestationis, habétque secundum argumentum, quia in eo repositum est Apostoli singulare gaudium. Loquitur autem de gaudij inchoati perfectione quadam. Gaudebat Philippenses sine seditionibus facilè admisisse Euangelium: item quòd multis annis in illa cognitione perdurarant, nec admisissent hactenus corruptelas Iudaicas adulterantium sinceritatem doctrinæ Euangelicæ, sed nondum perfectum est gaudium nisi accedat perpetuum studium pacis, dilectionis & humilitatis.

Gaudiū Apostoli

Euidens est argumentum à desiderio Apostoli: nam habebat causas potiùs dolendi, quàm gaudendi, si conditionem suam respicere vellet: detinetur in vinculis, expectat mortis sententiam, & gladium carnificis in omnia momenta: sed his contemptis totus est in negotio Philippensium procurando, vt ipsi quàm felicissimè habeant.

Huic gaudio tandem subiicitur propositionis sententia, *idem sentite*, hoc est, in dogmatibus sit consensus & pacis studium. Deinde, *eandem dilectionem habete*, hoc est, genere eandem quæ est in eo expressa. Diliges proximum tuum vt teipsum. Sic religio Christiana requirit vt pauperem non minus diligam quàm diuitem, peregrinum vt domesticum: alioquin ius naturę hîc variat. Largitur plura domesticis, amicis, affinibus, item diuitibus in honore constitutis; sed Christus, & Apostolus eandem in omnes requirit formam dilectionis. Σύμψυχοι accipio de voluntatum consensu, qui nascitur ex dogmatum conformitate, & diffluit per dilectionem in omnes fratres.

Dilectio qualis esse debeat.

Vers. 3. *Nihil per contentionem, &c.*

Immoratur adhuc in propositione declaranda: ac rem per contraria illustrat. Ἐρίθεια affectus est ambitionis, & mater sectarum: contraria igitur damnat vt laudet & commendet nobis præsentes virtutes. Addit autem superioribus duabus virtutibus, concordiæ scilicet & dilectioni, humilitatem vt illarum cōseruatricem: & hanc describit à proprio affectu, nam humilitas hîc est modestia, moderatè de se suísque virtutibus iudicans, quæ libenter fert aliorum etiam virtutes & laudes, vt valeat alterius eruditio, pietas, imò tales virtutes in aliis laudat, & magnificat, suásque nec confert, nec præfert. Quo instituto facilè conseruatur & pax & dilectio.

Humilitatis descriptio.

Vers. 4. *Ne sua quisque spectet, &c.*

Qartum argumentum à iure naturæ, quia nobis non soli nati sumus, sed partem ortus nostri vendicant sibi etiam amici, fratres, concines, patria: id agnouerunt Plato & Cic. similésque viri prudentes: itaque magis valeat inter Christianos. Platonis illustris est sententia in epistola ad Architam Tarent. Ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν, τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, quem locum Cicero, in officiis eleganter vertit, Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. Dixerunt etiam Stoici homines hominum causa genitos, vt ipsi inter se alij aliis prodesse possint.

Ius naturæ.

Epist. 9.

Vers. 5. *Hoc enim sentiat in vobis, &c.*

Hactenus proposuit, sed splendida & argumētosa oratione: nunc sequitur ipsa κατασκευή, quæ rem confirmat ab exemplo Christi. Atque hoc versu continetur προκατασκευή, id est, aditus ad ipsam confirmationem: reliqua deinceps habent exempli illustrem tractationem. Vis argumenti simpliciter illa est. Qui alium imitantur in studio virtutum, eodem debent rapi spiritu ad illas: sed nos Christum ideam omnium virtutum debemus imitari amore fraterno, pacis studio, & humilitate. Ergo eodem Christi Spiritu rapiamur oportet.

Aditus ad confirmationē.

Vers. 6. *Qui in forma Dei existens, &c.*

Declaratio exempli Christi, quomodo scilicet is fuerit idea & exemplar dilectionis & humilitatis. Tria autem explicat: primùm dignitatem & maiestatem diuinam ante incarnationem. Secundò, humiliationem per assumptionem carnis. Tertiò exaltationem post resurrectionē: ac singula membra vim argumenti habent. Quia enim λόγος ille æternus Deus cum Deo Patre in causam nostri fecit, quid nos inferiores homunciones non faciemus? Deinde obediens fuit Patri & humiliauit se: magis igitur nos decet, & per humilitatem euectus est ad immensam dignitatem, vt in cœlis homo Christus iam versetur: ergo & nos spe gloriæ illius concordes simus, amemus mutuò, & humiles in vita hac nos exhibeamus.

Exemplū Christi qui idea est dilectionis.

Primùm ad diuinam maiestatem pertinet quod ait, *in forma Dei existens*, hoc est, in natura, &

Diuini-

ra, & gloria diuina, vt ἐν τῇ μορφῇ sit idem quod ἐν τῇ οὐσίᾳ καὶ τῇ φύσει: nam opponitur τῇ μορφῇ τοῦ δούλου, quod mox sequitur. tas Christi.

Quum autem μορφὴ δούλου significet veram naturam humanam, non vmbratilem similitudinem, sequitur vt μορφὴ Θεοῦ significet οὐσίαν & φύσιν Dei. Ex quo efficitur Christum natura Deum esse, vt idem natura homo est. Et sic explicatur à Basilio libro 4. contra Eunomium, cuius ista sunt verba, Τὸ ἐν μορφῇ Θεοῦ, ἐν οὐσίᾳ ἐστὶ Θεοῦ, οὐ γὰρ ἄλλο μορφή, καὶ ἄλλο οὐσία Θεοῦ, ἵνα μὴ σύνθετος, ὁ κατὰ μορφὴν ὢν ἴσος, καὶ κατὰ οὐσίαν ἐστὶν ἴσος, hoc est, in forma Dei idem est quod in substantia Dei, ne Deus sit quiddam compositum. Itaque qui secundum formam æqualis est, etiam secundum substantiam est æqualis. Confirmatur hoc argumento Christi diuinitas contra Arrianos, aut negent Christum non verè hominem etiam fuisse, quia μορφὴν δούλου accepit. Et contrà etiam confirmatur veritas humani corporis contra Marcionem, aut neget iste Christum non verè Deum, quia μορφὴν Dei habet. Humanitas Christi.

2. Deinde ad diuinitatis confirmationem etiam pertinet quod Apostolus ait, *non rapinam esse duxit Deo esse æqualem*, hoc est, iure naturali Diuinitatis titulum habuit, semper etiam ante incarnationem: non precarius Deus fuit, non gratia Dei ad hunc dignitatis gradum admissus, sed semper Deus erat cum Patre λόγος nondum incarnatus. Alioquin fuisset ἁρπαγμός, hoc est, alienum honorem inuasisset: hinc Iudæi Ioan. 10. rectè colligūt se ob opus bonum nolle illum lapidare, sed quia se Deum fecisset, sed in eo falluntur, quòd nudum hominem Christum esse iudicant: ideo rectè vt blasphemus fuisset lapidatus. At non est rapina, non alienum honorem sibi tribuit, sed hanc dignitatem quam natura habebat: igitur rapina non erat, nec vt blasphemus lapidari poterat, & ob id Deo Patri æqualis est. Diuinitatis confirmatio.

Vers. 7. *Sed seipsum exinaniuit. &c.*

Altera pars huius exempli de humiliatione, Deus Filius Iesus Christus etiam sine nobis poterat gloriosus esse & viuere, at noluit: ergo nos magis decet. Iam verò humilitas in carne assumpta viam ostendit vitæ nostræ & morum regulam: *exinaniuit se*, hoc est, maiestatem illam diuinam quasi seponendo, assumpsit carnem, texit Dei gloriam veste carnis humanæ. Humiliatio Christi.

2. Deinde modum indicat exinanitionis, μορφὴν δούλου λαβών, serui forma est, natiuus seruus, non phantasma solùm corporis.

3. Tertiò, *in similitudinem hominum factus*, hoc est, reuera homo vt alij, nam ὁμοίωμα significat hîc naturales proprietates, quæ in Christo similes fuerunt nobis: excepto semper peccato, sensus, frigus, inediam, sitim, lassitudinem, dolores, mortem, & similia, quæ in ipso vt in nobis verè sunt ὅμοια paria & similia.

4. Quartò *habitu compertus vt homo*, hoc est, sensu & moribus etiā homo deprehensus est: σχῆμα enim mores, gestus & sensus significat.

Quintò, *obediens Deo Patri vsque ad mortem*, &c. Vltima nota est veri hominis mori more hominum cum dolore, sudore, &c. Crucis autem mors ideo ab eo fuit selecta, quia ignominiosissima fuit, & subiecta diuinæ execrationi, Deut. 21. *Ci chelsloth elohim taluy*, quod Græci verterunt, ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Apostolus verò Galat. 3. reddidit ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Hoc maledictionis genus aliis suppliciis non erat impositum: ideo ignominiosissima morte testari voluit amorem nostri, & humilitatem suam. Nunc Apostolus inquit, Non peto vt vnus pro altero moriatur, vt Filius Dei pro nobis fecit, sed leuiora saltem peto, dilectionem scil. pacis studium & modestiam. De diuinitate Christi, item de eius humanitate aliâs diximus. Crucis mors.

Vers. 9. *Quare & Deus ipsum, &c.*

Tertio iam loco disserit de eius exaltatione, vt scil. spe gloriæ nos animet ad virtutes propositas. Ὑπερύψωσε eminentiā significat gloriæ quam Christus acquisiuit præ aliis hominibus quantumuis sanctis, imò præ ipsis Angelis purissimis spiritibus. Declaratur illa sequenti sententia, *dedit illi nomen quod est super omne nomen*, Christo scilicet homini, adeóque toti personæ Christi: nā priùs ignorabat mundus filij Dei maiestatem, adeóque angeli nesciebant hanc naturarum vnionem in filio Dei futuram, vt idem Christus & homo esset: sed iam Christo secundum hominem resuscitato, iam, inquam, innotuit hæc maiestas electis, & angelis, improbis quoque spiritibus. Exaltatio Christi.

Vers. 10. *Vt in nomine Iesu, &c.*

Nominis illustrationem proponit eleganti distributione. Flectere genu est adorantium, & metuentium: flectunt igitur Christo genua cælestes spiritus, hoc est, beati angeli qui admirantur in gloria cælesti & cœtu angelico hominem versari Christum. Deinde flectunt illi genua terrestres, hoc est, pij in hac vita militantes gemitibus illum inuocantes. Denique subterranei, hoc est, improbi spiritus, & infernales etiam illum metuere coguntur, & contremiscunt ad illius memoriam, nunc quidem sub metu, olim quidem reipsa vt iudicem, quum in nubibus venientem videbunt. Vide Esa. 45. Illustratio nominis Christi.

Verſ.11. *Omniſque lingua,&c.*

Videntur hæc referenda ad hiſtoriam vltimi iudicij, tum enim ad plenum omnis lingua cogetur fateri Chriſtum Filium Dei eſſe ad dextrâ Patris, quod in his terris multi ſemper negarunt, adhuc etiam hodie negant, & negabunt, vſque ad finem ſeculi huius.

Verſ.12. *Itaque dilecti mei,&c.*

Argum. à laudib. Philippẽ.

Illatio eſt, qua exemplum Chriſti nobis iam applicat, quaſi dicat, Chriſti videtis humilitatem, & dilectionem: ergo has ipſas virtutes ſtudioſè amplectamur. Eſt autem nouum additum argumentum à laudibus Philippenſium: tribuit enim eis obedientiam in anteactis præceptionibus. Senſus enim eſt, hactenus ſemper mihi præſtitiſtis obedientiam: ergo nunc quoque illam exhibete: decet enim virtutes augere, & quod ſemper laudabiliter obſeruatum eſt, cum laude eſt deinceps etiam continuandum.

Deinde, *non præſenti ſolum, ſed abſenti quoque*, & magis eſt neceſſaria in abſentia, quemadmodum inter diſcipulos modeſtia magis ſeruanda eſt abſente præceptore, & in familia bene inſtituta abſente patrefamiliâs: ſic Apoſtolus requirit in ſua abſentia maiorem modeſtiam in Philippenſibus: ita Eph.6. in ſeruis.

Tertiò, *operari ſalutem cum timore & tremore*: ab affectibus indicat ſubeſſe periculum, ſi negligentius officium ſuum præſtiterint, vt Epheſ.6.v.5. ſeruos iubet cum timore & tremore obedire ſuis dominis, ſignificãs ſubeſſe cauſas timendi niſi hoc præſtiterint. & 1. Cor.2.v. 3. ſe multo timore & tremore illic verſatum eſſe dicit, hoc eſt, in magno vitæ diſcrimine & periculo. Operari autem ſalutem dicũtur, qui in curſu ſuo ad vitam æternam cõſtanter pergunt, bonis operibus, quæ parauit Deus vt in his ambulemus, ſeſe ornant: nec hîc eſt quærenda aliqua dignitas meriti, nam ſerui inutiles ſumus ſi maximè omnia fecerimus.

Operari ſalutem quid ſit.

Verſ. 13. *Deus enim eſt qui efficit,&c.*

Cauſa efficiens ſalutis.

Aliud argumentum valde conſolatorium à cauſa efficiente: quomodo enim ſalutem noſtram operabimur? Reſpondet, res non eſt adeò difficilis credentibus, quia Deum habent præſentem & adiutorem. Occurrit autem ſuperiori opinioni de meritis propriis per præoccupationẽ. Quis enim ſalutis noſtræ eſt autor? nóſne bene operando? an verò Deus? Reſpõdet, Deus plena eſt ſalutis noſtræ cauſa, dat enim & velle & perficere. Illud voluntatem innouãdo, vt creet voluntatem bonam, bona volentem. Deinde addit etiã conatibus felices ſucceſſus, vt & velle & efficere poſſimus: ſic priùs dixit cap. 1.v.6. Perſuaſum habeo quòd is qui cœpit in vobis opus bonum, perfecturus etiam ſit in diem Ieſu Chriſti. Quòd aũt addit ὑπὲρ τ̃ εὐδοκίας, alij ποιητικῶς accipiunt, vt ſit ſenſus, Deum non aliunde excitari ad illa beneficia nobis conferendum, ſed mera ſua gratia, qui ſenſus vtilem habet doctrinam de gratia Dei gratuita, quæ datur nobis, nullis bonis operibus præcurrẽtibus in nobis, nullo condigno, vt loquuntur, opere: ideo cauſas incitantes non in nobis, ſed in ipſo Deo oportet quærere. Sed poteſt etiam accipi τελικῶς quaſi dicat Deus autem propterea dat velle & perficere, vt aliquid præſtemus pro gloria & voluntate ipſius, ne ſimus muti & trunci, ſed re ipſa declaremus illa dona in nobis extare. Vult igitur nos conſtantes eſſe in profeſſione, vult alios adire martyria, alios ferre exilium, alios paupertatẽ, alios aliis operibus illuſtres eſſe, vt extent donorum illuſtria exempla.

Gratia Dei gratuita.

V.14. *Omnia facite ſine murmuratione.*

Murmur fugiendum.

A contrariis dehortatur, vt in præſentibus virtutibus faciat conſtantes, murmur & diſceptatio vitia ſunt nota ex impatientia, ac humilitatem, conſenſum ac dilectionem deſtruunt. Γογγυσμὸς, querulentium eſt geſtus, qui vultu, voce, moribus declarant indignationem, quæ ſæpe in fletum erumpit. Sic Petrus præcipit 1. Petr.4. v. 9. vt hoſpitales ſimus ſine murmure. Poteſt autem ad Deum & ad homines referri. Nam peccamus hîc impatientia in Deum, vt Iſraelitæ in deſerto murmurant contra Dominum. In homines etiam peccamus impatienter inſeruiendo, aliáque humanitatis officia præſtando.

Διαλογισμοὶ quid ſit.

Διαλογισμοὶ ſunt deliberantiũ penſiculationes, quid expediat aut minus, quo peccant prudentes in hoc ſeculo: ideo Roman. 1. ver. 21. ait vanos eſſe factos in ſuis ratiocinationibus, & cap. 2. Rom.verſ.15. ait, Gentes habuiſſe ſcriptam legem in ſuis cordibus, cuius rei teſtimonium ſit quod cogitationes ſeipſas accuſarint, & aliquando excuſarint, ſignificans vim conſcientiæ dictaſſe quædam naturâ eſſe honeſta. Has diſceptationes prohibet Apoſtolus, ne inquiramus in cauſas calamitatum Eccleſiæ nimium, ſed in cauſa honeſta fortiter perſiſtamus.

Verſ.15. *Vt ſitis irreprehenſibiles,&c.*

Finis virtutum ſuperiorũ.

Vſum & finem annotat virtutum prædictarum. Conſenſus, amor fraternus, & humilitas conſeruata declarabunt nos ἀμέμπτους, qualis fuit Zacharias & Elizabeth, Luc. 1. & quales boni miniſtri eſſe debent. 1.Timot. 3. verſu 2. Tit.1. verſ. 6. Deinde declarabimur etiam ἀκέραιοι, hoc eſt, ſimplices: hic ſenſus eſt, ſi γίνεσθε accipiamus pro fiatis, reddamini, quaſi

quasi dicat, ad tribunal filij Dei tales declarabimini si persticeritis in officio vestro. Atque illa est via per quam operamur salutem nostram. Significat autem ἀκέραιος simplicem, talem qui nemini det occasionem aliquam offendiculi, aut mali: desumpta est vox à tuberibus, hoc est, partibus eminētioribus, quales sunt tali in pede, cornua in animalibus, apices in re quapiam, quibus facilè fit offendi. Hinc κεραία νόμου dicitur Matth. 5. Luc. 16. apex Legis. Hinc pij per priuationem dicuntur ἀκέραιοι: hinc Christus Matth. 10. iubet esse simplices vt columbæ: & Rom. 16. vers. 19. vult nos esse sapientes ad bonum, ἀκεραίους verò ad malum. Est etiam κεραίνω, misceo, confundo: inde rectè dici possunt ἀκέραιοι, sinceri, puri, immixti. Ἀκέραιος.

Præterea declarabimur hinc filij Dei, inculpati, si nimirum in his virtutibus perdurauerimus, idque omne refero ad Christi tribunal, vbi sanctorum declarabitur innocentia, qui in hac vita mille calumniis traducuntur.

In medio nationis prauæ, &c.

Decorum sanctorum indicat similitudine, éstque argumentum valde euidens: vt enim stellæ non possunt non lucere, ita pij semper debent bonis operibus officium suum declarare. Natio praua hîc mundus est, hoc est cœtus hominum improbi, habéntque rationem noctis: pij inter illos viuentes stellæ sunt, lucendo viam ad cœlos mōstrantes, & vt stellæ splendorem habent à sole obiecto, sic pij dona sua à Christo: ideo non dicuntur, φῶς, sed φωστῆρες. Nam Christus ornatur in Euangelio Ioann. lucis titulo, nos stellæ tantùm sumus. Interim nobis est nostra lux, de qua dixit Christus, Mat. 5. Vos estis lux mundi, & sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, &c. Admonemur hoc argumento officij nostri: deinde etiam de dignitate sanctorum, nam stellarum illustris est maiestas. Dignitas sanctorū.

Vers. 16. *Sermonem vitæ retinentes, &c.*

Refero ad Philippenses hoc comma, quia per metaphoram vocauit stellas, declarans officium esse prælucere aliis bonis operibus: nunc addit, *sermonem vitæ retinentes*, hoc est, sic seruabitis doctrinam Euangelij. Λόγος ζωῆς est Euangelium, quod totum differit περὶ τῆς ζωῆς: ζωὴ autem Christus est. Itaque ostendit hîc doctrinam Euangelij non conseruari nisi seruetur simul doctrina de bonis operibus. Hinc addit argumentum aliud, *faciet hoc ad mei ornamentum*: debent enim auditores, vt boni discipuli ornare suos præceptores, & ipsi nulla re magis afficiuntur quàm si videant ex discipulis ad ipsos redire ornamentum. Hanc gloriam affectat Apostolus à Philippensibus, *in diem domini*, hoc est, vt olim coram Deo iudice declarentur fructus laborum suorum. Currere, est laborare, hoc est, officium sedulò præstare, cum fructu, quod omnibus affectandum est. Sermo vitæ.

Vers. 17. *Quinetiam si immoler, &c.*

Rem accommodat ad suum exemplum, ad quod inuitat etiam Philippenses. Vis argumenti est, Ergo etiam paratus sum pro hac confessione mori, & quidem magna cum lætitia: Igitur vos etiam meo exemplo sitis constantes. Philippenses sunt θυσία, hostia, dum ad Christum conuersi sunt, sic de hostia loquutus est Rom. 15. & cap. 12. initio statim. Mors Pauli, fidem Phil ipp. confirmat.

Paulus autem est λειτουργός, minister, qui eos conuertit: sed fient vtrique etiam θυσία alia ratione, si pro Christi nomine contingat mori, in quo certamine Apostolus erit σπονδή, libamen, quo hostia irrigatur & perfunditur, sed de eo vide locum de sacrificiis Christianorum. Certamen mortis cum gaudio accedet non solùm quod se attinet, sed si idem de Philippensibus audiat, ipsis vt re bene gesta congratulabitur. Sic mutuum in ipsis requirit affectum, hoc est, vt læto animo pro Christo velint mori, & de Apostoli morte certiores facti, ipsi congratulentur: pius vtrinque affectus, &c.

Vers. 19 *Spero autem in Domino, &c.*

Tertius locus de laudibus Timothei, & Epaphroditi. Hunc iam illis restituit vnà cum hac epistola: ideo illius in se officia celebrat, & desiderium redeundi ad suos Philippenses. Vnde Apostolo occasio est subministrata eum remittendi. Illum verò deinceps venturum promittit, vt homines amicissimos inuisat, & eorum statum ad Apostolum referat. Interim suum etiam reditum non obscurè promittere solet. 3. Locus de Timotheo & Epaphrodito.

Πρότασις. Apostolus ad consolationem Ecclesiæ illius non solùm eis Epaphroditum proprium ministrum restituit, sed insuper Timotheum hominem illis notissimum & integerrimum, adeóque etiam suam ipsius præsentiam promittit.

Partes tres sunt: nam primùm de Timotheo: deinde de suo reditu paucis: demum de Epaphrodito copiosiùs agit. Partes.

1. De Timotheo vide quæ dixerimus, Actor. 16. vbi conditio illius pleniùs est descripta, & infrà in suis epistolis fortè plura dicentur. Fit illius etiam mentio 1. Thess. 3. vers. 2. & 12. ad quam Ecclesiam quoque tum missus fuit ab Apostolo vt eam confirmaret, quemadmodum nunc ad Philippenses mittendus est. Quòd præsentem attinet locum consideranda est primùm propositio, deinde ratio: tertiò, conclusio.

Propositio est, *Spero me breui missurum vobis Timotheum.* Primùm non absolutè promittit, sed quod pietas & sua conditio requirebat sub conditione. *Spero in Domino Iesu*, hoc est, si Deo sic fuerit visum, videar autem eius bonam habere spem: quantum igitur Dominus mihi spei reliquit de futuris, promitto me missurum: sic Iacobus 4. vers. 15 iubet loqui, Si Deus vult hoc aut illud faciemus. Obseruanda est etiam copula δὲ: nam superiorem locum abrumpit, ac ad nouum argumentum sese confert, quasi dicat, nolo prolixior esse in cohortando vos ad consensum, dilectionem, & humilitatem, quia Timotheus ad vos veniet, qui coràm omnia diligentiùs inculcabit, & corriget, si quid emendatione opus habuerit. Confirmatio propositionis, seu ratio triplex affertur: prima à suo studio & desiderio cognoscendi statum Philippensium, vt & ego εὐψυχῶ, animo reficiar: εὐψυχεῖν, est animo bono, hoc est, læto esse, gaudere, sed quomodo ex illius missione potest Apostolus læto esse animo? hoc modo, quia mittitur eo fine vt reuertatur ad Apostolum Romam, eique Philippensium statum enarret, is felix, mirificè oblectabit animum Apostoli: itaque argumentum hoc ad effectum Apostoli pertinet.

Confirmatio propositionis.

Versu 20. *Neminem enim habeo, &c.*

Timothei laudes.

Altera ratio à laudibus Timothei sumpta. Amantissimum mihi, & vestri mittere debeo: talis solus est hic Timotheus, ergo solus idoneus ad hanc legationem, ἰσόψυχοι dicuntur eiusdem propositi & voluntatis, vnanimes, æquanimes, qualia sunt iudicia amicorum coniunctissimorum, in quibus vna quasi anima est in duobus corporibus. Itaque primò sibi illum comparat conformitate iudicij & voluntatis. Deinde aliis omnibus non confert, sed præfert, quæ maxima est laus Timothei. In quo autem præferat, mox sequitur, diligentia scilicet & cura pro Ecclesia Christi, solus hic candidè vos amat, & res vestras curat. Habes hîc solicitudinem piam & curam honestam, Matth. 6. Dominus Christus prohibet τὸ μεριμνᾶν, sed illic loquitur de solicitudine huius vitæ, de victu & amictu, quæ res meritò intra metas consistere debet: sed hîc loquitur Apostolus de officio & sedulitate in eo exequendo adhibenda, qualem sibi passim Apostolus tribuit, vt Gal. 2. vers. 10. quòd studiosè seruarit curam pauperum, & ad Ephes. 4. vers. 5. Iubet vnitatem solicitè seruare, quod paulò antè Philippensibus quoque studiosè seruandum præcepit. Hac pia solicitudine ornat hîc Timotheum & infrà ad Col. 4. Epaphram: de se etiam 2. Corinth. 11. scribit quòd solicitus semper fuerit in cura omnium Ecclesiarum. Hac pientissima cura omnes affici debent publicè & priuatim.

Vers. 21. *Nam omnes quæ sua sunt quærunt, &c.*

Collatio Timothei cum aliis.

Probatio rationis prioris à contrario reliquorum affectu. Omnes reliqui sua quærunt ergo non idonei sunt ad hanc legationem, solus autem Timotheus sincerus est, non sua, sed vestra quærens: igitur solus idoneus qui ad vos mittatur. Primùm obserua πάντες dici καθόλου ὡς μὴ καθόλου, non enim simpliciter omnes vituperat præter vnum Timotheum, superest etiam Epaphroditus, Barnabas, Syluanus, Titus, aliique innumerabiles: sed interim sua quærentium maior erat his numerus. Itaque quod maior pars faciebat ascribit vniuersaliter. Deinde restringatur ad præsens negotium. Omnes sua quærunt, scil. quos mecum habeo bona parte, & quos possem mittere, vt sit comparatio inter præsentes, non alios absentes.

Mali doctores sua quærunt.

Deinde, consideretur hîc inuectiua illa in malignos doctores, sua quærere in Euangelij negotio est lucrum spectare, honores, dignitates, vt molliter viuamus, & delicatè curetur cuticula, quod iam tum fuit in Ecclesia Christi familiare doctoribus: quid ergo iam diceret Apostolus? Certum autem est, neminem posse duobus dominis seruire, ideo illi diligenter videant quid agant, quomodo possint & sua quærere & Christo simul seruire, fieri non potest, vide locum 1. Cor. 10. vers. 24.

Vers. 22. *Probationem autem eius nouistis, &c.*

Timotheus notus Philip. & quare.

Tertia est ratio propositionis à conscientia Philippensium, quasi dicat, etiam vestro iudicio scio illum approbari, vt cuius probitatem & integritatem perspectam habetis: id me mouet vt hunc imprimis mittam, nam plurimùm refert notúsne sit, an ignotus qui mittitur ad aliquos: item perspectáne sit illius virtus, nécne? Timothei virtus nobis est cognita, ideo mitto illum, non alium.

Obserua autem quare sit cognita illius virtus, quòd scilicet cum Apostolo Paulo constantissimè semper docuerit Euangelium: & quanquam vterque doctor esset in Ecclesia, interim Paulo primas detulit, tum senio, tum quia in fide illum instituit, cùm etiam opera illius vsus est liberaliter, ac si esset illi pater. Meminerint igitur iuniores senioribus deferre debitam reuerentiam, quam non impedit munus, imò auget & exornat.

Vers. 23. *Hunc igitur spero me, &c.*

Conclusio.

Argumentis iam subiicit conclusionē, quasi dicat, his causis motus hunc ipsum vobis mittam, quia illius pietate singulariter delector, vos etiam imprimis curat, denique quia vobis

et iam

etiam perſpecta eſt eius pietas. Sed quando mittes? Reſpondet, vbi perſpexero rerum mearum euentum: ſignificans cauſam ſuam iam eò deductam eſſe, vt vel liberandus, vel ſit occidendus: ſperat autem liberationem, ideo hac etiam re gaudio perfundit ſuos Philippenſes.

Verſ. 24. *Confido autem in Domino, &c.*

Promiſſio Pauli de reditu ſuo.

Secunda pars huius loci de ſuo reditu ad Philippenſes, hunc promiſerat ſuprà cap. 1. v. 27. id obiter hîc repetit ad rei certitudinem, quaſi dicat, non ſolùm hunc mittam, ſed me etiam vobis promitto, quid ampliùs deſiderabitis?

Verſ. 25. *Neceſſarium autem duxi, &c.*

De Epaphrodito per quem ſcribit ad Philip.

Tertia pars huius loci de ipſo Epaphrodito, per quem hæc epiſtola eſt ad ipſos miſſa: habet initio propoſitionem. Viſum eſt mihi Epaphropitum ad vos mittere. Neceſſarium dicit hoc ſibi viſum, & rectè, erat enim Eccleſiæ illius miniſter, & ab Eccleſia ad Apoſtolum Romam miſſus cum pecunia, quia illius captiuitas ſubleuaretur, ipſúmque coràm inuiſeret, & eidem inſeruiret, ideo non ſemper debuit apud Apoſtolum ſubſiſtere, ſed aliquando remitti, alias cauſas mouentes poſtea ſubiiciet. Expende propoſitionis ornamenta, quæ ad ſingularem laudem Epaphroditi faciunt. Primò, vocat eum fratrem, ſui ſcilicet reſpectu, ac ſimiliter Philippenſium, quia omnes communi fide & religione in Chriſto fratres erant, tam doctores inter ſe, quàm iidem cum auditoribus, qui mos adhuc durat inter fideles. Deinde, συνεργὸν, quaſi dicat, cooperarium, & ſymmiſtam, collegam ſcilicet officij ratione, quatenus eandem doctrinam promouebant, ſic Apoſtoli Pauli reſpectu eſt συνεργὸς, qui omnium fidelium erat frater. Tertiò, commilitonem, συστρατιώτην, vocabulum militare, ſic enim dicuntur qui ſub iiſdem ſignis militant: militia igitur eſt vita Chriſtiana, quæ primùm reſpicit ipſos doctores & ductores agminis: deinde omnes fideles auditores fortunæ & euentuum conſortes.

1. Frater.
2. Collega.
3. Commilito.

4. Apoſtolus.

Quartò, Apoſtolum, hoc eſt, doctorem, & quaſi Epiſcopum proprium, qua ſignificatione generaliter dicuntur Apoſtoli omnes doctores à Paulo, alioquin propria appellatio hæc à Chriſto duodecim attributa eſt. Quintò, miniſtrum, λειτουργὸν, hoc eſt, qui externa mihi ſuppeditauit veſtro nomine, amictum, & victum, curauit mihi corpus, aliſque officiis humanitatis mihi adfuit. Hic euidens eſt locus λειτουργὸν non ſignificare ſemper eum qui ſacra operatur, quum hîc de externis prædicetur. Vide locum de Liturgia.

Verſ. 26. *Quia expetebat, &c.*

Cur remittatur Epaphroditus.

Subiicitur propoſitioni ratio, q. d. miſſionis hæc eſt ratio mouens. Primùm quia deſiderauit ad vos redire, omnes ſui ſermones de vobis erant, de vobis loquebatur, vos ſemper laudabat, ſumma, vos ſemper in ore habebat declarans ſcilicet veri Epiſcopi curam, qua erga ſuos affici debet.

Deinde in veſtri cauſa ſolicitus erat, quòd ſcilicet rumor ad vos erat perlatus de eius morbo, hoc dolenter tulit, adeò vt ex eo magis doluerit: ægrotauit igitur Romæ, & hoc perlatũ eſt ad Philippenſes, vnde anxij fuerunt pro paſtore ſuo, hoc iterũ Romam relatum eſt, quod dolorem Epaphrodito auxit. Itaque vtrinque affectus mouent Apoſtolum vt eum eis reſtituat. Obſerua pij doctoris eſſe, ſimúlque piorum auditorum mutuis doloribus condolere, quod facit contra Stoicam illam ἀπάθειαν, in qua Philoſophi magnam quęſiuerunt laudem, contrarium docet pietas, & piorum virorum exempla.

Verſ. 27. *Et certè ægrotauit, &c.*

Sanitas à Deo.

Confirmatio eſt ſparſi rumoris, quaſi dicat, non fuit vanus iſte rumor, ſed quod res erat intellexiſtis. Grauiſſimus fuit morbus, adeò vt de vita periclitaretur: dolent ergo boni viri, & miſeriis huius vitæ ſubiecti ſunt. *ſed miſertus eſt illius Deus*: ergo ſanitas reſtituta donum Dei eſt, & quidem miſericordiæ beneficium etiam in ſanctis: vbi ergo meritum interceſſionis? Denique & Apoſtoli commiſeratus eſt Deus in eo beneficio, q. d. Deus mei habuit etiam rationem. Itaque conualeſcunt boni miniſtri, interdum propter Eccleſias: ſic parentes interdum propter familiam, boni principes propter ſub ditos, vicinus propter vicinum, cuius rationem habet Deus, etiamſi nos id minimè obſeruemus.

Verſ. 28. *Studioſus igitur, &c.*

Concluſio iterum ſubiicitur rationibus, quam iterum munit gemina ratione, vt vos illo recepto ad plenum gaudeatis: deinde, vt ego dolore vacem propter vos & illum.

Verſ. 29. *Suſcipite igitur iſtum, &c.*

Conuertit ſe ad exhortationem, & ſuadet, quod ſpõte ſciebat facturos. Conſtituit autem communem regulam: quid in ſimili caſu ſit faciendum *tales in honore habete*, hoc eſt, laus eſt piorum miniſtrorum, vt qui honore digni ſint, quia laborant in Euangelio & gregem probè curant.

Verſ. 30. *Nam propter opus, &c.*

Cur lau-

Confirmatio noua, cur honore dignus ſit Epaphroditus: complectitur autem breui-

ter totam historiam. Causa morbi fuit nimia diligentia in me curando, in docendo Euangelio, in defendenda mea causa, in vigiliis, ieiunio, lucubrationibus, aliisque officiis in quibus propriam vitam neglexit, etiam prospiciens pericula: nam intelligo de morbo Romæ contracto, non in itinere. Quò facit quod addit, *vt suppleret defectum vestri*, hoc est, quod absentes vos singuli non potuistis præstare, ille vnus omnium & singulorum nomine conatus est præstare. Hinc illi morbus enatus est: nec enim hic conqueritur quasi parcius illi miserint subsidium, &c.

de dignus Epaphroditus.

CAPVT III.

3. capitis argu. vbi de loco 4. huius epistolæ.



LOCVS quartus hoc capite explicatur de vitandis falsis doctoribus, cuius illa fuit occasio, cum euangelio simul emergebant falsi doctores, nominatim ex circumcisione, qui docebant fidem in Christum inutilem esse, nisi simul obseruarent legem Mosis, imprimis circumcisionem. Qua fraude decepti Galatæ, semi-Iudæi facti erant. Hanc doctrinam Philippensibus quoque obtrudebant, aliisque Ecclesiis. Cæterùm Philippenses constantes manserant hactenus in ea doctrina quam ab Apostolo acceperant. Ideo Apostolus eos monet, vt deinceps quoque illos doctores sedulò caueant, qua occasione docet quæ sit vera iustitia, quæ coram Domino valeat, nimirum fidei iustitia, quæ ex Deo promanat, & nobis vt indumentum Christi merito induitur. Ideo Christo omnia cedere debent, Circuncisio, Lex, & quidquid est operum in nobis.

Hanc quæstionem copiosiùs illustrauit Rom. 2. & consequentibus capitibus: Gal. 3. 4. 5. & 6. & alibi. Strictim hîc persequitur omnia, quia ipsi constanter adhuc manserant, & oretenus omnia illa videntur ab Apostolo copiosiùs ipsis exposita.

Propositio. Propositio est, Qui Christi iustitia neglecta tribuit vim iustificandi Circumcisioni, vel aliis operibus legis quibuscunque tandem, is vt falsus doctor sedulò est cauendus.

Partes. Partes. Ordo hic seruatur, initio aditum ad quæstionem facit beneuolentia quadam, & attentione illos iterum excitans ad consequentem locum. Secundò, proponit cauendos esse falsos doctores. Tertiò, confirmat distinctione & suo exemplo proposito. Quartò, infert & concludit generalem regulam, quæ apud omnes sanctos in hac quæstione valere debet.

Vers. 1. *Quod reliquum est fratres, &c.*

Captatio beneuolentiæ. Nouum locum auspicaturus rectè auditores suos beneuolentia quadam demulcet. Iubet autem gaudere in Christo, hoc est, hilari fronte officium suum præstare: est enim gaudium præsentis boni opinio, propter quod rectum esse videtur lætari. Bona præsentia sunt fides, concordia, amor, humilitas: in his igitur versari debent cum gaudio, hoc est, cum lætitia officium pij hominis præstare, ne coacta sit vestra pietas, & studium bene operandi.

Deinde præoccupatione excusat sequentem locum, nam quum manserint constantes, videri poterat res otiosa si de hac re dissereret. Respondet minimè, mihi non est molestum illa scribere, & vobis non inutile. Gemino argumento propositum excusat: primùm à sua diligentia, quæ in suo præceptore culpari non debet, imò satis erat rationis, non fore inutilem scriptionem, quia Paulo homini sapienti, & præceptori vigilanti sic visum est. Est autem ὀκνεῖν οὐκ ὀνεῖν non prodesse: οὐκ ἐνεργεῖν, quod est ἀργεῖν. Hinc ὀκνηρὸν τὸ ἄργον, iners & deses, ὀκνηρότης & ἀργία, qualis est in asino. Declarat igitur Apostolus singularem industriam faciendi & præstandi officium. Deinde ab ipsorum persona: *vobis satis est tutum*, ἀσφαλὲς, hoc est, nihil periculi hinc vobis est metuendum, imò certa est vtilitas, itaque non sit molestum eadem audire. Est autem in eo verbo metaphora obseruanda: nam σφάλλειν significat ἐμποδίζειν, impedire, ἀνατρέπειν τὸν τρέχοντα currentem auertere, dare occasionem labendi. Hinc ἀσφαλὲς idem quod ἀπροσκόπως ἐκ μεταφορᾶς, vt ait Eustath. τῶν τοῖς ποσὶ σφαλλομένων: rectè igitur inquit, vobis tutum est.

Α'σφαλὲς.

Admonemur diligentiam officij hanc laudabilem esse, vt de re eadem sæpe dicamus, nam τῶν καλῶν οὐδεὶς κόρος: item δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, bis & ter de rebus honestis, hoc est, infinitis modis dicendum est, nam similitudo veritatis est argumentum, & hominum negligentia id requirit vt fiat.

Vers. 2. *Cauete canes, &c.*

De cauendis falsis doctoribus. Præparatis animis ad audiendum iam proponit. Repetenda autem est integra hîc propositio ex tota sequenti argumẽtatione. Eam suprà collegimus, ideo non opus vt repetatur, hîc inde pete illam. Sensus est, cauendi sunt sedulò falsi doctores. Ita nudè dicere poterat, sed placuit Apostolo rem emphaticè efferre, vt simul esset oratio argumentosa, ideo ornat epithetis eos, vt fiant ipsis abominabiles, & infrà versu 18. hostes crucis Christi vocat. Tripartita est autem repetitio rem eandem denotans. Ὑπογραφὴ personæ vitiosæ:

tiosæ: primùm *canes* vocat, quia rabie quadam inuehebantur in sinceritatem veræ doctrinæ, eiúsque doctores. His oblatrant non secus ac furiosus canis domesticis suis, quibus applaudere debuerat, hoc est, oppugnāt quod defendere debuerant, tales sunt, Matt. 7. qui cum porcis eandem habent naturam, conuertere scil. sese in benefactores. Deinde, quia voraces sunt canes, & ingluuiei dediti, sic illi omnia accommodant ad fauorem communē, Hinc priùs dixit omnes quærere quæ sua sunt: hi loquaces sunt vbi non oportuit, silent vbi loquendum erat, de quibus Esaiæ 56. hi quanuis in externa versentur Ecclesia, tamen reuera extra illam sunt, vt est Apoca. 22. Sunt etiā laudabiles canes qui vigilant pro grege, & qui micas colligunt sub mensa domini sui, Matth. 15. canes autem hos odiosos facit rabies & ingluuies. Deinde dicuntur κακοὶ ἐργάται, *mali operarij*, operarij quidem sunt qui non silent, latrant propter ingluuiem, deinde rabie quadam feriūtur, hactenus quidem sunt operarij, otiosi enim non sunt: sed quia bonos impugnant, & mala propugnant, mali sunt operarij: & commodissimè his competit, quia opera Legis vrgent intempestiuè, Circuncisionem reuocant iam abolitam. Sic iustitiarii opera habēt, sed mali operarii sunt dum his tribuunt, quod isti Circumcisioni tribuebant.

1. quia canes.

2. Mali operarij.

Tertiò, κατατομή suauis est allusio, vna syllaba corrupta dictione per paronomasiam. Docent Circuncisionem, Apostolus ait, amisit istud nomen, & si reuocetur, potius est concisio quàm Circuncisio: nam rescindit à Christo, auellit ab illius gratia, dissecat vnienda. Sic illud Tamia, Lamia, &c. His nodis odiosam facit personam, vt Christus quum vocat fures, latrones, mercenarios, lupos, &c. & sanè cauendi sunt hoc ipso quia canes, quia mali operarij, quia Circuncisionem docent.

3. Concisio.

Vers. 3. *Nos enim sumus circuncisio, &c.*

Propositioni subiicit confirmationem, in qua diutius iam commorabitur: Nos ordine expendamus vim argumentorum.

1. Primum ducitur à distinctione, distinguit enim veram Circunsionem ab hypocritica, verámque vendicat sibi ac fidelibus Christi, hypocriticam illis canibus relinquens. Obserua igitur duplicem esse Circuncisionem: prior est vera, cordis illa est, de qua Exodi 10. & 30. Ezech. 44. Ierem. 4. Hæc ex præsenti loco describi potest, quòd sit depositis cordis affectibus prauis, soli Christo fidere, eiúsque spiritu Deo seruire. Altera, est carnis Circuncisio externa, de qua illi gloriabantur qui hîc canes dicuntur. Damnatur hîc & Gal. 5. Ecce ego Paulus vobis dico, circuncidamini, Christus vobis nihil proderit: & in Christo Iesu neq; Circuncisio quicquam valet, nec præputiū, sed fides per dilectionem operosa. Damnatur Rom. 2. ver. 28 & 1. Cor. 7. ver. 19. Vide locum de Circuncisione. Abeant igitur canes illi cum sua Circuncisione, quum electi in Christo veram habeant in cordibus impressam.

Duplex circuncisio 1. 2.

Vers. 4. *Quanquam & ego habeam, &c.*

Alterum argumentum à sua persona, seu exemplo: ostendit enim se illis externis omnibus abundasse, interim coactū deponere illorum fiduciam, vt per Christum, posset saluari: ideo hâc communem regulam fore omnium saluandorum, quemadmodum ad Rom. cap. 4. proposito exemplo Abrahami ostendit communem regulam iustificandorum esse per fidem id assequi sine respectu operum. Eodem planè ductu argumentationis hôc loco vtitur. Initio autem recenset illa carnalia, in quibus doctores circūcisionis plurimùm tribuebant, & in his omnibus ita se excelluisse testatur vt vix parem habeat: similia habuimus 2. Cor. 11. v. 22. & Act. 26. v. 5 9. 10. &c. Act. 22. v. 3. 4. Gal. 1. v. 13. 14. Septem autem sibi hîc ordine tribuit, in quibus secundum carnem gloriosus esse poterat, quia *Circumcisus octauo die*. 2. *Natiuus Israelita*. 3. *De tribu Beniamin* 4. *Hebræus ex Hebræis*. h. e. non proselyticus, aut fortè quidam ex aduersariis. 5. *Secta Pharisæus*. 6. *Zelo persecutor*, hoc est, bono quodam proposito, & ignorantia non affectata. 7. *Iustitia Legis irreprehensibilis*, hoc est, politicè iustissimus, & in hac mea iustitia suauiter requiescebam, res bellè mihi habere videbantur, pulchrè cum Deo reconciliatus.

Argum. à persona Pauli ex eius ornamētis carnalibus.

Vers. 7. *Sed quæ mihi erant lucro, &c.*

Explicuit sua ornamēta carnalia θετικῶς, vt facilè in contentionem cum quouis iustitiario transire posset.

2. At iam secundo loco remouet ac quantū priùs extulit, iam deprimit: sensus est, Omnia cedūt Christo in iustificatione, quæ coram Deo valere debet. Antithesis obseruāda est inter κέρδη & ζημίαν, nā respicit diuersa tempora. Κέρδη erāt ante conuersionē: tum enim his nihil sanctius, nihil perfectius ad vitam æternam iudicabat, lucrosa videbatur Circumcisio, natiuitas ex tot maioribus Iudæis vsque ad vltimū Abrahamum. At ζημία quando facta sunt? iam conuerso ad Christum, quum enim intellexit laruam istam planè hypocriticam esse, omnia ista plus impedire ad vitam æternam consequendam, quàm promouere, non quòd ex se mala sint, sed quatenus his adhæret & cōiuncta est opinio illa peruersa de merito quodam

Antithesis inter lucrum & mulctam.

& prærogatiua apud Deum, quasi dicat, totum hoc detestabilis est larua & mera hypocrisis omnibus fugienda.

Vers. 8. *Imò certè omnia damnum esse duco, &c.*

Incrementum orationis.

Grauis est repetitio per asseuerationem : nam cum affectu loquentis, crescit etiam oratio scribentis, quasi dicat, non casu mihi hæc vox excidit, quòd ζημίαν dixi, imò affirmo & aliquid amplius dico. Αὐξητικὰ hîc sunt πάντα nam priùs simpliciter dixerat ζημίαν propter Christū, hoc est, respectu illius, iā addit πάντα vt ex commemoratis nihil excipi posset etiam ne Circumcisio quidem, quam illi cum Christo volebant copulare. Deinde priùs simpliciter dixit propter Christum , nunc dilatat orationem magno affectu, *propter excellentiam cognitionis Iesu Christi Domini mei*, quasi dicat, nihil in huius comparatione valet totus Iudaismus, tota lex cum Mose, & templo & ritibus omnibus.

Tertiò, pessima voce ζημίαν illustrat, ἐζημιώθην, spoliatus sum, priuatus sum, multatus sum, quasi dicat, ad Christū qui redire vult, nudus veniat oportet. Ornamenta illa legalia, & hypocrisin illam laruatam nō admittit Christus meus. Moses ornatum te facilè fert, at nudum Christus te vult conspicere, vt denudatum propria tua iustitia, ornet & induat sua ipsius iustitia. Itaque meo exemplo disce denudare teipsum : at quia caro & sanguis ista non dictat, ideo de se denudato passiuè loquitur, quasi dicat, ego nunquam meam de mea iustitia opinionem deponere potuissem, nisi Deus suo spiritu hoc operatus esset in me.

Pauli iudicium de legali iustitia.

Quartò pleniùs infert iudicium suum de tota legali iustitia, corrigendo vocem ζημίας quasi nimis tenuem ad spurcitiem eius declarandam : quid dico ζημίαν , imò σκύβαλα sunt. Nam poterat magis iustitiam Legis ac operum deprimere coram Christo Domino suo: quasi dicat, vis iustificari? cur igitur has affingis tibi sordes? cur dementas te vana opinione iustitiæ, vbi plena regnat iustitia? Σκύβαλα sunt si Grammaticis credimus, duriora excremēta, quæ vix purgationibus ab ægris expellunt medici, quæ mihi significatio hîc perplacet: nam reuera ægros nos significat, & purgationibus nos indigere ad expellenda illa σκύβαλα hoc est, opinionem illam priuati meriti: & sanè optimus sit medicus oportet, qui hæc stercora à nobis expulerit. Alij paleas intelligunt, sed nimis tenuis est significatio : alij κυσίβαλα, hoc est, sordes canibus obiectas, fortè quia priùs vocauit canes: sed prima emphatica est significatio instituto optimè conueniens. Addit etiam causam finalē iudicij sui, *vt Christum lucrifaciam*, q.d. contradictoria sunt in hoc instituto Circuncisio, totáque legis iustitia, & Christus , adeò vt simul se ferre non possint in hac quęstione. Superest igitur vt illa abiiciam, siquidem Christum meum habere velim. Et est argumentum à spe boni consequendi, quia enim tanta ornamenta sunt abiicienda , vtique dolenter hoc fiet: sed respondet, bono sis animo, multò maiora pro istis habebis bona, ac si pro carbonibus aurū purum reperias, nónne felix erit abiectio carbonum, si hoc medio purum sis habiturus aurum?

Σκύβαλα.

Versu 9. *Et comperiar in ipso, &c.*

Cur abiicienda legalis iustitiæ opinio.

Causam finalē latiùs explicat, cur scilicet tota illa opinio iustitiæ legalis sit deponenda, vt σκύβαλα generatim dixerat compensando damnum , vt lucrer Christum, hoc est, vt pro vmbra corpus habeam, pro hypocrisi veritatem, pro carbonibus aurum: nunc addit notanter iustitiæ mentionem, vt distinguat eam in duas species, quod suprà fecit in primo argumento de Circumcisione. Ait igitur, *Et reperiar in ipso*, scilicet Christo Domino meo, qui est iustitia : opponitur autem in Christo esse , ei quod est in opinione iustitiæ operum esse, vel sua niti iustitia, nam sua niti iustitia, est habere iustitiam legis, iustitiam bonorum operum. Ac illa quidem bona esset si foret integra, secundum illam sententiam, Homo qui fecerit illa, viuet in eis, Rom. 10. v. 5. Atque eatenus legis iustitia bona est, imò iustificaret si in hominem idoneum incideret. Id quum nō fiat, hoc est, quum nemo legis perfectionem exprimat innocentia vitæ & cordis, inde fit vt imperfectum sit quidquid egerimus, neque tamen illa iustitia culpabilis esset nisi accederet opinio meriti. Itaque repudiāda in totum est eius confidentia: talis iustitiarius erat ille adolescens , Luc. 18

Iustitia duplex

Altera est iustitia fidei in Christū, quæ ex Deo nascitur per fidem, hæc solida est : Dei est quia ab eo datur, Eph. 2. donum Dei est, nō ex vobis: fidei autem est, quia per fidem illam apprehendimus, quum sit imputatiua, & Christi merito nobis applicetur: in homine fides illum sola apprehendit. Itaque manifesta est antithesis pugnantium specierum, ideóque non est instituenda conciliatio , vt partim iustitia Christi reddamur iusti, partim nostra propria operum iustitia. Contradictoria nemo sapiēs conabitur reconciliare, quatenus cōtradictoria sint.

Vers. 10. *Vt cognoscam eum, &c.*

Iustitiæ fidei fines 1.

Iustitiam fidei illustrat à finibus, seu vtilitatibus cognatis : quales sunt, primùm cognitio filij Dei, quam cognitionem docet hæc iustitia, hoc est, docet ad quid nobis datus sit filius Dei, quid in illo habeamus , scilicet omnia in illo esse donata 1. Cor. 1. factus est nobis à

Deo sapientia, iustificatio, sanctificatio & redemptio. Colos.1. in eo habemus ἀπολύτρωσιν per sanguinem eius. 1. Tim. 2. Dedit semetipsum ἀντίλυτρον, hoc inquam ex hac specie iustitiæ haurimus, quum altera, scilicet iustitia operum nos magnos faciat, opera prædicet, & meritis tumidos reddat: quod cedit ad ignominiam Christi, & meritorū eius. Deinde docet quæ sit vis resurrectionis eius, hoc est, quòd ipse sit ἀπαρχὴ, primitiæ resurrectionis, & quia ipse tanquam caput resurrexit, nos omnino resurrecturos ad vitam æternam, 1. Corinth. 15. v. 20. Tertiò, ex illa cognoscimus, κοινωνίαν passionum eius, quia ad exemplum Christi nos quoque cruci subiicimur, qui enim discipulus illius esse vult, tollat crucem suam & sequatur ipsum oportet, hoc non docet iustitia operum. Quartò, reddamur illi similes morte: συμμόρφωσις est configuratio, similis qualitas, & affectio rerum alioquin differentium. Christo igitur reddimur similes in morte si innocenter pro veritate mortem accedamus vt Christus. Deinde in morte similitudo est, si simili specie mortis aliqui tollantur, vt Petrus crucifixus, sed vt à Christo differret pedes in altum depresso capite crucifigi voluit. Est & tertia similitudo in ferenda cruce & patientia præstanda in persecutionibus, Act. 14. Oportet per multas tribulationes ingredi in regnum Dei.

Vers. 11. *Pertingam ad, &c.*

De vltimo fine incipit loqui, hoc est, de vita æterna, cuius ianua est resurrectio mortuorum: non est autem dubitantis oratio, sed difficultatem exprimentis. Et resurrectio intelligatur piorum: nam in genere resurrectio erit, siue Paulus apprehendat, siue minus: resurget enim Iudas quoque & Caiaphas, & Pilatus, similésque pestes, sed piorum intelligit ad quam totus fertur. De piorū resurrectione.

Vers. 12. *Non quòd iam apprehenderim, &c.*

Occupatio est respondens lectoris cogitationibus, ne scilicet nimium Apostoli studio & perfectioni tribuamus: *nondum*, inquit, *apprehendi*, hoc est, vitam æternam in spe habeo, vsum præsentem nondum gustaui. Deinde, *perfectus nondum sum redditus*, hoc est, peccatum in me adhuc agnosco, & ingemisco, & Rom. 7. v. 24. Discimus igitur in sanctissimis quoq; manere peccatum exemplo Apostoli hic, & sententia Ioan. 1. Ioa. 1. v. 8. Si dicimus peccatum nos non habere, veritas Christi in nobis non est. Tertiò, in perfectione tamen debet esse spes vt excludatur desperatio: ideo addit, *persequor vt apprehendam*, hoc est, non despero quoties de successu & rerum euentu cogito, bona me tenet spes futurum vt ad plenum aliquando fruar his bonis vitæ æternæ. Quartò, sed vnde spes? *à Christo*, respondet, *à quo apprehensus sum*. passiua vox excludit meritum etiam in spe, vt suprà ἐζημιώθην in ipsa regeneratione: Deus ergo omnia dat, & velle & perficere, omnia in Christo & per Christum dat. Occupatio. Peccatū etiam in sanctis.

Vers. 13. *Fratres, ego, &c.*

Repetitio per asseuerationem, vt seriò excludat meritū, vt seriò confiteatur manere peccatum in hac vita: nam quidquid hîc apprehendimus, respectu vitæ illius æternæ planè nihil esse videbitur.

Vers. 14. *Vnum autem, ea quæ retro sunt, &c.*

Conatus suos in hac imperfectione declarat: duo enim genera sunt fatentium imperfectionem in hac vita. Vnum, quod peccatum agnoscit, & simul ignorat remedia, quemadmodum illi qui inscitiam suam fatentur & simul discere nolunt: hi prorsus de successu desperarunt, ideóque conatum discendi deponūt, oleum enim & operam perdidisse sibi videntur. Alij contrà fatentur inscitiam & peccata sua, sed cupiunt, adhuc discere, vt Socrates senex didicit fidibus ludere, Cato senex didicit Græcas literas, hi de successu bona spe ducuntur, ideo studium & conatum non remittunt. Ex hoc genere Apostolus est, qui agnoscit sua peccata in hac vita & imperfectionem suam: sed magno conatu fertur ad perfectionem. Hunc conatum hîc illustri similitudine proponit, sumpta est à cursoribus, qui pro præmio aliquo cursu decertant. Hi duos habent terminos: vnum à quo ordiuntur cursum, carceres, est τὰ ὀπίσω, hoc est, rerum à tergo relinquendarum: non enim respiciunt ingressi cursum, ideo ait ἐπιλανθανόμενος τὰ ὀπίσω, quod duplici modo accipi potest: nam vita anteacta repeti non debet, ideóque obliteranda peccata in quibus aliquando viximus, depositus homo vetus recipi non debet. Deinde iustitia legis & operum persuasio in qua olim Apostolus vixit, quoque deposita est, ideo repetenda non est: nō enim idoneus est ad regnum cœlorum qui manu aratro apposita velit respicere, Luc. 9. Ideo Israelitæ reprehēsi grauiter sunt quòd ad ollas Ægypti respicerent Exod. 16. Hoc respectu ad tergum respiciendum non est. Sed est modus tertius vtilis & necessarius, secundùm quem respiciamus ad præterita, nimirum vt nos ipsos discamus cognoscere, ne in donorum magnitudine superbiamus, sed homines nos esse semper meminerimus, secundùm quod dicitur in Græco versiculo, Θνητὸς πεφυκὼς τὰ ὀπίσω πειρῶ βλέπειν, de quo hîc Apostolus non loquitur. Alter terminus est, ad quem tendit cursor, meta scil. hûc totis sensibus meditatur, & animo defixus in eo hæret, quod A- Genera duo fatentium imperfectionem suam.

postolus dixit, τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, emphaticè conatum exprimens ardentissimum: est enim τείνειν, tendere, *spannem* ἐκτείνειν, extendere, *vß spannem*, ἐπεκτείνειν, *vß streckenn*. quod de cursoribus dici etiam solet, *Die streckenn sich vnd vingenn nach Dergab*, significantes totis viribus in hoc intentos esse, & intendere omnes neruos vt organa & motus ad hunc finem.

Tertio, exprimitur præmium, *vita æterna*, quam vocat βραβεῖον, hoc est, munus & donum cursoribus propositũ. Idem videtur σκοπὸς, nisi quòd metam & finem cursus magis indicat. Βραβεῖον autem ipsum munus propriè significat, illud est vita æterna per Christum à Deo promissa in vocatione cælesti. Deus igitur est agonotheta, qui falli non potest, nec fallitur, quum homines sæpe fallantur in præmiis, aut etiam fallãt alios, quod hîc nulla ratione metuendum est nobis. Similitudo multas illustres habet obseruationes, quas erue.

Versu 15. *Quotquot igitur perfecti, &c.*

Illatio est argumentationi subiecta, qua concludit iam & elicit communem regulam in hac tota quæstione seruandam. Mens est: Qui de iustitia rectè sentire volunt sic iudicent, solius Christi iustitia per fidem nobis applicata, repudiata omni nostra operum dignitate, saluos nos fore. Hic canon est, & illa regula, quæ debebat inter Christianos ita nota & trita esse, vt disceptatione & probatione non egeret, sed tanquam principium professionis nostræ sumeretur, & concederetur ab omnibus. Id quum non fiat, satis declarat quantùm à vera pietatis professione absimus, quum de principiis ipsis tot lites instituantur. Sit igitur ἀναπόδεικτον & ἀναμφισβητητικὸν, hoc est, extra omnem controuersiam, sola in Christum fide nos iustos pronunciari, illius iustitia ornatos, denudatos planè omni nostra iustitia. Primùm, vide apud quos valeat hic canon seu regula, apud perfectos: nam dicit *quicunque perfecti esse volumus, ita sentiamus*, q.d. perfectorum est hæc cognitio. Mirum est Apostolum adeò obliuiosum esse: paulò ante fassus est se nondum esse perfectum, expectare autem illam in altera vita: hîc non solùm se perfectum concedit, sed alios multos quibus se connumerat. Sed nulla est contradictio: est enim perfectio quædam respectu integralium partium, vt infans perfectus est homo, quia partes hominis habet iustas & integras, nihil habet monstrosum, hoc respectu perfectus est homo. Alia est perfectio respectu facultatum & functionum, seu operationum organicarum partium: quo respectu infans non potest dici homo perfectus, nam licet habeat caput, nondum tamen ratiocinatur, cor nondum sapit, pedes nondum corpus ferunt, sic manus & reliqua organa, sua officia plenè nondum præstant. Itaque idem infans perfectus est & imperfectus homo: sic Paulus hîc loquitur, perfectum se & alios dicit, quia habet partes integrales pietatis & regenerationis, scil. veram agnitionẽ peccati, veram notitiam de Christi merito, veram fidem, veram dilectionem, & constantiam in professione. Atque hactenus perfectus est cum aliis qui easdem dotes habent, licet gradu non eodem.

Iustitia gratuita sola iustificat.

Contrà imperfectus est, quia officium non semper ita exactè præstat, quia impeditur sæpe à peccato inhærente, quia nondum apprehendit vitam illam beatam, &c. Nos discamus firmorum animos hac regula oportere esse munitos, vt de eo nullo pacto liceat dubitare.

Deinde præter hos perfectos, alij sunt infirmi infrà positi, qui aliter sentiunt, de quibus tamen non est desperandum. Itaque dissidia manebunt etiam de hac quæstione, vt in aliis multis, de quibus rogandus est Dominus vt suis reuelet, quod indubiè facit in omnibus articulis ad vitam æternam necessariis. Non permittit suos ad finem errare.

Vers. 16. *Tamen in eo ad quod peruenimus, &c.*

Non dubitãdum de iustitia per meritum Christi parta.

Correctio est significans dubitationem de aliis ferri posse, in hoc autem articulo minimè. Itaque hîc consentiens debet esse opinio omnium fidelium, Christi merito nos iustos pronunciari. Atque in hoc curare debemus, & idem sentire, & eodem modo ambulare. Τὸ αὐτὸ φρονεῖν pertinet ad consensum opinionum ac iudiciorum. Στοιχεῖν autem ad vitam & mores, & professionem, & fidem, hanc vita ac moribus ornemus: ne Christo & suæ iustitiæ macula simus, fidem in ore, scelera in vita habentes, quod hodie multi faciunt, Curios simulant & Bacchanalia viuunt. Vide huius loci explicationem apud Hieronymum Tom. 5. in Ezechiel. c. 46. Item aduersus Pelagianos, qui affirmabant perfectionem talem, qua sine omni peccato pij esse possent in hac vita, contra quos disputat etiam Augustinus. Tom. 8. De hoc loco vide in expositione Psal. 18.

Vers. 17. *Estote simul imitatores mei, &c.*

Exéplũ Pauli.

Redit ad suum exemplum, quo nos confirmat in veritatis constantia. Est autem totus hic Epilogus à ver. 15. valde argumentosus, ideóque referenda sunt omnia ad principalem scopum, quòd scil. in negotio iustificationis sola Christi iustitia, nec vlla nostrorum operũ dignitate iustificemur. Ad hoc confirmandum valent istæ rationes.

Primùm, doctrina de Iustificatione per fidem in merito Christi, est perfectorum, hoc est, rectè sentientium de consequenda salute: deinde, quia hæc via sola est ad perfectionem, quum

quum doctrina contraria sit imperfectorum: Ergo illa studiosè est retinenda.

Secundò, à suo exemplo quod in hac doctrina illis proponit imitandum. Verùm non solùm, vt declinet inuidiam, sed alios multos in hac doctrina dicit se habere consentientes. Typus autem Apostolus est, tanquam primarius doctor, & acerrimus defensor: ita 1.Cor. 4.dixit, Imitatores mei estote. Id limitauit postea 1.Cor.11. sicut ego Christi sum imitator: Igitur Paulus imitandus est catenus, quatenus Christi Domini sequitur vestigia & doctrinam. Id in sanctorum etiam valeat imitatione.

Vers.18. *Multi enim ambulant, &c.*

Tertia est ratio. Quia multi sunt seductores, multitudo cautos nos debet reddere. Qui sint isti multi dixit Rom.16. qui non Christo, sed ventri suo seruiunt, hoc est, doctrinam ad quæstum accommodant. Et obserua his tribui περιπατεῖν, quod est otiosorum hominum, vt Philosophorum, qui ambulando de rerum natura disserebant, de dignitate hominis & similibus. Id aptè competit doctoribus operum: disserunt enim de operum dignitate, de hominis viribus, libero arbitrio, facultatibus animæ, rationis præstantia, &c. Et insuper hæc faciunt vt quietè viuant. Itaque ad otium accommodatur doctrina, vt verè sint Peripatetici. Contrà veris doctoribus suprà tribuit στοιχεῖν, incedere, quod est ordine militari incedere, hoc est, laboriosum est, & militum Christi, sub cruce ambulantium & pugnantium: est στοιχεῖν ἐν τῷ ῥυθμῷ βαδίζειν, vt habet Xenophon. Itaque methodica Christi doctrina est: hæc iustitiariorum ἄμεθοδος, interim habet πόλλους, quia plausibilis est mundo. Deinde obserua, hoc prædixisse Apostolum, scilicet etiam ad Philippenses venturos vt illos corrumperent. Id facilè erat Apostolo ab experientia prædicere, sic multa prædixit 1.Tim.4. Tertiò, *idem iam flens dicit*, rectè flens, quia priùs se de numero perfectorum esse dixit: est enim perfectorum lugere vitia imperfectorum, vt ait Hieronymus. Fletus hic causam habet, seductorum multitudinem, quæ Apostolo expressit has lachrymas: sic errantium turba ac pertinacia pios tristes efficit. Christus apud Luc.19. hac de causa deflet Hierosolymam. Aliquando propria infirmitas deflenda venit, vt Petro Matth.26. quum negasset Dominum. Aliâs pœnæ impium ad fletum compellunt, vt est Matth.22.24.25. Sed pios quoque crux flere efficit, quos Dominus Christus beatos pronunciat, Luc.6. Interdum honesta est συμπάθεια flere cum flentibus, Romanorum.12. sic pij cum Apostolo flent, Act.21. & Solomon ait, Tempus esse flendi. Quartò, notetur etiam hoc, quòd *hostes crucis Christi* vocet, quos suprà canes, falsos operarios, & concisionis patronos. Hi sunt quos Tit.1. deceptores mentium vocat, & esse ex Circumcisione tales præcipuè, hoc est, Iudæos defensores Circumcisionis: hostes isti sunt crucis Christi, quia doctrina illa cadit ad ignominiam Christi meritorum, & gloriam illius imminuit: ideo hostes sunt, quia hostilia faciunt. Deinde hostes etiam sunt, quia crucem fugiunt, hanc omnibus modis declinant, & vt hoc possint falsa docent, docendo se acceptos reddunt auditoribus non Deo, vide Gal.6.ver.12.

Doctores operum.

Fletus Pauli causæ.

Hostes crucis.

Versu 19. *Quorum finis est, &c.*

Quarta est ratio ab euentu calamitoso contrariæ doctrinæ: finis illius doctrinæ est perditio, igitur sedulò cauenda. Addit causam, *Quia venter illorum est Deus*, hoc est, ventris causa omnia faciunt, & quod pij in gratiam Dei faciunt, id omne isti ad ventris cultum & curam conuertunt. Inde 2.Tim.3. φιλήδονοι potius dicuntur esse, quàm φιλόθεοι, vt Rom.16.ver. 18. Non Christo, sed ventri suo seruire, & Tit.1. illi qui sunt ex Circumcisione doctores dicuntur potius esse φρεναπάται, deceptores simplicium: & ibidem Cretenses pigri ventres. Est enim vtplurimum consequens, vt hi qui ventris sunt studiosi, sint simul etiam pigri, fugiant molestias, crucem & pericula, quæ obruunt fideles doctores.

Cur pereant falsi doctores

Versu 20. *Nostra enim conuersatio, &c.*

Quinta ratio à studio rectè sentientium: habet autem tacitam antithesin, quasi dicat, illi pro ventre soliciti sunt, & illum solum curant, terrena sapiunt, gloriam & otium. Nos contrà affecti sumus, cælestia curamus: tale argumentum habuimus ad Ephes. 4. versu 20. Vos autem non sic didicistis Christum, hoc est, pij & rectè instituti in fide Christi non sic affecti sunt. Ita hîc opponit affectũ & studium rectè sentientium, illis qui corruptè sentiebant & docebant. Illi terrena, nos cælestia. Πολίτευμα statum Reipub. significat cum omnibus quæ ad illius felicitatem spectant, quasi dicat, ciuitas nostra & patria manès in cœlis est, hîc peregrini sumus, non terræ ciues, sed cœlorum municipes. Illinc etiam expectamus Christum σωτῆρα: ergo opera non sunt σωστικά, non enim possunt in eodẽ gradu consistere Christus seruator, & opera: cedant igitur illa Christo.

Antithesis inter veros & falsos doctores.

Versu 21. *Qui transformabit, &c.*

Sexta ratio, forma iustificationis solius Christi est: ergo operibus non est ascribenda. Id probo. Quia is iustificat solùm, qui ignominiam peccati, & humilitatem corporum nostrorum transformabit in gloriam, & maiestatem æternam, congruam vitæ cœlesti.

Christus solus iustificat.

Sed id solus facit Christus: ergo solus etiam iustificabit. Vbi igitur Circumcisio? vbi operum dignitas? vbi merita? certè in hoc gradu nihil sunt, alioquin illis ascribēda etiam foret transformatio nostra. Μετασχηματισμὸς ille formæ erit, & affectuum, hoc est, corruptibilitatis correctio, vt corpora nostra trāseant ἐκ τῆς φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν, hoc beneficium solius Christi est. Deinde magis illustrat hoc beneficium, vt sint σύμμορφα suo corpori. Itaque μετασχηματισμὸς erit συμμόρφωσις, hoc est, formæ & glorię quædam similitudo, non eodem quidem gradu, sed qualitate simili in diuersis gradibus. Itaque filius Dei illustri maiestate omnes sanctos excellit in vita æterna: ipsi autem sancti inferioribus gradibus illustrem quoque habebunt maiestatem, qualem stellæ ad solem. Addita est vltimo loco causa efficiens, quomodo scilicet id possibile sit Christo futurum? Optimè, respondet, reuocando nos ad illius omnipotentiam, valétque argumentum à maiori ad minus, seu à toto ad partes, Christus omnem habet potestatem in cœlo & in terra: hac potestate omnia potest sibi subiicere, mortem, Satanam, inferos: ergo eadem potestate domabit nostram infirmitatem, & causam illius totum nostrum peccatum. Id solùm est illius, qui infinitam habet potentiam, quia peccata infinita sunt: delenda ergo etiam infinita potestate solùm. Sed merita nostra non infinitæ sunt potestatis: Christus autem verè & solus est infinitæ potentiæ: ergo solus id præstabit, idque secundum hanc infinitam potestatem. Itaque hæc sola doctrina vt firmissima est sequenda: contraria autem vt erronea & falsa studiosè & sedulò cauenda est, &c.

Argum. à potestate Christi.

CAPVT IIII.

Argum. cap. 4.



PROPERAT oratio ad finem, ideo breuiter hoc capite repetit eas virtutes ad quas partim cohortatus est suprà, partim verò hortaturus erat si prolixior epistola scribēda fuisset. His aspergit priuatarum personarum exhortationes. Hinc ingreditur locum de Philippensium erga se liberalitate, quam sanè multis nominibus prædicat. Additur his δοξολογία, salutatio mutua & subscriptio.

Propositio. Propositio, Philippenses in doctrina Apostolica diligenter perdurare debent, necquicquam recipiendum vel in dogmatibus vel in moribus quod ab illius regula aliquo modo discrepet.

Vers. 1. *Itaque fratres mei, &c.*

Hortatoria conclusio. Συμπέρασμα προτρεπτικόν: sensus est, In doctrina quam à me accepistis perdurate. Id Apostolus vocat, στήκετε, state, hoc est, constantes perseuerate, debétque referri ad superiora præcepta, de constantia in suscepta professione cap. 1. vers. 27. ad concordiæ, dilectionis, & humilitatis studium cap. 2. ad diligentiam vitandi falsa dogmata cap. 3. imprimis ne iustificatione quicquam nobis tribuamus. Quæ omnia referuntur tum ad dogmata, tum ad mores. Sed

Ornamēta Ecclesiæ Philipp. expende ornamenta illius Ecclesiæ, vocat ἀγαπητοὺς, hoc est, amore dignos, amabiles, quia digni habiti qui à Christo redimerentur, qui vocarentur ad cognitionem veritatis: digni igitur qui ab Apostolo amarentur. id iudicemus de infirmis etiam Christi membris. Deinde

1. dicuntur ἐπιπόθητοι, desiderabiles: πόθος desiderium ardens est rei alicuius: plus igitur hoc e-
2. pitheto dicit, quàm priore: & desiderium etiam auget præpositio ἐπὶ. Tertiò, gaudium, hoc
3. est, causa iustissima gaudij & exultationis: éstque hoc etiam significantiùs quàm superiora: nam πόθος latet in latebris animi vt non statim erumpat, sed χαρὰ se effundit externis signis, vultu, voce, gestu, &c. Inde Græci dicunt gaudium esse διάχυσιν τῆς ψυχῆς, dilatationē animæ.
4. Quartò, στέφανος, corona, hoc est, ornamentum & decus singulare: corona enim datur re bene gesta, vt post victoriam militibus, athletis, cursoribus, in nuptiis quoque symbolum castitatis. Itaque multum & Philippensibus & sibi hìc Apostolus tribuit. Vltimò, repetit ἀγαπητοὶ, vt circulo concludatur oratio, κύκλος λόγου.

Vers. 2. *Euodiam hortor, &c.*

Speciales exhortationes. Alterum membrum, in quo speciales sunt exhortationes. Primùm considera genus per-
1. sonæ: sunt enim mulieres ad quas orationem conuertit. *Euodia & Synticha*, de quibus quæ fuerint tantùm habemus probabilia, scilicet primarias fuisse matronas in illa Ecclesia & nomine Christi multa perpessas. Constantia & fortitudo in omni sexu laudabilis est, imprimis tamen admiratione est digna in muliebri sexu, tanquam infirmiori vasculo.

2. Deinde quid ipsis præcipiat, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, in Domino, hoc est, consentire. Itaque simultates inter has erant, & quędam dissidia quę turbare poterant totum cœtum, & dissidia sopire volens Apostolus, modestè iubet idem sapere. Obserua, periculosa esse priuatorum dissidia, imprimis si illi magni nominis sint in Ecclesia, etiam inter matronas. Deinde huic morbo imprimis subiectas esse mulieres: sed ne inter has quidē ferēdas piis viris simultates.

3. Tertiò, cui compositionem commendet, idoneæ personæ, cui maximum adfert adiumentum

mentum Apostoli mandatum, & quòd in epistola publica coram toto cœtu hoc recitandum erat. Ex quo colligimus notoriam fuisse simultatem, alioquin nũquam Apostolus hoc publicaturus erat sine priuata admonitione. Porrò de Συζύγῳ illo γνησίῳ non satis conuenit inter omnes. Clemens Alexander lib. στρωμ. 3. de vxore Apostoli accipit hæc verba, quem secutus Eusebius lib. 3 cap. 3. in eandem sententiam citat. Idem faciunt alij tam veteres quàm recentiores. Contra errorem iudicat Theophilactus: ac de viro quodam insigni interpretatur, qui vel maritus, vel frater fuerit vnius ex his duabus: aut etiam custos carceris. Sed omnia illa sine scriptura dicuntur. Quid si minister fuerit in Ecclesia, aut vtriusque frater & Euodia & Syntiche sorores fuerint? Sed & illud scripturæ testimonio caret: mihi sanè Eusebij & Clementis non displicet sententia, præsertim quum à scriptura nihil habeat alienum, & causæ huic optimè quadret: nam muliebris causa mulieri optimè videtur commendari. Nec firmis rationibus adhuc euersa est ab aliis, &c. Summa est, componendas esse pias duas matronas idonea hac persona. Vel, sensus est: Iuuãdas esse in paupertate sua, sed ei repugnat prius illud αὐτὸ φρονεῖν. Itaque συλλαμβάνεσθε hic est componere, vtranque partem audire, amplecti, admittere, &c.

Quartò, cur dignæ sint vt ab aliis non negligantur: *quia*, inquit, *vnà mecum decertarunt in Euangelio*, hoc est, vitæ periculum accesserunt mecum pro veritate: magna laus muliebris sexus, constanter ferre quęuis pro Christi confessione. Addit his Clementem tanquam eiusdem fortunæ participem: quanquam Græcus sermo etiam admittat aliũ sensum, nimirum, Compone illas tu scil. vnà cum Clemente, & aliis adiutoribus meis: sed prior sensus germanior est, cui patrocinatur sequens comma: *quorum nomina in libro vitæ scripta sunt*, hoc est, propter veritatis confessionem in numero electorum sunt. Est liber vitæ, catalogus electorum, quem Deus in promptu habet, non secus ac si princeps bene meritos subditos indiario ascriptos legat: sic Moses Exodi 32. cupit deleri ex libro vitæ aut conseruari ipsum populum: & Psal. 69. contra impios loquitur. Deleantur de libro vitæ, ac cum iustis non scribantur, hoc est, sint execrabiles, quod Apostolus ad Rom. 9. dicit fieri anathema.

Constantia muliebris sexus.

Liber vitæ.

Vers. 4. *Gaudete in Domino, &c.*

Hactenus ad consensum hortatus est: iam secundo loco hortatur ad gaudium, hoc est, ad veram animi lætitiam ex bona conscientia natam: præsentis enim boni est opinio gaudium, vt priùs dixi διάχυσις τῆς ψυχῆς à χέω, quod est dilato.

Gaudiũ.

Vers. 5. *Moderatio vestra, &c.*

Tertia virtus est, quam in illis requirit. Ἐπιείκεια, moderatio iuris, qua scilicet mitiùs interpretamur aliorum dicta & facta, ferre docet hæc virtus dissentientes interdum, quatenus scilicet salua pietate aliud sentire nobis & licet & liberè potest. Porrò hæc virtus ita notoria debet esse in Ecclesia, vt omnibus hominibus cognita sit mansuetudo nostra. Addit præcepto argumentum. Ὁ Κύριος ἐγγύς, Dominus prope, vel quia iam venit, & exhibitus est in carne. sic 1. Corinth. 16. versu 22. μαρὰν ἀθά, vel quia breui est venturus ad iudicium, vel quia semper nobis præsens est suo Spiritu, quasi dicat, modestè viuite tanquam inspectore ipso Domino, qui non ita procul abest: ac si familiæ dicas, modesti sitis adest herus familiâs: sic discipulis præsentia præceptoris satis est argumenti ad tranquillitatem.

Moderatio.

Et sanè piis omnibus vbique locorum & omni tempore hoc ante oculos versari debet. Dominus est prope, adsunt angeli inspectores vitæ, & testes dictorum, ideo nihil contra decorum nobis est committendum.

Vers. 6. *De nulla re soliciti sitis, sed in omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione, &c.*

Quarto loco contra nimiam curam rerum externarum agit, de quo Matth. 6. versu 26. & 1. Corinthiorum 7. vers. 32. Volo vos sine cura esse: huic solicitudini opponit studium orandi, in quo occupatos esse decet, vide locum de oratione.

Vers. 7. *Et pax Dei quæ excellit, &c.*

Iterum præcepto addit rationem: pax Dei dicitur, quia eius author est, & largitor. Est illa pax de qua dixit Dominus Christus Ioan. 14. Pacem meam do vobis, hoc est, tranquillas conscientias, ex sensu placati Patris cælestis. Psal. 4. In pace dormiam, quia tu in securitate collocabis me. Id hic expressit per verbum φρουρεῖν, hoc est, in excubiis pro vobis stabit, vobis etiam dormientibus. Cor hic accipitur pro sensu, & νόημα pro intellectu, quasi dicat, tam iudicium quàm mores in vobis formabit ad Dei voluntatem: hæc pax illustris est, tantorum bonorum causa, ideo superat omnem intellectum, hoc est, pro dignitate non potest æstimari, vti nec reliqua cælestia bona.

Vers. 8. *Quod reliquum est, &c.*

Secunda pars capitis, Epilogum complectitur, cui ascribo omnia vsque ad finem. Locos ordine inspiciemus.

Capitis 2. pars.

Prima pars Epilogi continet repetitam propositionem per enumerationem diuersarum virtutum, quæ in sanctis debent elucere vt est veritas. 2. σεμνότης, decorum personarum. 3. δικαιότης, iustitia. 4. ἁγιότης, castitas. 5. προσφιλία, amicabilitas, hoc est, quæ ad amicitiam conciliandam & conseruandam spectat. 6. εὐφημία, auspicata, & boni nominis affectatio. 7. ἀρετὴ, virtus scilicet quæcunque tandem: specie bus sæpe genus rectè subiicitur. 8. ἔπαινος, laus, quæ est virtutis quoddam præmium, vt & honor & gloria. Hæc meditanda sunt piis.

Vers. 9. *Quæ & didicistis, & accepistis, &c.*

Commē-datio do-ctrinæ Pauli.

Altera congeries, qua Philippenses ligat ad suam doctrinam tanquam sanam, à qua non liceat vllo pacto desciscere. Simile habes 2. Tim. 2. ver. 2. Hic quatuor ordine ponit: *didicistis*, scil. à me. 2. *accepistis* à me per S. Sanctum 3. *audiuistis* à me doctore. 4. *vidistis* in me scil. vitæ innocentis exemplari. Hæc sola facienda sunt, hoc est, tam in doctrina, quàm vitę innocentia Apostolus Paulus nobis est sequendus: ergo nulla alterius doctrina, nullum etiam dogma in moribus recipi debet discrepans à moribus Apostoli, &c.

Vers. 10. *Gauisus autem sum in Domino valde, &c.*

Philipp. liberali-tas.

Alterum membrum Epilogi de Philippensium in se liberalitate, Propositio est, singulari lætitia excepi vestrum munus, quanquam ad omnem alioquin fortunam sim assuefactus. Obseruandus est hîc primò affectus Apostoli ex illorum facto obortus: dicit enim se gauisum μεγάλως, hoc est, animi lætitia sese prodidit in me singulariter: plus enim dicit quàm quòd simpliciter sit gauisus, quasi dicat, gestire gaudio. Vnde videmus non alienos ab huiusmodi affectibus esse pios.

Causa verò affectus est, quòd curam pro se receperint: ἀνεθάλετε, refloruistis, metaphora ab arborib. & herbis desumpta est, quæ hyeme mori videntur, verno tempore vires resumunt redeunte natiuo succo redit flos, germen, grana, folia, demum etiam fructus: sic illi videntur aliquandiu deposita Apostoli cura sua curasse. Nunc verò testantur reipsa curam receptam, quò facit particula ἤδη ποτὲ, iam tandem, quasi dicat, post longam intermissionem: sed quia hoc duriùs videbatur dici in homines alioquin familiarissimos, ideo adhibita correctio id totum mitigat. *Quatenus etiam soliciti fuistis, sed opportunitate destinati fuistis:* necessaria fuit correctio, nam ignauiæ prior sententia videbatur habere obiectionem, sed nolebat tristes reddere: ideo corrigenda fuit sententia asperior. Mitigat igitur reiectione culpę in circunstans tempus, quasi dicat, vos non culpo, sed scio mei nunquam deposuisse curam, interim, temporis ratio non permisit vt quicquam ad me miseritis: ἀκαιρία igitur in causa est, non voluntas defuit. Est autem ἀκαιρία importunitas, hoc est, temporis quædam portio quæ bonos etiam destituit certo consilio.

Corre-ctio qua reiicit culpam in tēpus.

Vers. 11. *Non quòd secundum tarditatem loquar, &c.*

Correcti-onis, de-claratio, vbi de αὐταρ-κείᾳ Pauli.

Correctionis declaratio: ὑστέρησιν omnes ferè referunt ad Apostoli paupertatem: sed de illa loquens vocat ὑστέρημα 2. Corin. 11. & 2. Corin. 8. pauperum ὑστέρημα iubet compleri Corinthiorum redundantia. Ideo malo referre ad tarditatem, de qua visus est conqueri, quasi dicat, non conquerar de vlla vestra tarditate quæ sanè nulli est, ὑστερῆζειν est tardius venire, quod dicitur post festum venire. Inde ὑστέρησις, tarditas, mora. Quæ sententia huic loco optimè conuenit. Deinde correctionem muuit à sua persona. Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse, hoc est, didici præsentem fortunam boni consulere: ideo non egebam vehementer subleuatione. Quomodo autem didicit? experientia & vsu per Christi Spiritum, non enim illa αὐτάρκεια, de qua Philosophi loquũtur. Aristoteles εὐδαιμονίας facit propriam, quam alibi describit εὐζωΐαν μετ' αὐταρκείας, hoc est, vitam commodam, cum sufficientia cōiunctam: sed illa solius Dei est, qui ob id dicitur apud Heb. *elschadai* Deus sufficiens, in se. n. beatus est, & pro electis suis abundè diues. Verùm αὐτάρκεια Apostolica est parsimonia, & in afflicto statu animi constantia, boni consulens etiam mucidum panem.

Vers. 12. *Scio autem & humiliari, &c.*

Ἐπιμονὴ est: immoratur enim in eadem re mutatis sententiis: *scio humilis esse, & scio abundare*, hoc est, lautè & miserè viuere: antithesis est in fortunæ varietate, in Paulo sensus idem est. Deinde, initiatus sum ad omnia. ἐν παντὶ refero ad tẽpus ipsum, quod mutat faciẽ suam: ἐν πᾶσι verò refero ad res ipsas & euentus. His omnibus suam opponit solidam constãtiam. Μύω & μύομαι est initiari, vnde & mysteria dicta sunt. Dicit igitur Apostolus se consecratum infortuniis, & esse illa Christiani hominis mysteria ἀπόῤῥητα ferre indesinenter crucem. Id quoque reliquis duobus commatibus dicit.

Vers. 13. *Omnia possum, &c.*

Causa Pauli cō-stantiæ.

Vniuersalis clausula, qua indicat nihil illi præter expectationem euenire, quo deiici possit: sed addit causam suæ constantiæ, Christum nimirum, ne putes Philosophicis præceptis imbutum didicisse hanc constantiam: nunc inquit, Christum recepi, ideo triste nihil mihi

euenit

euenire potest. Disce pium virum exemplo Apostoli oportere paratum esse ad omnem fortunam, quod Plato dixit de iusto, qui sit instar cubi tetragonus, vtut res cadat bene habet.

Rebus aduersis animosus atque Hor. lib. 2. Od. 10.
Fortis appare, sapienter idem,
Contrahes vento nimium secundo.
Turgida vela.

Vers. 14. *Attamen rectè fecistis, &c.*

Redit iam ad facti commendationem, ac superioribus ista connectit per præoccupationem: nam videntur ista contemnere illorum liberalitatem, vt præstaret forsan non omnino misisse, præsertim ad virum, adeò paratum ad omnē fortunam, & miseriis assuetum: respondet igitur, Interim valde gratum fuisse munus Philippensium, adeóque ipsos ex officio fecisse: non enim ideo pauperi nihil dandum est, quia paupertati assuetus est, sed laudanda virtus illius, & subleuandus interim studiosè. θλῖψιν vocat vel ipsam rerum penuriam, ὑστέρημα: vel illius effectum: paupertas enim θλίψει affligit & humiliat carnem nostram: ideóque Dominus immittit famem sæpe, & penuriam panis vt castigetur petulantia hominum, quod vtinam incipiamus agnoscere, & Dominum rogare pro pœnarum mitigatione. Per præoccupationem laudat Paulus beneficia Philip. in se.

Vers. 15. *Scitis autem & vos, &c.*

Beneficium commendaturus, ipsum illustrat prioribus beneficiis, & comparatione adhibita præfert eos reliquis omnibus Ecclesiis. Vide 2. Corinth. 11. v. 7. 8. 9. λόγον δόσεως καὶ λήψεως sumpsit à mercatorum loquendi formulis, qui rationes habent accepti, & expensi, significans reliquas Ecclesias quidem ab eo accepisse veritatis cognitionem, sed nulla temporalia ei reddidisse, hoc est, gratis docuisse, & si quando acceperit, ab exteris potiùs accepisse, quàm ab ea Ecclesia in qua doceret.

Vers. 16. *Quia & in Thessalonica, &c.*

Narrationem preteritorum beneficiorum confirmat exemplo notissimo, & valde laudato, Thessalonicenses docui, inquit, vestris sumptibus bis. Grati animi est præterita beneficia quoque memoria repetere.

Vers. 17. *Non quòd quæram donum, &c.*

Laudando liberales videtur petax Apostolus, ideo mox iam declinat hanc notam. Itaque correctio est à finium distinctione. Petaces laudant liberales vt munus extorqueant: id, inquit, ego non facio: sed quæro laudem & gloriam vestram. Καρπὸς est eleemosyna respectu pietatis, quæ docet & præcipit liberalitatem. Atque hic fructus redundat in λόγον dantium eleemosynas, hoc est, ad laudem & gloriam, quemadmodum mercatorum famuli laudantur à dominis si rationes afferant magni lucri, modici autem expensi. Ita pij coram Domino virtutibus ornatas afferunt rationes ad Deum iudicem. Correctio ne petax videatur.

Vers. 18. *Admitto autem omnia, &c.*

Narratiuncula præsentis beneficij, nam ad personam Epaphroditi pertinebat commendationem declarare, omnia bona fide per ipsum ad Apostolum fuisse deportata. Vocat odorem bonæ fragantiæ, alludens ad sacrificia Patriarcharum, quæ Deo sic fuisse accepta prædicantur, vide Genes. 8. & suprà causam denotat, se initiatum esse sacris nouis, ideo in his metaphoris persistit.

Vers. 19. *Deus autem meus, &c.*

Comprecatione concludit locum hunc de Philippensium in se liberalitate.

Vers. 20. *Deo autem & Patri nostro, &c.*

Tertius locus Epilogi δοξολογίαν continens: significat autem omnia tam prospera, quàm aduersa ad Domini gloriam esse accommodanda.

Vers. 21. *Salutate omnem sanctum, &c.*

Quartus locus continens mutuas salutationes. Primò, iubet suo nomine *salutari omnem sanctum*: ideo non alienum est à piorum moribus, saluta libenter. Omnem autem sanctum dicit, quasi singulos nominatim & viritim salutari velit: ac fieri etiam potest vt respexerit ad eos qui de facie ei non fuerint noti, tamen pij: eos igitur vt fratres complectitur, & dignos salute indicat. Deinde indicat eos, qui ipsos salutant: *fratres omnes qui mecum sunt*, vel in vinculis, vel qui liberi Romæ versantur, & liberum ad me habent accessum. Id mox repetens ait, Salutationes, epistolæ 4. locus.

Vers. 22. *Salutant vos omnes sancti.*

Itaque fratres & sancti idem sunt. Fratres propter communem religionem: sancti autem misericordia Dei, & iure electionis, quia ad sanctam, hoc est, æternam vitam destinati sunt. Addit in eo censu, hos qui sunt de familia Cæsaris, hoc est, aulicos quosdam Neronis. Corruptissima belua fuit Nero, ideóque aulam indubiè dissolutissimam habuit. Interim vides pios aliquos in ea delitescere, qui & fratres sint Apostoli, & Fideles etiam in aula principum.

membra Christi:tales fuerunt aulici, Ioseph in Ægypto, Daniel in Babylone, Naaman Syrus, Eunuchus Candaces reginæ, Act.8.& similes. Itaque quamuis sit magna aularum corruptela, tamen de eis desperandum non est, Deus subintrat etiam hos, & inde tanquam ex editiori loco interdum concionatur. Debet autem aula Neronis hoc tantum beneficium Pauli vinculis, cuius opera isti indubiè conuersi sunt. Porrò qui fuerint isti aulici, non dici potest certò, quia nullibi expressi sunt in scriptura, nec historia Ecclesiæ illos prodit, nec scire refert. Hieronymus in catalogo script. Eccl. Senecam in eo numero reponit, & videtur approbare epistolas, quæ nomine Pauli & Senecæ circumferuntur, quæ pueriles quidem sunt & ineptiores quàm deceat. Tamen ex aula Neronis, si mihi præferendus aliquis sit eo nomine dignus ex omnibus historiis nullum reperio quem Senecæ præferre possim. Certum est aliquos fuisse, & quidem magni nominis, qui indubiè religionem professi sunt apud Apostolum, aliósque fideles, interim mãserunt in dignitatibus suis, & officiis publicis indubiè consilio Apostoli. Qui autem fuerint Deus nouerit.

Vers.23. *Gratia Domini nostri, &c.*

Quintus locus Epilogi continens more Apostoli generalem conclusionem, quæ comprecatione constat. Gratia est, quæ gratos nos reddit. Addita est ὑπογραφή, Romæ scil. scriptam: scil. circa primam eius defensionem, de qua vide 2.Tim.4.&c.

FINIS EPISTOLAE AD PHILIPPENSES.



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD COLOSSENSES.

Qui fuerint Colossenses.



COLOSSÆ, Colossarum magna ciuitas fuit & populosa Phrygiæ Pacatianæ, sita ad Lycum & Meandrum flumina, postea mutato nomine appellata Chonæ. Vicinas habuit vrbes Apameam, Laodiceam, & Hierapolim, quarum in hac Epist. fit mentio, terræmotibus aliquoties concussa cum his vicinis vrbibus, vnde ni fallor factum est vt Strabo lib.12. oppidum vocet. Nã Xenophon antiquior author, & inspectator huius vrbis non dubitauit vocare, Vrbem bene habitatam, felicem & magnam. Locus est libro primo expeditionis. Plinius lib.5.cap.32. Laodicæ etiam facit vicinam, & lib.31.c.2. refert ibi amnem quendam esse, in quem coniecti lateres lapidescant. Vide Strab. lib.10.& 12. Herodotum lib.7.& Plinium citatis locis.

In Actis 16. legimus Paulum peragrasse Phrygiam, & cap.18. Galaticam regionem, & Phrygiam transit confirmans fratres, tamen huius vrbis nulla fit mentio, nec etiam vicinarum, quas tamen non videbatur silentio præteriturus. D. Lucas, si Apostolus has accessisset. Itaque sic statuendum est, in illis peregrinationibus Pauli, minoris Phrygiæ fieri mentionem, non maioris in qua erant Colossæ. In minori erat Metropolis Troia, vnde à Virgilio Phryges etiam appellantur: ex quo constat Apostolum Colossas non peruenisse.

OCCASIO.

Colossenses Apostolus nec viderat, nec instituerat, sed erant rectè instituti ab Epaphra, Onesimo, Tychico, & similibus. Ab his igitur, & imprimis ab Epaphra fideli Colossensium ministro didicit Apostolus fortunam huius Ecclesiæ, quòd scilicet ei immineret à Iudæis & prophanis philosophis periculum, quemadmodum Philippensibus & aliis. Nam Iudæi etiam Colossensibus Mosaicas ceremonias conabantur obtrudere. Philosophastri autem nescio quas subtiles disputationes de Deo, Angelis, similibúsque argutiis proponebant, quibus omnibus simplicitas & puritas fidei Christianæ euertebatur. Quare Apostolus vt etiam apud eos his malis mederetur, hanc Epistolam ex vinculis Romæ scripsit.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Approbat Apostolus tota hac Epistola hanc solam doctrinam, quam acceperant ab Epaphra,& nunc adhuc sinceriter profitebantur ministro Archippo, ac prẹter hanc doctrinam non esse necessarias alias res ad salutem consequendam, siue ex lege Mosaica, siue ex speculationibus Philosophicis, quòd sola niterentur probabilitate sermonis. In hac igitur doctrina suadet illis esse perdurandum addita saltem vitæ innocentia.

PROPOSITIO.

Hinc facilè colligi potest principalis sententia: Nimirum Colossenses in doctrina Epaphrę constantes manere debent, in eadémque in dies magis magísque crescere, exuendo veterem hominem, & induendo nouum, quo professionem fidei vita & moribus ornent in Iesu Christo.

GENVS.

Quemadmodum in aliis omnibus magnam habet similitudinem cum Epistola ad Philippenses, sic quoque in genere compositionis. Principale est protrepticum, vult enim eos confirmare in recepta doctrina. Accedunt deinde varia, vt Eucharisticum quo Deo pro ipsis agit gratias. Didacticum, fide scil. in Christum nos fore iustos, modò accedat vitæ innocentia, nec alia re opus esse. Sic accedit Ψεκτικὸν, quo damnat Pithanologiam, probabilitatem philosophicam, & simul Mosaicas ceremonias, imprimis circumcisionem. Epæneticum, quo continentur laudes Colossensium, Epaphræ vt boni doctoris, Tychici, Onesimi, & similium. Νουθετικὸν quo singulos ordines sui officij admonet, quò pertinet etiam quod ad finem Archippum, qui, vt apparet, tum apud eos erat minister diligentiæ & officij commonefacit.

PARTES EPISTOLÆ.


Constat partibus verè sex, quas sic distinguimus, & connectimus. Initio titulus est constans consuetis partibus. Secundo loco sequitur exordium vers. 3. quod est compositum ad beneuolentiam. Congratulatur autem ipsis ob receptam veritatis cognitionem, ac constat propositione, & confirmatione, quemadmodum illud ad Philippenses. Rationes propositionis nituntur triplici argumento. Primùm sinceritate fidei. Deinde feruore dilectionis: & tertiò authoritate doctoris Epaphræ.

Tertia pars constituatur versu 13. capitis primi, quæ est propositio principalis, seu Thesis veræ doctrinæ, quæ scilicet ad salutem consequendam sola sufficiat. In hac parte disserit de beneficiis Christi, vt constet in huius sanguine solo nobis repositam esse salutem.

Quarta pars constituatur initio cap. 2. quę habet formam confutationis. Nam damnat reliquas doctrinas omnes, præter hanc vnicam, quam illi ab Epaphra didicerant, adeóque docet intolerabiles esse reliquas omnes, siue ex Mose siue ex Philosophia proferantur. Itaque vt meræ sutelæ cauendæ sunt.

Pars 5. constituatur initio tertij capitis, quæ habet cohortationem ad officia renati hominis, ac eleganter primitus in genere disputat, qui mores deceant omnes, mox ad speciem descendit, præscribens omnibus ordinibus sua specialia decora. Atque ea tractatio durat vsque ad vers. 7 capitis 4. Itaque sexta pars statuatur eodem vers. quæ habet Epilogum de rebus priuatis. Continentur in hac parte laudes Tychici & Onesimi. Secundo loco sequuntur salutationes & resalutationes. Tertio loco speciale præceptum de hac epistola, quæ etiam legenda est in Ecclesia Laodicensi, vnde satis apparet vicinas fuisse vrbes. Quarto loco sequitur speciale præceptum. Quinto loco mentione suorum vinculorum totam claudit Epistolam.

* * *



IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES

ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ.

De vrbe Colossarum.



COLOSSÆ Colossarum, magna & populosa fuit ciuitas Phrygiæ maioris, quam Pacatianam vocarunt, sita ad Meandrum fluuium, quæ postea mutato nomine dicta fuit Chonæ, vt refert Theophylactus. Vicinas habuit vrbes Apameam, Laodiceam, Hierapolim, quarum in hac epistola fit mentio. Strabo lib. 12. oppidum vocat, fortè respectu Laodiceæ, quæ longè amplior fuit. Xenophon Græcus author, & inspector huius vrbis non dubitat vocare πόλιν οἰκουμένην εὐδαίμονα, καὶ μεγάλην, Expedit lib. 1. Vicinam Laodiceæ etiam Plinius facit lib. 5. capite 32. & lib. 31. cap. 2. refert illic amnem esse, in quem coniecti lateres lapides fiant.

In Actis Apostolorum cap. decimo sexto vers. 6. legimus Paulum Phrygiam peragrasse, itidem cap. decimo octauo versu vicesimo tertio, Galaticam regionem & Phrygiam transit confirmans fratres, tamen nullam facit mentionem Colossensium, nec aliarum Ecclesiarum, quæ non videbatur silentio præteriturus D. Lucas, si eas accessisset Apostolus. Itaque sic statuendum est, in Actis sermonem esse non de hac Phrygia Pacatiana, sed de altera minore, in qua Troia est, qui ob id à Virgilio Phryges dicuntur: non igitur Colossas peruenit Apostolus.

Occasio.

Non viderat Colossenses Apostolus, nec docuerat illic Christum: sed statum Ecclesiæ illius perdidicerat ab Epaphra, Tychico, Onesimo, alijsque per quos instituti fuerant: ex quorum relatione etiam hoc perspexit Apostolus, huic Ecclesiæ periculum imminere partim à Iudæis, qui vbique ceremonias Mosaicas obtrudebant Ecclesiis: partim à Philosophastris, qui nescio quas arcanas reuelationes de Deo, Angelis, potestatibus, thronis, similibúsque argutiis proponebant. Quibus omnibus simplicitas & puritas fidei euertebatur. Itaque Apostolus, vt his malis remedium afferret, scripsit hanc ad eos epistolam, ex vinculis Romæ.

Argumentum.

Approbat Apostolus eam doctrinam, quam ab Epaphra acceperant, & quam profitebatur iam apud eos Archippus, nec aliud eis ad salutem consequendam esse necessarium, siue ex lege Mosaica, quæ tota fuit vmbra, neque ex speculationibus philosophicis, quæ sola nituntur probabilitate sermonis: in hac igitur perdurent addita vitæ innocentia, ne de nuda & vmbratili potiùs fide, quàm viuida glorientur. Hoc argumentum munit initio ciuili salutatione, & congratulatione. In fine autem mutuis salutationibus, pia comprecatione, necnon nominis sui singulari subscriptione.

Πρόϑεσις.

Totius epistolæ hæc sententia est, Colossenses in doctrina ab Epaphra tradita non solùm constantes manere debent, sed in eadem in dies magis magísque crescere, exuendo hominem veterē, & induendo nouum, quo professionē vita ac moribus ornēt in Christo Iesu.

Partes.

Partium ordo ferè idem est qui in epistola ad Philippenses, & in aliis: ideo breuiter saltem annotabo. Prima, est titulus coniunctus, constat enim subscriptione, inscriptione, & salutatione. Secunda, Exordium, quod ad beneuolentiam accommodatum est: congratulatur autem illis ob receptam veritatis cognitionem. Tertia, Θέσις doctrinæ veræ, quæ ad salutem consequendam sufficit: disserit in hac de Christi beneficiis. Quarta pars speciem habet confutationis: nam hîc damnat reliquas doctrinas omnes tanquam inutiles & intolerabiles futelas, siue ex Mose, siue ex philosophia proferantur: constat igitur solam Christi notitiam sufficere. Quinta pars, Ethica planè est: nam post explicatam doctrinam veram, informat etiam mores, ídque primitus in genere, nam sunt quædam quæ ad omnem æta-

Prima pars. 2. 3. 4.

tem

tem & conditionem vitæ pertinent: deinde mox priuatim in specie, vt quæ certæ sint conditionis, quid vxorem, quid maritum, quid liberos, parentes, dominos, seruos, &c. deceat. Sexta pars, deputatur rebus priuatis: ideo illa omnia ad Epilogum referimus. De his igitur nobis est ordine agendum.

Genus.

Genus constituendum est eo modo, quo de genere diximus in epistola ad Philippenses, cum quo conuenit de genere. Principale est προτρεπτικόν: scopus enim est in recepta doctrina confirmare. 1. Accedunt huic alia, vt εὐχαριστικόν, quo illis congratulatur, & Deo pro ipsis agit gratias. 2. Διδακτικόν, quo docet fide in Christum iustificari, nec alia re opus esse, modò accesserit vitæ innocentia. 3. Ψεκτικόν, quo damnat Philosophicam πιθανολογίαν & Mosaicam superstitionem. 4. Ἐπαινετικόν, quo commendat Epaphræ diligentiam, Tychicum, Onesimum & alios. 5. Νουθετικόν, quo singulos ordines sui admonet officij, quò pertinet quòd Archippum, vt apparet, ministrum apud eos primarium, admonet officij sui, &c.

Titulus.

Vers. 1. *Paulus Apostolus, &c.*

Titulus coniunctus est, cuius sententia est: Paulus & Timotheus precantur Colossensibus gratiam & pacem. Partes illius tres sunt. 1. ὑπογραφή, quæ continet personas scribentes. 2. ἐπιγραφή, personas Colossensium. 3. ἀσπασμός, hoc est salutatio.

1. Personæ scribentes duæ sunt, Paulus & Timotheus, differentibus ornati elogiis. Paulus dicitur Apostolus, quia immediatè est à Christo ipso vocatus, non minus quàm Petrus, Iacobus, & alij Apostoli. Timotheus verò frater dicitur, non solùm Pauli respectu, sed etiam totius Ecclesię Colossensium. Coniunctio illa consensum docet in Ecclesia esse necessarium, præsertim inter doctores: cur autem eum sibi coniungat ratio probabilis est, vt apud Colossenses sua doctrina confirmatior esset, vt quæ primarios haberet defensores ipsis etiam notos. Deinde ad commendationem suæ modestiæ, & comprobādum consensum mutuum. Vide ad Philippenses. 1. Pars tituli.

2. Ad inscriptionem pertinet id quod de Colossensibus exprimit, de quibus iam dixi in προλεγομένοις. Hic obseruandum est, quibus titulis illos ornet.

Sanctos vocat propter Spiritū iustificationis, quem à Christo habebant, & propter spem certā vitæ æternę in qua ad plenū sanctificandi sunt. Adde propter conatū, qui in nobis perpetuus esse debet, nā renati cælestia meditari debēt, terrena contemnere. Fideles autē vocat propter professionē Christianismi, deinde vt admoneat constantiæ: debent enim esse πιστοί, hoc est, fideles Domino suo qui illos acquisiuit, & qui eis sua concredidit mysteria, huic inquam, debent fidelitatem nec hoc talentum defodiant, aut alia ratione ingratos declarent. Cur sancti Coloss.

3. Tertium membrum Tituli continet salutationem, in qua illis comprecatur gratiam & pacem, de quibus iam sæpe dictum est in superioribus epistolis, &c. illuc te remitto.

Vers. 3. *Gratias agimus Deo, semper de omnibus vobis, &c.*

Exordium sumitur à suo erga ipsos affectu: declarat enim ardentissimum amorem, quo ductus in ipsorum gratiam Deo agit gratias. Ac ne vana esset illa commemoratio, indicat tres primarias virtutes ob quas id facit, fidem, dilectionem, & spem, simul etiam autorem prodit, vnde nimirum habeat hanc de Colossensibus cognitionem, addit etiam comprecationem de futuro, omnia illa auctiora eis optans. Itaque totum Exordium est ad beneuolentiam accommodatum, & hinc aditum sibi strauit ad consequentem doctrinam. Exordij argum.

Propositio est, testari amorem suum, non solùm de præsentibus bonis congratulando: sed in futurum auctiora illa omnia comprecando. Propositio.

Partes duæ sunt, Congratulatio & Comprecatio: prius præsentium donorum habet explicationem ac laudem: posterius spem in futurum de his ipsis augendis & confirmandis. Partes.

Gratias agimus Deo & Patri, &c.

Πρότασις est congratulationis: sententia est, Pro vobis studiosè Deo gratias agimus. Primùm, vide qui sint gratias agentes, Paulus & Timotheus, qui coniunctim epistolam miserunt, & in titulo expressi sunt. Est autem εὐχαριστεῖν pro accepto beneficio gratum se declarare. Id Paulus & Timotheus præstant pro ecclesia illa. Deinde cui? *Deo & Patri*, Deo quidem generaliter omnium, sed Patri simpliciter electorum: tamen hîc ad filium refert propter patefactionem. Matth. 3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, & Mar. 15. Centurio sub cruce exclamat, Verè filius Dei erat homo iste: sed & dæmones fatentur filium Dei altissimi, Mar. 5. Imprimis filius Dei dicitur ob naturæ coniunctionem, quia Deus de Deo ab æterno natus est. Nos quoque filij Dei hinc dicimur, Rom. 8. v. 14. 15. Qui spiritu Dei ducuntur hi filij Dei sunt. Item ipse Spiritus testatur vnà cum spiritu nostro nos esse filios Dei. Item, si filij etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes Filius Dei quis.

autem Christi, Gal.3.ver.26. Omnes filij Dei estis per fidem in Christum. Luc.6.ver.35. benefaciendo reddimur filij Dei. Tertiò additur in Propositione temporis circunstãtia, πάντοτε, semper, frequentia orationis: commendat affectum orantis, & inde desiderium erga ipsos. Quartò, pro quibus, περὶ ὑμῶν, pro vobis, pro alieno bono, gratias agere pietatis est, exultat enim alieno bono. Quintò, modus additur & forma orationis, προσευχόμενοι, hoc est, quoties oramus toties vestri memores sumus, ac nominatim vocationis vestræ, quæ nobis gaudij materiam præbet. Hactenus Propositio.

Versu 4. *Audientes fidem vestram, &c.*

Ratio Propositionis est ab enumeratione sumpta: recenset enim tres primarias virtutes
Tres Colosl. virtutes. 1. religionis nostræ, in quibus feliciter iam profecerint. Prima, est *fides*, cuius annotat obiectum Christum scilicet quia extra Christum nulla est salutaris fides. Ab hac commendat etiam Philippenses cap. 1. vers. 5. ἐπὶ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Hinc communionem hîc vocat fidem: sic Romanos quoque laudat cap. 1. vers. 8. quia fides vestra prædicatur in toto orbe.

2. Altera virtus est *dilectio*, quæ respicit proximum, quem hîc sanctitatis titulo commendat, is nostra indiget dilectione, & testimonium est fidei quoque necessarium.

Vers. 5. *Propter spem repositam, &c.*

Spes 3. virtus. Tertia virtus est: *spes* superioribus additur, quasi ratione quadam: cur enim dilectione ardetis, respondet, quia spem vestram in cœlis posuistis. Ac per spem bona accipio sperata, quibus innititur spes, vt est vita æterna: sic Rom.8. dicitur, spes quæ cernitur non est spes, quasi dicat, si cernantur bona præsentia, nõ spei sunt, sed potius gaudij, gaudium enim præsentia respicit, spes futura.

Ac notatur locus, cœlum scil. habet autem locus ille certitudinem, significans in tuto esse collocata bona spei nostræ, vbi fur non penetrat, erugo nihil corrumpit, contrà ac fiat in terris, nam fures etiam terræ viscera scrutantur.

Euangeliũ quid. Præterea indicat ortum spei, ex prædicatione, scilicet Euangelij: nam vt fides fluit ex auditu, sic spes. Obseruetur etiam hîc descriptio Euangelij, quod est λόγος τῆς ἀληθείας, hoc est, concio de Christo, qui veritas est, via, & ianua salutis, ad Romanos 1. ver. 16. dicitur potentia Dei ad salutem omni credenti.

Vers. 6. *Quod peruenit ad vos, &c.*

Quom. spes ex auditu. Ἔκθεσις quomodo scilicet ex prædicatione acceperint spem. Quia scilicet ex promissione Christi vbique Gentium prædicari debet Matth.28. vers.19. Mar.16. vers.15. & Actor.1. vt vos cùm mundi sitis particula, vtique etiam ad vos pertinuit, à toto ad partem. Deinde, obiectioni respondet, asserens etiam successum, *& est fructum ferens*, quasi dicat, non infeliciter docetur vt quidam garriunt, sed granum admodum est fœcundum, cuius vos estis idoneum exemplum. Tertiò, accedit laus facilitatis, vt Philip.1. ver.5. à primo statim die vsque nunc: idem hîc dicit, faciles scilicet fuisse in admittenda veritate.

Vers. 7. *Sicut etiam didicistis ab Epaphra, &c.*

Autorem prodit non solùm prædicationis apud Colossenses, sed suæ relationis, quasi dicat, quem vos habuistis doctorem Euangelij eundem ego habeo instructorem & stimulatorem ad scribendam hanc epistolam. Laus Epaphræ est gemina. Prior à sua persona,
Epaphræ laus. quia agnoscit conseruum, scilicet in ministerio doctrinæ, & ἀγαπητὸν vocat, hoc est, dilectione dignum propter doctrinæ conformitatem. Altera laus est à persona Christi & Colossensium, quorum respectu idem Epaphras est diaconus & quidem fidelis. Διάκονος ministrum significat, de quo vide Locos. Hîc Christi minister dicitur, hoc est, doctor Euangelij: fidelis autem, quòd bona fide omnia ad salutem necessaria illis exponat, nihil interuertat.

Vers. 8. *Qui & declarauit nobis, &c.*

Redditio: absoluit enim narrationem, vt constet vnde illa omnia habeat, quæ in illorum laudem hactenus protulit.

Vers. 9. *Propterea & nos ex quo die, &c.*

Comprecatio pro Colosl. Alterum Exordij membrum sequitur, continens comprecationem in futurum. Cohærent autem eleganter membra διὰ τοῦτο, hoc est, his de causis mouemur, fide scil. vestra, dilectione & spe: repetit etiam temporis circunstantiam, priùs dixerat se id facere πάντοτε, iam dicit, *ab eo die, quo id audiuimus semper id præstamus.* Quod dixit non desinimus pro vobis προσευχόμενοι, h.e. εὐχαριστοῦντες, vt dixit in propositione. Atque hactenus repetita Propositio per illationem, quę ad superiora pertinent. Nunc de nouo proponit. Comprecationis igitur sententia est: Precamur vt Deus confirmet, & auctiorem sui notitiam in vobis reddat.

Verba Propositionis sunt, αἰτούμενοι ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν, &c. Ac verba manifestè de futuro loquuntur: & verbum αἰτεῖν postulare est, respiciens futurum. Et quum dicit implendos,

plendos, ostendit illis adhuc multa defuisse, in quibus proficere poterant. Id adeò verum est, vt in hac imbecillitate nemo sic reddatur perfectus, quin semper debeat ad maiora aspirare. Ex quo damnatur doctrina perfectionis, quæ vana quadam persuasione homines dementat & fallit.

Ἐπίγνωσις quoque emphatica est dictio: significat enim superiori cognitioni quasi aliam additam, vt priora habeant γνῶσιν, quatenus fidem in Christum acceperant & in eadem articulos alios religionis Christianæ: sed in his crescere nihil aliud sit quàm addere γνῶσιν ἐπὶ τῇ γνώσει, quod demum sit ἐπίγνωσις.

Deinde, obiectum addit, quò scilicet cognitionis incrementum spectet, ad voluntatis Dei pleniorem cognitionem. Quæ illa sit explicat Christus Ioan. 6 ver. 40. Hæc est voluntas mittentis me, vt omnis qui viderit Filium, & crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et 1. Thessal. 4. dicitur, Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione. & 1. Pet. 2. vers. 15. Hæc est voluntas Dei, vt bene agendo obturetis os imprudentium. Itaque quum precatur illis auctiorem cognitionem voluntatis Dei, hoc dicit, vt crescant cognitione Filij Dei, innocentia vitę, ac studio bene agendi. Voluntatis Dei cognitio

Vers. 10. *Vt ambuletis, &c.*

Finalis causa est iam piæ comprecationis, *vt dignè ambuletis Domino Christo*: ad Philipp. 1. vers. 27. dixerat dignè ambulare Euangelio, hoc est, innocentia vitæ testari professioné suam eámque ornare, quod copiosiùs explicant sequentia, *vt omni opere bono fructum feratis*.

11. *In omni potentia, &c.*

Constantiam etiam illis comprecatur: κράτος ad causam efficientem refero: δόξαν ad causam finalem. Ὑπομονὴ & μακροθυμία species sunt: prior ad maiora pericula: posterior ad leuiora spectat. Χαρὰ autem formam communé indicat: vera enim patientia hilaris est, & læta.

ΘΕ΄ΣΙΣ DE TOTA DOCTRINA FIDEI.

Duo exposuit Apostolus, Gratias agit Domino pro Colossensium conuersione: deinde iisdem auctiora comprecatus est dona. Nunc tertium addit, gratiarum actionem pro tota fidelium iustificatione. Ac recenset modum iustificationis nostræ, quòd scilicet tota pendeat à Dei Misericordia, nos idoneos reddentis, vt per Christum hoc beneficium sit nobis paratum, cuius sanguine redempti sumus. Et vt intelligamus Christi iustitiam nobis sufficere, ostendit illum potuisse pro nobis satisfacere. Huc facit commemoratio virtutum Christi, quibus summa dignitas & potestas exprimitur. Deinde idem docet ab arcano Dei consilio, quia Deus hoc ita ab æterno decreuerit, vt in illo haberemus omnem plenitudinem. Itaque hîc damnantur omnia alia media ad salutem, siue ex Angelico cœtu, siue de hominum operibus proferantur. Quorum prius, Ethnici quidam: posterius Iudaicæ legis obseruatores proponebant. Iustificationis nostræ modus.

Propositio est: A Deo Patre nos saluos reddi per filium Iesum Christum, cuius sufficiens sit meritum ad omnem perfectionem vitæ æternæ, vt in hac causa nec Angelorum, nec sanctorum patrocinio, opus habeamus. Propositio.

Partes sunt. 1. Πρότασις, continens causas salutis nostræ primarias. 2. Ἔκθεσις, hoc est, causarum declaratio. 3. Κατασκευὴ, confirmatio potentiæ Christi, cui additur altera confirmatio à diuino decreto. 4. Συμπέρασμα, continens salutis nostræ summam. Partes.

12. *Gratias agentes Patri, &c.*

Propositio specialis est loci huius, pro salute sanctorum quoque Deo gratos nos declarare debemus, quod dicit εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ, id est, non solùm pro vestra conuersione, sed etiam pro Ecclesiæ salute ac iustificatione omnium Deo gratias agimus.

Ratio additur, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς, *idoneos reddenti nos*, hoc est, indignos vita æterna, dignos facienti: inhabiles habiles efficienti. Locus est de causa efficiente salutis nostræ. Hæc in solidum Deo ascribitur, qui dat ἱκανότητα, & quidem solus: in nobis nihil aliud est quàm ἀνικανότης, hoc est, inhabilitas, & ineptitudo ad vitam æternam, & plena, στέρησις. sic 2. Cor. 3. ver. 5. Nos non esse idoneos vel cogitare aliquid boni: & 1. Cor. 15. Non sum ἱκανὸς vt vocer Apostolus. Et 2. Cor. 2. v. 16. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός? quasi dicat, nemo certè quatenus suam naturam expendit. Atque illa ad causam efficientem pertinent. Causa salutis efficiens.

Deinde causa finalis additur quoque in iisdem verbis, ad quid nimirum nos fecerit idoneos, ad vitam æternam, sed id aliis verbis expressit, vt maior esset dignitas, *ad partem sortis sanctorum, &c.* Sors est beata illa vita, quæ vt hæreditas electis est promissa, sumpta est metaphora ab hæreditatibus, quæ sors dicuntur, quia sorte partitione distribuuntur. Ideo addit etiam μερίδα, quia singuli in vita æterna accipimus certum gloriæ gradum, quasi hæreditatis partem, in qua felicitas tamen perfecta, non minùs quàm stellarum gloria integra est, Finalis.

quanuis solis maior sit splendor. Itaque μέρις κλήρου, ipsa est vita æterna sanctis promissa, ad hanc, inquam, nos reddit idoneos.

Organica. Tertiò, addit causam organicam, ἐν φωτὶ, *in luce*, hoc est, in Christo, qui est ζωὴ, lux, Ioann. 1. & 3. & 8. Item 9. 12. & alibi. In hac igitur luce nos idoneos facit, scilicet per Christum habiles reddit. Vides plenam propositionem, triplici causarum numero. Deo grati debemus esse: quare? quia ipse nos ad vitam æternam idoneos reddidit in Filio suo, hoc est, nuda sua misericordia amplectitur nos immerentes in Filio suo Iesu Christo. Idem argumentum explicatum est in epistola ad Rom. 3. Ephes. 2. Gal. 2. & alibi passim in epistolis Paulinis.

13. *Qui eripuit nos, &c.*

Propositioni subiicitur ἔκθεσις. Ac primùm pleniùs explicat causam efficientem. Deus Pater nos idoneos reddit: sed quomodo id fit? *liberando ex potestate tenebrarum, & transferendo in regnum filij sui.* Vides non reduci modum ad qualitates aliquas in nobis, sed ad opus regenerationis, ac contrarij dominij. Tenebrarum potestas est quidem Satanæ imperium, & hic ipse mundus: sed in eodem comprehendi debet natura nostra, nam quales quales natura sumus, filij iræ sumus, quod totum ad potestatem spectat tenebrarum, ex hac potestate tenebrarum liberat nos Deus Pater & transfert in regnum filij sui, hoc est, vt priùs dixerat, in sortem sanctorum. Regnum filij sui, est nostri respectu κλῆρος, quia hæreditario quodam iure ad nos deuoluitur. Idem autem respectu Christi rectoris est regnum & monarchia quædam. Filius dilectionis dicitur, quia sic naturâ est, & sic patefactus, Matth. 17.

Potestas tenebrarum.

14. *In quo habemus, &c.*

Persequitur ἔκθεσιν, ac loquitur iam de causa organica. In quo, scilicet filio habemus redemptionem: redemptio autem fit vel numerata certa pecunia, vel commutatione personarum, vel satisfactione aliqua alia: summus est gradus si quis pro amicis captiuis moriatur. Ideo hunc modum hîc profert, quòd scilicet sanguine Christi simus redempti, idem dixit Eph. 1. ver. 7. Captiuitatis autem nostræ conditio in eo est expressâ, quòd à peccatis liberarit: remisit peccatum in Deum commissum: id nulla creatura expiare potuit.

15. *Qui est imago Dei, &c.*

Personæ Christi descriptio. 1. Ornamentum

Digressio est in descriptionem personæ Christi, quam suaui epithetorum conglobatione ornat. Primò, *est imago Dei inuisibilis*, εἰκὼν dicitur, vt ad Heb. 1. vers. 3. splendor gloriæ, & character substantiæ diuinæ. Ac refero id ad hominum captum, nam diuinitas illa immensa & incomprehensibilis in filio Dei incarnato, aliquo modo ab hominibus capi ac intelligi potuit. Itaque nobis factus est imago, vt tanquam in speculo Deum in Christo contemplaremur. Inde mysterium vocat 1. Tim. 3. 16. Deus manifestatus est in carne.

2. Deinde, *est πρωτότοκος totius creaturæ*: primogenitus dicitur non respectu consequentium fratrum, sed potius quia ante illum nihil fuerit natum: ideo & πρωτότοκος est, & μονότοκος, si ad carnalem natiuitatem referas. Sed quia hîc ad creaturam refertur, non intelligenda est connumeratio cum creaturis: sed potius antecessio generationis eius à Patre ipsam creaturarum productionem, loquitur enim de diuinitate Christi, qui ab æterno à Patre genitus est modo inenarrabili.

16. *Quia in illo condita sunt, &c.*

Cur primogenitus Christus, & omnium conditor

Rationem affert, quomodo sit primogenitus totius creaturæ, quia, inquit, in illo condita sunt omnia, hoc est, illo authore. Itaque necessum est eum præcedere omnem creaturarum productionem. Est hoc tertium Christi ornamentum, quòd conditor sit rerum omnium. In ipso condita sunt tanquam fonte & omnia complente, omnia præsentia habente: nam vniuersalitas rerum quanquam sit immensa, tamen Christo conditori præsentia omnia & sunt & erant tum in ipsa creatione. Ideo non διὰ, sed ἐν αὐτῷ dixit. Distributio

3. satis clara est quæ subiicitur, duo membra totum vniuersum continent: *cœlestia & terrena*, satis apta distributione vsus. Prius membrum repetit subdiuisione, nam cælestia aut visibilia sunt, vt stellæ, aut inuisibilia, vt sancti Angeli. Et posterius membrum, hoc est, cælestium inuisibilium, quatuor species subiicit, thronos, dominationes, principatus, potestates, quæ de Angelicis ordinibus libenter accipio: sed quales illi sint dicant qui possunt, modò probent quod dicunt: mihi Augustini sententia placet, quam habet in Enchiridio c. 58. vbi fatetur se hoc ignorare. Summa Apostoli est, Christum omnibus Angelis etiam his qui perfectissimi sunt superiorem esse, adeò vt extra Christum nulla nobis media conquirẽda sint ad salutem. Ideo resumit Apostolus hîc sermonem, omnia per Christum condita esse, quasi dicat, etiam illi perfectissimi spiritus coguntur agnoscere conditorem: cur ergo non agnosceremus redemptorem? δι' αὐτοῦ explicat id quod initio dixerat ἐν αὐτῷ.

4. Quartò, *Condidit omnia propter se*, hoc est, non alio fine quàm ad sui nominis gloriã, omnia ad Christũ referuntur, illius gloriã cõcernunt. Itaq; iniuria est grandis, quidquã Christo addere in causa salutis: aut priuatã gloriam quęrere vbi quærenda solius Christi erat gloria.

17. Et

17. *Et ipse est ante omnia,&c.*

Quintum est ornamentum, quòd omnium rerum originem præcesserit, hoc est, ab æter- 5.
no fuerit: Deus igitur verus est, quum hoc non nisi in Deum cadat.

Sextò, *& omnia in eo consistunt,* hoc est, Christus vt condidit omnia, sic conseruat omnia. 6.
Quòd ergo res durant in hodiernum vsque diem Christo debetur: & quòd nostra salus firma est, Christi beneficium est. Itaque conseruationis in se complectitur etiam redemptionis beneficium.

18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ,&c.*

Septimum est ornamentum Christi, quòd sit caput, hoc est, rector Ecclesiæ, vide Eph.1. 7.
ver. 22. & 1. Cor. 12. ver. 12. caput esse est defendere, & Ecclesiæ largiri quæcunque corpus à suo natiuo & cohærenti capite habet, & expectare potest.

Caput Ecclesiæ.

Octauum ornamentum Christi est, quòd sit ἀρχὴ πρωτότοκος: *principium primogenitum ex mortuis*, hoc est, sanctificator resurrectionis nostræ, quam consecrat, quemadmodum in Lege primitiæ omnes fruges sanctificabant. Additur causa finalis omnium operationum eius, *vt sit ipse in omnibus.* Πρωτεύων, hoc est ad sui gloriam omnia respiciunt: ideo talis à mũdo cognosci vult & debet. 8.

19. *Qui in eo complacuit,&c.*

In solo Christo nos habere idoneũ organum salutis hactenus indicauit: nunc idem demonstrat alia ratione, nimirum ab æterno Dei Patris decreto, cuius voluntas nobis debet esse regula: Εὐδόκησε refero ad Deum Patrem, qui in patefactione sic loquitur, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est. Ideo huc transtulit hanc vocem Apostolus, quia decretum hoc non aliam rationem habet, vel demonstrationem, quàm ipsam Patris voluntatẽ, quæ est firmissima regula. Πλήρωμα alij referunt ad diuinitatem, vt infrà cap. 2. v.9. dicit, plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, quæ sententia iusta & pia est. Sed huic loco non satis conuenit: alij ad Ecclesiam referunt minus pertinenter: alij ad plenitudinem in nos transfusam, vt Ioann.1.v.16. de plenitudine eius nos omnes accepimus: sed & id obscurum est ad huius loci scopum. Itaque πλήρωμα accipio pro sufficientia ad salutem æternam: differit enim hîc de causa organica iustificationis nostræ, ac locum conclusurus, colophonem hũc addit, *quia Patri placuerit in hoc suo filio inhabitare omnem plenitudinem*, scil. salutis nostræ, adeò vt nõ opus sit ad media cõfugere aut illa curiosè cõquirere, ad Christum te conferas, & abunde diues eris ad salutem. Hæc simplicissima sententia est loci huius.

Plenitudo quid sit hoc loco.

20. *Et per ipsum reconciliare omnia,&c.*

Breuis est sententia totius salutis & iustificationis nostræ: ac repeti debet εὐδόκησε visum est Deo Patri, quasi dicat, hæc regula est infallibilis, quæ diuino nititur decreto, quòd scil. velit in hoc filio sibi omnia reconciliare. Ideo illud πλήρωμα est respectu salutis nostræ imprimis accipiendum: vide 2. Corint. 5. versu 19. repetitur modus etiam redemptionis, per sanguinem scilicet filij Dei, vide Ephes. cap.2. Emphaticè autem & patheticè vocat sanguinem crucis, exprimens genus mortis, & admonens de effuso sanguine in cruce: ac simul diuisione omnia complectitur in Christo saluanda, quasi dicat, quidquid vitam æternam ingredi vult, per hunc Christum ingrediatur oportet, adeò vt beati illi Angeli non possint hanc ingredi nisi Christi beneficio, nec est ob id necessum in bonis Angelis aliquam labem aut maculam quærere: hoc enim vult, illos non posse æternum illud consortium sanctorum post resurrectionem ingredi, nisi per ipsum mediatorem Christum: ergo multò minus homines miseri per aliud medium intrabunt. Itaque in hoc Christo habemus πᾶν τὸ πλήρωμα.

Salutis ratio.

21. *Et vos quum aliquando essetis,&c.*

Assumptio est minoris: syllogismus talis est, Quoscunq; Deus Pater ad vitam æternam elegit, hos omnes per vnum organum, Christum scilicet ad hanc fecit idoneos: sed vos Colossenses etiam ad hanc elegit. Ergo per idem ac vnicum organum ad vitam æternam fecit idoneos. Maior suprà explicata est vers. 12.13.14. & sequentibus, vbi de vnico Christo mediatore agit, & illum extulit supra Angelos, eique attribuit πᾶν τὸ πλήρωμα, scilicet salutis nostræ. Solus igitur mediator est & sufficiens omnibus. Minor, hîc iam explicatur: opponit autem priorem vitæ conditionem nouæ, vt illos inhabilitatis admoneat. *Eratis olim alieni*, scilicet à Republica externa Ecclesiæ, quod Romanis quoque obiecit. Id ad omnes Gentes in genere spectat: hostes verò ad internum dissidium refero, quo à Deo quoque sic discrepabant, vt illum amare non possent, odissent autem totis viribus tanquam carnificem humani generis. Ac διάνοιαν quoque ad ipsam rationem refero vt sensus sit, ipsum τὸ λογιστικόν, quo nihil est in tota Philosophia purius & limatius, hoc inquam, ipsum coram Deo impurum & hostile esse: quæ impuritas mox se prodit in operibus ipsis. His omnibus inhabilitas ipsorum declaratur.

Prior vitæ conditio inter gentes.

22. *Nunc autem reconciliauit, &c.*

Scilicet Deus Pater vltro & indignos cõplexus est, nõ habita ratione vestræ ἀντικειμένων τῶν.

In corpore carnis eius.

Salutis organica causa. Repetit organicam causam, quam eodem modo vt efficientem applicat Colossensibus. Corpus carnis, est carnale corpus, quo astruitur veritas corporis Christi, & mortis fit mentio propter hostiam & magnitudinem τοῦ λύτρου exprimendam. Addit etiam finem, *vt sanctos, irreprehensibiles, inculpatos sibi statueret*, hoc est, tales quales natura non erãt, nec suis viribus effici poterant: tales autem sumus omnes imputatione diuinæ iustitiæ, quæ hic incipit, absoluetur autem in illo magno Domini die.

23. *Si manseritis in fide, &c.*

Manendum in professione. Conditio est admodum necessaria, sine fide enim impossibile est Deo placere, Hebr. 10. & 1. Tim. 3. fides ob id mysterium dicitur, quia quum gratis nos iustificet, tamen in nobis hanc requirit: oportet igitur constantes esse in professione. Qui perdurarit vsque ad finem saluus erit.

Spes Euangelij, est bonorum in cælis propositorum, suprà ver. 5. quæ vbiq; nobis inculcat Euangeliũ. Has virtutes, fidem & spem inquam sequetur sponte charitas, quam suprà in illis commendauit. De Euãgelio autem dicit, *id prædicatum esse in omni creatura quæ est sub cælo*, loquens de successu felicissimo, quẽ habuit ex mandato Christi Mar. 16. Act. 1. Et omnis creatura de rationali & habili ad auditionem Euangelij accipiatur, h. e. de homine: huius enim gratia totum ministeriũ Euangelij est institutũ: referatur igitur ad Propositiones καθόλου: μὴ καθόλου. Deniq; se huius Euangelij ministrum facit, vt asserat consensum inter Epaphram & alios veros doctores, qualis erat ipse Paulus: de voce Diaconi vide locos.

24. *Nunc gaudeo. &c.*

De cruce ferenda pro doctrina Christi. Accommodat etiam suum exemplum, vt ostendat se pro hac doctrina omnia tormenta æquo animo ferre. Verba sic connecte, Νῦν χαίρω ὑπὲρ ὑμῶν, gaudeo pro vobis scil. quòd tam feliciter veram doctrinam sitis amplexati: ita suprà causas sui gaudij expressit ipsorum fidem, charitatem & spem. Deinde, gaudeo etiam in ipsis tormentis, ἐν τοῖς παθήμασί μου, hoc est, in carcere: oportet autem singulare esse, pro quo hunc in dies gladium carnificis metuens, possit seriò gaudere,

2. Alterum est, pro hac ipsa doctrina, de qua vobis congratulor, *compleo ὑστερήματα afflictionum Christi in carne mea.* Hoc durum quibusdam videtur, sed durum non est, nec superiora euertit. Iam constitutum in superioribus Christum vnicum esse organum salutis, & in illo nobis esse πᾶν πλήρωμα iustificationis nostræ. Nunc de suis afflictionibus loquẽs ait, *se complere in carne* sua h. e. corpore, id quod deest afflictionibus Christi, quid igitur deest afflictionibus Christi? hoc solùm vt nos testemur in cruce patientiam nostrã hoc est, singuli crucem ferant suam, & humiliter sequamur Christum, Matt. 16. Itẽ 10. & Luc. 14. Qui non tollit crucem suam quotidie & me sequitur, non est me dignus: illa sunt ὑστερήματα, h. e. reliquiæ nobis propinatæ. Atq; has ait Apostolus se complere, h. e. officium boni militis prẽstare in sua statione defendenda. Et quòd addit, *se id facere pro Christi corpore, hoc est, pro Ecclesia*, nihil habet absurdi, quia complet alio respectu quàm Christus. Christus vt λύτρον: Paulus, vt testimonium perhibeat, & obedientiam Deo debitam præstet: & reuera exempla constantiæ confirmant, iuuant & ædificant Ecclesiam, quamuis non redimãt, nam hoc solius Christi est beneficium. Videntur illa omnia superioribus addita quodam epiphonemate: animus enim gestit præ gaudio, & in has voces erumpit ex contemplatione felicissimi cursus Euangelij, &c.

25. *Cuius factus sum minister, &c.*

Cõmendat suum officium Aposto. Iterum redit ad officij sui commendationem. Priùs ver. 23. dixit se diaconum esse Euangelij, iam dicit se diaconum Ecclesiæ, non differente sententia: procedit autem ad diuinam electionem, quæ certa dispensatione singulis suum munus imposuit, & ad hoc certa contulit dona: sic Pauli singulare erat quòd esset Apostolus Gentium, ideo ius sibi in Colossenses sumit, tanquam in Ecclesiam Gentilem, alioquin illos nec viderat, nec docuerat. Iã ius ei in ipsos esse affirmat, quod non aliunde cõsistit, nisi quia doctor esset Gentium. 1. Tim. 2. Rom. 11 & 2. Tim. 1. ver. 11.

Implere sermonem Dei, est docendo promouere, sic priùs dixit se complere passiones Christi in corpore, scilicet patienter ferendo crucem: per se enim completus est Dei sermo, vt non indigeat Pauli complemento: sic etiam passiones Christi plenæ sunt, vtrinque autem suo modo complentur.

26. *Mysterium absconditum, &c.*

Dignitas doctrinẽ Pauli. Digressio in doctrinæ suæ commendationem, cui ipsa raritas dignitatem debet conciliare, significat non esse humanitus repertã vt aliæ artes & disciplinæ, sed cœlitus reuelatã,

Filius qui in sinu Patris est, is reuelauit. Hinc dicitur Dei potentia Rom.1 vide Eph.3.ver.9. Rom.16.ver.16.

27. *Quibus voluit Deus notum facere,&c.*

Declarat doctrinam suam ad solos electos pertinere, vt ostendat non esse currentis, nec volentis, sed Dei miserentis, Rom. 9. Itaque ratio cognoscendi à Deo pendet, à quo omnino est impetranda vera sapientia. Ideo fides non omnium est, & est donum Dei, & est mysterium. Vide autem quàm copiosè fuerit tum temporis Gentibus comunicata, adeò vt admirabundus dicat Apostolus, diuitias huius mysterij effusas in Gentes, significans plenis velis ad Christum fieri concursum, adeò vt violenti rapiant Dei regnum. Hæc messis vbertas fuit Apostolorum tempore: postea remissior facta, nostra memoria quoque vberior fuit: iam in dies contrahitur nostro magno malo. Deinde obserua relatiuum ὃς ad πλοῦτον spectare: sensus enim est ὃς πλοῦτός ἐστι Χριστός, qui plutus est Christus, significans redundantiam salutis in hoc solo esse mediatore: id suprà dixit πλήρωμα, hîc idem dicitur πλοῦτος, verè ineffabilis thesaurus. Ad quos pertineat.

28. *Quem vobis prædicamus,&c.*

Assumit de suo officio, scil. hâc ipsam doctrinam se docere, pertinet ad similitudinẽ confirmandam in doctrina Epaphræ & sua. Deinde diligentiæ est commendatio quòd *moneant, & doceant omnem hominem*, hoc est, assiduè & omni occasione oblata quosuis instruant Christi cognitione. Præterea obserua certitudinem doctrinæ Apostolicæ, perfectũ sistit hominem in Christo. Atqui priùs Christus dictus est sibi efficere irreprehensibiles. Ita quidem, sed vtitur hac via, vt adhibeat organa, hoc est, ministros. Hinc συνεργοὶ Dei: quia autem τέλειον sistit hominem, oportet ipsam hanc doctrinam priùs esse τελείαν quoque: quomodo enim perficeret ipsa imperfecta? Itaque & hoc efficitur in scriptura omnia contineri ad salutem necessaria, alioquin homines in hac perfici non poterant. Et in Christo addit perfici, vt maneat idem organum salutis toties iam prædicatum hoc capite. Diligentia docẽtis Pauli.

29. *In quod etiam laboro,&c.*

Finis explicatur diligentiæ Apostolicæ, scil. hominũ salus: hunc finem duplici modo procurat Apostolus, primùm docendo, de quo priori versu: deinde tolerando. h.e. constantia sub cruce, de quo hîc agit. Nã ἀγωνιζόμενος refero ad præsentia Apostoli vincula, & omnem eius crucem, sub qua collimat ad hũc scopum, vt homines Christo adducat. Deinde, de successu satis est confidens, quia agnoscit actionẽ non vanã & inutilem. Tertiò agnoscit veram causam agentem, Deum scilicet, qui hoc organo tam fragili, admirabili cum successu vtitur. Modestia laudabilis est, vt ministri de successu quidem non desperent: interim gloriam Deo agenti ascribaut, nihil hîc suo nomini, aut eloquentiæ tribuant, &c.

CAPVT II.



DOCVIT iam, in Christo nos habere omne πλήρωμα salutis nostræ. Nunc contrarias doctrinas etiam reprehendit, eorum scilicet qui Christo addebant in causa salutis subsidia, & quædã supplementa auxiliaria, siue illa peterent ex lege Mosaica, siue alia quacunque tandem probabili ratione: has doctrinas omnes simpliciter hîc damnat. Argum. cap.2.

Πρόθεσις est, Colossenses studiosè vitare debent omnem doctrinam quæcunq; aliud præter Christum, vel cum Christo, organũ ad vitam æternam obtrudit, siue ex philosophia, siue ex lege Mosaica depromatur. Propositio.

Partes sic cohærent: initio vtitur nouo vestibulo, quo insinuat se auditoribus singulari quodam beneuolentiæ affectu: constat hoc proœminum προτάσει, κατασκευῇ & ἐκθέσει. Partes.

Deinde addit generalem Propositionem, Non esse admittendam doctrinam in causa salutis præter illam quam hactenus professi sunt, & quam acceperunt ab Epaphra.

Tertiò propositioni annexa est confirmatio, ad quam refero argumenta ex toto contextu: interim aliquoties repetitur propositio, habet etiam suas illationes, & προσθήκας, quæ nihil aliud sunt quàm propositio ingeminata & inculcata.

Vers.1. *Volo enim vos scire,&c.*

Vestibulum est, vt dixi: sumitur autem à sua persona, ac respicit εὔνοιαν καὶ προσοχὴν. Beneuolentiæ enim est, quòd declarat suum erga absentes Ecclesias studium, ac curam. Attentionis autem, quia huic curæ addita sit quædam difficultas: vtrunque autem excitat, quia eos scire vult, adeóque dignum scriptione iudicat. Studium & cura Apost. erga Ecclesias absentes.

Propositio exordij est, Singulari cura afficior erga eas etiam Ecclesias quæ me non viderunt. Amare absentes, & ignotos de facie diligere, argumentum est singularis beneuolentiæ, sed quia etiam ἀγὼν indicat difficilem hanc esse curam: dicitur enim ἀγὼν vbi con-

traria sunt studia, & conatus impedientes piam curam. Ac certum est, Apostolum loqui de precibus suis ad Dominum, quibus Deo harum Ecclesiarum salutem commendat, ideo ἀγῶν hîc non alius potest intelligi, quàm animi certamen perdurantis in precibus his contra varias Satanæ tentationes. Nec ab hac constantia semouenda est perduratio sub cruce & in confessione, quæ multum faciebat ad confirmationem omnium Ecclesiarum, imprimis earum quas non viderat. Itaque obseruandus est communis scopus Apostoli, quem respicit in tota sua constantia, Ecclesiarum nimirum confirmationem. Laodiceam Colossensibus coniungit, quia vicinæ sunt vrbes ad Lycum positæ in Phrygia Pacatiana, quibus etiam finitima est Hierapolis: de qua suprà diximus in prolegomenis.

Continuatio pulchrè superioribus annexa est, reddit enim rationem quomodo Deus in ipso operetur efficaciter, quia, inquit, in causa vestra euidenter hoc deprehendo: quanquam alij legant, θέλω δὲ ὑμᾶς, &c. qua lectione aperta est digressio inclusa ad nouum genus argumenti, præsentem tamen amplector libentius.

2. *Vt consolationem habeant, &c.*

Cur absentes Eccle. curet Paulus. Ratio est propositionis petita à causis finalibus. Quod enim tanta cura complectitur absentes Ecclesias, ratione non caret: alibi ab officio suo hoc demonstrat, quia sit Apostolus Gentium, hoc est, officij ratione teneatur omnes omnium Gentium Ecclesias cõfirmare quoad fieri possit. Sed hoc loco alio vtitur argumento, scilicet ab vtilitate Ecclesiarum, quam ipse respicit in hac sua cura. Sunt igitur isti fines: 1 Finis. primùm, *vt consolationem accipiant*, hoc est, confirmentur authoritate Apostoli, quod fiebat scribendo ad eos quos non viderat, quod præstitit Colossensibus, Laodicensibus, Romanis quoque priusquam ad eos venisset, alijsque multis. 2. Deinde, vt mutua dilectione confirmentur. Apostolus enim passim duo habet sibi proposita capita, sanitatem scilicet doctrinę, in qua confirmat Ecclesias, deinde studium bonorum operum, quibus iuuatur proximus: illius est fides, huis autem caput est dilectio. Idoneo autem vocabulo rem hîc expressit. Συμβιβάζειν enim est res arte compingere, vt nexu indissolubili cohæreant, quod faciunt architecti in committendis trabibus in aliquo ædificio, infrà ver. 19. eadem vtitur voce de commissuris loquens: & ad Eph. 4. ver. 16. in simili causa. 3. Tertiò, magis accedit ad scopum præsentis causæ, ideo se id facere, *Vt crescant in omnem abundantiam certæ persuasionis intellectus, & cognitionis, quod sit mysterium Dei, & Patris, & Christi*, hoc est, intelligant vno se Christo iustificandos esse, nec aliis mediis ad salutem posse emergere. Πλοῦτος Πληροφορίας. Hanc rationem amplissimis verbis proponit, πλοῦτος πληροφορίας est abundans certitudo, quæ infallibiliter concludit. πλοῦτον igitur refero ad copiam sententiarum verarum, quæ peti possunt ex oraculis diuinis, vt suprà copiam salutis in Christo repositam sic vocauit. Itaque πλοῦτος est quasi εὐπορία verarum propositionum: πληροφορία autem πληρὴς φωρία, id est, plena comprehensio, certus intellectus, & firma notitia, quæ efficit ἀπόδειξιν in animo credentis. Sensus igitur est, se pro eis valde esse solicitum, adeóque ad eos scribere, vt negotiũ salutis vera & firma demonstratione intelligãt, quæ est γραφικὴ & πνευματικὴ, non est φιλοσοφική. Et μυστήριον *Dei, & Patris & Christi*, accipio quoq; specialiter de negotio iustificationis, quòd scilicet per vnum Christum salui reddamur: mysterium est, quia ratio lõgè aliter iudicat, imò doctrina hæc noua videtur, quũ tot expiationes approbet Moses: ideo fidem dicit nõ esse omnium, & doctrinam hanc esse cælitus reuelatam Ioannes pronuntiauit. Id quidem de toto Euangelio verum est, sed hîc astringo ad certum fidei articulum de iustificatione.

3. *In quo sunt omnes, &c.*

Christi laudes. Digressiuncula est per redditionem in laudes Christi, qua sibi viam sternit ad generalem propositionem. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis reconditi*, scilicet salutis nostræ: vt sit sensus, Vera assequendæ vitæ æternæ ratio, est in Christo deposita, hîc latent thesauri nostri: ergo sufficiens est organũ salutis nostræ, hoc ipso, quia thesauros omnes habet sapientiæ cælestis, & cognitionis salutis nostræ. Sapientiam refero ad omnia cælestia cognitu digna & necessaria: γνῶσιν autem ad salutem nostram seu rationem consequendæ salutis. Qui habet omnes thesauros, salutis sufficiens est organum, sed Christus habet: Ergo sufficiens est salutis organum.

4. *Hoc autem dico, &c.*

Præoccupatione occurrit quæstioni, cur scilicet tantopere Christum laudet, vt illi non dubitet inclu dere omnes thesauros sapientiæ cælestis, & cognitionis consequendæ salutis, quasi dicat, ideo hoc facio vt alia media excludantur, & vos confirmem, ne extra Christum alia vobis patiamini obtrudi media.

Fugiẽda doctrina quæ aliud docet quam Christũ. Statuatur igitur hîc generalis propositio, Sedulò cauenda est omnis doctrina, quæ alia salutis præter Christum media nobis obtrudit. Reliqua media quæ vel ex philosophia, vel Mose obtrudi poterant in genere complectitur voce πιθανολογίας: imprimis tamen de philoso-

philosophicis argutiis accipio, quibus mirificè pollent, quum disputant de fine bonorum, de virtutibus, de viribus humanis. Item quę Platonici habent de spirituum natura, de expiatione, de familiaritate mentis nostræ cum Deo. Hæc πιθανολογία damnosa est, quoties in causam salutis sibi iudicium sumit. Ideo παραλογισμὸν vocat, hoc est, errores, non veras demonstrationes: dicitur enim paralogismus apparens elenchus, qui videtur concludere vera, quum falsa colligat. Hæc in Theologia hodie & docenda pietate multos fascinant, vt paralogismos nectant & amplectantur pro veris Syllogismis demonstratiuis & elenchis bonis.

5. *Etsi enim carne absens sum, &c.*

Confirmatio est à sua persona, seu suo iudicio: sententia est, præsentem vestrum statum, ac quæstionem laudo: igitur omnis mutatio in religione vobis est cauenda. Subiicit autem superioribus noua præoccupatione, facítque duplicem pręsentiæ modum. Prior est carnalis, corporalis, quem sibi negat, ideo vix poterat de illorum erroribus iudicare, quod dicturi erant. Alter est spiritualis, quem sibi tribuit, secundum quem adest & intuetur omnia apud eos secundum id quod ex Epaphra audierat. Gaudet autem & videt: gaudium refero ad fructum narrationum Epaphræ: videre autem ad animi intentionem, alioquin prius est videre quàm gaudere, vt ille inquit ordinem naturæ sequens, veni, vidi, vici, &c. Duo autem in his laudat, τάξιν, & πίστιν: prius refero ad εὐταξίαν quam seruabãt doctores & auditores, in summa ordines omnes in suo singuli gradu consistentes conficiunt harmoniam pulcherrimam, quæ est τάξις: eius author Deus est, ideo in Ecclesiis reformatis necessarius est ordo vt singuli in suo officio vigilantes sint. Fides autem est rerum credendarum, vt hoc loco de iustificatione fides est, quæ nititur solo Christo pleno & perfecto mediatore. Ideo in hoc posteriore neruus est religionis, quare eidem etiam tribuit στερέωμα: fides basis est Christo nitens, τάξις fructus est inde fluens: sed fieri potest vt τάξις in speciem pia sit, fides autem erret, ideo non statim ex τάξει ad fidem colligi potest. Sed in his regula est scriptura.

Duplex præsentiæ modus.

Fides quid sit.

6. *Vt ergo accepistis, &c.*

Illatio est προτρεπτική. Propositionem vno argumento confirmauit: nunc statim infert, hortatúrque vt in hac religionis formula maneant. Hiat autem oratio: supplendum igitur est in posteriori membro οὕτως, *vt accepistis*, hoc est, vt edocti estis per Epaphram, solo Christi beneficio vos saluos fore, οὕτως scilicet in ipso Christo ambulate, & notanter τὸν Κύριον Christum vocat, vt illum omnibus aliis mediis præferant, quam emphasim mirum est quòd hoc loco noui interpretes non obseruarint. Τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Κύριον, quasi dicat, verè Dominus est ob hoc ipsum, quia solus ad salutem vobis sufficit: quomodo enim Dominus esset, si alia forent necessaria media?

In Christo ambulandũ.

7. *Radicati & superstructi, &c.*

Formæ est declaratio, quomodo scilicet in Christo debeant ambulare, firmi scilicet consistendo in eadem confessione: constantia nouis metaphoris exprimitur.

Prius illud περιπατεῖν à viatoribus sumptum est, significans perpetuum motum, hoc est, actionem vitæ Christianæ: nunc constantia additur per ἐρριζωμένοι, nam quæ talia sunt firma perdurant contra vim ventorum: sic ἐποικοδομούμενοι dicuntur quæ solido fundamento superstructa sunt, quod quanuis non videatur, tamen structura apparet. Hæc ad fidem hîc applicat, ac totum iterum reuocat ad doctrinam Epaphræ, in qua illos constantes vult esse, imprimis in articulo iustificationis.

8. *Videte ne quis vos deprædetur, &c.*

Repetitio est Propositionis quam suprà vers. 4. instituerat: hîc eam clariùs instituit. Elegantissimus est Apostoli ordo: proponit, confirmat, infert, se declarat, repetit principalem scopum, iterum rationibus negotium astruit, vt non dubium possit esse, attentè ista legenti, quid agatur.

Hic repetitur vt dixi πρότασις γενική, scilicet, Quòd omnis doctrina alia præter Christum media salutis nobis obtrudens diligenter sit cauenda.

Propositio generalis.

Βλέπετε, attentionis est, significátque diligenter cauendas esse tales doctrinas. Συλαγωγεῖν est hostium more prædas abducere, vox ἀπὸ τῶν σκυλῶν facta est: significant autem σκῦλα prædam hostilem: hinc translata vox ad causam religionis, significat à Christo captiuum abducere, quum homines potius ad Christum sint ducendi. Id faciunt qui alia obtrudunt media ad salutem præter Christum: ac valet argumentum à vi nominis. Apostolus tales doctrinas interpretatur συλαγωγίαν, hoc est, deprædationem: Ergo diligenter sunt cauendæ.

Deinde partitur has corruptelas in duo genera: in Philosophiam, & legem Mosis. Philosophia hîc accipiatur καταχρηστικῶς pro sophistica & erroribus conspersa Philosophia, quod sequens ἔκθεσις indicat, κενὴ ἀπάτη, vana deceptio, ideò suprà idem dixit, per πιθανολογίαν παραλογίζεσαν, quæ si rectè accipiantur, vera Philosophia non spoliabitur sua laude. A-

Genera duo falsæ doctrinę

postolus certè Rom.1.dixit valere ad cognitionem Dei,quod si hac via cognoscendi non rectè sunt vsi,aut Deum cognitum non rectè coluerunt, non id Philosophiæ culpa factum est, sed hominum petulantia & arrogantia. Discatur igitur Philosophia,& intra suas contineatur metas,hoc est,pedissequa sit pietatis,non iudex,in ciuilibus autem ferri potest eius iudicium,imò necessarium est in multis quæstionibus.Prudenter Appelles admisit iudicium sutoris de crepida,idem non admisit de reliqui corporis harmonia. Idem de Philosophia statuamus, iudicet de suis rebus. Deinde patres in hac plures habemus excellentes & pie doctos.Denique nemini obscurum est res optimas abusu noxias fieri:quid enim salubrius S.literis,quibus tamen perniciosè abutuntur hæretici & Sophistæ. Idem dici potest de aliis rebus omnibus. Apes certè mella colligunt, vnde aranea sua haurit venena. Sed de hoc argumento postea dicetur in Locis.

Traditiones hominum.

Altera corruptela est ex Mose,quam hîc vocat παράδοσιν *hominum*,hanc diligenter iubet cauere D.Christus: nam harum traditionum causa violabant legem Dei Pharisæi. Porrò non solùm ipsa additaméta hîc intelligo,sed ipsas ceremonias legis scriptæ,quas quia Christus iam sustulerat, & doctores illi falsi tamen vrgebant ad salutem necessarias: rectè traditiones vocat hominum,quasi non ampliùs Dei sint instituta,sed hominum inuenta. Pro eodem accipio quod deinceps sequitur,*elementa mundi*: nam sic ceremonias legis vocat Galat.4.ver.3.& infrà hoc capite vers.20.Sunt igitur hîc duo saltem membra opposita,nam omnis corruptela in Christianismum inducta, vel ex Gentilismo, hoc est, Philosophia petebatur: vel elementis mundi,hoc est,lege Mosaica iam antiquata & abolita.Addit,*non sunt secundum Christum*,ex quo efficitur:Ergo vitandæ sunt piis.

9. *Nam in eo inhabitat,&c.*

Argum. à diuinitate Christi.

Propositioni repetitæ,noua subiicit argumenta. Primum his verbis propositum est, à Christi perfecta Diuinitate.Sententia est,Christus est perfectus Deus: ergo etiam perfectus mediator esse potest.

Antecedens hîc exprimit Apostolus. *Omnis plenitudo deitatis habitat in eo corporaliter*, σωματικῶς.h.e.φυσικῶς,ὑποστατικῶς naturaliter,personaliter,quia diuina natura & humana vnitæ sunt personali vnione. In aliis sanctis habitat Deus, vt in templo suo & organo sanctificato in eis est ἐνεργητικὸν effectiuè,& operatiuè,sed in Christo diuinitas habitat substantialiter:Deus igitur est perfectus,& quia perfectus Deus est,ideo perfectus mediator esse potest.

10. *Et estis in illo perfecti,&c.*

Aliud argumentum ab illorum conditione: estis in illo completi, hoc est,ad vitam æternam idonei redditi per Christum. Id suprà dixit omnem hominem reddi in Christo τέλειον, perfectum c.1.ver.28.Si per Christum reddimur πεπληρωμένοι,sequitur Christum esse πλήρωμα absolutum,& perfectum salutis nostræ:ideo aliud non est quærendum.

Christus caput Angelorum

Quartò,& idem est *caput omnis principatus & potestatis*,sup.cap.1.ver.18.vocauit eum caput corporis sui,id est,Ecclesiæ,significans cœtum electorum,qui ex miseris peccatoribus colligitur,Christum caput agnoscere,qui vt caput spiritum vitalem inspirat in reliqua membra totius corporis. Sed hîc altiùs effert Christum, scilicet quòd etiam sit caput omnium potestatum & principatuum,hoc est, Angelorum castorum, & spirituum qui suam naturam illibatam retinuerunt,Deóque semper adhærent sine omni defectione.Harum inquam naturarum absolutissimarum in tota creatione Christus caput est, hoc est, Dominus & conseruator: nec iuuat has naturas quòd non peccarint quo minus Christum agnoscant caput. Nam si velint ingredi vitam æternam,& pars esse cœtus illius cœlestis post resurrectionem, omnino necessum est vt per Christum ingrediantur.Ille vnica est ianua,& via ad hanc æternam fœlicitatem: ergo sufficiens est organum ad salutem miseris etiam mortalibus,vt non sit opus aliis præsidiis & adminiculis. Respexit in hoc argumento ad illa quæ dixit cap.1. ver.16.

11. *In quo etiam circuncisi,&c.*

Veræ circuncisionis beneficium & autor.

Quinta ratio,à veræ circuncisionis beneficio, eiúsque autore.Sensus est, vera circuncisio, hoc est, res ipsa externæ circuncisionis per solum Christum nobis est collata:ergo Christus sufficiens est organum salutis.Res circuncisionis est regeneratio, quæ habet vitæ emédationem coniunctam, quam vocant Moses & Prophetæ, & Apostolus circuncisionem cordis. Nota rem ipsam vindicari sanctis sine externo symbolo,quod tamen vrgebant indesinéter aduersarij.Sic Rom.2.ver.29.Et Philip.3.ver.3. Nos sumus circuncisio, qui spiritu Deo seruimus,& gloriamur in Christo.Atque hoc beneficium in Christo habemus:est igitur perfectū organum salutis: valet hæc ratio imprimis contra doctores circuncisionis Mosaicæ. Quomodo autem fiat illa circuncisio,breuiter docet Apostolus, *per depositionem corporis peccati*, h.e.verā pœnitentiā,qua peccatis renunciamus quantū fieri potest.Eadē phrasis est Rom.6. ver.6. Obseruetur etiam successio Baptismi in locum circuncisionis, quādo apertè hunc vocat

cat hic circuncisionem Christi.

12. *Consepulti cum eo,&c.*

Formam ac modum regenerationis pleniùs explicat hic, vt constet beneficij Christi magnitudo. In Baptismo duo sunt motus contrarij, immersio scil.& emersio: horum significationes hic proponit, scilicet mortificationem cum Christo, de qua Rom.6.ver.4.& viuificationem. Itaque & mortificatio & viuificatio beneficium Christi. Fides horum organum est in nobis, illa enim nititur Christo vt fundamento: efficiens tamen vera causa est, vis Dei operantis in nobis hunc fructum.

Regenerationis forma.

13. *Et vos quum mortui essetis,&c.*

Specialiùs applicat ad causam præsentem, vt agnoscant Colossenses per quem illa habeant beneficia. Proponit autem eis priorem conditionem, vt ex illa miseria beneficium Christi discant magni facere: duo sunt argumenta miseræ conditionis pristinæ: primum παράπτωμα, hoc est, errata quotidiana, quæ vocant actualia peccata: alterum præputium carnis, hoc est, naturalis corruptio totius naturæ, quo non malè exprimitur originale peccatum, quasi dicat, toti quanti fuistis perditi & filij iræ eratis. Mox addit Christi beneficium: χαρισάμενος, gratis remittens vobis omnia peccata vestra. Et per quod medium hoc factum est? per Christum, præcessit enim σὺν αὐτῷ cum ipso Christo Deus Pater viuificauit vos, donans gratis omnia peccata vestra, & gratis quidē referri debet ad nos: quia nos nihil pro delictis soluimus: non autē gratis si ad filium Dei respicias, nam is soluit τὸ λύτρον satis magnum.

Prior status Col.

Sexta hinc proferatur ratio, Solus Christus sufficit ad salutem nobis, quia in hoc solo organo gratis remissa sunt nobis peccata nostra, quod non valeret, si vel circūcisio, vel alia media conquirenda essent.

14 *Delens id quod contra nos erat, chirographum,&c.*

Iterum modum tanti beneficij explicat: mirum enim videtur aduersariis quomodo vnus Christus solus sufficiat ad remissionem peccatorum, & assequendam vitā æternam. Ostendit igitur magnitudinem pretij soluti tantam esse, vt par sit delicto. Id Apostolus proponit per metaphoram: nam chirographum est id quod debitor creditori dat confitendo debitum, quales hodie vocant syngraphas. Illud chirographum non redditur nisi solutione plenè facta: si tollatur syngrapha, confodiatur, aut reddatur debitori, aliisue modis è medio tollatur ordinariè, tum satisfactum esse intelligunt homines. Nunc sic argumentatur Apostolus, Chirographum nostrū, quo rei peracti sumus hactenus apud Deum, sublatum est per vnū & solū Christū: ergo per vnū & solum Christum Deo pro nobis satisfactū est, ideo aliis mediis nihil opus est. Iam hoc loco quærunt quod sit illud chirographum. Alij aliud respondent. Certum est metaphoram esse à contractibus humanis sumptam. Ideo testimonium peccati nostri est chirographum, quidquid illud tandem sit. Alij præceptum Adæ datum aiunt esse, quod transgrediendo quasi obsignauit syngrapha peccati in totam posteritatem. Alij ad promissionem populi referunt Exod.19. vbi promittit se omnia seruaturum quæ mandauit Deus: interim nemo seruat. Primasius dicit memoriam esse peccatorum nostrorum scriptam apud Deum: non desunt qui ad propriā referant conscientiam, quæ instar chirographi nos semper damnat. Alij etiam ad ceremonias legis immediatè referunt, quæ semper repetitæ nihil aliud erant quàm confessio peccati. Atque hic sensus præsenti causæ videtur maximè seruire, nam agit cōtra circuncisionem, quæ vt chirographum à Christo est sublata cum omnibus aliis ritibus. Tamen hoc nomine intelligo quidquid nos apud Deum potest reos peragere: qualis est tota lex etiam moralis, quidquid nos damnat, & quidquid Satan cōtra nos citare potest. Hoc totum chirographum est, hoc est, testimonium peccati: hoc sustulit è medio, quod fit in solutione facta: affixit cruci vt notoria esset tota, & plena satisfactio.

Quom. salus sit per Christum.

Quid sit chirographum, de quo hic.

15. *Expolians principatus,&c.*

Causæ redditio est, nam de modo loquens necessum erat vt huius rei aliquā diceret causam. Sensus est, hostes nostros qui semper chirographum nostrum proferebant, & reos nos peragebant coram Deo, hos ipsos in ordinem redegit, victos spoliauit, & spoliatos in triumpho spectandos, & irridendos traduxit. Itaque chirographum nostrum non apud Deum erat depositum, sed potius apud Satanam, qui erat debellādus, vt finis accusationibus illius imponeretur: hoc fieri non poterat sine plena victoria, per quam omne ius in nos amitteret Satan. Hanc igitur plenam fuisse indicat vocibus satis idoneis: ἀπεκδυσάμενος exuens, significat hostem exarmare, denudare, omni præsidio spoliare, quod rei militaris scriptores etiam vocant denudare hostem, vel exercitum. Deinde hoc non satis fuit, sed nudum hostem ἐδειγμάτισεν, hoc est, publicum spectaculum statuit, deridendum suis proposuit. Δειγματίζειν, idem est quod παραδειγματίζειν, *gescenden.* Δεῖγμα est nota: hinc δειγ-

Christi triūphus de hostibus nostris.

ματίζειν, digito monstrare & irridere. Tertiò *liberè triumphans de eis* : & hæc nota est plenæ victoriæ si triumphus celebretur. At Chistus triumphauit de hostibus nostris: ergo plena est. Hostes complectitur nomine ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν, significans omnes Satanæ legiones hic ad plenum fusas esse. Quò pertinet ipsum peccatum, mors, infernus, Satan, omnésque mali spiritus, &c.

Hostes qui sint.

16. *Ne igitur quis vos iudicet, &c.*

Conclusio decibo rum delectu fugiedo.

Conclusio qua infert cauendas esse tales doctrinas. Κρίνειν accipio pro conscientiæ legem imponere, alioquin vt de illis quis iudicaret, etiam in his casibus vitare non poterant. De delectu ciborum vide Leuit. 11, & nos de eo alibi iam diximus. De festis vide Leuit. 23, Num. 28. &c.

17. *Quæ sunt vmbra rerum futurarum, &c.*

Pertinent iterum hæc ad argumentatione͂, hoc sensu, Ritus illi Mosaici de discrimine ciborum ac dierum sunt vmbra tantùm, hoc est, figura quædam adumbrãs & præsignificans Christum veritatem ipsam, tanquam corpus: sed is iam venit, éstque exhibitus, eóq; nomine præsens: ergo figuræ abolitæ sunt, vt sanè stultus sit qui præsente corpore vmbras amplectatur, illísque inhereat.

18. *Nemo vobis præmium interuertat, &c.*

Alia ratio: alia media obtrudere, est καταβραβεύειν: ergo diligenter cauenda est talis doctrina tanquam insidiatrix & fraudulenta.

Βραβεύειν.

Βραβεύειν, significat præmia distribuere in certaminibus, decernere de victoria: hinc καταβραβεύειν malitiosè transferre metam, malè distribuere præmia. Hoc igitur præstant illi doctores legis, quod mali designatores in certaminibus, hoc est, defraudant quantum in ipsis est fructum laborum vestrorum, exercent vos multis laboribus, vnde nullus est fructus sperandus. Quomodo hoc faciant subiicit, *in humilitate*, hoc est, fingunt humilitatem, sed latet sub illa incredibilis hypocrisis. Deinde fingunt θρησκείαν, hoc est, cultum proprium, verbo Dei minimè expressum. Sumpta est vox à Thracibus, qui ab Orpheo cultum numinis didicêre: sed vicina dictio est τέρασι, quia fingunt miracula, vt hodie videre est, tota religio ementitis farcitur miraculis & prodigiis. Apostoli tempore talis erat Angelorũ cultus, qualem Platonici prædicant, eum piis obtrudebant quoque. Hæc media sunt decipiendi miseros homines, ficta humilitas, & cultus excogitatus, qui ornatur fictis miraculis, quales sunt reuelatio, visiones, insomnia, & similia.

Porrò euertit ista omnia firmo argumēto, quod ducit ab incerto, *quæ non vidit obtrudit*, hoc est, incerta & valde dubia, vtinam ne sint palàm falsa: igitur cauendus est talis doctor: omnis enim doctrina incerta cauenda est in religione, tales sunt disputationes hodie de ordinibus Angelorum, de discrimine infernalium pœnarum, de Purgatorio, de quibus omnibus disserunt quasi coràm inspexerint, quũ omnia nec viderint, nec ex scriptura probare possint. Huc facit verbum ἐμβατεύω, quod significat arrogantiam & supercilium talium doctorum, quasi dicat, arroganter incedit omnis talis doctor, sed quia humilitatē prius eis tribuit, hoc est, speciem ouillam, ideo interpretor verbum hoc pro incedere cum periculo & difficultate: significat enim propriè βατεύειν, quod nos dicimus *vvattenn*, qui in luto incedit cum molestia, aut iter lutosum & aquas transit pedibus dicitur *vattenn*, significans istam doctrinam esse speciosam, lubricam, ac periculosam. Nec tamen in proposito deest pertinacia arrogãs sua tuendi, ideo addit εἰκῆ φυσιούμενος, *temerè inflatus*. Hæc est illa vulpina mens, quam ouilla tegunt veste: sed bene est, inflati sunt: sed εἰκῆ, hoc est, frustra, quia labor ille præmio carebit. Stulta est arrogantia, ideo curanda non est. Causa impellens additur, *à mente carnis suæ*, hoc est, humana quadam prudentia, quæ illos infatuat, Rom. 1. & Cor. 1.

Doctrina incerta cauenda.

19. *Et non obtinet caput, &c.*

Cur cauenda falsa doctrina.

Alia ratio cauendæ doctrinæ: errant à capite, ergo cauendi sunt isti doctores, non obtinent quod volunt. Κεφαλὴ accipio primùm de fine vltimo, quem promittũt illi doctores, hoc est, de vita æterna. Hoc caput non obtinent, hoc est, non assequuntur, quasi dicat, fine frustrantur. Deinde de ipso Christo vero Mediatore, qui bis iam caput dictus est hac epistola: semel cap. 1. v. 18. iterum Angelorum cap. 2. vers. 10. hic iterum caput dicitur totius Ecclesiæ, à quo solo spiritus vitalis influit in omnia subiecta membra. Deinde in hoc loco fit incrementum Dei, hoc est, progressus ad vitam æternam.

20. *Si igitur mortui estis, &c.*

Arg. à pugnantibus.

Illatio noua continens argumentum à pugnantibus: qui moriuntur cum Christo, hoc est, alicui rei renunciant, non debent eidem rei viuere, aut non debent in eiusdem rei seruitutem redigi. Vos cum Christo mortui estis elementis mundi, hoc est: doctrinæ legali: ergo in eiusdem seruitutem nolite denuò retrudi. Simile vide argumentum Gal. 4. Δογματίζειν accipio dogmatibus subiici sine verbo Dei, quales erant Philosophorum sectæ,

singulæ

singulæ sua dogmata defendentes. Sic Christianismus hodie sectas habet, & singulæ suæ dogmata, hoc est, regulas quas sequuntur neglecto Dei verbo. Illa fraus statim Apostoli tempore Ecclesias inuasit.

21. *Ne tangas, ne gustes, &c.*

Hæc est μίμησις subiecta superioribus ad declarandas illorum fraudes: ita enim loquuntur falsi doctores, ne tãgas illud poculum, pollutum est: ne edas hos cibos, vetiti sunt à Mose: ne attrectes, illa sunt immunda. Id hodie facilius intelligitur, si ad præsentes nostri seculi regulas accommodetur. Verba falsorum doctorũ & eorum hypocrisis.

22. *Quæ omnia pereunt, &c.*

Confutat nouo argumento illam superstitionem: vsu illa omnia pereunt, ergo in his non debet collocari summa pietatis: quomodo enim tam debili fundamento superstrui posset salus æterna? Deinde adddit aliud, scilicet non Dei verbo nititur hæc doctrina, sed mandatis hominum. Quo argumento refutauit D. Christus doctrinam Pharisęorum, & Prophetę falsos doctores etiam hoc modo refutarunt. Hic ad legalia accommodantur, vt est cibus, potus, &c. De quibus vide Rom. 14. vers. 17. & 1. Cor. 6. vers. 13. & 8. capit. vers. 6.

23. *Quæ quidem habent speciem, &c.*

Concessio est, qua largitur hypocrisi huic speciem sapientiæ, rem ipsam autem adimit. Λόγος σοφίας est species sapientiæ, apparens sapientia, quæ suo nomine sophistica dici debet, ideo tribuit ei cultum humanitus excogitatum, vt suprà quoque, & humilitatem affectatam: item carnificinam corporis, qualis fuit in sacerdotibus Baal, & olim in Circuncellionibus, ac hodie in quibusdam monachis. Ἀφειδία dicitur à φείδομαι, parco: hinc ἀφειδία, crudelitas, quæ corpora etiam præter necessitatem excarnificat. Nos discamus Deum non delectari tali carnificina, &c. Esa. 58.

CAPVT III.



ABSOLVIT initio huius capitis superiorem locum, ac hortatur ad res cælestes, & incorruptibiles amplectẽdas, hoc est, ipsum filium Dei ad dextram Patris sedentem: adhibita vna ac altera ratione, vt fit in Epilogis. Arg. cap. 3. & eius partes. 1.

2. Deinde ingreditur quintum epistolæ locum, in quo hortatur ad vetera vitia mortificanda, & nouas virtutes consectandas. Quæ doctrina solet à Paulo disputationibus de fide tanquam fructus subiici. Reperit autem hic ferè illa, quæ exposita sunt Gal. 5. Ephes. 4. 5. & 6. capitibus. Itaque & hic breuiores erimus. 2.

3. Tertio loco, accommodat generales illas pręceptiones ad œconomiam Christianam, vt doceat quæ sint officia parentum, liberorum, mariti, & vxoris, dominorum ac seruorum: nimirum singulis ordinibus incumbendum esse in hoc, vt professionem suam in religione Christiana vita ac moribus ornent. Loci ferè omnes ethici sunt virtutum, ac vitiorum: item singulorum ordinum decorum exprimentes. 3.

Vers. 1. *Si igitur vna surrexeritis, &c.*

Epilogus superioris loci, cuius sententia est. Firma & certa dona renatis sunt sectanda, nominatim quod viam attinet ad vitam ęternam. Hoc Apostolus vocat τὰ ἄνω ζητεῖτε, *superna quærite*, hoc est, incorruptibilia bona: quod explico de mediis ad salutem: nam alioquin quærebant τὰ ἄνω, sed fortè non omnes idonea via, quum aliis obtruderetur circuncisio, aliis discrimina temporum, ac ciborum, aliis cultus Angelorum. Ratio addita est consequentibus, *quia cum Christo resurrexistis*, hoc est, sic videri vultis, & hoc profitemini. Apostolus nectit argumentum ex hypothesi. Si resurrexeritis cum Christo, hoc facite: atqui vos resurrexisse cum illo profitemini: ergo superna quærite. Tertiò, extendit Propositionem declaratione loci, vt constet quæ sint illa τὰ ἄνω, scilicet *Christus ad dextram Dei:* opponit enim hunc mediatorem aliis mediis falsis. Ac vt illum monstret de loco certo, inquit, *vbi Christus sedet ad dextram Dei.* Similia vide Ephes. 1. vers. 20. Hebr. 12. v. 2. Obseruandum igitur verum Mediatorem Christum ad dextram Dei in cælis quærendum & amplectendum. Propositio, in qua de renatorum donis.

Vers. 2. *Superna curate, &c.*

Immoratio est, aliis enim verbis repetit Propositionem: idem enim est superna quærere, & superna curare, ζητεῖν & φρονεῖν, nisi quòd prius diligentiæ est, posterius iudicij, vsu autem concurrunt. Additur antithesis, vt declaret quid sit ἄνω: supernis opponit τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, hoc est, cœlestibus opponit terrena, quasi dicat nõ nostro iudicio colendus est Deus, sed quemadmodum ipse iussit. Itaque per terrena accipio circumcisionem, cultum Angelorum, discrimina ciborum, &c. & quidquid aliis videbatur ad salutem necessarium. Christus cum cœlestibus solus quęrendus.

3. *Mortui enim estis, &c.*

Hactenus proposuit, iam confirmat: repetatur hic etiam superior ratio. 1. Cum Chri-

ſto ſolo reſurrexiſtis: ergo hic ſolus quærendus eſt. 2. Iam iterum, mortui eſtis cum Chriſto: ergo hic ſolus amplectendus eſt. Ac hunc ſenſum recipio ex priori cap. ver. 20. vbi inquit, ſi mortui eſtis cum Chriſto, ideo hic ſuppleo, mortui eſtis, ſcilicet cum Chriſto, quaſi dicat, non cum circunciſione, non cum aliis, ſed in ſolam mortem Chriſti fixa eſt profeſſio veſtra.

3. *Tertiò & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*, quaſi dicat, Chriſto ſoli eſt alligata, & extra Chriſtum fruſtra quæratur. Quæ igitur Deus coniunxit indiuulſè, ne conemur ſeiungere: ſeiungunt autem qui extra Chriſtum media quęrunt ad vitam æternam. Quod additur, *in Deo*, confidẽtiam addit & certos reddit de vita, nam quæ in illo ſunt, ſatis in tuto ſunt loco, vti nec falli nec fallere poſſint: ſecus eſt in his quæ extra Deum, & ſine Chriſto deponuntur.

4. *Quando Chriſtus manifeſtabitur, &c.*

Chriſtus vita noſtra.

Spes eſt vitæ indubitanter recuperandæ tum ſcil. *quando vita noſtra Chriſtus manifeſtabitur*, hoc eſt, in die vltimi iudicij, quum ad plenum reddetur nobis vita vera. Ac vide Chriſtum iam dici ipſam vitam noſtram, priùs diuiſim dixerat vitam quidem cum Chriſto in Deo abſconditam: ſed vt nos ad vnum mediatorem ſtrictiùs ligaret, vitam ipſam noſtram vocat. Deinde non priùs expectandam ſanctorum gloriam, quàm Chriſtus ipſe iudex venerit.

5. *Mortificate igitur, &c.*

De vetere homine exuendo & nouo induendo.

Secunda pars capitis de exuendis moribus veteris hominis, & inſtruendis renati hominis virtutibus. Commodè autem ſuperioribus connectuntur per illationem, quia conſequentia ſunt. Solius Chriſti niti merito, & ambulare more renati hominis. Similia vide Epheſ. 5. Membra dicuntur omnia quæ nobiſcum naſcuntur vitia: vt enim corpus ex diuerſis conſtat membris, ſic homo vetus ex multiplici vitiorum catena. Mortificanda autem ſunt, h. e. deponenda per pęnitentiam & veram vitæ emendationem. Deinde additur propoſitioni catalogus, vt conſtet quæ ſint illa membra terrena. 1. ſcortatio. 2. impuritas. 3. mollities, quæ 1. Cor. 6. μαλακία dicitur, hoc loco πάθος, inde pathici, h. e. effœminati, molles. 4. concupiſcentia. 5. malitia, diuiſim enim lego. 6. auaritia, de qua Epheſ. 5. ver. 5. ſimilia habes.

6. *Ob quæ ſolet ira Dei, &c.*

Argumentum addit Propoſitioni à metu pœnarum: vide idem argumentum ad Eph. 5. v. 6. Deus punit mundum propter talia ſcelera: ergo fugienda ſunt.

7. *In quibus & vos, &c.*

Prior vita Coloſ.

Applicat vitia, hoc eſt, naturam veteris hominis, ſpecialiter Coloſſenſibus, vt eos admoneat prioris vitæ ante conuerſionem, q. d. olim tales fuiſtis: ergo iam ſub Chriſto tales eſſe non conuenit: vide Epheſ. 5. περιπατεῖν actualia peccata exprimit: ζῆν autem etiam fomitem originis.

8. *Nunc autem, &c.*

Poſterior poſt conuerſionem.

A decore præſentis conditionis repetita eſt Propoſitio alio verbo, idem eſt ἀπόθεσθε & νεκρώσατε, vt Latinis deponere & mortificare, hoc eſt in ſolidum his vitiis renunciare. Deinde additus eſt nouus catalogus, ſuprà iam recenſuit ſex vitia: hîc alia ſex addit, ira ſolida eſt & diuturna. 2. excandeſcentia ſubitus animi motus. 3. κακία quaſi genus, vt Latinè vitioſitas. 4. maledicentia tum erga Deum tum etiam erga proximum. 5. turpiloquium, Epheſ. 4. v. 29. & 1. Pet. 2. ver. 1. poſtremò mendacium, &c. Tertiò addit enumerationi τὸ καθόλου, veterem hominem, de quo Eph. 4. Rom. 6. & in Locis de nouo & veteri homine diximus.

10. *Et induite, &c.*

Ratio induendi noui hominis

Veteri opponit nouum, ac manet in metaphora induendi & exuendi: quomodo autem nouus acquiratur docet, renouatione ſcilicet imaginis Dei in nobis, quæ eſt agnitio vera de Deo, & voluntatis obſequentia ad Dei voluntatem ſeſe applicans ſponte: quæ duo in Adamo ante peccatum illuſtria fuerunt. Per peccatum autem ita obſcurata, vt vix veſtigia ſuperſint eius in hominis natura. Renouatur autem per Chriſtum in regeneratione. Perfectè aliquando reſtituetur in reſurrectione vltima. Vide Eph. 4. ver. 23. Rom. 6. v. 4.

11. *Vbi non eſt Græcus, &c.*

Accommodat locum ad principalem quæſtionem de merito Chriſti nobis ad ſalutem pleno & ſufficiente. Sententia eſt, In regno Chriſti ſublata ſunt perſonarum diſcrimina: ergo circunciſio te non promouebit, & contrà præputium non impediet, ſed noui hominis indumentum promouebit, vt contrà veteris hominis depoſitio illa ſunt quæ à te Chriſtus poſtulat: ſimilia habes Gal. 3. ver. 28. & 6. v. 15. Ex hoc loco Epiphanius conſtituit quatuor principales hæreſes in cauſa religionis. Prima Barbariſmus, quæ durauit ab Adamo ad Noachum vſque, quando ſinguli ſibi erant lex. Altera, Scythiſmus, à Noacho ad turrim Babel. Tertia, Græciſmus ad Abrahami tempora. Quarta, ab Abrahamo deinceps vſque ad Chriſti aduentum. Omnes quatuor deleuit Chriſtianiſmus, qui & ipſe corruptus eſt ſectis pluribus.

Hæreſes 4. in religione.

12. Indui-

12. *Induimini,&c.*

Illatio est continens iterum statum Propositionis. Sensus est, induite nouum hominem, hoc est, vita & moribus ornate Christianismum quem profitemini. Deinde hîc expendantur rationes obiter additæ: nam ornamenta illis tributa vim habent argumentorum, ideo resoluantur ad hunc modum. *Electi estis*, scilicet à Deo ad bona opera, vt in his ambuletis: ergo curandum est vt vita ac moribus exprimatis Christianismum. Deinde, *sancti estis*, hoc est, ad hunc finem sanctificati: debet autem imprimis curari hoc ipsum, ad quod vocati singuli sunt: & Græcis rectè ἅγιοι dicuntur quasi nouis affectibus præditi, qui minimè terrena sapiunt, sed cælestia. Tertiò à iure dilectionis, *dilecti Dei estis*, propter patefactionem, quia Deus in Christo ad plenum patefecit quòd diligat seriò homines, quum filium suum vnigenitum pro his tradiderit in mortem. Et dilectio sua natura quærit ἀντιφίλησιν, vt sit mutuus amor in amato.

Virtutes renatorum.

3. Tertio loco obseruetur enumeratio præcipuarum virtutum ad quas nos hortatur. Prima est condolendi affectus qui singulari phrasi Græca dicitur σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, hoc est, intimus dolendi affectus, minimè simulatus. Σπλάγχνα dicuntur à σπλὴν, pro quo Dores dicunt σπλὰν splen, notum autem est renes sedem esse risus, hinc pro visceribus sumitur, in quibus affectus iste residet: & οἰκτιρμὸς commiseratio est, aliquid amplius quàm ἔλεος. Inde apud Rhetores sunt οἶκτοι πραγματικοὶ ἐν ἐπιλόγοις εἰσαγόμενοι, hoc est, affectus miserationis vberior, non multùm à fletu & lachrymis discrepans. 2. Χρηστότης, *benignitas* est facilitas, omnia madidiùs & meliùs interpretando. 3. *Humilitas*, sensus de se suisque virtutibus moderatus. 4. Πραότης, *mansuetudo*, lenitas in ferenda alterius morositate. 5. *Longanimitas*, in ferendis iniuriis sine vindictæ cupiditate. Hæ partes sunt noui hominis, quem suasit tantopere vt illum induamus.

Cur induendus nouus homo.

13. *Tolerantes alij alios,&c.*

Modum exprimit, seu vsum illarum virtutum, præsertim mansuetudinis & longanimitatis, quæ consistunt imprimis in ferenda mutua morositate. Addit argumentum quartum à Christi exemplo, *Christus vobis libenter ignouit* liberando à morte, & in dies condonãdo specialia peccata: item ingratitudinem, aliáque quæ facto & cogitando contra eum committimus: ergo pari affectu nos oportet esse præditos: tenet vis argumenti, quia nos ea virtute imprimis opus habemus in Christo, ideo cogitandum est vt eandem impertiamus proximo. Deinde ingrati & arrogantis est nolle præstare aliis parem clementiam.

Vsus virtutum superiorũ.

14. *In omnibus autem,&c.*

Explicata est iterum Propositio, deinde expositæ rationes, tertiò additus nouus virtutum catalogus: iam quarto loco addit virtutibus superioribus nouas quasdam καθ' ἐξοχὴν, h.e. quas imprimis oporteat vita ac moribus exprimere. Respondet superiori numero: quinque enim enumerat superioribus excellentiores. Prima est *dilectio*, hanc superioribus præfert quasi animam & natiuum spiritum: ideo dixit notanter ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις, h.e. in superioribus virtutibus omnibus hoc sit condimentum, hæc quasi anima & spiritus illas regat, sine dilectione enim frustra illas meditamur. Itaque non præfert illis dilectionem, quasi sine illis sola consistat sed illarum spiritum constituit. Et quòd dicitur, *vinculum perfectionis*, laus est ab amplissimo vsu: vt enim ligamenta continent diuersas partes, quæ alioquin dissipatæ perturbarent ac destruerent totum: sic dilectio vnit & connectit totum chorum virtutum Christianarum. Deinde corpus Ecclesiæ vnit quod diuersis constat membris: nec dilectioni ascribit perfectionem, sed illius vocat vinculum. Detur perfectio & nos hinc dabimus illius vinculum. De perfectione vide Locos nostros.

Virtutes aliæ renatorum.

Dilectionis laus.

15. *Et pax Dei,&c.*

Secunda virtus est *pax*, illa dilectioni vt fructus cohæret. Dicitur autem *Dei*, ab autore, vel cum Deo, quia conscientiæ est tranquillitas, ex qua fluit deinde Ecclesiæ & Reipublicæ pax. Latent hîc argumenta, primùm quia Dei est donum, auidè igitur amplectenda. Deinde est βραβεῖον, hoc est, præmium & res digna quæ vt βραβεῖον colatur & appetatur. Tertiò, *quia ad hanc vocati sumus*: decet igitur cum omnibus hominibus quoad fieri potest pacem tenere. Quartò, vnitas corporis Ecclesiastici hoc continetur.

2. Pax Dei.

Et sitis grati.

Tertia est virtus, vt in omnibus nos Deo gratos præbeamus hoc est, in omnibus donis ac virtutibus Deum authorem respiciamus, illisque pro omnibus laudes deferamus.

3. Gratus animus.

16. *Verbum Christi inhabitet,&c.*

Quarta virtus est, diligens cura tractandi verbum Dei. Λόγον Christi intelligo illius mandata tum fidei, tum morum: vel λόγον περὶ τοῦ Χριστοῦ, vt sit Euangelij notatio. Summa est, Verbum Dei auidè à vobis tractandum est. Diligentiam commendat metaphora ἐνοικεῖν: supra dixit nos esse templa S. Sancti, hîc vult domicilia doctrinæ cælestis nos esse, quasi dicat,

4. De studiosè curãdo verbo diuino.

quemadmodum in domo hero omnia patent, sic in vobis nihil debet esse quod Christo Domino non apertum sit, eique cedat. Deinde addit πλουσίως, significans veras opes, adeóque thesaurum inæstimabilem esse in re domestica verbi Dei tractationem. Tertiò, modum statuit addendo ἐν σοφίᾳ, quasi dicat, prudenter versandum esse in verbo Dei tractando, nam alij negligenter illud discunt, & quod recitant non intelligunt, vt qui Psalmos in templis decantant peregrina lingua, vt ipsi nesciant quid dicant. Deinde contra alij in eo versantur, vt intelligant, sed sophistice trahunt ad noua dogmata. Vtrinque peccatur, quòd non prudenter in hoc studio versantur. Quartò, partes duas tractationis constituit, docere & admonere. Διδασκαλία est, quum verus sensus Scripturæ proponitur auditori, vt negotium ipsum intelligat: id quomodo fiat suo dicetur loco. Νουθεσία autem est, quando ex contextu probè illustrato vtiles eruuntur obseruationes, quæ faciunt ad studium virtutis commendandum, cauenda vitia aliáque salubria διδάγματα, quæ pios auditores ædificare possunt. Quinto loco addita est illustratio vberior, quomodo id fieri possit: Psalmis scilicet, hymnis, odis, &c. De quibus vide Eph. 5. v. 19. & 1. Cor. 14. ver. 15. &c.

17. *Et omne quod feceritis, &c.*

5. Virtus. Quinta est virtus, quam per excellentiam aliis præfert, aut saltem in aliis tanquam animam commendat, scil. sobria loquendi forma, & præsumptio actionum ac dictorum, qua ad gloriam Dei omnia accommodantur. Simile est 1. Cor. 10. ver. 31. Omnia ad gloriam Dei facite. Ac fortasse respexit ad loquendi temeritatem, quam Iacobus etiam repressit cap. 4. v. 15. Si Deus volet hoc vel illud faciemus, huc vel illuc ibimus, &c. Ac vox εὐχαριστοῦντες explicat id quod ver. 15. dixerat εὐχάριστοι γίνεσθε, hoc est, grati sitis Deo, &c.

18. *Vxores subiectæ estote, &c.*

Speciales virtutes renatorum. Hactenus generalia tractauit, quæ ad omnem ætatem & statum hominum pertinent: Nunc specialia ingreditur, quæ ad certam vitæ conditionem pertinent. Súntque illa triplicia secundum domus constitutionem. 1. Nam coniugium constituit domum ex vxore & marito. 2. Deinde ex his procreantur liberi coniugij fructus. 3. Tertiò, his accedunt famuli empti, vel conducti: horum trium ordinum hîc traduntur præcepta.

Officiũ vxorum. 1. Primum de vxoribus præceptum est vt subsint: de quo Eph. 5. v. 22. eadem quæ hîc, 1. Pet. 3. ver. 1. Deinde obedientia ad solos proprios maritos, vt excludat vagum & illicitum amorem. Tertiò, *vt decet in domino*, hoc est, vt pias matronas decet: significans etiam hoc, ad aras vsque præstandam obedientiam. Quòd si aliud præcipiat pietas, cogitet pia vxor Domino plus deberi quàm impio marito.

19. *Viri diligite vxores, &c.*

Maritorum. A contrario præscribit officium maritorum. vide Ephes. 5. vers. 25. Πικρόσιν prohibet, hoc est, iræ impotentiam, qua sine causa verbis ac verberibus duriùs tractantur aliquando piæ matronæ.

20. *Liberi obedite, &c.*

Liberorum. Secundò officia liberorum ac parentum, de quibus diximus ad Ephes. 6. Lex est Deut. 6. ad quam videtur hîc respicere ex Exod. 20. vide locos nostros. Officium parentum est Eph. 6. v. 4. vbi erat παροργίζειν, quod hîc interpretatur per ἐρεθίζειν, irritare ad contentiones & remurmurationem.

22. *Serui obedite, &c.*

Seruorũ & dominorum. Tertiò officia seruorum ac dominorum, vide Ephes. 6. vers. 5. & 1. Pet. 2. ver. 18. vitia seruilia sunt ὀφθαλμοδουλία, & ἀνθρωπαρεσκία. Oppositæ virtutes sunt ἁπλότης, candor, & timor Domini.

24. *Scientes, quòd à Domino, &c.*

Rationes obedientiæ sunt, quia Christo seruitur in hero carnali: deinde quia præmium à Domino in cælis expectatis. 3. quia ipsi Christo obsequium præstatur. 4. fraus suo authori nocere solet. Valet ratio contra fraudes & imposturas seruorum, & contra inhumanitatem dominorum. 5. nulla hîc valet prosopolipsia, hoc est, te seruum improbum non iuuabit misera & seruilis conditio, vt herum quoque non iuuabit personæ suæ prærogatiua. Vide Ephes. 6. ver. 9. Consolatio est miseris, quòd heri persona apud Deum iudicem non pluris valebit, quàm mancipij alicuius abiecta & misera conditio. Interim si fraudulenti sint serui, non est quòd sperent profuturam eis miseriam illam.

CAPVT

CAPVT IIII.



COHÆRET initium huius capitis cum superioribus, nam partes dominorum explicat. Hinc redit ad generales cohortationes, in quibus hi sunt loci. 1. de precibus. 2. de modestia in conuersatione cum impiis. 3. de prudentia sermonis, ne cui detur offendiculum etiam inter pios. Tertiò, de priuatis persequitur more suo institutum, in quibus amicæ salutationes continentur. Edictum de hac epistola peculiare, itémque subscriptio. Arg. cap. 4. & eius partes.

Vers. 1. *Vos domini id quod iustum & æquum est seruis exhibete, &c.*

1. De dominorum in seruos clementia, diximus Ephes. 6. ver. 9. Δίκαιον, honestum est in genere: ἰσότης autem æqualitas pœnarum & delictorum, ne truculenter sæuiant in delinquentes: sic ad merita laborum, & pia seruorum officia liberaliter compensent. Κατὰ τὸ ἴσον, ne in pœnis atroces sint, in præmiis autem languidi. De dominorum officio.

2. *In precibus perdurate, &c.*

Altera pars de præceptis iterum generalib. Ac primùm de precum studio: de quo Ephes. 6. ver. 18. indesinenter orate, 1. Thes. 5. ver. 17. Luc. 18. semper oportet orare & non deficere. Vide locum de oratione. 2. Pars de præceptis generalibus.

3. *Orantes etiam pro nobis, &c.*

Applicat locum de precibus ad se. Status est, Pro me apud Deum intercedite: ratio sumitur à fine, *vt Deus aperiat mihi ostium sermonis*, hoc est, vt cum fructu & successu docere possim. θύρα λόγυ dicitur ampla docendi occasio, vt in malam partem dicimus aperire alicui fenestram. h. e. præbere amplam occasionem. Μυστήριον vocat doctrinam Euangelij de Christo, quia non est humanitus inuenta, sed Filius Dei, qui in sinu Patris est, reuelauit: deinde quia Sacramenta dicuntur noua, quæ non statim solebant concedi profitentibus pietatem, nisi certò constaret de illorum pœnitentia. Cur velit Paulus pro se fieri preces.

4. *Vt manifestem illud vt oportet, &c.*

Ostendit se de fine, hoc est, felicitate ac successu suæ prædicationis loqui. Obserua Apostolum sibi non satisfacere, sed in munere obeundo semper aliquid desiderare, quod vt addatur intercessionem Colossensium postulat. Boni ministri est, non sibi placere in suo munere, sed aliquid diligentiæ semper à seipso postulare.

5. *In sapientia ambulate, &c.*

Altera exhortatio ad modestiam in conuersatione. Vide Ephes. 5. ver. 15. 16. Τὺς ἔξω vocat alienos à Christi confessione: idem 1. Thess. 4. versu 12. Vox à Philosophis sumpta est, qui τὺς ἔξω, vocabant alienos à sua secta, imprimis idiotas, vt alienos à Philosophia sic vocantes, quos Aristoteles aliquando τὺς πολλὺς vocat: sic in religione dicuntur οἱ ἔξω qui fidem Christi nondum agnoscebant. Cum his modestè ambulandum est, vt honesta conuersatione lucrifiant Christo, vel etiam ne irritentur, & bella ac pericula non necessaria vitentur illorum prudentia. Modestia in cõuersatione.

6. *Sermo vester, &c.*

Tertia exhortatio, vt sermonem attemperent ad communem ac publicam ædificationem, id vocat λόγον ἠρτυμένον ἅλατι, *sale conditum*: metaphora à salis natura petita est, nam sal condimentum est omnium ciborum, qui sine sale omnes ad vnum languidi sunt, grauiores autem sale redduntur. Ideo addidit ἐν χάριτι, in gratia, quasi dicat, cum quadam gratia temperari debet sermo pietatis. Ideo falsum est quod quidam putant, veritatis orationem horridam, incultam, & agrestem esse: hoc quidem verum est, quòd simplex sit veritatis oratio, sed illa simplicitas non respuit suam ciuilitatem ac piam gratiam. Ideo in sacris non licebat Domino aliquod sacrificium offerre sine sale, Leuit. 2. & in sacris literis desunt leporis figuræ, & pudica vrbanitas. Matronalis est ille ornatus, non meretricius, qualis in Rhetorum docetur scholis, & in oratorum elucet orationibus. Deinde addit vsum huius ciuilitatis, *vt sciatis quomodo oporteat vos cuique respondere*. Videtur hoc velle, orationem pij hominis suauem debere esse, & apertam. Duæ sunt insignes virtutes, quas rarò est coniunctas reperire in ministris. γλυκύτης, suauitas, & σαφήνεια, perspicuitas: prior in populari docendi genere vtilis est: posterior etiam in confessionibus necessaria, vt aperta & dilucida sententia sit, ne ambiguitate & inuolucris obscuremus id quod fatendum est. Respondere apposité est πρὸς τὴν θέσιν respondere, in quo debet esse σαφήνεια, si accedat γλυκύτης, eò meliùs res cadit: fortasse respexit ad id quod alibi dicitur, vt parati simus singulis rationem reddere fidei nostræ: in qua re locum habet præceptum de perspicuitate, &c. Condiendus sermo. Vsus ciuilitatis in sermone.

7. *Res meas omnes vobis, &c.*

Sextus locus est huius epistolæ, continens res priuatas: ideo rem præscindit, ac longiorem de moribus renati hominis disputationem declinat: deinde longiorem narrationem de Locus 6. Epist. de rebus priuatis.

statu suo quoque abrumpit, fidis interpretibus quasi viuæ epistolę committens. Porrò locus hic in quinque membra secetur: primum de tabellariis Tychico, & Onesimo: alterum de salutationibus mutuis, tertium specialis admonitio est de hac ipsa epist. quam communem facit Laodicensibus: quartum, Archippum officij admonet. Quintum, habet subscriptionem.

Internuntij. 1. Internuntij duo sunt Tychicus & Onesimus: de Tychico vide Ephes. 6. auspicatum nomen, & Eustodium, ad Hieronymum, congruunt sæpe nomina felici voto imposita. Vtinam mea quoque Fortunata nomini respondeat, &c. Porrò commēdatur hic Tychicus *fratris dilecti* nomine, hoc est, qui dilectione sit dignus propter Dei dona. Deinde quia *fidelis* sit *minister*, Ecclesiæ scilicet respectu, cui se suáque omnia consecrauit. Tertiò, quia est *conseruus in Christo*, ministerio scilicet publico docendi suscepto.

8. *Quem misi ad vos, &c.*

Officiū ministrorum. Causæ finales missionis: prior, *vt cognoscat res vestras*, hoc est statum Ecclesiæ apud vos inspiciat, vt eundem mihi referre possit. Disce fidelium ministrorum officium esse omnem Ecclesiæ curam suscipere quoad fieri potest. Altera est, vt *confirmet corda vestra*, scilicet contra imminentia pericula, contra scandalum crucis.

9. *Cum Onesimo, &c.*

Onesimus quis. Alter tabellarius est Onesimus, qui quis fuerit non conuenit inter interpretes. Probabilis tamen mihi fit illorum sententia, qui de Philemonis seruo à Paulo conuerso intelligunt: nec alienum videri debet à grauitate Apostoli, seruum toti Ecclesiæ commendare, quum non erubuerit hero fugitiuum reconciliare, necnon furti cuiusdam reum. Accedunt alia nomina quæ hîc & in illa ad Philemonem prorsus eadem sunt, vt Archippi, Aristarchi, Epaphræ, Lucæ, Marci, Demæ, &c.

10. *Salutant vos, &c.*

Salutationes. Secundum membrum de mutuis salutationibus. Porrò sex nominat, tres ex circuncisione, tres reliquos, vt apparet, ex Gentilismo. Aristarchus minister fuit & nomine Christi captiuus Romæ: de quo infrà ad Philemonem ver. 24. Alter est Marcus, Ioannes dictus consobrinus Barnabæ. Tertius Iesus cognomento Iustus. Hi tres communi elogio laudantur, quòd soli ingenuè laborent Romæ in causa fidei ex Iudæis. Regnum Dei doctrina Euangelij est, quia per hanc in nobis regnat Christus, & quia hi tres soli omnibus præferuntur ex circuncisione, constat Petrum tum Romæ non fuisse, qua enim ratione obliteraretur nomen eius? certè non video, cur hi ei præferri debuerint.

12. *Salutat vos Epaphras, &c.*

De Epaphra. Sequuntur alij tres, Epaphras de quo Philem. ver. 23. vt sup. 1. ver. 7. Colossensis is fuit, vt etiam Onesimus. Hunc ornat studio orandi & intercedendi pro Ecclesiis, quas in fide instituerat. Intercessionis finis est, vt stent *perfecti & completi in omni Dei voluntate*. De perfectione aliàs diximus: debet hîc intelligi τελειότης ἱκανότης, hoc est, sufficientia ad vitam æternam consequendam, quæ est πλήρωσις completio in Christo, hoc est, mediorum ad salutem necessariorum idoneus vsus. Alia est perfectio αὐτοτελὴς, qualis est Deus αὐτοφυής, sui perfectione constans. Humana perfectio ἑτεροτέλεια est, hoc est, aliunde infusa. Ac illa vel est ἐπὶ ἀκμῇ, h. e. in summo gradu, qualis erit post resurrectionem. Alia in hac vita πληρώσεσα perficiens, de qua hîc loquitur, ideo addit in omni voluntate Dei.

14. *Salutat vos Lucas, &c.*

Secundus & tertius: Lucam intelligo Euangelistam, nihil enim video cur hac laude dignus non sit. Eum medicum faciunt omnes, qui vitam illius descripserunt: de quo infrà etiam ad Philem. versu 24. similiter & de Dema, de quo etiam habes in 2. Tim. 4.

15. *Salutate, &c.*

Mutua est salutatio. Obserua integras Ecclesias salutari, de quibus suprà. Deinde Nymphæ domus ornatur nomine Ecclesiæ, quòd scilicet fuerit hospitium aduenarum, aliorúmq; in quo tutò & vtiliter audiunt doctrinam fidei.

16. *Et quum lecta fuerit, &c.*

Mandatum de hac epistola. Tertius locus, de hac ipsa epistola, continens singulare mandatum, ex quo disce epistolas Paulinas inscriptionibus quidem ad singulares Ecclesias ac personas spectare, argumenti autem genere ad nos omnes. Quæ autem sit illa ex Laodicea scripta non constat. Probabilis est sententia eorum, qui vel primam ad Tim. vel aliam à Laodicensibus ad Apostolum scriptam intelligunt: cui astipulatur phrasis ἐκ Λαοδικείας, quam sententiam Syrus quoque retinet. Epiphanius tamen ait ab Apostolo Paulo aliam fuisse scriptam ad Laodicenses, quam hîc iubeat inde petere & legere. Intercidit autem si quæ talis extitit. Digna autem est irrisione, quam hodie quidam sub illo titulo monstrant.

17. *Et dicite Archippo, &c*

Quartum membrum ad Archippum pertinens, videtur in hoc diligentiæ aliquid requirere.

rere. Obserua: ministrorum vitia diligenter à superioribus obseruari debent. Ac si admonitio priuata non sufficit, per totam Ecclesiam fieri debet exemplo hoc.

18. *Salutatio mea, &c.*

Quintum membrum, subscriptio, in eo duo sunt. 1. solennis forma subscribendi. 2. repetita mentio pathetica vinculorum suorum: ideo parenthesi includi debet, &c.

EPISTOLAE AD COLOSSENSES FINIS.



DISPOSITIO PRIORIS EPISTOLÆ AD THESSALONICENSES.

Qui fuerint Thessalonicenses.



HESSALONICA olim Macedoniæ celeberrima fuit ciuitas, de qua vide Plinium libro 4. cap. 10. Melam lib. 2. cap. 3. Strabo testatur suo adhuc seculo admodum fuisse florentem, cuius hęc sunt verba libro 7. ἣ νῦν μάλιστα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ, hoc est, quæ adhuc præ aliis vrbibus robore & fortitudine ciuium floret. Populosam fuisse satis indicat ipse situs & maris commoditas. Nam habuit à Meridie mare amplissimum, in cuius recessu & amplissimo sinu condita fuit. A Septentrione & Ortu Chabris fluuius illam muniuit, qui per regionem Amphaxiten ad Ortum sese in hunc sinum exonerat. Ab Occasu est fluuius Echedorus, nec procul inde distat Berrœa, ad radices mõtis Citharij posita, quò sese Apostolus recepit seditione suborta Thessalonicæ, vnde mox Athenas profectus, & ad eos rescripsit hanc epistolam. Olim dicta fuit Therma, vnde sinus ille maris Thermaicus dictus est, vt apud Herodot. lib. 7. cuius verba Latinè sic reddi possunt. Therma, est quæ in Thermaico sinu constructa visitur, vnde sinus nomen etiam acquisiuit: vbi Xerxes pedestrem exercitum ab Achanto traductum nauticas copias expectare iussit. Mutati nominis hæc videtur ratio. Philippus Amyntæ filius in his locis memorabili prælio Thessalos vicerat, in cuius rei memoriam vicinam vrbem Thermam appellauit Thessalonicam. Postea Cassander hanc ipsam vrbem exornauit, & nomen recens ab euentu impositum in gratiam suæ vxoris Thessalonices, quæ & ipsa filia regis Philippi erat, confirmauit: ita nomen vetus Therma antiquatum est, & solùm mansit sinui, vnde passim apud authores Thermaicus adhuc dicitur. Hæc illa est Thessalonica, in qua Theodosius Imperator in seditiosos quosdam grauiter animaduertit, ob quod factum Imperator postea Mediolani ab Ambrosio fuit excommunicatus nouo in Imperatores exemplo. Circa hanc ipsam postea infeliciter pugnauit Constantius Imperator contra Sarracenos, insomnij cuiusdam sinistra interpretatione motus. Visus erat sibi Imperator per quietem Thessalonicæ esse, mox excitatus spem de victoria concepit, & re cum ducibus communicata iussit confligere. Verùm quidam ex ducibus solerter admonuit Imperatorem, insomnium non sibi portendere victoriam, sed hostibus, ex interpretatione nominis argumento sumpto, θὲς ἄλλῳ τὴν νίκην. Quod cùm Imperator non admitteret, commisso prælio Sarracenis inuitus victoriam concessit. Porrò ad hos quomodo venerit Apostolus & quanta diligentia instituerit, vide Act. 17.

OCCASIO.

Oblata est occasio, quemadmodum colligi potest ex 2. & 3. capitibus huius Epistolæ: item Actorum 17. vbi refertur quòd eos instituerit feliciter in vera fide, disputando & disserendo per tria sabbatha in illorum cœtibus. Sed mox tumultu per Iudæos concitato coactus est cedere. Itaque contulit se in vicinam Berrœam, hinc Athenas, & ex via remisit ad eos Timotheum, qui eos & confirmaret in fide, & ad Apostolum omnem statum referret.

Quo Athenas ad Apostolum reuerso, intellexit summam illorum constantiam, vnde motus hanc ad eos mox scripsit Epistolam, eo fine vt in hac ipsa cōstantia eos confirmaret, & quædam insuper vitia apud eos corrigeret.

GENVS.

Genus principale est Protrepticum, vult enim bene currentes confirmare in proposito, hoc vt obtineat alia multa admiscet: vt Epæneticum, quo vtitur cap. primo, laudans eos ab antéactis, & præcipuis Dei donis: & cap. secundo suas recenset non obscurè laudes, & boni doctoris virtutes, sic laudata virtus indubiè apud eos creuit. Habet etiam Paræneticum, quo hortatur eos ad officium renati hominis, vt dignè Deo ambulent, vt ipse loquitur. Accedit etiam ἐπαγγελτικόν, quo promittit suum aduentum. Didacticum, quo instruit quid in dubiis quæstionibus sit sequendum, vt in quæstione de luctu pro mortuis, de aduentu Domini, de eius momento & similibus, in quibus partim corrigit id quod erat vitiosum, partim instruit quid sit tenendum.

PROPOSITIO.

Præcipuam sententiam Epistolæ comprehendimus hoc argumento. Thessalonicenses in ea doctrina, quæ eos reddit certos de vita æterna, debent manere constantes. Sed Euangelium quod ab ipso Paulo didicerunt, hoc solum reddit eos certos de vita æterna: ergo in hac ipsa doctrina debent manere constantes.


PARTES EPISTOLÆ.

1. Partes instituimus quinque. Prima est consuetus titulus.

2. Altera, est exordium, cuius initium est ver. 2. ac constat propositione & ratione. Propositio est, se indesinēter pro Thessalonicensibus Deo agere gratias. Ratio eius triplici consistit argumento, integritate fidei, dilectionis feruore, & crucis tolerantia, vnde constat Exordium facere ad beneuolentiam.

3. Tertia pars statuatur vers. 4. & est narratio. Habet enim præteritarum rerum commemorationem, scilicet, qua fortuna acceperint Euangelium, quantis calamitatibus in recepto perdurent hactenus, & quanta diligentia hoc apud eos Apostolus propagarit. Porrò narratio constat aliquot locis. Primus est de laudibus Thessalonicensium, ac constat propositione & rationibus vsque ad finem primi capitis.

Secundo capite ingreditur secundum locum narrationis de sua in docendo diligentia, ac commemorat summo candore & constantia cum docuisse, quem locum tractat, primùm remotione vitiorum, vt quòd sine dolo docuerit, non ad gratiam, sine adulatione, non auarè, non ambitiosè, sine stipendio, hæc remouet. Deinde opponit his virtutes boni doctoris, quòd summa humilitate, summa erga eos dilectione, gratis, & victitando propriis laboribus in maximis periculis & summa vitæ innocentia. Istis commodè annectit propositionem totius suæ doctrinæ, vt dignè Deo ambulent. Reliqua deinceps à versu 13. habent συμπέρασμα vtriusque loci de ipsorum & suis laudibus, vsque ad versum 17. vbi sequitur tertius locus narrationis, de suo desiderio ad eos redeundi, & quibus causis hactenus sit impeditus. Initio capitis tertij statuatur quartus locus narrationis. Nam ostendit rationes missi ad eos Timothei, in quo argumento perdurat vsque ad versum 6. vbi statuatur quintus locus narrationis, explicans occasionem scriptæ epistolæ vsque ad versum 10. vbi statuatur sextus locus narrationis, repetens promissionem sui aduentus. Hactenus narratio. Initio ergo cap. 4. quarta statuatur pars Epistolæ, continens exhortationem ad mores renati hominis, ideo corrigit initio quædam vitia, quæ apud eos adhuc regnabant, qualis erat scortatio, fraus in contractibus, otium iners, curiositas in quæstionibus non necessariis, immodicus luctus pro mortuis, curiositas in inquirendo horam aduentus Domini. Contrà hortatur ad virtutes, dilectionem, pacem, vigilantiam, & similes renati hominis proprietates: durant hæc vsque ad ver. 23. quinti capitis. Ibi statuatur quinta & vltima pars, Epilogus, qui constat comprecatione, postulatione, salutationibus, præcepto speciali de hac epistola, & conclusione consueta.



IN PRIOREM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Qui fuerint Thessalonicenses.



HESSALONICA Macedoniæ celeberrima fuit olim ciuitas: de qua vide Plinium libro 4. cap. 10. Melam lib. 2. cap. 3. Strabo testatur suo adhuc seculo admodum fuisse florentem: nam scribit lib. 7. de illa sic, ἣ νῦν μάλιστα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ, hoc est, inter alias vrbes hæc imprimis floret robore & fortitudine virium. Populosam fuisse satis indicat ipse situs, & maris commoditas. Nam habuit à Meridie mare amplissimum, in cuius recessu vt sinu amplissimo fuit condita. A Septentrione & Ortu Chabris flumen illam muniuit, quod per regionem Amphaxitem ad Ortum in sinum illum sese exonerat. Ab Occasu Echedorum fluuium habuit. Non procul inde distat Berroea ad radices mõtis Citharij posita, quò sese Apostolus recepit seditione Thessalonicæ suborta inde mox Athenas profectus, vt est Act. 17. Hæc illa est Thessalonica, in qua Theodosius Imperator seditiosos quosdam grauiter puniuit, ob quod factum Imperator postea Mediolani ab Ambrosio fuit excommunicatus, nouo exemplo in ipsos Imperatores. — De vrbe Thessalonica.

Nominis illa videtur ratio, quòd Philippus Amynthæ filius in his locis memorabili prælio Thessalos vicerit, in cuius rei memoriam Thermam vrbem vicinam Thessalonicam nominauit. Postea Cassander hanc ipsam vrbem exornauit, & nomen ab euentu impositum in gratiam vxoris suæ Thessalonices, quæ filia Philippi Regis fuit, confirmauit. Sic nomen Thermæ antiquatum est: sinui tamen mansit, qui adhuc in tabulis passim & apud scriptores dicitur sinus Thermaicus. Circa hanc vrbem Constantius infeliciter pugnauit contra Sarracenos incitatus insomnio quodam, quo sibi visus erat in vrbe Thessalonica esse. Quod visum quidam ex ducibus solertissimè in contrariam partem est interpretatus, scil. θὲς ἄλλῳ τὴν νίκην, quam interpretationem quum Imperator nollet admittere, commisso prælio victoriam inuitus Sarracenis concessit, &c. — Thessalonica cur sic dicta.

Vendita postea est Venetis ab Andronico nec diu possessa, sed à Turcis vt alia Græciæ loca occupata: de quo vide Laonicum lib. 4. Nos ad nostra reuertamur.

Occasio scribendi.

Vt ex Act. 17. apparet & infrà cap. 2. & 3. hæc fuit illi oblata occasio. Instituerat eos feliciter in vera religione, nominatim per tria sabbatha disserendo in cœtibus illorum: sed mox impij Iudæi tumultu concitato compulerunt illum ad fugam. Contulit igitur se in vicinam vrbem Berroeam, hinc Athenas, interea remisit ad eos Timotheum, qui eos confirmaret in fide, eo reuerso Athenas ad Apostolum, retulit summam eorum constantiam, qua re motus Apostolus mox hanc epistolam ad eos scripsit, vt illos in constantia illa confirmaret, ac quędam vitia corrigeret.

Propositio ac status.

Summa est, illis constanter perdurandum esse in suscepta doctrina. Id vt efficiat recitat anteacta, quo scilicet successu hanc doctrinam susceperint, quanto cum periculo, quanta cũ efficacia Spiritus sancti. Hinc petatur igitur τὸ αἴτιον τοῦ κρινομένου. Nam στάσις & κρινόμενον coincidunt perdurandum esse in hac doctrina. Αἴτιον est, quia in hac efficax est Spiritus Sanctus, quia cum periculo eam suscepistis & pertulistis iam multa eius nomine: item quia ab ordinario & sincero ministro illam hausistis, & his alia affert similia, quæ cùm ad illorum commendationem, tum ad Apostoli laudem, tum ad ministerij sui dignitatem pertinent omnia autem eò respiciunt, vt constantes efficiat in doctrina suscepta. Concludamus igitur hoc Syllogismo totam Propositionem.

Demonstratio loci. Doctrina, quę manifesta habet S. Sancti argumenta, queque cum periculo à bonis doctoribus est accepta, in hac diligenter est perdurandum: sed Euāgelium talis est doctrina: Ergo in ea &c. Maior habet κρινόμενον, minor αἴτιον, conclusio propriè continet στάσιν.

Genus.

Principale & prædominans est προτρεπτικόν, vt in superioribus quibusdam: scopus enim est bene currentes in proposito confirmare.

Accessoria deinde sunt, ἐπαινετικόν, quo toto primo capite illos commendat ab anteactis: & secundo capite se à diligentia & virtutibus boni doctoris ornat, quæ faciunt ad incitandos eos ad constantiam: etenim

--laudatáque virtus.

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Accedit etiam παραινετικόν, quo ad officium hortatur: item ἐπαγγελτικόν, quo denūciat illis suum aduentum: διδακτικόν, quo ostendit quid in illis dubiis quęstionibus sequendum sit, vt quæstione de aduentu Domini, de luctu pro mortuis, aliisque: in quibus corrigit id quod vitiosum erat, partim instruit.

Partes.

1 pars ca. 1. v. 1. Membra constituo sex, quæ ita cohærent: initio titulus est.

2. vers. 2. Secundò, Exordium, & id breue, constans propositione & ratione.

3. vers. 4. Tertiò, Narratio est rerum anteactarum, quò pertinet laus auditorum, & sui officij commendatio. Huic commodè aspergit propositionem, Vt dignè ambulent Deo, qui illos vocauit ad Euangelij cognitionem: cui mox addit conclusionem generalem totius narrationis.

4. cap. 2. ver. 17. Quartò, denunciatio est sui aduentus, vnde hactenus impeditus sit, & quanto desiderio illorum teneatur. Deinde de Timothei aduentu: tertiò etiam de occasione huius epistolæ quædam addit.

5 c. 4. v. 1. Quintò, locum de moribus ingreditur, ac corrigit certa apud eos vitia, vt scortationem, fraudem in contractibus, otium, studium innouationis: natura enim ad seditiones faciliores fuisse videntur. Item vt caueant offendicula apud infideles, curiositatem in quæstionibus non necessariis, immodicum luctum pro mortuis. Contrà ad dilectionem, pacem, vigilantiam grauiter illos hortatur.

6 c. 5. v. 23 Sextò, Epilogus est, qui constat comprecatione, salutatione, præcepto, subscriptione sui, conclusione consueta.

CAPVT I.

Cap. 1. arg. & partes.


ONTINET Titulum. 2. Exordium, & Narrationis primum membrum, quo de ipsis Thessalonicensibus agit, quos commendat à studio admittendi, & retinendi hanc doctrinam, vt laude in officio retineat: plus enim valet commendatio sæpe quàm exhortatio, præsertim apud ingenuos homines.

--laudatáque virtus.

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Titulus.

Vers. 1. *Paulus & Syluanus, & Timotheus, &c.*

Titulus tria complectitur, Inscriptionem, Subscriptionem, & Salutationem: à subscriptione initium rectè sumit.

Est autem ὑπογραφὴ συγκειμένη coniuncta: tria habet scribentium nomina, Paulum, Syluanum, & Timotheum. Cur illos sibi coniungat, ratio est, quia præsentes erant quum epistola dictaretur: ac apud Thessalonicenses omnes noti: imò docenti illi Paulo adfuerant, simúlque docuerant: accedit quòd Timotheus legatus fuerat Apostoli ad eos, & Paulo indubiè suasor ad scribendum. Syluanus est qui in Act. 17. Silas dicitur. Consensus ministrorum commendatur, & Apostoli humilitas.

Cæterùm officij sui hîc nulla est commendatio, cuius probabilis reddi potest ratio: quòd infrà c. 2. copiosè ministerium suum commendet, & ipsa simplicitas tituli arguit epistolam festinanter scriptam, adeóque ad eos, qui de Apostoli vocatione minimè dubitabant.

Inscriptio. Inscriptio est, *Ecclesia Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo congregata.* De Thessalonicensibus initio diximus: notandum autem hanc ornari Dei Patris, & Domini Christi nomine, quasi dicat, hanc demum veram esse Ecclesiam quæ Dei nomine sit congregata & Christum agnoscit caput: reliqui cœtus alterius nomine congregati, non merentur Ecclesiæ titulum. (Vera Ecclesia.)

Salutatio. Salutatio, *gratia sit vobis & pax.* Gratia fons est ac causa pacis. Pax fructus gratiæ: & gratiā ad Deum

ad Deum refero, pacem ad Christum, qui author est pacis. De his suprà iam diximus.

Exordium.

2 *Gratias agimus Deo semper, &c.*

Exordij partes.

Exordium ἠθικὸν est: ostendit enim pios affectus, & studium orandi pro Thessalonicensibus: finis illius est εὔνοια, vt beneuolos habeat, & obsequentes. Duæ sunt eius partes, Πρότασις & confirmatio. Propositio est, Pro vobis indesinenter oramus. Prædicatum εὐχαριστοῦμεν ad personas plures accommodauit, quia respexit ad collegas, Syluanum & Timotheum, quos studio orandi sibi coniungit, vt priùs in salutatione. Deinde quòd *ad Deum* dirigi ipsorum preces affirmat, pias preces ostendit, quæ non errant idololatrarum more. Præterea circunstantia temporis auget studium orandi, quia *semper*, item quia *pro omnibus*, quasi quot sint personæ in illo cœtu, tot sint orandi occasiones. Denique redit ad primum oratio: mentionem vestri faciẽtes in deprecationibus nostris, quibus verbũ εὐχαριστοῦμεν interpretatur.

3 *Indesinenter memores.*

Tres religionis pręcipuę virtutes.

Ratio Propositionis est, continens tres præcipuas partes nostræ religionis: fidem, spem, dilectionem, quas suis decenter ornat epithetis. Firma est collectio, qui has virtutes seriò exprimunt, præbent suis doctoribus dignam orandi materiam: sed vos has exprimitis: Ergo nobis doctoribus vestris. &c. Initio autem commodè connectit præcedentibus repetens temporis diuturnitatem, vt ostendat verum esse quod de studio & frequẽtia orandi præmiserat: sed applicat memoriam ad illorum virtutes, tanquam ad propriam materiam, qua preces excitantur. Prima virtus est *fides*, quæ vt non sit vmbratilis, operis nomine commendatur. Ac intelligitur πίστις ἐργώδης, vt Christus dixit, luceant opera bona vestra coram hominibus, &c. Et Iacob. 4. capite 2. fidem sine operibus νεκρὰν vocat, hoc est, mortuam. Altera est *charitas*, cui tribuitur κόπος, verè enim est laboriosa charitas: vt fides ἐργώδης, sit charitas κοπώδης, cuius virtutes prædicantur 1. Cor. 13. Tertia est *spes*, quæ perdurando sese exercet. Commune harum virtutum obiectum est Christus, ideo omnes ad hanc refero. Omnia concludit in conspectu Dei, quæ sententia referatur ad Thessalonicenses ipsos, quasi dicat, eos seriò has virtutes excolere, non fictè: nam quæ in conspectu Domini agimus, seriò agere videmur, quum falli non possit, nec quisquam adeo sit præsumptuosus vt conari possit Deum fallere. Itaque integra laus est piæ Ecclesiæ, quia candidè coram Domino has virtutes colit.

1. Fides. 2. Charitas. 3. Spes.

Narratio.

Versu quarto ordior Narrationem, nam hinc incipit præterita commemorare, eámque diuido in duo membra: nam ad finem vsque capitis perdurat in laudibus Thessalonicensium. Capite 2. totus ferè est in suis virtutibus commemorandis. Hanc igitur Partitionem sequamur. Initio autem constituit Propositionem generalem: hinc mox profert amplissimas rationes. Itaque & hîc est πρότασις & κατασκευή, ac omnia ad laudes auditorum spectant, quos laudatos constantes cupit efficere.

Continet igitur versus quartus Propositionem, cuius est sententia, in vestra conuersione manifestè deprehendimus vos diuinitus electos esse ad vitam æternam. Ac verbum εἰδότες non refero ad notitiam animi, sed ad experimenta quæ certò illorum electionem probant. Ideo verto, Videntes electionem vestram, hoc est, electionis argumenta: videtur enim illa dum manifestatur, & reipsa accedunt ad veritatis concessionem qui prædestinati sunt ad vitam. ἐκλογὴν sumo pro ipsa externa vocatione, qua per Paulum, Silam, Timotheum, similésque ad Christum conuertebantur: hæc aliâs κλῆσις dicitur, & ex hac tanquam posteriori iudicamus, de abdita & æterna Dei electione. Sic in actis credunt, quotquot erãt prædestinati ad vitam. Itaque hoc vult dicere, se cum aliis doctoribus in cõuersione rerum, manifesta vidisse argumenta electionis. Hæc Propositio Narrationis continet κρινόμενον principalis causæ. Doctrina quæ habet manifesta argumenta æternæ electionis ad vitam beatam, ea non est deferenda: sed Euangelium tale est: Ergo, &c. Minor, κρινόμενον habet: ideo hîc probanda, proinde addantur firmæ causæ per quas κρινόμενον confirmatur, quo confirmato status consistit.

5 *Quia Euangelium nostrum, &c.*

Euangelij successus apud Thessa.

Hactenus κρινόμενον explicuimus: nunc τὸ αἴτιον, quoq. ex Apostolo proferamus: cõtinet enim sequentia, confirmationem firmamenti nostri: Initio remotione amouet sinistræ doctrinæ suspicionem, *non in sermone solum fuit*, hoc est, non sine maximo fructu, & testimonio diuinæ gratiæ. Id solùm λόγῳ fit quod effectum non consequitur, quod fictè & hypocriticè fit: quod olim Philosophis obiecit Socrates, quòd philosopharentur μέχρι τῶν λόγων: sic Iustinus inquit de primis Christianis, quòd illorum Philosophia non in sermone, sed operibus consistat: sic primæ Corinthiorum 4. versu vicesimo, dixit regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. Itaque illud est quod dicit seriò propositum illis Euangelium, ma-

gnóque cum successu ac fructu, coniunctis electionis diuinæ manifestis testimoniis.

Doctores & auditores gemini.

Expende doctores geminos esse, alij docent ἐν λόγῳ saltem, vt qui veritatem consuetudine quadam proponunt, interim flagitiosè viuunt: alij quod docent in mores etiam conuertunt. Sic auditores gemini sunt, alij audiunt ἐν λόγῳ saltem, alij verò etiam in virtute, hoc est, doctrinam conuertunt in mores. Et alibi Augustinus dicit, Beatissimus est, qui scripturam conuertit in vitam: hæc enim nostra est praxis, & nisi sic doceamus & audiamus, frustra Christiani sumus.

Hæc prima est diuinæ vocationis & dilectionis ratio, quia doctrina ab illis proposita habuit manifestam δύναμιν. S. Sancti coniunctam. Quod addit etiam in S. Sancto, addo superioribus tanquam causam propriam sui effectus, quasi dicat, efficacia S. Sancti in ea doctrina manifestè est deprehensa: Ergo diuina est vocatio, & ideo constanter in hac perdurandum.

2. Causa quæ electionem Thess. denotat.

Alterum αἴτιον, *Quia audiuistis illam multa πληροφορίᾳ*, hoc est, *animi confidentia, & fidei plena persuasione*. Doctrina quæ dat πληροφορίαν argumentum est diuinæ electionis ad vitam beatam: sed Euangelium: Ergo, &c. Superior ratio generalis est, continens etiam vim miraculorum, & dona S. Sancti varia: sed his omnibus poterat abesse vera fides in auditoribus: quod accidit Iudæis multis in tanta miraculorũ Christi luce, qui δύναμιν Dei cogebãtur interdũ fateri, at nolebãt credere. Itaq; altera ratio hoc cauet, ne de fructu in ipsis Thessalonicensibus dubitemus. Ac erant hæ rationes diffusiùs explicandæ, sed quum illa scribat ad eos inter quos gesta erant, rectè præscindit harum longiorem explicationem, ipsósque cõstringit de rei veritate: vt enim violenta sunt argumenta, quæ ab aduersariis pro nobis contra ipsos sumimus, sic firma sunt quæ auditoris conscientiam cõstringunt. Præterea in hoc successu bonam partem etiam rerũ ipsis acceptam refert, quasi dicat, quod feliciter vos docuimus, vos ipsi causa fuistis: tales fuimus *in vos per vos*. Quod accipio de mediis & idoneis rationibus docendi, quòd ipsi Thessalonicenses Apostolo Paulo multa monstrarint, quibus vtiliter sit vsus in docenda veritate, vt locum, tempus, modum captandi illorum animos, quibus laborarint illi vitiis, quibus pollerent virtutibus, qui faciles & qui difficiles essent. Eiusmodi circunstantias optimè nouerant ipsi conciues & qui veritati fauebant, Paulum illis instruebant & incitabant ad docendum animosè, &c.

6 *Et vos imitatores nostri &c.*

Fortuna suscepti Euãgelij.

Tertia ratio à fortuna suscepti Euangelij: fuit illa coniuncta cum gaudio, sed multis periculis adiunctis. Id prædixit Christus Matt. 10. Ecce mitto vos velut omnes in medio luporum. 2. Timothei 3. Qui piè viuere volent in Christo Iesu persecutiones patientur. Et act. 14. Per multas tribulationes ingredi oportet in regnum cœlorum.

Hoc totum ad fortunam communẽm pertinet profitentium veram doctrinam, ideo rectè his similes factos esse dicit Thessalonicenses. Ideo consolatur eos exemplo Apostolorum & Christi. Apostolorum præmittit exempla, quia ad hos primitus pertinebat doctrinæ per constantiam confirmatio. Deinde Christi quoque tanquã Archetypi, qui hãc ipsam fortunam sponte & volens subiuit: ideo imitatores Christi iubet esse. 1. Cor. 11. Ephes. 5. nam suum exemplũ non aliter vrget quàm quatenus ad illius ideam collimat. Summa argumenti est, Magno periculo hanc doctrinam suscepistis: ergo in ea constantes esse oportet.

7 *Adeò vt fueritis, &c.*

Quarta ratio: vestra constantia aliis fuit vtile exemplum, ergo in hoc cursu perdurandum est. Τύπους vocat exemplum imitationis, prodest Ecclesiæ semper habere tales typos, quibus infirmi admoneantur sui officij: tales fuerunt Thessalonicenses Macedonicis & Achaicis Ecclesiis.

8 *A vobis enim pertonuit sermo Domini non solùm in Macedonia, &c.*

Laus Coloss. de studio in Euangelio amplexãdo.

Confirmatio argumenti propositi ab ipso euentu: addita est autem confirmatio, non solùm his, sed aliis omnibus prodesse hoc exemplum. Id ego refero ad vtilitatem publicam Ecclesiarũ: non enim Thessalonicenses primi fuerunt inter Macedonicas & Achaicas Ecclesias, quum Philippenses has præcesserint: nam Philippensiũ cap. 4. scribitur eos semel atque iterũ misisse vitæ necessaria, dum doceret apud Thessalonicenses. Ex quo efficitur Philippenses iam tum Euangelium habuisse, nec id mirum videri debet, quum Christus dicat Matthæi 20. Vltimos sæpe fieri primos. Summa est, illos præluxisse aliis Ecclesiis, quam laudem non debent amittere, sed omni studio augere.

9 *Nam ipsi de vobis &c.*

Quinta ratio à testimonio aliarum Ecclesiarum. Reliquæ Ecclesiæ hoc vobis fatentur, quòd scilicet illis exemplum vestrum prosit, & feliciores videamini aliis. Firma est ratio, quia contra has Ecclesias videtur illas laudare, quarum testimonio hîc vtitur.

Et quando conuersi fueritis.

Sexta ratio ab effectis veræ pœnitentiæ, quales tres hic enumerat: 1. *conuersionem ab idolis ad verum Deum*, cui deinceps seruituri sint. *Veræ pœnitentiæ effecta.*

1. Obserua duas veri Dei notas, vitam scil. & veritatem: quorum vtrunque idolis deest. Veritas, quia non natura sunt, sed hominum opinione facta: deitatem ergo precariò habẽt, & ab hominibus qui hanc conferre non possunt nec sibi nec aliis. Deus autẽ ille Iesu Christi Pater natura & verus est. Vita autem quia actiuum quiddam est, & sapiens, intelligens, benefica natura intelligens, quo idola carent: aures habent nec audiunt, oculos nec vident, pedes nec ambulant. Itaque vita carent, quia actionibus illis destituuntur. *Veri Dei notæ.*

2. Altera proprietas est, *quòd expectent iudicem de cœlis Christum Filium Dei*, hoc est, seriò hunc credant iudicem vniuersæ carnis: ideóque summè hunc metuunt, quum priùs muta idola timuerunt, malos spiritus, & alia spectra. Ex quo & illud sequitur, quòd illum exhibitum, & verè mortuum, verè resurrexisse, cœlosque ascendisse crediderint.

3. Tertia est, quòd eundem verum liberatorem à peccatis agnouerint, *qui liberet nos à ventura ira*. Venturam dicit iram, quia in nouissimo iudicio omnium clarissimo exemplo testabitur quantopere irascatur ipsi peccato: cuius tyrocinia fuerunt Adæ exilium ex paradiso: Caini maledictio: diluuium mundi sub Noacho: Sodomæ interitus, & similia exempla. Sed puerilia sunt ad illam communem impiorum pœnam collata. Itaque Christus verus est Mediator, qui hanc iram à suis auertit. Ioan. Hic est agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Ioan. 3. Qui non credit filio, super hunc ira Dei manebit, &c. *Christus liberator à peccatis.*

CAPVT II.

ALTERA pars Narrationis hoc secundo capite absoluitur, in qua de se, suáque in docendo Euangelio diligentia disserit. Omnia autem accommodat ad causam præsentem: non enim alia affert, quàm quæ apud Thessalonicenses præstiterat, quæque illis comperta erant. Illustre est exemplum boni ministri, cauentis omnem sinistræ famæ calumniam. Ideam eius proposuit 1. Tim. 3. & Tit. 1. in canone illo ministerij, sed hîc omnium luculẽtissimè suo proprio exemplo. Atque hæc in prima parte capitis tractantur. *Cap. 2. arg. & partes.*

2. In altera de Thessalonicensium virtute agit, quos iterũ commendat à studio veritatis.

3. In tertia de aduersariis, & eorum studio opprimendi veritatem, qui conatus recens non est, sed perantiquus: nam tales se Prophetis, Christo, Apostolis, semper præstiterunt, quales nunc se in causa Thessalonicensium præbent.

4. Quarta est promissio sui ad eos reditus.

Vers. 1. *Ipsi enim scitis fratres, &c.*

De suis virtutibus acturus, initio proponit certam & specialem propositionem, quam mox confirmat variis rationibus. Πρόθεσις est, Ingressus meus apud vos non fuit vanus. Εἴσοδος est tota Apostoli conuersatio cum doctrina illius coniuncta, vt hic sit sensus: Non fui doctor vanus apud vos, sed vita & moribus, quæ docui confirmaui. Κενὸν accipio pro futili, leui, & quod vanum propriè dicimus inane. Dicitur autem vanus doctor, qui honesta quidem docet, sed discrepat vita eius à doctrina, quales erant Philosophi quos Socrates traduxit vt vanos, differentes de virtutibus quas in vita non exprimebant: ab hac vanitate alienus fuit Apostolus. Deinde etiam quoad doctrinam ingressus non fuit vanus, hoc est, non inutiliter laborauit, sed magno successu. Sensus igitur propositionis est, Vera & docui & quæ docui exemplo meo honestissimo comprobaui: vt nec in diligentia, nec vitæ innocentia quicquam possit à me requiri. Confirmatio has rationes habet: primò, *Vos hoc scitis ita esse*, hoc est, testes estis mihi plenissimi meæ integritatis. Magna vis est argumenti, quia nititur conscientia auditorum suorum rectè iudicantium de doctrina Apostoli & moribus eius: éstque hæc præcipua laus, si minister possit bona conscientia ad auditorum prouocare conscientias. *Pauli doctrina non vana apud Thess.* *1. Ratio.*

2. Altera ratio est à continuatione periculorum: cõnectit enim persequutiones Philippis obortas cum his, quas mox Thessalonicæ expertus est, de quibus vide Act. 16. & 17. Sensus argumenti est: vix illuc elapsus ad vos statim cœpi docere intrepidè, etiam obortis nouis periculis non cessi: ergo vel hinc constabit de diligentia mea in docendo. Πάθος & ὕβρεις ad Philippensem refero fortunam: nam illic erat cæsus virgis & incarceratus, quo malo nõ est deterritus, quin nihilominus doceret de nouo idem Euangelium Thessalonicæ, &c. *2. A constantia in periculis.*

3. Tertiò, in doctrina cauit tria præcipua vitia, quæ doctores malos produnt, *errorem, impuritatem & dolum*. Hæc explicantur ver. 3. & παράκλησιν accipio pro tota iterum doctrina, quæ se imprimis effundit in consolationes auditorum. Error, πλάνη est, hîc causam impellentem notat ἐκ πλάνης, quasi dicat, nullo erroris spiritu inductus sum, sed Deo vocante, *3. A vitiis falsodoctorum.*

non habeo alium doctrinæ meæ authorem præter Deum. 2. Ἐξ ἀκαθαρσίας, ex impuritate, scilicet vitæ libidine, voluptatũ desiderio, vt impij doctores in gratiam voluptatum corporis multa comminiscuntur falsa. 3. Ἐν δόλῳ, ad modum docendi, quasi dicat, non sum vsus etiam strophis & sophismatis.

4. Quòd à Deo vocatus.

Quartò, singularis mea est vocatio à Deo, cui me solùm accommodo. vers. 4 initio positiuè loquitur de ordinaria vocatione, in qua tamen Dei solùm agnoscit gratiam, cui sit visum hunc thesaurum docendi Christum ipsi committere: ideóque grauis est ratio cur soli Deo cupiat sese approbare. Deinde remotione contrarij sese declarat, non hominibus placentes, hoc est, doctrinam meam non ad hoc accommodaui, vt placerem diuitibus, mercatoribus, magistratibus, &c. quod vitium multos alit in ministerio, vt quidam studiosè obseruent prędiuites viduas, præpotentes in Rep. tum à quib. ornari possint munusculis, quos non facilè offendere velint: sed in eo falluntur quòd suos ipsos fautores ipsi in eo decipiunt, quia sui lucri causa eos obseruant, nõ illorum aliquo commodo, & hoc Mæcenates isti deprehendere non possunt, vtpote homines: sed *Deus*, inquit, *cui ego me approbo, & qui me vocauit cordium est scrutator*: ergo à me falli non potest, quum vos possem fallere, si vellem me vobis accommodare, &c.

5. A remotione adulationis.

Quintò, remouet suspicionem adulationis, quod vitium superiora ferè alit: sunt enim falsi doctores vt plurimum adulatores, sectantur amplas familias, principum aulas, in quibus locus datur his artibus. Apostolus hìc suam integritatem explicaturus, inquit, se nunquam deprehensum fuisse in eo vitio: id enim sonant Græca, οὐδέποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, hoc est, nunquam deprehensus sum in eo vitio. Id ad ipsorum cognitionem iterum refert.

6. Quòd non auarus.

Sextò, Non auaritia etiam inductus docui, hoc est, non honoris desiderio & vanæ gloriæ. Adulatores solent plerunque opes respicere & voluptates: sed sunt quidem adeò sordidi, vt in paupertate no recusarent viuere, modo dominari possint. Vtrunque remouet & studium ambitionis & auaritiæ. Huius testem facit Deum, qui falli non potest 2. Thes. 3. ostendit se gratis docuisse.

7. Non ambitiosus.

Ambitionem singulari argumento etiam declinat, quod ad ipsos iterum refert tanquam notissimum. *A nullo*, quia *nec à vobis, nec ab aliis honores petij*, quanquam amplissimas haberet eius rei occasiones, id priùs dixit πρόφασιν, hoc est, prætextum, nunc δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, hoc est, iusta ratione potuisse etiam victum, & amictum, & honores à vobis postulare, tanquam Christi legatus, sed nõ feci. Itaque nota potest esse mea vobis integritas. Hoc nomine etiam 1. Cor. 9. ostendit se multa neglexisse, quæ honestè potuisset expetere, vt constaret sua innocentia & falsorum doctorum fraus, qui his titulis se commendabant Ecclesiis, vt aliquid extorquerent.

Hactenus remouit illa vitia, πλάνην. 2. ἀκαθαρσίαν. 3. δόλον. 4. ἀνθρωπαρεσκίαν. 5. κολακείαν. 6. πλεονεξίαν. 7. κενοδοξίαν. Quæ quantum obsint singula priuatim & coniunctim omnia in Ecclesia Christi, dici non potest: res tamen ipsa clamat, & clamant viri boni, Deus ipse quoque exemplis quotidianis demonstrat quàm fœda illa sint, sed qui hæc studiosè cauere velit, nescio quàm reperias multos, ore detestantur omnia ista nomina, vita interim & mores ipsi aliud loquuntur, &c.

7. *Sed fuimus placidi, &c.*

Virtutes Pauli quibus probat suam diligentiam.

De laudibus suis hactenus dixit per remotionem, vt constaret à quibus vitiis alienus sit: nunc affirmatiuè loquitur de virtutibus certis, ac enumerat per species diligentiæ suæ argumenta.

1. Mansuetudo.

1 Prima est *mansuetudo*, ἠπιότης, quæ aliàs dicitur πραότης, placiditas, quæ de se suísque donis modestè sentit, séque libenter submittit ad aliorum captũ cum omni studio inseruiendi. Deinde addit explicationem per comparationem, *vt nutrix fouet suos liberos*: nutricis similitudo est etiam apud Mosem, Num. 11. non est dissimilis similitudo gallinæ, Matth. 23. declarant enim facilitatem sese submittendi, curam ac alendi studium. Nutrix cum infante flet, ridet, ac dissimulat. Pręterea natiuum colorem communicat, vt gallina pullis, vrsus fœtui suo, quod propriè significat θάλπειν. Multum igitur hìc sibi tribuit Apostolus, éstque virtus necessaria in ministro Christi.

2. Studiũ alieni cõmodi.

2. Altera est, ἱμειρότης, desiderium promouendi aliorum commoda: significat autem propriè cicuritatem, qualis est in domesticis animantibus hominem interdum notum intimè diligentibus vt canis pro hero depugnat contra latrones, adeò, vt cadauer demortui quoque tueatur & deploret, sic equus fidelis interdum hero deprehensus est, Reperitur aliquando etiam in feris animantibus, vt leone qui benefactorem in circo agnouit, & defendit contra alias bestias. Hic intimus affectus in Apostolo fuit erga Thessal. primum in docendo sanam doctrinam, deinde in deponenda etiam vita si res ita postularet. Boni pastoris est mori

est mori pro grege, vt docuit D. Christus: mercenarius autem videt lupũ venientẽ, & fugit.

3. Tertia virtus est, quòd laborarit propriis manibus in ea Ecclesia, quam instituebat, ne eã grauaret sumptibus. Id vocat κόπον, laborem: & circunstantia temporis illustrat, *noctu & die opus faciens*, quod accipio ita, diem consecrauit doctrinę veritatis: noctem autem laboribus manuum. Hoc idem fecisse reliquos comites credibile est, Silam, Lucam, Timotheum, &c. Addit etiam finem laborum, *ne illos grauaret*, habuit enim Euangelium semper hanc fortunam, vt primos auditores ex fece populari consequatur, qui ipsi se vix alunt, aut si quidam opulentiores accedunt, facilè sumptibus relabantur ab Euangelio. Ideo certo consilio Apostolus gratis docuit, ne qui conqueri possent: de eo argumento vide 1. Cor. 19. Accepit tamen necessaria ab Ecclesiis interdum, sed ab iis potius quas in præsens non docebat, vt quum hos ipsos Thessalonicẽses doceret, à Philippensi Ecclesia accepit aliquoties necessaria, vide Philippensium 4. ver. 16. 3 Laborauit etiã manibus

Hinc virtuti addit μόχθον, qui effectus est laboris, significat enim defatigationem virium, quæ ex assiduo labore fluit. Id ei accidere non erat mirum, docendo per diem, laborando per noctem: sic corporis & somni nulla, aut certè modica habebatur ratio. Est tamen, μόχθος etiam ærumna, ex afflictionibus nota, & cura quotidiana omnium Ecclesiarum.

Quarta virtus est *sanctitas*, quæ respicit Dei cultum, veram adorationẽ, iustam meditationem, de Christi merito eiúsque beneficiis. 4.

5. Quinta *iustitia*, quæ hominum respicit conuersationem, vt singulis tribuat quod decet ętatem, personas, sexum, conditionem, & fortunam.

6. Sexta *irreprehensibilitas*, quæ ad mores pertinet, totámque conuersationem. Has tres virtutes conglobatione connectit, ac munit duplici testimonio. Thessalonicẽsium & Dei: crescit enim affectus dicentis, & cum affectu oratio. In tertia virtute ad illorum cognitionem prouocauerat, *vos scitis me laborasse manibus*, sed in his tribus etiam ad Dei tribunal prouocat qui falli non potest. Est etiam hoc obseruandum, certos esse testes ad quos prouocat, *credentes* scil. nam his solis nota esse poterat diligentia & innoncentia Apostoli, reliqui enim persequebantur vt impostorem, & erronem, sed sine iustis causis hoc faciebant. Itaque innocentiam tuetur apud fideles cùm alibi se tueri non possint. Testes virtutũ Pauli.

7. Septima virtus est paterna cura pro omnibus: continet hæc superiores omnes in se, munit hanc quoq; initio ipsorum conscientia, vt nihil sine ratione scribere videatur. Deinde curam illustri patris similitudine proponit: eadem ferè est cum illa nutricis comparatione, nisi quòd hæc illustrior sit: nam patris insuper est prudenter cõsulere liberis, quod fortè in nutrice non adsit. Tertiò, distributione indicat curam ad singulos demissam fuisse, vt non solùm integrum cœtum curarit, quod vix aliqui faciunt, sed insuper singulos priuatim curauit, quod nulli certè hodie curant. Hic demum patris affectus est, vt curet singulas familiæ suæ personas. Denique curæ huius duas refert species, quæ præcipuè in nouis Ecclesiis sunt necessariæ, παράκλησιν καὶ παραμύθειαν, illa opponit firmas rationes imminentibus periculis & persecutionibus: hæc verò certam cõsolationem desperabundis cõscientiis. Quæ duo si probè obire possit minister, magno certè cum fructu docebit. Similia vide Act. 20 & 2. Cor. 11. 7. Cura paterna.

12. *Et obtestantes, &c.*

Hactenus virtutes septem opposuit septem illis vitiis quæ ministerium imprimis infestant. Iam finem annectit totius suæ doctrinæ, vitæ scil. emendationem: quæ pars altera est Euangelij. Prima complectitur credenda: altera facienda. De faciendis hîc breuiter perstringit suam doctrinam: non enim nudam docuit fidem sed operosam. Sensus igitur est, Docui vos etiam necessarium esse vt vita & moribus ornaretis hanc Christi professionem. Hinc petatur communis proprositio, Piis omnino danda est opera vt professionem suam vita & moribus ornent. Similem habes sententiam Phillippen. 1. versu. 27. Idem igitur est dignè Deo, & dignè Euangelio viuere. Finis doctrinæ Pauli, emẽdatio vitæ.

Dignitas autem hîc accipiatur de conatibus possibilibus rectè & piè viuendi, qui sese diffundunt in varia officia vitæ, quæ qui exercent, dignè Deo dicuntur ambulare, quia sic viuere iussit qui dignus est cui obtemperetur. Alia dignitas est posita in summo gradu, quẽ in hac vita nemo attingit: collimant autem ad eum pij omnes, vt liberentur aliquando ad plenum ab omni peccato. Dignus enim Dei conuersatione est solùm is qui ab omni peccato est immunis. Hanc igitur dignitatem in vita æterna plenè obtinebimus, cámque meditamur per illã priorem. Regnũ Dei hîc accipio pro Euangelij communicatione, quæ tendit ad illud beatum Dei regnum cæleste. Gloria, etiam finis est vocationis, quasi dicat, tandem Deo ornamento eritis, si piè vixeritis, &c.

13. *Propterea etiam nos gratias agimus.*

Cap. pars 2. de Thessal. prompti tudine in discẽdo.

Secunda pars capitis de Thessalonicensium promptitudine in suscipienda veritate, simúlque fructu ac periculis coniunctis. Constat locus Propositione & Confirmatione. Propositio est, Gratias agimus Deo indesinenter: repetita sunt hęc ex cap. 1. ver. 2 & 3. Ideóque hic locus conclusio est loci illius de ipsis Thessalonicensibus, & suis propriis laudibus, cohærentque præcedentibus quasi fructus suæ diligentiæ. Ideò illatiuè ponit διὰ τοῦτο, hoc est, quia meæ diligentiæ manifestum video fructum in vobis. Obserua, boni doctoris præcipua est exultatio, si laborum suorum egregios videat fructus in auditoribus.

Confirmatio 4. rationib. constans.

1\. 1. Confirmatio est quadruplici ratione confirmata: prima est à promptitudine illorum sumpta. *Suscepistis sermonem auditum à nobis*, hoc est, promptè & faciliter suscepistis. In facilitate laus est, si bona facilè suscipiamus, & vituperium est si ad mala faciles præbeamus aures. λόγος ἀκοῆς est veritatis doctrina, quam opera Pauli didicerunt.

2\. Altera ratio est à iudicio auditorum erga veritatem: habuerunt *loco verbi Dei* quod à Paulo audiuerunt. Honestum est, res laude dignas magni facere. Argumentum est S. Sancti dirigentis illorum corda ad bonos motus.

Hoc testimonium confirmat sua sententia, quasi dicat, Verum fuit iudicium vestrum de doctrina mea: non enim mea, sed Dei fuit doctrina.

3\. Tertia, à præsenti effectu, *qui* scil. sermo, *in vobis efficax est*, hoc est, per dona Spiritus sancti, quæ ad prædicationem Apostoli solebat Deus effundere in auditores pios. Aut accipiatur de præsenti constantia, quòd colligat veram fidem esse in illis ex constantia in persecutione præsenti.

4\. Ab exẽplo aliarum Eccles.

Quarta est v. 14. *vos imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt*, &c. h. e. simili fortuna cum illis vtimini, & simili hactenus constantia. Exemplum Ecclesiarum consolationem habet: suaue enim est cum piis & multis pati ob veritatem. Quomodo autem Ecclesiæ in Iudæa talia passæ sint vide Act. 4. ver. 3. & cap. 5. ver. 16. cap. 8. ver. 3. & aliis locis innumeris. De Thessalonicensibus autem Act. 17. qui à propriis conciuibus has molestias pertulerunt. Consolatio similis est Mat. 5. v. 12.

15\. *Qui & Dominum Iesum occiderunt, &c.*

Impiorũ conatus in persequenda veritate.

Pars tertia est capitis huius, de aduersariorum conatu & pertinacia, in persequenda veritate. De hac Iudæorum pertinacia, vide Act. 7. in oratione Stephani, versu 51. Exodi 32. Ezech. 2. & alibi multis in locis apud Prophetas, qui de hac Iudaicæ Gentis pertinacia conquesti sunt, imprimis Dan. 9. Matth. 24. In hoc loco autem Apostoli collige notas pertinaciæ peccantis in Spiritum sanctum ad sui ipsius interitum.

Primùm, *occiderunt Dominum Iesum*, quod palàm fit ex historia passionis, in qua dolo Iudæorum proditor factus est Iudas, & captum Christum publica acclamatione populi condemnarunt.

Deinde eadem rabie deleuerunt Prophetas proprios, Ieremiam lapidarunt, Esaiam serra dissecuerunt, alios decollarunt, alios aliis suppliciorum generibus è medio sustulerũt, quosdam extorres fecerunt, de quo conqueritur Daniel cap. 9. in oratione ad Dominum.

Tertiò, furor iste etiam grassatur in nos Apostolos Christi, de quo vide historiam Act. Iacobum, Ioannem gladio deleuerunt, Paulum & Petrum Romanorum suppliciis exposuerunt.

Quartò, *Deo non placent*: consolatio est cum pati mala quem scias Domino displicere. Dura est oratio in Iudæos, quòd Deo displiceant, qui hactenus dilectus Dei populus dicti sunt, peculium, & sors hæreditatis eius. Deinceps audiant, Deo non placent, oportet ergo reprobum esse populum iustum.

Iudæorũ pertinacia.

Quintò, *omnibus hominibus contrarij sunt*: indicium est pertinaciæ ab omnibus semper & in omnibus dissentire. Id imprimis de Iudæis est verissimum, non enim solùm dissenserunt ab aliis nationibus in causa religionis: sed etiam à veris Scripturæ S. interpretibus Christi tempore variarunt, cùm publicum corruptum Scripturæ sensum tuerentur ex maiorum traditionibus. In rebus verò politicis adeò dissenserunt à Romanis, vt seditionibus crebris eos in se irritarint, tandémque illo nomine euersi sint.

6\. inuidia.

6\. Sextò, Inuidi sunt, adeò vt nolint ferre Ethnicis communicari salutem. Id Dominus Christus illis quoque obiecit, quòd scilicet clauem scientię abstulerint, ipsi ingressi non sint, & cupientes ingredi non permiserint. Id hîc etiam obiicit eis Apostolus, quòd salutaria nolint communicari Gentibus: inuidia est pertinax alieno bono dolere & cruciari. Porrò id Iudæis ita domesticum fuit, vt pij etiam primitus negarent salutem impertiendam esse Ethnicis, adeò vt Petrus quoque demum à Spiritu S. edoctus, fateatur apud Deum non esse respectum personarum. Act. 10. ver. 34. Domestica hæc fuit & antiqua populi illius persuasio, se solos Deo placere, & charos esse.

7\. Septimò, à fine scelerum ipsorum, *vt compleant semper peccata sua*. hoc est, vt mensuram attingant,

tingant, ad quam peruenientes sint inexcusabiles: qualia sunt rebellio gratiæ diuinæ, defensio manifestorum scelerum, repudiare oblatam veritatem, &c. Finis scelerum.

8. Octauò, *peruenit ad eos ira ad finem*, h.e. ad extremum inexcusabiles sunt, iusto Dei iudicio premuntur, ira Dei, & pœnis miserandis: significat ipsorum culpa incidisse in has miserias, non Dei aliquo decreto, quod declarat verbum ἔφθασε, peruenit in eos, sc. propria culpa: ira finalis est pœnarum cumulus, qui solet impœnitentes tandem opprimere, in suis sceleribus.

17. *Nos autem fratres orbati, &c.*

Quarta pars capitis de suo ad eos reditu: declarat autem singulari se teneri desiderio ipsos videndi. At faciunt illa ad fugæ suæ mitigationem, quasi dicat, non aliquo timore cessisse, sed consilio Spiritus sancti, qui in talibus consultor fuit Apostolorum.

1. Ad mitigationem igitur fugæ pertinent. Primùm quòd se *orbatum* dicit per hanc illorum suauissimo cœtu, quasi dicat, qualis est parentum à liberis dulcissimis discessus, talis mihi dolor obortus fuit, quum mihi esset discedendum à vobis. 4. Pars cap. & totius etiã Epistolæ de suo reditu.

2. Deinde, in breuitate temporis, quia tantùm *ad horæ tempus*, hoc est, breui momento: ergo facilior debet videri mea absentia.

3. Tertiò, corpore solùm absens sum, quum spiritu sim præsens, sic contra vestra præsentia sum orbatus solùm, quod conspectum attinet, in corde interim mihi omnes præsentes estis.

4. Quartò, hoc fugæ etiam debeo, quia iam multò ardentiùs vos depereo quàm priùs, est enim hæc in genere cæcitas homini impressa, vt præsentia bona non semper digno loco habeamus, absentia demum dignè æstimemus. Idem fit in amore, vt res amatæ suauiores sint absentes, suique desiderium magis inflamment.

18. *Ideo voluimus, &c.*

Redditio est causæ, cur ad illos gestiat redire. Ac de Timotheo iam verum fuerat, quia mox durante adhuc seditione ad ipsos redierat. Ideo de seipso specialiter excipit, semel & iterum conatum fuisse ad eos redire, sed impeditum à Satana generaliùs hîc dicit. Rom. 1. ver. 13. & cap. 15. vers. 22. Impedit Satan tanquam hostis veritatis, qui bonorum virorum congressus ferre non potest. Deus etiam interdum impedire dicitur, quia non sit illi adhuc opportunum.

19. *Nam quæ est nostra spes, &c.*

Suum promisit reditum additis rationibus satis iustis, nunc easdem patheticè repetit, ad commendationem & laudem illius Ecclesiæ. Similia habes encomia Philippen. 4. vers. 1. & 2. Cor. 1. versu 14. *Spes mea estis*, hoc est, de quibus optimè sperem de futura constantia, alia ratione Deus dicitur spes nostra. Deinde, *gaudium meum*, propter fructum diligentiæ suæ. *Corona* autem propter præmia vitæ æternæ, in qua Apostolus tot trophæa habiturus erat, quot Ecclesias inter Gentes erexit, si res hominum more istic peragerentur. Ideo addit *in Domini Christi aduentu* mea estis gloria & corona futuri. Cur redire velit Paulus ad Thes.

20. *Vos enim, &c.*

Repetitio per asseuerationem, ne quid temerè illi excidisse videatur, & habet asseueratio argumentum certæ in ipsos beneuolentiæ, ideóque certam spem sui ad ipsos reditus, &c.

CAPVT III.



QVARTAM epistolæ partem exorsus est suprà cap. 2. v. 17. absoluit eius locum primum de suo ad eos reditu. Nunc hoc tertio cap. reliquos persequitur locos, numero scil. tres. Secundus ordine est, quem initio capitis explicat, de misso ad eos Timotheo. Mox tertium addit de eiusdem reditu. quæ pertinent ad occasionem scriptæ epistolæ. Quartus est idem cum primo: nam caput hoc concludit suo ad ipsos reditu, quem non solùm promittit, sed ardẽtibus votis à Domino optat vt hoc ipsum feliciter aliquando complere possit. Cap. 3. argu. & partes.

Referuntur hæc omnia ad Propositionem generalem, vt sint constantes in suscepta fide, quam sententiam hîc non obscurè repetit. Propositio.

Vers. 1. *Quare non ampliùs ferentes, visum est nobis, &c.*

Rationem redditurus missi ad eos Timothei, orditur à causis impellentibus, quasi dicat, ad hoc consilium tandem descendi, causa iusta quæ me impulit, scilicet desiderij vestri magnitudo, quæ animum meum tandem euicit. Ad amplificationem pertinent duo: primum quod ait se non ampliùs ferre potuisse: tulit ergo aliquandiu desiderium hoc, quasi incendium cordis, quod tandẽ erupit in nouum cõsilium. Est autem στέγειν sufferre molem incumbentem, vt in ædificiis columnæ & trabes totam molem sustinent: sic animus hominis fert motus varios, quos dum auertere non potest, succumbere dicitur ac frãgi quadam mo- Causa impellẽs ad Timo. mittendum.

le. 2. Deinde emphaticum est quòd solus relinqui Athenis voluit, loco scil. satis periculoso, & vbi docuerat, sed non vtiliter. Amoris & desiderij est vtrumque argumentum, quum illos prætulit tam fidi comitis præsentia.

2. *Et misimus Timotheum, &c.*

Subiungit nunc factum ipsum noui sui consilij, missionem scil. Timothei. Obserua personæ commendationem: *fratrem* vocat propter fidei professionem parem: *diaconum Dei* propter ordinariam vocationem ad docendum Euangelium: denique *adiutorem*, vt illum sibi adæquaret similitudine officij. Omnia autem eò faciunt, vt illi maior fides haberetur apud Thessalonicenses.

Ad hoc vt confirmaret, &c.

Finales causæ missionis. Tertio loco addit causas finales missionis: finis principalis est confirmatio in professione suscepta. Est autem στηρίξειν, ruitura suffulcire, lapsum erigere, quo illi opus habebāt in periculosa persecutione. Hoc mox explicatiùs dicit, *Consolari vos de fide vestra*, quod accipio ὑπὲρ τ̃ πίστεως, hoc est, in causa fidei vos confirmat. Obserua primariam doctoris curam esse oportere, vt auditores in vera fide confirmentur, quo nomine ad eos misit Timotheum, vide Philipp. 2. ver. 19. similia.

3. *Vt nemo moueatur, &c.*

Propter crucem à veritate non deficiendum. Pergit finalem causam expolire: dixit finem esse vt in fide confirmentur, idem per contrarium dicit, *ne quis moueatur*, hoc est, deficiat crucis asperitate motus. Σαίνεσθαι moueri est, vt canes mouentur adulando suis heris, quem affectum imprimis motione caudæ exprimunt, vt hic sit sensus, Non oportet se impiis coniungere simulando & dissimulando, non oportet in gratiam malorum mutare vultum. Et tanquam præsens causam defectionis digito indicat, *in his afflictionibus*, quasi dicat, tanti non est facienda asperitas crucis, vt ob eam vel digitum moueas, ne dicam vt iugum palam cum impiis trahas.

Vos enim scitis, &c.

Confirmatio propositionis positæ: non est deserenda cognitio veritatis propter crucem. Ratio, quia vos scitis nos in hoc esse positos. Gemina ratio est: prior, quia hoc non inopinatum sit, sed præuisum telum, ideóque minus debet lædere. Altera, ab officio, sumus in hoc positi, hoc est, non sine cruce vocamur: est enim comes indiuiduus, sine quo non vocamur. Piorum officiũ, crucem ferre. Præterea nos non elegimus nec imposuimus nobis hanc fortunam, sed est imposita à superiore Domino, Deo scil. vocante nos, quemadmodum Imperator milites per stationes ponit in excubias, quæ loca singuli coguntur bona fide tueri, imò proditores habentur & desertores si cedant. Eadem fortuna est Christi militum sub cruce, singuli stationem habent diuinitus eis impositam: quod dixit Apostolus verbo κείμεθα.

4. *Quum enim apud vos essemus, &c.*

Confirmatio rationis præcedentis, quòd hoc sciant ita se habere. h. e. diuinitus, sic vocari pios, vt illis simul imponatur, patiantur sub cruce. Quam non minus ferre debent constanter quàm milites suas stationes. Nunc ostendit vnde hoc illi sciant: quia de hoc ego vos monui coram, & vt prædixi, res euenit: ergo rem hanc probè scire potestis. Boni doctoris præmonere de imminentibus periculis, simúlque eo modo quo solent euenire, ne falsus possit haberi vates. Sic Act. 14. prædixit. & Christus ipse Mat. 5. v. 22. Mar. 13. v. 11. & Apostolus quoque 2. Tim. 3. v. 12. Hinc est quòd non dubitat in afflictionibus gloriari. Rom. 5.

Conclusio. 5. *Quare & ego non amplius, &c.* Conclusio loci propositi, infert vt cœperat loqui vers. 1. & causam finalem illustrat sese applicando, *Vt ego cognoscam fidem vestram.* h. e. constantiam in fide. Deinde, vt sciam Satanam frustra vos tentasse: nam seditionem commotam præsens viderat, quæ non nisi Satanæ opera erat excitata, sed quinam defecissent scire nondum plenè poterat, ideò missus est Timotheus. 3. Ne frustraneus sit suus labor, cui metuit: dolendum enim est bonos viros frustra insudare.

3. Locus de reditu Timothei. 6. *Nuper autem quum rediisset, &c.* Tertius locus, in quo de reditu Timothei agit, quantóq; hinc sit affectus gaudio. Pertinēt hæc ad occasionē scriptę epistolæ. Porrò tria in eis cōmendauit Timotheus reuersus, quæ singula ad laudē ipsorũ pertinent: ideóque vim habēt argumēti ad cōstantiam. Virtus enim laudata crescit in bonis ingeniis. 1. Illorum *fidem prædicauit*, h. e. constantiam in professione. 2. *Dilectionem mutuam*, quæ fidei est fructus. 3. *Sui*. h. e. Pauli *desiderium*, quo cōmendatur honestũ de bono doctore iudicium. Nō calumniantur eum ob fugam, sed piè de ipso sentiunt, quãuis pedem extra ipsorũ pericula tulerit: cōpensat autem hoc desiderium mutuo affectu, debet enim in amore esse ἀντιφίλησις, id est, mutuus amor.

7. *Propterea consolationem accepimus, &c.*

Effecta persequitur narrationis Timothei, q. d. mirificè refecti & recreati sumus de vobis cōmemoratione illius. Θλίψις hîc est animi solicitudo pro Ecclesiarum constãtia. Ἀνάγκη autem cura externa, vt quòd laboraret interim propriis manibus, scriberet ad diuersos, mitterct

ret nuncios ipse quò non poterat accedere.

8. *Quia nunc viuimus, &c.*

Aliud argumétum ad constantiam. q.d. vobis perdurantibus videor mihi viuere, alioquin mihi dura & acerba est vita: éstque in vobis positum mihi quasi vitam dare & adimere. Argum. ad constãtiam.

9. *Quam enim gratiarum actionem?*

Erumpit in affectus pleniores, quibus testatur ineffabile gaudium quo afficitur ex illorum constantia in fide, quasi dicat, verba me deficiunt, quibus affectum meam declarem.

10. *Nocte & die, &c.*

Quartus locus huius partis, quo iterum de suo aduentu agit: Propositio est, Seriò & indesinenter quæro redeundi ad vos iustam occasionem: idem dixit cap. 2. ver. 19.

Addita est causa, *vt compleam ea quæ desunt fidei vestræ*, ὑστερήματα intelligo pleniorem doctrinæ formam, & explicationem multorum, quæ in tanta breuitate non poterat commodè perficere, vt de aduentu Domini, de nouissimo iudicio, similibúsque locis.

11. *Ipse verò Deus, &c.*

Propositionem comprecatione munit: significans in Domini manu positum esse eum ad ipsos feliciter reducere. Comprecationes.

12. *Vos autem Dominus abundare faciat, &c.*

Altera est comprecatio ad auditorum personam accommodata, vt fit in Epilogis: comprecatur autem illis auctiorem dilectionem in omnes sanctos, quia hac imprimis ornatur & declaratur fides.

13. *Vt corda vestra, &c.*

Secundo loco illis comprecatur sinceritatem cordis, hoc est, fidem integram, eámq; diuturnam & solidam, quæ sufferre possit aduentum Domini sine rubore.

Addit, *cum omnibus sanctis suis*, quod accipio hoc sensu, quòd in illo splendido aduentu accepturi sint fidei suæ digna præmia cum aliis sanctis: subest enim metus contrarij, quasi dicat, nisi constantes manseritis in professione, sanctorum præmia non accipietis, non eritis felicissimi illius cœtus membra. De aduétu vltimo Christi.

Alij ad Angelos sanctos referunt, vt sit sensus venturum Dominum cum sanctis suis Angelis, qui spectatores futuri sint iustorum & iniustorum, præmiorum & pœnarum. Horum conspectum vereri oportet, ne rubore confundamini in tanta maiestate Angelorum, & imprimis ipsius Domini Christi: ergo constantes esse oportet. Similem comprecationem vide infrà cap. 5. ver. 23, & 1. Cor. 1. ver. 8. quem locum vide, &c.

CAPVT III.



QVINTA pars huius capitis, in qua corrigit breuiter mores illorum: pertinet locus ad officium renati hominis, quod in aliis epistolis, ita etiam hîc sedulò vrget: Cap. 4. argum.

Propositio est, Thessalonicenses ad præscriptum Apostoli officiis renati hominis in dies magis magísque debent proficere. Propositio.

Partes sic cohærent, initio generalis est exhortatio ad pios mores additis rationibus. Deinde specialis est locus contra scortationem. Tertiò, locus contra imposturas contractuum. Quartò, agit de beneficentia in pauperes. Quintò, contrà curiositatem. Sextò, contra otium iners. Septimò contra offendicula. Octauò, contra immoderatum luctum pro mortuis, in qua digreditur in prolixiorem declarationem aduentus Domini, ac resurrectionis mortuorum, &c. Hæc in toto capite explicantur. Partes.

Vers. 1. *Quod reliquum est, &c.*

Exorditur locum hunc à μεταβάσει, quod schema commodum est diuersis membris connectendis: vocat autem τὸ λοιπόν, quia pars de innocētia vitæ tuenda, alterum est membrum totius Christianismi. Primum est cognoscere Christum: alterum est, secundum id quod cognouimus facere. q.d. Theoria & praxis absoluunt hominem renatum. Itaque rectè dicitur τὸ λοιπόν, quia iam præcessit cognitio. Et reuera Christiano orbi nihil aliud deest quàm vnicū τὸ λοιπόν. Veritas pingitur, scribitur, decātatur publicè & priuatim in cœtib. in conuiuiis, in plateis à mendicis, adeò vt pueris cognita sit: sed illud τὸ λοιπόν de vitæ innocentia tuenda adhuc desideratur apud præcipuam mundi partem. Ideo opus habet crebra inculcatione. Trãsitio ad secundam partem renouationis vitæ.

Deinde additur obsecratio quæ ad argumenta pertinet: ac vt argumentorum vis conspici possit, statuatur Propositio, hanc Apostolus conseruauit ad finem periodi: eam huc igitur transfer. Posita est in illis verbis, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, nam & argumentorum superiorum finis est. Sententia igitur erit, Vobis danda est opera vt in bonis moribus renati hominis in dies crescatis. In dies crescere magis magísque, dixit Apostolus περισσεύειν

μᾶλλον, abundare, hoc eſt, aliis excellere qui renati non ſunt, vt videant horum bona opera notoria. Deinde vt ſibi ipſis in dies conentur fieri auctiores. Itaque contentio perpetua debet eſſe in piis, cùm ſeipſos ſuperandi, tum alios, qui nondum ſunt renati: quæ victoria longè eſt ſpecioſiſſima.

Iam ad hanc Propoſitionem accommoda reliquas ſententias, nam habent vim argumenti. 1. Prima igitur ſit ratio, quia dicit, *Oramus & precamur vos vt hoc faciatis.* Vis argumenti eſt ab obteſtatione bonorum virorum, quos ipſi tanquam ſuos præceptores colebant. Erant autem Paulus, Silas & Timotheus epiſtolæ huius autores, quaſi dicat, ſi nos amatis, ſi quid momenti habet noſtra apud vos autoritas, id præſtabitis. Et obſerua Apoſtoli manſuetudinem, orat & rogat in re, quam mandare ſuo iure & præcipere poterat, quemadmodum egit cum Corinthiis, & Galatis, ſed inſeruit perſonis: ſcribit enim ad promptos, eos igitur excitat rogando potius: liberalis enim animi eſt duci velle potius quàm trahi. Rationes interdum violentæ ſunt, obſecratio aliquid relinquit auditoris iudicio.

Argum. ab obſecratione.

2. Deinde hoc etiam ad argumentum pertinet, quod addit, *in Domino Ieſu,* nam pondus eſt ab autore huius doctrinæ, qui eſt Dominus Chriſtus. In Domino Chriſto igitur hoc petimus, hoc eſt, vt ipſe hoc præcepit, ſic à vobis idem requirimus: ſignificat autem doctrinam hanc conſentire cum Chriſti mandato.

3. Tertiò, quia nihil noui afferimus, ſed illud ſolùm, cuius formulam iam à nobis accepiſtis: eſt igitur pars doctrinæ iam ab eis approbatæ, & pro qua multa pertulerant pericula. Igitur in hac magis eſt proficiendum. Conſidera autem hîc quid apud eos egerit Apoſtolus, non ſolùm Chriſtum docuit, ſed explicuit eis ſtudioſè quoque renati hominis officia. De quibus hîc obiter ſaltem eos admonet, & reuocat in memoriam doctrinam horum locorum tanquam adhuc recentem: ſed eos ſingulariter conſtringit ad illa officia, quia in hanc doctrinam iam conſenſerant, quod eſt, *accepiſtis à nobis,* hoc eſt, approbaſtis eam doctrinæ partem, vt piam & honeſtam, & conſenſiſtis in hoc vitæ genus: ergo par eſt, vt in eo creſcatis. Ac de tota Ethica Chriſtiana loqui manifeſtè indicat quod addit, *quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo.* Hoc enim de vitæ moribus dicitur, ac verbum ambulandi oſtendit vitam renati hominis totam in praxi poſitam eſſe, vt oporteat pietatem relucere in omnibus noſtris membris, in dictis & factis. Talia habuimus ſuprà iam aliquoties, vt ad Rom. 6. In nouitate vitæ ambulare. Gal. 5. In ſpiritu ambulare. Eph. 4 Vt decet filios lucis, vt decet Euangelium, &c. Quæ omnia requirunt ſingularem quandam praxin in Chriſtianiſmo. Alterum quod addit ex ſuperiori fluit. *Deo placere,* hoc eſt, hinc cognoſcimur quòd Deus in nobis habitet, quòd Deo placeat hæc profeſſio, &c.

Vita renati hominis.

2. *Nouiſtis enim, &c.*

Ἔκθεσις eſt tertij argumenti, quod illuſtrat à recenti memoria, quaſi dicat, non poteſtis ignorare hanc doctrinam à vobis receptam eſſe quum ſit admodum recens. Ac vocat mandata, quia doctrinam de moribus illuſtrauit applicatione ſpeciali ad ſingulas perſonas, ætates, ac hominum conditiones, vt alibi paſſim fecit, hoc eſt, diſſeruit nō ſolùm in genere quæ ſint officia renati hominis, ſed applicuit ad hominum ordines, hoc eſt, quid deceat parentes, quid liberos, quid maritos, quid vxores, quid dominos, quid ſeruos, quid magiſtratum, quid ſubditos: quid domeſticis, quid peregrinis debeamus. Has intelligo παραγγελίας.

3. *Nam hæc eſt voluntas Dei, &c.*

Alter hîc ſequitur locus, contra ſcortationem, qui differt à ſuperiori, quia ille generalis fuit, hic iam ſpecialis eſt. Statuatur igitur hîc ſpecialis Propoſitio.

Scortatio fugienda & quare.

Renati omnibus modis cauere debent omnem ſcortationis ſpeciem. Πορνεία aliàs explicata eſt. Hîc accipiamus pro omni illicito congreſſu venereo, ſiue coniugati ſint, ſiue liberi.

1. Ratio. Rationes ſunt. *Quia hæc eſt Dei voluntas,* hoc eſt, Deus ita præcepit, vt caſta & impolluta conſeruemus noſtra corpora, vt in Decalogo, Non mœchaberis. Argumenti vis eſt, quia Dei voluntas regula eſt noſtræ vitæ: ideo par eſt vt ad hanc quaſi iuſtiſſimam normam applicemus vitam ac mores noſtros. Sic loquitur Petrus 1. epiſt. cap. 2. ver. 15. hæc Dei voluntas eſt, vt bene agendo obturetis impiorum ora: ſic Deus à nobis requirit caſtitatem corporis.

2. Deinde in hac virtute poſita eſt *ſanctificatio veſtra.* Ἁγιασμὸς ὑμῶν, quaſi dicat, vultis eſſe ſancti, curate vt ſitis caſti: nam corpora noſtra templa Spiritus ſancti dicuntur eſſe, ideóque ſanctificantur ad illius honorem, quod tantùm fit per caſtitatem.

4. *Vt ſciat quiſque veſtrum, &c.*

3. A fine. Tertia ratio ſequitur à fine huius doctrinæ: *vt ſciat quiſque veſtrum vas ſuum in ſanctificatione & honore poſſidere.* Senſus argumenti eſt, Corpora veſtra ignominioſè tractátur & turpiter per ſcortationem: ergo vt honor debitus corpori ſit, cauenda eſt ſcortatio.

Vas quid hoc loco. Σκεῦος aliqui hîc pro vxore acceperunt, quemadmodum ponitur 1. Petri 3. vbi mulier debilius vas dicitur, cui honor ſit à marito habendus. Si ita accipias hic erit ſenſus: Cauenda

est scortatio, ne lædas vxorem tuam legitimam: nam ad hanc libidinosi mariti sæpe deferunt morbos, vlcera, scabiem Gallicam, aliáque mala vix dicenda. Et sanè graue fit hoc argumentum, si tibi nolis parcere, saltem pracas honestissimæ tuæ coniugi. Sed alter sensus melior est, vt vas accipias pro tuo corpore proprio, vt accipitur 2. Cor. 4. Habemus thesaurum in vasculis testaceis. sic 2. Tim. 2. In domo Dei dicit esse vasa honoris & alia ignominię: & Rom. 9. vasa iræ, hoc est, homines quibus Deus tanquam organis vtitur. Itaque vas sit organum hominis, hoc est, animi instrumentum, quale reuera est corpus, quo animus vt organo vtitur. Sensus igitur est, Corpora propria afficiuntur ignominia per scortationem: ergo studiosè est vitanda. Quòd afficiantur ignominia hinc probari potest. Primùm, quia abusus est corporis contra Dei conditoris legem: abusus autem ad ignominiam cedit, vt si aureum poculum loco matulæ habeas, vtique auri hic abusus cedit ad illius ignominiam. Sic quælibet vasa suum habent ordinarium vsum, in quo honestissimè conseruantur. Huc facit quòd corpus vas dicitur: debet igitur vt vasa ad certum vsum conseruari. Deinde ad ignominiam facit, quia læditur valetudo, læditur illius optima & saluberrima constitutio, contrahuntur mille morbi, scabies, macies, vlcera, paralysis, lepra, quæ turpe reddunt & abominabile corpus: cauenda igitur. Obserua etiam in hac phrasi singularem requiri diligentiam *possidere vas*: nam vasa quædam sunt fragilia quæ singulari cura custodiuntur, & quantò magis sunt fragilia, tantò subtiliùs illa tractamus: sic vitreum magis quàm aureum poculum: ita corpus quum fragile sit, & facilè polluatur, studiosiùs conseruandum est. Polluitur enim etiam cogitatione & appetitu illegitimo, vt dixit D. Christus.

5. *Non in affectu concupiscentiæ, &c.*

Quarta ratio à propria affectione huius mali: Vitanda est diligenter scortatio, quia habet in se quoddam πάθος ἐπιθυμίας. Dicitur autem πάθος ἐπιθυμίας, morbus ipse & pruritus venereus: vnde pathici dicuntur ipsi venerei, huic malo aut morbo potius subiecti. Hæret autem à superioribus, corpora nostra honestè sunt possidenda, non in tali morbo cupiditatis, ergo vitanda est scortatio, vt huius mali fons. 4. Ab affectione mali.

Quinta ratio eodem versu additur, ab exemplo negatiuè, *gentes sic viuunt*: ergo vos non ita: sic Christus ad Apostolos, Gentes dominantur, ergo vos non sic. Vis argumenti est à diuersa professione. Gentes versantur in Dei ignorantia, inde non mirum est si corpora sua polluant. Rom. 1. Sed vos Deum agnouistis, Christum didicistis, voluntatem eius nouistis: ergo aliter oportet viuere. 5. ab exemplo.

6. *Ne quis opprimat, &c.*

Tertia pars capitis est contra fraudes. Propositio specialis sit, Pij omnem in omni contractu vitare debent fraudem. Hoc dixit Apostlus, *μὴ ὑπερβαίνειν*, & *μὴ πλεονεκτεῖν*. Prius verbum transgredi modum significat, posterius plus velle quàm æquitas permittat habere. Igitur vtrunque significat à iusta proportione, & æquitatis regula discedere: non enim negat Scriptura emptionem & venditionem, vt nec alios contractus, sed cupit nos intra metas æquitatis continere, quas tollit fraus. Collige igitur argumenta πρὸς θέσιν. 3. Pars cap. de vitandis fraudib.

Primò, fraus ęqui & iusti regulam tollit, est enim posita in ὑπερβάσει, & accipit plus quàm deceat, tollit illud principium, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: ergo vitanda est. Argumēta ad thesin probandam.

Deinde, frater est cum quo agis, ergo illum non debes violare: nam ne leges ciuiles concedunt fratrem fallere. Moses vsuram concesserat Iudæis contra Ethnicos, sed cum Iudæo nulli Iudæo permittebat. Christus sustulit omnem fraudem quum omnes promiscuè fratres iubeat agnoscere: ergo vitanda est.

Tertiò, Deus vindex est oppressorum, & viduarum, orphanorum, omniúmq; qui fraudes patiuntur: ergo cauenda est fraus, ne incidas in Dei pœnas: vel potest esse sensus, Deus punit per Magistratum ordinarium tales imposturas. Rom. 13. vindex Dei est, &c.

7. *Non enim vocauit nos, &c.*

Quartò à fine vocationis nostræ, quasi dicat, si à venere vocati essemus, petulans vita & impostoria nos ornare posset: at à Deo, ad Filij sui cognitionem vocati sumus: ergo alia nos decet vita. Ἀκαθαρσίαν, accipio hîc pro quauis immundicie ac pollutione, qualis est auaritia, & fraus: statuóque hoc argumentum quartum generale ad suas superiores propositiones, nam valet contra scortationem, & simul contra fraudes. 4. Finis vocationis nostræ.

8. *Itaque qui contemnit, non hominem, &c.*

Quinta ratio ab authore huius doctrinæ, qui est Deus & non homo: ergo contemnere hanc non licet. Illustris est ratio, qua suæ doctrinæ authoritatem conciliat, & contemptores horrore absterret diuini iudicij. Huc pertinet Christi sententia Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit: & Ioan. 12. Qui spernit sermonem meum, habet qui illum iudicet, sermo meus illum iudicabit. Sic hic ipse Apostoli sermo damnabit impios contemptores tam salubrium præceptorum. 5. Deus author doctrinę Apost.

9. *Porrò de fraterna dilectione &c.*

4. Pars cap. de eleemosyna in pauperes. Quarta pars capitis, de beneficentia & eleemosyna in pauperes. Vocatur φιλαδελφία fraternus amor, quia in dando eleemosynam imprimis declaratur: sic Rom.12.loquitur φιλαδελφία εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, & 2.Pet.1.in fraterno amore declarate τὴν ἀγάπην: & Heb.13. Philadelphia maneat, vbi de beneficentia loquitur, vt hoc loco etiam. Porro locum hunc præteritione tractat, significans illos hac virtute pollere vt admonitione non indigeant.

Θεοδίδακτοι, diuinitus edocti, qui per Apostolum hanc doctrinam acceperant cum Spiritus S.efficacia, vt idem ferè sit θεόπνευστοι, vt de Scriptura loquitur 2. Tim. 3. quia Thessalonicenses singulari motu Spiritus S.ad hanc virtutem rapti erant. Alioquin θεοδίδακτοι dicuntur, qui insolito modo à Deo immediatè erudiuntur in re quapiam, vt Moses in ferendis legibus Israëli, Prophetæ in describendo Christi regno. Sic theodidactus fuit Antonius Eremita, qui memoriter nouerat Scripturam, August.lib.1.de doctrina Christiana: & alius quidam seruus barbarus, literarum ignarus, qui triduanis precibus impetrauit facultatem legendi, vt oblatum codicem legeret omnibus stupentibus. Apud Esa.54.scribitur & erant omnes docti à Deo, quæ nota est regni Christi, in quo nullæ traditiones humanæ dominabuntur.

10. *Nam facitis hoc, &c.*

Beneficentia Thessal. Probat quòd bene currant in hac virtute, idque à manifesto exemplo. Illustratur autem duabus clausulis vniuersalibus, *In omnes fratres, & in tota Macedonia:* ergo illustrem fuisse oportet hanc magnificentiam, quæ tot sufficeret.

Addit tandem propositionem, vt in hac virtute in dies magis magísque crescant: virtus enim quælibet habet quandam ideam perfectam, ad quam in imitatione oportet respicere.

11. *Et contendite, vt quieti sitis, &c.*

5. Locus de studio pacis. Quintus locus de studio pacis. Ἡσυχία tranquillitas est, interdum opponitur seditionibus & turbis publicis: interdum curiositati: Vterque sensus huc non malè quadrat. Primùm enim videntur Thessalonicenses natura faciliores fuisse ad turbas & ad seditiones: quod vel constat ex ea turba quam excitarunt ad doctrinam Apost. Act. 12. Deinde priuatim singuli curiosiores erant, vt fit in magnis vrbibus, & in otio viuentibus. Sic Apostolus 1.Tim.2.mulieri præcipit, vt in quiete discat in omni submissione. Sic hoc loco iubet τὰ ἴδια πράσσειν, *daß ir schaffen.*

Et laborate vestris manibus, &c.

6. De vitando otio. Sextus locus de labore manuum: curiositatis comes est otium, ideo otiosi solent esse curiosi, & vicissim curiosi otium quærunt. Hortatur igitur ad honestum laborem, quo se alant, & deponant illam curiositatem. Sic infrà 2. Thess.3.vers.12. inquit, Qui non laborat, non edat etiam 1.Cor.4. de se, propriis manibus laborantes: & suprà 2.suum exemplum honesti laboris proposuit, quod extat etiam Act.18.

12. *Et ambulate decenter, &c.*

7. De vitæ honestate. Scandalum duplex. Septimus locus de vitæ honestate, quo cauentur imprimis scandala: tale præceptum habuimus Col. 4. In sapientia ambulare cum his qui extra sunt. Ex quo efficitur duplex esse scandalum, vnum quod datur domesticis fidei contra quod egit Rom. 14. Ne ponamus offendiculum fratri. 1, Cor.8. Ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Alterum præbetur extraneis, hoc est, qui adhuc alieni sunt à Christi religione: tales propriè dicuntur οἱ ἔξω, sumpto vocabulo à Philosophis & communi more loquendi. Contra hoc scandalum ad Col.egit cap.4.& in præsenti loco. Itaque cura vitandi scandali generalis esse debet: si enim nec domesticos nec alienos à fide licet offendere, nullum planè licitum est. 2.Cor. 6. Nulli nulla in re dantes scandalum. Hoc saltem addo esse quoddam scandali genus necessarium pio, ideóque licitum, quando impij bonorum industria, vigilantia, & virtutum studio offenduntur. Qui sanè vellent omnes sibi similes esse. Hoc scandalum pium est, ac necessarium, sed propriè & per se scandalum dici non debebat, quia id propriè scandalum est, quod in cursu ad vitam æternam nos impedit: sic passim Scriptura loquitur de vitando scandalo. Aliud est scandalum acceptum, quod impij bonis dant & infirmioribus, quo sanè carere poterat Ecclesia D. Christi.

Scandalũ quoddã necessarium.

Et nulla re egebitis, vel nulla re sit vobis opus. Id Chrisost. refert ad laborẽ manuum, quasi à fine ductum sit argumentum: laborandum est, quia sic nulla re egebitis, aletis vos honesto labore. Sed malo ad proximum referre, de vitando scandalo. Id cauendum est, & nullo indigebitis, quasi dicat, nulla opus erit increpatione, eritis semper laudabiles aliis, vt honestum exemplum imitationis, multísque curis vacabitis, quibus alioquin implicabimini.

13. *Nolim autem vos ignorare, &c.*

8. Locus Octauus locus de nimio luctu pro mortuis: hoc argumentum tractat iam ad finem vsque capitis. Ostendit autem simul modum ac formam futuræ resurrectionis.

Propo-

Propositio est, Non nimium deflendos esse mortuos sed moderatè ad spei nostræ confirmationem. Propositio.

Partes duæ sunt: prior demonstrat τὸ ὅτι, quòd non nimium sit dolori indulgendum: altera modum declarat resurrectionis. Partes.

Nolim autem vos ignorare, &c.

Transitione nouum hunc locum superioribus connectit. Porrò hîc statuatur propositio, Luctui non est nimium indulgendum: quæ est in verbis μὴ λυπεῖσθαι, *nolite dolere*: scilicet nimium, aut contra spem nostram de resurrectione, excessum enim solùm damnat. Circa luctum, primùm peccatur in defectu, vt qui planè nō lugendos censent, vt Diogenes, & Stoici, & hodie qui ἀπάθειαν nimium admirantur, omnem erga suos affectum humanitatis deponendo. Hæc ἀστοργία hîc damnatur. Deinde hic peccant nimium dolentes, more Ethnico, vt Alexander Hephæstionis mortem adeò impatienter fert, vt totum exercitum radat, & muros Ecbatanæ arcis diruat, vt refert Ælianus libro 7. capite 8. variæ historiæ. Hic mos barbarus, & nimium Gentilis irrepserat etiam apud Iudæos, vt videre est in historia Euangelica. Adhibebant præficas, quæ conductæ lachrymas simulatas fundebant, interdum adhibebantur tibiæ, quibus modulo Phrygio luctus ornabatur, carmen etiam Ialemon dictum canebant, apio coronatæ. Has & similes nugas hic damnat. Medium inter hæc duo extrema concedit passim Scriptura, vt Deut. 34. populus Dei mortem Mosis deflet: & Ioseph funus lugubre instituit Iacobo, Genes. vltimo. Abraham Saram deflet. Gen. 23. Et D. Christus vrbis interitum deplorat: ergo nobis hominis interitum deflere licet. De luctu pro defunctis.

Denique Scriptura passim pœnæ loco refert, non sepeliri, non defleri, sed instar asini abijci: ergo contrarium honestum ac licitum est ornamentum, &c. Ad verba reuertamur.

Propositionem probamus ex contextu Apostoli hoc modo: Primùm, nimiū dolere mortuos argumentum ignorantiæ, ergo cauendum. Huc refero quod dicit, *Nolo vos* ἀγνοεῖν, quo exprimit non simplicem ignorantiam esse, sed talem quæ meritò cauenda sit. Vnde & hoc promanat, piis doctoribus diligenter curandum, vt omnis ignorantia imprimis nocens professioni nostræ, ex populo Christi eradicetur, qualis est dubitatio de carnis resurrectione, de defunctorum salute, &c. Probandæ propositionis arg.

Deinde, damnatur ille nimius luctus, eo quoque quòd de mortuis loquens Scriptura, eos non defunctos, sed κεκοιμημένους vocat, hoc est, dormientes: vt enim paterfamiliâs nō dolet si noctu videat totam suam familiam suauiter dormire: sic nostros mortuos reputemus dormire, qui paulò pòst vegetiores redituri sint ad vitam: de hac phrasi aliâs diximus. Porrò quum dormire dicuntur, ad corpora referri debet, non ad animas sanctorum, & aliâs quoque admonuimus. Mortui dormiũt

Tertiò, ab exemplo dissimili, *vt reliqui*, scil. Ethnici, quasi dicat, Ethnici hunc morem lugendi suos mortuos habent: ergo vos Christiani nolite sic vestros lugere. Hunc morem damnat Dominus in lege quoque Deut. 14. Porrò quis fuerit hic mos lugendi Ethnicorum diximus copiosiùs in locis nostris, quò te remitto, & in 1. Cor. cap. 15.

Quartò, *spem non habentes*. Et hoc loco argumentum accipiatur. Desperabundi hominis est suos nimium deplorare, quasi actum esset de tota hominis salute: ergo cauendum. Et reuera Ethnici ex hoc fonte nimij fuerunt in luctu. Primùm, putabant summum malum in morte hominis positum esse, quasi cum corpore interirent simul animæ. Hæc mali opinio auxit illis luctum: sed nos cōtrà scimus nihil mali positum esse in morte. Deinde putabant sese gratum mortuis facere, si eos grauiter lugerent. Tertiò, quòd putarent Diis immortalibus hanc animi submissionem placere, quod sanè non negarim in moderato luctu Deum approbare animi submissionem, &c.

Quintò ab exemplo Christi, quem non dubitamus à mortuis resurrexisse: eodem modo firmiter credamus nostros defunctos redituros ad vitam etiam corporalem. Nam Christus caput resurrexit: ergo cum illo resurgent membra.

Hinc Christus primogenitus ex mortuis dicitur Col. 1. Dormientes propter Iesum dicuntur omnes pij, imprimis verò, qui ob confessionem mortui sunt, vt quos absumpsit ferrum, quos hausit ignis & aqua, &c. Ad martyres igitur hoc imprimis pertinet.

15. *Hoc enim vobis dicimus, &c.*

Altera pars huius loci de modo resurrectionis, quem addit superioribus quadam digressiuncula ab instituta confirmatione. Narratio autem est rei futuræ. Initio autoritatem conciliat Narrationi, quia ea efferet in verbo Domini, vel vt alij habent, verbis Domini, hoc est, mandato, & quasi ore Domini, quemadmodum Prophetæ solent dicere, Hæc dicit Dominus, &c. Sed potest hic etiam esse sensus, Dico vobis, in verbo Domini, hoc est, reuelatione Domini. Nam vt Apostolo Paulo totum mysterium Euangelij patefactum est per reuelationem Dei: sic imprimis hic articulus de modo resurrectionis, quem nemo De modo resurrectionis vltimæ.

Apostolorum adeò apertè & dilucidè proposuit, vt facit Paulus hoc loco, & 1. Cor. 15. Itaque λόγον accipio pro reuelatione, nec discrepant sensus isti: nam sic per reuelationem habuit hunc modum quem hîc narrabit, vtique verbis Domini hunc illis proponit.

Sententia Narrationis est, In nouissimo iudicio prima cura habebitur defunctorum. Vnde sequitur, ergo non nimium sunt deplorandi: sunt enim multis partibus nobis feliciores, quòd æstuosum istud fretum priores iam traiecerint, & portum apprehenderint, & viciniores sint perfectioni, & priores futuri in resurrectione. Ergo, &c.

16. *Ipse enim Dominus, &c.*

Christi aduentus qualis.

Confirmat quòd mortui nos sint præuenturi. Magnificè autem loquitur de Christi aduentu tanquam maximi cuiusdam Regis ingressu: *veniet*, inquit, *in clamore*. Κέλευσμα, clamor hortantium est, & propriè nauticus clamor, clamantium ad remos, qualis est militaris conuasatio: sic Christus veniet ἐν κελεύσματι h.e. ingenti Angelorum iubilo & acclamatione. Deinde, *in voce Archangeli*, quis ille sit dies ipse declarabit, vox illius erit, Surgite mortui ad iudiciū: tū reddent omnia elemēta suos mortuos, & cōgregabuntur à quatuor mūdi plagis.

In tuba Dei.

Matt. 24. etiam tubarum fit mentio in nouissimo iudicio, quia ministerio Angelorum vtitur Dominus in grauissimis causis, vt in danda lege, vbi vox tubarum fuit exaudita. In nouissimo iudicio ad terrendos impios, & consolandos pios, &c.

17. *Deinde nos, &c.*

Status viuorū in resurrectione.

Alterum membrum Narrationis, quid de viuis euenturum sit. 1. *rapiemur in nubes.* 2. *obuiam Christo in aërem, sempérque cum Domino erimus*: sed hîc repetatur ex 1. Cor. 15. de immutatione corporum. Nam loco mortis eis erit momentanea commutatio, qua ex corruptibili natura in immortalem transibunt humana corpora, habilia & agilia ad Angelicos & sanctissimos motus. 1. Obseruanda est hîc clarificatio nostrorum corporum. Deinde damnari hîc palam millenarios: nam dicit nos semper deinceps cum Domino sic mansuros.

18. *Itaque consolamini, &c.*

Epilogus, vsum doctrinæ positæ ostendit. Λόγους accipio pro argumentis & rationibus, quasi dicat, his rationibus vos consolamini, &c.

CAPVT V.

Argu. ca. 5. & eius partes.



LOCVM de aduentu Domini persequitur, ac disputat contra duo illius vitia, hoc est curiositatem, quæ in excessu peccat, & securitatem, quæ in defectu delinquit. Illud ferè est hominum ingeniosorum, quiq; videri volunt: hoc verò planè impiorum, qui historiam nouissimi iudicij suauiter rident. Hinc ad medium hortatur, hoc est, vt vigilanter & sobriè in omnia momenta illam diem expectemus. His subiungit diuersas admonitiones, vt fieri solet in Epilogis. Partes suo ordine & suis locis videbimus.

Vers. 1. *De temporibus autem & momentis, &c.*

1. Locus cōtra curiosos de iudicij die.

Primus est locus capitis contra curiositatem & securitatem. Initio statuit Propositionem specialem. Non opus esse vt multis contra curiositatem disserat apud eos. Ornat Propositionem præteritione, cuius exemplum capite 4. vers. 9. habuimus. Figura dictionis ad laudem facit Thessalonicensium, quasi dicat, bene instituti estis in hac quæstione, vt nemo facilè curiosus hîc sit: tamen quosdam fuisse probabile est, quos magis laudando quàm taxando corrigere voluit. Formam orationis sumpsit ex verbis Christi, Act. 1. ver. 7. Non est vestrum nosse tempora & momenta. Tempora de duratione accipio, καιροὺς verò de hora aduentus: est enim καιρὸς opportunitas temporis, quæ suppeditat occasionem bene aut secus aliquid efficiendi.

2. *Ipsi enim probè nostis, &c.*

Propositionis ratio est, nouistis ipsi rei veritatem: ergo non est necessum longiori oratione, aut doctrina. Tribuit veritatis cognitionem plenam, vt laudando excitet. Ἀκριβῶς dicitur exactum: sic ad Ephesios 5. Videte vt ἀκριβῶς ambuletis, hoc est, circunspectè & piè. Quid autem sciunt? hoc, *quòd dies Domini veniet vt fur noctu*, vide Matth. 24. vers. 43. Luc 12. & 2. Pet. 3. vers. 10. quibus locis eadem est similitudo: significat autem ista similitudo: venturum ex improuiso, deinde non sine damno mundi: fur enim venit minimè expectatus, & venit cum damno domus, insidiatur enim pretiosissimis: sic Christus veniet mundo minimè id expectante, & magno cum damno impiorum veniet. Tale minatur in Apoc. cap. 3. & 16.

Vltimus Christi aduentus subitus.

3. *Quum enim dixerint, &c.*

Rationis est confirmatio, qua pleniùs subitum aduentum explicat, *clamabunt pax pax &c.*

Sic

Sic Lucæ 17. versu 27. Edent & bibent, &c. hoc est, summa rerum erit securitas. Veniet ergo repentè, sic Luc. 21. ver. 35. vt laqueus. Noua est adhibita similitudo, *vt parturientem opprimit dolor*. Dolor hic expressus est Luc. 23. Dicent montibus, Cadite super nos. ὠδὶν dolor est pregnantis, qua similitudine vtitur etiam Christus Matth. 24. & Marc. 13. πάντα ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων, initia dolorum sunt. Item ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα. Verbum inde est, ὠδίνω, quod ponitur Gal. 4. Filioli mei quos iterum ὠδίνω, parturio cum dolore. Et inde compositum συνωδίνω. Rom. 8. tota creatura συνωδίνει nobiscum, vnà ingemiscunt.

4. *Vos autem fratres, &c.*

Alter sequitur locus, in quo hortatur ad sobriam vigilantiam in expectando illo Domini aduentu. Duo extrema nunc reprehensa sunt, excessus, curiositas, defectus, securitas. Ad medium iam nos prouocat. Propositio igitur hic statuatur loci specialis. Renati imprimis curare debent, vt sobriè & vigilanter aduentum Domini expectent semper. De vigilantia in expectādo Christi aduentu.

Rationes sunt, Prima à professione, non estis filij tenebrarum: ergo vigilate ne dies illa vos opprimat. Nam officij est quod dicit, *vt dies vos tanquam fur opprimat*, hoc est, cauere hoc imprimis debetis, quia *non estis tenebrarum*: pugnantia enim sunt, vos esse renatos, & interim cum impiis opprimi ab illo iudicio. 1. Ratio.

5. *Omnes vos, &c.*

Declaratio est à contrario: non estis in tenebris, *ergo estis filij lucis & filij diei*, hoc est, regenerationis. Ephes. 5. ver. 8. Eratis olim tenebræ, at iam lux in Domino: igitur vt filij lucis ambulate. Rom. 13. ver. 12. Nox præcessit, dies accedit. Abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur armis lucis, vt in die compositè ambulemus.

6. *Itaque ne dormiamus, &c.*

Illatio est, ergóne est stertendum? Λοιποὶ dicuntur impij, qui securè rident omnia, quæ de die Domini dicuntur: & erunt λοιποὶ semper, hoc est, misera turba quæ peccato grauata humi repet, piis in aërem sublatis obuiam Christo.

7. *Qui enim dormiunt, &c.*

Altera ratio à ratione temporis. Dormire & inebriari conuenit nocturno imprimis tempori: at nos noctis non sumus filij, hoc est, præteriit nos illud infelix noctis tempus, quod est ignorantiæ: ergo nobis non conuenit dormire & inebriari. 2. Ratio à tēpore.

8. *Nos autem qui diei sumus, &c.*

Aduersatiua particula discernit pios ab impiis. Vis est argumenti, à diuersitate professionis. Illi dormiunt qui renati non sunt: Ergo nos qui renati sumus, non ita faciamus. De thorace & galea vide ad Eph 6. vers. 14. & 17. 3. Ratio.

9. *Quia non posuit, &c.*

Quarta ratio est à fine vocationis Dei. Vocauit bono fine, hoc est, vt saluemur, non vt in ira cum malis pereamus Ira pœna est, in qua mali peribunt. Acquisitio igitur boni finis noster est. Christus parauit illa bona suis: acquirunt autem ea & in possessionem veniunt serò tandem vigilantia & sobrietate: non enim vult nos esse stipites & lapides: sed præceptorum eius sedulos obseruatores. 4. à fine vocationis.

10. *Qui mortuus est pro nobis, &c.*

Aliud argumentum à merito ac fine mortis Christi. Illustrat autem argumentū illud à vocatione diuina, positū v. 9. Sensus est, ideo pro nobis mortuus est Christus, vt salutaris nobis sit illius aduentus: ergo ad idem nos accommodemus. Fit autem id sobrietate, & vigilanti desiderio aduentus eius. Summa, vita æterna scopus est redemptionis, & mortis Christi. Dormire & vigilare hîc accipiuntur propriè, quasi dicat, naturalis somnus & vigilia nihil nos in hoc cursu impediunt, modò animus paratus sit. Arg. à fine mortis Christi.

11. *Quare adhortemini, &c.*

Illatio est accommodans doctrinam ad omnium vsum, qui est ædificatio omnium, & addit confessionem nouam laudis, eos id studiosè facere.

12. *Rogamus autem vos, &c.*

Tertius locus est huius capitis de doctoribus Euangelij honestè alendis & tractandis. Requirit aliquid hic in illorum iudicio: videntur enim non satis candidè diiudicasse inter bonos & hypocritas. Nam vtplurimum fieri solet, vt clamosi ostentatores populi admirationem ad se rapiant, aliis exclusis, qui non tam ostētatione quàm ardore pietatis ad docendum accedunt. Aut in genere negligentiùs curarunt omnes bonos doctores, vel simile quid in futurum metuit. Tria autem ornamenta bonis ministris addit, *Qui laborant inter vos*, hoc est, seriò docent. 2. *Præsunt in Domino*, honesto exemplo. 3. *Admonent vos*, ad similia præstanda, quæ tria boni ministri formam continent. Primum, habet sanæ doctrinæ conseruandæ studium. Alterum, innocentiam vitæ. 3. disciplinam auditorum, vt singuli castè & piè viuant, vt vita ornetur ipsa professio. 3. Locus ca. de curandis studiosè ministris

13. *Et ducite,&c.*

Tales doctores honesto loco habendos esse dicit, hoc est, alendos honestè, & honorandos piè. Duplex ille fortè est honor quo dignos indicat, 1.Timot.5. Et ἔργον accipio pro toto ministerio, in quo est cura sanæ doctrinæ conseruandæ & propagandæ: innocentia vitæ, & disciplina morum.

Pacem colite inter vos.

4 Locus de mutua pace tuenda. Quartus locus de studio pacis. Quidam simpliciter retulerunt ad superiora hoc sensu, Pacē colite cum ministris vestris, qui sensus angustior est, quàm vt cōueniat huic loco, quamuis pius sit. Alij referunt ad internum studium pacis, pacem colite intra vos, hoc est, singuli curent ne polluant suas conscientias, sed innocentiam vitæ coram Deo retineant, ne iram Domini in se denuò prouocent. Pius est & hic sensus, sed mihi tertius placet, pacem colite inter vos, hoc est, studiosi sitis publicæ tranquillitatis cum ministris, cum vicinis, cum exteris, cum Deo, &c. Summa, omnibus modis studium pacis & cum omnibus retinendum est, sic Rom.12. Cum omnibus quoad fieri potest pacem tenete. Idem 2.Cor.13.&c.

14. *Hortamur autem vos, &c.*

5. Locus continēs 4. membra. 1. Contra otiosos. Quintus locus huius capitis, in quo coaceruatione quadam diuersa congerit præcepta. Hoc versu quatuor mandat, ac totidem erunt loci. Primus, contra otium iners. Secundus, de subleuandis pusillis. Tertius, de tolerandis infirmis. Quartus, de longanimitate. Singula explicemus. Primus locus est contra otiosos, *Monete inordinatos*: otium igitur est ἀταξία, primùm quia discedit à regula Dei, In sudore vultus tui comedes panem tuum. Deinde, quia inuadunt otiosi aliorum sudores & labores, vnde apud Hesiodum fucis inertibus conferuntur ἀεργοί. Ἀεργὸς ζώῃ κηφήνεσι κοθούροις εἴκελος ὁρμὴν, qua peste mirum in modum perturbatur ordo: boni laborant, otiosi esitant. Tertiò, quia iidem simul vt plurimum sunt curiosi, vide 2.Thes.3. vocat περιεργαζομένους, hoc est, curiosè agentes: est autem ἀταξία inquirere in res vel non necessarias, vel ad se nihil attinentes. Ordo præcipit vt singuli sua curent, &c.

2. *Consolari pusillanimes*, virtus est renati hominis erigere alios. Ὀλιγοψύχους accipio μικροψύχους, quos Christus Matt.5. pauperes spiritu dixit, qui non satis animi afferunt ad pericula ferenda contra aduersa, & scandalum crucis. His opponuntur μεγαλόψυχοι, qui magno animo ferunt aduersa, & mortem ipsam norunt contemnere, quæ virtus martyrum est.

3. *Ferre imbelles.* Ἀσθενεῖς intelligo ὀλιγοπίστους, Matth. 8.& 14. de Petro, Modicæ fidei, quid dubitasti? Habet suos gradus fides, robustorum est infirmos subleuare.

4. De longanimitate. 4. Μακροθυμία. *Longanimes estote erga omnes.* Longanimitas est in differenda expostulatione, moderanda ira, diu posse differre pœnas, vel vlciscendi studium. Col.1. coniunxit eidem ὑπομονὴν, quę fert aduersa quibus resistere non potest, quum μακροθυμία ferat mores aliorum & ærumnas, quas sæpe posset diluere: non facit autem, studio pacis.

15. *Videte nequis, &c.*

5 Locus continēs varia pręcepta vitæ Christianæ. Pergit in coaceruatione instituta: sequitur igitur quinto loco, *Ne quis malum pro malo reddat.* Legē talionis tollit ex Christi præcepto: concesserat hanc Moses Iudæis, vt est Exod.21. Deut.24. sed coërcuit hoc ius Christus, & iussit hostibus etiam benefacere: inde fluxit præsens Apostoli præceptum. Idem Rom.12.& 1.Pet.3.

16. Beneficentiæ studium, *Semper quod bonum est sequamini tum*, &c. Duplex beneficentiæ ratio est, vna erga domesticos fidei. 1.Tim.5. his enim plurimum debemus: vnde 1.Timot.6. ait, εὐεργεσίας ἀντιλαμβανομένους, dominos pios commendans seruis. Alia est ratio, erga extraneos, quos priùs dixit τοὺς ἔξω, hoc est, qui conuersi nondum sunt: his debent renati quoque beneficentiam: sed prior magis necessaria est, altera honoraria, quia ornat professionem fidei imprimis.

17. *Semper gaudete.*

Gaudium fidelium fructus est Spiritus sanctus, vnde Gal. 5. inter fructus Spiritus recensetur. De hoc vide Philip.4. ver.4. Semper autem gaudēdum est, hoc est, in omni fortuna tam secunda quàm aduersa, quia sciunt se ad omnes casus à Deo curari & protegi.

18. *Indesinenter orate.*

De precibus. Respexit ad Christi præceptum Luc. 18. oportet semper orare & nunquam deficere: ratio est, quia materia orandi semper durat, occasio etiam semper præstò est, ergo semper orandum, &c.

19. *In omni gratias agite.*

Προσευχὴ vt genus rectè poni potest, cuius species est εὐχαριστία, quæ pro acceptis beneficiis se gratum declarat. Præteriti aut præsentis beneficij habet memoriam. Αἴτημα autem in futurum Dei beneficentiam exorat. Huic præcepto addit rationem, *Hac enim voluntas est Dei in Iesu Christo in vos*, hoc est, vult nos semper orare, ergo faciendum est: vult nos esse illi gratos, hanc ergo declaremus semper: vel sensus est, Tanta est Dei voluntas, hoc est, prom-

est, promptitudo in vobis saluãdis, defendendis, vt meritò semper illi debeatis gratias agere.

20. *Spiritum nolite extinguere.*

Qui extinguant Spiritũ.

Spiritum accipio pro donis Spiritus sancti, vt 1. Corinth. 14. extingunt autem qui initia data non curant auctiora fieri, vt qui habẽt ingenium, quibus sunt præceptores, liberi, sumptus, occasiones discendi & non discunt, illi dicuntur extinguere bona initia. sic qui habent Dei aliquam cognitionem, norunt verum nec his insistunt, sed obruunt talẽtum minutum. Deinde extinguunt, qui frangunt in aliis pios conatus, reprimunt ardorem, pusillanimes reddunt, rident, &c.

21. *Prophetiam ne contemnatis.*

Prophetia quid sit.

Prophetiam intelligo munus interpretandi Scripturam, vt 1. Corinth. 14. quod singularem requirit dexteritatem, vt consona sibi sit vbique Scriptura, nihílque pugnans inducatur. Huius organum est certissimum ἀνάλυσις, qua mentem Scripturæ quærimus & resoluimus rationes quibus verus intellectus nititur, &c.

22. *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Probare omnia quid sit.

Probanda sunt omnia, hoc est, nihil in dogmata fidei admittendum, nihil in mores recipiendum, nec in ritus Ecclesiæ, quin diligenter ad veritatis regulam sit examinatum. Idem vide Ephes. 5. v. 10. Sic 1. Ioan. 4. iubet probare Spiritus an ex Deo sint. καλὸν retineri debet, h. e. id quod examinis seueritatem perfert, vt aurum in igne perdurat. Canon probationis est Scriptura: ideo incorrupta debet manere Scriptura, ne ad obliquum Canonem fiat probatio. Deinde καλὸν accipe honestum, vt sinceritas doctrinæ retineatur: & καλὸν ἠθικὸν, bonis moribus congruens: denique καλὸν χρήσιμον, vtile Ecclesiæ in ritibus.

23. *Ab omni specie mali abstinete, &c.*

Mala per se simpliciter etiam vitanda sunt, vt furtum, scortatio, ebrietas: sed est in multis εἶδος, hoc est, μορφὴ, forma, habitus mali, quasi dicat, occasio quoque mali est vitanda, id quod mali speciem habet. Oportet abesse etiam à mali suspicione.

23. *Ipse autem Deus pacis, &c.*

6. Pars epistolæ cõclusio.

Sexta pars est huius epistolæ continens Epilogum generalem: constat autem his quinque locis, comprecatione, petitione, salutatione, mandato, & subscriptione. Comprecatio est, *Deus pacis sanctificet vos totos.* ὁλοτελὴς dicitur quod suis partibus integralibus constat, cui ad sui perfectionem nulla deest pars necessaria: idem est ὁλόκληρον. Huius mox addit exemplum hominis renati, cuius tres sunt partes integrales, πνεῦμα, ψυχὴ & σῶμα. Spiritus est ἡγεμονικὸν, hoc est, ductor & gubernator, formans in renatis nouos motus, voluntatem Dei subiiciens voluntati. ψυχὴ est ἐπιθυμητικὸν, cui adduntur τὰ πάθη in genere: item sensitiua facultas, iudicium, ratio non repurgata à Spiritu sancto. Corpus organum est illorum, præbet enim instrumentum ad diuersas actiones, & est quasi σῆμα, carcer & sepulchrum animæ. Hæ partes integrales sunt renati hominis, quum hominis physici duæ saltem sint, ψυχὴ & σῶμα. Hinc nascitur duplex homo, ψυχικὸς, qui est σαρκικὸς, qui vitam viuit hominis non renati: & πνευματικὸς, qui renatus est, & professionem suam ornat vita ac moribus, in eo regnat Spiritus sanctus, dictator vitæ, vide 1. Cor. 2.

Hominis renati partes.

24. *Fidelis est qui vocauit vos, &c.*

Erigit eos in spem consequendæ tam felicis comprecationis. Primò quia Deus autor vocationis nostræ sit fidelis: ergo non fallet nos. Deinde, quia prompta illius sit voluntas: potest vt vult, ergo faciet.

25. *Fratres, orate, &c.*

Secundus locus Epilogi, quo petit intercessionem Ecclesiæ apud Deum. Pij ministri est in omni fortuna libenter confugere ad totius cœtus preces: ratio, quia Apostolus passim libenter hoc facit. Deus singulorum preces vult exaudire, ergo magis totius cœtus: deinde singulos iussit orare, ergo totius cœtus est diligenter pro re communi preces fundere.

26. *Salutate, &c.*

Osculũ sanctum.

Tertius locus salutationem habet breuem, seu mandatum salutandi: osculum sanctum dicitur, quia debet abesse ab effectibus carnalibus. Fuit in vsu Orientalibus, hinc in alias nationes irrepsit, mansitque adhuc apud multas. Vtinam semper sit sanctum, absit affectus carnis, & veneris libido.

27. *Adiuro vos per Dominum, vt recitetur hæc epistola, &c.*

Iuramẽti vsus.

Quartus locus Epilogi, de præsenti epistola singulare præceptum: ex quo illa duo fluunt. Primò, iuramenti esse honestum vsum, quia iuramento alium constringere in re dubia & ad pietatem spectante, licet: ergo alteri præstare etiam iuramentum licet. Antecedens probo, quia Apostolo licuit: vera enim est hypothesis, Apostoli non errarunt in his quæ ad religionem pertinent, nec peccarunt: ergo Apostolus obligando auditores iuramento non peccauit, si non peccauit, ergo nec auditores peccabunt præstando iuramentum.

Deinde, epistolam debere publicari, metuit enim ne à paucis interciperetur, & quasi ad solos scripta retineretur, vnde inflati & tumidi redderentur. Ideo non in illis in quibus tale metuit, sed toti cœtui scripsit. Ex quo illud sequitur, Epistola hæc debet omnibus proponi, vt omnes haberent consolationem: ergo etiam hodie epistola hæc nemini interdici debet: si hæc, ergo omnes reliquæ, & ob id tota Scriptura omnibus proponi debet quasi communis regula, vt epistola Dei ad nos omnes scripta. Peccant ergo qui laicis eius lectionem interdicunt: & tumidi sunt qui solis sibi eius interpretationem arrogant.

Scripturæ lectio nemini interdicenda.

28. *Gratia Dei, &c.*

Quintus locus Epilogi continens subscriptionem. Gratia gratos reddens est, de qua alias sæpe. Illa sit cum omnibus nobis, Amen.

PRIMAE AD THESSALONICENSES FINIS.



DISPOSITIO POSTERIORIS EPISTOLÆ AD THESSALONICENSES.

Qui fuerint Thessalonicenses.



HESSALONICA Therma dicta, & vt refert Stephanus Halia quoque, metropolis totius Macedoniæ, & in ora maritima loco admodum opportuno condita fuit, quemadmodum retulimus suprà, & ipsæ quoque tabulæ Græciæ luculenter declarant. Itaque ad occasionem scriptæ epistolæ deueniamus.

OCCASIO.

Occasio petenda est ex priori epistola, nominatim 2. 3. 4. & 5. capitibus. Nam capite secundo, versu 17. promiserat suum aduentum: & cap. tertio, v. 10. causam eius subindicauerat, quòd nimirum vellet supplere apud eos quædam quę fidei ipsorum deessent, ex quo colligi potest Apostolum quædam tum non scripsisse, quæ data opera in aduentum suum differebat. Capite verò 4. & 5. disseruerat de Domini Christi aduentu, séque his connumerauerat, quos Christus in hac vita esset deprehésurus, ex quo statim fluxit sinistra quædam apud imperitos opinio, Christum nimirum venturum ad iudicium isto seculo, quo adhuc viuebat Apostolus. Parcius quoque disseruerat contra otiosos, & curiosarum quæstionum amatores, qualis erat illa de aduentu Domini, qui vt tuerentur otium asserebant parum referre laborarent necne, fine rerum iam imminente, & ad hanc sententiam tuendam Apostoli authoritate abutebantur. Quare vt hanc absurdam sententiam refelleret, hanc secundam scripsit epistolam. Præterea, ne viderentur à se negligi, cùm videret perpetuò occasiones veniendi sibi eripi, & vt sententiam de aduentu Christi pleniùs explicaret, & otiosos diligentiùs cauendos doceret.

GENVS.

Genus epistolæ principale est Protrepticum, hortatur enim ad constantiam sub cruce, & defensionem suæ doctrinæ, & traditionum Apostolicarum verarum, non quæ falsò illis obtrudebantur. Accedunt postea Epæneticum, vt quod initio laudat ipsorum virtutes, fidem, dilectionem, constantiam, vt laudando tales efficiat quales esse vult. Paramyticum, quo locum de cruce totum ad consolationem sanctorum accommodat, simul locum de iustitia diuina eodem scopo attingit capite 1. Didacticum, quo locum de secundo aduentu Domini illustrat, monétque eos ne decipiantur ab otiosis erronibus scrupulosè inquirentibus in momenta illius aduẽtus. Paræneticum, vt in veris Apostolicis traditionibus maneant, quod Apostolo est generosè stare. Sic ἐπευκτικὸν accedit in Epilogo, quo eis comprecatur gratiam & pacem Domini.

PRO-

PROPOSITIO.


Propositio totius epistolæ est, Constantia sanctorum non solùm ad crucis tolerantiam pertinet, sed etiam ad opinionum veritatem, & traditionum quæ verè sunt Apostolicę, conseruationem, contra quascunque corruptelas, quę vel nomine reuelationum, vel spirituum, vel etiam autoritate Apostolica sanctis falsò obtrudi possunt.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes Epistolæ hoc pacto explicamus. Primùm ponitur titulus consueto more. Secundo loco subiicitur Exordium, quod spectat ad laudem personæ, ideóque accommodatum est ad beneuolentiam captandam, ac constat propositione & ratione, continuatur vsque ad vers. 5. Istic ergo statuatur tertia pars, quæ continet doctrinam de quæstionibus scitu necessariis, & quæ partim apud eos falsa interpretatione erant corruptæ. Ac commodè distingui potest in quatuor principales quæstiones, quarum prima est de vsu crucis, cur nimirum Dominus suos affligat in hac terra. Rationes cõquirit à personis, tum sanctorum, tum impiorum, tum ipsius Dei, ideò concurrit locus de æquitate, & iustitia iudiciorum diuinorum.

Capite secundo, ingreditur secundum locum doctrinæ, de aduentu Domini, vt doceat illum certò certiorem esse, quanuis momenta eius sint incerta, hoc vt doceat ostendit quid ante hunc aduentum oporteat priùs compleri, nimirum reuelationem Antichristi, qui in templo Dei pro Deo mundo se adorandum propositurus sit. Producuntur hæc vsque ad vers. 16. vbi sequitur Epilogus præcedentis loci, & commodè annectitur generalis propositio, In veris Apostolicis traditionibus illis perdurandum esse.

Capite tertio ingreditur tertium locum, quòd scilicet pro successu Euangelij, & eiusdem propagatoribus diligenter sit orandum. Vers. 6. quartum ingreditur locum contra otiosos, quos grauiter coërcendos monet, & omnino vult hanc valere regulam, qui non laborat nõ manducet, vt hæc sit Apostoli sententia, piis semper curandum esse vt honestis laboribus se alant, quasi in æternum victuri, & contrà ad aduentum Domini semper debent esse parati, quasi iamiam morituri. Durant hæc vsque ad vers. 16. Quarta igitur pars istic statuatur, ac habet breuem Epilogum, qui constat comprecatione, salutatione, & repetita comprecatione, quæ est quasi clausula finalis.



IN POSTERIOREM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES,

ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ.

Qui fuerint Thessalonicenses.



HESSALONICAM vrbem primariam fuisse Macedoniæ diximus, & in ora maritima loco admodum opportuno cõditam, quod ipsum quoque tabulæ Græciæ luculenter declarant. Itaque ad occasionem veniamus.

Occasio.

Occasionem sumo ex cap. 2. & quarto prioris epistolæ: nam in cap. 2. ver. 17. promiserat suum aduentum: & cap. 3. vers. 10. causam sui aduentus subindicauit, vt compleret apud eos quæ fidei ipsorum deesse videbãtur. Ex quo colligi potest Apostolum quædam non scripsisse, quæ data opera in aduentum suum differebat. Capite verò 4. & 5. disseruerat de Christi aduentu, séq; connumerauit his quos Christus in vita esset deprehẽsurus. Ex quo illa fluxit sinistra opinio, Christum scil. venturũ ad iudicium illo seculo, quo viuebat Apostolus. Parciùs quoq; disseruerat contra otium illorũ qui quæstionẽ hãc de Christi aduentu agitabãt, quasi parum referret laborare, vtpote fine rerũ imminente, ad quam sentẽtiam tuendam abutebantur Apostoli authoritate. Quare quum Apostolo eri-

peretur ad eos redeundi occasio, hanc secundam scripsit Epistolam, partim ne ab ipso contemni viderentur, partim vt his malis obuiam iret, imprimis de aduentu Domini sinistram eximeret opinionem, & de otiosis coërcendis diligentiùs eos admoneret.

Propositio.

Fidelium constantia non solùm ad crucis tolerantiam pertinet, sed opinionum veritatem, & traditionum, quæ verè sunt Apostolicæ, conseruationem, contra quascunque corruptelas, quæ vel nomine reuelationum, spirituum, & falsò authoritate Apostolica sanctis obtrudi possunt.

Genus.

Principale ex primario loco materiæ.

Genus principale est διδακτικὸν: voluit enim veram sententiam de aduentu Christi eis declarare, ne deciperentur ab erronibus otiosis. 1. Huic accedunt ἐπαινετικὸν, quo vtitur ab initio laudando virtutes ipsorum, fidem, dilectionem, constantiam, ac laudando constantes efficit.

2. Παραμυθικὸν, quo totum locum de cruce & afflictionibus sanctorum ad cõsolationem accommodat, locum simul de iustitia diuina attingit.

3. Παραινετικὸν, quo hortatur vt constanter maneant in veris Apostolicis traditionibus, quod est στήκειν γνησίως.

4. Ἐπευκτικὸν, quo in Epilogo vtitur, pacem & Domini gratiam illis comprecando. Sic principalis locus est de aduentu Domini, quem quia docet, διδακτικὸν diximus principale: tamen & hoc genus refertur ad προτρεπτικὸν, hortatorium, vt scil. constantes sint in sana doctrina, & verè Apostolicis traditionibus. Itaque statuatur προτρεπτικὸν principale.

Partes.

Membra sic connectimus. 1. Initio est titulus consuetus. Deinde exordium ad laudem personæ accommodatum. Tertiò, primò sequitur doctrina de vsu crucis: secundò, locus de aduentu Domini, qui tractatur toto secundo capite: tertiò, orandum esse pro successu Euangelij, qui locus est initio tertij capitis: quartò, contra homines otiosos, qui videntur authores falsæ interpretationis de aduentu Domini. Quę omnia ad tertiam partem, hoc est, ad doctrinam refero. Quartò, sequitur Epilogus à vers. 16. tertij capitis: constat autem comprecatione, salutatione, & subscriptione.

CAPVT I.

Cap. 1. argu. & partes.



LAVDAT illorum primarias virtutes, fidem, dilectionem, & constãtiam sub cruce, qua re sibi aditum facit ad consolationem ex diuinæ iustitiæ æquitate: hinc commodè ingreditur locum principalem de aduentu Domini, vt corrigat sinistram illius interpretationem.

Titulus.

Tituli partes.

Duobus primis versibus continetur titulus, qui complectitur subscriptionem inscriptionem & comprecationem. 1. Subscriptio personas scribentes complectitur, numero tres, Paulum, Silam & Timotheum. Plures sibi adiungit ob eas causas quas suprà exposuimus: quibus addimus necessitatis rationem hoc sæpe Apostolo suasisse. Quum enim Ecclesia formam habeat liberæ Reipub. quod membra attinet: ideo multorum opera, non tyrannide opus habet: & in opera labor quærit, non authoritas. Ideo Apostolus vt vitaret tyrannidis suspicionem, plures sibi coniungit apud eas Ecclesias vbi piè plures docuerant, & ex doctrina noti esse poterant.

2. Inscriptio personam Ecclesiæ habet, ad quam scribit, quam commendat ab autore Deo, qui eam sibi elegit, & causa organica per quam adoptata est, hoc est, Filio Dei. Nomen Ecclesiæ nos etiam admonet Ecclesiam habere formam liberæ Reipub. non tyrannidis: nam monarchia est, saltem si caput Christus inspiciatur.

3. Comprecatio est ver. 2. continens honorificam & piam salutationem. De pace & gratia diximus iam sæpe.

Exordium.

Exordij argum.

Versu 3. & 4. Exordium continetur, cuius sententia est: Deo pro vestris virtutibus perpetuò debemus agere gratias. Est igitur genere suo ἐπαινετικὸν, laudatorium: ac Propositio ὁμολογίαν habet officij, quod debent boni ministri in Ecclesiarum profectu.

Propositio.

Πρότασις est argumentosa: habet enim seminaria rationum, & quia ὀφείλομεν debemus necessaria: ergo gratiarum actio res est in ministerio necessaria. Deinde, quia vos fratres estis, igitur pro illorum successu ac felicitate debent esse grati. Tertiò, quia est ἄξιον, res digna & officij nostri. Ἀξιότητα ad decorum refero, q. d. res honesta est per se: triplex igitur hîc latet ratio, necessitatis, humanitatis & honestatis, &c. Ergo præstanda est.

Quia

Quia augescat, &c.

Ratio propositionis plenior, cur sint Deo gratiæ agendæ. Enumerat autem tres primarias virtutes renati hominis, quæ ab hypocritis nos separant: fidem, dilectionem, & tolerantiam. Singulas suo ordine extollit & prædicat. Fidem, quia non in eo gradu manet, quo Apostolus eos reliquerat: sed in dies magis crescit. Dilectionem, quia redundat, quale suprà dixerat cap. 5. ver. 15.

Tres renatorum virtutes.

4. *Adeò vt nos, &c.*

Rationem munit ab effectis: sic crescunt piis virtutibus vt eas passim exempli loco proponant omnibus fidelibus: ergo digni commendatione. Tolerantiam autem hic imprimis commendat. Διωγμοὶ pericula sunt, quæ totum cœtum concernunt. Θλίψις autem singulorum priuata infortunia.

5. *Documentum iusti iudicij Dei, &c.*

Tertia p[ars] Epistolæ, quæ continet doctrinam veram de aduentu Domini Christi. Ac hęc quidem ve[r]a habent aditum ad plenam illius tractationem. Docet autem quis fructus ex cruce sit depromendus, nimirum consolatio diuinæ iustitiæ. Quia enim hîc boni malè habent & mali bene, superest vt aliquando finiatur hæc ἀταξία vt boni bene, mali verò malè habeant. Huius rei certum argumentum est, vestra persecutio.

Quis fructus ex cruce sumendus.

Propositio est, In cruce certissima debet concipi consolatio. Ratio est: 1. quia crux est ἔνδειγμα iustitiæ Dei. Deinde, quia crux admonet vos ad maiora vocatos esse, hoc est, ad regnum Dei: vocatio autem est dignatio καταξιώσεως, hoc est, diuinæ gratiæ. Crux autem via est, per quam adipiscimur illud regnum. 3. Iusta est compensatio ærumnarum, debet enim esse aliquod ἀντιπεπονθὸς in quo, bonis compensentur ærumnæ, & malis suæ eueniant pœnæ.

7. *In reuelatione Domini Iesu, &c.*

Sequitur iam locus de aduentu Domini, qui alter est locus doctrinæ. Primus enim fuit de consolationibus ex cruce sumendis. Iam alter est de tempore, quando illa compensatio sit expectanda: ad aduentum scil. Domini Iesu Christi. Hunc igitur aduentum iam illustrat graphicè, vt par erat.

Locus de aduentu Christi vltimo.

Propositio est, Aduentus Domini sine omni dubio erit magno cum impiorum terrore, & bonorum gaudio. Partes quatuor habet. Prima descriptionem aduentus continet: altera, de pœnis: tertia, de præmiis agit: quarta, de precibus Apostoli, quas ad consolationem sanctorum applicat.

Propositio & partes.

1. Descriptio aduentus est, quòd sit reuelatio filij Dei cœlitus cum cœtu Angelico glorioso: superiorib. autem connectit, vt ostendat quando expectanda sit illa compensatio, vt boni bene, mali malè habeant, scilicet in hac ipsa reuelatione. Itaque hoc totum quod hîc viuimus ærumnis est deputatum, nouissima demum dies deteget hanc piorum gloriam.

Descriptio aduentus.

Expende hîc partes descriptionis. Primò dicitur Apocalypsis, hoc est, retectio rei, quæ ab oculis nostris subducta est, ac respexit ad historiam Ascensionis, in qua Dominus Christus sublatus est, Act. 1. vers. 9 & 11. & Lucæ 24. vers. 11. ab eo igitur tempore Dominus Christus tectus est, hoc est, corporaliter à nobis recessit, nisi quòd paucis visendum sese præbuit, vt Paulo, Stephano, ac similibus paucis. Hunc Christum restituet nobis corporaliter dies vltimus, vt conspiciatur tam bonis quàm malis in ipso iudicio.

1. Pars reuelatio.

Deinde addit notationem loci vnde futura sit hæc reuelatio, *de cœlo*, inquit, quia scili. istuc est receptus, Mar. 16. & Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, ab eo paraturus vobis locum, &c. Et Angeli promittunt eius reditum de cœlis, quemadmodum ab eis recesserat, Act. 1. non igitur aliunde quàm de cælo expectetur.

2. De cœlo.

Tertiò, comites exprimit, *cum Angelis potentiæ suæ*. Angeli ministri sunt sanctorum, Hebr. 1. multò magis igitur Creatori seruire debent. Huic ministri fuerunt incarnationis, conceptionis, passionis, glorificationis, resurrectionis, ascensionis: sic comites erunt reditus istius. Facit autem pompa Angelica ad maiestatem Christi, ad terrorem damnandorum, & ad consolationem piorum.

3. Cum quibus.

Hinc 1. Thess. 4. vers. 16. Archangeli mentio facta est, & hîc Angelos potentiæ vocat, hoc est, potentes, quibus res maximæ commissæ sunt, vt conuocare mortuos ad iudicium à quatuor mundi ventis, colligere omnes ex elementis, impios pœnis mancipare, electos obuiam Christo adducere, &c.

De pœnis disserit, quibus impij sunt afficiendi: facit locus ad terrorem impiorum, *veniet*, inquit, *in flamma ignis consumente*, scilicet impios, illuminante pios. Ignis sæpe pro ira Domini accipitur, & nominatim quum loquitur de finalibus illis pœnis, solet ignis nomine, sulphuris, vermis, flammæ, &c. exprimere, vt Esaiæ sexagesimosexto. In igne Dominus iudicabit. Psalm. 96. Ignis ante ipsum, inflammabit omnes aduersarios suos. Dan. 7.

Fluuius ignis procedit à Domino. & Psal. 104 Facit Angelos suos ventos, & ministros suos ignis flammam. Hunc ignem Christus Mar. 9. inextinguibilem vocat. Qualis autem hic ignis futurus sit, materialisne, an elementaris, aut sola priuatio vultus Diuini, malæne conscientiæ pessimum testimonium, experientur olim re ipsa impij. Nobis sit satis τὸ ὅτι scire, hoc est, infallibiles has fore pœnas. Ignem etiam hunc distinguimus, nam in quo veniet Christus mera erit lux & splendor: qui autem impios affliget, seuerus erit scelerum vltor. Ideo mox addit *infligentis pœnas*, quod potest referri tam ad φλόγα quàm ad Dominum Iesum, non variante tamen sensu: nam Christus vtrique iudicij illius erit præses, & impios ad pœnas destinabit, quas ignis iste inextinguibilis seueriter requiret. Porrò impiorum duo constituit genera: alij enim sunt qui Deum non norunt, alij qui Euangelio non credunt, quæ nonnulli accipiunt de Gentibus & Iudæis: nam Ethnici Deum ignorabant, Iudæi verò Euangelium repudiarunt. Ego accipio latiùs: nam qui Deum ignorant, omnes illi sunt, qui ad Ecclesiam Christi collecti non sunt, qui scilicet manserunt in naturali sua corruptione & cæcitate, siue Iudæi sint, siue Etnichi. Euangelio autem non paruisse dicuntur, qui facti quidem sunt Christiani, & initiati Christi Sacramentis, sed vita & moribus professionem suam non ornarunt. Quo sensu prius membrum habet manifestos Christi hostes, posterius verò pestes in sinu Ecclesiæ latitantes. Videant ergo quid de vita sua responsuri sint Domino porci isti & ventres Ecclesiæ. Vtrunque hoc genus complectitur iisdem pœnis Apostolus sequenti versu nono. Qui scilicet *omnes pœnas dabunt*. Δίκην τίειν, vel τίνειν, idem est quod priùs dixerat ἀνταποδοῦναι ἐκδίκησιν. Ad δίκη & ἐκδίκησις significant ποινὴν pœnam:

Impiorum duo genera.

Qualis ista futura sit indicat, *interitum æternum*. Ὄλεθρος non refero ad φθορὰν, sed ad στέρησιν faciei diuinæ, qua priuari est mors & loco interitus: nam non consumentur illorum corpora, sed durabunt semper, vt semper sit pœnis locus. Sic Esaiæ sexagesimosexto. Vermis illorum non extinguetur. & Marci 9.

Quales pœnæ impiorum.

Addit, *A facie Domini*, vel ratione causæ efficientis, quia Dominus Christus de his pœnis statuet: vel ratione facilitatis, quasi solo conspectu afflicturus sit eos. Potentem enim esse oportet principem, qui solo conspectu prosternat hostes: & terribilis sit omnibus aduersariis solo vultu. Potest etiam hic esse sensus. Dabunt pœnas à conspectu Domini, hoc est, στερητικῶς, quia ablegabuntur ab illius gratia, & carebunt semper Dei præsentia misericordi: quæ priuatio ipsa erit mors, & pœnarum anxietas. Postremum verò membrum, *à gloria roboris sui*, accipio effectiuè, quia potentia Christi effectus est, posse omnes suos aduersarios adeò grauiter punire, &c.

10. *Quando venerit, &c.*

Tertia pas de præmiis sanctorum, quæ opponit pœnis impiorum: ostendit autem non solùm eiusdem iudicis, sed eiusdem temporis esse de vtroque decernere. Glorificari in sanctis suis, & admirabilem esse in omnibus credentibus accipio τελικῶς, hoc est, eo fine pœnæ & præmia decernentur, vt gloriosus sit in suis. Ac cōsolatorium est, quòd non tam sui quàm electorum hîc habebitur ratio: est enim Deus, sempérque erit gloriosus, sed hanc gloriam electis applicabit, vt videant impij quos contempserint in hoc mundo. Videtur autem allusisse ad Scripturæ aliquem locum, qualis fortè est Psal. 89. Deus formidabilis est in concilio sanctorum eius. Esa. 24. Quum regnauerit Dominus in monte Sion coram senioribus suis gloriosè, & Esa. 26, Domine addidisti Genti bonum, & glorificatus es. &c.

3. Locus de præmiis piorum.

11 *Cuius rei gratia, &c.*

Quarta pars huius loci de precibus suis, quas ad eundem finem accommodat Apostolus, hoc est, vt pij apud Thessalonicenses huius gloriæ in nouissimo iudicio fiant participes. Κλῆσις dicitur ipsa vita æterna, & ista præmia, de quibus hîc agit. Huius vocationis causa est ἀξίωσις dignatio diuina, qua indignos dignos efficit merito Christi. Πλήρωσις autē est cōplemētum, & iter per quod nos ducit ad illam gloriam, qualis est crux, exilium, confessio, vitæ innocentia, & morum integritas, per quam nos deducit, imò vult nos ambulare. Εὐδοκία est efficiens causa, vt ipsa ferè ἀξίωσις, nisi quòd εὐδοκία prior sit, & ex illa nascitur ἀξίωσις.

4. Preces Pauli pro salute Thes.

Ἔργον πίστεως, *opus fidei* accipio pro fidei operibus: duo enim illis comprecatur, prius est vita æterna, quasi vltimus finis: posterius vitæ innocentia. Ideo hîc comprecatur opus fidei, hoc est, vt vita & moribus fidem suam ornent, & testatam faciant.

12. *Vt glorificetur.*

Τελικὸν αἴτιον indicat comprecationis suæ, habétque hîc reciprocum finium respectum, quia alter fine altero esse non potest. Prior est, *vt nomen Christi in illis glorificetur*, quod fit si videant homines bona nostra opera, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Itaque fidei opus est bonorum operum fructus. Alter finis est, vt ipsi in Christo glorificentur, hoc est, gloriosi fiant in iudicio illo nouissimo, in cœtu electorum reperiantur, non damnandorum.

Finalis causa precum Pauli.

rum. Atque hi duo fines sibi connexi sunt indissolubiliter, vt nec possint nec debeant diuelli.

Addit causam efficientem χάριν Dei, hoc est, pro beneuola sua in nos voluntate: potest tamen accipi etiam formaliter, quasi dicat, pro modulo cuiusq;: nam & fides suos habet gradus. Sic Deus cuique dedit gradum in illa futura gloria, lucebunt quidem omnes electi Dei vt stellæ, sed quæ est in stellis gloriæ varietas, vt vna ab alia differat in gloria: sic erit aliquod sanctorum discrimen. Singuli igitur enitantur vt gradum suum quàm diligentissimè ornent. Cura bene viuendi nostra debet esse: cura verò distribuendi præmia in vita æterna Dei erit, qui neminem fallet, &c.

CAPVT II.



LOCVS ad superiora pertinet: agit enim adhuc de aduentu Domini. Differt autem ab illis, quia superiora ad consolationem accommodauit, Quòd ad Domini aduentum boni sua præmia accepturi essent, mali côtrà suas pœnas. (Argum. cap. 2.)

Quæ autem hic differit de aduentu Domini, ad doctrinã magis pertinent: docet enim non esse alligandum ad certum tempus, simul indicat huius erroris causas, quibus homines creduli seducuntur. Describit etiam eundem aduentum à signis præcedentibus: imprimis autem Antichristum graphicè nobis depingit quale sit illius regnum, quæ eius initia, qui progressus & incrementa, quę imperij latitudo, quis deniq; finis, quales subditi, qui & cur huic imperio à Deo sint destinati, &c.

Propositio est, Studiosè cauendam esse omnem doctrinam, quæ aduentum Domini audet certo definire tempore. (Propositio.)

Partes capitis duæ sunt: prior, locus est de quo iam diximus: alter, gratiarum actionem habet pro Thessalonicensium conuersione, admixta est exhortatio pro more Apostoli. (Partes.)

Porrò primus locus de aduentu Domini ista habet membra. Primò, obtestatio est contra errores eos confirmans. Deinde, patefacit causas erroris. Tertiò, statuit Propositionem. Quartò, sequitur confirmatio. Quintò, declaratio regni Antichristi, hoc est, quæ sint illius initia, quale & quantum eius imperium, quales subditi, & cur huic regno sint addicti: denique euentum miserum subiungit, &c. (Loci de aduentu Christi partes.)

Vers. 1. *Rogamus autem vos, &c.*

Exorditur locũ à transitione, quia à consolationibus ad doctrinam transit, ac obtestatur eos per ipsam rem quæ est in quæstione. In rebus magni momenti Apostolus solet adhibere obtestationem: ideo studiosè cauendi sunt isti errores contra quos eos obtestatione munit. Deinde, vt sciant ad singulos pertinere, addit, *per nostram ad ipsum congregationem*, quasi dicat omnes ad hunc iudicem venturum congregandi sumus: igitur multum refert quomodo de eius aduentu sentiamus. Ἐπισυναγωγὴν accipio pro illa congregatione, qua ad illius tribunal omnes statuendi sumus: sic Rom. 14. ve. 10. & 2. Cor. 5. ver. 10 loquitur. Alij accipiũt pro incorporatione in Christum, qui sensus vtilem habet doctrinam: sed magis conuenit instituto si de repræsentatione ad illius tribunal accipiamus.

2. *Ne citò dimoueamini, à mente, neque turbemini, &c.*

Finalis causa est obtestationis ne patiantur se in errores deduci ab impostoribus. Locus est de causis errorum: tres autem recenset quasi generales fontes errorum & omnium sectarum, Spiritũ, sermonem, & fictam epistolam. Πνεῦμα, *spiritus* est mendax Satanæ afflatus, qui dictat ista mendacia: ideo nõ malè pro reuelationibus quidam interpretantur, quales fuerũt Mõtani reuelationes, & hodie miseri quidã Anabaptistæ statuẽtes aduẽtus Domini certum annũ, nihil aliud quàm Dei reuelationẽ prætexere potuerũt. Is est spiritus ille mẽdax, fingẽs palã aut obtrudẽs miseris hominibus reuelationes falsas. Tales monachi quoque iactarunt. (Errores tres causæ, de vltimo aduentu. 1. Spiritus.)

2. Altera causa errorum est λόγος, hoc est, *ratiocinatio*: prior idiotarum est, nulla ratione suffulta, sed hæc eruditorum est munita rationibus ac demonstrationibus falsis. Huic si accedat industria ac eloquentia, plurimum potest propter rationum probabilitatem: prouenit tamen ex eodem fonte à patre mendaciorum. Hac causa nitebantur illi qui rationibus Arithmeticis, & supputatione numerorum certum annum & diem statuerunt aduentui Domini. Et quia logistica supputatio vim habet demonstrationis, ideo eruditos solet fallere. Talis fortassis est Eliæ supputatio: sex millibus annorum stabit mundus, duobus millibus inanis, duobus millibus sub lege, & duobus milib. sub Messia, tunc finis: sed nostro etiã seculo supputatione Arithmetica ex propriis nominibus hoc conati sunt demonstrare. (2. Ratiocinatio.)

Tertia causa est, *ficta epistola*: videtur enim Apostolus significare, suo nomine iactatam falsam epistolam, in qua hic error defenderetur. Sed potest hoc etiam intelligi de prima epistola ad Thessalonicenses, in cuius capite 5. se connumerauit his, qui in hac vita visuri essent rediturum iudicem Christum. Ex quo loco hic paralogismus facilè potest deriuari à (3. Ficta epistola.)

falsis doctoribus. Apostolus se viuis connumerat: ergo ipso viuo redibit Christus iudex. Hunc paralogismum simpliciter refutat hanc nō esse suam mentem, imò suam autoritatem non debere veritati præscribere: sic præcipit Aristoteles in Ethicis, vt retineatur veritas, propria quoque dogmata esse destruenda. Vtilem doctrinam habet hic sensus, ne nostra autoritate patrocinium erroribus prębeamus. Prior autē sensus hanc doctrinam habet, fi-cta autoritate vt plurimum niti errores: hinc omnia dogmata, & traditiones tandem eò re-deunt. Est traditio patrum Apostolorum, sunt canones, concilia, Episcopi sic statuerunt.

Propositio eodem versu continetur, *quasi instet dies Domini.* Sententia est, Non instat adhuc dies Domini. Inde nostra constituta est vniuersalis. Omnis doctrina quæcūq; ad certa tempora audet definire Domini aduentum, studiosè cauenda est. Peccat hic error in excessu, & est mera curiositas inquirens in res non necessarias. Eodem modo Christus damnat eorum audaciam, qui locis alligant, ac dicunt, Ecce hic est, in deserto est, &c. Matt. 24. peccant enim hi quoque curiositate.

3. *Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam non adueniet Dominus, nisi venerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus, filius perditus.*

Immoratio est in Propositione. Omnis error hic quàm studiosissimè vitandus est. Colligatur hîc argumentum à qualitate illius doctrinæ.

Occultū esse aduentum Christi probatur argu.

Ex primo versu argumentum habetur ab obtestatione Apostoli, cuius autoritas meritò valere debet contra errores & fictam suam ab aduersariis autoritatem: ipse enim locuples est suæ sententiæ interpres. Nunc huic addantur etiam illa: Aduentum Domini ad certa tempora definire, ἐξαπάτησις, id est, deceptio: ergo studiosè est vitanda hæc doctrina. Item est σαλεύειν, & ipsa opinio σάλος: ergo cauenda, Vox est ab arena maris sumpta, quæ in Syrtibus congeritur à fluctibus vt montes appareant, sed mox dissipantur, vt ne vestigia quidem appareant, talis igitur est illorū doctrina: congerunt multa, sed fluida sunt omnia. Huc pertinet verbum quoque θροεῖν, hoc est, animo errare, & inconstantem tueri sententiam: significat autem turbationem animi illam, quæ ex verbis enasci solet. Θροεῖν enim propriè est λαλεῖν, loqui, & θροεῖσθαι, timere & turbari ex alterius sermone. Id proprium est huic errori: qui enim hęc argumenta tractant vt hominibus persuadeant hoc vel illo anno venturum Christum iudicem, solent imprimis adhibere παθητικά, de pœnis, horrore incendij & similia, quæ per se vera sunt, sed malè ad errores accommodantur, vt miseros stupore rerum percellant. Vides igitur hinc totidem emergere argumenta, quot sunt erroris istius proprij effectus. Sunt autem illi tres, σαλεύειν, θροεῖσθαι, & ἐξαπατᾶν.

Addit Apostolus, κατὰ μηδένα τρόπον, *nullo pacto*: videtur præter causas prædictas errorum alias quoque significare, quibus homines in hunc errorem cadere possunt: aut de negligentia, qui error in defectu peccat, accipi debet. Summa est, Studiosè cauendam omnem errorum doctrinam in hac quæstione de aduentu Domini,

3 *Quia nisi prius veniat, &c.*

Quarto loco sequitur plenior confirmatio. Status est, non debet ad nostra tempora alligari aduentus Domini.

Cur non expectādus vltimus aduentus tempore Pauli. 1. Futura apostasia.

Ratio est, quia debet priùs præcedere ἀποστασία talis, quæ longioris est temporis. Ἀποστασίαν primùm accipio politicè, hoc est, pro dissipatione imperij Romani. Quia Daniel cap. 7. manifestè docet monarchiam hanc priùs dissipandam esse. Deinde accipio pro Ecclesiastica defectione, à vera fide, vnde Apostatæ dicti sunt defectores à religione. Vtrunque signum Apostoli seculo nondum completum erat. Hodie autem satis multum profecit: imperium enim Romanorum præter titulum nihil habet, aut admodum parum. Turcæ occuparunt Orientem, Occasum Papa. Nomen habet Imperator.

2. Futurus Anti Christus.

Alterum γνώρισμα, est *Reuelatio hominis peccati*: homo peccati dicitur, hoc est, peccati autor, seu patronus ac defensor, qualia sunt idololatria, scortatio, Sodomia, carnificina conscientiarum, rapacitas insatiabilis, ius in cœlum & inferos & similia, quæ ad notas Antichristi pertinent. Porrò nota hæc à superiori differt, quia sub defectione imperium inuadet Antichristus ac dominabitur diu titulo iustę possessionis ac veræ pietatis: sed vbi reuelari cœperit publicè, his notis ornabitur, quas Apostolus hîc ei tribuit. Itaque natura sua semper fuit homo peccati, filius perditionis, sed non omnibus his titulis erit notus: in patefactione igitur cognoscetur & publicè talis etiam traducetur. Colligantur igitur hîc eius tituli.

Antichristi tituli. 1.

1. Est homo peccati, hoc est, non solùm natura sceleratus, sed quoq; patrocinio sentina quædam scelerū, gurges flagitiorū, impunè sceleratus est, & scelera apud ipsū liceter ac impunè regnant. Sodomitæ apud eū sine pœnis delitiantur, scorta, raptores absoluuntur, &c.

2. Deinde *filius perditionis* dicitur, hoc est, perditioni destinatus ac deuotus, & simul alios secum rapiens in idem baratrum, quos corrumpit falsa doctrina, moribus & exemplo suo.

3. Tertiò, dicitur ἀντικείμενος, oppositus scilicet Christo & omni honestati. Hinc petitæ & instituta

institutæ sunt ἀντιθέσεις Christi & Antichristi : & reuera consilio & institutis euertit omnem doctrinam Christi.

Quartò, ὑπεραιρόμενος effert se supra omne quod dicitur Deus, aut numen, h.e. singularis & impudens in illo est arrogantia, adeò vt si posset thronum eleuaret supra nubes, & Altissimo se superiorem collocaret. Quo sensu distinguit hoc idolum ab omnibus Ethnicorum idolis, quia illa limitatam habuerunt potentiam apud Ethnicos, vt Apollo sapientiæ præses & oraculorum: Pluto inferni tenuit regnum: Neptunus maris: Iupiter cæli : Diana venationis: Ceres frugum: alia numina aliorum. Sed hic dæmon ambitione illa omnia superabit, omnia ad se rapiet, imperium cæli, terræ & inferni. 4.

Quintò, *In templum Dei collocabit se*, id ponit tanquam extremæ audaciæ tyrocinium ac experimentum. Tanquam Deus in templum Dei se collocabit: hoc nullum idolum vnquam obtinere potuit, vt in templo Dei tanquam Deus coleretur: obtinebit autem hoc Antichristus: ergo summç audaciç dæmon erit. Templum Dei accipio pro Ecclesia Dei, quç sedes Dei est, hoc solium inuadet Antichristus: ex quo manifestum est hunc dæmonem non in Turcico imperio quærendum: sed in Romano, & nominatim in Ecclesia Christi, loco Dei se coli volet. Id quod fecit, experientia teste. 5. Audacia Antichristi.

Sextò, *Declarabit se Deum esse*, scil. in Ecclesia Christi, Dei titulum occupabit, quod re ipsa facit, quia ius sibi in animas hominum sumit, cæli & infernorum dominium iactitat, nullius iudicio subiectum se affirmat, Dei leges & sacramenta mutat ac vendit pro arbitrio, Deus terrenus, & vicarius Dei haberi vult, & impunè sibi licere multa animarum millia, ad inferos detrudere: quibus omnibus declarat quid esse cupiat, quò facit verbum ἀποδεικνύντα, q.d. hoc quærit, si maximè verbis non profiteatur: 6. Sumet Dei titulum.

5. *Non meministis?*

Redit ad argumẽtationes post descriptam Antichristi personam. Ac duo pręmisit γνωρίσματα, quæ infallibiliter præcedunt Domini aduentum. Ex quibus duo argumenta depromimus. Hic iam tertium addatur, à præterita doctrina quæ his consonat, quasi dicat, id coràm verbis docui, quod nunc absens literis scribo : igitur cauendi sunt hi seductores, & manendum in doctrina à me tradita.

Doctrina autem accipiatur etiam de Antichristi habitu ac moribus: indubiè enim vtrunque viua voce docuit. h.e. quando Christus esset venturus, & quale interim regnum Antichristus excitaturus esset, quæ doctrina diligenter est in Ecclesia retinenda.

6. *Nunc etiam quid obstat, &c.*

Confirmat institutum, ipsorum Thessalonicensium notitia q.d. vobis res nota est, de regno Antichristi, & quid eum impediat: igitur doctrina impostorum cauenda est. Stultum enim est doctrinam nouam admittere contra veram cognitionem. Illud τὸ κατέχον obscurum videtur: sensus tamen est, illos scire quid impediat Antichristum quominus etiam nunc non dilatet suum imperium. Causæ impedientes eum sunt: primùm Romani imperij potentia ac duratio, nam illa florente Antichristus non potest solium Romæ inuadere, Apoc. 17. v. 9. vbi verò dissipabitur imperium, tum habebit occasionem inuadendi sedem imperij. Deinde impedit ipsum cursus Euãgelij, quod debet priùs prędicari in toto orbe. Mat. 24. Ex quo sequitur Ecclesiastica Apostasia, & in illa solium suum firmabit Antichristus. Hic sensus est eorum, qui de causis impedientibus hæc interpretantur: sed potest hic etiam esse sensus. Scitis quid ipsum detineat. h.e. quid ipsum in ordine retineat, ne suffugiat patefactionem tam ignominiosam. Nam vtique omnibus modis turpitudinem hanc patefactionis declinaret, nisi Dominus freno iniecto illum contineret, & inuitus se spectandum proderet, quò facit quod dicit τὸ κατέχον εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι, hoc est, quid ipsum contineat vt reueletur : τελικὸν enim videtur superioris causæ illum retinentis in officio, & ordine, ne vt anguis elabatur.

Causæ tardates aduẽtum Antichristi. 1. 2.

7. *Mysterium enim iniquitatis nũc parturit.*

Rationem reddit lubricitatis, qua subduceret se astutus dæmon nisi à Domino constringeretur, vt exponatur publico spectaculo mundo ante aduentũ Domini. Ratio est, quia iam parturit mysterium iniquitatis. h.e. initia regni sui summa arte tegit ac velat specie sanctitatis. Considera igitur hic regnum Antichristi iampridem initia sua accepisse inde ab Apostolorum temporibus. Deinde, in his initiis eum vsum summa calliditate ac fraude, h.e. titulo pietatis, & sanctitatis sese semper ornauit vt adhuc facit. Habuisse autem felicia initia docet verbum ἐνεργεῖται, id est, feliciter operatur. *Mysterium* autem *iniquitatis* dicitur, secretum rei iniquæ & turpis, quia Antichristus quæsiuit mox in Christianismo impunitatem suorum scelerum. Dicitur enim ἄνομος qui est exlex, hoc est, supra leges, aliis dictat iura, ipse liber ab omniũ censura. Hoc quęsiuit & tandẽ obtinuit: quod accipio per mysteriũ iniquitatis, &c.

Initium & fraus dominij Antichristi.

Saltem qui illum detinet nunc, donec è medio tollatur.

Sensus est, quòd Deus singulari consilio illum reprimat, ne omnes latere possit astutia Deus re-

primit Antichristi astu. illius, sed prodatur etiam initium regni illius ad posteritatis vtilitatem. Sic deprehensus est dæmon iste ab Apostolo Paulo, vt hæc tam aperta de illius regno proderet. Sic Ioannes similia de illo aperuit 1.epist.cap.2.& 4.sic Dominus Christus mysteria illius recondita prodidit vtut esset astutus. Atq; hic ipse Deus omnipotens retinet illum in ordine, vt etiam summa illius lubricitas tandem patefiat, donec totus è medio tollatur. Hic sensus mihi placet. Qui priorem sequuntur, ad superiorem redeant, &c.

8. *Et tunc detegetur impius, &c.*

Tempus patefactionis Antichr. Loquitur de tempore patefactionis, cui coniungit tempus perditionis, vt videantur illa duo tempore non fore multum dissita. Considera autem quatuor tempora in regno Antichristi constitui: tempus initij est circa ipsa Apostolorum tempora, quibus regni sui principia astutè posuit, vt à paucis deprehendi dolus posset, ideo mysteria tum peregit. Alterum tempus est dominij ac durationis quo in flore regnauit, de quo mox versu proximo. Tempus patefactionis quod tertium est, illum prodet mundo. Quartum euersionis, quo delebitur in aduentu Domini. Hæc duo tempora coniungit, detegetur scil. mundo vt publicè cognoscatur dolus eius. Ἄνομος dicitur exlex, quia supra leges se eleuabit, aliis dictans leges ipse à nemine iudicandus. Et loquitur de ipso quasi vna & certa persona, quia imperium eius est monarchicum, in quo vna semper persona rerum potitur, vt propriè fit in tyrannide, qualis est sub Antichristo. Interim sectis, organis, & ministris, adeoque sibi mutuò succedentibus semper nouis personis multi sunt. Ideo 1.Ioan.2.ver.18.dicitur, Antichristos multos esse, ipso iam Apostolorum tempore. Verùm quia omnium vnus finis, vna sedes, vna tyrannis, vna semper vno tempore ordinaria persona cuncta administrans, sub vnius hominis persona describitur.

Quem Dominus conficiet.

Tempus perditionis. Tempus perditionis est sub ipsum Domini aduentum: vnde colligo non ab alio, quàm ipso Domino Christo euertendum. Itaque *spiritu oris*, refero ad ipsum Christum, qui verus homo & Deus hunc dæmonem prosternet. Esa.11. In virga oris sui percutiet terram, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et Apostolus hic addit, *Apparitione sui aduentus eum abolebit*, hoc est, ipse Christus coràm iudex euertet eum, plus habebit gloriæ, & atrocior erit pœna hoc pacto.

9. *Cuius præsentia est, &c.*

Duratio & status imperij Antichr. Alterum hoc tempus est, durantis & florentis imperij eius. Satanæ potentia in isto declarabitur. Satanas dicitur (vt Iustino placet) quasi Satanachas, impostor serpens: itaque serpentis tota fraus in hoc dæmone patefiet. Δύναμιν refero ad vtranque potentiam, ciuilem & spiritualem, nam vtranque sibi arrogat eo prætextu, quòd Petrus inquit, Ecce duo gladij hic, hoc est, gubernatio ciuilis & spiritualis mea est. Signa à fine dicuntur, quia aliquid denotant: τέρατα autem ad stuporem sunt accommodata. Hæc quomodo impleta sint, & quotidie impleantur, videre est in templis, quæ vbique signis & miraculis ornata sunt, non secus quàm Neptuni fanum tabulis naufragorum, aut Martis sacellum trophæis & hostium manubiis.

10. *Et cum omni fraude, &c.*

Fraus signorum & falsorum miraculorum finis est: fraus autem iniustitię, vt propriæ causæ fructus.

Natura subditorum Antichristi. Reliqua iam ad subditorum naturam pertinent: Initio ostendit in quos valeat ista tyrannis, non sanè in bonos, quia illi seduci non poterunt. Matth.24. Consequens igitur est valere in eos qui damnandi sunt. Hi ἀπολλυμένοι, hoc est, ad interitum destinati, Eph.2.v.2.*filij ἀπειθείας* dicuntur: & Eph.5.v.6. Causa autem perditionis est, *quòd amorem veritatis non receperunt*, suprà cap.1.v.8.dixit, quia Euangelio non crediderunt. Euangelij autem prædicatio publica fuit, omnib. proposita idque bono fine, vt saluarentur. Hoc illi non curant, sed rident & contemnunt: ideo iusto Dei iudicio premuntur.

11. *Ideo mittet, &c.*

Peccatorũ pœnę. Pœnas peccatorum explicat: similia vidimus ad Rom.1. de Gentium pœna, quòd Deum vt cognouerãt non honorarunt: ideo traditę sunt in sensum reprobum, & mercedem in seipsis receperunt. Ita hîc dicit, contumaciæ pœnam esse erroribus aures præbere.

12. *Vt iudicentur, &c.*

Fine coniungit subditos Antichristi cum ipso Antichristo. Κριθῶσι accipio pro κατακριθῶσι, damnentur, quia de nouissimo loquitur iudicio. Causa damnationis iusta, est ipsorum εὐδοκία, hoc est, naturalis affectio, & amor erga mendacium & iniustitiam.

Vitium hoc naturæ est corruptæ, sed confirmatur in dies afflatu spiritus mali, educatione praua, exemplo & moribus publicis. Quæ corruptela violenter regnat hodie in mundo: ideo sperandum est aliquando hęc omnia suum finem acceptura. Quod fiet indubiè: Domino autem

autem soli nota sunt eius momenta,&c.

13. *Nos autem debemus,&c.*

Altera pars epistolæ,qua de piorum sorte agit,hoc est, à quo,quando, per quid, ad quid, & quomodo electi sint. *2. Pars epist. de sorte electorum.*

Absoluitur hæc pars tribus istis membris:gratiarum actione, exhortatione & comprecatione,quæ sunt εὐχαριστία, προτροπή,& ἔντευξις.

Ac εὐχαριστία,duo habet membra,πρότασιν & κατασκευήν.Propositio his continetur verbis, *Nos Deo debemus agere gratias semper pro vobis fratres dilecti à Domino*.Sensus est,Pij doctores pro electorum sorte Deo perpetuam debent gratitudinem.Hæc connectit superioribus,per ἐναντιωματικὸν μόριον,*Vos autem,&c.* Dixerat enim de impiorum euentu:nunc de electis acturus,q.d.vestra conditio longè alia est.Hanc conditionem agnoscunt doctores imprimis, & de hac pios sæpe admonere debent.Confirmatio sequitur,*quia elegit vos Deus*:ratio sumitur ab æterna Dei electione,quæ ad salutem inseruit piis.Habes hîc efficientem causam electionis,*Deum* ipsum eligentem:deinde quando cœperit hæc electio,ἀπ' ἀρχῆς h.e.*ab initio* quod non accipio de initio illorum conuersionis, sed æterno illo electionis initio, quod explicatur ad Ephes.1 ver.4. Ante posita mundi fundamenta , ex quo initio ait Apostolus ad Rom. 9.ver.13.Iacob dilexi, Esau verò odio habui, &c. Ad quid autem facta sit indicat,*ad salutem*, h.e.conseruationem,non ad condemnationem:per quid autem declarata est illa electio? respondet,*in sanctificatione spiritus,& fide veritatis*: significat enim per ista quasi organa peruenisse ad illam pridem factam electionem.Sanctificatio Spiritus,est ipse Spiritus sanctificans, vel dona illius Spiritus.Et prepositionem ἐν accipio pro διὰ,sic manifestior est sensus de causis organicis,q.d.per Spiritum sanctificantem vocati iam estis, & fidem veram : sic de Spiritu loquitur Rom.5.ver.5.Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis.Hinc templum Dei dicimur, & Spiritus sancti,1.Cor.3.v.16. Sanctificat enim nos, & regenerat,nouos quoque motus dictat, addit etiam sua dona & charismata. Sic fides organum est,quo nos pertrahit & patefacit suam de nobis electionem.Fidem veritatis intelligo veram fidem,quæ idolo fidei nudæ opponitur,Iacob.2.De hac fide veritatis loquitur Petrus Act.15. vers.9.fide purificans corda illorum. *Electionis causa efficiens & tēpus. Ad quid facta. Per quid.*

Chrysostomus hîc eleganter colligit salutem nostram pendêre à fide,& non ab operibus: inquit enim,ab istis salutis nostræ summa dependet,nusquam ab operibus,nusquam à rectè factis,sed per fidem veritatis.

14. *Ad quod vocauit vos,&c.*Pleniùs explicat causam organicam scil.proposita etiam externa prædicatione.Itaque organum etiam est vox docentis:ideo ait,*vocati estis ad fidem per Euangelium nostrum*,h.e.nobis docentibus vos : solet enim Deus organis certis vti in conuersione hominum.Vocat suum Euangelium,vt 2.Cor.4. v.3.Si tectum est nostrū Euangelium, in his qui pereunt tectum est.In 2.ad Tim.2. v.8.præcisè suum vocat, non alia ratione quàm quod ei cōmisſū esset,vt est Gal.2.Hinc de Corinthiis loquitur,Ego per Euāgeliū vos genui. Interim nihil impedit quominus idē Euangelium Dei sit,vt loquitur ad Ro.9.Segregatus in Euāgelium Dei.Pauli est,quia ei cōmissa fuit eius prædicatio:Dei verò est,tanquam autoris. *Organica causa electionis.*

15. *Itaque fratres,&c.*

Alterum membrum huius partis,continens exhortationē ad constantiam in vera doctrina. Id volunt verba στήκετε & κρατεῖτε. Παραδόσεις accipio, pro traditionibus quæ continent explicationem doctrinæ sanæ:nam sæpe articulorum τὸ ῥητὸν non habet controuersiam,sed vbi ad interpretationem deuenitur, alius alium sensum quærit & tuetur mordicus.Hæc explicatio Scripturæ & præcipuorum articulorum vera est παράδοσις ab Apostolis tradita. Ac hunc esse sensum inde constabit , quia toto hoc capite nihil agitur de ritibus , sed doctrinæ sanæ est defensio,de articulo fidei,loquentis de Domini aduētu:hinc addidit explicationem de Antichristi reuelatione.1.Cor.11.& infrà cap.3.contra otiosos disserēs, traditionem vocat doctrinam contra inertiam,& de honesto labore manuum. *Exhortatio ad cōstantiam in vera doctrina.*

Partes vel genera,traditionum hîc addit,*per sermonem vel epistolam*,significās traditionem de doctrina,vel esse scripto comprehensam,quę dicitur ἔγγραφος,qualis est doctrina superioris,ac huius epistolæ,adeoque totius noui Testamenti,quod doctrinam veteris Testamenti explicat & illustrat:vel esse διὰ λόγον,hoc est,ἄγραφος,scripto non comprehensa, qualia erant præcepta viuæ vocis. Ac prioris generis tota Scriptura est , quæ continet omnia necessaria ad salutem,&c.Vide locum de traditionibus. *Traditionum duplex genus.*

16. *Ipse verò Dominus noster,&c.*

Tertium est membrum comprecatione constans:aperit autem fontem æternæ electionis, q.d. Dei gratiam per Iesum Christum nobis collatam. Primùm obserua Dei opera indiuisim tribui Patri & Filio, & in eo gradu primo loco ponit Filium, quod sine insigni blasphemia non poterat fieri,nisi æternus & omnipotens Deus esset Filius Patri consubstantialis.Deus *Comprecatio vbi de fonte electionis.*

nomen est naturæ & substantiæ.

Pater & Filius personarum est distinctio. Deinde, obserua quatuor hîc communiter tribui Deo. 1. Primò, *quòd nos diligat*, hoc est, ab æterno dilexerit priusquam nos ipsum dilexerimus, quæ causa est electionis 2. Deinde hinc efficitur *æterna consolatio*, hoc est, datur Spiritus cõsolator qui nos nunquam deserit. 3. Tertiò, *spes bona*, hoc est, firma, quæ & ipsa demum est S. Sancti: in cruce autem sese imprimis exerit. In gratia, h. e. per gratiam, vt sit causa efficiens. 4. Quartò, confirmat & stabilit corda nostra sermone & opere bono, hoc est, innocentia vitæ, vt mores professioni respondeant, &c.

CAPVT III.

Arg. cap. 3. & eius partes.



EQVITVR locus tertius hoc capite, de oratione mutua in Ecclesia, quatum auditores doctrinæ ministros debent iuuare: tum ministri auditores Domino commendare. 2. Deinde additur locus copiosior contra inertes & homines otiosos, quos tradit vitandos, & à toto cœtu eiiciendos. 3. Demum Epilogo totam claudit epistolam.

Vers. 1. *Quod superest, fratres orate, &c.*

Trãsitio ad noua præcepta.

Transitio ad noua præcepta: ac videtur hactenus præcepisse necessaria, quibus saluis ac rectè constitutis, accedunt hæc λοιπόμενα, hoc est, necessariis semper adiungenda, studium scil. precum, ac animaduersio in otiosos.

1. De precibus mutuis doctorum & auditornm.

Propositio loci huius est, Mutuæ preces in Ecclesia semper adhibendę sunt doctrinæ, hoc est, vt auditores pro doctoribus, vt isti pro auditoribus suis quàm studiosissimè orent. Propositio bipartita est, prius membrum de auditorum officio loquitur: id dixit hîc. *Fratres orate pro nobis*. Rectè persona Pauli intelligitur: sed Silas, Timotheus & similes illi coniunguntur, vt generalis sit Propositio. Omnibus doctoribus veritatis necessaria est auditorum oratio. Ratio est, quia Apostolus tantus vbique confugit ad Ecclesiarum preces, vt hoc loco, & ad Rom. 15. ver. 30. Colos. 4. ver. 3. Ephes. 6. ver. 19. Accedunt similia exempla, vt Petri, qui fratrum precib. liberatur ex carcere, Act. 12. Ezechias orando superat Assyrios, Moses Amalechitas, &c.

1. Finis precum.

Ratio Propositionis est in contextu à fine sumpta, *vt sermo Domini currat*, hoc est, felix & fructuosa sit illius prædicatio. Et λόγος Domini est tota Euangelij doctrina, vt suprà Colos. 3. λόγος Domini inhabitet in vobis abundè, hoc est, doctrina Euangelica re & verbo dominetur apud vos. Itaque felix doctrina veritatis piorum precibus debetur ex parte: laborant enim doctores explicatione illius doctrinæ: auditores verò precibus vt Dominus addat gratiam, &c.

Tertio loco simile felicitatis exemplum adhibet, vt constet qualem successum precetur veritati, *quemadmodum apud vos*, hoc est, contentus ero si pari facilitate & successu aliæ nationes admiserint, vt vos. Laus est insignis huius Ecclesiæ, quòd ad huius ideam omnes cupiat applicare. Quomodo autem illi admiserint doctrinam Euangelij, repetendum est ex cap. 1. superioris epistolæ, vbi testatur ab eis admissam esse ἐν δυνάμει ἐν πνεύματι ἁγίῳ & πληροφορίᾳ πολλῇ. Sic igitur orandum est, vt vbique ab omnibus admittatur.

2. *Et, vt eripiamur, &c.*

2. Finis à bono priuato.

Alter finis precum: priorem sumpsit à bono publico, hunc iam à priuato bono, quod tamen inseruit publico. *Vt liberemur*, id est, quia boni doctores multis periculis circundantur, vt ab his liberemur vobis assiduè est orandum. Materia satis grauis est ad orandum. Pericula semper durant: ergo orandi studium perpetuum esse debet.

Duo periculorum genera.

Videtur autem duo genera periculorum facere, dum petit liberari ἀπὸ τῶν ἀτόπων, καὶ πονηρῶν. Ἄτοποι sunt absurdarum opinionum architecti, ideóque in his aliqua veritatis est cognitio, vt quòd Iulianus omnes Christianos exueret suis possessionibus eo prætextu, quòd Christus beatos pauperes dixisset, quasi beati non essent nisi pauperes facti ab ipso: erat, valde ἄτοπον, absurdum. Sic ex bonis principiis cuduntur absurdæ opiniones à schismaticis. Ἄτοποι quoque sunt, qui pietatem ore profitentur, moribus autem & vita minimè ornant. Πονηροὶ autem, qui studio nocendi & euertendi præcipuè laborant, quod conantur palam hostes, quique à religione planè alieni sunt: quanquam & hi sunt etiam ἄτοποι, & illi quoque πονηροί. Illustre exemplum πονηροῦ habes 2. Timoth. 4. ver. 14. in Alexandro illo ærario: item in Hymenæo & similibus.

3. *Fidelis autem est Dominus.*

Paulus pro Thess. orat.

Cõuertit officiũ orãdi ad doctores: orat enim pro ipsis iã, quod enim eos consolatur à Domini constantia in suis defendẽdis, séq; declarat de ipsis minimè desperare, orãtis pium habent affectum, vt. n. hæc efficiãtur vnicè orat à Domino. Duplex hîc cõsolationis argumentũ est: prius

prius à persona Dei, qui quia fidelis est, studium suos defendendi nunquam deponet. Stabilire accipio in veritatis cognitione: custodire autem contra pericula. Et πονηρὸν accipio de præsenti illius Ecclesiæ statu, h.e. cruce & seditionibus, quibus laborabant propter admissam doctrinam Euangelij. Deinde de autore Satana, & organis reprobis hominibus qui pios persequuntur.

4. *Confidimus autem de vobis, &c.* Præoccupatio est ne videatur de ipsis desperare, aut tenuius sentire, ideo consolationem auget particula ἃ, quę refero ad totã doctrinam Apostolicam, quam ab ipso acceperant. Deinde de proximo mandato orandi pro successu Euangelij. Præoccupatio.

5. *Dominus autem dirigat, &c.* Conclusio loci illius comprecatione constans, εὐθύνει & κατευθύνει eorum est qui alios ducunt, qui viæ ductores sunt. Talis est Christus in tota nostra vita. Duas autem notas constituit, *dilectionem Dei*, quia in hac tota lex & Prophetæ comprehenduntur: & *tolerantiam Christi*, h.c. patientiam sub cruce, quam Christi nomine ferebant.

6. *Mandamus autem vobis, &c.*

Alter locus huius capitis, quo disputat contra otiosos. Propositio loci est, Pij non solùm ipsi ab otio turpi sibi cauere debent, sed etiam ipsos otiosos tanquam pestem publicam vitare. Hoc Apostolus hîc dicit per στέλλεσθαι, subducite vos ab omni fratre inordinatè viuente: & infra, Ne commisceamini ei, & τοῦτον σημειοῦσθε, talem notate, &c. hoc est, tanquam publica probra vitate, & notate quasi ignominia publica. Locus de cauendo otio.

Rationes sunt: Primùm, quia non sua contentus autoritate hoc præcipit, sed Christi nomine graui cõminatione mandat: solent legati in re grauiori sui principis proferre nomen. Cur vitandum otium.

Deinde, quia otium quædam est ἀταξία, & otiosè viuere est ἀτάκτως περιπατεῖν. Est autem ἀταξία ordinis diuini perturbatio, quia Deus ordinis est autor, & ordinem in rebus omnibus cõseruat, in hominum cœtibus quoque εὐταξίαν instituit quam seruari vult. Hanc frangunt otiosi, volúntque exleges esse, hoc est, Dei institutioni se improbè subducunt. Itaque vitanda est hæc vita.

Tertiò repugnat Apostolicæ doctrinæ, quam illi acceperant ab Apostolo. Vocat hîc iterum doctrinam de moribus παράδοσιν, vt sup. cap. 2. v. 15. nihil enim de ritibus Ecclesiasticis disseritur, sed de doctrina morali. Tradiderat igitur Apostolus viua voce, quomodo deberent honestam traducere vitam electi, à qua traditione otiosi recedunt, ideóque vitãdi sunt.

7. *Ipsi enim scitis, &c.*

Sequitur plenior confirmatio propositionis.

Quarta sit hæc ratio ab exemplo Apostoli. Qui laborauit manibus quum posset ex Euangelio viuere: ergo reliqui magis debent laborare manibus, quum nullo priuilegio otiosi viuere possint ex Euangelij professione. De laboribus Apostoli aliàs sæpe diximus, vt 1. Corint. 9. & 2. Cor. 11. v. 7. 8 9. Philipp. 4. v. 15. quò remitto te. Obserua autem hîc quod Apostolus dicit, non ἠτακτήσαμεν: ergo si docendo non laborasset manibus, videri poterat ἀτάκτως vixisse, sic quidem Apostolus interpretatur, quia in loco & tempore de suo iure ministro cedendum est, & id nisi faciat, peccat non minus ἀταξίᾳ quàm otiosi ventres. Confirmat suo exemplo fugiendum otium.

8. *Neque gratis panem, &c.*

Ἐξήγησις est sui exempli: ostendit enim quomodo non sit inordinatè apud ipsos conuersatus. Gratis panem edere, est inordinatè viuere, hoc est, pigrum & otiosum esse, & tamen aliorum frui laboribus: laborauit igitur manibus noctu & die, & nihilominus docuit. Edere gratis panem.

Finis laborum Apostoli est, *Ne quem grauaret.* Publicum bonum erat priuatis non esse molestum: faciliores enim erant ad doctrinam, quæ sine sumptibus offerebatur. Primi enim cœtus ex idiotis & pauperibus ferè solent colligi, qui vix ipsi habent vnde viuant.

9. *Non quòd non habeamus, &c.*

Præoccupatio, qua ostendit causam laborum suorum per se non esse necessitatem absolutam, sed ratione vtili inductam. Cauet hoc loco aliis ministris qui ex Euangelio viuebant, quibus non erat ita facilis & parata viuendi ratio data. Poterat ergo Paulus quoque ex Euangelio viuere, sed hoc magis expediebat vt gratis doceret. Hîc additur alter finis, vt aliis exemplo esset. Prior finis ad vtilitatem spectabat auditorum, quos noluit grauare: hîc verò ad vtilem imitationem facit, vt scil. omnes viderent quæ viuendi ratio Deo esset gratissima. Imitatio hæc primùm ad subditos pertinet, qui exemplo Pauli doctoris discant laboribus honestis se alere. Deinde pertinet ad doctores quoque, vt tempore & loco interdum de iure suo cedant, gratisq; doceant, quum aliunde perinde cõmodè possint viuere. Qualia exempla etsi rara sint, tamen semper aliqua extiterunt & adhuc extant in Ecclesia Christi. Cur laborarit manibus Paulus.

10. *Nam quum essemus apud vos, &c.*

Ostendit doctrinam contra otium necessariam esse illorum Ecclesię. Ratio est, quia abundat otiosis: id nouit Apostolus, primùm relatione piorum fratrum: deinde indubiè propria experientia, qui corãm viderat hoc malo laborare istam vrbem. Taxat otij Thess.

Argum. 5. contra otium.

Argumentum autem hinc sumatur quintum contra otium à pronuntiatis veteris legis, cui congruit Apostoli doctrina, quam coràm tradiderat oretenus, & nunc repetit hac epistola. Illa est, *Qui non laborat, non manducet.* Sumpsit ex 3. cap. Gen. vbi prima homini hæc lex posita est, In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Sensus igitur est, Non solùm vetus lex, sed noua Christi doctrina & Apostolica explicatio damnat hoc iners otium: ergo fugiendum est.

11. *Audimus enim quosdam, &c.*

Quid de ipsis sciat vera relatione ostendit, otiosos scil. apud illos vagari: ostendit otij genus esse ἀταξίαν vt priùs quoque vers. 6. Hinc igitur construatur otij definitio, quòd sit ἀταξία contra legem Dei de honesto labore conquirendo victu, introducta.

6. Argu. à malo quod adhæret otio.

Deinde notetur hîc sextum argumentum, quod damnat otium à coniuncto malo. Id expressit Apostolus eleganti verborum allusione, nihil ἐργαζομένους, sed περιεργαζομένους, hoc est, nulla re honesta negotiosos, sed curiosos. Itaque valet à coniunctis argumẽtum. Otium hoc iners semper habet curiositatem coniunctam, malum & detestabile vitium: ergo diligenter est vitandum. Hoc declarari potest illo loco qui est 1. Timoth. 5. vbi otiosis viduis quoque hoc tribuit, quòd sint περίεργοι, hoc est, curiosæ. Curiositas igitur otiosos comitatur: nam quum animus hominis non possit quiescere, superest vt ad mala & vetita conuertatur, dum honestis occupationibus non detinetur. Sic Lucianus animi curiositate scripsit suas fabulosas narrationes, quum honesto argumento non delectaretur.

10. *His qui tales sunt mando, &c.*

Conclusio & 7. arg.

Συμπέρασμα est, repetens primariam propositionem, quam illustrem facit mandato & precibus. Suprà simpliciter mandauerat nomine Christi, & meritò, vt qui ageret contra vitium sua natura fœdum. Tandem hîc admiscet preces, ne videatur nimium in ipsos exasperatus, aut nimium de illorum resipiscentia diffidere. Suprà epistola 1. cap. 4. simili phrasi est vsus contra otiosos.

Hîc colligatur septimum argumentum contra otiosos, quia *tales non suum edunt panem.* Suum enim panem dicuntur edere Apostolo, qui intenti honestis laboribus inde victitant: igitur otiosi non suum edunt, quia nullis honestis occupationibus intenti sunt: sed edunt aliorum panem, vt fuci vastant apibus laborantibus labores, & mella absumunt.

13. *Vos autem fratres defatigemini, &c.*

Occupatio contra excusationes corũ qui liberales esse nolunt.

Occupatio est necessaria contra excusationes hominum, ne liberales in pauperes esse cogantur: respondent enim mox, mendici validi sunt, vt possent laborare, cur non laborant? indigni sunt quibus bene fiat. Respondet Apostolus, non ideo desistendum esse piis à benefaciendo. Duplex igitur est otiosorum genus: vnum de quorum inertia, & turpi otio constat, qui vitandi sunt, vt hîc præcipit Apostolus. Alterum de quorum otio mihi non constat: fieri enim potest vt qui validus mihi videatur, laboret certo quodam morbo, aut aliis honestis causis inuitus cogatur otiosus oberrare, in hos beneficus esse debeo secundum præceptum Apostoli: & quia horum copia semper maior est, ideo perpetuum studium liberalitatis sit oportet. Hinc respondeatur igitur, his qui conuitiis potius pauperes abigunt, quàm beneficio.

14. *Si quis autem non, &c.*

Quomodo tractandi contumaces.

Noua occupatio, quid cum contumacibus sit agendum. Admonendi primùm authoritate Apostolica, hinc si non corrigantur, notandi sunt, & abstinendum ab illorum commercio, vt tandem vel sic erubescant. Duplex hic sensus est natus ex distinctione varia. Alij διὰ τῆς ἐπιστολῆς coniungunt cum σημειοῦσθε, vt sit sensus contumaces per epistolam iudicandos Apostolo, vt suo iure & modo non expresso cum illis procederet. Alij coniungunt cum τῷ λόγῳ, tum pertinebit ad admonitionis authoritatem, quasi dicat, meo nomine ex epistola hac officij sunt admonẽdi: sic plus habebit ponderis admonitio. Vtraque sententia tamen comminationem habet pœnæ cuiusdam.

Itaque hinc octauum argumentum petatur, Otiosi tales Apostolica authoritate vitandi sunt, notandi sunt hac ignominia, vt consortio nostro indigni habeantur. Igitur otium hoc per se vitandum est.

De pœna in otiosos.

Locus est de pœna otiosorum, quam alij ad excommunicationem referunt, hoc saltem argumento, quia negandus sit eis conuictus, & vitæ commercium: ergo quoque Cœna & sacrorum vsus. Sed non consistit hæc ratio, quia non statim sunt maiora neganda, quum negantur minora, vt negatur otioso, & ebrio, scortatori, tribus ciuium: non tamen negatur ei vitæ copia. Itaque quum otiosum iubet à priuato commercio arcere, non statim iubet à sacris, ac Sacramentis excludere.

Ratio vtriusque est illa, Quòd priuatus conuictus corrumpit mores conuersantium, non perinde communis Sacramentorum vsus: vt si cũ ebrio semper viuam tandem vino me corrumpet,

rumpet, vt vel simul inebrier, vel saltem molestum habeam ad bibendum inuitatorem. Ideo mihi in conuictu est vitandus, quem in Cœna Domini vitare non debeo, quia in Domini Cœna me non corrumpet, qui in priuata cœna poterat corrumpere. Itaque non commisceri illo, est non corrupta illius vita vti in conuictu, non delectari: & σημειοῦσθαι tam est significare quàm notare. Quum σημειόω, & σημαίνω & notare & significare denotent.

Finis bonus est, *Et pudore suffundatur.* Huc respicit priuatæ vitæ & commercij deuitatio. Similia vide 1 Cor. 5. vers. 11.

15. *Et non vt inimicum, &c.*

Correctio est seueritatis Ecclesiasticæ. Pudor peccatoris Ecclesiæ satis esse debet, non hostiliter persequendus vt Satanæ membrum, sed vt frater. Ideo fulmen anathematis proferri non debet, quia spes de emendatione semper durare potest.

16. *Ipse autem Dominus, &c.*

Quarta pars epistolæ continens Epilogum. Constat autem Comprecatione: & quia de labore honesto agit ac vitę modestia, ideo pacem comprecatur. Deinde constat salutatione, nuda sua persona adscripta. Tertiò, subscriptione, in qua separat certa nota suam epistolam veram à fictitia, quia habet sua manu subscriptam clausulam: deinde, quia certis notis & conceptis verbis constat hæc subscriptio. Primùm hinc discimus amanuensi vsum esse Apostolum, cui dictaret epistolas. Deinde fraudem adulterinas epistolas circunferendi, & Ecclesiis obtrudendi iam tum inualuisse: tertiò, hanc imposturã tamen cohibitam diuinitus, vt hanc clausulam Apostolo propriam non animaduerteret, &c. Epilogus totius epistolæ.

POSTERIORIS AD THESSALONICENSES FINIS.



DISPOSITIO PRIORIS EPISTOLÆ AD TIMOTHEVM.



TIMOTHEVS patria fuit, vt ferunt, Lycaonius, natus parentibus imparibus. Nam Act. 16. matre Iudæa, patre verò Gręco progenitus dicitur. Vnde in prima infantia quoque circumcisus non est. Infrà in 2. Epistola cap. 1. maternum genus diffusiùs declaratur. Nominat enim Apostolus illic matrem Eunicam, auiam verò Loidem, matronas admodum pias & Christianas, à quibus in sacris literis & Christiana religione à puero educatus fuit. Nam infrà in 2. Epistola, capite 3. à puero nouisse sacras literas scribitur, & cap. primo eiusdem, fidem auiæ & matris in ipso quoque habitare. Itaque incircumcisus quanuis fuerit: maturè tamen Christum agnouit, quæ professio illum adultum nunc poterat liberare à circumcisione, nisi certo Spiritus sancti consilio, ad certam ecclesiæ vtilitatem Apostolus circumcidisset, id quod D. Lucas exprimit in Act. 16. Præceptorem habuit præter matrem & auiam Apostolum Paulum, vnde in hac Epistola, & alijs locis filius appellatur. Et quia fidum in professione Christiana deprehendit, fermè peregrinationum suarum comitem habuit, aut saltem ipso præpedito, vt legato ad diuersas Ecclesias est vsus, adeò vt & ipse Apostoli munere videatur functus. Comes fuit in Actis 16. & 20. Legatione verò fungitur à Paulo missus, Act. 19. vbi cum Erasto in Macedoniam mittitur. Ad Corinthios quoque missus est, vt constat ex prima Epistola cap. 4. Et ad Philippenses quoque missus est, vt res ipsorum inspiceret, vt est cap. 2. Et ad Thessalonicenses, vt in fide eos confirmaret, vt est in 1. ad Thess. cap. 3. Et hic Ephesi relictus, tanquam Episcopus, vt doctoribus legis sese opponeret, de quo vide Euseb. lib. 3. cap. 4. & Niceph. lib. 15. cap. 14. Hinc factum est vt Apost. Paulus in certis quibusdã scribendis epistolis ipsum sibi coniungat, vt est videre in vtraque ad Thessalonicenses, ad Philippenses, ad Colossenses, & in 2. ad Cor. Per cætera magna illius laus est quoties eius incidit mentio, vt in 1. ad Thessalonicenses, cap. 3. fratrem suum & Diaconum Dei vocat. Item συνεργὸν in Euan- Præceptores.

gelio. Ad Philippenses cap.2. ἰσόψυχον. In prima ad Corinth. capite 4. filium dilectum & fidelem in Domino. Ad Romanos 16. cap. quoque agnoscit συνεργόν. In 1. ad Corinthios 16. cap. Opus Dei operatur vt ego. Ex quibus vtcunque colligi potest de vita tota. De morte eius nihil certò colligi potest, quamuis sint qui martyrio coronatum dicant. Hieronymus Tomo 3. aduersus Vigilantium, refert ossa illius cum reliquis Andreæ & Lucæ Constantinopolim esse translata ab Imperatore Constantino, quod etiam habet Niceph. lib. 10. c. 11.

OCCASIO.

Occasio colligi debet ex primo capite huius Epistolæ, & ex 20. Actor. Nam Apostolus Paulus profecturus in Macedoniam eum reliquit Ephesi, vt scilicet ibi subsistens resisteret Nomodidascalis, id est, legis doctoribus, aliisque corruptoribus sanæ doctrinæ. Nam Satanas passim synceritati fidei insidiabatur per ceremonias Mosaicas, & Philosophica delitia. Sic Galatæ semi Iudæi facti erant, & Corinthij more Ethnico impunè ferebant quæuis vitia. Similes corruptelas metuebat Apostolus in Ephesina Ecclesia, ideò vt his poneret obicem, hunc apud eos reliquerat sanæ doctrinæ impigrum defensorem. Deinde in illa Ecclesia nòdum erat constitutus numerus ministrorum in docendo Euangelio necessarius, quos quidem nemo rectiùs constituere poterat, quàm is qui eligendi authoritatem diuinitus accepisset, quales tum erant Apostoli, & inter eos Paulus, qui dum in Macedoniam auocaretur, hanc curam huic demandauit, atque ob id in electione quid debeat spectare imprimis monet, ne cuiuis manus citò imponat, & in imponendo diligenter monstrat qui admittendi, aut repudiandi sint. Ex quo etiam hoc consequitur, spectasse Apostolum vt haberet tota posteritas ideam gubernationis ecclesiasticæ, & totius ministerij, quam deinceps tanquam regulam omnes sequerentur.

PROPOSITIO.

Argumentum in hanc sententiam contrahimus. Timotheo summa cura annitendum est vt Ecclesia Ephesina quàm rectissimè omnia administret, tum in tuenda sana doctrina contra quasuis corruptelas, tum in ordinandis ministris ecclesiarum, tum in exequendo officio, docendo, admonendo opportunè, omnium ordinum & ætatum homines. Hinc statuatur Thesis, seu generalis propositio. Omnes qui ecclesiis præesse vtiliter volunt, ad exemplum Timothei, & ad præscriptum D. Pauli, ista quàm diligentissimè curare debent.

GENVS.

Genus principale est Νυθετικόν. Nam admonet de rebus scitu necessariis, de quibus oretenus indubiè cum illo egerat, ideò absens eadem breuiter in memoriam reuocat, vt de conseruanda sana doctrina, de retinedda εὐταξίᾳ, de officiis omnium ordinum. Huic accedunt Protrepticum: sæpe enim ad exhortationes digreditur. Didacticum quo docet, & suum patefacit consilium, monstrátque sequenda. Epæneticum, quo personam Timothei laudat. Ψεκτικόν, quo inuehitur in corruptores sanæ doctrinæ, ἐπαγγελτικόν, quo prædicit euentum, & quodammodo Prophetæ officio fungitur, vt capite quarto.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes tres constituimus. Ac prima tribuatur titulo. Secunda instructioni. Nam statim exorditur vers. 3. à re ipsa, ostendens finem sui consilij, cur nimirum sit relictus Ephes. scilicet vt sanam doctrinam diligenter tueretur, ideo locus est prolixus de syncera doctrina defendenda. Et quia corruptores illius erãt Iudæi, ideò addit opportunè locum de vero vsu legis, quam illi sinistrè commiscebant Euangelio. Hinc locus tractatur à versu 8. vsque ad 11. à quo & deinceps tractat locum de sua vocatione, vsque ad 18. vbi redit ad commendationem suæ doctrinæ.

Capite secundo, secundus instructionis sequitur locus, de publicis precibus instituendis, cui addit locum de conseruando decoro in cœtibus, nominatim ab ipsis mulieribus, quæ videbantur Ethnicorum more parum verecundè cõuenire, adeò vt præsumerent etiam docere. Hoc ergo diligenter cauendum admonet.


Capite tertio, tertius est instructionis locus, quid in eligendis ministris sequendum sit. Ac primùm describit ideam boni ministri, vt constet qui admittendi, aut submouendi sint. Deinde de Diaconis agit. Tertiò, de ministrorum & diaconorum vxoribus & familia. Quartò, de alio genere diaconorum, quod præerat eleemosynis. Quintò, subnectitur omnium generalis conclusio.

Capite quarto, quartus est instructionis locus, de seductoribus cauendis omnium ætatum. Quos primitus describit à doctrina & professione, item genere vitæ. Secundò, agit de disciplina. Tertiò, de ætate iuuenili, quæ in ministro certis quibusdã dotibus excusari potest.

Capite quinto, quintus est instructionis locus, qualis scilicet esse debeat erga quosuis homines in admonendo. Ac primùm in sexu virili differentem ætatem notat. Deinde prolixiùs agit de viduis, quas distinguit ab ætate, in eas quæ prouectiores sunt, & in eas quæ adhuc

huc iuuenculæ, vt in singulis decorum meliùs obseruari possit. Tertiò, de presbyteris. Quartò de manuum impositione. Quintò, quædam priuata ad personam Timothei spectantia. Sextò generalis sequitur Epilogus, continens distinctionem peccatorum, & similiter bonorum operum.

Capite 6. persequitur quintum locum, & differit de seruis, quomodo hi admonendi sint sui officij. Secundò agit de schismaticis, quomodo deprehendi possint & sint admonendi. Tertiò, agit de Christiana rerum sufficientia, quam αὐτάρκειαν nominare possumus. Quartò, contra auaritiam. Quintò, iterum ad personalia descendit, & priuatim cum Timotheo agit. Sextò, redit ad locum de auaritia, & ostendit quomodo diuites admonendi sint sui officij. Atque hactenus à versu 3. capitis 1. est perpetua instructio, vsque ad versum 20. cap. 6. Vbi constituatur Epilogus totius Epistolæ, adeóque tertia pars. Ac primitus repetitur admonitio, de tuenda sana doctrina, & contrariis corruptelis omnibus vitandis. Deinde breui clausula & sibi consueta totam Epistolam concludit.



IN PRIOREM EPISTOLAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM, ΠΡΟΛΕΓΌΜΕΝΑ.

De Timotheo.



VIS fuerit Timotheus non aliunde rectiùs, quàm ex ipso Apostolo colligi potest: exprimit enim parentes illius, educationem, studia, diligentiam, fidem, &c. aliáque tum efficentia, tum effecta virtutis. Cui etiam congruit historia Actorum.

Ac parentes quidem huius Act. 16. v. 1. 2. 3. in genere perstringit: quòd matre Iudæa, patre verò Greco sit natus. Ideóque adultus demum circuncisus est. Sed Apostolus 2. Tim. 1. vers. 5. matrem Eunicam appellat, auiam verò Loidem: matronas pias & Christianas, à quibus non solùm in sacris literis à puero rectè institutus fuit: sed in vera religione & fide Christi: nam secundæ Timoth. 3. versu decimoquinto, affirmat Apostolus eum à puero sacras nouisse literas, & cap. 1. eiusdem epistolæ fidem auiæ, & matris, in ipso quoque filio habitare affirmat. Parentes Timoth.

Porrò, quia patrem Græcum habuit, ideo non fuisse in infantia circuncisum probabile est: à qua illum postea Christi religio & professio liberare poterat, nisi certo Spiritus Sancti consilio Apostolus illum ad certam Ecclesiarum vtilitatem circuncidisset: id quod Diuus Lucas non obscurè indicat capite decimoquinto Actorum, scilicet propter Iudæos, qui in illis locis habitabant, & nouerant patre Græco natum, & ob id incircuncisum, quem vt ferrent & Apostoli doctrinam faciliùs admitterent, assumptum circuncidit. Circuncisio eius.

Ab eo igitur tempore, peregrinationum Apostoli vel fuit comes, vel Apostolo præpedito, ipse tanquam legatus ad diuersas Ecclesias inspiciendas missus est, adeò vt & ipse Apostoli munere videatur functus. Comes est Apostoli Act. decimo sexto & vicesimo. Legatione verò fungitur ab ipso Apostolo missus, Actorum decimonono, 22. cum Erasto mittitur in Macedoniam, ad Corinthios missus est vt illis reuocaret in memoriam vias Apostoli, vt est primæ Corinthio. 4. vers. 17. sic missus est ad Philippensem Ecclesiam, vt illorum res inspiceret, Philippensium capite 2. vers. 19. Ad Thessalonicensem Ecclesiam, vt illam in fide confirmaret, & contra scandalum crucis confirmaret, 1. Thessalonicen. 3. versu secundo. Ex quibus locis satis apparet, eum huius opera vsum fuisse, in diuersis obeundis legationibus. Hinc fluxit etiam illud quòd interdum in scribendis epistolis ad certas Ecclesias Timotheũ sibi coniunxit, nimirum in quibus notus erat ex præsente doctrina: vt in vtraque ad Thessalonicenses: in illa quæ est ad Philippenses, Colossenses, & in secunda ad Corinthios: quia enim in prima ad Corinthios tanquam legatus exprimitur, ideo in altera tanquam co- Munus Apostolicum.

ram de facie illis notus, in titulo Apostolo coniungitur.

In epistola ad Romanos cap. decimo sexto, inter salutantes exprimitur. Per cætera magna illius est laus passim in Apostolicis epistolis, vt primæ Thessalonicen. 3. versu secundo, Fratrem vocat & diaconum Dei, & συνεργὸν in Euangelio. Philippensium secundo, versu vicesimo, ἰσόψυχον vocat. Primæ Corinthiorum 4. versu decimo septimo, filium dilectum, & fidelem in Domino. Romanorum 16. versu 21. quoque συνεργὸν agnoscit. 1. Corinth. 16. vers. 10. 11. Opus Domini operatur vt ego, ne quis igitur contemnat.

Ex quibus omnibus intelligimus iuuenem quidem fuisse, sed eruditum & ad ministerium Euangelicum aptissimum, &c.

Occasio.

1. Cura & solicitudo Apostolo extorsit occasionem scribendi hanc epistolam: id quod colligi potest partim ex capite primo huius epistolæ, partim ex Act. 20. Nam profecturus Apostolus in Macedoniam, Ephesi reliquerat Timotheum: causa rei fuit, vt illic subsistens resisteret νομοδιδασκάλοις, aliisque corruptelis sanæ doctrinæ. Viderat enim Apostolus vbique sinceræ doctrinæ Satanam insidiari, vt illam vel Mosaicis ceremoniis contaminaret, vel deliriis Philosophicis. Sic Galatæ semi-Iudæi facti erant admissa circuncisione: apud Corinthios verò, more Ethnico ferebant scortatores, incestuosos, ebrios in Cœna Domini, & qui cum Philosophis negarent resurrectionem carnis. Has corruptelas omnes, vel aliquas saltem metuebat in Ephesina Ecclesia, ideo vt his malis obicem poneret, hunc apud eos reliquit. 2. Deinde in ea Ecclesia nondum constitutus erat numerus ministrorum in Euangelij causa necessarius: quos ministros nemo rectiùs constituere poterat quàm is qui eligendi autoritatem accepisset diuinitus, quales tum erant Apostoli. Sed quia Paulus in Macedoniam auocatur, hanc curam demandat Timotheo. Ideo de electione imprimis admonet, ne cui citò manus imponat: & si cui imponere velit, monstrat qualis esse is debeat, cap. 3.

3. Accedit, expedire multum vt posteritas tota ideam habeat ministerij, & gubernationis Ecclesiasticæ, quam tanquam regulam deinceps sequerentur omnes.

Genus.

Νουθετικὸν genus est, nam varias habet admonitiones, quas sequi debet is qui Ecclesiæ Christi vtiliter præesse velit. Imprimis vt sanam doctrinam constanter tueatur, εὐταξίαν seruet, oportunè omnia administret erga quosuis tum subditos, tum præficiendos.

Accessoria sunt, ἐπαινετικὸν quo personam Timothei passim laudat. Ψεκτικὸν quo in corruptores veræ doctrinæ inuehitur. Προῤῥητικὸν, quo euentura prædicit, ac Prophetæ officio vtitur cap. 4.

Propositio.

Timotheo summa cura annitendum est, vt in Ecclesia Ephesina quàm rectissimè omnia administret, tum in tuenda sacra doctrina contra quasuis corruptelas, tum in ordinandis ministris, docendo, admonendo oportunè omnium ordinum & ætatum homines, &c. Hinc statuatur generalis propositio thetica. Omnes qui Ecclesiis præesse vtiliter volent, ad exemplum Timothei ista quàm diligentissimè curare debent, &c.

Partes.

Tres sunt principales partes. Prima est ipsa salutatio, seu Titulus, continens personam scribentem, eam cui scribitur, & comprecationem. Altera est instructio, quæ continet præcipuam epistolæ partem. Ideo in suos locos est deducenda.

1. Initio igitur exordium ducit à fine sui consilij, cur scilicet Ephesi relictus sit, videlicet, vt sanam doctrinam tueretur in Ecclesia noua. Locus igitur primus est, de sinceritate doctrinæ Euangelicæ defendenda contra corruptelas, & quia corruptores sanæ doctrinæ præcipuè legem docebant: ideo appendicem addit Apostolus de vsu vero Legis cap. 1.

2. Deinde instruit illum, quomodo, preces publicæ sint instituendæ, pro quibus orandum sit, à quibus, quo fine, cur, &c. Quibus addit coronidem, de mulierum decoro, in cœtibus publicis, non illis concedendum munus docendi publicè, cap. 2.

Hinc transit ad ideam ministerij exprimendam, vt doceat quales admittendi sint ad hoc munus, qualésue submouendi. Hic canon inseruiebat Timotheo in electionibus & hodie vnicè sequendus erat, inseruit etiam his qui animum ad ministerium applicant, vt sciant quas dotes ad hoc afferre debeant, & à quibus vitiis alienos esse oporteat.

Quartò, præmonet ipsum de seductoribus, qui vltimis temporibus Ecclesiam Christi corrupturi sunt: notas autem quasdam exprimit, à quibus infallibiliter cognosci possunt omnibus seculis: redit mox ad corruptelas Iudaicas, quas tum passim crescenti Euangelio admiscebant Legis doctores, crebras hîc exhortationes aspergit, nominatim ipso Timotheo compellando, capite quarto.

Quintò,

Quintò, præscribit illi decorum quod obseruare debet inter docendum, vt scilicet cuiusuis ætatis & conditionis homines commodè & cum grauitate admoneat sui officij. Imprimis de viduis suam sententiam plenius dicit, quales admittendæ sint ad ministerium, & quæ repudiandæ. De presbyteris quoque admonet, nequid temerè contra eos admittat.

Sextò, quomodo cum seruis agendum, contra schismaticos, cum diuitibus, capite sexto, &c.

Tertia pars Epilogi est capite sexto, versu vicesimo, repetit autem sæpe iam iteratam exhortationem, vt seductores diligenter caueat, & sanam doctrinam constanter tueatur.

CAPVT I.



COMPLECTITVR salutationem, & primum locum institutionis de sana doctrina constanter tuenda contra corruptelas Legis, itémque de vero vsu Legis. Argum. cap. 1.

Salutatio.

Titulus honesta & apposita ad rem præsentem constat salutatione: quia enim instituere voluit quomodo vtiliter huic Ecclesiæ præesse debeat, operæpretium fuit initio amica salutatione, qua grata ipsi Timotheo exprimeret, caueretque contraria. Et ipsa natura in omni sermone primum locum tribuit salutationibus, post quas demum solet inferre animi conceptionem. Tituli argum.

Tribus partibus constat hæc salutatio, vt etiam in superioribus epistolis. Primùm de se loquitur. Deinde, Timotheum ornat debita sua laude. Tertiò, comprecatur eidem Domini dona, sine quibus munus iniunctum feliciter non poterat exequi. Primum ad personam scribentis, alterum ad personam cui scribitur, tertium ad comprecationem pertinet. Partes.

Vers. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi secundum mandatum Dei saluatoris nostri, & Domini Iesu Christi spei nostræ.*

De se primùm loquitur pro more epistolari, secundum quem nomen scribentis primò exprimendum erat, ídque adeò constanter seruatum est, vt infimi quoque maximis Regibus & Imperatoribus scribentes, sua nomina Regum titulis præponerent: donec præpostera illa adulatio regnare in Ecclesia Christi cœpit, & hypocrisis sese extulit in locum Dei, hinc quæsita est gloria & splendoris dignitas in nominum prærogatiua, de qua alibi: nunc ad rem. Apostolus se commendat titulis muneris sui diuinitus accepti, non quòd de vocatione sua dubitaret Timotheus, sed vt rebus maior accederet dignitas. Deinde quòd vbique in omnibus suis epistolis hoc seruet Apostolus: non fuit igitur ratio cur idem hic non præstaret. Itaque in rebus grauibus, loco & tempore pium est titulis sui muneris sese commendare & insinuare aliis. Paulus de se loquitur.

Primùm suum nomen exprimit: de nomine Pauli diximus in Prolegomenis in Epistolam ad Rom. Certum autem est Romanum esse nomen: quando autem hoc assumpserit, qua de causa, vbi, certò sciri non potest: probabilia tamen sunt quę de his tum afferebamus: omittenda igitur harum rerum grauior disputatio, quia ad salutem nihil prodest, & curiosi est hominis anxiè de his inquirere.

Apostolus sonat legatum, qui superioris alicuius domini profert, non sua mandata: éstque in nouo Testamento persona cum summo imperio S. Sancti ad omnia quæ pertinent ad functionem Ecclesiasticam ornata: adeò vt Prophetarum etiam munere fungerentur, & quidquid Euangelistæ, Episcopi, presbyteri, aliíque gradus præstarent, ipsi ordinarent, vbique docebant, nouas Ecclesias instituebant, his præficiebant ministros, ordinabant interdum seniores, præscribebant formulam doctrinæ & morum, & Sacramentorum. Itaque nullo certo loco manebant, sed vbique respiciebant Ecclesias, nouásque ordinabant. Pastores verò in certis locis manebant, quos vocat Episcopos Apostolus, & postera ętas. Euangelistæ iidem videntur cum doctoribus qui Euangelium circumferebant: sed nos eos vocamus hodie propriè Euangelistas, qui historiam Christi viuentis in his terris conscripserunt: & doctores potiùs scholarum est vocabulum: minister hodie solùm Ecclesiæ relictum est, de quibus alibi dictum est. Apostolus. Pastores. Euangelistæ. Doctores. Ephes. 4.

Secundum ordinationem.

Vocationis suæ ad Apostolatum profert autorem Deum Patrem, & Filium eius Iesum Christum. Deus Pater vt fons est omnis boni, ex quo manauit æternum Dei consilium de saluandis electis. Ideo Pater dicitur saluator, quia per Christum filium suum redemit mundum: filius autem dicitur spes, quia hunc vt mediatorem nobis propositum spe amplectimur. Est igitur spes, indubitata expectatio vitæ æternæ, ex Dei misericordia, quæ in nos Autor vocationis Apo. Spes quid.

per filium mediatorem transfunditur.

Doctrina Pauli a Deo.

Ἐπιταγὴ autem dicitur mandatum, instructio, significans Apostoli doctrinam diuinitus esse traditam, nō natam apud homines: ideo nō potest bona esse doctrina quā hic proferet. Superioris affert mandata, h.e. Dei mittentis, & ad hanc doctrinam ligat se, & Timotheum: ideo successores Apostolorum etiam hanc solam doctrinam proferre debent, & qui ab hac ἐπιταγῇ recedunt, non Apostolorum, sed apostatarum successores habendi sunt.

2. *Timotheo germano filio in fide.*

De laudib. Timothei.

Alter locus est salutationis, qui laudes Timothei continet, quem ornat titulis conuenientibus, hoc est, virtutem illius celebrat. Est enim laus, sermo magnitudinem virtutis exprimens. Ἔπαινος ἐστὶ λόγος ἐμφανίζων μέγεθος τῆς ἀρετῆς, & virtutem declaramus, vel proferendo efficientia virtutem, vel eiusdem effecta. Virtutem efficiunt parentes, pia educatio: quanquam non semper pij parentes pios alant liberos. Effecta autem virtutis sunt facta illustria. Ideo Timotheum hîc laudans filium suum facit, significans pia institutione ad hanc felicitatem peruenisse, nec infeliciter impendisse hos labores, sed germanum factum. hoc est, in fide & religione Christiana ingenuum & sincerum.

Nomen eius.

Nomen Timothei, significat eum qui Deum honorat & colit. Indubiè à piis parentibus, auia Loide, & matre Eunica, ei impositum fuit: non enim solenne erat adhuc, vt conuersi ad Christianismum alia assumerent nomina. Nomen pium religioni conforme est, muneri respondens, quia diuino consecratus est ministerio: quæ res à Deo gubernatur, vt piorum parentum vota in impositione nominum, dirigat ad felicem euentum.

Germanus.

Germanum autem vocat, hoc est, ἄδολον minimè fucatum, simpliciter pium, & verè Christianum, qui nihil aliud specter quàm cursum Christi. Magna est laus per se in integritate.

Filius in fide.

Filius dicitur in religione, item affectu: quia enim opera Pauli fuit rectè institutus in causa fidei, præstitit ei id quod pij parentes suis liberis imprimis solent præstare, hoc est, piam educationem & institutionem. Ideo pater illi fuit, quo sensu præceptores discipulorum parentes dici possunt: deinde quia non minori affectu illum prosequutus est, & contrà ipse filioli animo coluit Apostolum Philip. 2. velut cum patre filius mecum seruiuit in Euangelio. Inde ibidem dicitur ἰσόψυχος, hoc est, pari in me affectu, quo ego in illum præditus sum.

In fide.

Particula distinguit inter filios: alij enim sunt naturales, sic Eunicæ propriè fuit filius, & cuiusdam viri Græci qui ordinarius fuit Eunicæ maritus: alij institutione patres sunt, animo & studio iuuandi: sic præceptores, tutores, omnésque benefactores parentum sunt loco. Sic Paulus in fidei causa pater eius fuit. Ac fides accipiatur pro tota religionis causa: q.d. in religione Christiana, in Christianismo filius meus est.

His laudibus illum ornat, vt beneficiorum Dei eum admoneat: nihil enim hîc commemorat de quo per se Timotheus gloriari possit. Deinde admonitus de his donis, eò magis inflammabitur, & excitabitur studio ea retinēdi, & erat amoris testificatio quoque non contēnenda: solent enim amici in amicis libenter agnoscere virtutes, eásque magni facere.

Gratia, misericordia & pax.

Comprecatio.

Tertius locus salutationis, continens comprecationem. Porrò tria comprecatur propter morem hactenus vsurpatum in superioribus epistolis, fortè amoris vehemētia erga Timotheum excitatus: sunt autem omnia tria conseruantia dona Dei in Timotheo, adeóque talia sine quibus munus in Ecclesia Ephesina non possit vtiliter expedire.

1. Gratia.

Χάρις *gratia*, est vltronea Dei beneuolentia in Christo amplectentis nos nihil tale meritos. Ratio est, quia gratis facere dicuntur, quando rogati, non pro re aliqua, aut vt sibi quicquam qui faciunt subueniant, sed ei solùm cui faciunt: ideóque vltranea est beneuolentia, alioquin gratia non esset gratia.

2. Misericordia.

Ἔλεος *misericordia* est. Apud Hebr. *Chésed & Rachem*, commiseratio, dolor de alieno malo, quòd malum ad nos quoque pertingere posse videatur. Sic quidem Philosophi definiunt, sed non satis commodè ad hunc locum. Malum enim humani generis nihil ad Deum, hoc est, non ad eum pertingere poterat vt eum læderet: sed tota vis corrumpentis mali effundebatur in hominis solius perniciem. Interim Deus commiserationis sensu tactus est. Itaque sic definiamus, Misericordia est dolor de alieno malo, quod indignum videtur Deo, vt totum hominem corrumpat: ideo malo remedium protulit.

Pax est omnimoda felicitas, qua animus redditur pacatus: vult enim natura sibi bene esse, vt in actionibus sit εὐπραξία, in consiliis ὀρθότης, in vitæ necessariis εὐπορία, quæ omnia conspirent in εὐδαιμονίαν quandā & αὐτάρκειαν, huius sensus reddit animum pacatū. Ideo in solo Deo reperitur illa pax, ob id prudēter hæc omnia ad Deum Patrē & Iesum Christū mediatorem refert. Pater reconciliatur nobis in filio, ideo filius est pacificator. Hinc pij in mediis periculis & ærumnis sese ad Deum hilares referunt, quia pax illa inuiolata manet, &

ex hac

ex hac promanans omnimoda felicitas.

Hanc securitatem animi & summam felicitatem ignorat mundus, ridétque pios vt stupidos, ac stultè transfert nomen felicitatis ac pacis ad externa quædam subsidia opum, gloriæ, formæ, roboris, sanitatis & similium, in quibus nihil nec spei, nec constantiæ reperiri potest in veris animi terroribus & ærumnis.

3. *Quemadmodum te rogaui.*

Secunda pars epistolæ, quæ complectitur instructionem secundum quam Timotheus omnia in Ecclesia Ephesina debet quam vigilantissimè administrare. — 2. Pars Epist. & eius argu.

Ac primus eius locus est, de sana doctrina retinenda ac propaganda: cuius illa hic sunt membra. Initio quomodo hæc defendenda sit & quæ sint præcipuæ eius labes. Deinde, agit de vero vsu legis. Tertiò, de sua vocatione & doctrinæ veritate. Quartò, hinc erumpit in δοξολογίαν Dei. Quintò, redit ad Timotheum, quem nouis argumentis excitat ad vigilantiam in officio adhibendam. Hæc quinque membra huius loci sunt. Nos de primo nunc agemus.

Propositio est, Timotheo & omni Ecclesiarum ministro quàm studiosissimè curandum est, vt sanam doctrinam contra quasuis corruptelas quàm constantissimè tueantur. Et quia Apostolus hoc mandaturus est, prius idoneam personam ei Ecclesiæ præfecit. Ideo discimus, omnibus Ecclesiis (vt sint tutiores contra corruptelas) necessarium esse vt habeant manentes, & in eis hærentes ministros idoneos. Ratio est, quia hoc Apostolus in Ephesina Ecclesia fecit, qui reliquit Timotheum manentem illic aliquandiu ministrum. Sic in Creta reliquit Titum. Tit. 1. ver. 5. & Actor. 14. ver. 21. testatur in omnibus Ecclesiis Paulum cum Barnaba constituisse pastores & presbyteros. — De tuenda vera doctrina

Propositionis ratio prima hinc petatur à fine consilij Apostolici. Hoc fine relictus est Timotheus Ephesi, ergo in hoc diligenter debet incumbere. Sic valet ad generalem propositionem. Hoc fine constituuntur ministri in Ecclesiis, vt sanam doctrinam tueantur contra corruptelas: ergo in hoc debent vigilanter incumbere. Quòd hoc fine sit istic relictus hinc probatur: quia proficiscens eum rogauit vt maneret Ephesi, Actor. 20. de hac profectione videtur loqui. Alij ad illam quæ est 16. vel etiam ad hanc quæ est cap. 19. Act. referunt. Lector diiudicet ad quam possit aptissimè accommodari. Porrò quòd rogauit, modestiæ Apostolicæ argumentum est: rog[illegible]pulum cui mandare poterat, sed voluit promptum & spontaneum illis præficere ministrum, ideo vsus est potius suasoriis argumentis, quàm Apostolica authoritate præcipiendo. — Cur relictus Eph. Tim.

Altera ratio est à genere corruptæ doctrinæ, seu forma ac materia, quæ est ἑτεροδιδασκαλεῖν: genus enim videtur significare omnium corruptelarum, quibus omnibus hoc proprium est quod dicitur ἕτερον, id est, alienum & peregrinum cui opponitur γνήσιον, genuinum, quod consonum est sacræ Scripturæ & conforme menti S. Sancti. Proprium sacræ doctrinæ est comprehendi sacris literis: proprium falsæ doctrinæ, est ab eo quod comprehensum est sacris literis alienum esse. Et illud ἕτερον vel ad formam, vel ad materiam referri potest. Ad materiam si referas, tum sensus erit, ne alia doctrina, quàm sacris literis expressa proferatur, hoc est, in his quæstionibus subsistamus: quid enim ad nos quando conditi sint Angeli, quis sit illorum sermo, quæ inter illos politia & ordinum gradus? &c. Si ad formam referas, vetabit Apostolus hîc, ne locos Scripturæ noua interpretatione corrumpamus. Itaque & materia & formula explicandi ex Apostolica doctrina est depromenda: siquid aliunde afferatur siue in modo, siue in materia, id totum ἕτερον est, & ob id adulterinum ac perniciosum. — Doctrinæ corruptę genus, materia & forma.

Deinde expendatur contra quos valeat ista admonitio, personam indefinito pronomine notat, τισὶ *quibusdam*, significans non solùm animi sui modestiam in taxandis reprobis, sed spem de illorum emendatione superesse: nam mox infrà desperatos ipsis nominibus traducit, Alexandrum & Hymenæum indubiè, quia hi iam planè reprobi & inemendabiles facti erant: isti autem quos indefinitè hîc taxat, nondum tales erant redditi. Præterea anceps est quoque hoc modo, quia tam ad auditores quàm doctores referri potest. Et verbum ἑτεροδιδασκαλεῖν non abhorret ab vtraque corruptela, & pronomen τισὶ quoque. Itaque vtrinque erat periculum huic Ecclesiæ: certi enim erant falsi doctores Euangelij corruptores per obseruationem Legis, & inter auditores qui faciles in hac re præberent corruptoribus aures. Vtrique malo vna est & eadem posita medicina, vigilantia scilicet Timothei. — Qui admonendi ne falsa doceant.

4. *Nec attendere fabulis.*

Secundi argumenti est declaratio, nam illud ἕτερον deducit in suas vicinas species, quas in illa Ecclesia metuebat. Μυθικὸν est fictum & fabulosum, cui opponitur τὸ ἀληθές verum & firmum, quod est perpetuum. His fabulis attendebant primùm auditores, qui eis oblectabantur: deinde doctores, qui doctrinam ad fabulas accommodabant. De his fabulis

Iudaicis vide adhuc Hebræorum commenta in Legem, & Prophetas, quid de Adamo, de serpente, de Eua, de Angelis fabulentur notum est. Sic de Messia, de Elia, de Leuiathan, & boue conuiuij magni in aduentu Messiæ, de ouo, de Sole, Luna, pudendas habent fabulas.

2. Genealogiæ. Alterum est genealogiæ præposterum studium: dicuntur autem libri seu catalogi generis certi per medios auos & attauos vsque ad primam stirpis originem, tales libri & catalogi erant necessarij ante Christi aduentum, vt constaret de certa Messiæ linea. Ex his enim contexi debuit Christi Genealogia, & ex his scire poterat Paulus, quòd esset de Tribu Beniamin. Post verò Christum natum abolendi erant, quia tota illa politia delenda fuit, & in Christo neque Iudæus, neque Græcus quicquam valet, sed noua in Christo creatura: ideo diuina dispensatione hîc damnantur, & olim Romæ ab Imperatoribus exusti sunt. Vide locum de Genealogiis in Problematibus nostris.

3. Doctrina sine fine. Tertia ratio est, à qualitate falsæ doctrinæ, quia ei adhæret ἀπέραντον, *infinitum:* sunt autem ἀπέραντα, ἀκατάληπτα, hoc est, comprehendi non possunt, nec vsu, nec intellectus certitudine. Omne autem tale est inutile & nocens, finita enim est & comprehensa salutis ratio: ergo omne infinitum est fugiendum.

4. Quæstiones inutiles. Quartò, *Quæstiones exhibent magis quàm ædificationem Dei in fide.* Argumentum firmum est ab vsu. Finis totius doctrinæ est certa vtilitas, hoc est, ædificatio: sed hanc non præstat aduersariorum doctrina, est igitur studiosè cauenda. ζητήσεις & οἰκοδομίαν opponit vt contraria: ideo ζήτησις hîc est inutilis quæstio, quales sunt nugæ Iudæorum, & poëtarum, & bona pars narrationum in legenda patrum, ac vitis. Porrò ædificatio consueta est Apostolo metaphora, qua significat profectum in melius. Quo admonemur studium & conatum proficiendi in hac vita debere esse perpetuum: qui enim ędificat, non habet absolutam & perfectam domum. Ideo vt simus aliquando vera & viua Dei templa semper elaborandum est. Est autem ille profectus Deo referendus acceptus, ideò hîc Dei dicitur ædificatio, cùm mali semper in peius proficiant. Et est in fide, quia fides religionis nostræ fundamentum est, quod Christo nititur lapide angulari. Ideo ædificium nostrum in fide crescit, ad quam tota doctrina est accommodanda.

Metaphora ab ædificatione.

5. *Finis autem mandati est charitas ex puro corde, & conscientia bona, &c.*

Verum pietatis studium. Quinta ratio à fine, ad quem tota doctrina est accommodanda: loquitur autem hîc de fine intermedio, cùm dicit *finem mandati esse dilectionem.* Est autem finis perfectio rei, cuius gratia aliquid fit. Si finem igitur perfectionem accipias, tum finis Legis est Christus, vt loquitur ad Rom. 10. ver. 4. Sed est finis etiam intermedius, sic finis Legis est dilectio proximi. Est autem dilectio beneuolentia, qua proximum amplectitur studio Dei, vel nostri quærentes. Ad hanc beneuolentiam refertur tota lex, vt est Rom. 13. ver. 9. 10. & 1. Cor. 13. ver. 4. 5. Gal. 5. ver. 14. Porrò alius potest hîc quoque esse sensus: nam παραγγελία videtur sumi pro mandato Apostolico, hoc est, interpretandi formula, rectè interpretandi Legem, quam potestatem dedit Timotheo, vt mandaret quibusdam ne aliam doctrinam docerent. Itaque libenter hîc non pro Lege, quod tamen omnes faciunt, sed pro illo mandato Apostoli acciperem, vt hîc esset sensus, Finis autem mandati veri de recta Legis interpretatione, ac sinceritate doctrinæ est dilectio: huc enim omnis doctrina referenda est, vt prosit proximo. Ideo dilectionis gradus seu causas primarias explicat, quæ sunt cordis puritas. Dicitur cor cogitationum & sensuum fons, is igitur fons purus esse debet, vt puram hinc aquam proximus haurire possit: purum dicitur cor minimè fucatum, dolo carens, candidè & ingenuè agens.

Dilectio quid sit.

Cõscientia integra. Deinde proximus est gradus, *conscientia bona,* hoc est, integra. Est conscientia pars memoriæ, qua de actibus nostris bene aut malè conscij sumus: hæc quia mille testium est, ideo nos vel absoluit, vel reos agit coram Deo. Hac damnabuntur Iudæi, Rom. 2. v. 1. qui ipsi faciebant, quæ in aliis damnabant. Eadem Apostolum Paulum absoluit, 1. Cor. 4. v. 4. Nullius mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. 2. Cor. 1. ver. 12. testimonium bonæ conscientiæ se habere gloriatur, hoc est, quæ ipsum absoluat coram Deo.

Fidei variæ species. Tertio loco additur, *Fides non ficta,* hoc est, quæ viuida sit, significat fidei vocabulum latè patere. Est enim quædam vera, quæ Iacobo dicitur viua: alia operosa, ornata bonis fructibus bonorum operum, & per hanc imprimis declaratur dilectio. Alia est hypocritica, quæ Iacobo mortua dicitur, atque illa vel impudens est, carens omni studio bonorum operum, qualis est in prophanis Christianis, qui de fide, hoc est, professione gloriantur: interim autem petulanter viuunt, vt qui hodie de fidei iustitia glorientur dissolutè viuentes. Vel est fuco tecta, qualis est in Pharisaica vita, hanc remouet hîc. His tribus gradibus vera dilectio est instructa. Argumentum est contra seductores, qui in docenda lege hos fines non obseruant, ideo aberrant à dilectione, & hinc toto cœlo.

6. Aqui-

6. *A quibus cum quidam, &c.*

Exitus aberrantium à vera doctrina.

Sexta ratio ab exemplo & experientia. Vim habet argumẽtum à consequentibus & effectis. Aberrant à dilectionis proprietatibus, hinc inciderũt in vaniloquentiam: ergo illorum doctrina fugienda est, sed geminum est argumentum in verbis ἀστοχεῖν, significat scopo ordinario aberrare, cui opponitur εὐστοχεῖν, bene collimare, scopum probè attingere.

Vanitas.

Scopus doctrinæ est, ædificatio per dilectionem, quo illi aberrant: igitur studiosè cauendi sunt. Alterum ab effectis, *mathæologi facti sunt*, μάταιον vitium est in omni re culpabile, vanitas, hinc ματαιολογία, sermonis inanitas, cui nihil veri nec solidi subest. Hãc vanitatem parit is error doctorum legis: igitur cauenda illorum doctrina. Est etiam vis in verbo ἐκτρέπειν, quod sonat euertere: vt igitur à scopo legitimo aberrant, sic euertuntur à veritate, & excidunt à via regia, incidunt contrà in vanitatem illam culpabilem.

7. *Volentes esse legis doctores, &c.*

Falsodoctorum ignorantia.

Septimum argumentum, quo vanitati addit ignorantiam crassam & satis impudentem. *Doctores Legis esse volunt*, quo significat eos titulum hunc venari passim apud fideles, vt ipsi magni doctores habeantur, Rabbi dicantur, & magistri, quos confutat D. Christus Matth. 23. Deinde cum hac ambitione coniuncta est insignis ignorantia, quæ vbique quidem turpis est, turpissima autem in his qui religionis volunt esse doctores. Sic ad Gal. 6. v. 13. Volunt vos circuncidi, vt de carne vestra glorientur. Et paulò antè, Volunt speciosi videri: & hoc loco ambitionem in eis notat. Ignorãtia duobus modis notatur, μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. Prius refero ad illorum explicationes de vsu Legis, ceremoniarum, circuncisionis, lotionum, ieiuniorum, & similium, in quorum laudes & commendationes prolixè solebant declamare. Posterius verò, περὶ τίνων, ad locos controuersos cum Apostolo, vt de satisfactione Christi, de merito mortis eius, de abrogatione ceremoniarum, de circuncisione abolita, de vocatione Gentium ad gratiam. Vtrunque ignorant, hoc est, causas rerum tantarum nesciunt, vt cur data sit Lex, ad quid profuerit circuncisio, quare Christus aduenerit: in summa causas veras ignorant. Inde fit vt tanquam cæci contendant de rerum vmbris, corpus ipsum interim amittunt. Ac est illa ignorantia distinguenda: in aliis enim fuit affectata & crassa, vt adhuc est in multis, qui agnitæ veritati contumaciter resistunt, quales videtur fuisse isti Nomodidascali, & bona pars Pharisæorum apud Iudæos. In aliis verò erat ex zelo Legis & gloriæ Dei, qui in his putabant violari gloriam & voluntatem Domini, de quorum numero etiam fuit Paulus, vt mox sequetur.

8. *Scimus autem Legem esse bonam, &c.*

Præoccupatio in qua de vero legis vsu & eiusdem abusu.

Alterum membrum de vero Legis vsu subiicitur superioribus per præoccupationem. Nam Legis doctores statim excipiebant superiora, Paulum damnare Legem, adeóque totam abolere. Respondet igitur huic calumniæ hoc loco, se id non facere, sed verum vsum, & veram interpretationem requirere: munit autem occupationem concessione, quòd scilicet Lex sit bona. Hoc dixit se scire, quasi dicat, in hac re se non opus habere doctore scire id poterat ex institutione, qua ad pedes Gamalielis erat in Pharisaismo probè institutus. Deinde bonam sciebat, quia à Deo autore latam sciebat: non potest autem à Deo aliquid mali hominibus dari. Præterea vsum verum & finem Legis nouit, quem aduersarij ignorabant, ideo totum hoc quòd Lex bona sit, multò meliùs nouit ipsis aduersariis. Deinde concessionem munit correctione, non enim absolutè concedit bonam, sed cum conditione, *Si quis illa legitimè vtatur*, hoc est, vsu bona est, sic abusu mala redditur: ideo ad vsum referenda sunt omnia. legitimè vtitur Lege, qui mentem legislatoris in illa respicit, & ad hanc mentem omnia refert. Mens autem Dei erat, vt Lex illa pædagogus esset ad Christum, quo veniente cessaret tota illa pædagogia, Gal. 3. ideo conuincuntur abusus omnes illi doctores Legis, qui Christo iam exhibito obtrudunt circuncisionem aliásque ceremonias tanquam ad salutem necessarias.

Deinde alter vsus Legis, est monstrare peccatum, de quo imprimis etiam constare debet. Verùm hũc vsum ita exercet, vt ad Christum liberatorem à peccato impellat. Hinc Legi tribuitur, iram operari, ostendere peccatum, pædagogum esse ad Christum.

9. *Sciens hoc quòd iusto lex non sit posita, &c.*

Ad quos non pertinet lex

Iustus quis hîc dicatur & eorum tres ordines.

Explicat propositum suum de vero vsu Legis patefaciendo, ad quos non pertineat. Non pertinet ad iustum, inquit *iusto lex non est posita*, h.e. quatenus iustus est, nemo Lege vrgendus est, sed quatenus peccator. Iam renati in Christo iusti sunt, imputatione beneficij Christi: igitur ceremoniis non sunt onerandi quod moralia attinet, nouos quoque motus in illis efficit S. Sanctus, vt sponte illa præstent quantum homini est possibile. Itaque illis Lex est non posita. Iustus igitur hîc accipitur pro illo qui Christi merito, & imputatione iam à damnatione & iure peccati absolutus est, & liber pronunciatus. Sunt enim iustorum tres ordines. Alij iusti sunt natura, talis Adam erat ante lapsum: sed absolutissimum in humana natu-

ra habemus exemplum, filium Dei hominem Iesum. Secundi ordinis sunt hypocritæ, opinione iusti, de quibus dixit Christus Marc.2. Non veni vocare iustos, scilicet sua opinione, cum tales minimè sint natura. Tertij ordinis sunt imputatione iusti, de quibus hic loquitur, his Lex non est posita, cùm in Christo finem Legis consecuti sint.

Contra quos valeat legis vsus.

Deinde sequitur in hoc versu τίσι, quibus scilicet Lex posita sit, hoc est, in quos & contra quos eius vsus imprimis valeat. Constat locus enumeratione. Ἄνομοι sunt exleges, qui aliis præscribunt quod ipsi minimè præstant: vt imperiis tyranni solent, & in Ecclesia Christi Pontifex exlex esse vult manifesto argumento tyrannidis Ecclesiasticæ.

Ἀνυπότακτοι, qui iugum ferre nesciunt, nullius imperio assueti, contumaces ad omnem disciplinam.

Ἀσεβεῖς, impij, irreligiosi. Religio studium & solicita cura est sese approbandi Deo. Ab hac cura illi alieni sunt.

Ἁμαρτωλοί, notorij sunt peccatores, quorum species quasdam mox referet, quales erant Publicani, & alij Christi conuictores, quos Pharisæi ei loco probri obiiciunt. Ἀνόσιοι, impij, qui studium honestæ vitæ negligunt, quò Deo inseruiant. Βέβηλοι, prophani: impuri: Βηλὸς dicitur purus, βέβηλος impurus: vt erant apud Græcos quædam sacra βέβηλα nominata, ad quæ impurissimis quibusque licebat accedere. Πατραλῷαι, parricidæ: μητραλῷαι, matricidæ dicuntur, quorum genus est ἀνδροφονία.

10. *Scortatoribus, &c.*

Persequitur catalogum impiorum, Scortatoribus, inquit, posita est, 2. ἀρσενοκοίταις: de his 1. Cor.6 ver.9 3. ἀνδραποδισταῖς, plagiariis, ἀνδραποδίζειν significat virum pedicis irretire. Significans est scelus, quo liberi homines circumueniuntur, & per vim in seruitutem rapiuntur. 4. ψεύσταις mendacibus. 5. ἐπιόρκοις, periuris, de quibus in locis plenius. Hactenus enumeratio est absoluta: sequitur illius καθολικὴ σύλληψις, vniuersalis clausula, & *siquid aliud sanæ doctrinæ oppositum est.* Opponi sacræ doctrinæ est ἑτεροδιδασκαλεῖν, quod prius νομοδιδασκάλοις tribuit, cuius notæ sunt τὸ μυθικόν, τὸ ἀπέραντον, τὸ ζητητικόν, τὸ ἀνοικοδόμητον. His coniungit iam quidquid in moribus est ἄνομον, qualia sunt enumerata iam capita.

11. *Secundum Euangelium, &c.*

Doctrina sana vnde petenda.

Ostendit vnde sana doctrina sit petenda, scilicet *ex Euangelio.* Itaque & sana Legis interpretatio hinc petenda est. Dicitur autem *Euangelium gloriæ*, videlicet quia est gloriosa doctrina, hoc est, præstantissima, nec vnquam satis laudata.

Euangelij præstantia.

Et sanè præstantissima est, quia integrales duas partes sanæ doctrinæ complectitur, pœnitentiam scilicet & remissionem: patefecit enim peccatum, & ob id Legem docet, deinde monstrat peccatorum remedium, & remissionem in Christo ostendit. Deinde hæc capita clarè & purè docet sine omnibus typis ac ceremoniis, secus faciebat vetus Testamentum: sed potest hic etiam esse sensus, Euangelium gloriæ dici à subiecto, hoc est, quod Dei gloriam imprimis illustrat, atque huc facit cohærens comma, *beati Dei*, q. d. explicat Dei beati veram gloriam. Sed & hinc conuincitur, quòd hæc doctrina sit præstantissima: ratio est, quia Dei gloriam illustrat. Sita autem est gloria Dei in claritate, amplitudine & efficacia, quibus modis luculenter sese patefecit in Euangelio. Beatus dicitur Deus, quia nos beatos efficit per prædicationem Euangelij, & hæc beatitudo reuelata nobis est in Euangelio.

Ad hanc doctrinam igitur, vt sanam, alligat Timotheum & omnes pios, cuius ministerium ipsi concreditum est.

12. *Et gratiam habeo, &c.*

Locus de vocatione Pauli. Autor vocationis.

Tertium membrum de sua vocatione disserit. Cohæret autem pulchrè superioribus, in quibus doctrinę sanitatem suo Euangelio alligauit. Ideo iam de vocatione nonnihil disserit: prædicat autem hic insignem Dei misericordiam, ideò à gratiarum actione orditur. Obseruandus est hîc vocationis Apostolicæ author, Christus Iesus: ideo non potest non augustum & magnificum esse munus. Gratiæ autem non meriti esse indicat phrasis, πιστόν ἡγήσατο, fidelem reputauit, scilicet quum natura talis non essem: ideo suprà dixit ἐπιστεύθην passiua forma. Alterum Christi beneficium, quod cum officio nouo, nouas addit vires, quò pertinet illud τῷ ἐνδυναμώσαντι: hoc non prestare possunt homines, qui officium quidem committunt, sed ingenium & vires non possunt addere.

Hunc ordinem Apostolus mutauit, & prædicat primum posterius, hoc est, vires in docendo, quia mirabilis erat successus coniunctus doctrinæ Paulinæ. Hinc demum ascendit ad eius veram causam.

13. *Qui prius eram, &c.*

Confessionis peccato-

Vt illustrissimum reddat Dei in se beneficium se priùs ad ima deprimit. Habes hic illustre exemplum confessionis peccatorum. Tria auté enormia fatetur peccata: primò, quòd fuerit *blasphemus*: deinde, quòd *persecutor*, & tertiò *calumniator*. His tantis sceleribus nihil opponit aliud

nit aliud quàm nudam Dei misericordiam. Ἠλεήθην, inquit, *misericordiam sum assecutus*, non repudiando oblatam misericordiam. Addit tamen aliquam rationem, *quia ignorans feci*, ignorantia non crassa & affectata, & zelo Legis patriæ excitata: leuius quidem peccat qui per ignorantiam labitur: attamen & is fatetur peccatum suum, ideo ne his quidem aliud subuenire potest, quàm nuda Dei miseratio. In Iudæis cum ignorantia coniunctum fuit odium bonæ causæ, ideo nec oblatam gratiam admiserunt. Obseruetur hîc discrimen peccantium: alij nuda ignorantia, alij etiam odio peccant. ...torum exemplū in Paulo.

14. *Superabundauit autem gratia, &c.*

Iterum peccatis suis opponit, non aliquod meritum, sed nudam Dei misericordiam, vt doceat quæ esset vera causa remissionis peccatorum. Obserua hic antithesin peccatorum & gratiæ: quanquam illa grauissima sint, tamen gratia longè maior est, quod eleganter exprimit verbum ὑπερεπλεόνασε, quasi dicat, infinitis modis maior est gratia, potentior, amplior, validior: adeò vt maximo peccato longè maior sit. Fit autem in regeneratione, quando corda sanctorum illustrantur S. Sancto, vrgente ipsos fide & dilectione. Gratia remitti peccata.

15. *Fidus est sermo, &c.*

Regulam generalem tradit de remissione peccatorum, ac proponit in ea veram causam efficientem, scilicet Christum. Ac membra illius duo sunt: remedium & eius laus, à laude incipit. *Fidus sermo* πιστὸς λόγος, hoc est, doctrina fide digna, vel ἀξιόπιστος digna cui credatur: ideo πιστὸν interpretatur per posterius comma, omni receptione dignus, h. e. præstantissima hæc est doctrina, & aurea sententia, digna quæ scribatur aureis literis, ac publicè decantetur: nulla enim lingua, nullus sermo, nulla eloquentia pro meritis hanc efferre potest. Summa, omni humana commendatione superior est. Remissionis peccatorum efficiens causa.

Sequitur laudem ipsa sententia. *Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Hæc vera est doctrina de remissione peccatorum coram Deo, ac alterum caput sanæ doctrinæ, scilicet de remedio peccati. Legis doctores solum peccatum monstrabant, nihil de Christi merito: in quo verum latet remedium: ideo huc trahit etiam Legis verum vsum, verámque eius interpretationem.

Loquitur de Christi aduentu in carnem, quem commendat à fructu & vsu, seu fine, qui est saluos facere peccatores. Ἁμαρτωλοὶ dicuntur notorij peccatores, quales Publiciani erant apud Iudæos fornicaria illa mulier, & similes qui peccatum suum negare non poterant: tales etiam soli apud Christum remedium receperunt, hoc est, qui suam iniustitiam fatentur. Reliqui quanuis & ipsi peccatores sint, tamen non prodest illis Christus, quandoquidem peccatum non agnoscunt, imò sibi iusti videntur. Peccatores notorij.

Sonat Christus vnctum, & rectè, habet enim vnctionem multiplicem. Prima humanitatis est in humilitate secundum quam homo verus natus est. Altera est ministerij & officij propria, quæ declarata est in Baptismo: tum enim nobis vt doctor commendatus est à Deo Patre. Tertia est dignitatis, secundum quam vt rex vnctus est. Est enim non solùm Pontifex noster, sed etiam rex. Hanc declarauit in die Palmarum, quando se Iudæis tanquam rex obtulit, talis olim redibit Iudex. Christus, id est, vnctus quom.

De prima & secunda vnctione hîc loquitur, *Venit saluare peccatores.* Sic Ioan. 3. ver. 14. Vt Moses exaltauit serpentem, sic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hinc dicitur saluator mundi, hostia pro peccatis nostris, redemptor, &c.

Quorum ego sum primus.

Communi regulæ sese inuoluit: atque hic verus scripturæ vsus est, vt nobis applicemus salutaria, quò spem habeamus de salute nostra. Obserua autem in confessione peccatorum promptitudinem: dicit, *Ego sum primus peccatorum*, non vtique primus erat, ante illum infiniti fuerant, & fuerat primus Adam, ante quem erat peccatrix Eua. Quos omnes præterit, ac se primum facit non ordine, sed magnitudine: ac si dicat, maximus sum, μέγιστος. Iudicio certè suo, cui mirum in modum displicebat prior illa conuersatio, fuerat blasphemus, persecutor ac calumniator: maximus igitur erat in suis oculis, adeò vt reliquorum delicta parua viderentur: ratio, quia illa Paulum non premebant, cuíque enim grauissimum est onus, quod suis impositum est humeris. Deinde primus dicitur, quia non dubitat primus esse in ordine confitentium: vt si censura sit subeunda ad tribunal Christi, paratus est primo loco accedere, & fateri sua scelera, simúlque ambire Domini gratiam. Discamus igitur exemplo Apostoli, libenter fateri Domino peccata nostra, & ex animo, sic facilior erit venia. Contrà in donis celebrandis libenter nos humiliemus: sic Apostolus vt hîc se maximum facit peccatorem, ita alibi minimum Apostolorum, & qui non sit dignus qui vocetur Apostolus. Interim de effectu gloriatur in Domino, quòd plus aliis laborarit. In peccato igitur maximus, in ministerio minimus, vbique tamen inter homines magnus erat. Pauli cōfessio: quòd primus peccatorum.

16. *Sed propterea misericordiam sum consecutus, &c.*

Repetit suum exemplum, vt aliis prosit. Ostendit autem fines Dei quos respexerit in Pauli vocatione. Duo sunt cohærentes, prior est, vt extaret exemplum illustre diuinæ longanimitatis, quæ vbique homines ad pœnitentiam inuitat. Rom. 2. vers. 4. hanc quasi totam in Pauli vocatione effudit: amplificat enim peccatum suum, vt illustris sit Dei miseratio. Et obserua Christo tribui illam summam misericordiæ potestatem, ex quo Deus probetur: solius enim Dei est summo peccatori, qualis fuerat Paulus summam communicare gratiam. Alter finis est, vt pij haberent formulam iustificationis per fidem. Prior finis ad omnes pertinet etiam incredulos: nam longanimitas omnibus offertur, sic Pharaoni, Iudæ, Sauli, similibúsque oblata est. Sed fide illam amplecti non omnium est, ideo hic finis ad electos tãtùm spectat. Ac suum exemplum vocat ὑποτύπωσιν, hoc est, illustrem & viuam rei demonstrationem, quales sunt picturæ Mathematicorum, quibus demonstrant suas propositiones: vocant hoc πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, rem ad viuum oculis subiicere. Tale exemplum est etiam Matthæi, Zacchæi, latronis in cruce, & similium: sic de Abrahæ exemplo loquitur Rom. 4. ver. 24.

Fines Dei, in vocatione Pauli.

Collligantur hîc causæ Iustificationis ac Remissionis peccatorum: vera causa efficiens est Dei misericordia: organica est Christi satisfactio: formalis à parte peccatoris peccasse per ignorantiam in ignorantia, vers. 13. finalis autem, extare exempla apud posteritatem veræ doctrinæ in hac quæstione, &c.

Iustificationis causæ.

17. *Regi autem seculorum, &c.*

Quartum membrum, quo loco superiorem concludit, de gratuita remissione peccatorum per Christi meritum. Habet autem locus hic illustrem δοξολογίαν, in quam erumpit ἐκφωνήσει: nam animus consideratione tanti beneficij superatur, vt non habeat quod addat. Cùm igitur verbis destituitur, rerum autem pondere premitur exclamat. Obseruãda hîc sunt Dei epitheta, seu potiùs Domini Christi, ad quem malo hæc referre. Nam de Filio dixit hactenus, cui tribuit facultatem remittendi peccata, summam misericordiam, lõganimitatem, & sanctorum in ipsum spem. Ideo de filio etiam hanc exclamationem accipio. Rex dicitur, quia sui populi fundamentum est & verè basis, βάσις τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. *Seculorum* autem *rex* est, hoc est, omnium ætatum: & αἰώνων ante conditum mũdum, quasi dicat, æterno. Ἀόρατος dicitur, non solùm respectu diuinæ naturæ, qua Deum nemo vidit vnquam, sed etiam nunc respectu humanæ, quia ex humanis subduxit se, residens ad dextram Dei in cælestibus, vnde aliquando visibilem expectamus. Ἄφθαρτος autem vtriusque naturæ respectu, quatenus erat Deus, semper fuit & est ἄφθαρτος: sed quatenus homo natus fuit & deputatus ad sacrificium redemptionis nostræ, mortalis fuit homo, veréque mortuus, quo respectu corruptioni potest dici obnoxius: corruptione pro morte accepta, vsu verò & duratione satisfactionis verè est ἄφθαρτος. Nunc quoque in gloria, Christus homo verè est, eritque semper ἄφθαρτος, quales nos post resurrectionem corporum quoque erimus. *Soli sapienti Deo*, Deus verè est & dicitur Christus: solus autem sapiens, quia Deus, cuius respectu omnium hominum sapientia nihil est, mera stultitia est. Eandem phrasim vide ad Rom. 16. ver. 27. Basilius epistola 141. interpretatur μόνον per ἕνα: ac μόνος & εἷς de natura diuina dici affirmat, vt euertat Arrianorum interpretationem.

Laus Dei, & gratiarũ actio.

Christi epitheta.

18. *Hoc mandatum, &c.*

Quintum membrum, quo tandem redit ad principalem scopum orationis, qui est Timotheo commendare curam sanæ doctrinæ. Itaque repetatur hîc propositio, de qua sup. ver. 3. Timotheus quàm vigilantissimus debet esse custos sanæ doctrinæ. Mandatum accipiatur de Apostoli hoc præcepto, mandantis ei conseruationem sanæ doctrinæ contra omnes corruptelas. Hoc illi tradit quasi depositum: in eo igitur debet esse vigilans & fidelis. Rationes igitur sunt propositionis: Quia sana doctrina depositum est Apostolicum, hoc est, diuinitus traditum & mandatum, vt purum ad posteritatem transmittatur. Deinde specialis est à qualitate vocationis, quia non temerè, sed graui iudicio magnorum virorum ad hoc vocatus est: debet igitur operam dare, vt spei satisfaciat. Hoc sensu accipio hîc, Prophetias in ipsum Timotheum deducentes. Prophetia iudicium est piorum virorum prædicentium eum fore custodem fidelem sanæ doctrinæ. Si quæras vbi sint talia iudicia, profero tibi ex Act. 16. Vbi fratres Iconij & Lystris ei bonum dederunt testimonium: inter hos intelligo fuisse aliquos Prophetico spiritu præditos, qualia sunt testimonia Act. 11. & 13. Et est Prophetia non solùm de futuris, sed de præsentibus quoque rectè statuere, & in electione ministrorum imprimis valet illa facultas rectè coniiciendi, qui vtiles sint futuri Ecclesiæ, qui minus, tali iudicio fuit electus Timotheus. Tertiò, quia functio ista est militia quædam: igitur vigilantem esse oportet. Militiæ titulus de periculis nos admonet: ministri milites sunt antesignani, & duces auditorum: in qua re maius etiam est periculum, in prim

De tuenda sana doctrina.

Ministeriũ cum militia collatũ.

in prima debent stare acie, contra hæreses, contra peccatum, in persecutionibus, iisque Ecclesiæ ærumnis. Quæ militia eis pulchra erit, hoc est, speciosa ac splendida si vicerint, pulchra est ante victoriam, hoc est, ardua & difficilis, vt dici solet, difficilia quæ pulchra.

19. *Habens fidem & bonam, &c.*

Vt pulchra possit esse Timothei militia circumscribit illius quasi limites, q.d. duo imprimis spectabis in officio tuo, *fidem scilicet & bonam conscientiam*, quibus seruatis gloriosa erit tua militia, vt eisdem amissis fœda & turpis sequetur fuga. Et faciunt hæc eadem ad argumenta: sunt enim ista præsidia maxima, quibus nititur in exequendo suo officio. Duo in ministerio spectanda.

Quarta igitur ratio est. Quia habes fidem, hoc est, rationem sanæ doctrinæ, quam hic omnino per fidem accipere conuenit, quasi dicat, nota est tibi formula sanæ doctrinæ, ergo illam vigilanter retine in tua Ecclesia, faciliùs autem conseruatur si nota sit sana doctrina: nota autem ei erat ex Apostoli institutione: notam habes, ergo facilè defendes si fuerit vigilans. Fides.

Quintò, *Et bonam conscientiam.* Præsidium alterum est ad victoriam, & meta rectè agendi in hac militia. Bona conscientia est in ministro qua nihil agit petulanter, nihil ambitiosè, nihil temerè: hanc si conseruat, ingens præsidium ad res vtiliter administrandas in Ecclesia. Hanc commendat à periculoso. *Quam nonnulli repudiantes, circa fidem naufragium fecerant:* ergo studiosè conseruanda est conscientiæ integritas, quia hac amissa, simul perit fides, hoc est, formula sanæ doctrinæ. Id considerent diligenter ministri. Bona conscientia.

20. *Ex quibus est Hymenæus, &c.*

Rem illustrat exemplis: tristissimi sunt illi casus in ministerio, præsertim in grauibus viris quales isti fuerunt. De Hymenæo vide infra 2. Timoth. cap. secundo, negauit resurrectionem carnis, quod illi irrepsit ex amissa bona conscientia. Sequitur hinc pœna corruptæ doctrinæ, & sauciatæ conscientiæ. *Tradidit eos Satanæ*, quæ erat potestas Apostolis tradita, puniendi palam contumaces & vice politici magistratus. Postea aucta Ecclesia, & reddito magistratu politico desiit, vt alia multa. Postea ad excommunicationem etiam hoc applicarunt, ac distinxerunt in minorem & maiorem: minoris hos gradus constituerunt, priuatam admonitionem, admonitionem factam per ministros Ecclesiæ, demum submouere à Sacramentis donec resipiscat. Exempla defectus à fide. Locus de excommunicatione.

Maiorem vocarunt seclusionem ab omni licito actu: non multùm differt ab anathemate, quod pronunciari debebat solùm in eos, qui in Spiritum sanctum finaliter peccassent, damnationisque suæ æternæ non dubia dedissent argumenta. Id poterant Apostoli, postera Ecclesia non ita facilè in homines priuatos pronuntiauit, quia semper spes Ecclesiæ est de emendatione, &c. Vide locum de Excommunicatione.

CAPVT II.



DVO sunt fidelium officia in publicis cœtibus: audire sanam doctrinam ex verbo Dei, & cum toto cœtu preces ad Dominum fundere. De priore iam actum est cap. 1. Nam ad alterum descendit, admonens Timotheum vt suis author sit in Ephesina Ecclesia, vt in precibus seruent εὐταξίαν pietati congruentem, præsertim quum Ecclesiæ adhuc omnes sub infidelibus agerent magistratibus. Cap. 2. arg. & partes.

Et quia in cœtibus publicis quoque orant mulieres, adhuc tamen fortè Ethnico more, parum decorè sese gererent, his præscribit suum quoddam decorum, quod eis omnino seruandum est, vt in vestitu omnis desit luxus, & superbiæ suspicio, in religione dominandi ambitio. Atque hæc duo membra isto capite explicantur.

Propositio illa sit: Timotheo, & ob id omni Ecclesiarum ministro curandum est, vt preces in cœtibus publicis decenter & piè fiant. Fient autem decenter, 1. si certam habeant formulam. 2. si fiant pro his, pro quibus orandum est. 3. si certo & ordinario fine. 4. si honestis de causis impellantur homines ad orandum 5 si ab his fiant, quorum interest imprimis. 6. si denique suo loco & modo. Propositio.

Quum igitur Apostolus de oratione admoneret, has circunstantias omnes, breuiter quidem, sed diligenter explicuit, quas nos etiam ordine notabimus.

Vers. 1. *Adhortor igitur ante omnia vt fiant deprecationes, &c.*

Exordium secundi loci ducit ab ipsa statim propositione: curandum ei, vt preces fiant. Miscet propositioni suam authoritatem, vt hortetur ad rem tam piam: necessariam autem indicat, dum hortatur vt fiant πρῶτον πάντων, id est, *ante omnia*, non quidem sine cura sanæ doctrinæ, quæ vtique prima esse debet, sed cum illa semper orationis habendam esse rationem: quod ita constanter semper seruauit & adhuc seruat Ecclesia, vt non- Preces faciendæ vbi & à quibus, &c.

quam ad audiendum verbum conueniat, quin preces simul tum ante sanæ doctrinæ explicationem, tum etiam post illam, fundantur ad Dominum. Particulam igitur πρῶτον πάντων, simpliciter ad rei necessitatem refero & coniungo explicationi sanæ doctrinæ: aliis etiam minutioribus conuentuum occupationibus præfero ista duo. Hactenus propositio quam explicatiùs priùs posuimus.

Deinde sequitur circunstantiarum consideratio, vt enim decenter & piè fiant, scire oportet primò quid in oratione nobis sit concipiendum. Id ostendit Apostolus quadam specierum enumeratione. Ordiamur rem à toto genere.

Quid sit oratio & eius species. Oratio est actio piæ mentis confugientis ad Dominum pro remissione peccatorum & auxilio piè & feliciter quoque viuendi in hac terra. Species eius hic exprimuntur quatuor: δέησις orationis species est, qua animus petit à malis vrgentibus per Dominum liberari, nec refert vtrum malum hoc ad ipsum, vel ad alium, adeóque totam Ecclesiam, aut Remp. concernat.

Προσευχὴ autem est qua bona largiri nobis petimus, imprimis corpori necessaria, quæ in oratione solet animus magis necessariis subiicere quasi secundaria in votis.

Ἔντευξις qua de iniuria illata conquerimur, próque aduersariis simul intercedimus. Εὐχαριστία pro acceptis beneficiis Deo agit gratias, vt simul se Deo approbet grati animi significatione. Hæc diuisio ex Apostolo hic colligitur, ac præsenti instituto facilè accommodari potest: nam ἔντευξις propriè pro Ecclesiis fiebat, quæ in persecutione erant aut tandem veniebant: δέησις pro imperio, pro magistratu singularum Ecclesiarum: προσευχὴ in genere pro beneficiis accipiendis, quemadmodum εὐχαριστία pro acceptis gratias agit. Aliam diuisionem vide in Locis nostris.

Pro omnibus hominibus.

Pro quibus orandum. Alterum est scitu necessarium, pro quibus orãdum sit. Fideles primi ex Iudæis vix admittebant in communionem salutis Ethnicos, vana adhuc laborantes persuasione de Iudæorum prærogatiua in Messiæ beneficiis, ideo facilè etiam pro aliis infidelibus non orabant. Hunc igitur scrupulum hîc iubet deponere, cùm docet pietatis esse pro omnibus hominibus orare. Atque hac re Christiani superant alias omnes sectas. Iudæi adhuc pro Israele fundunt preces, reliquos omnes execrantur in suis precibus: idem faciunt Turcæ, soli Christiani pro infidelibus orant. Itaque pietatis nostræ, adeóque veræ proprium est pro omnibus hominibus orare, quod accipio non solùm de specie in genere, sed de personis, hoc est, nullum esse debere mihi tam abominalem hostem, pro cuius salute non debeam Deum rogare.

2. *Pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, &c.*

Pro regibus etiã impiis orandũ. Totum posuit, id iam deducit ad eam speciem quæ poterat esse controuersa. Orare pro domesticis fidei non iubet, quia sine monitore hoc faciendum esse nouerant: verùm pro impio Cæsare, pro infidelibus magistratibus orandum esse non satis illis notum fuisse apparet, de hoc igitur admonet. Reges accipio hîc imprimis imperij Romani administratorem Cæsarem, deinde ei subiectos monarchas, & si qui erant extra imperij fines noti & ignoti monarchæ. In eminentia verè constituti sunt Proconsules prouinciarum, Prætores, singularum etiam vrbium proprij magistratus & officiarij: qui omnes precibus sunt Domino commendandi. Primùm hîc astruitur magistratus, vt cuius non possit non diuina esse ordinatio, cùm pro his Deus sit rogandus. Deinde impios non indignos esse nostra intercessione, item de nullis reprobis facilè desperandum, cum indiscriminatim pro his omnibus orandum sit. Complemus hoc modo Christi mandatum, vt hosti benefaciamus, præcipientis.

Vt tranquillam & quietam, &c.

Quo fine orãdum. Tertio loco indicat quo fine sit orandum. Primò, vt tranquillam vitam degamus, hoc est, pro pace publica Reip. nam sub illius alis tuti possunt esse fideles. Ideo rogandus est Deus, vt semper aliquod hospitium piis excitet, vbi tutò illi seruire possint. Ἠρεμία, tranquillitas est, qualis in mari cælo sereno apparet, vbi mare placidum est, & sibi relictum ab externis causis motuum liberum: ἡσυχία autem trãquillitas animi, vbi intra se etiam nihil habet, quod perturbationi dare possit occasionem: pax igitur tutissima est, vbi ab externis & domesticis seditionibus tuti sumus. Εὐσέβεια, certa est colendi Deum ratio. Σεμνότης autem honestæ vitę ac morum. Itaque ad hos duos fines accommodari debent preces piorum ad conseruationem veræ pietatis & ad honestatem vitæ: & quia ad hoc etiam pro magistratibus orandum est, patet magistratum vtriusque custodem esse, veræ scilicet doctrinæ, & honestatis vitæ, in vtraque conseruanda est subditis pax. Similia habes Ierem. 29. vbi iubet pro statu & pace Babylonis orare Iudæos, vt & ipsi pacem habeant.

3. *Hoc enim bonum est, &c.*

Quarto

Variæ rationes, cur sit orandum.

Quartò loco admonet de causis impellentibus adorandum. Colligendæ sunt hîc rationes propter quas ad preces compellimur: nos ex Apostolo eas indicabimus. Primùm igitur rei honestas nos ad id debet mouere. Καλὸν dicitur *natura honestum*, pulchrum & vtile: orare pro omnibus natura est honestum, igitur studiosè est faciendum. Deinde, *quia est Deo gratum & acceptum*: debent autem pij tanquam filij Dei imprimis respicere ad Dei voluntatem, vt omnia sua ad hanc accommodent. Tertiò, *quia Deus omnes homines vult saluos fieri*: ergo nos pro omnium salute & conuersione orare debemus, cur enim non orabis pro eo quem Deus velit saluari? Et omnes homines non solùm de tota specie accipio, h.e. vt ex omnibus nationibus aliquos velit saluari, sed de indiuiduis omnibus, vult enim omnes saluos fieri reuera, sed conditione hac vt pœnitentiam agant, & se conuertant ad Christum filium Dei: sic voluit saluari etiam Cainum, Pharaonem, Iudam, verùm quia in desperatione manserunt, contempta omni pia admonitione, meritò damnantur. Sic interpretatur hanc clausulam D. Ambrosius, vt dicat subesse conditionem, secundum quam prorsus nemini salutem negat Deus, ea omnino necessariò est subintelligenda. Quartò, non solùm omnes vult saluari simpliciter, sed in hac vita quoque *omnes vult peruenire ad cognitionem veritatis*. Veritas Christus est, ipso dicente, Ego sum via & veritas. Itaque ad Christi cognitionem omnes vult peruenire: in hac latet etiam verus Dei cultus, vera adoratio, sui cognitio, peccati, beneficiorum Christi, & ratio vera salutis. Hæc tanta bona Deus omnibus offert sine inuidia aut personarum respectu: quòd verò non omnes ea bona amplectuntur, non Dei offerentis, sed hominum est repudiantium.

Deus omnium Deus.

Quintò, *vnus tantum est Deus*, scilicet omnium nationum & hominum: ergo pro omnibus ad vnum Deum est orandum. Videtur respicere Apostolus ad Iudæorum falsam persuasionem, cupientium Gentes excludere à Dei gratia: sic Rom. 3. inquit, Num Iudæorum saltem Deus est, an non & Gentium? vtique & Gentium, igitur salus Gentium Deo quoque curæ est, & ideo pro his infidelibus adhuc seriò est orandum.

Mediator vnicus.

Sextò, *vnus etiam solum est mediator*: ergo ab hoc non sunt arcendæ Gentes. Vt enim vnus tantùm est Deus omnium hominum: ex quo efficitur curam omnium ad hunc vnum pertinere, sic quia vnus tantùm est mediator: consequens est, omnium peccatorum causam ad hunc vnum esse deferendam. Deus ille vnus omnes homines damnandi habet ius, quia in illum omnes peccarunt, nunc si multi essent mediatores, alij aliis modis possent reconciliari, nec esset necessum Christianos pro omnibus orare: at solùm vnus est mediator, ille Christus Dei filius, à quo pij dicuntur Christiani, ergo vt omnes ad hunc vnum mediatorem conuertantur pro illis orandum est. Ac mediatoris officium in Christo accipio, de tota persona Christi, hoc est, vt sit mediator respectu vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ. Sic interpretatur locum hunc Chrysostomus, & alij &c. Vide Locos.

6. *Qui dedit semetipsum, &c.*

Salutis causa formalis.

Explicat pleniùs hanc causam formalem salutis nostræ: λύτρον dicitur redemptionis pretium: ἀντίλυτρον verò cùm alius soluit quod reus non poterat, vt in bello cùm caput capite, vita vnius, alterius morte redimitur, &c.

Ac latet hîc nouum argumentum, Cur pro omnibus sit orandum. Ratio est, quia D. Christus pro omnibus passus est. Cur igitur dubitares pro omnibus orare, quum Christus non dubitarit pro omnibus mori? Mortuus est autem pro omnibus, vt hîc loquitur Apostolus, nec impedit hoc quòd non omnes mortis beneficium amplectuntur. Quia suo malo & vitio naturæ suæ oblatam gratiam aspernantur, non aliqua Dei culpa. Itaque nec nos pigeat pro omnibus orare, etiam pro perditissimis nebulonibus, & tyrannis, quamuis nihilo reddantur meliores precibus nostris.

Temporibus proprijs.

Accipio designata tempora, quando scilicet Christus nasci, pati pro nobis, & prædicari in toto orbe debuit: sic loquitur ad Ti. 1. v. 2.

7. *In quod ego constitutus sum, &c.*

Apostolicũ munus Pauli.

Digressiunculam continuat etiam sui muneris annexa mentione. Sumatur hinc octaua ratio, Cur pro impiis Ethnicis sit orandum. Ratio est, quia Deus illis singularem Apostolum constituit, per quem conuerterentur: ergo digni sunt pro quibus oretur. Item dignos iudicat Apostolatu peculiari: & Apostolus Paulus dignos iudicat pro quibus tot obeat labores: ergo nos dignos iudicemus nostris precibus.

8. *Volo igitur viros orare, &c.*

5. A quibus orandum sit.

Redit ad institutum, ac infert πρὸς τὴν θέσιν rationes suas. Est quinta orationis circunstantia, à quibus orandum sit. *A viris simul ac mulieribus*, hoc est, à toto cœtu consentienter orandum est pro omnibus hominibus. Ac hac diuisione sexus includit omnes fideles omnium etiam ætatum, vt sit sensus, vt pro omnibus orandum, sic ab omnibus faciendum est:

neminem excludit Deus in orando. Omnium pater est & Deus: omnibus igitur liberum concessit aditum.

6. Vbi orandum sit.

Sexta orationis circumstantia est de loco idoneo ad orandum. Ex disciplina Mosis ac Prophetarum vnus certus erat cultui diuino deputatus locus, quem postea confirmauit, templi Hierosolymis constructi maiestas, adeò vt solùm illic Deum adorare liceret, quò qui peruenire non possent, saltem versus Hierosolymam conuersi orarent, quod adhuc Iudæi hodie seruant. Hinc Ioannis cap. 4. Quærit mulier illa de loco orationis, Iudæi dicunt oportere Hierosolymis adorare, patres autem in monte Samariæ adorasse: id discrimen valuit vsque ad natum Christum: at nodum hunc soluit ipse Messias, Ioan. 4. v. vicesimo primo: deinceps sublatum est, vt hîc etiam testatur Apostolus, in omni loco pium est Deum inuocare: locus enim nec addit, nec adimit pietati.

7. Quomodo orandum. Gestus in oratione.

Septima, quomodo orandum sit, qui modus propriè ad pietatem pertinet. Huc refero quod hîc scribitur, *Tollentes pias manus absque ira & disceptatione.* Tollere manus in oratione gestus est animi ad Deum respicientis, qui sic est comparatus, vt in omni statu externis gestibus prodat affectum suum, lætitiam risu & vultu hilari prodit: tristitiam contrà mœrore, submissione, manuum complicatione, & similibus gestibus. Ex quo discimus, à pietate non esse alienum in oratione ardenti gestus externos addere conformes affectibus animi. Hinc alij prosternunt se humi, & Iudæi cinere & sacco se deformant in argumentum doloris, vestes lacerant. Nos genua flectimus, caput nudamus, complicamus manus, contundimus pectora. Patribus nostris per Heluetiam moris fuit expansis manibus orare, quod indubiè à maioribus acceperunt: & in summis periculis belli adhuc ante conflictum sic orant. Sic aliæ aliis nationes vtuntur gestibus, quos dictat & exprimit animi affectus, nec facilè leges admittit perturbatus in orando animus.

Puræ manus in oratione.

Hoc saltem memoratu dignum est, qualesquales sint affectus, vt manus sint puræ, vel, vt inquit, sanctæ hoc est, lotæ in innocentia, opponitur enim sanguinolentis, auaris, vsurariis. Deinde manus sint etiam alienæ ab ira: quanquam ad totum hominem referatur fortè melius, quasi dicat, abesse debet studium vindictæ, ne contra aduersarium tuum ores vt Deus illum malè perdat, sed sanam ei det mentem: aut absit ira quæ indignatur Deo per impatientiam: nam solent homines fracti mora, Deo irasci, quòd non liberet quando ipsis videtur. Vtrunque vitium abesse debet à pia oratione. Tertiò, absit etiam disceptatio, hoc est, dubitatio, quæ promissionibus Dei detrahit, & incipit disceptare in vtranque partem, vt ostendit Apostolus Rom. 2. vers. 15.

9. *Similiter & mulieres, &c.*

Decorũ quodnã à mulieribus seruandum.

Alter locus huius capitis de decoro à mulieribus seruando in publicis cœtibus. Accommodat autem quæstionem ad duo. Primùm, quales debeant esse in precibus. Deinde, in reliqua conuersatione.

De precibus ait, Mulieres similiter debere orare: sic enim accipio illa, *Volo eas similiter orare*: æquantur viris studio & ardore orandi, vt conditionibus illis omnibus viris pares esse debeant. Singularia autem sunt, quæ afferre debent de suo decoro, modestia in vestitu, & modestia in discendo: duo enim hîc taxat vitia in muliebri sexu. Superbiam in habitu, natura enim mulier est animal φιλόκοσμον. Deinde studium dominandi, vult enim videri tanquam & ipsa sapiat.

De priori inquit, *In amictu honesto*, scilicet orare illas volo: καταστολὴ dicitur stola qua totum corpus tegitur vndique, ne quid indecorum compareat. Interim eis concedit mundiciem, non enim vult sordidas, sed in mundicie pietatis ratio habenda est.

Deinde *Adsit eis* αἰδὼς, *pudor*, oratio elegantissima est, quæ pudicam monstrat mulierem, ne sit effrons, ne deponatur rubor, sed potius declaretur.

Tertiò, *adsit sobrietas*, quæ custos est pudoris, Græcis dicta etiam ὅτι σώζει τὴν φρόνησιν, sapientiam seruat sobrietas in omni quidem sexu, imprimis tamen in muliebri.

Luxus notæ qui fugiendus mulieribus.

Sequuntur deinceps notæ luxus, vt est πλέγμα, hoc est, crinium ornatus tortus, quum instar torni incuruatur pilus, sub quo omnis crinium fucus facilè potest intelligi: sed potest πλέγμα quoque accipi de ornatu vestium, vnde nos dicimus *plegij*: luxuriat enim muliebris vestitus in primis hoc modo, vt fimbriis varia plicatura addatur: *plegij vndenn zum vndenn, in mitten vff den rocken obenn sicleit mitt siluneen: alßo vff den eamtenn, golle amm*: sint πλέγματα, *schnur spizlij*, & similes nugæ, tamen addendum est, hoc loco nobis dici, *mu blegij*, *vonn belgenn* non à Græco, cui tamen affine est πλέγμα, & Græcum πλέγμα de reticulo crinium & fuco crispandi pilum propriè dici.

Auro ornari mulierem piam non decet, in eo enim luxus est superfluus: damnatur hîc luxus aurum intexendi vestibus, annulorum, torquium, fibularum, amuletorum, quo genere nos insigniter peccamus: non solùm matronæ, quæ catenis, annulis, reticulis aurum produnt,

dunt, sed viri etiam. Alij auribus infigunt, alij potant, edunt, nihil non in perniciem & luxum auri comminiscuntur.

Vnionibus eadem eminet turpitudo ab hominibus. Cleopatra insignem luxum vorandis vnionibus, & Antonius prodiderunt: nostræ matronæ crines & reticula eis ornant. Vestitu pretioso, quæ per partes & species damnauit, nunc in genere perstringit, q. d. in omni vestitu qualisqualis sit cauendum esse luxum: sic rusticus in suo lacero sagulo decorum seruet, ciuis in toga vrbana, Senator, Consul, Nobilis, in summa singuli decorum seruent. Eadem ratio est in vestitu muliebri, de quo propriè hîc loquitur Apostolus.

10. *Sed quod decet, &c.*

Iterum affirmatiuè loquitur: summa, τὸ πρέπον seruãdum est in omni habitu. Decorum autem hoc regatur à pietatis regula, non iudicio humano. *Per opera bona*, addit Apostolus, quia operis rationem habet, quocunque tandem ædificatur proximus.

11. *Mulier in silentio discat, &c.*

Alterum membrum huius institutionis de muliebri decoro in conuersatione Ecclesiastica. Præceptum repetatur ex 1. Cor. 14. quo mulieri docere non permittitur in Ecclesia. Hîc ostendit præcipuas virtutes domesticas in causa religionis, quales sunt ἡσυχία, modestia in discendo sine scrupulositate: ὑποταγὴ, studium parendi legitimo imperio. Decorũ mulieris in Ecclesia.

12. *Mulieri autem docere, &c.*

Contra studium dominandi agit: quod declarant mulieres vel præsumptione, quando doctrices esse volunt, vel priuatim plus sapere viris suis sibi videntur, vtrunque prohibet. *Docere non concedo*, inquit, *Nec αὐθεντεῖν*, hoc est, *imperiosè agere in virum*. Hinc authẽtica dicuntur quæ habent authoritatem, vt libri authentici. Nec frangit regulam hanc, quòd aliquando mulieres præfuerint rebus, vt Debora, Anna, & similes, quia extraordinaria exempla non frangunt legem communem. Contra mulierũ arrogantiam.

13. *Adam enim primus, &c.*

Confirmat cur mulieri non sit permittendum imperium: ratio est, ab ordine creationis. Primò Adam conditus est, ergo sapientior & prudentior Eua: valet ratio in eadem specie, alioquin infirma, cùm pecudes & plantæ ante Adamum conditæ sint: sed in eadem specie videtur Deus præstantiora primo loco condidisse, vt inter homines Adamum: Eua hoc gradu inferior est. Confirmatio.

14. *Et Adamus non est deceptus, &c.*

Altera ratio ab euentu, nam primi hominis imperium mulieri concessum infelix fuit: igitur deinceps mulier ab imperio sibi caueat. *Adam non deceptus est*, scilicet primo loco, alioquin vtique deceptus est, sed secundario loco, cuius culpam fert Eua.

15. *Seruabitur autem, &c.*

Respondet obiectioni tacitæ: nam posterius argumentum sumptum erat à lapsu, & significationem habebat pœnæ: nam ob illam infelicitatem consilij Euæ, pœnæ loco mancipata est in seruitutem quodammodo viri. Nunc cogitabit mulier, ergóne misera eris semper & damnata ob infelicitatem illam? Respondet Apostolus, casus quidem miserandus est qui dominandi studium meritò possit dissuadere: interim tamen paratum est huic quoque remedium, commune scil. in Christi merito. Deinde pœnæ loco impositum, quas pœnas si patienter ferat, saluti suę consulit: illud posterius est τεκνογονία, sic infrà 5 cap. de viduis iunioribus loquitur, quas vult nubere, liberos procreare, & domum custodire. Addit hinc, *Si manserint in fide*, mulieres scilicet: nam collectiuè mulieris voce totum sexum intelligit. Heterosis numeri effecit, vt hoc quidam ad filias referrent. Sed de mulieribus loquitur, *Si manserint ipsæ in fide*, hoc est, veræ doctrinæ professione, & dilectione proximi, benefaciendi studio, amore Dei, & sanctificatione, hoc est, vitæ innocentia, qua ornatur professio: modestia verò est σεμνότης illa ciuilis, quæ in habitu & incessu elucet. Respõsio ad obiectionẽ, annõ seruabũtur mulieres.

CAPVT III.



GVBERNATIO Ecclesiastica docet quodnam sit omnium ordinum officium in cœtu fidelium, quæ vt rectè administretur respiciendum est ad doctrinam & disciplinam: in doctrina sanitas requiritur, sana autem est quæ habet congruam loquendi interpretationem conuenientem cum Euangelio: disciplina autem mores doctrinæ sanæ conformes requirit, vtrunque procurare debent præsides Ecclesiarum, ac de sana doctrina admonuit primo capite: mox ad disciplinam de εὐταξίᾳ transiuit capite 2. nunc vero tertio loco admonet de ipsis personis per quas vtrunque in Ecclesia confirmari & vtiliter administrari debet: monet igitur de his qui eligendi sunt, vt discant iuniores quasnam virtutes ad ministerium sacrum afferre de- Cap. 3. argum.

beant. Deinde vt Timotheus & omnes quibus Ecclesiarum cura est demandata, sciant quales admittere oporteat, aut quinam tanquam indigni sint arcendi ab hoc munere.

Propositio.

Propositio sit, Timotheo, & omnibus, qui curæ Ecclesiarum incumbunt, curandum est vt semper adsint idonei homines per quos sana doctrina & tota pietatis cura administretur: ad quam functionem non nisi aptos, & canoni huic respondentes maiori ex parte admittere debent.

Partes

Partes sunt: initium & finis συςαλικὰ sunt. Commendat enim initio munus hoc à sua dignitate, quo aditum facit ad præceptionem: sic finis quoque commendat curam hanc Timotheo, vt iam grauissimã & dignam in quam diligenter & accuratè incumbat. Media sunt Canonica, hoc est, præscribunt formam, quæ in electionibus seruanda est. Ac primùm de ipsis ministris. Deinde de ministrorum diaconis. Tertiò de ipsorum familia, & vxoribus. Quartò de altero diaconorum genere, quod eleemosynis præest. Sunt igitur sex huius capitis partes. Principium συςαλικὸν: Deinde, idea boni ministri: tertiò, de virtutibus diacon: quartò, de virtutibus vxorum, ministrorum, & diaconorum: quintò, de diaconis eleemosynariis: sextò, epilogus adhortatorius ad ipsum Timotheum.

Vers. 1. *Fidelis sermo, &c.*

Aditus ad nouum locum de personis ad defensionem sanæ doctrinæ & disciplinam morum ordinandis: loquitur autem de præstantia ministerij. Propositio est, ad ministerij functionẽ idoneo homini operã suam loco & tẽpore offerre licet. Quòd liceat, probamus, quia appetere concedit & desiderare: non autem concedit ambitionem, igitur loco & tempore solùm concedit, & solùm idoneo, quia non idoneum excludunt sequentes notæ.

Vocat λόγον πιςὸν, hoc est, ἀξιόπιςον, dignum cui fidem habeamus, vel αὐτόπιςον, cui per se assentiamur, sine operosa demonstratione: & re vera in Ecclesia Christi sententia hæc est extra controuersiam, idoneo homini operam suam deferre licere Ecclesiæ, saluo illius iudicio.

Ἐπισκοπὴ munus docẽdi dicitur, hinc Episcopi, qui hodie ministri & simpliciter cócionatores dicuntur: nomen habent ab inspiciendo, quia attendunt quid singuli doceant, & agant, vt viuant in Ecclesia singuli ordines. Rectè igitur dicitur nomen laboris ac diligentiæ. Sumptum est vocabulum à Græco loquendi vsu, nam Attici vocabant Episcopos, magistratum, reficiendis publicis ædificiis præfectum, legatos quoque in prouincias missos, quales Lacones vocabant ἁρμοςὰς, & in certaminibus publicis iudices quidam dicebantur Episcopi. In Ecclesia Christi ministri sic appellati sunt à vigilantia & cura. Postea vox coacta est ad meram dignitatem & pompam neglecta cura docendi. Videant igitur ne sint κατασκοποὶ potius & ὑποσκοποὶ quam Episcopi.

Hoc munus *appetere licet*: ὀρέγεσθαι dicitur, quemadmodum cibum & potum affectamus natura & necessitate compulsi: sic deferre operam suam licet, afferenti mediocris industriæ conscientiam, cùm videt Ecclesiam opera boni pastoris indigere, sic licet operam suam offerre ad alios honestos labores: sic interpretor verbum etiam ἐπιθυμεῖν.

Ministeriũ quomodo bonum opus.

Dicitur autem καλὸν ἔργον, *bonum opus*, h. e. ex ordine τῶν καλῶν, quia à Deo est institutum. Deinde καλὸν, quia Ecclesiæ summopere est vtile & necessarium: καλὸν igitur est etiam, quia χρήσιμον, & denique quia arduum ac difficile, quemadmodum dicere solemus, Difficilia quæ pulchra: nam Episcopi primi rapiebantur ad supplicia in persecutionibus: sic in pace illis incumbebat cura sanæ doctrinæ, disciplina morum, & alia infinita.

2. *Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris maritum, &c.*

Virtutes duæ boni ministri.

Duas boni & idonei ministri virtutes recenset. Primùm καθαρτικῶς, deinde etiam ὑποςαλικῶς. Ac primùm ait oportere illum esse ἀνεπίληπτον, infrà ad Tit. 1. vocat ἀνέγκλητον, quod significat hominem qui criminis non possit conuinci, vt sit apud Ecclesiam extra crimen: non enim vult sine peccato esse, tum enim nullus idoneus esse posset minister, sed atroci crimine vacare. Deinde apud homines nam ad Deum si rem conferamus, vtique omnes sumus ἐπίληπτοι. Deinde *vnius vxoris virum*, hoc est, non polygamus esse debet, vt tum omnes Orientales, imprimis Iudæi plures alebant vxores: hoc vitium in ministro non esse ferendum ostendit. Itaque damnatur primùm hîc polygamia: deinde concubinatus, vbi nulla legitima habetur & multæ aut variæ concubinæ. Præterea si vna legitima, aliæ accedunt concubinæ. Præterea damnatur etiam cœlibatus, vt sine illo non possit esse idoneus minister, non enim requirit ἄγαμον, sed contentum sua legitima vxore.

Vnam vxorem præscribés quid velit Paulus.

Constat igitur vxoratum posse ministrum esse bonum, sed quærunt de vna vxore, alij vna defuncta non concedunt secundam, sed quia mors tollit vinculum matrimonij, desinit enim per mortem esse vxor, manifestum est vnam dici vxorem, quæ vno tempore vna semper est, ne plures simul & eodem tempore legitimæ aut illegitimæ habeantur. Qui de vna Ecclesia vnius episcopi interpretantur, nihil dicunt ad præsentem locum idoneum, eoque

nomine

nomine magis ineptiunt, quòd vnus episcopus plura semper inuadit beneficia, vt ne sic præcepto Apostoli satisfaciant.

Varia ministri ornaméta.

Tertiò, νηφάλιον, *oportet esse*, hoc est, *sobrium*, quæ est non tam virtus quàm virtutis proprietas: reprimitur hac proprietate nimius potus.

Temperans.

Quartò, σώφρονα, *temperantem*, moderatio est cibi & potus, adeóque omnium cupiditatum: temperans facilius acquiescit pietati. Hinc σωφροσύνη dicitur εὐσεβείας γείτων, cóseruatrix quoque rationis est, vt ministro imprimis sit necessaria.

Honesto habitu.

Quintò, κόσμιος dicitur *condecens habitus*, qui professionem ornat, ne militaris sit vestitus, vel ad iustitiæ studium referatur, vt respondeat ἐγκρατῆ, ad Tit.1. sed malo de ornatu sui decori accipere, non sordidum vult, nec indecenter vestiri, sed vt ex habitu cognosci possit.

Hospitalis.

Sextò, φιλόξενος, *hospitalis*: cùm enim Ecclesiæ bona ad ministros deferrentur, vt priùs ad Apostolorum pedes, meritò hospitales esse debent: peregrini enim hinc & pauperes alendi erant. Nunc multò magis tales esse debent cóstitutis stipendiis ordinariis, ex quibus & ipsi & familia viuere possunt, pauperum cura publica in pium magistratum reiecta.

Aptus ad docedú.

Septimò, *aptus ad docendum* διδακτικός, instructus ratione docendi facili & perspicua, qualis est methodica, vt ostensa rei natura ac vtilitate ad illam possit hortari, vt contra proposita scelerum nota ab his potenter possit dehortari: sic in defendenda sana doctrina didacticus est si purè & perspicuè veritatem proponat prolatis veris causis, errores perspicuè detegat & confutet, aduersarios conuincat, hæc δεινότης donum S. Sancti est.

3. *Non vinosum, &c.*

Vino nó deditus.

Hactenus affirmatiuè dixit qualis debeat esse minister, nunc ἀποφατικῶς eandem rem persequitur. Primùm igitur non debet esse πάροινος, *vinosus*: species est vel proprietas sobrietatis, de qua iam diximus. Significat autẽ πάροινος, vino quodammodo affixum, assidentem ei semper: & παροινεῖν est ex vino lasciuire, peccare, quemadmodum Nero temulentus saltat inter scenicos, libidinatur, corrumpit puellas & matronas, canit, &c. Sic Alexander inter pocula occidit Clitum & alia nefanda committit: vetat igitur hîc vini amorem, & lasciuiam inde promanantem.

2. Πλήκτης dicitur *pugnax*, paratior manu quàm ratione, *Ein schlegler, boccher.*

Turpis lucri cupidus.

3. Αἰσχροκερδής, *turpis lucri cupidus*, vel turpis quæstus studiosus: quod fieri potest, vel si ex rebus per se turpibus colligatur, vt venalem habere linguam, vocationes muneribus vendere, doctrinam ad opes comparandas accommodare: vel si per accidens turpis fiat quęstus, qui extra ministerium poterat esse honestus, vt si minister idem sit mercator, institor, agricola, negotiator, & similes tractet artes, quæ idiotæ fortè concedi poterant, ministro autem minime, auari hominis argumenta sunt.

4. Ἐπιεικής, moderationis dicitur studiosus, non auidus pœnarum, sed qui commodè fratrum delicta interpretetur in iure administrando & exequendo, ne sit nimium rigidus: summum ius enim summa solet esse iniuria.

5. Ἄμαχος, prius dixerat μὴ πλήκτην, non pugnacem, *nunc alienum à pugnis*: sed latiùs etiam patet ἄμαχον esse, hoc est, non debet, etiam verbis esse pugnax, contentiosus disputator, sed placidus doctor potius.

6. Ἀφιλάργυρον, alienum ab auaritia, priùs dixerat hospitalem, nunc radicem notat ipsam auaritiam.

4. *Qui suæ domui, &c.*

Ministri virtutes externæ ac primú guberna tio domestica.

Hactenus ferè recensuit insitas virtutes, nunc externas profert: ac primùm *vt domui suæ bene præsit*, domus gubernatio argumentum est gubernationis Ecclesiæ, quæ & ipsa domus Dei dicitur.

2. *Liberos habeat in subiectione, & honestate*: in familia episcopi duo requirit, subiectionem & honestatem, Ὑποταγὴ est obedientia ordinem suum seruans, quo dicto sunt audientes inferiores. Σεμνότης autem familiæ decorum & grauitatem indicat in vestitu, incessu, sermone, factis, totâque vita: illa honestas mirificè ornat ministrum Ecclesiæ apud auditores.

5. *Si autem quis suæ domui, &c.*

Arg. à minori si domui non pręsit minister ergo nec Ecclesiæ.

Argumentum à minori addit, quo confirmat prius membrum de facultate œconomica. Dominus hîc opponitur Ecclesiæ, minus maiori, si id quod minus est non potest, ergo maius administrare non poterit, vt si nauiculam in flumine modico non potest administrare: ergo non nauem in Oceano regere poterit: vera est ratio, non tamen conuertitur, vt is qui domui potest commodè præesse possit etiam Ecclesiam regere: non enim statim maiora potest, qui minora nouit administrare: negatiuè igitur rectè colligit Apostolus, ac defectus scientiæ includit etiam defectum facultatis, quasi dicat, non potest planè vtilis esse talis Ecclesiæ.

6. *Non nouitium, &c.*

Qui fit episcopus ne sit tyro in religione.

Νεόφυτος dicitur recens plantatus: νεοκατηχητος nouiter admissus ad religionis professionem, quales dicebantur Catechumeni: igitur nouitius dicitur, qui in his quę ad ministerium necessaria sunt, rudis adhuc est. Huic imminent duo pericula, prius à seipso, posterius ab auditoribus. Ex seipso, ne fiat inflatus, hinc arrogans & aliorum contemptor, complectur in eo quod dici solet, magistratus virum arguit. Ex auditoribus autem periculum est, inuidia, nam φθόνος πρὸς τὸν ἔχοντα ἕρπει, tamen Apostolus illa conuertit quasi posterius ex priore fluat, & reuera *inflati ruunt in calumniatoris iudicium*: potest igitur & calumniator esse Satan, qui nouitios præcipitat ex vno in aliud peccatum, & commodè dicitur calumniator, quia Deum apud hominem traducit, vt testatur historia paradisi, & hominem apud Deum, vt est videre in Iobo, & denique homines apud homines: in hoc tam varium & graue iudicium Satanæ cadunt isti.

7. *Oportet autem ipsum etiam, &c.*

Testimonium bonum habere decet ministrum quod duplex est.

Bono testimonio ministrum munit contra calumnias. Geminum autem potest esse vel à domesticis fidei, id non requirit hîc, quanquam prorsus sit necessarium: consistit autem id in superioribus virtutibus, de quibus testabuntur domestici fidei. Aliud testimonium petitur ab externis, hoc est, ab incredulis adhuc cum quibus priùs vixit. Hoc necessarium est ob sequentes causas. Primùm, *Ne incidat in exprobrationem Diaboli*, hoc est, ne prius vitæ genus illi in probrum cedat: exprobrabitur illi si mala vita prior fuit, vt si fuerit scortator, fur, vsurarius, aut tale quid, id totum cadet ei in ὀνειδισμὸν, in exprobrationem in noua religione. Deinde, *Ne cadat in laqueum Diaboli*, h.e. vt vitæ genus prius ei sit impedimento in officio suo, detrahetur aliquid de authoritate sua, quæ vt vitentur petendum est testimonium ab externis. Hactenus de virtutibus episcopi, hoc est, boni & idonei ministri, quas hoc ordine

Ordo virtutum ministri.

digeremus in bono & idoneo ministro: aliæ virtutes sunt insitæ, aliæ externæ. Insitas voco quæ in ipsius ingenio quæruntur & moribus. Externas verò, quę in aliis cùm sint, illi cedunt ornamento. Insitæ vel sunt facultatis vel assuefactionis: facultas aut est doctrinæ, aut gubernationis: doctrinę facultas est, vt sit διδακτικός: gubernationis, vt suæ domui bene præsit, hoc est, bonus sit œconomus.

Assuefactionis moralis reliquæ sunt, quæ vel facit ad temperantiam: vt reprimere ardorem venereum, *Sit vnius vxoris maritus.* 2. moderationem potus, *sit sobrius, non vino deditus.* 3. moderationem cibi, vt iudicij sit σώφρον. 4. moderationem cultus, sit κόσμιος.

II. Ad liberalitatem, sit φιλόξενος. 2. sit ἀφιλάργυρος. 3. sit non αἰσχροκερδής.

III. Ad reprimendam temeritatem, μὴ πλήκτης. 2. ἐπιεικής. 3. ἄμαχος.

IIII. Contra ambitionem, μὴ νεόφυτος, μὴ τυφωθείς.

Externæ virtutes sunt, liberos habere bene institutos, quò pertinet subiectio illorum, & honestas. Item bonum habere testimonium ab externis, &c.

8. *Diaconos itidem compositos, non bilingues, non multo vino deditos, &c.*

Diaconi virtutes quæ esse debeant.

Tertio loco præcipit de diaconis, in quibus easdem virtutes requirit, quas tribuit episcopo: deinde quasdam specialiter. Porrò diaconos intelligo post episcopum, hoc est, primarium, ministrum Ecclesiæ inferiorem, qui episcopo docendo, administrando Sacramenta, scribendo etiam, aliísque curandis rebus adhibetur, vt visitare ægros, curare eleemosynam

Grauitas.

in pauperes, &c. In his σεμνότης requiritur, hoc est, *grauitas* pietati congruens: est enim in quolibet officio sua quædam grauitas, qua ornatur muneris professio. Hinc σέμνια dicuntur collegia pietati deputata.

Non sit bilinguis

2. *Non bilingues*, δίλογοι dicuntur qui aliud stantes, aliud sedentes loquuntur, sibi pugnantia afferunt, incerta, & ob id sæpe falsa. Quia igitur diaconus episcopi est quasi oculus & auris, meritò vult non bilingues: nam deferebāt populi peccata & errores ad episcopum, hinc episcopus multa carpebat in populo sæpe ex diaconi ore, in qua re prudentem oportet esse. Admonemur illo in deferendo cautos esse oportere & non nisi vera deferre, ne odio & inuidia fratrum errores nimium augeamus. Hinc delatoris nomen omnibus nationibus odiosum & inuisum redditum est. Similiter ministri discant, ne facilè huiusmodi delatoribus credant, nec statim traducant nisi re priùs probè comperta.

Vino ne sit deditus.

3. *Non deditos vino*, idem in episcopo damnauit, quem noluit esse πάροινον, quasi vino assidentem semper: sic diaconus non debet προσέχειν, hoc est, non debet attendere, & inhiare vino, ne vino corrumpatur, etiam in deferendo aliorum peccata, alioquin vinum per se non damnat, sed πολλον, hoc est, copiam, & προσέχειν, studium.

4. *Non lucri cupidos*, quæ ratio valuit suprà, hîc etiam repetatur, lucrum turpe est in diacono, si ad munera respiciat & compotatoribus pareat, aliis iniquior: turpe est vel ex re per se turpi, vt Vespasianus ex lotio colligebat vectigal, dicens, Bonus odor lucri ex re qualibet. Sic hodie Romæ ingens lucrum colligitur ex publicis prostibulis, lucrum turpe est.

est. Deinde per accidens fit turpe, vt si minister mercaturam exerceat.

9. *Tenentes mysterium,&c.*

Vitiis opponit virtutes in diacono necessarias. Prima est, *Mysterium fidei*, hoc est, sanæ doctrinæ formulam & regulam nouisse, illud est ἔχειν μυστήριον, tenere, nouisse possidentis est. Doctrina sana rectè mysterium dicitur, quia res est mundo incognita & diuinitus patefacta. Deinde quia ab impiis non agnoscitur, nec etiam sine pœnitentia admittuntur. Præterea propter rationem Sacramentorum: hinc in communione dicebatur, catechumeni exeunto. Debet igitur diaconus fundamenta doctrinæ & formam eius nouisse. Deinde cognitioni addit *puram conscientiam*, quasi dicat, non solùm peritus in religione debet esse, sed castis moribus, ne polluat conscientiam suam: conscientia se habet vt nuda tabella, bona autem vel mala fit studio ac vitæ qualitate. Virtutum studio & bonorum operum exercitio bona nascitur: mala autem vitæ petulantia ac improbitate: rectè igitur fidei coniungit conscientiæ puritatem.

Doctrina sana sit prædi-tus diaconus.

Consciẽtia pura.

10. *Et hi probentur,&c.*

Virtutibus addit probationem, nam virtutes cognosci debent publicè. Probari autem accipio, pro examinari, rogantur de voluntate & facultate, velíntne & possint Ecclesiæ vtiliter seruire. Facultas cognoscetur ex articulis fidei, & dexteritate concionandi, audiatur ergo quomodo verbum Dei interpretetur, qualis sit illius vox, qui gestus, habitus, methodus in tractandis locis, &c. Post examen officij est inauguratio, ministrorum Ecclesiæ scilicet docendo, consolando, visitando ægrotos: huic suo episcopo, & aliis fratribus. Tertiò, repetit virtutes in genere omnes, *Si sit irreprehensibilis*: conditio est necessaria, non enim eruditio, & eloquentia hîc rei satisfacit.

Probandũ esse diaconũ.

11. *Vxores similiter,&c.*

Quartò, loquitur de vxoribus ministrorum & diaconorum. Nam quòd alij de diaconissis hoc accipiunt, non satis firmum est, minus etiam placet eorum sententia, qui in genere de sexu muliebri hæc interpretantur. Priùs enim cap. 2. ver. 9. harum decorum descripsit, vt non sit opus hîc repetere. Itaque vxores intelligo episcoporum & diaconorum: debent istæ esse primùm σεμνάς, vt ornent maritorum suorum conditionem. Discrimen igitur debet esse inter ministri vxorem, & alterius de plebe, modestia, habitu, moribus, totóque vitæ genere, reliquis exemplo esse debet. Deinde, *non sint calumniatrices*, διάβολοι, nam solent istæ etiam populi errata ad maritos deferre, vt corrigantur in concionibus, ne igitur innocentes deferant, vt priùs de diaconis dixit, ne sint δίλογοι. Deinde in genere ne sint garrulæ, nugiuendæ.

Quid deceat vxores ministrorum & diaconorum.

Tertiò, *sobriæ*, sic maritis coniungit sobrietate, & requiritur quidem in omnibus piis ista virtus, vt in genere virtus in omnibus requirenda est, in ministro autem & sua familia postulatur excellentia quædam & exemplum.

Quartò, *fideles in omnibus*, hoc est, in tota causa religionis, deinde deferendis aliis, item in fide matrimoniali, in administratione rei domesticæ, in regenda familia, in summa, omnia dirigat ad pietatis auctionem.

12. *Diaconi sint,&c.*

Quinto loco loquitur de altero diaconorum genere, quod scilicet administrabat opes Ecclesiasticas, erant hi instituti primitus ab Apostolis, Act. 6. Hinc videtur in aliis Ecclesiis passim obseruatum, vt ministris adessent diaconi quidam de senioribus selecti, quibus committebatur ærarium Ecclesiæ: hi pauperum, peregrinorum, viduarum, pupillorum, ægrotorum habebant curam, distribuebántque illis pro ratione facultatum & consilio seniorum. Hinc Ambrosius censet in qualibet ciuitate debere esse episcopum vnum, duos diaconos primi generis, qui simul doceant interdum & septem secundi ordinis, qui Ecclesiæ bona procurent. Nos ministros habemus, & primi generis diaconos quoque duos, secundi autem generis nullos, quia illa pars ciuilis facta est, & à politico administratur magistratu.

De officio diaconorũ, qui præsunt opibus Ecclesiasticis.

13. *Qui enim bene ministrant,&c.*

Inuitat spe præmiorum ad diligentiam. Ac refero in genere ad totum ministerium: debet enim hæc ratio valere apud episcopum, diaconum, eleemosynarium, ac si qui alij sunt gradus in Ecclesiastica administratione. *Gradum sibi acquirunt bonum*, non accipio de diacono, quasi spe episcopatus debeat diligens esse: sed gradum bonum apud Deum, qui solet assiduis, & vigilanter officio suo intentis augere sua dona, secundum illud, Serue bone, fuisti in modico fidelis, constituam te super maiora. Item habenti dabitur, & ab eo qui non habet, auferetur etiam id quod habet. Diligentes igitur habent quò sperent donorum auctionem. Deinde bonus gradus est apud Ecclesiam cui seruit, illa enim commendabit virtutem hominis, laudabit modestiam: gloria igitur & publica authoritas, quasi præmium vir-

Compensatio eorum qui munere suo benè funguntur.

Bonus gradus quid sit.

tutis bonus erit gradus. Tertiò apud ſemetipſum, nam conſcientia libera erit, & intrepide verſabitur in miniſterio ſuo cùm nullius ſceleris ſit ſibi conſcius. Quartò, gradus hic firmiſſimus eſt ad vitam æternam, diligenter vocationi ſuæ adeſſe, &c. Addit alterum argumentum, *& multam libertatem*, hoc eſt, ſi fuerit aſſiduus in officio, valebit etiam libertate docendi, quaſi dicat, ſi ſuis fuerit ornatus virtutibus, contraria vitia intrepidè carpet, vt ebrietatem, ſcortationem, otium & ſimiles peſtes: fieri enim non poteſt vt commodè ebrios corrigat miniſter, qui & ipſe vinoſus eſt: ſic ſcortator non poteſt bona conſcientia contra ſcortatores agere, idem fit in aliis, vt igitur miniſtro ſua maneat ſalua παῤῥησία, dabit operam vt in officio quàm diligentiſſimus ſit.

14. *Hæc tibi ſcribo, &c.*

Occupatio duplex, cur de officio miniſtrorum ſcripſerit breuiter.

Sexto loco ſequitur epilogus: docet autem cur ſcripſerit de his rebus breuiùs: deinde cur etiam ſimpliciter ſcribat, nam videtur duplex occupatio: primùm enim de breuitate in re tam difficili non immeritò, quæri poterat: deinde quia reſpondet ſe ſcribere breuius quia mox ipſe ſit venturus: iterum quæritur, cur ergo ſcribis cùm ſis ipſe mox venturus? & huic reſpondet, hinc petendam eſſe gubernationis Eccleſiaſticæ formulam. Itaque hîc priori quæſtioni reſpondet de breuitate ſcripti, *ſpero me breui venturum*, ideo breuior ſum in ſcribendo.

15. *Sin verò tardauero, &c.*

2. Occupatio.

Alteri occupationi occurrit, cur ergo ſcribat: reſpondet, ſi non venero, hinc tu habebis formulam gubernationis Eccleſiaſticæ.

Apoſtolum ſui iuris non fuiſſe.

Diſce Apoſtolum non ſui fuiſſe iuris, ſed ſæpe contra animi conſilium aliò ductum Dei conſilio, vt hîc promittit aduentum ſuum, de quo tamen dubius eſt. Proponit igitur etiam ſanctus homo, ſed Deus diſponit vt ipſi videbitur. Deinde non abſolutè de futuris hominum conſiliis ſtatuendum eſt: ſic Apoſtolus, hîc conditionem præſeruat, ideo concedit fieri poſſe vt diuinitus impediatur, quod ſuo conſilio nihil derogat. Vtvt cadat, interim epiſtola hæc ſuum habet vſum, ſcilicet, vt hinc modum gubernationis Eccleſiaſticæ depromat.

Argu. ad diligentiam miniſtrorũ. Eccleſia domus Dei.

Propoſitio igitur ſit, Timotheus, & ob id omnis Eccleſiæ Chriſti miniſter gubernationis formulam non niſi hinc debet petere. Petantur hinc argumenta ſuaſoria ad diligentiam: primum, quia *verſantur in domo Dei*, hoc eſt, ſunt œconomi in Eccleſia Dei. Quantò qui præeſt domui præſtantiori, tantò vigilantior debet eſſe in officio: ſed hi ſunt in præſtantiſſima, vtpote Dei domo œconomi, Ergo, &c. Domus Dei dicitur, quia continet domeſticos Dei, h.e. electos & pios, qui profitentur veram doctrinam. Hos omnes complectitur vniuerſalis Eccleſia, cuius particulæ ſunt priuatæ Eccleſiæ, vt ſingulares cœtus. Et qua ratione Eccleſia, dicitur domus Dei, eadem miniſtri dicuntur œconomi Dei. Itaque vt œconomus in familia præcipuos fert labores, primus ſurgit, vltimus cõfert ſe cubitum: primus eſt in laboribus, vltimus inde recedit: ſic miniſtri in Eccleſia præcipuum ferunt onus, quare inſtructione imprimis opus habent.

Deus viuens.

Alterum argumentum eſt, quia *domus hæc eſt Dei viuentis*, quaſi dicat, non ſtupidi aut ſtulti domini familia eſt, ſed Dei viuentis, hoc eſt, omnia ſcientis, omnia coràm inſpicientis, quem nihil latet vſpiam, vigilandum igitur. Nam œconomi ſæpe ludunt impunè, & ſecuriter ſtertunt heris improuidis, aut non ſatis callidis & attentis ad rem, ſecus hîc ratio ſe habet. Deus viuens huic familiæ præeſt, falli igitur non poteſt. Ac videtur Deum opponere hominibus, viuum verò idolis: plus enim Deus quàm homo metui ſolet: ſed verus Deus etiam plus quàm idola metuendus eſt, quia idola ſtupida ſunt, vita carent: Deus autem vita eſt.

Eccleſia columna veritatis.

Tertiò, domus illa *columna eſt, & ſtabilimentum veritatis*, hoc eſt, fundata in veritatem quę eſt Chriſtus, hinc columna veritatis quaſi ex veritate excitata, alioquin Chriſtus fundamentum eſt, vt loquitur 2. Epheſ. ver. 20. huic fundamento ſuperſtructa Eccleſia dicitur columna, quaſi dicat, firmiſſima & inexpugnabilis. Deinde dicitur columna, & firmamentum, quia Deus per Eccleſiam propagat veritatem, éſtque teſtis eius, & huic innititur quaſi marpeſia cautes. Iam valet argumentum etiam hinc à conditione ſeu proprietate Eccleſiæ, quæ eſt ſemper indiuulsè adhærere veritati, ergo vigilandum eſt miniſtro, ne ſuo vitio ab illa exorbitent auditores.

16. *Et ſine controuerſia magnum eſt pietatis myſterium, &c.*

Doctrinæ veræ commendatio & loci præcipui. Eccleſia vera quæ

Digreditur longiùs in commendationem doctrinæ Eccleſiaſticæ, ac enumerat veritatis illius tam firmæ præcipuos locos, eóſque imprimis, qui latent rationem: piis autem ſunt ὁμολογύμενοι. Et petatur hinc quartum argumentum ad diligentiam, quia miniſtri tractant myſteria ſolis piis ὁμολογύμενα: ergo vigilandum illis ne tanta myſteria ſuo vitio polluant. Diſcamus ex hoc argumento quæ ſit vera Eccleſia Chriſti in his terris, nimirum quæ inter alia etiam quædam habet confeſſa & conceſſa dogmata, ἀυτοπιστὰ & ὁμολογύμενα

λογούμενα, vt hîc loquitur Apostolus, hoc est, talia de quibus piis non licet dubitare. Nam dubitando produnt se non esse pios. Interim de his dubitat & disputat totus mundus. Sic omnes facultates suas habent hypotheses, quas non licet in dubium vocare. Hypotheses igitur Christianæ pietatis hoc loco sunt.

1. *Deus manifestatus est in carne.*

Hoc est, Deus carnem assumpsit. Ioan. 1. Deus caro factus est. In Christo igitur duæ vnitæ sunt naturæ, diuina & humana in vna persona: atque hanc hypothesin qui negant, principia pietatis conuellunt: ratio est, quia Apostolo est ὁμολογούμενον: videant ergo quid agant Arriani, & similes qui hoc totum in dubium vocant. — *Christi duæ naturæ.*

2. *Iustificatus in spiritu.*

Hoc est, Christus Dei Filius homo factus iustitiæ laudem obtinuit, quod sit pura & idonea hostia pro hominum peccatis delendis, iustificatus dicitur absolutus, & liber pronuntiatus, verè iustus, vide Mat. 11. Luc. 7. v. 35. Psal. 51. — *Iustitia Christi patefacta.*

3. *Visus Angelis.*

Id quidem verum est secundum historiam, nam in natiuitate, ieiunio, passione, resurrectione, ascensione semper adsunt Angeli spectatores: sed mihi videtur de maiore quadam visione loqui, qua scilicet cõtra Angelorum opinionem Christus mirabili ratione duas naturas vniuit in vna persona: quod nec homines, nec Angeli satis explicare possunt, & ob id summo stupore viderunt: & viderunt id in natiuitate, totâque Christi historia. plenius tamen in ascensione, stupendum mysterium Christum hominem ad dextram Dei Patris ascendere. Hinc Theodoretus dialogo 2. refert ex Hyppolito veteri & Ecclesiastico scriptore, Angelos in Ascensione Christi hoc pronũtiasse, quod scribitur Psal. 24. Aperite principes portas vestras, vt ingrediatur rex ille magnus, &c. quem locum sic etiam interpretatur Iustinus Martyr contra Tryphonem. Hæc mysteria sunt quæ rident prophani & impij homines, ludunt de Christo tanquam homine nudo, & precario Deo. — *Angelis est admirationi Christus quomodo.*

Quartò, *prædicatus est gentibus*, scil. incredibili successu contra spem rationis: homines piscatores dementant totum mundum. Vocatio igitur Gentium hypothesis est. — *Gentium vocatio.*

Quintò, *Creditum est illi in mundo.* Locum habuit Euangelica doctrina in mundo contra Philosophorum decreta, contra Iudęorum furores, contra magistratuum omnia edicta: habebit igitur hospitium aliquod semper in his terris vsque ad extremum iudicium. — *Euangelium semper habet hospitium in his terris.*

Sextò, *receptus est in gloriam* scil. idem ille Deus incarnatus: sedet ad dextram Dei Patris, intercedit pro Ecclesia sua, illam tuetur potentia sua, gubernat Spiritu suo, flectitur illi omne genu in terra, cælo, & sub terra. Hæc maiestas Christi est, quidquid dicant contemptores eius. — *Ascensio Christi. Philipp. 2. vers. 10.*

CAPVT IIII.



LOCVS grauissimus hîc explicatur de erroribus circa fidem, qui postremis temporibus simplicitatẽ fidei corrupturi sunt. Locum proponit more Prophetico: est enim oraculum Christi Ecclesiæ relictum ad vtilitatem. Simile habemus in 2. ad Timotheum, cap. 3. ver. 5. & in 2. Petri cap. 2. & in epistola Iudæ vers. 18. Hic explicat oraculum per circunstantias, tandem accommodat ad corruptæ doctrinæ capita præcipua, qualia sunt prohibere matrimonia, & ciborum discrimina inducere contra Dei institutionem. — *Cap. 4 argum.*

Hæc proponit Timotheo non solùm cauenda, sed vt alios de his quoque præmoneat. Hinc transit ad alia præcepta, vt de anilibus fabulis cauendis, de exercitio veræ pietatis, de officio ministri, quo debet in omnibus virtutibus exemplar esse subditorum: item de electione, de non negligendis donis Dei, & similibus, quę omnia ad vigilantiam pios ministros excitant.

Propositio est, Timotheo & omni pio ministro quàm vigilantissimè curandum est ne qua labes contra sanam doctrinam inuehatur in Ecclesiam Christi, quales tamen extabunt vltimis temporibus. — *Propositio.*

Partes capitis tres sunt. Prima, de statu Ecclesię post ipsius Apostoli exitum. Altera, de cauendis fabulis, & veræ pietatis vero exercitio. Tertia, episcopum per omnia exemplar debere esse omnium virtutum suis auditoribus. Cui adduntur quædam etiam specialia ad Timotheum sic pertinentia, vt in illius persona omnium ministrorum idea formetur. — *Partes.*

Vers. 1 *Spiritus autem manifestè dicit, quòd in posterioribus temporibus descíscent quidam à fide.*

Transitio ad quartum locum huius epistolæ, quem locum simplici narratione proponit, quemadmodum de hoc admonitus fuerat diuinitus. Ideo diximus oraculum esse de futuro statu Ecclesiæ post Apostoli mortem. Ideo primùm hîc consideretur quis illius oraculi — *Oraculum de futuro statu Ecclesiæ*

post Apostoli mortem. Eius autor spiritus.

sit author, Spiritus scilicet Sanctus, dicit enim, Spiritus expresse dicit, hoc est, Spiritus Sanctus autor est admonitionis illius, ad Ecclesiæ vtilitatem, vt pij sciant quæ doctrina cauenda, aut sequenda sit.

Ac alludit ad Propheticum morem, quibus hoc erat frequens, Dominus loquitur, Deus dicit, Spiritus Domini loquutus est, & similia, quo significabant se non authores, sed organa tantùm esse: sic Apostolus authoritatem præmonitioni conciliat, dum non se, sed Dei spiritum authorem inducit. Sic 2. Pet. 1. dicitur non voluntate hominum, sed Dei Spiritu impulsos, locutos fuisse sanctos Dei homines.

Perspicuum edit oraculũ.

Deinde addit, quòd hoc loquatur ῥητῶς, hoc est, *expresse*, quasi dicat, sine ambagibus, sed nuda & perspicua oratione: perspicuitas igitur est testimonium veritatis, cùm mendacium inuolucris vtatur, & variis coloribus sese pingat. Sic oracula Ethnica semper ambigua fuerunt, aut certè obscura: Dei contrà sermo & veritas studet perspicuitati. Facit illud cò vt de admonitione nemo dubitare possit: relinquenda igitur Scripturæ sacræ sua simplicitas & perspicuitas, nec est affectata introducenda obscuritas, quam sua natura non habet.

Tempus oraculi venturi. Vltima tempora

Tertiò, quando id sit euenturum, *vltimis temporibus*, ὑστέροις καιροῖς. Vltima tempora dicuntur ea quæ ab ascensione Christi ad gloriosum eiusdem reditum decurrunt. Et in his quæ fini semper propiora sunt, qualia sunt post Apostolorum tempora, nostra hodie, & quæ deinceps supersunt. Monet igitur de periculo in futurum, quemadmodum cap. 1. monuit de præsenti tum corruptela, qualem inducebant tum νομοδιδάσκαλοι. Itaque diligenter est considerandum, quibus temporibus semper hoc vaticinium sit completum.

Quid euenturũ & à quibus.

Quartò, quid euenturum sit, & qui sint hoc facturi, *deficient quidam à fide*. Propositio est vaticinij. Deficere est à vero ad falsum declinare: igitur defectio ἀποστασία erit à vera Dei cognitione ad falsam declinatio, id dixit à fide deficere: fidem accipio pro simplicitate veræ religionis, quod aliàs dicit sanam doctrinam, & hîc mox καλὴν διδασκαλίαν, bonã doctrinam Vide igitur quæ sit Apostolica doctrina, & cõtrà quæ sit apostatica doctrina. Apostolica est, quæ retinet simplicitatem sanæ doctrinæ, vt est à Christo & Apostolis Ecclesiæ relicta. Apostatica est, quæ ab eadem deficit ad hominum commenta.

Doctrina Apostolica & apostatica quæ.

Quintò, qui hoc facient? respondet, τινὲς, *quidam*: hoc interpretor vt alibi loquitur Scriptura per πολλοὺς: quia multi vocati, pauci electi, vt Christus ait, viam ad interitum esse amplam, & multos qui ambulent illam, & Matth. 24. multos fore seductores, & apostasiam fore publicam, adeò vt electi quoque seducantur si fieri posset. Itaque ingens erit apostasia, qualis reuera fuit superioribus seculis & adhuc est, & erit deinceps fortè adhuc maior.

Causa compellens ad apostasiam. Spiritus errans quid sit.

Sextò, quæ causa illos ad apostasiam compellat, illa gemina est. Principalis & organica. Principalis est, πνεύματα πλάνοι, hoc est, *spiritus errans*, qui ita dicitur: primùm, quia ipse in veritate non stetit, sed ad mendacium defecit: hinc mendacij pater dicitur, & alios tales efficit. Deinde errans dicitur spiritus, quia aliis quoque erroris est causa, vt enim ipse mendax est, sic alios tales efficit & mendaciorum, hoc est, errorum quærit patronos. Is est spiritus mendax in ore omnium falsorum doctorum. Organica causa est, animi humani leuitas, qua natura corrupti vanitate delectantur, illam præferunt veritati, quod est προσέχειν. Hinc nascitur communibus suffragiis doctrina dæmoniorum. Satan hanc cudit & hominum animis instillat ac dictat: hinc ambitiosi homines illam publicè proponunt & propugnant.

2. *In hypocrisi falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam.*

Propagatio apostaticæ doctrinæ quomodo fiat. Pseudologia duplex.

Ortum descripsit apostaticæ doctrinæ per suas circunstantias, nunc eiusdem propagationem, quæ fit per hypocrisin: pessimo ipsorum doctorum successu. Tria autem hic ponit quæ diligenter expendi debent. Primùm ipsi per se sunt ψευδολόγοι, id est, falsæ doctrinæ defensores, quæ iam dicta est apostatica doctrina. Fit autem ψευδολογία duplici modo. Primùm, quum per se falsum affertur, hoc est, quod Scripturis sacris non est expressum, sed his contrarium, vt Purgatorium, de inuocatione sanctorum, & similia ψευδολογίαν habent, quia de his scriptura nihil habet. Deinde est ψευδολογία, quando Scripturæ alius assuitur sensus, quàm ferat sana doctrina, qualis est interpretatio schismaticorum, qui ad suas opiniones defendendas torquent loca Scripturæ, vt illud principium Ioannis, hodie quidam de principio patefactionis & prædicationis per Apostolos factæ interpretantur, qui sensus Spiritus sancti non est. Deinde hanc ψευδολογίαν proponunt *in hypocrisi*, hoc est, fingunt personam ad fallendum idoneam, assumunt zelum religionis, gloriæ Dei, & similia iactitant, quasi vindices sint maiestatis Dei Patris, quæ malè tribuatur filio Christo, &c. Sic dæmon solet, non natiua prodit facie, hoc est, vt dici solet, non niger, sed specie Angelica in publicum prodit. Talis erit hypocrisis Pharisæorum, hodie monastica vita absorpta est nefanda hypocrisi, sub qua enormia latent scelera: talis cœlibatus, ieiuniorum, castitatis, votorum, peregrinantium hypocrisis. Dicitur hypocrisis cùm aliud

Hypocrisis apostatarum

latet,

latet, quàm externa specie hominum oculis offeratur, vt in comœdiis personati homines prodeunt, qui habitum, sermonem, gestus, facta aliorum repræsentant, quos illi nunquam viderunt: tales sunt isti personati sancti & Christiani.

Exitus falsorum doctorũ.

Tertiò, *Habent cauteriatam conscientiam*, quasi dicat, infeliciter illis cedit errorum defensio: foris splendidi sunt doctores, & Promethei: intus miserè torquentur alastore conscientia ipsos accusante, & damnante. sunt istæ furiæ & manes à quibus nunquam tuti sunt. Καυτήριον, cauterium, chirurgicum est instrumentum, quo resecantur interdum vstione partes malè sanæ à corpore humano. Item instrumentum quo signabantur equi & mancipia, vt ex nota inusta cognosci possent. Mancipia aliquando sic etiam in fronte notabantur: hoc ad conscientias hîc Apostolus transfert. Cauterio notata dicitur conscientia, quæ damnat & reum agit hominem: est enim is domesticus testis qui falli non potest, conscius omnium dictorum, factorum, consiliorum, cuius iudicium etiam valet apud Dei tribunal.

Cauteriũ quid.

3. *Prohibentium nubere, &c.*

Defectio in doctrina.

Tertio loco describit tandem apostasiam à genere doctrinæ. Ex qua duos primarios articulos producit, vt posteritas iudicium possit ferre inter apostaticam & Apostolicam doctrinam, vt mirum sit tam crassa ignorantia mundum hæc duo capita neglexisse.

Matrimonij prohibitio.

1. Prohibebunt γαμεῖν, hoc est, honestatem matrimonij tollent, ius eius in arctum redigent: quod factum est duplici modo. Primùm, simpliciter quidam damnarunt nuptias: alij secundum quid, hoc est, eos qui nati ad cœlibatum non sunt, contra naturam voto castitatis constrinxerunt, quod adeò rigidè seruant, vt potiùs admittant scortationem, quàm legitimum coniugium. Quo in errore fuerunt olim Tatiani, Marcionitæ, & Manichæi, & nostri hodie Pontificij. De Manichæorum rationibus vide August. de moribus Ecclesiæ catholicæ lib. 1. cap. 35. Epiphanium, Irenæum, & alios. Nos de matrimonio & cœlibatu egimus quoque in Locis nostris: vide etiam elegantem epistolam Cypriani lib. 1. epist. 11. de virginibus, quæ votum castitatis non seruabant.

Ciborũ delectus.

2. De ciborum delectu, de quo vide Aug. epist. 86. ad Casulanum, & lib. 2. de moribus Ecclesiæ cap. 13, vbi delicatam abstinentiam damnat, præferens ei suillæ etiam carnis vsum. In Locis nostris explicata est mea sententia de ciborum delectu ex scripturæ fontibus. Rom. 14. Matth. 15. Col. 2. 1. Cor. 8. &c. quæ vide.

Quos Deus condidit.

Confutatio Apostaticæ doctrinæ, ac 1. de ciborum delectu.

Hactenus depicta est apostatica doctrina: nunc breuiter illam confutat, nominatim articulum de ciborum delectu. *Deus illos condidit*, hoc est, de genere sunt bonorum sua natura: ergo non debent simpliciter damnari.

Deinde fine bono conditi sunt, qui est, μετάληψις: ergo ab vsu hoc non sunt excludendi. Μετάληψιν intelligo iudicium de cibis noxiis & innoxiis ex creaturis, quasi dicat, caro, fructus arborum, herbæ, radices, &c. ideo conditæ sunt, vt hinc cibus homini depromatur. Peccant igitur qui carnis vsum prohibent. Iudicium hoc indidit Deus naturæ, vt intelligat quid ad cibum vtile sit: alia enim condita sunt ad medicinam, alia ad artes, alia ad vestitum, alia ad ornatum, alia ad cibum, &c. Et quę cibi causa condita sunt, non debent homini prohiberi. Præterea fidelium hoc scire imprimis interest. Ideo addit, *Cum gratiarum actione fidelibus, & his qui nouerunt veritatem.* q. d. impiis omnia immunda esse, mundis cõtrà omnia esse munda. Et Eucharistiam accipio hîc pro precibus quæ solent recitari à sumpturis cibos, ante cibos & post cibos, quod propriè faciunt pij.

Omnia pura puris & contrà.

4. *Quia omnis creatura Dei bona, &c.*

Arg. à toto ad speciem.

A toto ad speciem totius argumentatur. Omnis creatura est bona, ergo caro quoque bona edenti. Καλὸν accipio pro νόμιμον, h. e. concessum & legitimum diuina authoritate. Huic opponit ἀπόβλητον, id est, iudicio hominum reprobatum. Habes ex antithesi illustre argumentum. Cibi piis concessi sunt diuina authoritate, hinc καλὸν dicitur: prohibiti autem hominum doctrina, hinc ἀπόβλητον: igitur cauenda est hæc doctrina, & sequenda prima illa Dei concessio. Addit tamen limitationem, quæ prius iam fuit etiam expressa, *si cum gratiarum actione sumatur*, hoc est, piis salubres sunt cibi & à Deo conditi sunt. Et Eucharistia hîc etiam sit oratio, qua consecratur mensa ante & post cibum.

5. *Sanctificatur enim, &c.*

Quomodo cibi puri sint sanctis.

Αἰτιολογία est superioris regulæ, cur sanctis omnia pura sint: *quia cibus consecratur eis verbo Dei, & precibus.* Duo sunt modi consecrationis legitimæ, verbum Dei, & oratio. Λόγος θεοῦ est verbum scriptum, videtur enim ad morem respicere piis consuetum, quo ad mensam recitari solebat locus scripturæ, Psalmi aliqui, aut simile: quæ lectio vel recitatio formam habet consecrationis. Vel λόγος sit τὸ ῥητὸν, quasi dicat, Dei pronuntiatum est licitos esse omnes cibos. Deus dixit, Quod Deus sanctificauit, homo ne impurum dicat.

Alter modus est ἔντευξις, hoc est, preces conceptis verbis recitatæ ad & post cibum: quales preces recitari solent ad piorum conuiuia pro depulsione omnis noxæ, quæ nobis debebatur ob peccatum in rebus per se ad vitam salutaribus. Hæ preces igitur consecrant nobis cibos.

Consecratio Papistica damnanda.

Damnanda hic est consecrandi ratio impia, qua res in Papatu consecrantur ad vsus insolitos, quos natura non habet, nec à Deo his inditi sunt, vt dum consecrant herbas, radices, ramos arborum, plantarum ad fugandos dæmones. Oua consecrant contra incendia, campanas contra tempestates, aquam, salem contra peccata: ignem, aërem, terram, aquam, omnia consecrant, hoc est, nouis vsibus dedicant magna certè impietate: id non consecrare, sed magicis artibus potius est dementare & prophanare. Hinc consecrationibus talibus certa tempora sunt deputata, vt in die Marci, fructus terræ consecrant: in die ascensionis Mariæ herbas, arbores, fructus, & radices: die Stephani pabula iumentorum: in die Ioannis vina: in die Paschatis lacticinia, mella, agnellos, carnes, butyrum, panes, placentas: in die Natali, gladios militares, vexilla militaria, altaria, campanas, salem, elementa, & similia, de quibus vide canoniale diuinorum, & similes libros.

6. *Hæc si subieceris fratribus, &c.*

Boni ministri officium patefacere corruptelas doctrinæ. Sermo fidei quid sit.

Epilogus est cœptæ narrationis de futuris Ecclesiæ corruptelis in doctrina de matrimonio & ciborũ delectu: depromatur hinc propositio loci, Timotheus & omnis bonus Christi minister de his corruptelis quàm fidelissimè suos auditores monere debet: ratio est, quia sic erit bonus minister. Ergo qui hoc negligit, non Christi est bonus minister, sed Antichristi, qui apostaticam sequitur doctrinam. Deinde sic declarabit, *Se enutritum in sermonibus fidei*, hoc est, peritiam habere sanæ doctrinæ. Λόγος πίστεως, est certa & firma veræ religionis formula, quam habere debet is qui alios docere vult. Hanc facultatem cùm tribuat Timotheo, ostendit à puero in vera fide enutritum, primùm à Loide & Eunica in Prophetis, mox ab Apostolo Paulo in Christiana religione.

Assequi bonam doctrinam.

Tertiò, *Et bonæ doctrinæ*, καλὴ διδασκαλία est quæ sana dicitur, & simplex fidei formula Propheticis & Apostolicis literis congruens. *Quam assecutus es*, addit, significans eum tenere veram mentem & sensum scripturæ: significat enim παρακολουθεῖν, primùm mentem docentis assequi, vt discipuli cùm audiunt prælegentem, authoris mentem assequuntur ex interprete. Deinde debent παρακολουθεῖν cum vita & moribus his ipsis actionibus intersunt, & respondent professioni, nam doctrina quædam est theoria quæ ad praxim refertur. Sic pij cùm intersunt certaminibus persecutionum debent assequi doctrinam, hoc est, percipere id quod Christus illis prædixerat, hîc tamen pro docendi facultate loquitur propriè vt apparet.

7. *Prophanas autem & aniles fabulas, &c.*

Pestes aliæ sanæ doctrinæ, contra dogmata disciplinæ.

Secunda pars capitis, de vitandis aliis doctrinæ sanæ pestibus. Imprimis quoad dogmata disciplinæ spectat. Nam fabulosam doctrinam & prophanam vocat eam, quæ in ritibus & disciplina vitæ aliquid excogitat præter Scripturæ sacræ mentem. Huic opponit εὐσέβειαν, hoc est, veram rationem colendi Deum: & hanc esse mentem indicat mox consequens confirmatio, in qua rationem accommodat ad exercitia vitæ corporalia, quæ dum extenduntur ad maiora, hoc est, ad spiritualia, ius alienum inuadunt: igitur vt seruetur ἡ γνώμη τοῦ συγγράμματος, in propositione, profanum, fabulosum & anile de iisdem corporis exercitiis debet intelligi. Tria autem, sunt huius loci membra: πρότασις, κατασκευὴ, & illatio: interseritur quoque grauis ἐκφώνησις, quæ tamen ad propositionem, & illationem pertinet.

Propositio.

Propositio est, Timotheo & omni pio ministro curandum est diligenter ne in disciplina pietatis quicquam admittatur pugnans cum vero Dei cultu, vtut speciem sapientiæ & religionis habeat. Hæc proponit Apostolus antithesi quadam: primùm enim præcepti est oppositio, *hoc auersare*, παραιτοῦ: in illo verò, *te ipsum*, γύμναζε. Illud ἄρνησιν habet, hoc θέσιν.

Fabulosum, anile, & impurum fugiendum.

Fugiendum est in disciplina morali μυθικὸν fabulosum, hoc est, quod speciem habet antiquitatis, sed cum vero Dei cultu non congruit: ideóque duo huic disciplinæ addit epitheta. Primum quòd sit βέβηλον, deinde quòd γραώδες. Βέβηλον dicitur impurum, nam βηλὸν dicitur purum, qualis est puritas in cælo sereno, in astris, hinc βέβηλον, nam βε syllaba significationem dictionis mutat: ideóque rectè intelligimus, pollutum, cœnosum, impurum, quod cælo & astris minimè dignum est. Γραώδες verò dicitur, quòd speciem habet sapientiæ & antiquitatis sed recedit à vera sapientia diuina, quæ docet verum Dei cultum.

Pietatis verę duo extrema fugiēda.

Itaque damnantur hîc duo pietatis veræ extrema: defectus est βεβηλότης, contaminans pietatis exercitia profana vita. Excessus autem est γραώδες, hoc est, superstitio, quæ aliàs dicitur δεισιδαιμονία. Exemplo res declarari potest: tres simul vigilant diuersissimo fine & euentu. Apostolus Paulus aut Petrus vigilat pernox, vt oret pro Ecclesiis Christi, aliis profit

& munus sibi impositum meliùs obeat, docet Euangelium, & orat. Vigilat simul supersti- **Exem-**
tiosus monachus aut Pharisæus, qui vigiliis suis, opus superrogationis fabricatur, merito- **plum eo-**
rium apud Deum pro sua salute. His addetur tertius profanus compotator, qui pernox est **rum.**
in vino ab occasu Solis ad ortum eiusdem debacchatur. Hîc quæritur quis apud Deum bona vtatur disciplina, & cuius vigiliæ Domino approbentur. Hypocritæ placere non possunt, quia δεισιδαιμονίᾳ, hoc est, superstitione peccant, & γραώδεις est hoc opus, hoc est, peruetustus error est anilis. Lurcones quoque non placere possunt, quia in eorum vigiliis est βεβηλότης, hoc est profanatio: itaque medium hîc quærendum & sequendum est, ne in castigando corpore, aliáve disciplina externa peccemus superstitione aut profanatione. E'υσέβεια est idem quod θεοσέβεια, hoc est, recta Deum colendi ratio, quam non aliunde quàm ex ipsius Dei voluntate petere oportet. Hæc autem Sacris literis expressa est, ac refertur ad duo capita, fidem scilicet, & dilectionem, seu studium bonorum operum.

8. *Nam corporalis exercitatio, &c.*

Confirmatio est propositionis: reddit enim rationem quare profanæ & aniles fabulæ sint fugiendæ. Ratio est, *quia corporalis exercitatio parum prodest, pietas autem ad omnia est vtilis*, quæ ratio siquid concludere debet, oportet fabulas aniles & profanas de exercitiis corporalibus accipere, alioquin nihil concludit oratio. Itaque nos de disciplina morum interpretati sumus. Est enim fabulosum in doctrina vel fidei, vel morum ac disciplinæ, sup. cap. 1. vers. 4. taxauit quoque fabulas, sed ad doctrinam fidei illæ videbantur pertinere: nunc cùm iterum damnet fabulas, & confirmet suum iudicium à ratione & fructu exercitiorum, consequens hoc genus fabularum ad disciplinam vitæ spectare. Γυμνασία, de omni dicitur exercitio, quo corpus, vel mens assiduo studio perpolitur: ideo cùm de disciplina morum loquatur, rectè corporalem addidit: qualia sunt exercitia, nudipedalia, humicubia, ieiunia, vigiliæ, preces longiores & sæpe iteratæ peregrinationes, & similia quibus corpus propriè affligitur & castigatur. Tale exercitium fit anile deliramentum, si homines sibi tale deligant sine verbo Dei & studio promerendi sibi vel aliis, gradum ad vitam æternam consequendam. Valet hoc sensu Apostoli argu. *ad pauca vtilis est exercitatio corporalis*, hoc est, sua natura ad tanta non valet, quanta superstitiosi ei conantur tribuere: ergo vitium hoc cauendum est. Ὀλίγον illud quod sit, facilè perspici potest ex operum natura: vt ieiunium res per se bona est, prodest etiam corpori: sed est tamen ὀλίγον, h. e. res parua respectu eorum quæ ei tribuunt superstitiosi, ac sanum reddit corpus sobrietas, vigiliæ animum excitant adorandum. Aliquid illa quidem sunt imò magna, sed quid respectu abusus? hypocritæ ei longè maiora assignant, merita erogationis & supererogationis, gradum in cælo, vitam æternam, & similia.

Cur fugiendæ aniles fabulæ.

Exercitatio corporalis de quo dicatur.

Deinde addit alterum argumentum à natura εὐσεβείας, *quæ ad omnia vtilis est*: opponit gymnasiæ veram pietatem, quasi excessui veram rationem colendi Deum. Id quod plus prodest præferri semper debet in vsu rerum: bonum enim maius præstantius est, sed pietatis ratio plus prodest cæcis illis exercitiis. Ergo, &c.

Pietatis vera natura.

Πάντα accipio hîc comprehensim generaliter, hoc est, ad vitæ æternæ commoda, & vitam æternam consequendam, & rectè opponuntur voces ὀλίγον & πάντα. Exercitatio corporis hîc bis cadit, primùm sua natura, deinde relatiuè ad pietatem veram. Sed excipiunt hîc suprà superstitiosi, quomodo pietas ad omnia possit? quomodo ad agriculturam? mercaturam? artes mechanicas discendas? Respondemus etiam ad has & in his plurimum prodesse, nam in omnibus actionibus æquitatem respicere iubet, Dei gloriam, proximi commodum, & iustitiæ communem regulam: sic ad mercaturam prodest, ne fiat ex mercatore honesto turpis vsurarius, aut impostor, in mechanicis dictat honesta viuendi ratione oportere esse contentum, nec defraudandum in vendendo proximum: idem agricolæ dictabit, & aliis in genere omnibus. Sed Apostoli explicatio audienda est. Propositum fuit in disciplina vitæ fugiendam superstitionem ac profanationem, sequendam autem ipsam veram colendi Deum rationem. Ratio erat, quia illa modicam habent vtilitatem: hoc autem ad omnia prodest. Nunc hoc etiam probat hac explicatione addita, *Habet promissionem vitæ præsentis & futuræ*. Promissionem accipio de defensione diuina, de auxilio Dei præsenter nos defendente, eripiente ex periculis, fortunante conatus nostros, & similia. Nunc plana erit sententia: vera ratio colendi Deum quæ dicitur εὐσέβεια, hæc sola habet promissiones diuinas, de tutela, de defensione diuina quoad hanc vitam, & futuram: ergo ad omnia prodest. Si ad omnia prodest, ergo sola sequenda est. Plena autem est enumeratio præsentis & futuræ vitæ partitione proposita. Ac quod hanc vitam attinet promissio manifesta est, quia verè Deum colentibus in veteri Testamento Deus promisit, quòd ipsorum Deus & seminis illorum futurus sit, hoc est, protector & defensor: quæ promissio ad Abrahami posteritatem pertinuit eatenus si manserint in statutis Domini, hoc est, Deum sic

Vitæ præsentis & futuræ promissio.

colerent quemadmodum colendum sese proposuerat. Hinc soli pij rectè Deum colentes sperare poterant illa bona, quæ terræ Canaan nomine erant comprehensa, vt fertilitas, vbertas, sanitas, victoria contra hostes, & similia: & contrà ab his exciderunt quoties veram rationem colendi Deum amiserunt, & cultum hominum iudicio excogitatum receperunt in mores. Porrò sub his typis rerum externarum cælestia quoque illis erant promissa: vt habet promissio de regno Messiæ in æternum duraturo. Sic in nouo Testaměto, in hac vita auxilium præsens piis promittit Christus. Non relinquam vos orphanos. Ioan. 14. & Matth. 6. Quærite primùm regnum cælorum, & reliqua omnia adiicientur vobis: ex quibus efficitur, veris Dei cultoribus propriè seruire promissiones etiam corporales, de vita æterna, nemo ambigere potest, quin eius promissio ad solos εὐσεβεῖς spectet. Rectè igitur & verè dixit Apostolus, quòd pietas huius & futuræ vitæ habeat promissionem, & ob id ad omnia sit vtilis, & hinc etiam quòd sola sit sequenda in disciplina corporis.

Eclamatio. 9. *Fidelis sermo, &c.*

Ἐκφώνησις est, qua sententiam etiam confirmat, ac reuocat nos iterum ad ὁμολογούμενα Christiana, & αὐτόπιστα, hoc est, quæ per se & sine demonstratione debebant valere in Ecclesia Christi: qualia suprà quoque recensuit cap. 1. ver. 15. & initio cap. 3. & ver. 16. cap. 3. tale hoc quoque est, quòd in disciplina corporali sola vera Deum colendi ratio sit sequenda, quam vocauit εὐσέβειαν: & reuera extra controuersiam hoc debebat apud Christianos esse planè apud omnes ὁμολογούμενον, & ἀναμφισβήτητον: sed quis hîc non scrupulos mouet? quis non bonam intentionem præfert? &c.

10. *In hoc enim laboramus, &c.*

Fideles aduersa perferre pro vera pietate. Pergit in confirmatione sua, addens superioribus suum exemplum, ac aliorum fidelium, qui pro vera pietate sola aduersa quæque ferebant, non autem pro disciplina corporis, vt exempli causa pro ieiuniis, vigiliis, precib. conceptis, non ferunt suas persecutiones, sed pro vera colendi Deum ratione, hoc est, cultu vero vnius Dei: ergo hic cultus solus respici debet. Talis non erat hypocritarum conditio: nihil illi pro vera pietate, sed omnia mouebant pro ceremoniis, pro ieiuniis, pro discriminib. ciborum & temporum, pro circumcisione, pro lotionibus, & similibus nugis anilibus disceptabant in religione Christiana: qualia hodie sunt fermè omnia certamina pro Purgatorio, ieiunio, cereis imaginib. vigiliis, intercessione sanctorum, cucullis, vita monastica, &c.

Distinctio verorum Dei cultorum ab hypocritis. Obserua in hoc argumento, quomodo veri cultores Dei distingui possint ab hypocritis. Primùm crucis forma multum differunt, dum veri cultores duriter tractantur in hoc mundo, quod significat voce κοπιῶμεν. Deinde ignominiosè quoque tractantur, quod exprimit vox ὀνειδιζόμεθα. Inde κόπος & ὄνειδος notæ voces.

Quomodo Apostolus Paulus laborem & ignominiam subiuerit pro vera pietate, vide 2. Cor. 11 & 1. Cor. 4. ait, Persecutionem patimur & sustinemus Rom. 8. Quis nos separabit ab amore Dei? num persecutio, &c. Gal. 5. Si adhuc circumcisionem doceo, quid persecutionem patior? & de Mose scribit epistola ad Heb. 11. quòd maluerit cum populo Dei ignominia affici, quàm gloriosè viuere apud Ægyptios: contrà faciunt hypocritæ.

Deinde distinguuntur etiam causa crucis, quia Paulus & similes affliguntur propter confessionem fidei in Deum viuentem, hoc est, de Deo sentiunt & credunt quæ filius Dei iussit nos credere. Hanc doctrinam deformant hypocritæ in ritus & ceremonias bona parte.

Tertiò, differunt etiam euentu, quia pij læto rerum fine sperata bona obtinent: contrà hypocritæ spem irritam fouent, & ob id miserè pereunt.

Deus omnium maximè fidelium benefactor. *Deus* dicitur *seruator omnium*, hoc est, benefactor, vt Mat. 5. Qui sinit oriri Solem super bonos & malos, id est, communiter bonis & malis consulit & prospicit. *Imprimis autem fidelium*, hoc est, hos seriò curat ipsorum bono fine, cùm malis externa beneficia cedant ad damnationem. Oratio argumentatur à toto ad præcipuam totius partem, quemadmodum Psal. 135. dicitur, Dat escam omni carni. & Psal. 111. Escam dedit timentibus ipsum. h. e. dum omnia animalia prouida sua cura alit, imprimis tamen hac sua prouidentia complectitur electos. Sic Christus argumentatur à parte ad partem. Si curæ sunt ei aues, quantò magis nos: si curat pilos nostri capitis, quantò magis animas nostras? simile est hoc, nisi quòd à toto ducitur ad præcipuam totius partem.

11. *Annuntia hoc & doce, &c.*

Illatio est totius loci, denuntiare refero ad errores reprehendendos in hac quæstione de exercitiis corporalibus, de quibus debet auditores diligenter & vigilanter monere.

Docere verò ad ipsam εὐσέβειαν, hoc est, verum Dei cultum, qui in his sequendus est.

12. *Nemo tuam iuuentutem, &c.*

Iuuenilẽ Tertia pars capitis huius de dotibus boni ministri, quæ etiam ætatem iuuenilem excusant:

cusant: solent enim homines interdum materiam contemnendi doctrinam petere ab ætate docentis, contrà quos hic disserit Apostolus. Et exempla declarant Deum in suis donis non excludere iuuentutem, quin ei det illustria dona: sic Daniel puer inter Prophetas habitus est, & Samuel. Dauid, iuuenis egregia dedit specimina futuri regis. Solomon iuuenis illustre tulit iudicium inter mulieres contendentes de infante. Hæc & similia ad laudem iuuenilis ætatis proferri possunt. Porrò quia hæc ætas enormia habet vitia, ideo non simpliciter ætatem excusat, sed in persona idonea, qualis erat Timothei, alioquin exempla satis testantur quantum iuuenes oratores Rebuspub. aliquando obfuerint: conqueritur Cicero alicubi inter alias causas dissipatæ Reipubl. Romæ illam fuisse, quòd surrexerint oratores, noui homines, adolescentuli. Et in religione idem sæpe accidit.

ætatē nō spernendam in ministro, modo adsint dotes diuinæ.

Verùm ad rem. Apostolus docet hîc quibus actibus docere possit etiam iuuenis cum authoritate & grauitate. Quatuor autem sunt loci partes. Prima habet materiam contemptus scil. ætatem: altera recitat ἀντίδοτα. h. e. virtutes quæ contemptum hunc tollere poterunt. Tertia, rem concludit. Quarta addit duo illustria argumenta à gemino fructu, habent illa vim excitandi ad diligentiam.

Propositio sit, Ætas si cæteræ adsint dotes, in ministro non vsque adeò respicienda est.

Nemo tuam iuuentutem despiciat, &c.

Præoccupatione orditur locum: ac præceptum dat auditoribus, quid illis sit faciendum in persona Timothei: Non damnanda aut contemnenda doctrina, quia à iuuene tradatur.

Ratio est, quia reliquæ dotes illustres adsunt. Discimus hîc Timotheum iuuenem fuisse, de quo Act. 16. & sup. cap. 3. & in illo illustria fuisse dona, quæ contemptum meritò prohibere poterant apud pios: in quo valere debet illud, μᾶλλον τὰ ἔργα σκοπεῖν χρὴ ἢ τὸν χρόνον, magis actiones quàm tempus respicere oportet. Deinde magis etiam commendari senes si his virtutibus præditi sint: quia ætas illos magis liberabit à contemptu. Inde fortè infrà 5. duplici honore dignos facit.

Timotheus iuuenis.

Sed sis typus fidelium.

Alter locus de cæteris dotibus quæ adesse debent, si iuuentus in ministro respici non debeat. Facit autem illustrem ministrum, quemadmodum Rhetores suum oratorem virum bonum, dicendi peritum. Addunt illi tria, πίστιν, ἦθος καὶ πάθος. Πίστις facultas dicendi verè illa in ministro est δύναμις docendi sanam doctrinam: ἦθος, authoritatem conciliat, id fit in Ecclesia vitæ innocentia: πάθος vèrò si graui oratione auditores ad sui imitationem possit propellere. Hæc in Timotheo videmus: primùm enim sanam doctrinam illi tribuit iam prius, nunc addit vitæ grauitatem, & morum innocentiam, quo comparabit sibi etiam iuuenis authoritatem, & facultatem consolandi & exhortandi.

Virtutes boni ministri, iuuenis adhuc.

Sed ordine videamus quas dotes iuuenis minister sequi debeat, vt doctrinæ suæ authoritatem faciat apud auditores. Primùm, *Typus*, ait, *sis fidelium in sermone*: typum esse vult, hoc est, exemplar gregis, quod tutò possint imitari auditores. Idem præcipit infrà Tito cap. 2. ver. 7. nam idiotæ plus docentur exemplo quàm oratione, adeò vt qui bene docet, malè autem viuat, plus destruat quàm ædificet: sic Christus exemplar fuit, & dedit nobis humilitatis typum, Ioan. 13. tales Apostoli & Prophetæ.

Præbere debet aliis exemplum

Deinde, quos debeat respicere, pios scilicet, hi enim sunt quos non licet offendere. Impij semper habebunt quod carpant, quemadmodum momus, ideo illorum offensa non curanda est, nec indignè feret si his non ad omnia satisfecerit: sed piorum semper habenda est grauissima ratio.

Tertiò, sequitur virtutum catalogus, in quibus tanquam in lucidissimo speculo contemplanda est vita & doctrina.

Primùm, *in sermone* debet minister prælucere dotibus omnibus, quæ in aliis mediocres ferri possunt, in ipsis excellentes debent esse. Nam vt ad mores principis totus componitur orbis: sic auditores facilè arripient pastoris vitam, vt sit populus qualis est sacerdos. Vt igitur moratus sit, sacerdotem moratum esse oportet, & verè νόμον ἔμψυχον, vita debet esse lex. Id orditur à doctrina: λόγον enim accipio, primùm pro doctrina sana quam profitetur publicè, ne obscuret ipsam aut sophisticè implicet gryphis non necessariis. Deinde sermo quotidianus sit castus & pudicus.

Sit bene moratus, doctrinæ puritate & vitæ innocentia.

Deinde, *Sit typus etiam in conuersatione*: duo summa sunt capita, doctrinæ puritas, & vitæ innocentia: illam dixit in genere λόγον, hanc dicit ἀναστροφὴν, qua complectitur totam vitam, quæ simpliciter debet esse inculpabilis, vt 1. Pet. 2. versu 12. Apostolus Petrus quoque requirit à fidelibus omnibus: ideo hic in ministro excellentia accipiuntur: virtus enim in auditoribus quoque requiritur, sed excellentia in doctore.

Duo capita doctrinæ.

Tertiò, *In dilectione*, tum qua Dei amorem testabitur, tum erga proximum benefaciendi

& viuendi studium, vt Deum supra omnia diligat : proximum autem vt seipsum, vel proximè ad hunc accedat gradum.

Quartò, *In spiritu*, hoc est, zelo pietatis, qui gestibus, oratione, habitu, vita, adeoque verbis ac factis declarari potest: is zelus quia singularis est motus spiritus Dei agentis in hominibus piis, ideo Spiritus dicitur simpliciter, qualis fuit in Mose, Helia, Ioanne Baptista, Stephano, alijsque, imprimis in Filio Dei.

Quintò, *In fide*, hoc est, professione veræ doctrinæ, in asserenda & propugnanda veritate, in toleranda cruce pro nomine Dei: in his certaminibus præbeat exemplum suis auditoribus, quantum pro Christo, & pro veritatis confessione ferendum sit.

Sexto, *In castitate*, speciale est vitium iuuenum, ardor venereus : hunc igitur in tota vita reprimendum esse docet, & optandum est imprimis adolescentiæ, vt Deus illorum corpora casta & impolluta conseruet, ne se scortatione fœdent accessuri munus docendi.

13. *Donec venero attende lectioni, &c.*

Comendatio lectionis scripturæ.

Transit ad occupationes literarias & priuatas. Ac commendat illi primum lectionem domesticam, hinc commoda eius subindicat.

Sit igitur septima virtus quæ iuuentutem excusabit in ministro, assiduum esse in lectione Scripturæ. De lectione aliâs diximus. Commendatur Psalm. 1. nam inter beati viri virtutes, ponitur die & noctu meditari in lege Domini: & Ioan. 5 Christus iubet scrutari Scripturam. Sic neglectum eius taxat Oseas in populo Dei, cap. 4. & alij Prophetæ, quoties Iudæis obiiciunt quòd à Domino Deo suo recesserint, verbum illius neglexerint.

Porrò simul hîc promittit aduentum suum, ex qua spe tamen videtur postea excidisse, nam Ephesinos seniores Miletum euocauit præternauigans Ephesum. Et notanda est phrasis, præcipi lectionem donec venerit, hoc est, semper : non enim voluit hanc negligi postquam ad eum venisset, sed intentissimè nunc hac occupari ad aduentum, de aliis etiam cum moniturus. Facit contra errorem Heluidij, qui malè interpretabatur hanc particulam Donec.

Cura in officio boni ministri.

Octauò, *Intende etiam exhortationi, vel consolationi* : pigri indigent stimulo, hi igitur excitandi sunt: languentes verò consolatione, ne desperent: rectè currentes confirmatione, quæ tria omnia παράκλησις nobis significare potest.

Nonò, *Attende quoque doctrinæ*, hoc est, vt opportunè doceas, ne bonam causam malè agendo deperdas: doctrina indigent rudes, vt iuuentus, cui rudimenta proponuntur pietatis perspicua breuitate. Deinde adulti hærentes in perplexis quæstionibus, vt locis in speciem pugnantibus. Item contumaces, qui nostra oppugnant : nam & κατηχητικὸν est διδακτικόν, & ἐλεγκτικὸν, & κατασκευαστικόν, hoc est, quo nostra probamus, quo errores confutamus, & quo rudimenta tradimus. Porrò hæc duo, doctrina, inquam, & consolatio, fluunt ex lectione priuata, quæ dictabit modum in his, & suppeditabit semper idonea quæstionum omnium argumenta : & valebit hîc quod dici solet, lectio decies repetita placebit. Ideo diligenter & seriò à iuuenibus est amplectenda.

Admonitio ad Timoth. vt dona collata à Deo augeat cura & studio.

14. *Ne donum negligas, &c.*

Transit ad generalia, nam hîc cum hortatur in genere ad donorum suorum cultum vt illa diligenter excolat, & auctiora reddat.

Sit illa cura decima donorum priuatorum studium augendi illa & reddendi splendidiora. χαρίσματα intelligo tum naturæ indolem, quòd fuerit εὐφυής, quod quanquam naturæ sit, non impedit Spiritus sancti esse donum. Deinde dona piæ educationis, vt quòd sacras literas à puero didicerat. Denique singularia, quæ illi fortè miraculosè collata erant in impositione manuum, qualia tum sæpe contingebant piis, quale fuit maior dexteritas interpretandi Scripturam quàm habuerit priùs: solertia regendi Ecclesiam, docendi Euangelium, & similia. Hoc donum non debet negligere, hoc est, debet auctius reddere, negligunt qui contemptim de his iudicant, negligentia sua reddunt deterius: quod Scriptura dicit defodere suum talentum. Excolendum igitur est singulis suum χάρισμα, hoc est, talentum qualecunque illud sit: & nemo credit quantum assiduus vsus & conatus in hac re valeat.

Quom. dona diuina collata sint in Timoth. impositionis manuũ ritus.

Deinde considera hîc quomodo illi datum sit hoc donum, *per prophetiam*. Prophetiam hîc etiam accipio pro piorum omine felici, & coniectura. Act. 16. testimonium bonum habuisse scribitur. Inter illos fratres puto quosdam Prophetico spiritu prædixisse, qualis hic iuuenis aliquando futurus esset doctor in Ecclesia Christi : & his testimoniis Paulus inductus est vt illum sibi adiungeret. Itaque hîc ponitur tanquam causa occasionalis.

Tertiò, quomodo in ipso sit reipsa confirmatum : *impositione manuum seniorum*, qui qualis fuerit ritus alibi diximus. Hinc certè constat cum impositione manuum Apostolorum, & aliorum fidelium, Deum certa edidisse testimonia, quòd talis persona illi ad tale munus placeret. Illapsus est aliquando visibili specie Spiritus sanctus, aliâs linguis nouis loqueban-



quebantur, alióſque motus nouos in auditorib. edebat S. ſanctus, & indubiè ſi idem ſymbolum ritè adminiſtraretur adhuc hodie in electionibus, non minus quàm olim eſſet efficax, ſi maximè externa & inſolita ratione ſeſe non exereret Spiritus S. Locus eſt de vocatione quoque ordinaria, de qua vide locos.

15. *Hæc exerce, in his eſto, &c.*

Illatio ſequitur poſt longam donorum commemorationem: & ταῦτα, refero ad omnes dotes enumeratas, q. d. in his omnibus tibi elaborandum eſt: & μελέτη eſt ſtudium ardens aliquid reddendi auctius, idem repetit immoratione, *in his eſto*, h. e. hæc tua ſit praxis, illa tua occupatio, cura & ſolicitudo. Addit præcepto argumentum à cauſa finali, *vt profectus tuus conſpicuus ſit omnibus*: duplex eſt ſenſus argumenti. Primùm ſi neutraliter accipiamus ἐν πᾶσιν, ſenſus erit, in omnibus iam commemoratis virtutibus illuſtris & notorius debet tuus eſſe profectus. Deinde ſi ad auditores referas ἐν πᾶσιν, hoc eſt, apud omnes, coram omnibus hominibus notoria debet eſſe tua virtus, quæ laus admodum præclara eſt, ſi miniſter ſic vixerit & à virtutibus omnibus ſit notus. Studium miniſtri in diuinis virtutib. augendis.

16. *Attende tibi ipſi & doctrinæ.*

Quarto loco appendicem addit duplici argumento munitam. Duo autem hîc conſideranda veniunt: præceptum & cauſa præcepti. Præceptum eſt, *attende tibi & doctrinæ*: quòd ſibi ipſi iubet attendere, refero ad moderandos affectus inter docendum, vt iuuenilibus cogitationibus ſeſe non permittat, ſed audiat Spiritum S. optimum gubernatorem. Nos diceremus, *haltich ein zoum*: ideo mox ſequenti capite præſcribit formam quomodo cuiuſque ætatis & conditionis homines debeat vtiliter admonere. Præceptũ de attentione ad doctrinã & eius cauſa.

Doctrinæ autem attendere, accipio pro ſanæ doctrinæ cura, vt ad hanc quaſi cynoſuram omnia ſua conſilia referat, & doceat quàm frequentiſſimè ſanam doctrinam, vt quàm latiſſimè propagetur, vt ipſe Apoſtolus fecit. Hanc ſententiam etiam immoratione illuſtrat, vt priùs in illatione: non enim poteſt rei huius magnitudinem, & neceſſitatem ſatis commendare.

Cauſa tanti præcepti eſt duplex, & vim habet ab egregio & ſpecioſo fructu. *Hoc ſi feceris, ſeruabis teipſum*, hoc eſt, conſequeris coronam illam beatam, quæ debetur electis, inter quos ipſi doctores præcipui ſunt. Prima igitur cura doctoris ſit pro ſuæ animæ ſalute: dicitur autem ſeruare ſe organicè, alioquin principaliter & abſolutè Deus ſeruat, vt priùs dixit: qui eſt ſeruator omnium hominum, maximè fidelium. Hoc non euertit quin Timotheus ſui quoque ſit ſeruator: Deus enim in ipſo ſeruando eodem vtebatur organo. Sic ad Philip. 2. iuſſit nos vt cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram: ſeruat igitur Deus nos, ſed non ſine nobis, & coronat in appellationibus ſua dona in nobis, cúmque ipſe vnicus ſit ſaluator & ſeruator, tamen nos noſtri ſeruatores dici permittit. Quom. ſeruet ſe aliquis.

Altera cauſa eſt, diligentia in officio efficiet quoque vt alios ſeruet, hoc eſt, auditores ſuos *hos*, inquit, *ſeruabis vnà tecum*, hoc eſt, eris cauſa media & organum bonum, per quod illi ſaluabuntur. Sic Iacobus capit. 5. ait, Qui peccatorem conuertit à peccato ſuo, animam liberat à morte. Et Dan. 12. Splendebunt vt ſtellæ cæli in æternum, qui alios ad iuſtitiam erudierint. Sic Apoſtolus dicit ſe genuiſſe Corinthios, quum ſolus Deus regeneret. Seruare alios quo ſenſu dicatur.

Organis tribuit Scriptura nomine, quia cooperarij ſunt Dei & diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed organa ſe meminerint, quæ ſi ad Deum comparentur, rectè dicent ſe nihil eſſe, &c.

CAPVT V.



TRADIT hoc cap. diuerſas regulas ipſi Timotheo, quas in adminiſtratione officij ſui ſequatur etiam oportet, is, cui Eccleſiarum Chriſti cura eſt deputata. Initio, vt doctrina frugifera ſit oſtendit: quomodo cuiúſque ætatis, & ſexus homines officij admonere debeat, ſcilicet ſumma cum lenitate, ne quod odium priuatum ſeſe in corripiendo, aut arrogantia iuuenilis prodat. Arg. cap. 5. & eius partes.

Deinde tranſit ad curam viduarum, docens quæ de publico ali debeant, quæue non: item quales ad miniſterium pauperum admittendæ ſint, vt conuerſatio illarum ſcandalo careat.

Tertiò, agit de presbyterorum cura & prouiſione. Quartò, de peccantibus, quomodo ferendum ſit iudicium. Quintò, de impoſitione manuum admonet ipſum, vt ſit cautus & prudens. Sextò, priuata adiicit, de curanda valetudine in tot laboribus. De his ferè diſputatur hoc capite quinto.

Propoſitio in ſingulis locis quærenda & conſtituenda eſt ſpecialiter, ne partes confundantur. Habent tamen hîc miniſtri præſertim iuniores quod ſequātur: de moderanda acerbitate inter docendum, ne tragicis clamorib. cathedrã Chriſti onerent potius quàm ornēt. Propoſitio.

Seniores verò quibus aliorum inspectio & ordinatio est commissa ne cui manus imponāt, omnes verò vt suorum in alendo curam habeant, ne præter necessitatem onerent Ecclesiam: sed de singulis audiamus Apostolum.

Ver. 1. *Seniores ne increpes, sed, &c.*

De moderatione adhibenda in corripiẽdis peccatoribus.

Locus primus est de moderatione adhibenda in corripiendis peccatoribus. Propositio est, Timotheo, & ob id omnibus ministris, imprimis verò iunioribus opera danda est, vt prudenter & cum lenitate quadam pia auditores corripiant. Prudenter id fiet si habeatur ratio ætatis & sexus: leniter autem, si modestiæ limites non excedat iuuenis minister.

Seniorem, inquit, *ne increpes durius, sed hortare vt patrem.* Seniorem accipio simpliciter ætate, quanuis Ambrosius ad officij dignitatem referat: verùm Apostolus respicit totum cœtum Ecclesiæ, qui constat peccatoribus ætate & sexu differentibus. His omnibus præest Timotheus iuuenis: hunc igitur primùm cum auditorib. committit, deinde cum ætate paribus, aut inferioribus, mox cum sexu differentibus, vt sciat quomodo se erga omnes gerere debeat. Seniorem non debet ἐπιπλήττειν, hoc est, duriùs tractare verbis, & sermone tragico terrere, quasi plagis castigare, nam hoc modo non seruaret decorum suæ personæ, quod ne salua quidem pietate negligi potest. Videant igitur hodie ministri quomodo temperent suas ἐπιπλήξεις, certè plus strepitus auditur quàm rei, personant magis quædam templa vociferationibus more bacchantium, quàm vtili doctrina, id vitandum est Timotheo: faciendum autem illi, *sed hortare vt patrem.* In genere respicit personam docentis Timothei, quem vt iuuenem opponit senioribus in cœtu, qui opus habent correptione, quia & ipsi delinquunt, & peccatores sunt: tamen vt cum fructu eos corripiat, prudenter admonet lenitatis: finis enim docentis est peccatorem senem etiam reddere meliorem, id fieri non potest si in sermone reprehensoris prodat se insultatio arrogans, mordax contemptus, iuuenilis petulantia, & similia. Igitur & oratio & gestus accommodandi sunt, vt summam in reprehendendo lenitatem intelligat, hoc est, animum filij prodere, Seniorum honori parcere, loco parentum colere. Hoc Timotheum iubet præstare: igitur omnibus iunioribus ministris curandum est, vt prudenter & leniter seniores castigent.

Iuniores verò vt fratres.

Et hîc tenenda est prudentia & lenitas: prudentiæ est ætati sese posse accommodare, lenitas fraternitatis vinculum retinere. Matt. 23. Christus nos omnes fratres esse dicit.

2. *Mulieres natu grandiores, &c.*

Quom. muliebris sexus reprehendendus.

Transit ad sexus discrimen: ac ponit iterum duo præcepta: *matronæ peccantes corripiendæ sunt vt matres, iuniores vt sorores in omni castitate:* ergo debet adesse ἐπίπληξις, adhibenda autem est παράκλησις: hæc ministris curanda sunt. Nos qui de numero auditorum sumus, discamus omnes nos opus habere correptione, quia omnes peccatores sumus, ratio est in verbis Apostoli, Quia senes opus habent correptione, iuuenes opus habent eadem, matronæ & iuuenculæ, quæ plena est enumeratio. Quòd si qui reprehendi nolint, caueant ne ei materiam præbeant: minister verò si hanc moderationem non seruet, ipse viderit: omnia debent ad ædificationem facere, quæ euentu ipso prodit, quàm studiosi sint omnes moderationis & lenitatis.

3. *Viduas honora quæ verè, &c.*

De viduarũ cura, quæ ex publico alendæ.

Secundus locus de cura viduarum. Propositio igitur hîc specialis constituatur, Ministro diligenter curandum est, vt viduæ de publico alendæ, aut ministerio Ecclesiastico deputandæ, idoneæ solùm assumantur. Quod vt rectè intelligamus sic accipi debet. Habebat vetus Ecclesia imprimis pauperum rationem, quibus connumerabat orphanos, viduas, exules, peregrinos, valetudinarios, &c. In quibus curandis vtebatur ministerio quoque viduarum: nam multa rectiùs per viduas administrantur quàm per viros, vt adesse ægris puellis, matronis, puerperis, infantibus, pueris, &c. Ideo vt vitaretur passim omnis scandali occasio, præfecit talibus viduas quæ de publico simul alerentur: vnde postea illis inhæsit nomen vt dicerentur diaconistæ, in nostris regionibus vmbra illius rei fuit in collegiis pæginarum, *die Bæginen huser*, in quibus tales alebantur viduæ, quæ ægris adessent si res posceret.

Vidua vnde.

Viduas, inquit, *honora*: viduam à viduitate appellamus, hoc est, solitudine, sic Græci χήραν vocant quasi ἔρημον, desertam à viro. χηρέω illis est idem quod ἐρημόω, vasto, destituo, & rectè, quia vidua est viduata, hoc est, orbata viro: sic χήρα ἐστὶ μονωθεῖσα ἀπ' ἀνδρός, vel vt Apostolus loquitur, μεμονωμένη, solitaria facta, & destituta viri patrocinio & necessario auxilio: tales honora, inquit. Verbum τιμᾶν accipio de victu etiam & amictu, vt in Decalogo dicitur, Honora patrem tuum & matrem, hoc est, prospice illis de victu: sic honorandas hic accipio viduas, hoc est, illis prospice etiam de victu vt alantur. Ad prius tamen præceptum, de correptione moderanda, potest etiam accommodari, *Honora viduas*, hoc est, modestè

quoque alias admone sui officij: sunt enim & hæ peccato obnoxiæ. Dum igitur peccant, minister iuuenis orationem ad illas habiturus seruet decorum, vt honorare videatur increpando, vt dixit de adolescentibus mulieribus, quas obiurgare debet seruata castitate. Ex quo & illud sequitur, ministrum iuuenem cum viduis iuuenculis periculosè colludere familiariùs: læditur enim castitas, si non facto, certè verbis & moribus, quæ vna sæpe verbo proditur.

Sed placet prior sensus de curandis viduis ex publico, quod rectè dicitur honorare. Ac sciant viduæ honorem virtutis præmium solùm esse: si igitur honorari velint, virtutem vt habeant curent, ne sola ætate se vendicent: quò facit Apostoli forma loquendi, quod addit, *quæ verè sunt*, ὄντως χήρας, non obscura est differentia inter viduas: aliæ verè sunt, quòd dicuntur re & nomine viduæ: aliæ solo nomine. Apostolus igitur præceptum de honorandis viduis applicat, ad solas illas quæ ὄντως sunt quod dicuntur: id quale sit ex subiectis notis intelligatur. Viduæ, quæ verę viduæ.

4. *Si verò aliqua vidua, &c.*

Ἔκθεσις est plenior, quæ sint verè viduæ, & quæ non verè. Verè est vidua, quæ non solùm viro orbata est, sed quæ non habet τέκνα, nec ἔκγονα, hoc est, nulla planè auxilia humanitus expectanda.

Itaque illa quę habet filios, filias, aut nepotes, similésve personas, nondum est verè vidua, & ideo non idonea quæ de publico alatur, nisi & isti planè omni subsidio careant. Hoc postea dicet μεμονωμένην. Colligamus igitur notas idoneæ viduæ alendæ ex bonis Ecclesiasticis. Prima sit nota, *Debet esse verè vidua*, hoc est, μεμονωμένη, orbata & marito & omni sobole: ratio est, quia dum tales supersunt, debent discere parem referre gratiam. Sed est ambigua sententia: *discant primùm propriam domum* εὐσεβεῖν, *& reddere vicem maioribus:* potest intelligi primùm de viduis, vt ipsæ malint cum suis habitare, & in pietate domesticos erudire, quod rectè dicitur ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, hoc est, piè colere suam familiam: est enim leuitatis argumentum si vidua nolit suis cohabitare, & magis delectetur aliorum conuersatione, quàm domus suę & familiæ. Et id etiam dicitur *vicem rependere maioribus suis:* nam vidua suis maioribus debet si rectè instituta est, hanc pietatem relinquat posteritati. Alter sensus est, qui ad filios & filias seu nepotes illa refert, ac *discant* accipit de filiis: illi discant viduam matrem piè alere, quo exemplo domum suam in pietate confirmabunt, & vices reddere maioribus pium esse docebunt: quod Græci dicunt ἀμοιβὰς & ἀντιθρεπτήρια ἀποδιδόναι, parem referre gratiam, ἀντιπελαργεῖν, ciconiarum more gratum esse parentibus. Vterque sensus rectè quadrat ad institutum Apostoli, vt scilicet vidua non alatur de publico cùm à suis ali possit. Notæ veræ viduæ alendæ ex publico.

Addit Apostolus rationes duas: prior est, *Quia hoc factum est* καλὸν, scilicet natura: docet enim natura maioribus oportere gratiam referre, vide leges ciconiarum apud Aristophanem, quibus iubentur pelargides seniores ciconias alere, & exempla Ethnica illustria in hac gratitudinis specie Deus nobis proposuit, vt in Cimonis filia, quæ patrem vberibus in carcere alit: Æneæ, qui patrem senem ex incendio Troiæ effert, & alia infinita, quibus ostendi potest καλὸν τῇ φύσει. Rationes cur vidua quæ à suis ali possit de publico non sit alenda.

Altera est, quia idem *Domino est gratum*, hoc est, officium hoc Deo acceptum est: nam multa videntur natura honesta, quæ tamen talia non sunt, nec pacatur his Deus: & vim vi repellere Christiano in loco & tempore non licet. Voluptas natura honesta videtur, quæ piis tamen interdicta est: sed dum concurrunt ista duo, validissima sunt, naturæ iudicium, & Dei approbatio.

5. *Quæ verò reuera vidua est, &c.*

Altera pars ἀντιθέσεως: superior non verè vidua erat, quia habuit τέκνα vel ἔκγονα, à quibus debuit & potuit ali. Hæc verò nunc reuera est vidua: vides ὄντως χήραν describi, quæ sit μεμονωμένη, hoc est, orbata & marito & sobole. Additur mox altera nota verè viduæ, nec illud satis erat vt esset idonea quæ de publico aleretur. Altera igitur nota est, pietatis constans meditatio ac studium: quod Apostolus dicit, *Sperat in Deum*, scilicet, quia omni ope humana est destituta, non habet maritum, non filium, nec filiam: superest igitur soli Deo nitatur. Nam si filij sint, spes aliqua est in vicino posita: talis igitur soli Deo fidens in orationibus & precibus perduret, vt sit idonea quæ de publico alatur, & ad ministerium quoque admittatur. Vidua sit pia.

6. *Petulans autem, viuens mortua est, &c.*

Iterum contrarium addit vt fecit in prima nota: illic opposuit μεμονωμένην, & ἔχουσαν τέκνα, ἢ ἔκγονα. Hìc προσμένουσαν προσευχαῖς opponit ei quæ est σπαταλῶσα, hoc est, *lasciuæ & petulanti.* Vox desumpta est à spathale, quæ significat ornamenta muliebria, qualia in brachiis & collo habent superbulæ. Hinc σπαταλᾶν, luxum prodere eiusmodi ornamentis, id Notæ cōtrariæ eius quæ non est verè vidua

si faciant viduæ, indignæ sunt quæ alantur de publico, *quia mortuæ sunt Christo. Viuens mortua* dicitur, quia officio suo non respondet: & viuum dicitur cadauer. Christo mortua est & viuit mundo: hinc σπαταλᾶν, σπαθᾶν, & σπαταλᾶν, idem pro ἀναλίσκειν ἀτάκτως, hoc est, sumptus facere ineptè & lasciuire: quale in illo Aristophanis notatur. ὦ γύναι λίαν σπαθᾷς, ô mulier nimium lasciua es. Σπαθᾷς, hoc est, τρυφᾷς: hinc etiam σπατάλη cibus delicatior τρυφή, aut in quo mores sunt petulantiores, quale est in illo Græco carmine, Οἱ δὲ μύες νῦν ὀρχῶνται, δρασάμενοι τῆς σῆς σπατάλης, Mures nunc saltant, fruentes tua spathale, hoc est, carne felium.

7. *Et hæc indica, &c.*

Repetitio tractatus de viduis. Repetitio est præcepti totum complectens. Duo autem exprimit: primò Timotheo non nisi idoneas admittendas esse: deinde hoc publicè proponendum, vt viduæ tales sint re ipsa inter Christianos, quod vno verbo dicit ἀνεπίληπτοι, irreprehensibiles, hoc est, si suos habeant, ne petant de publico ali, piæ sint non lasciuæ.

8. *Si qua verò, &c.*

Vidua lasciua de publico non alenda. Comminatio est, quæ habet vim argumenti, ne de publico ali velit, quæ à suis ali possit. Ambiguus iterum est sermo, sed vtrinque seruit instituto. Nam si de viduis lasciuis accipias, quæ suis neglectis, aliunde vitam quæritant: rectè dicitur de eo quòd suos negligant, illis non consulant, nec prospiciant cum quibus manere nolunt: & sæpe illarum præsentia rem domesticam plurimum auget: *tales fidem negarunt*, h. e. Christianam professionem cui non respondent, & ideo infidelibus sunt peiores, qui suis piè & sanctè prospicere maluerunt, & apud filios tenuiter viuere, quàm alibi lautè. Itaque nulla pia vidua hoc conari debet. Sin ad filios referas, illos quoque terrebit argumentum, vt curent suas matres viduas, quia domesticæ sunt, præterea propriæ sunt, præterea fidem non negasse videbuntur, & ab Ethnicis minimè victi: certum enim est ingratos erga parentes damnari ab Ethnicis, cuius rei vide exempla apud Val. de gratis & ingratis.

9. *Vidua allegatur, &c.*

Veræ viduæ commendatio ab ætate. Tertia sequitur nota, quæ vidua digna possit esse ministerio publico, & alimento, quæ scil. attigerit annum 60. Nam talis inepta est partui, & ob id libidini minus subiecta. Posteriùs seculum mitigauit hunc numerum, quadragenariam admittendo: plus peccant hodie, quamlibet suscipiendo, modò votum sanctæ viduitatis promittat, licet id nunquam seruare cogitet.

4. Nota, vnius vxor. Quarta nota hîc etiam additur, *quæ fuerit vnius mariti vxor*, hoc est, vno viuente, non alteri se copularit, nec etiam suo aliquo vitio ab vnius matrimonio repudiata ad alium transierit thorum, quod est δευτέροις γάμοις ὁμιλεῖν, nec etiam extra matrimonium prostituta pudicitia vixerit: sic vnius mariti vxor fuerit. Igitur non damnatur si vno mortuo ad alterius connubium transeat honestè, quia mors cùm soluat matrimonium, efficit vt adhuc vnius sit mariti vxor.

10. *In operibus bonis, &c.*

5. Sit nota pietas eius. Quinta nota, habeat etiam bonorum operum plenum testimonium: μαρτυρούμενην accipio vndique conuictam à bonis operibus, hoc est, cuius pietas publicè sit notoria. Et quæ sint bona opera hîc accipienda vtiliter admonet, ne alia intelligeremus. Sunt igitur *erudire liberos, hospitalem esse, piorum lauare pedes*: hi enim sunt sancti in Scriptura, *afflictis adesse*. Hæc matronalia sunt ornamenta, quæ viduam postea factam commendabunt, vt de publico ali debeat, & ministerio adhiberi possit.

11. *Iuniores autem viduas auersare, &c.*

De iuuenibus viduis vitandis in ministerio, & quare. Locus est de iunioribus viduis diligenter in ministerio publico cauendis. Constat locus propositione, ratione, & illatione. Propositio est, *Iuniores vitato*, hoc est, indignas iudicato publico alimento & ministerio Ecclesiæ, item in priuato & solitario colloquio ne violetur castitas: periculosum enim est iuuenem ministrum cum iuuencula vidua secretiùs agere, & familiariùs colloqui: proditur enim pudor, & proximus est lapsus & periculum scandali. Ratio est à communiter consequentibus vtplurimum veris. Primùm enim *solent lasciuire contra Christum, & nupturiunt mutato consilio*, quod quum in Ecclesia Christi sine infamia non possint, cogitant plenam defectionem à tota professione Christi, quod est lasciuire contra Christum.

12. *Habentes iudicium, &c.*

Alterum argumentum ex superiori natum: fidem primam abnegarunt, ergo cauendæ sunt. Item: habent iudicium, hoc est, damnabiles sunt: igitur cauendæ. Κρῖμα habent, hoc est, κατάκριμα, idque apud Deum, quem fallere non possunt. Deinde apud piam Ecclesiam militantem, quam sua petulantia offendunt. Denique apud Satanam, cui parent, qui accusator illarum erit apud Deum.

Primam

Primam autem fidem accipio pro tota Christianismi professione, quæ meritò prima fides est, hoc est, prima fidei professio. Idem Græcis dicitur πίστις, hoc est, fidei professio, quam adulti edebant in Baptismo post conuersionem, renunciantes Satanæ & mundo, obstringentésque se vni Christo. Hanc negant viduæ lasciuæ: cogitantes defectionem à toto Christianismo. Alij primam fidem accipiunt pro voto castæ & sanctæ viduitatis, quod votum postea frangunt nuptias meditando. Hinc πίστις est συνθήκη & *Neder*, votum: mihi prior arridet sensus. — Prima fides.

13. *Simul autem & otiosæ, &c.*

Tertium malum quod hinc fluit: redduntur ἀργαί: quartò fiunt vagabundæ: quintò φλύαροι, *nugaces*, garrulæ, φλύαρος dicitur nugarum amatrix, & φλυαρολογία, studium nugandi, & φλυαρολόγοι, illarum scriptores: denique περίεργοι, *curiosæ*, inquirentes in res non necessarias, vel quæ ipsarum scire nihil intersit: inquirunt enim libenter in proximi vicini mores & familiam. Hæc catena malorum efficit vt sint cauendæ. Argumentum omnium tale est, Quidquid est periculosum & plenum scandalo, id ministro diligenter est cauendum, sed iuniores viduas ministerio adhibere, & illarum vti consortio, plenum est periculo ac scandalo: ergo diligenter est cauendum. — 3. Malum quod iuuenibus viduis accidit.

14. *Volo igitur, &c.*

Illatio ex superioribus vt plurimum consequentibus, & veris malis: constituit autem generalem regulam quæ valere debet in tota illa ætate, scil. vt iuniores omnes nubant dum prædicta pericula cauere non possunt. Hinc probantur secundæ nuptiæ, quia Apostolus illas imperat iunioribus viduis, adeóque præfert voto sanctæ viduitatis: igitur sanctas esse oportet nuptias secundas. Ratio est, quia his votum castitatis laqueus est, & occasio perditionis: ergo vitandum. Addit autem Apostolus bona opera, vt priùs, coniugalia, quæ verè Deo placent: vt est liberos gignere & educare, domum regere, cauere infamiæ notas. Vide de hac re elegantem epist. apud Cyprianum, lib. 1. epist. 11. est. — Regula sequéda iunioribus viduis.

15. *Iam enim quædam, &c.*

Addit conclusioni nouum argumentum ab exemplis sumptum: vsu enim ipso edoctus Apostolus canonem hunc de nuptiis repetendis constituit. De certis exemplis loquens, ait quasdam euersas esse, retro Satanam abeundo, quod non potest nisi de plena apostasia à tota Christianismi professione intelligi.

16. *Quòd si quis fidelis, &c.*

Generalis epilogus secundi loci, de idoneis saltem admittendis, vt de publico alantur: repetit igitur generalem sententiam, vt quæ habeat amicos & ab his alatur. Vides hîc viduam dici non veram quæ habet πιστὸν, hoc est, filium, aut nepotem, vt dixit vers. 4. vel quæ habet πιστὴν, hoc est, filiam, aut neptem: talis vidua debet ali à suis domesticis, & opponitur ei quæ hic & suprà versu tertio dicitur ὄντως χήρα, hoc est, re & nomine vidua: hæc alenda est, prior non: ratio est, ne grauetur Ecclesia: igitur iuuenculam de publico alere, vel quæ habeat suos per quos alenda sit, illud est grauare Ecclesiam.

17. *Qui bene præsunt, &c.*

Tertius est locus capitis de ministris rectè alendis ex publico. Propositio est, Curandum est Episcopo vt ministris Ecclesiæ benignè victus & amictus subministretur. Presbyteri nomen generale est, complectens seniores Ecclesiæ, qui duplices sunt. — De cura ministrorum diligéter habenda.

Alij cum ministris solùm disciplinæ præsunt, & mores regunt: alij præter illud etiam docent, & Sacramenta administrant, & fieri potest, vt hi posteriores re ipsa iuuenes sint, officio senes, qualis erat Timot. inter presbyteros iuuenis. *Hi duplici honore digni sunt*, h.e. sunt benignè alendi: sed meminerint hoc pertinere ad eos solùm qui benè præsunt, h.e. qui officium suum seriò præstant, id faciant singuli, hinc quærant de honore duplicato.

Sunt qui duplicem honorem intelligant de stipendio geminato: primum sit stipendium pro se & familia: alterum pro peregrinis, vt possit esse hospitalis: quod tamen mihi non placet, quia suprà dicebat Episcopum vnius vxoris, hoc est, vnius Ecclesię debere esse maritum, h.e. præsidem. Non potest igitur ab vna Ecclesia duplum accipere stipendium. Altera est sententia interpretantium duplicem honorem: primùm de liberali victu, qui honor primus est: deinde de honestis sententiis de pio ministro, qui alter honor est: ac si dicat pium ministrum benignè non solùm alendum, sed etiam honesto habendum loco, piè de ipso & honorificè loquendum, quæ sententia vera est. Mihi tamen placet tertia: nam more Scripturæ duplum dicitur abundans, & pleniore mensura traditum, vt Mat. 23. ver. 15. De hypocritis dixit Christus quòd suos proselytos faciant filios gehennæ duplo ipsis maiores: & Apocal. 18. de Babylone, ait, Duplicate illi dupla secundum opera eius. h.e. pleniore mensura puniatur vt promeruit. Ita duplicatum accipio honorē, hoc est, benignè & pleniùs præstitum, quod fit vno stipendio hilariter soluendo, promptè & benignè alendo, ac vt par est colendo. — Quid per duplicem honorem intelligendum.

18. *Dicit enim Scriptura,&c.*

Propositio exposita est, in qua tria sunt: primùm qui sint liberaliter alendi, scil.qui bene præsunt:deinde quomodo liberaliter duplicato honore:tertiò ad quos singulariter hoc spectat: ad eos qui in doctrina suam præstant operam vigilanter. Nunc propositionis additur confirmatio à pronunciatis: estque argumentum geminum: primum à veteri testamento depromptum,alterum ex nouo. Mosis enim est sententia, Boui trituranti non obligabis os, de qua diximus. Cor.9.v.9. Vnde hoc sequitur. Si boui benignè exhibendus est victus propter laborem,quantò magis homini docenti vigilanter & vtiliter? Christi verò est sententia,Dignus est operarius mercede sua. Matt.10. v.10. Luc.10.v.7. In quibus sententiis obseruemus, oportere esse non pigros boues, aut otiosos homines in foro, siquidem nobis velimus applicare id quod Apostolus hîc docet. Deinde Scripturæ nomine, iam tunc comprehensas fuisse Domini Christi sententias de religionis cura,&c.

Duplici testimonio probatur alendos ministros.

19. *Aduersus presbyterum,&c.*

Quartus locus, de iudicio contra peccantes, videtur hîc locus pertinere ad primum de moderatione adhibenda in corripiendis peccatoribus cuiusuis ætatis & sexus homines: nisi quòd hîc magis tractat forensem inquisitionem in peccata: illic verò in genere obiurgationis formam,quæ leuis & prudenter accommodata esse debet personis auditorum.

Locus de iudicio contra peccantes.

Propositio huius loci est, Episcopo danda est opera vt iudicia Ecclesiastica quàm sanctissimè administrentur.

Propositio.

Partes à diuisione instituit.Nam peccatum aut latet,& ob id conuincendum est testibus: aut notorium est,nec habet opus peccator testibus, quia constat de peccato, aut etiam fatetur:de vtroque hoc genere breuiter agit.

Partes.

Exorditur autem à peccato quod latet,vt solet in magnis viris,quales sunt præsides Reip. & Ecclesiæ, de quorum peccato non facilè constat propter authoritatem: isti si deferantur, inquirendum dicit,testibus,significans delatoribus non facilè esse credendum. Deinde parcendum bonorum famæ & nomini,ne ad quosuis rumusculos palàm traducantur. Primùm hîc presbyterum accipio officio & ætate, hoc est, ministros Ecclesiæ non damnandos nisi diligenti inquisitione habita: nec solùm ministros,sed omnes personas ætate graues: quibus enim Dominus dedit bonum nomen,& ætatis grauitatem,hos oportet parentum loco colere. Ideo diligenter est cauendum,ne quid temere contra tales credatur delatoribus. Deinde, quia tales presbyteri erant iudices & Senatores Ecclesiastici, qui alios ob peccata pro delicti ratione corrigebant,credibile est in multorum offensam incidisse, adeò vt non carerent obtrectatoribus: ne igitur temerè quid contra ipsos credatur admonitione dignum fuit.Nec ideo sequitur, solùm in his adhibendi sunt testes, in aliis sine testibus agendum est: imò quia in his grauitas requiritur, in omni iudicio Ecclesiastico, eam esse adhibendam docet.Sunt interim multa leuia & puerilia, in quibus nec de famæ nec nominis integritate agitur,in quibus non est opus simili rigore.Statuamus igitur hanc communem regulam. In omni iudicio Ecclesiastico curandum est præsidi, vt inquisitio in peccata mortalium piè & sanctè fiat,Ratio est,quia si contra seniores fiat inquisitio, ætatis & grauitatis ratio hoc postulat: sin contra iuniores, idem postulat fraternitatis ius & regula naturæ, Quod tibi fieri nolis alteri ne feceris. Deinde quia Apostolus in tali censura iubet adhibere testes, eósque plures secundum legem Mosis,duos vel tres,in quorum ore consistat veritas.

Peccatū latens quom. arg. non credēdo temerè delatoribus.

20. *Eos qui peccant,&c.*

Altera est species peccantium, eorum scilicet qui notorij sunt, nec inquisitione opus habent: in his quoque procedendum est piè & grauiter, sed non per testes, verùm correptione: Ἐλέγχειν est peccatorem sic describere,vt limitato & agnito peccato,certis argumentis ad pœnitentiam ducatur, in peccato suo erubescat cognita eius magnitudine & spe veniæ ad Christum impellatur. Itaque non loquitur de confusione publica, quæ nimis est immoderata apud quosdam, qui satyricè magis debacchantur in auditorum peccata, quàm vtiliter. Addit rationem Apostolus, *vt reliqui timorem habeant*, hoc est, iram Domini metuant,offensam eiusdem,quæ fluit ex perpetrato peccato. Illustre igitur hinc ducitur argumentum,Timor in Ecclesia est confirmandus:ergo Ecclesiastica iudicia grauiter sunt administranda.

Peccatores notorij quomodo arguēdi.

21. *Obtestor in conspectu Dei,&c.*

Grauissima obtestatione concludit locum de iudiciis Ecclesiasticis, quæ argumenta aliquot suppeditat. Primùm enim hoc genus dicendi non adhibet Apostolus,nisi in rebus grauissimis,maximique momenti:cuius exempla suprà aliquot vidimus], & infrà cap. 6. vers.13. quoque habebimus: cùm igitur de iudiciis Ecclesiasticis agens idem adhibeat, vtique piè & religiosè sunt administranda. Deinde quia obtestatur *per conspectum Dei,* hoc est, præsentiam eius:ex quo efficitur Dei esse iudicia,in quibus ipse velit esse præsens.

Obtestatio Apostoli.

Sciant

Sciant igitur iudices, Dei se esse vicarios, & inter iudicandum ad illius voluntatem respiciant, pronunciéntque tanquam Deo præsente & inspiciente ipsorum corda. Tertiò *per Christum Dei filium*, scilicet iudicem superiorem ad cuius tribunal illis quoque olim sit subeundum iudicium. Quartò, *per electos angelos*, testes scilicet nostrorum iudiciorum, quæ de aliis peccatoribus ferimus, & consortes vitæ æternæ, qui ad Christi Domini nostri tribunal spectatores erunt incorrupti iudicij Christi, quemadmodum spectatores fuerunt nostris iudiciis de fratribus peccantibus. Hæc argumenta pondus addunt propositioni quam vno verbo refricat, *Vt hæc serues*.

Iudices Dei vicarij.

Ταῦτα primùm refero ad iudicia Ecclesiastica, vt sit sensus. In his volo te quàm sanctissimè versari, nec solùm te, sed vt alij idem faciant illis debes esse author & impulsor. Deinde ταῦτα potest quoque referri ad omnia præcepta hactenus tradita: sed prior sententia mihi magis arridet propter sequētia, χωρὶς προκρίματος, nihil faciens κατὰ πρόσκλισιν: duo enim hęc commata pertinent ad iudiciorum formam. Πρόκριμα dicitur, quod iudex sumit sibi non ex actis & prolatis, sed domo secum affert aliunde ad ipsam causam: tale præiudicium mirificè impedit veritatis cognitionem, hinc enim mox nascitur πρόσκλισις, hoc est, inclinatio in vnam partem, causa etiam nondum cognita, quum iudicia ante cognitionem debeant esse ἄκλιτα, hoc est, inuiolata & minimè flexa: post cognitionem verò ἔγκλιτα, hoc est, ad veritatis fauorem accommodata: vitia igitur iudiciorum sunt πρόσκλισις, & πρόκριμα, quę peccant anticipatione. Quare ταῦτα ad priorem sententiam refero.

Quomodo versandū Timotheo in iudiciis Ecclesiasticis.

22. *Manus ne cui citò impenas, &c.*

Quintus locus sequitur de impositione manuum: habet autem locus iste duo, πρότασιν & αἴτιον. Propositio est, Episcopo danda est opera, vt in eligendis ministris quoque prouidus & cautus sit: nam peccatur hîc quoque celeritate & præcipitantia iudicij, vt idoneum iudices qui talis minimè est. Manuum impositio illustre olim fuit symbolum veris ritibus adhibitum. In nouo Testamento ministerium Ecclesiasticum isto conferebatur, testabatúrque is qui manus imponebat se hunc dignum & idoneum iudicare, qui alios doceret: sic in Timothei electione & confirmatione fuit, suprà 4. & infrà 2. epistola cap. 1. Aliâs isto symbolo dona spiritualia conferebantur & visibili aliquo signo declarabat se præsentem Spiritus Sanctus vt Act. 8. & 19. Aliâs sanationis erat argumentum verum & minimè dubium, Matth. 9. in primatis filia, Marci 5. in principis synagogæ filia. In veteri Testamento, vnde hic mos fluxit, symbolum hoc adhibebatur in electionibus & confirmationibus, imperatorum, vt Num. 27. in electione Iosuæ. In benedictionibus confirmandis & conferendis, vt Gen. 48. In deputanda certa aliqua hostia, Exod. 29. &c. De quibus suo loco à nobis est dictum.

Prudentia seruāda in manibus imponendis.

Ratio propositionis est gemina: prior, *Ne alienis communices peccatis*, h. e. ne reus fias corrupti ministerij. Cogitent hoc diligenter quibus electiones sunt concessæ, ne alieno peccato sese maculent, dum eligunt, admittunt, & confirmant ebrios, scortatores, rudes & imperitos asinos, qui populum pietatem vel non docent, vel malè aut pessimo exemplo doctrinam bonam commaculant: quorum vocationem Deus nulla ratione approbat.

Ratio superioris propositionis.

Altera est, *Teipsum castum retine*, hoc est, si prouidus fueris vt præcipio, hunc thesaurum retinebis, vt maneas coram Domino iudice ἁγνός, hoc est, innocens, qui maximus est thesaurus, & omni laude & præmio humano superior.

23. *Ne amplius aquam bibas, &c.*

Sextus locus sequitur, qui personale habet præceptum: spectat enim ad personam Timothei, sed ita vt facilè hinc constitui regula generalis possit. Sit igitur hæc propositio huius loci, Timotheo & ob id omni pio ministro ieiunium, aquæ potio, & omnis carnis castigatio sic temperanda est, vt valido corpore quàm diutissimè Christi Ecclesiæ prodesse possint. Ratio est, quia Apostolus hoc fine aquæ potionem hîc interdicit Timotheo, & contra præcipit moderatum vini vsum. Aquæ potio minus in nostris ministris habet periculi, quia saluberrima quum sit nostræ regionis aqua, tamen cautè illa vtuntur, vino magis dediti, imprimis delicatioribus. Olim peccabant magis in defectu boni pastores, hoc est, vt minus vinum curarent, magis essent ὑδροπόται: quæ laus est Musarum apud Ethnicos, ideo fontes limpidos & fluminum tractus accolebant. Hodie res conuersa est, ideo obseruent nostri οἰνοπόται, concedi illis in persona Timothei paululum vini, vt pitissando magis & gustando illo vtantur quàm replendo & ingurgitando: nec minus est hoc peccatum in excessu, quàm quod in Timotheo timebat Apostolus in defectu, aquæ potione reddebat se languidum & ob id inutilem. Sic nostri vini potione reddunt se morbidos, podagricos, chiragricos, fræneticos, & aliis morbis sese corrumpunt: in quo multiplex est peccatum. Peccant in vinum ipsum, nimis exquisito vtentes, quum vulgaria illis non sapiant, nisi bis peregrina. Deinde exemplo pessimo aliis præsunt, luxu & deliciis effœminati. Ter-

Regula de temperando ministri victu siue sit excessu siue defectus.

tiò, in suamet corpora quę morbis corrumpunt. Demum in officium suum & Ecclesiam, qui redduntur inhabiles & inutiles, interim saginandi otiosi.

Cur aquæ potio prohibeatur Timotheo.

Ratio Apostoli est, contra aquæ potionem accommodata, *Propter stomachum*, inquit, *tuum*, quia scilicet is frigiditate aquæ corruptus, etiam concoctionis officium non præstabat: hinc varij morbi & ex morbis languidum & inhabile ad tantum munus corpusculum. Nostræ hodie rationes instruendæ magis sunt contra vini potionem, quæ nimium immoderata & impudens est apud ministros Christi.

24. *Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt, &c.*

Conclusio vbi est instructio de cauendis & detegendis hypocritis.

Epilogus est continens instructionem ad consolationem: videntúrque hæc commodè superioribus cohærere, si versum 23. includas parenthesi, erúntque hęc verba antipophora: poterat enim dicere Timotheus, vix potero cauere hypocritas, quò minus sese insinuent & ingerant vtcunque sim prouidus & seuerus examinator: malum enim occultum est sæpe, vt quid sequendum sit sciri non possit, Respondet igitur Apostolus concessione. Verum est, impietas in multis occulta latet, attamen semper latere non potest: aut enim manifesta sunt peccata quæ κρίσιν otiam facilem efficiunt.

Hæc peccata præcedunt iudicium, & informant nos quid sequendum sit & inter examinandum notoria sæpe fit ruditas, inhabilitas, stupor & inscitia Scripturæ. Id totum deducit te ad certam crisin. In aliis latent, attamen post crisin produntur, vt superbia & arrogantia, quæ se prodit, si hypocrita fuerit admissus, nam vestis virum faciet, & magistratus illum arguet, hoc est, mores mutabit iam euectus ad aliquam dignitatem. Illa licet sequantur crisin factam, tamen correctionem admittent, vt talis iterum deponatur commodè, maturéque adhibeatur morbo remedium. Sic dum censura peccantium agitur, quidam adeò callidè sua peccata possunt tegere, vt nullis argumentis aut testibus satis conuinci possint. Hi impediunt actibus iudicia sana, vt statui certò non possit: attamen deinceps sequetur, inquit, vt notoria fiant. Dominus enim non fert ista monstra, vt semper lateant sub ouilla veste. Interdum per ipsam crisin declarantur, vt in Actis, Ananias & Saphira produntur ipsa crisi, quam Spiritus sanctus per Petrum fecit. Itaque consolationem habet locus, constanter exploranda omnia in censuris, in examinibus, seu peccantium seu eligendorum ministrorum, fore vt iudicia nostra non semper fallantur, si non in actione produntur, certè paulò post manifesti fient.

25 *Similiter & bona opera, &c.*

Contrarium membrum de bonorum innocentia, quæ itidem vel notoria fit, per ipsam inquisitionem vt certa sit crisis: vel latens in actione post crisin suo tempore patefiet. Consolatio & in his est, Veritatem semper latere non posse quin pateфiat: temporis enim est filia.

CAPVT VI.

Cap. 6. arg. & partes.



ARIOS persequitur locos hoc capite, quos ordine recensebimús, quò facilior sit illorum deinceps explicatio. Primùm, differit de officio seruorum in suos ordinarios heros. Deinde, describit schismaticos, vt eò commodiùs vitari possint. Tertiò, agit de vera animi sufficientia qua sua sorte homines contenti sunt, nihil insuper appetentes. Quartò, contra auaritiam disputat propositis incommodis, quæ ipsos auaros solent comitari. Quintò, sermonem ad Timotheum conuertit, & hortatur iterum ad officium in Ecclesia quàm vigilantissimè exequendum. Sextò, diuitibus suum præscribit decorum, quod ab ipsis requirit pietatis professio. Septimò, demum breui epilogo totam epistolam concludit. De his ordine audiemus ipsum Apostolum, singulis locis suas quoque constituentes speciales propositiones.

1. *Quicunque sunt sub iugo serui, &c.*

De officio seruorum erga heros.

Locus est primus de officio seruorum erga suos heros. Hunc locum etiam habuimus ad Eph. 6. v. 5. ad Col. 3. v. 22. & habebimus infrà ad Tit. 2. v. 9. 1. epist. Pet. 2. v. 18. quibus consonant illa quæ ad Rom. 13. Habentur. Hoc loco Apostolus hunc ordinem seruat. Initio dat præceptum quod seruis est sequendum: mox addit præcepti rationem: tertiò respondet impatientiæ seruorum, de fidelibus dominis excipientium: quartò, hoc ipsum firma ratione probat: quintò demum concludit locum. Sunt illa, πρότασις, αἴτιον, ἀνθυποφορά, κατασκευή, & συμπέρασμα.

Propositio.

Propositio est in illis verbis, *Quicunque sub iugo sunt serui, proprios heros omni honore dignos iudicent.* Præceptum est, cuius sententia sit, serui dominis suis officium suum omni reuerentia quàm promptissimè debent præstare.

Qui ser-

Qui serui sint describit οἱ ὑπὸ ζυγὸν, eos humilitatis admonens à qualitate conditionis: sub

sub iugo sunt, igitur patientia opus est. Item iugum hoc excuti propria authoritate non debet, quemadmodum iumenta subiugata non laudantur, si excutiant illud, aut recalcitrent. Hoc agnoscant serui, præsertim pietatem profitentes. Deinde addita est clausula vniuersalis ὅσοι, admonens etiam eos qui sunt quacunque ratione superiori potestati subiecti, debere obedientiam præstare his quibus subiecti sunt, quales sunt subditi erga magistratum, famuli, ancillæ, clientes, discipuli & similes personæ. Obedientiam debent his quibus Dominus eos subiecit, quos notanter hîc exprimit Apostolus ἰδίους δεσπότας vocando. Dicũtur autem ἴδιοι iure diuino & humano: Deus enim in populo suo seruitutem approbauit, imò concessit etiam piis, vt in casu necessitatis libertatem propriam vendere possint & assumere heros sibi, quorum imperio regerentur: quanquam semper velle seruum esse in suo populo Deus ignominiosum iudicarit. Deinde iure Gentium iustum est, vt hi qui vel bello seruati essent, vel empti pecunia, vel nati in seruitute, vel suo aliquo vitio libertatem amisissent, fideliter seruiant suis dominis. Itaque seruus perfidus & inpatiens peccat in rem propriam. *Omni honore dignos iudicare*, est simplici animo piè sentire de hero suo, promptè res ipsius & commoda procurare, & constanter illi bene velle: laudantur in seruo, candor, animi promptitudo, & voluntatis constantia, &c. Vide locum de seruitute.

ui, & qui domini, quibus illis parendum, & quomodo.

Ratio Propositionis, *ne nomen Dei, & doctrina blasphemetur*: grauissima est illa ratio apud pias mentes. Omnes enim operam dare debemus, vt nomen Domini per nos sanctificetur, quemadmodum petimus in oratione Dominica. Discimus deinde hinc per inobedientiam subditorum præsertim seruilem impatientiam blasphemari nomen Dei: sic ad totam vitam argumentum facit, quæ si flagitiosa sit & professioni minimè respondeat, nomen Dei blasphematur: sic argumentatur Apostolus ad Rom. 2. v. 24. Iudæorum moribus effectum vt nomen Domini malè audiat apud Gentes, quemadmodum & D. Petrus scribit 2. epistola. 2. v. 2. de falsis doctoribus. Hac ratione in primitiua Ecclesia magnam & indignam inurebant veritati notam serui, qui prætextu libertatis Christianæ sese iugo seruitutis cupiebant eximere. Hinc enim Ethnici clamabant, Ecce hæc illorum est doctrina, reddit nobis seruos seditiosos, & mancipia ad arma incitat: quæ calumnia, doctrina fuit diluenda: deinde seruorũ constantia in seruitute. Ideo grauissimo argumento eos vrget, ne Dei nomen ipsorum rebellione calumniam patiatur. Altera ratio est, eandem calumniam ad doctrinam Euangelij spectare, quo genere vehementer peccarunt nostro seculo reflorescente vera Euangelij doctrina Catabaptistæ, qui miseram rusticam turbam ad arma incitarunt libertatis Christianę prætextu. Nam cursum Euangelio præcluserunt apud multos qui clamabant, Ecce hoc illorum est Euangelium, seditionibus omnia complere. Contrà hic docet Apostolus, hoc ipso nomine imprimis cauendas seditiones, & seruilem rebellionem, ne doctrina Christi calumniam patiatur apud infideles.

Quare parendum superioribus.

Error Catabaptistarum.

2. *Qui verò habent fideles dominos, &c.*

Occurrit Apostolus seruili impatientiæ, ac eripit ei firmamentum defensionis suæ. Primùm igitur hic obseruetur superiora propriè loqui de obediẽtia, quam debemus etiam infidelibus dominis: alioquin præoccupatio hæc non commodè haberet locum. Valebat igitur argumentum à maiori, si enim etiam impiis est parendum, ergo multò magis fidelibus dominis. Verùm Apostolus respexit hîc ad defensionis firmamentum: impatientes enim seruitutis dicebant: Ecce Christianus sum factus, & herus meus quoque: cur igitur me non manumittit? sum illius frater, & in Christo, neque liber neque seruus debet esse, sed noua creatura: id non perpendit herus meus, volo igitur ipse sumere quod ingratus herus Christo non vult dare: sic serui videntur fraternitatis Christianæ nomen arripuisse ad prætextum rebellionis. Quo docemur apud hypocritas, honoris & sortis Christianæ æqualitatem contemptum parere: & quia in fide est honoris quædam æquatio omnium fidelium, in Baptismo verò sortis, ideo mox prorumpunt in has cogitationes, quas hîc damnat in seruis Apostolus.

Heris fidelibus seruis parendum quòd fratres.

Propositio est, fideles heri non contemnendi sunt seruis suis, h. e. fideliter etiam his est seruiendum non minus quàm planè impiis, qui conuersi nondum sunt. Firmamentum ipsorum seruorũ erat: fratres sunt, ergo fraternè nos debebãt dimittere, id non faciunt, causam igitur præbent nobis ipsos contẽnendi. Respondet Apostolus, non rectè hoc effici: imò ob hoc ipsum magis diligẽdos. Fidelis tibi contingit dominus: ergo magis debes illi seruire propter communem professionem. Approbatur hoc loco manifestè seruitus. Deinde non concedendum seruis excutere iugum: & impium esse prætextum qui ex Euangelio petitur ad defensionem seditionis. Deinde sunt ἀγαπητοὶ, id est digni dilectione: ergo non vrgendũ illis officium seruitutis: vel ἀγαπητοὶ sunt Deo & Christo: ideo abs te non sunt contemnendi. Sed malo ad seruos referre, sic enim magis illos stringit argumentum in sequentibus, qui beneficium recipiant, hoc est, dominos fideles ob hoc ipsum dignos esse qui à

Seruitutis approbatio.

seruis beneficio afficiantur: nam fideles humanius sua mancipia tractant, ob quam humanitatem digni sunt vt serui fideliter administrent. Alij ad Deum ista referunt. Sequatur quisque quod sibi videbitur conforme esse pietati.

Hæc doce & hortare.

Docere & hortari quid sit. Conclusio est loci prioris. Docere est ex scripturis ostendere credenda & facienda. Nam causas reddimus doctrinæ ex scriptura. Hortari autem proposito commodo aut incommodo ad eadem auditores incitare. Vtrunque faciendum est ministro: docendi sunt serui, ne propter fidem conditionem suam deserant, idque ex scriptura: deinde incitandi sunt ad obedientiam proposito præmio, honestate, vtilitate rei, &c.

3. *Siquis aliud docet, &c.*

Locus de schismaticis cognoscendis, & eorum notæ. Secundus locus de cognoscendis & cauendis schismaticis. Locus iam partim tractatus est sup. cap. 1. & ad Rom. 16. Phil. 3 & 2. ad Tim. 3. vers. 6. ad Tit. 3. In præsentia colliguntur notæ quibus schismatici cognosci possunt.

Prima est ἑτεροδιδασκαλεῖν: id quid sit diximus sup. cap. 1. vers. 3. ἕτερον dicitur quidquid Sacris literis conforme non est, hoc est, nec τὸ ῥητὸν, nec διάνοιαν inde habet. Ideo Apostolus hoc vitium opponit hîc sanæ doctrinæ Domini nostri Iesu Christi, hoc est, veræ interpretationi Propheticæ scripturæ, à qua quidquid ἕτερον est, hoc est, alienum reperitur, id totum schismaticum est, & ob id cauendum. Porrò schismaticos libenter declarari suis opinionibus certum est: volunt nouæ sententiæ videri repertores, ideo figmentis delectantur, & siquid ex officina rationis subtile possint depromere, vt videre est in Eutyche, Arrio, Nestorio, aliisque, & hodie qui veteres hæreses renouant hanc ipsam notam manifestè in se produnt.

4. *Inflatus est nihil sciens, &c.*

Secunda nota quòd tumidi sint. Altera est nota, iidem etiam *superbi & arrogantes* sunt, τύφωσις & τῦφος dicitur μεταβατικῶς, inflatio, arrogantia, fastus, sumpta metaphora à typhonico vento, quem veteres crediderunt hominibus mentem ac rationem adimere: hinc δεινὸς καὶ ὑβριστὴς ἄνεμος dictus fuit, quia hoc vento correpti insanire ac delirare credebantur. Et est reuera arrogantia, delirium intolerabile piis: magnificè enim de se sentiunt, & plus quàm oportet sibi tribuunt, aliis facilè detrahunt, præsertim in his qui de ipsis non magnificè videntur sentire. Hic morbus hodie nimium frequens est, non solùm inter schismaticos, sed eos etiam qui longè abesse videri volunt à schismate.

3. Schismaticorũ ignorantia. Tertia nota est, *nihil sciens*: ignorantia igitur schismaticos etiam comitatur, non est illa docta & pia ignorantia, quam Augustinus etiam fateri non erubuit: sed veritatis inscitia turpis, quæ sibi plurimùm sapere videtur: ideo effrons & impudens est, temerè enim iudicat & pronunciat: ideo dici solet, Inscitia nihil esse impudentius. Ἐπιστήμη rerum est verarum, quæ cum Dei iudicio congruunt: sic in fide quæ analoga sunt religioni Christianæ, & sanæ doctrinæ respondent, sunt ἐπιστημονικά.

Schismatici igitur quum ab analogia fidei errent, rectè dicuntur nihil scire, vtvt docti videantur, quia ad finem veritatis non perueniunt.

4. Nota curiositas quæstionum. Quarta est, νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας, id est, *morbidus est circa quæstiones & verborum pugnas*: suprà quoque capite primo damnauit ζητητικὸν καὶ μυθικὸν: infrà ad Titum capite primo, versu 10. ματαιολογία dicitur, quia his quæstionibus frustra omnis cura impenditur. Hoc loco grauissimè deterret ab eo vitio subiecta turpitudine. Νόσος enim est, quod lædit naturalem vitæ actionem: in religione autem, νόσος est studium litigandi, & curiositas quæstionum nouarum, quod ipsam quoque lædit actionem vitæ renati hominis: ideo quàm diligentissimè hæc vitia cauenda sunt. Habes euidentem notam schismatici hominis, morbidum esse quodammodo, & ad insaniam vsque se quæstionibus nouis macerare. Considera

Quæstionum diuersitas. hic quæstionum diuersitatem: in Theologia alia est vtilis quæstio & pia ζήτησις ὑγιεινὴ, quæ in Sacris literis fundamentum habet, & ad cognitionem veritatis, aut ad mores renati hominis confert: vt quæstio de fide, de bonis operibus, de via ad salutem, &c. Alia est ζήτησις νοσώδης, morbida, quæ Christi meritum obscurat, bonis obest moribus, aut ad cognitionem veritatis nihil confert, qualis est quæstio de purgatorio, de inuocatione sanctorum, de operibus condignis, & congruis, de intercessione sanctorum pro nobis apud Deum, &c.

Λογομαχία quid sit. Λογομαχία disputationum est vitium, quando de rebus ipsis constat, lis saltem de vocibus est ac phrasi: oportet autem in vsum vocum faciles esse quando de rebus constat, quod facilè agnoscunt moderata ingenia quibus dissidia displicent: sed schismatici, vt in aliis, ita hîc quoque difficiles sunt. Ideo Apostolus morbum esse dicit, hoc est, animi vitium: morbus etiam est, quia causa mala suscipitur. Vt enim simplex est veritatis oratio, sic falsi callida sit defensio oportet: sic Eurip. eleganter dixit, ἄδικος λόγος, νοσῶν ἐν ἑαυτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Quinta

Quinta nota est, *ex quibus efficitur inuidia, contentio, blasphemiæ, suspiciones malæ, improbæ exercitationes.* Ab effectis describit schismaticam doctrinam, quorum turpitudine deterret nos à schismatis studio. Effecta turpia & perniciosa non possunt non ab impia deduci causa: huc referuntur effecta perniciosa schismaticis: ergo ipsum schisma perniciosũ esse oportet. Doctrinæ schismaticæ descriptio ab effectis.

φθόνος est rei bonæ, hoc est, mali dum bonos virtutibus pollêre vident, inuidet, non quòd tales esse vellent, sed quòd ipsis similes in malitia omnes non sint. 1. Inuidia.

Ἔρις, contentio ex rationum collisione nascitur, & ferè præcedit inuidiam: nam virtus demum cognita patitur φθόνον. 2. Contentio.

Blasphemia accipiatur vel in viros bonos: sic Athanasius infinitas calumnias, & maledicta tulit ab Arrianis: vel in ipsum Deum: fiunt enim schismatici etiam in Deum tandem maledici, & dubitant de eius clementia, præscientia, cura pro piis, de Christi diuinitate merito ipsius, & similia infinita rapiunt tandem in dubium. 3. Blasphemia.

Suspiciones malæ sunt, quibus bonos viros immerenter obruere conantur, quod vitium hodie multos latet: nascitur illa suspicio ex præiudicio quodam prauo, quod malæ mentes concipiunt de aliis, hinc mox in vnam partem inclinans nascitur suspicio, quum effundunt & spargunt in vulgus non cognita veritate. In quo cum schismaticis multi hodie communicant. 4. Suspiciones malæ.

Παραδιατριβαὶ, & hic fructus est schismaticorum: non quiescunt sua spargere, ideo exercitia adhibent. Διατριβὴ est idem quod γυμνασία, estq; vox media: bonorum enim & malorum est. Malorum hoc loco exercitiorum habes exemplum: nam παρὰ præpositio significationem primam limitat, malámque facit. Exempla peruersarum exercitationum in scholastica Theologia obuia sunt, vt apud monachos, peregrinationes, humicubationes, vigiliæ, inediæ, cantus, aliáque satis testari possunt. 5. Peruersæ exercitationes.

Hominum mente corruptorum, &c.

Ostendit ad quos spectent notæ positæ: nimirum testimonia esse reprobi hominis, quantumuis simulet pietatem. Corruptos mente intelligo schismaticos, qui diuersam ab Apostolica tradunt doctrinam. Corrupti autem sunt primùm animi malitia, deinde studio corrumpendi etiam alios, vide infrà ad Tit. 1. dicuntur φρεναπάται, deceptores mentium. 6. Corruptio mentis.

Est autem φθορὰ in Scriptura sacra, quidquid cursum ad salutem impedit, & morum integritatem vitiat. Sit igitur hæc sexta proprietas schismaticorum, quòd corruptas habeant mentes.

Septima est, *Priuati veritate*, veritas Christus est, ipso dicente Ioan. 4. Item cap. 17. Sermo tuus veritas est. Huius doctor & explicator est Spiritus S. Itaque & Christo & Spiritu S. & vera Scripturæ notitia carent schismatici, dum priuati sunt veritate. 7. Priuatio veritatis.

Octaua est, *Pietatem putant quæstum esse.* Exemplum habes in Simone Mago, qui donum Spiritus sancti pecunia emere voluit, vt illi lucrosa esset facultas edendorum miraculorum: hi dicuntur ad Rom. 16. vers. 18. non Christo, sed ventri suo inseruire, & ad Tit. 1. vers. 11. docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. 8. Pietatis abusus ad quæstũ.

Hos declina. Conclusio est loci de vitandis schismaticis: sensus est, nihil cum his commune tibi sit, nec in doctrina, nec moribus.

6. *Est autem quæstus magnus, &c.*

Tertius locus, vbi quærenda sit vera αὐτάρκεια, nimirum in Christo, qui veras opes animi largitur. Cohærent autem superioribus ratione præoccupationis: negauit priùs pietatem conuertendam in quæstum. Nunc suo quodam sensu permittit quæstum in illa, si scilicet adsit animi moderatio boni consulentis qualemcunque præsentem statum. Vide locum περὶ τῆς αὐταρκείας. Αὐτάρκεια vera in Christo.

7. *Nihil enim intulimus, &c.*

Moderationem suadet ab ipsa natura quæ nudos nos genuit, & nudos etiam recipit: simile habes apud Iobum cap. 1. omnia in morte nos destituunt, opes, aurum & argentum, amici, gloria, honor: ad quid igitur immoderatum harum rerum desiderium?

8. *Habentes autem alimenta, &c.*

Alterum argumentum contra quæstus desiderium, quia necessariis tantùm fruimur, reliqua vt superflua relinquimus: necessaria autem, sunt secundum naturam, victus & amictus. His igitur contentos esse oportet.

9. *Qui autem volunt ditescere, &c.*

Locus quartus contra auaritiam, quam in schismaticis taxauit: rationibus autem firmis remouit à pio Christi seruo. Iam expressè morbum ipsum describit à suis fructibus. Πλουτεῖν opponit autarciæ, & animo qui victu & amictu qualicunque est contentus. Qui aliud etiam ad ornatum vult habere, & ad voluptatem, hunc quæ maneant pericula, ostendit. Auaritiæ descriptio, & quæ pericula illã maneãt.

Primùm *Incidunt in tentationem*, scilicet Satanæ, qui varia consilia ditescendi clàm sug-

gerit, omnibúsque modis animum inflammatum incitat. Deinde has tentationes sequitur laqueus, hoc est, illæ angustiæ ex quibus non possunt emergere, quemadmodum auibus ponitur esca, quasi tentatio ad laqueum, ad quem si ingrediantur, egredi non datur. Tertio variis cupiditatibus agitantur, insomnes sæpe ducunt noctes, contabescunt curis, amore, odio passim laborant, quibus submerguntur in corporis perniciem, quæ est ὄλεθρος, & animarum interitus, quæ est ἀπώλεια.

10. *Radix enim omnium malorum, &c.*

Natura auaritiæ malorũ radix. Olymp. 2. Stroph. 3.

Effectorum est confirmatio ab ipsa natura petita auaritiæ, cui mox annectit noua effecta: confirmatio habet definitionem: dicit enim quid sit auaritia, scilicet, Est radix omnium malorum. Radix dicitur μεταφορικῶς: est enim radix propriè plantarum, sed transfertur vox illa ad ea quæ principij vicem & originem significant: vt apud Pindarum de Therone, qui à Thersandro genus duxit, scribitur, ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν, vnde generis habet radicem. Auaritia quoque aliorum vitiorum respectu, origo & principium est: quemadmodum enim radix oris vicem habet, vnde in reliquas plãtarum partes per stipitem succus naturalis transfertur, & inde in minores partes seu foliorum seu fructuum distribuitur: sic auaritia materiam & alimentum suppeditat malis omnibus. Nam auarus etiam facilè fit periurus, facilè iniustus, impostor, maledicus, homicida, hypocrita, religionis veræ abnegator, & nihil non faciet lucri causa. Hinc ad Coloss. 3. dicta est auaritia idololatria, & ipse auarus idololatra ad Eph. 4. quia opibus tãquam Deo seruit. Et hic Apostolus inquit, *Quod auaritiæ studiosi quidam aberrarint à fide*, quia nemo potest duobus dominis seruire, Deo & Mammonæ, qui & ipse Deus haberi vult. Referatur igitur & hoc ad effecta, auaritia euertit fidem, & est causa vera infidelitatis: ergo studiosè est cauenda omni quidem pio, imprimis verò ministro Christi. Porrò cautè loquitur Apostolus, τινὲς, inquit, non omnes igitur, ac certè maior pars, quia Christus dixit, difficile esse talem ingredi in regnum cælorum, quod mox respectu Dei mitigat, apud quem omne verbum sit possibile: potest igitur auaros seruare, vt Zachæum fortè & Matthæum: publicanos enim auaros fuisse probabile est. Verùm exempla talia admodum rara sunt, & mali metus maior, quàm vt vitium hoc veniam mereatur.

Auaritia euertit fidem.

Alterum effectum est, quòd non solùm fidem euertat, sed doloribus multis conficiat homines: mala enim conscientia eos vrget, insomnes ducunt noctes, cibum & potum nunquã quietè sumunt, sursum ac deorsum cursitant, animum curis, corpus laboribus conficiunt. Quod emphaticè Apostolus expressit περιέπειραν, quot enim sunt cogitationes & conatus, tot sunt tela & aculei in animo auari, quibus vulneratur & transfoditur.

11. *Tu verò homo Dei, &c.*

Admonitio ad Timotheũ & alios ministros, de fugiẽdis vitiis, & virtute sequenda.

Quintus locus huius capitis, in quo grauiter hortatur Timotheum ad officium in Ecclesia quàm vigilantissimè præstandum. Conuertit orationem iterum ad personam Timothei, vt fit in transitionibus, ac complectitur duas diuersas propositiones: vnam fugiendorum, alteram sequendorum, quas sic complectamur: Timotheo & omni pio ministro est curandum vt quidquid vel in dogmatibus fidei sanam lædit doctrinam, vel in moribus vitæ innocentiam euertit, omnibus modis vitetur. Contrà virtutes quæ vel in docente requiruntur, vel in genere innocentiam vitæ concernunt, quàm studiosissimè exprimat. Priorem partem vno commate expressit Apostolus, hæc fuge, ταῦτα φεῦγε. Ταῦτα accipio de auaritia & ipsius fructibus, quæ immediatè præcesserunt: deinde ad reliqua vitia transfero, quæ in hac epistola hactenus prohibuit, qualis est negligentia in docendo, temeritas in eligendo, importunitas in corripiendo, oscitantia in orãdo. Ταῦτα, *Hæc omnia fuge*, quia res periculosæ sunt in ministerio, plúsque nocent, quàm prosint & docenti & auditoribus: sed Apostolus nouo hîc vtitur argumento à persona ipsius Timothei petito. *Homo Dei es*: ergo ista tibi sunt fugienda. Dicitur homo Dei renatus & qui Spiritu Dei regitur, ac viuit ad voluntatem Dei. Videant igitur ministri vt sint homines Dei ex vita & propriis moribus, ne sint homines Satanæ.

Homo Dei quis.

Alteram partem, seu ἀντιπρόθεσιν copiosè persequitur, quia sub finẽ epistolæ omnes animi affectus cupit effundere, ac variis modis Timotheum ad officium animosum reddere: ea ordine videamus.

Enumeratio 6. virtutũ ministro necessariarum.

Primùm proponit illi virtutes persequendas, ex quibus facilè colligi potest, quid in contrario membro ταῦτα φεῦγε, comprehenderit. Enumerat hîc sex ordine virtutes. 1. *Iustitiam*, quæ vinculum est humanæ societatis, ac imprimis euertitur ab auaris, qui iusti & æqui nullam rationem habent. 2. *Pietatem*, εὐσέβειαν, quæ est veri Dei cultus, quo Deus vt vult adoratur & colitur, éstque iustitia quædam in Deum. Ideo ab auaris quoque violatur, & ab idololatria, superstitione, impietate, &c. 3. Tertia virtus est, *Fides*, hoc est, totius professionis Christianæ cura & assiduum studium. 4. Quarta, *Dilectio proximi*: fidei fructus est,

quo

quo proximum amplectimur Dei & veritatis amore, nihil nostri quærentes, ad externa concernit. 5. Quinta est, *Tolerantia*, quæ est fortitudinis species, aduersa quæuis Christi nomine æquo tolerans animo, etiam cum vitæ periculo. Inde Græcis dicta est ὑπομονὴ, quòd perduret rebus aduersis, hoc est, minimè frangatur. 6. Sexta virtus est, *Mansuetudo*, quæ est lenitas in ferendis & corrigendis fratrum infirmitatibus. Hæ virtutes persequendæ sunt. Ex quo discimus eas ad officium renati hominis pertinere, imprimis verò ad ministros: vnde falsum est dogma vulgi, nihil referre quomodo viuamus, modò rectè credamus. Ratio est, quia vt credimus, sic viuimus, & vt viuitur, sic creditur. Deinde admonemur has virtutes nunquam planè à nobis in hac vita possideri: sed ex parte, semperque fugaces in nobis esse, vt perpetua venatione & insecutione sit opus.

12. *Decerta bonum certamen, &c.*

Secundo loco proponit illi agonistica, quæ ad officium Ecclesiasticum propriè etiam spectant. Agonem vocat fidei, officium ipsius, quod fides imprimis ornatur & promouetur, & rectè quidem: vita enim hominis pij per se dicitur & militia, magis igitur ministri vita talis videri debet, qui non simpliciter Christo militat, sed inter antesignanos positus est. Hoc igitur vult Apostolus, vt Timotheus suæ vocationi diligenter inseruiat. Vocat autem καλὸν ἀγῶνα, vt rei honestate & simul difficultate ad vigilantiam excitet: sunt enim καλὰ h[illegible] esta & simul difficilia. Certamê fidei certare.

Tertio loco proponit ei apprehendenda, ad quæ tanquam vltimum finem respiciat, quò pertinet vita æterna: nam ista laborum omnium præmium & finis tandem erit. Dicitur vita æterna status iste, in quo ad imaginem Dei restituemur, quæ hîc incipit per regenerationem, perficitur post mortem. Hæc restitutio & reparatio naturæ secundum primam conditionem nobis ardenter est affectanda. Ratio est, quia ad hanc vocati sumus, ideo toties dicitur, vt dignè Deo & vocatione nostra ambulemus. Indignus igitur vita æterna censendus est, quia innocentiæ non studiosus, est qui in officio negligens est. Vita æterna finis vltimus laborum.

Altera ratio est propria Timothei & confessorum, *quia confessus es coram multis testibus.* Vis est argumenti, Quæ semel cum laude sumus confessi, in his constanter debemus persistere: sed tu hoc iam fecisti, & quidem coram multis testibus. Ergo, &c. Vbi & quando hoc fecerit Timotheus, non satis liquet. Primùm hoc fecit in conuersione factus ex professo Christi sectator, quam professionem Baptismo admisso obsignauit: deinde in electione ad ministerium, vbi non solùm Christianum sese est professus, sed inter hos fore doctorem & ministrum frugi. Tertiò, idem confessus est fortè coram tyranno aliquo, vel in vinculis cum vitæ periculo, quò inclino, quia καλὴν vocat confessionem, hoc est, speciosam & cum periculo coniunctam. Deinde quia addit factam esse coràm multis testibus, hoc est, intrepidè, contempto omni vitæ periculo: quod qui præstitissent, postea singulari titulo dicti sunt confessores, martyribus proximi. Præterea hoc sensu postea fecit mentionem confessionis Christi, quæ vt exemplum profertur constantiæ in aduersis pro veritatis testimonio. Itaque pathetice vrget Timotheum: priùs cum periculo vitæ præclarè te gessisti, perge igitur magno & forti animo in cœpto cursu. Confessio Timothei quæ fuerit.

13. *Denuntio tibi coràm Deo, &c.*

Quarto loco seruanda illi proponit ea quæ hactenus tradidit, magna & sanctissima contestatione: ac vt res maiori pondere & affectu à Timotheo audiretur, contestationem geminam præmittit. Ducitur argumentum à Dei præsentia & potestate. Coram Deo enim geri dicitur, quod singulari illius timore agitur, cúmque inspectore & animaduersore Deo. Omnia quidem illi præsentia: sed illa imprimis corâm ei dicuntur, quæ curat & promouet, aut quorum neglectum singulariter punit. Sic à potentia quoque, *viuificat omnia:* ergo oportet magno illius timore in officio versari, habet enim vitæ & necis potestatem. Et à Christi exemplo, *qui sub Pontio Pilato confessionem illam speciosam statuit.* Confessionem hanc explico ex cap. 18. Ioan. Deinde refero ad totam historiam Passionis ac mortis. Vnde efficitur, ministros exemplo Christi debere in confessione veritatis contra omnia vitæ pericula quàm constantissimè perdurare, & ob id in officio etiam extra periculum esse fortes. Attestatio duplex Pauli monentis Timoth. vt in cœpta doctrina pergat.

14. *Vt serues hoc mandatum, &c.*

Redditio est, continens instituti propositionem, significat se obtestationes illas attulisse, vt in officio sit quàm diligentissimus. Ἐντολὴν accipio pro officij precepto: scopus enim epistolæ huius est, vt quàm vigilantissimè exequatur officium suum in Ecclesia Ephesina. Itaque ad hoc præceptum pertinet quidquid hactenus dixit de sana doctrina retinenda & propaganda: de sectariis vitandis, de electione ministrorum grauiter obeunda, de moderatione & lenitate corrigendi peccatores, de precibus assiduè habendis, de vitando omni vitæ scandalo. Quò facit quod addit, τηρῆσαί σε ἄσπιλον καὶ ἀνεπίληπτον, nam inculpatus esse & labe carere aliter non potest omnis minister, nisi illa seruet Apostoli præcepta, cùm Scopus huius epistolæ.

ἐν ἑαυτῷ tamen maneat ἄσπιλος & ἀνεπίληπτος.

Quod addit ad finem de apparitione Domini, habet argumentum à spe præmiorum & metu pœnarum: nam iudex ille erit & reddet singulis pro factis suis condigna.

Ver. 15. *Quem temporibus suis, &c.*

Argu. ab aduentu Christi vltimo.

Absoluit argumentum ab apparitione Domini sumptum. Ac cauet tergiuersationem impiorum, qui solent opinione longæ moræ insolentius peccare: hos reprimit dicendo, Veniet tandem quod prædico. Sunt autem ἴδιοι καιροὶ, ea tempora, quæ iudicio nouissimo deputata sunt. Ideo nihil agunt peccatores sese consolando diutina mora, quia quod Christus iudex nondum venit, non probat illum nunquam venturum, sed tempora nondum esse completa, quæ vbi cursum absoluerint, indubitanter aderit iudex. Iudicium hic commendatur à maiestate authoris. Explicantur igitur hic encomia diuinæ maiestatis. Primum μακάριος dicitur natura sua, quia hanc in sua habet potestate: deinde effectiuè, quia nos infelices beatos reddit: deinde quia à nobis debitis laudibus ornatur propter beneficium redemptionis. Secundo loco dicitur *solus potens*, δυνάστης dicitur respectu impiorum & Satanæ, quos refrænat & sua potentia superat. Δύνω enim est ὁπλίζω: dicitur igitur δυνάστης, quia vitæ & necis plenum habet ius, & quidem solus: nam quidquid vitæ & imperij est, id totum à Deo descendit. Tertio *rex regum*. Regis nomen Deo rectè tribuitur, propter patrocinium quod suis præbet: ad hunc enim refugium habent, & in eo quærunt & reperiunt fundamentum: quò facit etiam nominis ratio: βασιλεὺς enim dicitur quasi τοῦ λαοῦ βάσις, id certè agnoscunt pij.

Encomia diuinæ maiestatis.

Quartò, *Dominus Dominantium*: Κύριος œconomicum est vocabulum, nam vxor & liberi propriè patremfamiliâs κύριον vocant: serui verò δεσπότην. Agnoscunt igitur sancti Deum κύριον, hoc est, rectorem Ecclesiæ suæ, qui alias dominationes omnes superat.

Quintò, *qui solus habet immortalitatem*, & solus potens est, non excludens alias potentias, sic solus est immortalis, hoc est, natura sua, eámque sic possidet, vt eam largiatur quibus velit: sic Angelicas naturas immortales fecit, hominis animam: tandem etiam corpora post resurrectionem eadem ornabit.

Lux vitæ æternæ.

Sextò, *lucem inhabitans inaccessam*: lucem dicit illam ineffabilem vitæ æternæ beatitudinem, quam opponit tenebris, hoc est, terrori & cruciatibus impiorum: Deus igitur lux est, hoc est, ipsamet maiestas felicitatis, hanc possidet vt proprium bonum. Ἀπρόσιτον autem dicitur, quia ratio hominis & vis eloquendi hic deficit, meliùs & faciliùs dicimus quid non sit, quàm quid sit. sic 1. Corin. 2. ver. 9. in cor hominis non ascendisse, nec oculum vidisse, nec aurem audiuisse illam maiestatem diuinorum bonorum. Hinc est quòd in rebus diuinis cęci sumus, quam infirmitatem hic agnoscere debemus, inuia sunt nobis omnia diuina & quidquid nobis hic contingit cognoscendo, id totum gratiæ Dei est. Agnouit hoc Aristoteles cùm diceret oculos nostros cæcutire in rebus diuinis, quemadmodum noctuæ oculi in luce meridiana, sed causam ignorauit, hanc nos docent sacræ literæ, peccatum scilicet, quod nos imagine Dei priuauit.

Septimò, *quam nemo vidit hominum, nec videre potest*: & hæc laus est diuinæ maiestatis, quia adeò sincera est vt effugiat hominis oculos. Hinc dictum est Mosi, Exod. 33. Non videbit me homo & viuet, ratio est in peccato, quod Dei præsentia ferre non potest. Inde fuga & trepidatio primùm cœpit in primis hominibus cùm peccassent. Hinc crassus est redditus visus oculorum & cæcus, vt Deum nec possit, nec velit videre. Vident tamen Deum pij ac renati, sed in speculo & ænigmate, 1. Cor. 13. ver. 9. 12. Vident eum in filio suo, qui est icon & character substantiæ eius: sic in Scriptura videtur dum attenditur ipsius voluntas, sed omnes isti modi imperfecti sunt: ad plenum videbimus illum in vita æterna. 1. Ioan. 3. ver. 2. Iustinus Martyr eleganter hoc dixit, Θεὸν νοῆσαι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, τὸ καὶ νοῆσαι δύνατον. Ista encomia concludit clausula pietati conformi: *cui sit honor & robur æternum*. Amen. Δοξολογία est pij pectoris, non solùm confitentis, sed humiliter Dei maiestatem adorantis: dæmones enim quoque fatentur, sed contremiscunt: aliter pij.

Δοξολογία.

17. *Diuitibus in hoc seculo, &c.*

Diuitibus officiũ præscribitur

Sextus locus de diuitum officio, ac pertinet ad quartum, qui iam expositus est. Duo autem hic explicantur: primùm vitia cauenda exprimit: mox his opponit virtutes sequendas diuitibus. Vitia sunt primùm ὑψηλοφρονεῖν altum sapere, quia enim varijs ornati sunt instrumentis elabendi & propulsandi casus communes, ideo inferiores libenter contemnunt, & se efferunt quasi omnibus meliores.

Hinc rectè de eis dicitur ab Euripide, ἔμφυτον τοῖς πλουτοῦσι σκαιοῖσιν εἶ, hoc est, innatum illis esse petulanter agere. Alterum vitium est, *spem ponere in certitudine opum*. Ἀδηλότης habet vim argumenti: incertis enim fidere stultum est: opes sunt incertæ. Igitur his fidere stultum est.

Virtutes

Virtutes autem ſunt, quas diuites ſequi debent. Primùm, *Deo fidendum eſt*, qui eſt vita, hoc eſt, res firma per ſe & ratione agens. Deinde, *quia nobis exhibet omnia*: igitur largitur etiam opes: ideo non hærendum in effectu, ſed redeundum eſt ad cauſam largientem, Tertiò *abunde largitur*, non parcè, vide Pſalm 147. Quartò, dat ad ἀπόλαυσιν, hoc eſt, χρῆσιν, ad vſum, non vt recondamus, ſed vtamur, χρῆσις igitur non κτῆσις reſpici debet.

Virtutes ſectandæ diuitibus.

18. *Benefacere, &c.*

Reliquas perſequitur virtutes, vt eſt ἀγαθοεργεῖν: *benefacere* opponitur otio diuitum: deinde, malis illorum operibus, vt eſt vſurari, libidinari, ſcortari, & ſimilia. Tertia virtus eſt abundare bonis operibus, hoc eſt, beneficium eſſe in multos. Quarta εὐμεταδότους εἶναι, *ad erogandum faciles*, opponitur illorum moroſitati, quia rogari volunt, & diu, nec tandem etiam faciles ſunt, ſed triſtes & tetrici. 2. Cor. 9. Hilarem datorem amat Deus. Rom. 12. Qui communicat, in hilaritate faciat. Quinta eſt κοινωνικοὺς εἶναι, hoc eſt, in omnibus faciles etiam, vt non rogati dent: quaſi ſua communia faciant omnibus communicatiua quæ boni eſt natura, vt ſe aliis libenter communicet ad conſeruationem.

19. *Recondentes ſibi ipſis, &c.*

Addit argumentum quo ad liberalitatem incitat, à ſpe magni præmij ſumptum. Opum vſus verus eſt, qui in futurum prodeſt, hoc eſt, ad vitam æternam gradum ſtruit: ergo ad hunc vſum opes ſunt impendendæ. Comparatur illa per ſe Chriſti ſolius merito. Interim ſcriptura liberalitati idem tribuit, vt excitet ad beneficentiam. Deus per ſe dat gratis, tamen noſtra benefacta ornat hac laude, quaſi illorum reſpectu det. Vide Matth. 6. Luc. 12.

Argum. ad liberalitatem ab illius præmio.

20. *O Timothee, &c.*

Epilogus ſequitur continens principalem Propoſitionem repetitam. Apoſtrophe pathos habet. *Depoſitum* vocat officium Eccleſiaſticum, quod debet ſeruare, hoc eſt, quam vigilantiſſimè obire. Dicitur depoſitum alieni non noſtri iuris, & debet ſumma fide cuſtodiri & reddi, ſed officium docendi Euangelium eſt depoſitum: igitur ſumma cura eſt conſeruandum, & ſincera fide reddendum. Hæc prior eſt loci huius pars. Altera eſt de vitiis euertentibus officij integritatem, quale eſt κενοφωνία, hoc eſt, inanis vocum ſtrepitus, qualis erat illo ſeculo de Lege, Circunciſione, quæſtionibus Iudaicis: talem κενοφωνίαν habet Philoſophia Ethnica, & hodie inducitur in literas S. vt de eſſentiali iuſtitia, & ſubſtantia peccati & ſimilibus rixis. Alterum vitium eſt ἀντίθεσις, hoc eſt, ſtudium opponendi ſeſe veritati: Item pugnantem facere Scripturam: item nouum Teſtamentum cum veteri committere, quæ vitia ſunt interpretationis. Falsò dicta cognitio eſt, quam homines magni faciunt. Deus autem aſpernatur & odit. Vide Col. 2.

Epilogus Epiſtolæ.

21. *Quam quidam, &c.*

Ab exemplo periculoſo deterret à curioſitate. Quidquid periculo plenum eſt, id debet diligentia vitari à pio miniſtro: ſed κενοφωνία & rixandi ſtudium plenum eſt periculo: Ergo, &c. Hęc conſiderent homines certaminum & contentionum hodie auidi. Dominus Ieſus Chriſtus conſeruet Eccleſiam ſuam in tot certaminibus adeò periculoſis, Amen.

Curioſitas vitanda.

FINIS.

DISPOSITIO POSTERIORIS EPISTOLÆ AD TIMOTHEVM.

OCCASIO.



OCCASIO ſecundæ Epiſtolæ commodè ſumi poteſt ex ipſo exordio, ex quo conſtat quod Timotheus Apoſtolum Paulum in vltimo digreſſu dimiſerit multis lachrymis. Hunc dolorem in diſcipulo vt leniret, promiſit illi in priori epiſtola cap. 3. ver. 14. ſuum reditum. Interea vt res humanæ incertæ ſunt, Apoſtolus in vincula coniectus eſt, & captiuus Romam pertractus. Et res ita procedunt, vt tantum abſit ſe redire poſſe Epheſum, vt potius præſentiſſima mors illi in dies ſit expectanda, ſicuti patet infrà 4. cap. Itaque & fidem liberare voluit apud Timotheum, & dolorem lenire, & ipſum contrà ad ſe Romam euocare certo conſilio, vt ſcil. ipſum contra molem perſequutionũ confirmaret, & de tota cauſa religionis vberiùs cũ illo conferret. Et in caſum ſi fortaſſe planè non veniret, aut ſeriùs, iam ipſo mortuo haberet ta-

men præceptoris sententiam, quam in omnibus sequeretur. His de causis motus, indubiè hanc secundam scripsit.

GENVS.

Genus vt in aliis mixtum est, principale tamen est προτρεπτικόν, scil. vt in suscepta professione contra omnem crucis molem perduret constanter. Accedunt postea alia. Διδακτικόν, quo docet vocationem ad fidem sola niti gratia Dei: item quid in aliis sequendum illi sit. Ἐπαινετικόν, quo laudat Timotheum à virtutibus minimè fictis. Ψεκτικόν, quo inuehitur in apertos Christi hostes, qualis erat ille Alexander faber ærarius, & alij nonnulli, quorum nomina supprimit. Ἐπαγγελτικόν, quo iterum prophetæ munere fungitur, & oracula reddit de statu nouissimorum temporum, vt cap. tertio patet.

PROPOSITIO.


Propositio sumatur ex versu 6. capitis primi. Timotheo curandum est, vt dono sibi cœlitus collato fortiter & constanter vtatur. Donum vocat, quicquid pertinet ad officium ministerij ritè obeundum, quæ omnia cadunt in hæc duo membra. In constantiam sub cruce, quæ vtique donum Dei est, & in curam sanæ doctrinæ defendendæ & propagandæ. Idcirco in consequentibus Apostolus ad hæc duo membra confirmationem accommodabit.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes epistolæ manifestiùs possunt deprehendi in hac quàm in aliis nonnullis. Constituamus ergo septem illius membra. Prima pars habet consuetum titulum. Secunda à versu 3. habet exordium, quod prorsus ad beneuolentiam spectat. Nam rerum anteactarum commemoratio mirificam habet amoris significationem. Tertia pars constituatur versu 6. ac continet propositionem generalem. Debes donum Dei auctius in dies in te magis magísq; reddere. Quarta pars versu 7. tribuatur confirmationi. Quæ primitus accommodatur ad tolerantiam præstandam sub cruce. Ac continuatur vsque ad finem 1. cap. Initio ergo secundi capitis applicatur confirmatio ad alteram partem de sana doctrina & defendenda & propaganda. Duràtque hæc pars confirmationis vsque ad versum 14. eiusdem capitis. Istic ergo statuatur quinta pars, quæ habet digressionem in ea vitia, quæ sanam doctrinam vtplurimum euertunt. Ac commodè distinguuntur in duos ordines. Alia enim in ipsis doctoribus vtplurimum resident, qualia sunt λογομαχία, κενοφωνία, νεωτερικὴ ἐπιθυμία, & μωραὶ καὶ ἀπαίδευτοι ζητήσεις.

Atque de his agit vsque ad finem illius capitis. Tertio ergo capite ab initio alterum genus vitiorum persequitur, quod & ipsum euertit sanam doctrinam, sed magis commune est doctoribus cum auditoribus, qualia multa refert ab initio tertij capitis. Tractantur hæc vsque ad ver. 10. Sexta ergo pars statuatur ver. 10. & est Epanodus ad cœptam exhortationem, ideò repetit, seruato etiam ordine, principales duos locos, scilicet constantiam sub cruce, & mox ver. 14. alterum de sana doctrina & defendenda & propaganda. Vterque principio quarti capitis commoda illatione concluditur suaui adhibita tractatione. Nam initio adhibita est grauis obtestatio. Deinde ver. 2. ipsa propositio. Tertio ver. additur αἰτιολογία. Quinto illatio. Sexto, & aliquot consequentibus versibus noua argumentatio à suo exemplo. Versu 9 statuatur septima & vltima pars, Epilogus, continens res priuatas, ac primùm aduentum eius esse accelerandum, quando præter mortem nihil ampliùs sperare potest. Deinde admonet quibus rebus instructus venire debeat, Marco comite, assumpta etiam penula, libris, & aliis nonnullis. Tertio, querelas instituit, de duplici hostium genere. Primi sunt aperti, pro quibus etiam non orat, sed potius cauendos dicit. Posterius genus ex fidelibus debilibus est, ideò pro his etiam orat. Quarto loco sequuntur salutationes, quibus interposita est ἐπεμβολὴ de Erasto, Trophimo, aliísque, & iterum monet de suo aduentu. Quinto loco gemina comprecatione Epistolam totam concludit.

* * *



IN POSTERIOREM EPISTOLAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM, ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

Occasio epistolæ.



IVSTA & necessaria occasione scriptam esse hanc epistolam intelligemus si conditionem personæ vtriusque, adde statum Ecclesiæ probè considerauerimus. Timotheus sanè tanquam discipulus præceptoris obseruantissimus, magno cum dolore dimiserat D. Paulum Epheso abeuntem. Nam quòd statim in exordio hic mentionem facit τῶν δακρύων: intelligo de iis quas abituro Paulo fudit Timotheus. Quem dolorem vt leniret D. Paulus, promisit se paulò post rediturum Ephesum: id credibile est, discedentem voce viua etiam fecisse, nam absens scripto fecit, vt constat ex priori cap. 3. ταῦτά σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρὸς σε τάχιον. Interea vitæ cursus D. Paulum abripuit Romam in vincula, & res ita procedunt, vt Paulus facilè perspiciat se quidem Ephesum non rediturum vti promiserat, immolandum verò esse. Tamen desiderio Timothei sui tenetur: confirmandus enim erat vt iuuenis, & armandus cōtra persecutionum pondus: & maturè id fieri oportebat ante Apostoli mortem. Quæ omnia per epistolam commodissimè effici poterant: scribenda igitur fuit secunda, in qua non ampliùs promitteret suum aduentum Timotheo: sed ipsum ad se Romam euocaret. Infra cap. 4. σπούδασον ἐλθεῖν πρός με ταχέως.

Argumentum.

Primarius scopus Pauli haud dubiè fuit, Timotheum Epheso, ad se Romam euocare, vt de negotio religionis cum eo ante mortem suam ageret. Interea (vt res humanæ sunt instabiles) si interceptus non veniret, aut veniret tardiùs: mortuo iam Paulo, vt haberet præceptoris sui sententiam: hortatur ipsum ad constantiam in suscepta professione: ne patiatur vlla persecutionum mole sese deiici. Ostendens non obscurè sortem Euangelij hanc esse, vt in periculis boni deserantur: quod ipsi contigisse memorat ab Asianis. Ac quanquam alij insignes etiam loci tractentur, præcipuus tamen est de Christiana constantia. Nec est alia epistola in qua sæpius fiat mentio τοῦ κακοπαθεῖν. Hinc illa sunt, συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ: & in secundo cap. Σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ. Et in eodem de se, Ἐν ᾧ κακοπαθῶ μέχρι δεσμῶν. Et in cap. 4. σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, κακοπάθησον. Oportet igitur κακοπαθεῖν. *vnd solt es alles brechenn.*

Hinc epistola tota ferè parænetica est, non perinde didactica vt superior: res enim postulabat vt constantes haberet Ecclesia ministros, in quo numero præcipuè voluit esse Timotheum. Genus.

Propositio igitur totius epistolæ sic comprehendi potest, Timotheo curandum est, vt dono sibi collato fortiter ac constanter vtatur. Propositio.

Partes. cap. 1.

Initio more epistolarum, præfixa est inscriptio. Deinde iustum exordium. Tertiò, exordio annectitur exhortatio ad perseuerantiam in officio & professione veræ religionis. Qui locus tractatur vsque ad medium ferè secundi capitis. Inde ab eo digreditur ad ministrorum mores, ostendens quales oporteat esse ingenio & moribus, quid ipsis fugiendum, & quid imprimis affectandum. Item quales sint mali doctores, & quis etiam Ecclesiæ status futurus sit posteris seculis. Hinc redit ad argumenta hortatoria, vt perduret in officio Timotheus. Vltimò appendix annectitur de rebus priuatis. Quæ singula suis locis, Domino sic aspirante, explicabimus.

EPIGRAPHE.

Inscriptio complectitur tria membra. In primo est commendatio personæ scribentis. Inscriptio.

ptionis argu. & partes. Altero habetur persona eius ad quem scribitur. In tertio amica salutatio seu comprecatio. Primum pertinet ad asserendam authoritatem Apostolici muneris. Posteriora duo accommodata sunt ad beneuolentiam, non tam captandam, quàm declarandam: qui enim alteri vult præscribere faciendorum regulam, par est vt apud eum & authoritate polleat & gratia. Authoritatem personæ parat officij qualitas, author officij & finis: ad hoc membrum hæc pertinent verba.

Vers. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ eius quæ est in Christo Iesu.*

Pauli nomen duplex. De nomine Pauli, non placet hîc pluribus agere: probo tamen sententiam Origenis, qui binominem ait fuisse Apostolum: ad id adducor, quòd historiæ Actorum videam hoc esse conforme, & posterius nomen, Pauli nimirum, maluisse Apostolum retinere tanquam Romani iuris ornamentum & testimonium. Sed & illud ad rem faciebat: à præceptore Paulo proficiscitur hæc epistola, fuit igitur ea magnæ authoritatis apud Timotheum discipulum. Nec sanè poterat aliud plausibilius oculis Timothei offerri hoc nomine Pauli: suauissima enim solent esse quæ ab amicis, à parentibus, à præceptoribus suauissimis mittuntur. Deinde Apostolum sese appellat, exprimens officij qualitatem, est enim Apostolus legatus. Vox nota est Græcis authoribus. Athenis classium præfecti ἀπόστολοι dicebantur, & expeditiones maritimæ: & ἀποστολεῖς magistratus, qui iura de classibus instruendis, de expeditionibus maritimis reddebant: quorum sanè magna fuit authoritas. Sacræ literæ agnoscunt eandem vocem, non dissimili notatione, nec in minore dignitate: Iesu enim Christi discipuli legati dicuntur, hoc est, Apostoli. Apud Hebræos, *Scholechim*, hoc est, missi appellantur. Horum eadem est ratio in nouo Testamento, quæ in veteri fuit Prophetarum. Nam sunt immediatè ab ipso Christo vocati ad docendum Euangelium vbique terrarum, & habebant hi certa etiam testimonia Sp. Sancti, quòd non errarent. Huius generis elegit Christus duodecim, quos testes esse voluit, & præcones veræ doctrinæ, quibus post ascensionem addidit Paulum ex hoste & persecutore, doctorem & defensorem veræ Ecclesiæ efficiens. Vide historiam in Act. 9. cap. Quare hunc titulum studiosè sibi arrogat, & tuetur contra inuidos, maleuolos & hostes veræ doctrinæ.

Christus autor Apostolatus Pauli. Porrò ne personatus habeatur legatus: solet vbique officij & vocationis suæ proferre autorem. Nam quòd Apostolus est, magna sanè erat dignitas officij, etenim vbique debebat docere, hoc est, quocunque perueniret & qualicunque oblata occasione. Hoc reliqui seu Episcopi, seu doctores, seu diaconi non faciebant, vtpote certis deputati Ecclesiis. Deinde euidentiori spiritu præditus erat. Sed vide quantum dignitatis accedat officio, ab authore: *Iesu Christi*, ait, *se Apostolum esse*. Legati authoritatem sumunt à principibus à quibus mittuntur: & qui principem diligunt, legatum eius non possunt non magni facere. Sic Cæsaris legatus magnificè excipitur à Cesarianis. Et Pótificis nuntius dici vix potest, qua pompa excipiatur à Pontificiis. Paulus igitur qua authoritate audiri debet? quo loco haberi debet? certè longè maxima apud nos pollere debet authoritate, & dignissimo haberi loco: est enim summi principis legatus, Filij Dei Iesu Christi. Facit præterea authoris mentio contra eos, qui vocationis suæ non poterant proferre ordinarios authores: quòd vel à Christo ipso essent vocati: vel ab Apostolis legitimè admissi. Interea tamen sese ingerebant, & obtrudebant Ecclesiis calumniando Apostolum Paulum: asserit igitur ordinariam suam vocationem, faciant illi idem si possunt. Id etiam hodie cogitent ministri, vt bona conscientia dicere queant cum Apostolo, sese Iesu Christi esse ministros, hoc est, ordinariè & legitimè ingressos esse ad munus docendi. Præterea ad authoritatem officij conciliandam etiam pertinet illud, διὰ θελήματος Θεοῦ: efficiens causa primaria his declaratur. Vocauit Paulum ad Apostolatum filij Dei, sed vocauit Patris certa voluntate, hoc est, ordinatione diuina. Ex quo sequitur,

Patris & Filij eadé voluntas. Patris & Filij eandem esse voluntatem. Et Patris hoc esse decretum seu θέλημα: per Filium verò patefactum. Cui est cóformis historia vocationis in Act. 9. Ego sum Iesus quem tu persequeris. Deinde ordinationem hanc seu voluntatem, vim quandam diuinitus inspirare vocatis, qua excitentur ad honestas, pias, & officio conformes actiones. Paulus enim vocatus, statim induit nouum animum, ad nouas actiones inflammatur, non vult persequi ampliùs fideles, imò tueri eos, propugnare ad vitæ etiam periculum professionem Euangelicam: signa hæc erant seriæ vocationis: atque ista duo ad causam efficientem pertinent. Ad finem referenda sunt quæ sequuntur.

Secundum promissionem vitæ eius, quæ est in Christo Iesu.

Apostolatus finis vita æterna. Finis Apostolatus est vita æterna: sunt quidem & alij fines intermedij, vt est docere, prodesse proximo, propagare veram doctrinam: sed vltimus in quo acquiescunt reliqui omnes, vita est æterna. Ad hoc enim labores suffert omnes, affligitur, tandem moritur pro nomine Christi, vt & ipse saluus fiat, & aliis viam monstret. Interea, quia iam Apostolus est,

est, danda est illi opera vt quàm plurimos Christo adducat: nam hæc vnica via est ad vitam æternam, filium Dei agnoscere.

Appellat autem promissionem vitæ, significans Patrum sub Lege hunc eundem fuisse scopum, & sub inuolucris terrenarum promissionum habuisse eos vitæ æternæ promissionem, eámque per eundem Christum, cuius ipse iam sit Apostolus. Quod igitur addit ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ostendit causam mediam, consequendi vltimum istum finem: vitam enim æternam non possumus apprehendere nisi certo aliquo medio. De medio verò statuere non est hominis: solius ergo Dei est volentis hominem restituere in gratiam apud se, & beatitudine ornare certo medio. Christus illud est, apprehendendus sic erit Christus & per ipsum quærenda via ad salutem æternam. Cogitent ministri hîc de fine suæ vocationis, & quomodo actiones suas ad eum referant: communis ipsis est finis cum auditoribus vita æterna, ad hunc vtrinque contendendum est. Præter hunc illi alium habent, vt quamplurimos Christo adducant, quamplurimis viam ad salutem monstrent, vitam in Christo doceant, hoc est, Christo dignam, imò Christiano dignam, pietate & virtutibus Christianis ornatam. Ad hoc tota doctrina, & vita ministri dirigenda est. Videant ergo quid responsuri sint Domino isti, qui suos ad crapulam inuitant, petulantia sua improbos mores confirmant, exemplo suo auaritiæ, scortationi, aliisque vitiis fenestram, imò plenas portas aperiunt, non est hæc vita in Christo Iesu. Hæc ad primum inscriptionis locum pertinent, quo persona scribentis commendatur: nostrum est istorum consideratione ad diligentiam nosipsos excitare.

Medium consequendæ vitæ æternæ Christus.

Ministrorum alter finis.

Ad alterum Epigraphes locum illa pertinent.

2. *Timotheo dilecto filio.*

De Timotheo nihil hic dicemus. Nam abundè hoc factum esse existimamus ab initio prioris epistolæ. Tãtùm illud expedantur hîc cur filium & quidem ἀγαπητὸν dicat. Primùm Christo eum lucrifecit, & in fide instituerat. Iure igitur regenerationis rectè appellat filium. Deinde singulari affectu eum prosecutus est, & contrà Timotheus Apostolum piè coluit. Ea amoris magnitudo aliquo vocabulo exprimenda erat: itaque quod in affectu vtriusque positum erat, testari voluit. Hic illum vt patrem coluit: Apostolus autem Timotheum vt filium dilexit. Filium igitur meritò appellat ad declarandam beneuolentiam vtriusque. Tertiò, accedit & illud, vt coram reliquis hoc illi aliquam pararet authoritatem: magnum enim est à magnis amari. Principibus placuisse viris non vltima laus est. Magni igitur erat momenti apud fideles, Timotheum in tanto haberi pretio apud Apostolum Paulum. Sed dilectum insuper vocat: nam filius esse poterat adoptitius, vel naturalis, qui tamen dilectus non esset, vt rectè annotat Theophilactus: ἀγαπητὸς igitur est, & est filius, magni illa momenti sunt apud discipulũ, & testimonia minimè fucatæ amicitiæ. Hieronymus vertit charissimo, reliqui dilecto: sed neutra dictio satis Græcæ respondet. est enim quiddam amplius ἀγαπητὸν ἢ: significat enim amabilem, amore dignum, quiddam quod affectare, desiderare honestissimum sit. Imperatori τὸ νικῆσαι dicitur ἀγαπητὸν, hoc est, victoria res talis est quam modis omnibus affectat: sic ἔθη ἀγαπητὰ, mores dicuntur amabiles, digni quos affectemus. Cùm igitur ἀγαπητὸν appellat, duo nobis indicat. Primùm, singulare desiderium suum erga Timotheum. Deinde, ipsum Timotheum ingenij candore, doctrina, aliisque virtutibus ornatum fuisse, ita vt dignus amore fuerit.

Timoth. cur filius dilectus Pauli.

Discant iuniores maioribus in ministerio sic approbare moribus & diligentia officij commissi, vt meritò etiam dici possint ἀγαπητοί.

2. *Gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.*

Tertius locus est Inscriptionis: continent autem verba illa comprecationem, seu amicam salutationem. Obserua autem quæ bona comprecetur illi: deinde, qualia sint & vnde originem ducant. Tria sunt quæ comprecatur, quæ etiam in salutatione prioris epistolæ posita sunt, & in sequenti ad Titum, & quidem eodem ordine: in aliis non omnia. Iudas in suæ epistolæ salutatione habet misericordiam, pacem & dilectionem. Est autem χάρις vltronea beneuolentia, qua immerentibus benefacit Deus per Christum. Ἔλεος, intima dilectio, quæ gratiam efficit, apud Hebræos *Rachem* ei respondet: inde *Rachamim*, miserationes, Latini dolorem de alieno malo explicant, & rectè sanè: nam nostrum malum est peccatum, & verè nostrum, si quid aliud. Ob id condolet nobis Deus Pater, qui summè est misericors: inde fluit gratia per Christum: inde consequitur pax, hoc est, tranquillitas conscientiæ agnoscentis Deum sibi pacatum esse merito Christi. Est etiam pax omnimoda felicitas, quam mentes fidelium sentiunt etiam in hac vita. Hæc sunt bona quæ statim initio comprecatur. Expende autem bonorum authorem, de quo dicit, *à Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro.* A Deo Patre vt fonte bonorum omnium petenda sunt: peti autem debent per Christum, qui modus etiam totius est inuocationis. Pater inuocari debet in ora-

Comprecatio tria continens.

Bonorũ autor.

tionibus nostris,& per Christum.

Dominus noster dicitur Christus,iure primogenituræ, quo primogenitus etiam reliquis fratribus dignior erat & imperabat. Deinde iure redemptionis : emit enim nos suo sanguine,& cùm essemus sub Satanæ imperio : Christus nos sui iuris fecit, hinc nos serui illius, & ipse Christus noster.

Exordium.

3. *Gratiam habeo Deo,&c.*

Exordij arg. Exordium sumitur à congratulatione : declarat autem singularem beneuolentiam animi sui erga Timotheum, necnon illius erga seipsum, ob quam meritò etiam Deo gratiam verbis agat. Est enim singulare Domini beneficium si quando in amicos minimè fucatos, sed sinceros & candidos incidamus.

Propositio. Propositio verborum exordij est. In precibus meis ad Dominum tui perpetuò sum etiam memor, idque multis de causis, adeóque grauissimis facio. Nam textus si ritè expendatur hęc tria continet : loquitur enim de precibus Apostoli : deinde qualis sit in his memoria amici: tertiò, cur eius memoria adeò sit inconcussa apud eum. Priora duo coniuncta sunt, vt non facilè discerni queant: nam causarum explicatio facilior est.

Initium facit à gratiarum actione. Id epiphonema interpretor, quo ex consideratione arctæ amicitiæ, virtutum item Timothei, vtrique congratulatur. Ostendit autem ad quem dirigantur suæ preces, ad Deum nimirum Patrem, quem coluit, etiam antequam conuerteretur à Iudaismo ad Christum : nam est Deus idem, quem coluere Patriarchæ, & fideles omnes in veteri Testamento, & quem colunt sub Euangelio pij per totum mundum dispersi: id declarant sequentia.

Cui seruio à progenitoribus.

Pietas maiorũ Pauli, & eiusdem educatio. Quo ostendit pios eum habuisse maiores sub lege, & ipsum etiam à piis parentibus piè educatum. De parentibus eius nihil extat, nisi quòd hìc hæreditariam pietatem & virtutis studium colligimus. De educatione verò illustris locus est Act. 22. Ad pedes Gamalielis, in patria lege accuratissimè, zelotes Dei. Vera igitur inuocatio veri & vnius Dei fuit illi hæreditaria. Per Filium autem & Messiam iam exhibitum non inuocabat, in quo differebat prior à posteriore inuocatione. Verbum λατρεύω, colo & seruio significat. Seruio verto propter casum suum, qui alioquin seruari non potest : significat autem quauis ratione colere & obseruare aliquid Græcis authoribus. Et καιρῷ λατρεύειν, seruire tempori dixit Phocylides. Inde λατρεία, obsequentia, cultus, quem soli Deo competere aiunt. In suis precibus igitur colit Deum patrium creatorem cæli & terræ, atque id in pura conscientia.

Variæ sententię quid per purã cõsciẽtiam hìc intel ligendũ. Theophylactus imitatus Chrysostomum, conscientiam pro vita & moribus intelligit: quibus etiam cùm Iudęus esset, & Iudaicos ritus obseruaret vitam honestissimè transigebat: & Ecclesiam cùm persecutus sit, fecerit hoc, vt paternas tueretur traditiones, non glorię ductus cupiditate, vt solent qui hæresin excitant. Alij ad tempus præsens cùm hæc scriberet Apostolus restringunt. Priori tamen sententiæ fauet, quòd dixit à progenitoribus sese colere Deum, hoc est, à puero ita se esse instructum à maioribus: quo testatur verum Dei cultum sibi esse hæreditarium. Fuit igitur *conscientia pura* ante conuersionem, quia zelo Dei & legis Diuinæ fecit quidquid fecit, nec alio fine. Post conuersionem iterum libenter abiecit æmulationem pro lege & Mose, & propositam veritatem alacriter in Christo est amplexatus. Hoc pacto habuit conscientirm excusantem, quia nondum conuersus, simplici animo & zelo Dei quidquid contra pios fecit, suscepit. Quæ facti ignorantia liberabat eum à conscientiæ alastore. Vita etiam honestissima fuit, professioni Pharisaicæ respondens. Præterea hìc loquitur de vero Dei cultu, hoc est, adoratione cordis, Deum vt par est colentis, quod sese fecisse religiosè hìc testatur : nec est necessum interea ab omnibus peccatis liberum esse Paulum : sic enim nullus fidelium vnquam puram conscientiam haberet. Itaque & de excusante conscientia intelligo, & de testimonio vitæ honestè & piè actæ. Tertiò, ad commen-

Perseuerãtia Pauli In precibus. dationem precum Pauli etiam pertinet circunstantia temporis : significat enim se *noctu, diéque*, hoc est, continuò & adeò sine intermissione in orationibus versari. Est quidem δέησις species orationis qua à malis vrgentibus liberari petimus, qua significatione in priori epist. cap. 2. suprà ponitur. Malim tamen hìc in genere intelligere pro omni colloquio mentis cum Deo, quo se & Ecclesiam Domino commendabat Apostolus. In quo & bona publica Ecclesiæ dari precabatur, & imminentia mala deprecabatur, & de iniuria conquerebatur, & pro beneficiis acceptis Deo gratias agebat: concurrunt enim vtplurimum hæc in seriis precibus ad Dominum.

Porrò

Porrò hîc commendatur orandi assiduitas, quæ vt habuit causas grauissimas in Paulo, ita hodie apud fideles omnes vrgentissimas habet rationes. Tria igitur sunt, quæ in precibus Pauli nobis commendantur, Orationis, assiduitas: deinde, quòd ad Deum patrium, hoc est, creatorem cæli & terræ suas preces dirigat: & tertiò, pura conscientia Domino nostras placere preces.

Alterum exordij membrum est, qualis sit amici Timothei memoria in precibus Pauli: Quò pertinent hæc, ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν, quibus verbis commendatur nobis studium orandi pro amicis, & maximè iis, qui in ministerio sunt. Etenim hoc magnifecit Apostolus, ita vt Deo pro eo gratias agat: deinde, magna ibi sunt pericula, partim in docendo, partim in vitæ exemplo, partim etiam in regenda disciplina: suadet præterea hoc charitatis vinculum. Et quod maximum est, præceptum & exemplum Saluatoris, qui pro Petri fide speciatim orauit, & pro inimicis in cruce: & suprà 1. epistola cap. 2. iubet Apostolus deprecationes fieri pro omnibus hominibus, inter quos sanè ministri fideles & familiaritate aliqua nobis coniuncti primum videntur tenere locum. Deinde perseuerantia in deprecationibus argumentum veræ dilectionis habet: nam quod ait ἀδιάλειπτον μνείαν ἔχω, ostendit Timothei mentionem fieri sine intermissione, quotiescunque orat ad Dominum. Erant sanè Paulo aliæ causæ orandi, & quidem proprij periculi nomine, grauissimæ: tamen in tantis angustiis & vitæ discrimine, discipuli suauissimi memoriam non deponit, imò in precibus suis hic vel primus est pro quo oret, & de cuius virtutibus Domino agat gratias.

Orandi studium in Paulo pios idē pro amicis facere monet.

Tertius locus Exordij causarum explicationem habet: nam rationes reddit vnde tam arcta eius apud se memoria originem habeat. Itaq; sequentia quatuor membra huc refero, vers. 4. *Desiderans te videre*: deinde, *memor lachrymarum tuarum*: tertiò, *vt gaudio replear*: quartò, *memoria repetens eam quæ in te est, minimè simulatam fidem.*

Causę variæ excitantes in Paulo amorem Timoth.

A natura sanè ita comparatum est, vt quos amamus libenter coràm videamus, sermones cum ipsis renouemus. Argumentum igitur est charitatis: & superioribus cohæret per αἰτιολογίαν. Tui sum memor in precibus meis sine intermissione, sed quare hoc? *quia te coràm videre cupio*, ita diligo te & tanti facio, vt singulari quodam tui videndi tenear desiderio: nascitur hoc desiderium ex vera dilectione, vt proprius effectus: & memoriam iugem Paulo imprimit Timothei sui. Hoc studium vt à natura profectum est: ita in piis longè est maximum, vident enim præsentiam plus posse ad confirmandos homines in vera pietate, quàm absentium colloquia per epistolas. Quantò maiora sunt in personis viuis dona. S. Sancti, quàm in mutis literarum notis. Hinc Paulus terras & maria percurrit, vt suos amicos, & Ecclesias à se instructas conueniret.

1. Cupit videro Timoth.

Altera causa est, *Memor lachrymarum tuarum*: erant quidem lachrymæ argumentum singulare dilectionis Timothei erga Paulum. & cùm discedentem Apostolum fletu & lachrymis persequeretur, confirmarunt Paulum in sententia, qua de amore, aliisque dotibus Timothei magnificè sentiebat. Verùm nunc absentem eædem lachrymæ indesinenter Apostolo in memoriam reuocant. Vide quàm non sint ἄστοργοι fideles, vt etiam ad lachrymas descendant, & eas non pudeat Apostolum citare tanquam fideles dilectionis tesseras. Et quî fieri posset, vt eius apud ipsum memoria deleretur, qui eum tanto cum animi dolore discedentem est persecutus?

2. Causa, lachrymę Tim. Paulo abeunte.

Tertiò ait, *Vt gaudio implear*: Tui semper memor sum, vt gaudio replear. Iusta est memoriæ eius causa: nam vel nudum amicorum nomen suauitatem quandam habet coniunctam, vt qui seriò diligunt, ad amicorum mentionem non possint non exultare. Erant præterea in Timotheo virtutes insignes, & dona Spiritus illustria, quæ omnia efficiebant gaudium in Apostolo, quoties illa secum memoria repetebat.

3. Tim. memoria gaudium affert Paulo.

Quartò, singulare virtutum Timothei profert exemplum, vnde eius memoriam apud sese non carere ratione satis constat. *Fide sincera & minimè ficta*, eaque illustri præditus es: non possum ergo tui non sæpius meminisse. Magna est laus Timothei à sinceritate fidei, & eò maior, quantò à viro præstantiore hoc illi exhibetur testimonium. Πίστις ἀνυπόκριτος dicitur quæ dolo caret, non ficta est, inconcussa, pura & integra erga Christum est. Hanc inter causas proponit, vt aliis haud dubiè exemplum fidei statueret ob oculos. Deinde vt ostenderet se in precibus suis pro hoc Timothei dono præcipuè orare: eadem autem eleganter ad vltimum hunc locum est relata, nam ita commodè ad propositionem generalem totius epistolæ transitum sibi parat. Ad hunc modum has quatuor sententias ad propositionem exordij refero, vt ex iis tanquam grauissimis causis nobis constet, cur eius in precibus suis sit perpetuò memor.

4. Fidei sinceritas quæ in Tim. est.

Ἥτις ἐνῴκησε. Fidem Timothei commendat à maiorum exemplo. Auia Lois & mater Eunica fide excelluerant: puto eas ad Christum conuersas fuisse, & ante Christi agnitionem

Fides Timoth. cō

pias in vera religione fuisse, qualis fuit Elizabeth, Martha, Maria, aliæque matronæ: curauit enim Dominus, vt semper essent aliqui pij in mediis corruptelis, per quos vera religio propagaretur. Quò facit etiam metaphora in verbo ἐνῴκησε, *inhabitauit*, hoc est, in eis fuit infixa & constans diu, quasi in proprio domicilio: hoc enim inhabitandi verbum significat. Deinde obserua matrem fidelem commendari, quanuis Gentilem habuerit maritum & infidelem: quod argumentum erat iam publicitus solui legem cœpisse de matrimoniis. Et Monica Augustini mater infidelem habuit maritum, ipsa pia & fidelis.

[margin: ...mēdatur a maiorū fide.]

Πέπεισμαι δὲ ὅτι καὶ ἐν σοί, &c. Est quidem laus maiores habere virtute præstantes: at nisi eiusdem sint in posteris seminaria, non tam ornantur ipsi maiorum virtutibus, quàm easdem posteri dedecore & ignominia afficiunt. Ostendit ergo Timotheum non tam ornari maiorum fide, quàm eandem ab ipso excoli, illustrari, atque ornari. Quæ certè elegantissima est harmonia, & modis omnibus curandum, vt maiorum virtutibus ipsi quoque addamus ornamenta. Ad id plurimum conferet, si ab incunabulis rectè instituamur: de quo elegans extat Horatij sententia.

[margin: Hor. lib. 4. carm. Od. 4.]

Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Vers. 6. *Quam ob causam admoneo te, &c.*

[margin: Generalis propositio & scopus totius Epistolæ.]

Quæ hactenus dicta sunt, ad exordium refero epistolæ. Fuit illud breue, sed ad rem eleganter accommodatum. Iam præsenti contextu sequitur propositio, ad quam propè tota respicit epistola: vt scilicet Timotheus dono sibi collato fortiter vtatur, nec vllo periculorum metu patiatur sese deterreri ab Euangelica professione. Sunt alij quidam loci etiam inserti, vt progressu patebit: hic tamen primarius est scopus, ad quem argumenta Apostoli sunt referenda. Et ad finem exordij de maiorum pietate & fide, argumentum huc etiam spectat: nam qui domestica habet constantiæ & pietatis exempla, huic curandum est vt eadem propria constantia exornet, ne degener habeatur: sed Timotheus illa habet in auia & matre: ergo illa exempla exornare debet sua constantia & fide. Item alterum, Spem bonam de te conceptam non debes fallere: concepi autem de te fidei & constantiæ spem: ergo caue ne eam fallas. Istis iam subnectitur, vt dixi, Propositio, *Debes donum in te excitare*, hoc est, dono vti fortiter & constanter. Et causam huius à superioribus partim etiam procedere satis declarat particula δι' ἣν αἰτίαν, qua de causa. Αἴτιον igitur est cur debeas esse constans & vigilans: quia tales habuisti etiam maiores, & quia fidem habes veríque cognitionem. Proinde illi officium tantùm in memoriam reuocare se innuit, cùm ait, ἀναμιμνήσκω σε, quia ipse quid officij tui sit nouisti, aut quia hac de re iam antè sæpius tecum egi: sum igitur tuus monitor, tu expende quid te deceat. Verbum ἀναζωπυρεῖν, etiam modestè cum officij admonet: significat autem ignem cineribus tectum excitare, sopitam fauillam in flammam proferre. Per metaphoram hîc significat dono sibi collato vti, ne languescat, ne defodiat talentum suum: excitatur autem fides & donum vsu & crebris actionibus vocationi competentibus, vt ferrum vsu nitescit, otio verò perit & elanguescit. Deinde crebra constantíque oratione ad Dominum excitatur: promisit enim se auditurum inuocantes sese.

[margin: Maiorū fides Timoth. excitare debet.]

Χάρισμα donum est hîc fidei, constantiæ, atque aliarum virtutum ornamentum, quibus Timotheus præditus erat. Præterea docendi munus, quia minister erat, & Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus.

Argumentum hîc sumitur à vocatione Timothei, quo ad constantiam hortatur. Qui aliis præsunt, dono collato constanter vti debent, ne cum seruo nequam audiant: Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem habet. Est enim doni collati finis seruandus, is autem est in vsu positus: at tu aliis es præpositus. Habes enim χάρισμα, es minister, es Episcopus in Ecclesia Christi, habes dona alia virtutum: debes igitur dare operam vt iis donis constanter vtaris, quod est excitare donum.

[margin: Ab exemplo Timoth. hortatur ad constantiam in vocatione.]

Quod est in te per &c.

Minoris confirmatio hinc petitur. Vis argumenti est à ritu vocationis suæ, vel confirmationis. Vocatus haud dubiè fuit Timotheus ab Ecclesia Ephesina, cuius membrum tum erat Apostolus Paulus: confirmatus verò ritu publico & ceremoniis tum vsurpatis ab Apostolo. Nec verò refert solúsne Paulus illi manus imposuerit, an verò alij etiam. Illud autem hinc obseruare possumus, impositionem manuum fuisse symbolum doni interni, & gratiæ diuinitus collatæ. De quo quia id locus præsens postulare videtur, paucis explicamus

bimus sententiam nostram. Expendemus autem qualis eius fuerit vsus apud veteres, tum in Iudaico populo, tum etiam in nouo Testamento. Deinde, quomodo symbolum sit gratiæ & doni interni. Tertiò, quæ sit connexio inter dona, & symbola externa.

Vsus impositionis manuum multiplex fuit apud veteres: nam in consecratione filiorum Aaron ad ministerium, arieti qui in holocaustum offerendus erat, imponebant manus. Item ei qui pro consecratione vel impletione mactabatur, imponebant manus priùs, Exod. 29. Deinde, in benedictionibus solenne hoc fuit signum: ita Iacob moriturus filiis Ioseph imponit manus, Gen. 48. Tertiò, cùm Iosuë dux belli eligeretur, authoritas imperatoria illi collata est impositione manuum, Num. 27. His modis in vsu fuisse hoc symbolum video in veteri populo: quibus accedit noui Testamenti non dissimilis vsus. Nam ministerium Ecclesiæ, & docendi munus hoc symbolo confertur Timotheo, 1. Tim. 4. Et præsenti hoc loco: qui ritus à patribus diu seruatus est, & hodie in quibusdam etiam Ecclesiis reformatis seruatur. Quintò, sanationis signum erat, sic Matth. 9. & Marci 5. eius est vsus vbi primatis filia curatur, & principis synagogæ. Sextò, Spiritus sanctus eo conferebatur. sic Act. 8. Samaritani Petro & Ioanne manus imponentibus accipiunt Spiritum Sanctum. & Act. 6. Paulus Ephesi Baptizatis 12. discipulis in nomen Christi, imponit manus, ac Spiritus Sanctus in eos descendit, vt linguis nouis loquantur, &c. De impositione manuũ apud veteres, qui eius vsus.

Porrò, symbolum hoc externum, quomodo fuerit signum doni interni, facilè ex fine colligi potest. Nam in electione publica ad ministerium etiam fiebant preces, quibus Domino commendabatur electus, & pro gratia illi conferenda orabant: ac vt ipse officij sui, ac iustæ vocationis certior esset, totus ille ritus impositione manuum absoluebatur. Hinc impositioni manuum tribuitur quod ad totum ritum pertinet. Si in terra Dominus externo etiam signo aliquo electionem approbabat, fiebat id vt præsentium animi in proposito confirmarentur & agnoscerent Domini hoc esse opus, qui initia suæ Ecclesiæ etiam miraculis stabilire voluit. Et quanquam constet ex locis adductis signum hoc non fuisse inane Apostolorũ tempore, sed argumentum gratiæ Diuinæ minimè fallax: tamen fateri hoc etiam oportet, dona interna illis collata esse, non vi aut virtute symboli. Quid enim impositio manuum per se virtutis habebat, vt gratiam tantam conferret? vt linguis nouis loquantur homines? vt sanarentur immediatè etiam ægroti? nihil certè horum per se manuum impositio potest præstare. Impositio manuum symbolũ externũ gratiæ, & doni interni.

Hinc ad tertium etiam locum facilis est responsio, vbi quæritur, quæ sit inter donum & symbolum connexio. Nulla certè quæ necessaria dici possit, aut in consequentiam trahi. Apostolorum tempore aliqua inter hæc erat consecutio Domino sic volente & disponente. Nec enim vt Spiritu Dei præditi erant, facilè & cuiuis manus imponebant: sed de quorum virtute certa habebant argumenta, qualis Timotheus, qualis etiam Titus. Hinc minus fallebantur: verùm illorum facta in exemplum & consequentiam trahere, valde est absurdum. Placuit Domino tum fidelium electiones confirmare symbolo aliquo externo: & cum eo gratiam suam donáque cõferre interna. Sed quę stoliditas est inde colligere, ergo vi signi externi data sunt illis dona hæc, cùm Dei hoc munus sit. Aut ergo omnibus quibus manus imponuntur occulta virtute quadam gratia spiritualis confertur, cùm hoc ad tempus, & in certis hominibus tantùm locum habuerit. Optandum certè erat modis omnibus, vt his qui hodie ad munus docendi consecrantur impositione manuum, his inquam omnibus daretur etiam donum internum & gratia cælestis: minus certè laboraret Ecclesia Domini, & scandalis multis careret Euangelij doctrina, quæ magno certè dolore fideles per ministros concitari, videre debent. Quid enim Spiritui S. commune est cum ebrietate, scortatione, adulterio, auaritia, perfidia, omníque & morum & totius vitæ leuitate? Illa certè satis declarant, quæ dona & quis Spiritus illis sit in consecratione, & manuum impositione collatus. Fatendum ergo quod res est, libera Dei bonitate hæc collata esse olim: & conferri adhuc fidelibus hodie posse, non tam per externum hoc symbolum, quàm sine eo etiam. Connexio quæ sit inter dona & symbola externa.

7. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed potentiæ, & dilectionis, & sobrietatis, &c.*

Confirmatio Propositionis continens plura argumenta, quibus ad constantiam & ad diligentiam in officio excitatur. Ostendimus in exordio duo, in propositione etiam vnum est explicatum. Reliqua ordine indicabimus: quartum ordine hîc ponitur, à dono Dei & efficacia, quæ veram vocationem subsequi solet. Nam quantò ad maiora vocat Dominus, tantò etiam maiora addit subsidia, alioquin quæ hominis est imbecillitas, tantam curarum & laborũ, adde periculorũ molem ferre non potest. Veros igitur ministros induit Dominus virtute Spiritus, quo eos armat contra omnia pericula. Cæterùm ad institutum accommoda argumenta, *Deus suis ministris non dedit spiritum timiditatis*, ergo metu periculorum non debent à constantia exequendi muneris sui deficere, non debent languidi esse. Est enim Confirmatio propositionis in qua de dono Dei & efficacia quæ verã vocationẽ sequitur.

Spiritus δειλίας certum argumentum vacillãtis fidei, interdum etiam irati Dei testimonium. Suo populo spiritum timoris & formidinis iniecit sæpe contra hostes pugnaturis, vt suos puniret, quibus ob certa delicta irascebatur: & hostibus sui populi, suos liberaturus contrà iniecit etiam frequenter spiritum formidinis, vt nullo persequente fugerent, trepidarent panico quodam terrore: argumenta sunt irati Dei. Ita in Ecclesia Christi, pauor & animi consternatio non debet locum habere contra pericula, contra peccata redarguenda. Dedit autem spiritum potentiæ, ergo decet ministrum in officio suo exequendo, animo esse constantem, fortem, & infractum contra omnia pericula. δύναμιν hîc intelligo, efficaciam & virtutem operosam. In Apostolis fuit Spiritus potentiæ, etiam facultas faciendi miracula, quæ δύναμις erat non hominis, sed spiritus sancti & Spiritus potentiæ, facultas resistendi Satanæ conatibus & tentationibus & periculis: erat etiam Spiritus potentiæ facultas interpretandi scripturas, conuincendi impostores, seductores, & quidquid Christo sese opponebat. Tale quiddam in veris ministris esse debet. Addit autem, *dilectionis & sobrietatis*, vt intelligamus moderatione quadam temperatum esse debere Spiritum fortitudinis, nam fraterna dilectione debet ardere, vt in fratrem non peccet temeritate quapiam. Item sobrietate, quam intelligo morũ & vitæ vniuersæ castimoniam. Est.n, in dictis & factis quædam sobrietas, vt spiritus σωφρονισμοῦ sit, temeritati, & furori oppositus. Nã vt in ciuilib. fit, nisi fortitudo regatur prudentia, temeritas & furor efficitur, vt in Aiace, Hercule, aliisque declarant historiæ: sic constantia Euangelica & muneris exequendi ardor, ni gubernetur fraterna dilectione, sobrietate, facilè erumpet in contumaciam, temeritatem, aliaque vitia, quæ à scopo ædificationis totum ministerium auertunt.

Moderatio necessaria ministro

8. *Non igitur rubore suffundaris propter testimonium Domini nostri: nec etiam propter me, vinctum eius.*

Pudorẽ & torporem qui ob pericula nascitur fugiẽdum monet.

Consequentia hæc est, Timotheum officij admonens, & cum propositione priùs posita consentit. Ostendit autem periculosam fuisse tum Euangelicam professionem, & verè tum erat Iudæis scandalum, Gentibus verò stultitia: natura verò homines ita comparati sumus, vt contemptum fugiamus, ea persequamur in quibus laus & dignitas reposita est. Inde fit vt pudeat nos eorum in quibus est ignominia, pigeat verò vbi est periculum. Has cogitationes euellere oportet, & confirmare animum veris sententiis. Deinde ostendit in negotio hoc ruborem quidem esse coram mundo, nihil autem per se periculi in causa esse, si res penitius expendatur. Tertiò, rem Domini nostri agi, cuius nos testes esse decet. Veritas per se meretur testimonium, & testes nisi bona fide testentur, conscientiæ suæ non satisfaciunt: si quid interea veritas iniuriarum patitur, id in testes redundat, quod aut metu deterriti, aut in gratiam personæ non vt par fuit testimonium exhibuere. Obligari igitur sese meminerint pro veritate testes. Quartò, præmium verorum Dei testium etiam hîc ambigua voce significatur. Μαρτύριον enim illi quidem exhibere debent Christo Domino suo, sed interea incidunt in martyrium, coronantur in martyrio: nam vox vtrunque significat, testimonium, & κατάκρισιν condemnationem. Quintò, suam causam cum Euangelij causa coniungit. Ostendere autem vult causam honestam esse pro qua reus iam peragatur. Tenetur quidem vinculis Romæ, at in causa est confessio Christi, spes resurrectionis & vitę æternæ. Argumentum inde tale est, Amici veteres non sunt in periculo deserendi, præsertim in causa honesta & bona: talis est mea: itaque ne te mei pudeat.

Paulus vinctus pro Euãgelio.

8. *Sed vnà in malis perdura cum Euangelio, secundum potentiam Dei.*

9. *Seruantis nos, & vocantis vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna.*

10. *Manifestata verò nunc per reuelationem seruatoris nostri Iesu Christi, abolentis quidem mortem, illuminantis verò vitam, & immortalitatem per Euangelium.*

11 *In quod positus ego præco, & Apostolus, & doctor Gentium.*

Quid facere non oporteat, superiori periodo ostendit: nunc quid faciendum sit docet. Initio ad tolerantiam malorum hortatur, quæ Christi nomine subeunda sunt. Deinde ostendit paratum auxilium ei esse à seruante & vocante nos Deo. Item locum prædestinationis ad eiusdem consolationem adhibet. Quo breuiter summam Euangelicæ doctrinæ complectitur.

Pericula nomine Euãgelij constanter & hilariter ferenda.

Α'λλὰ συγκακοπάθησον. Propositio Apostoli est, Pericula nomine Euangelij hilari animo sunt & constanter perferenda. Id vna voce apud Græcos eleganter expressit. Cogitemus igitur præceptum esse constantiæ, quod sine crimine non possumus præterire: quienim negauerit Christum coram mundo, negabit & ipse eum coram patre suo cælesti. Deinde obseruetur suauis illa consolatio in verbo συγκακοπαθεῖν, significat enim vnà affligi malis: non soli ergo ferimus, nec soli affligimur, Christus est qui vnà affligitur, Euangelium est quod nobiscum laborat, iusta causa est quæ nobiscum premitur. Itaque nobis

mala

mala hæc duplici nomine debent videri leuiora. Primùm quia ſoli non ſumus: multæ manus tandem iuuabunt hoc opus. Deinde quia ſpecioſa eſt cauſa, & fortiſſimus collaborator ille noſter: dura ergo & perdura, labor ille proderit olim.

Diſcrimẽ afflictionum

Tertiò, diſcrimen afflictionum probè obſeruetur, non enim afflictio quælibet nos ſtatim Deo commendabit: nec martyrium iuſtam facit cauſam, ſed cauſæ æquitas commendat martyres. Affliguntur malefici, latrones, fures, hæretici, & ſinguli fermè in ſua religione mala immori malunt, quàm ſuperſtitiones à maioribus traditas deſerere. Ita fideles affligi non debent: *ſed cum Euangelio*, inquit, *perdura*, hæc demum iuſta crucis ferendæ cauſa eſt. Nam Euangelium cùm ſit bonæ rei denunciatio, honeſtam cauſam eſſe declarat. Præterea propter nos homines in mundo reuelatum eſt, vt qui ei crediderit, habeat vitam æternam. Noſtri igitur gratia Euangelium ſuffert quidquid eſt perſecutionum: Rectè igitur ait, *Leid dich mit dem Euangelio, es muß ſich mit dir auch leiden.* Et ſanè conſultius eſt cum Euangelio malis affligi, quàm pòſt æternis pœnis cruciari cum impiis.

Secundum potentiam, &c.

Vnde fidelibus detur cõſtantia in afflictione.

Mens Apoſtoli eſt, In Euangelica confeſſione oportere eſſe conſtantem: ſed quæri poterat, vnde mihi hoc robur animi, vnde tanta conſtantia? Reſpondet, potentia Dei eſt, quæ ſi modò voluntatem promptam afferas ad hanc cauſam, vires addet, & robur infundet. Quòd verò Deus velit præſtò eſſe ſuis laborantibus, argumento eſt, quia alioquin hos ſeruat, tuetur, vel ſeruat nos ab interitu, à peccato, ab inſidiis Diaboli: faciet igitur hoc multò magis, ſi in cauſa ſua conſtantes ſimus. Deinde, *Vocauit nos vocatione ſancta*, hoc eſt, ſui agnitionem dedit, & ad Chriſtum conuertit, vel ad vitam æternam vocauit: non ergo nos deſeret, quos tanto bono dignos voluit eſſe, non faciet irritam vocationem noſtram. De voluntate igitur Dei debemus eſſe certi. Nam de potentia, ne mundus quidem impius dubitat: credentium verò hoc proprium eſt, ſeipſos etiam de voluntate eius confirmare. Porrò cùm appellet vocationem ſanctam, auguſtè voluit nos ſentire de ſalute noſtra, quaſi dicat, dedit nobis Deus tantum theſaurum, communicauit indicibilia bona, vitam æternam, quo nihil maius: non ergo dubitandum eſt de eius adiutrice voluntate.

Non ſecundum opera noſtra.

Præoccupatio, cauſam noſtræ vocationis non ab operibus noſtris, ſed à Dei pẽdere gratia.

Præoccupatio eſt, qua oſtendit, vnde vocationis noſtræ cauſa vera pendeat: vocauit nos Deus ad vitam æternam, ſed quid ſi noſtris operibus, integritate noſtra, inductus hoc fecerit? Reſpondet Apoſtolus, ac falſas cauſas remouet initio, vt veras ſubſtituere poſſit. Opera noſtra non ſunt cauſa vocationis. Nam ſi vocationem intelligas electionem πρὸ χρόνων αἰωνίων, certè eius cauſa non poſſunt eſſe opera noſtra: nulla enim tum adhuc erant. Docet autem cauſam priorem eſſe, aut tempore ſimul cum his, quarum cauſa eſſe debet. Sin de reuelatione & agnitione Chriſti intelligatur vocatio, hoc eſt, qua ſinguli ad Chriſtum conuertimur ſeria pœnitentia: iterum opera noſtra cauſa non ſunt, cùm extra Chriſtum mala ſint omnia, nec placere Deo poſſint.

Expreſſè autem dicit, *Non ſecundum opera noſtra*: nam ſi ſecundum opera noſtra vocaremur, vocatio hæc ad mortem & condemnationem fieret, cùm hoc mereamur, natura filij iræ: non igitur operibus noſtris nititur fluxo & mox ruituro fundamento, *ſed gratia Dei*. Veræ cauſæ ſalutis & vocationis noſtræ ſunt πρόθεσις, & χάρις. Propoſitum, arcanum Dei eſt conſilium de ſalute noſtra. Χάρις verò gratuita acceptatio, & reſtitutio noſtri ad vitam æternam per Chriſtum: quare operibus non relinquitur locus. Ἰδία autem dicitur πρόθεσις, quia myſterium eſt fidei non cognitum mundo, & ſolius Dei eſt, opus ſalutis noſtræ.

Quæ data eſt nobis.

Ordo ſalutis noſtræ.

Medium ſalutis noſtræ explicat: elegit nos Deus arcano ſuo conſilio ante mundi conſtitutionem, ſed per Chriſtum id impleri voluit. Obſerua ſalutis noſtræ ordinem. Vocati ſumus Dei arcano conſilio: quando? ante tempora æterna, hoc eſt, ante mundi conſtitutionem, antequam eſſemus: In quo? in Chriſto, qui mediator debuit & potuit eſſe inter Deum & hominem. Quomodo hic nobis innotuit? per aduentum Filij Dei, qui in mundum veniens Patris conſilium hoc aperuit, & credentibus communicauit.

10. *Abolentis quidem mortem.*

Opera Chriſti, & eius in nos beneficia.

Opera Chriſti & præcipua beneficia eius ſubiicit: ſunt autem abolitio mortis, *morte ſua aboleuit*, vel potius eneruauit mortem, imbellem reddidit, vires abſtulit: non enim ius ſuum priſtinum in nos habet ampliùs poſtquam Chriſtus mortuus eſt, & pro nobis ſatisfecit.

Alterum, *vitæ illuſtratio*, quam ſua reſurrectione plenè confirmauit.

Tertium, *immortalitas*, nam vita ſine immortalitate dari poterat, ſed vt plenum & perfectum eſſet eius in nos beneficium, vitam voluit eſſe immortalem, quæ eius beneficia per Euangelium proponuntur & mundo denunciantur. Hæc quidem verborum iſtorum ſententia eſt. Cæterùm tu ad mentem & ad inſtitutum Apoſtoli reſpice, & con-

Locus de prędestinatione ad consolationē faciens.

sidera cur hîc mentionem faciat tanti negotij, prædestinationis nimirum: nec enim locus fuit hîc, nec etiam institutum vt dissereret de prædestinatione: sed vt Timotheum in confessione Euangelica, & munere sibi collato redderet constantem: inter alia igitur argumenta tandem eò descendit, vt de voluntate Dei vellet eum confirmatum esse, præcipue verò à maiestate vocationis nostræ, vocauit nos adeò sancta vocatione, non ergo deseret nos: nam qui fieri posset vt nos desereret, quos tanta retro serie temporum iam priùs elegit? quibus tanta suæ gratiæ mysteria communicauit: certè fieri non potest vt nos deserat. Obserua locum prædestinationis ad consolationem hîc adhiberi, quo pacto etiam adhibetur ad Rom. 8. & Ephes. 1.

Discamus igitur & nos in afflictionibus eodem pacto consolari, & nos & eos qui pusillanimes videntur.

11. *In quod, &c.*

Confirmatur Timoth. in munere.

Ad confirmationem sui & Timothei hæc pertinent de vocationis suæ certitudine. *Positus sum*, ἐτέθην, quo & certitudinem vocationis & necessariam constantiam declarat: qui enim ponuntur in officium aliquod sine piaculo illud non possunt deserere, & est significantior vox positionis & vocationis absolutæ. Vocabulum etiam præconis elegans & suaue est, *ein heroldt Christi*. Κήρυξ de suo nihil debet afferre, sed principis sui tantùm mandata promulgare, & id fide publica, quæ si violetur, principem iniuriarum habet vindicem: bono sis ergo mecum animo ô Timothee, Christi negotium agimus, is rationem nostri habebit: si quid patimur ei curæ erit. Apostolatus, summa erat functio in Ecclesia docendi Euangelium vbique locorum, vt suprà ostensum est: quod nomen sibi arrogat etiam hîc ad consolationem, non enim minor erat reliquis Apostolis, ab eodem Christo vocatus, ad idem munus electus. Itaque æquo animo aduersa erunt ferenda. *Doctor gentium*, hoc nomine ab aliis differebat, nam singulariter ad Gentes fuit missus, vt reliqui ad Circuncisionem. Confirmabat hoc Timotheum cum Gentibus versantem: & Gentiles à Paulo ad Christum conuersos, si scirent Paulum ordinariam habere vocationem ad Gentes, de qua ipse nullo pacto dubitaret. Solus quidem Deus doctor est & magister: sed quæ est eius bonitas, nomina hæc libenter suis cōmunicat. Inde sancti etiam non dubitant ea sibi arrogare, vt & alia etiam his maiora, vt est gignere, & regenerare, &c.

12. ***Propter quam causam & hæc patior, sed non confundor: noui enim cui crediderim, & certus sum quòd potens sit depositum meum seruare in illam diem.***

Constantia Pauli in periculis ad cuius imitationem hortatur Timo.

A suo exemplo hortatur ad constantiam: valent sanè exempla plurimum in moribus, sed non minus in actionibus pietatis, vbi interdum vim legis habent: vt Paulus declinauit pericula, vbi sine iniuria pietatis potuit: igitur pericula sic ministro declinare licet. Ita hîc ad constantiam suo exemplo prouocat. Quidquid honestum sibi duxit Apostolus Paulus, in eodem etiam Timotheus debet gloriam quærere: sed in confessione Christi & Euangelij, constanter etiam perferre vincula honestum duxit Apostolus. Igitur in eadem confessione simili constantia gloriam debet quærere Timotheus.

Vinculorū Pauli causa.

Δι' ἣν αἰτίαν. Causam vinculorum suorum honestam esse docet: quæ qualis sit, ex Act. cap. 21. & 22. colligi facilè potest. Capitur enim ibi à Iudæis & defendit causam suam facilè, donec promissionis suæ ad Gentes meminisse incipit. Hæc verò tolerare non possunt amplius, eandem hîc habemus: quia doctor Gentium, quia Christum confitetur resurrexisse à mortuis, viuere in cælis, hæc sunt illa capitalia ob quæ mittendus ad Cęsarem, & ob quæ absolui à Nerone non potest: sed aduerte quanta sit causæ honestas, & quanta conscientiæ serenitas: ἀλλ' οὐκ ἐπαισχύνομαι, *non erubesco*, non confundor: solet enim facinorosos scelerum conscientia comitari, quæ ruborem, confusionem satellites habet, vt interdum ne contueri liberè quenquam audeant: nihil tale in sanctis est, vincula & carceres cum sceleratis tantùm habent communes, conscientiam liberam, vultum sine confusione: ratio est, quia causam habent iustissimam.

Fidei Pauli certitudo.

Οἶδα γὰρ. Certitudinem fidei allegat, quæ ipsum intrepidum facit: *scio cui crediderim*, quasi dicat, non opus est in hac causa longa probatione: non opinione feror: non gloriola aliqua agitor: non temeritate & pertinacia ducor: non illusionibus fallor: *ich vueiß vuem ich vertravuet hab, ich vueiß vuar inn ich mein glaubē gestelt hab.* Breuitas sermonis singularem habet energiam. Porrò scire dicimur ex causis, & principiis: in hoc negotio causa & principium est Deus, vocauit, & iussit me Euangelium docere, hoc mihi satis est causæ. Dicit autem οἶδα, Hebraico more, *iadaghti* certitudinem germanæ fidei asserens: cuius comes est, de Deo optima sibi polliceri. Confirmat igitur se ea confidētia erga Deum, & Timotheum ad eandem excitat. Παρακαταθήκη, depositum, intelligit salutem suam, vitam quam Deo vt fideli depositario commisit. Aut certitudinem accipiendi pręmium vitæ æternæ. Potest etiam depositum intelligi suum officium docendi Euangelium, quod Deus Paulo vt

lo vt depositum concredidit. Theophylactus etiam fideles intelligi posse dicit: malim tamen intelligere salutem animæ suæ: nam sequitur seruare in diem illam, quam de die iudicij extremi intelligo, q.d. seruabit innocentiam meam Deus & salutem animæ meæ certò custodiet, quam in die iudicij patefaciet & corpori restituto animam saluam restituet.

13. *Formam habeas sanorum sermonum, quos à me audisti, in fide & charitate quæ est in Christo Iesu.*

14. *Elegans depositum serua per Spiritum Sanctum, qui inhabitat in nobis.*

Duo præsenti loco docentur. Primò hortatur vt sanam doctrinam studiosè retineat, ac tueatur. Deinde vt dono sibi collato bene vtatur: sunt enim hæ partes ministri præcipuæ, diligentia in officio, & defensio puræ doctrinæ: nec etiam separari possunt aut debent, sana doctrina enim pars est depositi sui: & qui totum bene tuebitur depositum, hanc partem de sana doctrina non amittet. Propositio est. Puritas sanæ doctrinæ studiosè tibi retinenda est: ita, vt à me accepisti: quæ sententia hisce continetur Apostoli verbis, Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, id est, expressam delineationem habeto sanorum sermonum: variè tamen explicatur hic illa hypotyposis. Quidam de doctrina Pauli quam Timotheo proposuit, & toto negotio religionis, ad quam formam in docendo Timotheus perpetuò respicere debeat, vt ab doctrina & forma ne latum digitum discedat: quæ fermè est Theophylacti sententia. Alij ad doctrinam Timothei, quæ aliis quasi exemplar esse debeat, ad quam alij sese forment: quæ sententia longiùs à textu recedit. Nonnulli ad sermonis puritatem, hoc est, ne spurcus, impudicus, humanis affectibus permixtus sit sermo eius, sed vt ex sermone & colloquiis agnosci eius pietas possit. Alij ad imaginem virtutum quam ex Pauli doctrina conceperat: quæ etiam Chrysostomi videtur esse, cuius verba sunt, ἐκτυπωσάμενον εἰκόνα σοι τῆς ἀρετῆς, καὶ τῶν Θεῷ δοκούντων ἁπάντων, ὥσπερ τινὰ κανόνα καὶ ἀρχέτυπον ὑγιεινῶν λόγων εἰς τὴν σὴν ψυχὴν ἐγκεκολαφώς. Sunt etiam qui non solùm de substantia doctrinæ Paulinæ intelligant: sed etiam de figura ipsa orationis: quòd periculosum sit etiam à verbis recedere. Est apud oratores hypotyposis illustris rerum descriptio quoties historici aut poëtæ res ita describunt, vt quasi geri coràm videantur, quod genus descriptionis Aristoteles appellat alibi πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν: hæ descriptiones perfectæ videntur, vt non possit illis aliquid addi aut detrahi sine vitio. Sed est pictoribus etiam sua hypotyposis, hoc est, summaria rei futuræ repræsentatio, quæ etiam περιγραφὴ dicitur: & sunt voces primæ picturæ, quæ carbone fit, & imaginis genus per lineamenta necessaria describit: huic respondet politior pictura, quæ multos etiam colores, gestus, & animi affectiones exprimit: hæc ἀναγραφὴ appellatur, quasi iterata pictura, & διάρθρωσις, id est, lineamentorum iusta symmetria, quæ omnia qui probè assequebātur, ethici pictores Græcis dicebantur. Est etiam hypotyposis in mente hominis rei impressæ & conceptæ imago, idem fermè quod idea: illa constat certa notitia partium necessariarum. Paulo igitur in præsentia esse videtur ὑποτύπωσις sanæ doctrinæ, vera notitia, & veræ religionis forma, quam à Paulo audierat, hanc formam doctrinæ retinere debet tum docendo, tum explicando scripturam, &c.

Partes duæ ministri, diligentia in officio & sanæ doctrinæ defensio.

Quid sit hypotyposis.

Λόγος tam de doctrina ministri dicitur, qua populum instituit, quàm etiam de quotidianis colloquiis: placet tamen prior significatio: vt sit sermo hîc, doctrina pietatis de Christianismo. Sani dicuntur sermones à fine, quia sanitatem animi quærunt & efficiunt in credentibus: item puri, & humanis traditionibus minimè infecti, aliísve dogmatibus, vnde morbidum aliquid esset metuendum auditoribus. Hæc quidem in priori propositionis parte sunt. Altera eius pars ostendit, quæ illa puræ religionis sit forma. Quò pertinet illa particula, *Quos à me audiuisti*, quo declaratur Timotheum in negotio religionis ab Apostolo sufficienter fuisse instructum: & quanquam habuerit illustria dona Timotheus, tamen ei opus fuit præceptoris viua voce, in discendo & intelligendo pietatis negotio.

Sermones sani qui dicantur.

Deinde obseruetur ad quod genus doctrinæ discipulum liget, non ad Mosaicam, minus ad Patrum traditiones veteres, omnium minimè ad humanas etiam in speciem probabiles: sed ad hoc doctrinæ genus ligat eum, quod ab ipso didicerat: quidquid igitur afferri poterat dissidens à Paulina doctrina, hoc totum illi prohibitum est, & si Angelus de cœlo aliud docuerit, anathema esto. Meminerimus ergo quid in Ecclesia Christi locum habere debeat, & quid successores Apostolorum docere debeant: graui sanè peccato sese obstringunt qui doctrina Pauli recedunt.

Cui doctrinæ astringatur Tim.

Tertiò sequitur *in fide & dilectione*. Ambigua est sententia: nam ad diuersa potest referri: ad verbum ἤκουσας, tum sententia erit, bona fide & singulari tui amore totum negotium pietatis tibi exposui: vel ad verbum ἔχε, tum sententia est, formam sanæ doctrinæ exhibe in fide, & eandem exhibe in dilectione: his enim duobus probatur docētis doctrina. *daß eß die liebe vnd glouben abgeng*. Et sanè nō malè ad Euangelij summam hæc referuntur: docet enim

fidem in Deum,& dilectionem erga proximum, quò referenda est omnis doctrina pietatis.

Depositum Timothei quodnam.

14. Τὴν καλὴν παραθήκην. Alter locus est, de dono tibi collato seruando. Depositum vt in superiori sententia translatum est: significat autem docendi munus quod Timotheo erat impositum, nec illud solùm, sed reliqua dona omnia & virtutes quibus pollebat. Admonet autem metaphora hæc, dona illa nō esse propria, sed alterius cuiusdam, qui hæc apud ipsum ad tempus deposuerit olim repetenda. Deinde pro his esse reddendam rationem: studiosè igitur curandum est, ne res depositas aut amittat incuria & negligentia, aut deteriores reddat quàm acceperit, quod abusu maximè fit. his enim fermè modis peccatur in res depositas, admittendo, adulterando. Deus hæc dona apud te deposuit: cura igitur vt studiose recolas: reddenda tibi aliquando sunt, da ergo operam vt cum vsura & hilari fronte integra Domino suo possis reddere: sed & καλὴ est, h.e. res preciosa, augusta, elegantissima, ergo effice vt cautus sis, in colendo vigilans, ne temeritate tantum thesaurum deperdas. Sed dices, quî potero homo fragilis tantum munus seruare? Respondet, *habes spiritum sanctum adiutorem,* ne quæras quàm sis fragilis: sed considera quanta efficiat Deus in infirmitate per Spiritum S. adfer modò animum promptum, habebis adiutorem Spiritum sanctum valentissimum. Ratio est, *nam habitat in nobis,* h.e. præsens est nobis, & auxilio suo adest, modò ne reluctemus, ne respuamus. Magna consolatione animum Timothei erigit: nam verbum inhabitādi certam præsentiam & firmam denotat: quasi domicilio quodam moratur in nobis, nō patitur ergo domicilium suum succumbere. Cogitemus etiam quanta sit fideliū dignitas, imò maiestas, qui tanti boni sunt habitacula: & curemus ne negligentia, petulantia nostra, aliisq; modis Spiritui S. polluamus suum habitaculum, vnde consequatur, vt discedens à nobis, efficiamur alterius spiritus habitaculum, qui leuitate morum, impuritate vitæ, profanis sermonibus, corruptáque doctrina gaudet. Obserua etiam vt Dominus sua apud nos deponit dona per Spiritum S. ita per eundem conseruanda & aliquando reddenda sunt.

Spiritus habitans in fidelibus eos adiuuat.

15. *Scias illud, quòd auersati sint me omnes qui sunt in Asia: ex quibus est Phygellus & Hermogenes.*

16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refocillauit, & catenam meam non erubuit.*

17. *Sed cùm esset Romæ diligentiùs quæsiuit me, & reperit.*

18. *Det illi Dominus vt inueniat misericordiam à Domino in illa die: & quanta mihi subministrarit in Epheso, melius tu nosti.*

Exempla deficientiū à fide in Asianis, perdurantiū verò in Onesiphoro.

In parabola seminantis apud Matth. 13 narratur quòd semen etiam quoddam cadat in loca petrosa, vbi terrę parum habet, itaque ad solis ęstum facilè arescit: aliud in terram bonam vbi durat, & fructum fert centuplum. Huius diuersitatis hîc ab Apostolo proponuntur exempla. Nam quod in petras cadit, Dominus interpretatur de temporaneis, qui oriente afflictione & persecutione propter veritatem, statim offensi deficiunt. Id hîc de Asianis narratur, præcipuè verò de Phygello & Hermogene. Quod verò in bonam terram, de his qui veritatem agnoscunt & in agnita fructuosè persistunt. Talis hic est Onesiphorus cum sua familia.

Quæ igitur hîc traduntur, illa sunt. Initio narrat se esse ab Asianis desertum, & maximè ab iis qui fuerunt primarij. Deinde vnum in tantis periculis amicum permansisse constantem Onesiphorum, cuius fidem in se commendat, & pia comprecatione gratitudinis ergô persequitur. De sui desertoribus inquit, *Nouisti hoc,* ad aliud festinat oratio. Itaque vtrem notam breuiter perstringit mala exempla: sed quomodo sciebat Timotheus quid cum Paulo ageretur, aut qui ipsum desererent? Scire poterat hoc vel amicorum literis vel publico rumore, aut certè re ipsa, quòd in Epheso etiam essent qui repudiarent iam Pauli doctrinam ob metum Cæsaris, aut quòd aliud sob pietatis prætextu quæsiuerint. Magnam certè hanc apostasiam fuisse oportet, vt quæ ne Timotheum potuerit latere tanto interuallo dissitum. Deinde magnam etiam hoc arguit, quòd ait πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ. Aliquos certè deficere non erat mirum, non enim omnium est fidei donum: sed omnes, πάντες, hoc demum luctuosum erat, & scandalo plenum. Præterea Asiaticos deficere, quos intimos & fidelissimos fidei consortes hactenus Apostolus iudicauerat. Demum tantos heroas corruere, qualis fuit Phygellus & Hermogenes, quem tandem illud non commoueret? magna igitur fuit scandali plena apostasia.

Qui sint Asiani, quos à fide defecisse dicit.

Porrò qui illi sint quos in genere perstringit, non satis constat. Alij eos intelligunt, qui ex Asia cum Paulo tanquam veri amici Romam venerant, comites fuerant itineris ex Iudæa captiuo Apostolo, ipsi liberi. Quod hi Romæ demum deseruerint ipsum cùm viderent causam Pauli in peius vergere. Alij non tantùm de illis, sed aliis quos Romæ initio amicos habuerit: hi demum abiecta eius amicitia aufugerint ab Apostolo in Asiam, ne iisdem implicarentur periculis. Verùm cùm dicat, πάντες οἱ ἐν τῇ ἀσίᾳ, videtur sanè meo iudicio,

iudicio, non tam de suis loqui comitibus & amicis præsentibus quàm absentibus etiam, qui in Asia manserant, tum priuatis hominibus, tum integris familiis, tum etiam Ecclesiis, quò me compellit quod dixit οἶδας τοῦτο, quasi notoriam & omnibus manifestam defectionem declaraturus.

Porrò exemplum aliorum proponit Timoth. vt eum confirmet contra similes casus. Argumentum tale hic sumatur. Magni nominis viri cadunt, & à multis deseritur Euangelij negotium: ergo tibi vigilandum est, ne idem patiaris: animus obfirmãdus est, ne exemplo tantę defectionis constantiam in veritatis professione deseras: nihil satis tutum est in rebus humanis: nihil faciliùs quàm labi hominem, præsertim in oratione languidum.

Est verò operæpretium intueri causas defectionis: etenim non eodem pacto Petrus defecit à Domino, quo Iudas: nec discipuli fugerunt à Christo, sicut hi à Paulo recesserunt. Apostatæ igitur cùm recedunt, fit id vel debilitate quadam carnis; vel quia aliud quæsierunt sub Euangelio quàm postea vsu deprehenderint: vel animi quadam malitia. Qui debilitate quadam labuntur in defectionem, illi plerunque ad frugem reuertuntur, talis Petrus est, & discipulorum recessio: cadit enim etiam iustus, sed resurgit: tales describuntur debiles tempore martyrum sub Decio principe ab Euseb. lib. 6. cap. 5. & à Niceph. lib. 5. cap. 29. Alexandrini quidam, qui in persecutionibus redibant ad Gentilismum, postea tamen cessante persecutione ad frugem redibant. Inter alios insignis fuit Serapion, qui seriò petiit, recipi iterum in Ecclesiæ numerum, non impetrauit autem, donec Dominus ostenderet se hunc è vita nolle emigrare, nisi priùs etiam ab Ecclesia post lapsum esset receptus, cuius historiam refert Eusebius ex epistola quadam Dionysij Alexandrini. *Variæ defectionis species, & eius causæ.*

Qui verò aliud quærunt, & facilè deserunt veritatis negotium: ita non facilè ad idem reuertuntur, sed sic defectioni immoriuntur. Sic Iudas opes quærebat apud Christum, defecit ergo, nec ad eundem conuersus est. Turba ventris satietatem quærebat: inde hunc regem cuperet, sed vide quàm facilè deserant: sublatis lapidibus lapidare volunt, & quem tanto applausu exceperant die palmarum, mox conuersis studiis clamant Crucifige, crucifige. Verùm inter hos multos fuisse, qui non simpliciter aliud quæsierint: sed exemplo ducti aliorum, & cæcitate quadam mentis, quæ sanabilis adhuc erat, credibile est. Vnde ex his haud dubiè seriò aliqui conuersi sunt. Phygellus & Hermogenes pacem videntur quæsiuisse & gloriam in Euangelio, quæ cùm non reperiunt, ad mundum deficiunt. Alij gratiam quęrunt principum: talis Ecebolius fuit, cuius insigne describitur exemplum apud Euseb. lib. 9. cap. 38. & apud Niceph. lib. 10. cap. 23. erat is in gratiam Constantini Christianus. Postea sub Iuliano apostata ipse quoque iterum Gentilis & desertor fidei. Demum sub Iouiniano, qui Christianus erat Princeps, iterum desertis idolis & paganismo ad Christianos sese contulit: ita vt prostratus ante templum diceret prætereuntibus, Conculcate me salem insipidum. Hoc genus hominum vt est vaferrimum, ita quoque nocentissimum.

Nos ex his discemus, quæ fortuna sit Euangelij: dum florent res multos habent asseclas, at cùm ingruunt procellæ afflictionum, vtplurimum omnes sibi cauent, nolunt vnà periclitari, vt rectissimè dici possit illud poetæ, *Euãgelij fortuna.*

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Deinde discamus agnoscere imbecillitatem nostram: deseritur causa Christi non tantùm ab infimis, sed summæ authoritatis hominibus, à totis interdum Ecclesiis, imò nationibus: id nos prouidos & vigilantes reddat, ne nos in similes casus demergat nostra socordia & ignauia. Tertiò, quæ sit natura veræ professionis Euangelicæ: non tantùm Christum oretenus confiteri & eum sequi dum nos cibat, nos ditat, & honoribus ornat: multò maius quiddam à nobis postulat, in periculo etiam non vult deseri, suos etiam in vinculis, in morte constantes esse oportet, nulla periculorum magnitudine superari debent: hi demum Christiani sunt, vnde apud Luc. 14. cap. inter alia ait Christus, Nisi oderit etiam animam suam non est me dignus, &c. Quartò, obseruanda modestia Pauli: poterat scelus istorum apertiùs depingere, & crimen defectionis obiicere atrocibus verbis: sed vide quanta modestia vtatur, narrat simpliciter vt res est gesta, nihil impingit aliud, duos primarios etiam nudis nominibus tantùm manifestat: nihil tragicum hìc obseruare est. Quòd hos autem nominatim perstringit, variæ possunt esse causæ. Primùm noti erant omnibus, imprimis autem Timotheo, vtile erat eum horum defectionem nouisse. Deinde quòd fortasse ἀποστροφῆς fuerint primarij autores: adde quòd Apostolus fortasse hos omnium minimè defecturos credidisset, tanquam insignes doctrina, & in speciē in fide robustos: sed quid? iam demum detegitur hypocrisis, dolenter ergo horum nomina commemorat. Quintò, discatur etiam hìc astus Satanæ: Paulus enim non solùm fuit inter Apostolos summus, sed donis plurimis præditus, ita vt & Satanæ resistiterit multis modis: sed tantum Apostolum fallit e- *Imbecillitas humana.* *Natura veræ professionis Euangelicæ.* *Satanæ astus.*

tiam,& superior est Satan astu, vt contra labores, contra orationes Pauli omnia videantur cadere: integræ Ecclesiæ corrumpuntur, priuati deficiunt, intimi amici alienantur ab eo: certè videri poterant non solùm labores eius irriti, sed orationes ad Dominum pro Ecclesiis, pro fidelibus inutiles. Vigilantes ergo sint etiam docti & fideles ministri.

Vltimò, consoletur locus ille ministros, si videantur deseri: idem accidit Apostolo, non tamen sat causæ est cur illi aut deficiant, aut segniores sint in officio. Exemplo est Paulus. Atque hæc in priori loco de apostatis consideranda nobis videbantur. Sequitur locus alter, in quo Onesiphori commendatur constantia & pietas in Apostolum Paulum.

Exhortatio ad constantiam ab Onesiphori fidei exẽplo.

Δῴη ὁ ἔλεος. Continent hæc verba sextum argumentum, quo ad constantiam eum hortatur. Sumitur id à contrario exemplo: nam præcedens argumentum exemplum habuit apostatarum, quæ imitari non debuit: cautior autem & vigilantior inde reddi potuit, præsens habet viri præstantis exemplum imitabile. Onesiphorus constans mansit non solùm in professione Christiana, sed etiam in Pauli amicitia: debet igitur idem facere Timotheus. Porrò argumenti huius tractationem orditur à pia comprecatione, qua tum ipsi, tum familiæ eius vniuersæ misericordiam Domini precatur, hoc est, qua non solùm consequatur peccatorum remissionem, sed etiam dona alia Spiritus & beneficia obtineat: est enim misericordiæ quidquid boni habemus. Atque ea sententia propositionis loco est. Inde sequitur propositionis quædam confirmatio, rationes continens: *Quia sæpenumerò me refocillauit*, quod ad consolationes Spiritus referri potest: nam docentes recreantur Spiritu mirificè, si videant discipulos tam industrios adeò bene proficere. Deinde intelligi etiam potest de vitæ necessariis, hospitio, viatico, &c. quibus singulariter iuuerit Apostolum Paulum: & sanè vox translata ἀνέψυξε commodè ad vtrumque potest referri.

Altera ratio est, *Et catenam meam non erubuit*, ἅλυσιν de præsenti captiuitate in genere intelligo, tenebatur enim in vinculis à Nerone: rubor locum habet, vbi delicti est conscientia, vbi ignominia, infamia locum habet. Onesiphorus non erubuit cùm Paulum in vinculis reperit: igitur non est interpretatus ad ignominiam causæ, ac delicti alicuius conscientiam eam conditionem pertinere: nec satis adhuc esse causæ cur ipse etiam cum reliquis Apostolum Paulum desereret.

Sequitur huius rationis declaratio à loci & temporis circunstantia, qua studium eius & singularis amor Onesiphori erga Paulum depingitur.

Sed cùm essem Romæ, studiosius quæsiuit me, & inuenit.

Amicitia Onesiphori erga Paulum eiusdemque beneficia.

Argumentum est non fictæ amicitiæ in periculo amicum quærere, & cum sui periculo constanter quærere donec inuenias. Apparet autem hunc non comitem fuisse Paulo Romam, sed postea superuenisse: poterat igitur abstinere à Pauli congressibus, vt fecere reliqui, at non potest hoc ferre pietas. Duo autem in eo commendantur, studium quærendi diligens, & perseuerãtia in proposito. Inde subiicitur repetita propositio, qua misericordiam à Domino illi comprecatur: facit autem repetitio hæc ad gratitudinem declarandam. Deinde amorem mutuum exprimit, magno desiderio quæsierat eum Onesiphorus: non minori affectu Paulus cupit esse gratus: & cùm re non possit, verbo tamen est gratissimus, ac pro temporalibus bonis spiritualia & æterna reponit, *det illi Dominus apud Dominum*, ad affectus magnitudinem trahi potest repetitio, nihil tamen absurdi habet si prius ad Patrem, posterius ad Filium referamus: nam Christus iudex veniet, & in die illa ex ore eius audient iusti beatam illam vocem, Venite electi mei, &c. & reprobi ab eodem condemnationis sententiam accipient. Vltimo loco multorum beneficiorum congerie locũ concludit: *& quanta in Epheso subministrarit, melius tu nouisti.* Primùm antiquorum beneficiorum commemoratio laudabilis est: pertinet enim ad grati animi notas. Deinde generalis illa complexio vim quandam habet, & aculeum in animo Timothei relinquebat, longè etenim istis lectis excurrebat animus in diuersorum beneficiorum memoriam, multa exhibuit Apostolo Paulo, aliis sanctis alia quæ commemorare Paulo difficile fuisset. Tertiò, loci notatio certitudinem habet, & fidem rei facit. Quartò, quòd ipsum etiam in testem producit πάθος habet etiam. Etenim non solùm illa sciebat, sed particeps etiam Onesiphori beneficiorum haud dubiè extiterat cum Paulo & aliis sanctis.

Ex illo tam illustri constantiæ exemplo discamus, primùm pios non ita deseri, quin aliquos vel paucos habeant constantes consolantes eos. Habet Paulus in extremo periculo certè paucos, at vnum Onesiphorum, nõ minus quàm Orestes suum Piladem. Deinde vnius boni viri exemplum plus apud nos ponderis habere debet quàm multorum etiam magnorum exempla deserentium causam fidei in periculo: nam multis apostatis vnum opponit Onesiphorum. Tertiò nomina ipsa interdum fausta esse in piis: frugi enim hominem, & lu-

Nomina interdũ fausta in piis.

criferum sonat Onesiphori nomen. Phygellus verò cum fuga quiddam affine habet: Hermogenes verò à Mercurio fraudulento, & versatili dictus est. Conueniunt, igitur, rebus nomina

mina sæpe suis. Quartò, grati discamus esse exemplo Pauli, si non re, certè verbo id præstari debet. Quintò, beneficia piis exhibita non perire, sed misericordia diuina compensari: interdum etiam laudem habere & æternæ memoriæ hîc consecrari in hoc mundo. Sextò, Præstantissimum esse genus beneficij, quod sine spe remunerationis in egentes confertur, &c.

CAPVT II.

FVERVNT hactenus fermè omnia parænetica, diuersis enim argumentis ad tolerantiam Christianam est cohortatus. In eo argumenti genere adhuc progreditur etiam hoc capite, nisi quòd adduntur quædam didactica, vt est locus de sana doctrina posteris etiam transmittenda, de virtutibus quæ ministerium ornant, &c. Diuidemus igitur caput hoc in quatuor primarios locos, quorum primus est de cura sufficiendi idoneos ministros, quorum opera sana doctrina ad posteros etiam propagetur. Alter locus est de tolerantia sub afflictionibus, quem locum vt hactenus tractauit, tanquam epistolæ præcipuum scopum, ita in posterum etiam hanc in partem præcipuè incumbet. Capit. 2. argum. Partes.

Tertius est locus, de iis vitiis quę simplicitatem & sinceritatem doctrinę Christianę præcipuè euertunt, & quia illa ministro est tuenda summa cura, necessum est vt vitia illa diligenter vitet ipse, & aliis etiam fugienda edoceat. Quartò, ad virtutes eas hortatur quæ ministerium præcipuè commendant: & in ministro siquidem cum fructu docere velit, omnino sunt necessariæ.

Vers. 1. *Tu igitur, fili mi, corroborare in gratia quæ est in Iesu Christo.*

2. *Et quæ audiuisti à me per multos testes, illa trade fidelibus hominibus, qui quidem idonei erunt & alios docere.*

Locus hic primus est, de propaganda vera doctrina per idoneos successores. Porrò duo hîc tradit: primò generaliter ipsum Timoth. officij admonet: deinde specialiter ostendit, quibus committendum sit munus docendi. Ad prius membrum ista pertinent, *Tu igitur, fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu,* hoc est da operam vt in fauore & gratia Dei proficias, sic enim poteris & officio tuo satisfacere, & in afflictionibus perdurare. Expende autem quomodo hæc superioribus cohæreant, nam sermonis quædam est consequentia expressa: quod non obscurè declarat particula οὖν, quæ, cur Timotheus in gratia Dei proficere debeat, causam à superioribus pendere significat. Ratio igitur est, ne exemplo apostatarum commouearis, imò potius laudati Onesiphori sequere vestigia, quasi dicat, facilis est lapsus, præsertim cùm tot tantique viri labantur in defectionem, quare tibi curandum est vt cautus sis, rogandus Dominus vt te confirmet sua gratia, robur largiatur, & spiritum fortitudinis, quo metum periculorum superes, quò facit etiam amica illa compellatio: *Fili mi,* nam te, vt pater filium amicè, imò paternè moneo: possum etiam rerum vsu edoctus hæc meliùs prævidere, & de pondere imminentium periculorum meliùs iudicare. Officij admonetur Timoth.

Tu igitur vt filius morigerus bene monenti præceptori parere debes, & sanè id de te spero, filius enim es regenerationis iure.

Ἐνδυναμοῦ, *fortis esto,* vel corroborare, potest referri ad tolerantiam sub cruce, quo pacto superioribus iam cohærere illa diximus: non tamen malè ad profectum pietatis accommodari potest, q. d. da operam vt proficias in gratia tibi collata: id quod fiet sedulitate in officio exequendo precibus ardentibus ad Dominum. Domini certè est confirmare nos, qui dat & velle & perficere: consolationem tamen hæc loquendi forma habet, qua Dominus nobis idem etiam tribuit. Dicimur nos cõfirmare cùm huiusmodi exhortationibus locum damus, cùm accommodamus nos Dei voluntati, dum fugimus illicita, dum sequimur honesta, dum studemus nos approbare bonis: & tamen hoc ipsum donum Dei est quod studemus, quod cupimus, quod applicamus nos. Ostendit tamen nobis scriptura, quòd Dominus in saluando nos, velit vti etiam opera nostra: sic enim illi placuit, & ita prodest Ecclesiæ militanti. Danda igitur opera vt excitemus nos: non solùm vt constanter perferamus afflictiones, sed etiam vt in donis collatis proficiamus. Confirmare nos quid sit.

Ἐν τῇ χάριτι. Est huius vocis duplex acceptio apud Apostolum: nam aliâs significat gratuitam acceptationem, qua donat etiam fidem, & Christo nos inserit, & vitam æternam gratis donat. h. e. sine opera nostra iustificat. Aliâs dona Dei gratuita, & Spiritus S. efficaciam in iam renatis & iustificatis, qua nos filios Dei declarare possumus. In posteriore significatione hîc libenter accipio: nam gratia illa iustificans præcedit, & postea largitur δυνάμεις, quibus officium exequi possumus. Gratiæ significatio.

In Christo Iesu.

Quis autor donorum spiritualiu.

Admonet nos vnde dona Spiritus nobis sint expectanda. Christus est qui solus largitur hanc gratiam: per Spiritum S. autem efficacem reddit in pectoribus suorum, vt vita & moribus id ipsum exprimant, quod ore docent. Deinde hæc bona tantùm esse fidelium, nam de illis mundus iudicare non potest, nec enim sentiunt impij quæ sit vis gratiæ, quantum robur Spiritus Sancti, quanta conscientiæ perseuerantia in verbo & consolationibus Dei. Hęc in priori membro sunt expendenda.

Et quæ audiuisti à me.

De propaganda vera doctrina per idoneos ministros.

Hoc loco magis ad specialem descendit propositionem. Sententia est, Danda tibi opera vt idonei ministri in Ecclesia subrogentur, quorum cura sana doctrina ad alios propagetur. Duo autem exprimit: primò, quæ doctrina successoribus sit tradenda per manus. Deinde quales oporteat esse eos, qui bonis ministris debent & volunt succedere. *Et quæ audiuisti à me*, inquit. Doctrinæ puritas diligenter retinenda est, vt à Paulo est tradita. Expende ad quod genus doctrinæ liget Timotheum, ad hoc ipsum debet suos successores ligare, & ad id hodie etiam, siquidem puram velimus manere doctrinam, ligandi sunt omnes ministri. *Quæ à me audiuisti*: tollitur eo lex Mosis, traditiones Patrum, interpretationes synagogæ. In summa hoc illi tenendum est quod à Paulo habet: magna hæc est maiestas doctrinæ Pauli, quòd illa sola vera sit & retinenda in Ecclesia apud posteros. Interea non derogat doctrinæ vel Euangelistarum, vel reliquorum Apostolorum: est enim in his idem Spiritus, qui Apostolis dedit os vt loquerentur magnalia Dei: ille idem Euangelistis dictauit historiam, quam de Christi natiuitate, vita, & moribus scriberent: idem reliquos Apostolos misit qui Paulum vocauit. Nec derogatur quidquam Prophetis, nam quem prædixerant venturum, hunc Paulus ostendit iam exhibitum, & tota contentio Pauli cum Iudæis erat, non de oraculis Prophetarum, sed de sensu & mente, de Christo iam præstito: idem de Mose dici potest. Quæstio erat an Christus esset Messias promissus per Mosem & Prophetas: deinde quomodo coli rectè Deus posset, quod illi non tam contra Iudæos, quàm etiam contra Gentes defendendum fuit.

De Messia igitur & vniuerso religionis negotio sequenda est doctrina Pauli: nam hæc sunt in quibus instructus est ab Apostolo Timotheus.

Permultos testes, &c.

Qui testes doctrinæ Pauli.

Qui sint hi testes quæri potest. Quidam de lege & Prophetis intelligunt, quasi Apostolus Paulus doctrinam suam ex Mose & Prophetis comprobarit, quod quidem verum est: fecit hoc etiam Dominus Christus, vt sæpe ad Mosem, sępe ad Prophetas confugiat, inde sua confirmet, aut illa oracula malè intellecta illustret, & Pharisęorum corruptelas corrigat. Verùm non video cur huc respexerit hîc Apostolus: nec etiam suspicari debemus, quòd singulari aliquo ritu testes adhibuerit in Timotheo instituendo. Testes igitur aliis placet hîc dici reliquos fideles omnes, qui Timotheo testes esse poterant suam doctrinam esse Pauli: sic enim omnes docuerat vt ipsum Timotheum, & is reliquos fallere non poterat afferendo aliquid de suo, quod nomine doctrinæ Paulinæ obtruderet Ecclesiæ: nam hîc non solus ab eo institutus erat, omnes Ecclesiæ scire poterant an Paulinam afferret doctrinam, an verò domi suę natam. Malim tamen eos hîc testium nomine intelligere, qui confirmationi suæ & electioni ad ministerium interfuere. Certum enim est Timotheum priùs quidem à Paulo fuisse instructum, non solùm publicè sed etiam priuatim. Demum eruditum & instructum in religionis negotio, ad ministerium vocauit, aut certè ab Ecclesia vocatum ipse confirmauit: illa confirmatio coram cœtu facta est, nec mutis tantùm ceremoniis, sed voce viua audiuit, ad quid vocaretur, quæ futuræ essent partes suæ, quid docendum, quid proferendum nomine Christi, quantum vigilandum pro Ecclesia, quanto ardore orandum, qua vitæ innocentia coram fidelibus ambulandum. Hæc est credibile illi proposita fuisse in cœtu: is igitur idem cœtus testis est officij & muneris impositi, & testis doctrinæ acceptæ, non solùm priuatim & publicè ante vocationem, sed etiam eiusdem illi commendatæ seriò & magna diligentia in electione & impositione manuum.

Facit hæc sententia ad principale institutum: danda est tibi opera vt dono tibi collato constanter & fortiter vtaris. Ratio est, à me tanquam summo Apostolo eam doctrinam, & eiusdem defensionem accepisti. Deinde multos huius rei testes habes: quæ enim multis testibus subimus defendenda, in his constantes & vigilantes esse decet: sed patrocinium veræ doctrinæ magna solennitate & multis testibus accepisti: debes igitur eam constanter tueri. Itaque eam doctrinam ad posteros debet propagare, quam ipse à Paulo didicerat, & cuius defensionem susceperat in electione sua coram toto cœtu.

Hæc commenda fidelibus.

Cura adhibenda

Quibus committi debeat vera doctrina, eiúsque propagatio iam ostendit. Magna certè munia non sine iudicio committi solent, exploratur industria, vita, mores, rerum

vsus,

visus, ad quas homines sunt adhibendi. Id adeò verum est, vt ne currum committas, nisi perito aurigæ, canes etiam ignauos nemo facilè gregibus adhibuerit, nihilo enim tutiores oues erunt contra lupos. Eandem curam adhibendam esse vult in deligendo doctrinæ ministro & defensore. Totam verò curam ad duo refert. Vt sint πιστοὶ & ἱκανοί. De his igitur breuiter agamus. Fideles intelligo fidos, vt fidelem dicimus seruum, qui negotium Domini sui bona fide tractat, sui nihil quærit, sedulus est in laboribus sibi deputatis. Sic 1. Cor. 2. Reliquum autem est, quod in œconomis desideratur, ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ, vt fidus aliquis reperiatur. Est igitur πιστότης, studium bene seruiendi, & existimatio bona, quam alij de nostris virtutibus habere possunt, quòd velimus ad gloriam Domini ecclesiæ suæ inseruire ad certam vtilitatem. Fideles erunt igitur dispensatores mysteriorum Dei, si simpliciter & studiosè negotium Domini agant. Simpliciter dico, ne aliud respiciat quàm par est, gloriam, diuitias, pacem, gratiam mundi nonnulli, alij aliud respiciunt. Is non finis est ad quem collimandum est: salus hominis, auditorum emendatio, vt Domino magis magísque omnes viuere discant & velint, eò simpliciter respici debet. Studiosè autem vt quidquid ad hunc finem conducere potest non negligat, quò pertinet si ardenter doceat, non frigidè non perfunctoriè, non aliud agés, par enim est, vt ita seriò sit affectus, vt docet. Deinde mores suos ad eam regulam conformet, vt appareat ex vita, incessu, habitu, quo zelo, quo ardore negotium Domini agat. Ita sanè puto aliquem fidelem & esse, & dici posse. in deligẽdis doctrinæ ministris. Sit fidelis minister.

Ἱκανὸς autem dicitur, qui certa subsidia habet, & præsidia, quibus instructus ad docendum alios potest laudabiliter accedere: sic πιστότης de voluntate & intentione certa dicitur: ἱκανότης verò, de mediis ad docendum necessariis. Quò pertinet facultas, δύναμις Spiritus sancti, vt est scientia & peritia verbi Dei. par. n. est vt priùs ipsi excellant in eo quod aliis tradere volunt, ne docendo ipsi discant. Deinde ratio certa tractandi, vt quod intelligimus possimus commodè proponere, quò pertinet methodus, quæ ad ædificationem audiẽtium proximè accedat. Item facundia tolerabilis, vt perspicua, pura, & elegans sit oratio. Demum authoritas apud populum, quò pertinet existimatio publica de nobis, qua sint persuasi nos & posse & velle bene docere: item gratia vt libenter audiant, talem iudicarim ἱκανόν, & Apostolus expresè ait, qui idonei sint ad docendum alios, quo pares oneri aliquo modo requirit, quales sunt qui præsidia interna & externa afferunt, alioquin nemo ἱκανὸς verè dici potest: maius enim est munus quàm æstimari possit, est tamen Dominus contentus si tolerabilem afferamus facultatem, & ardens studium talentum bene locandi. Discamus qua cura affici debeant ministri in continuanda vera doctrina, etenim cùm etiam optimi non perpetui sint, naturæ enim tandem cedendum est, danda opera vt bonos habeant successores. Debemus etiam hoc studium posteritati, pro qua alioquin plus æquo sumus soliciti, vt vitæ habeant externa præsidia, quantò magis laborandum est vt in pietate habeant bonos perpetua successione ministros? Præterea cùm regnum Christi dilatandum sit vera doctrina in totum orbem terrarum: certè malitiosi ciuis sit oportet, qui non curet quantum potest, vt regis sui nomen & gloria illustris maneat in mundo apud posteros. Et eò magis in hoc est incumbendum, quantò magis hostis in hoc ipsum incumbit, vt in arctum redigat & in angulum retrudat, imò si fieri possit prorsus è mundo, & animis hominum nomen Christi deleat, &c. Sit idoneus ad docendũ minister.

3. *Tu igitur perdura, vt bonus miles Iesu Christi.*

4. *Nemo militans implicatur vitæ occupationibus, &c.*

Locus hic secundus est in hoc capite, de ferendis afflictionibus, & cruce proter Euangelium. Immoratur autem diutius in hac sententia astruenda, quòd carni ea lucta perdifficilis sit, ac multis sanè liberet Christi doctrinam sequi, nisi comites illi impedirent. Deinde ne somniaremus nobis eam rerum tranquillitatem, in qua pacem perpetuam in his terris habitura sit Ecclesia fidelium. Denique quòd videret Satanam vbique iam excitari ad cædes, & ad martyria: par igitur fuit vt probè muniret non solùm Timotheum, sed posteritatem vniuersam, ne periculorum magnitudine paterentur se de loco pelli. De cruce ferenda pro Euãgelio.

Porrò tractatio elegans est, Initio proponitur loci propositio, ídque paucis verbis. Deinde subiunguntur argumenta ordine sex. In argumentis breuitas & translationis analogia laudabilis est. Propositio est, *Tu igitur* κακοπάθησον, hoc est, *perdura in afflictionibus*, suffer crucem propter Euangelium, vt postea de se ait, in quo perduro in malis vsque ad vincula, & superiùs συγκακοπάθησον cum Euangelio.

Obseruemus afflictiones commendari, non quidem per se & simpliciter, sed quæ nomine Euangelij incidunt, de his gloriatur Apostolus: nam aduersa aliis de causis obiecta non laudem, nec commendationem habent. vide ad Rom. 5.

Vt bonus miles Iesu Christi.

Primum argumentum ab officio, cuius vis ex relatione pendet, ducem Christum ha- Perdu-

randum in cruce probatur ab officio militis.

bes, tu igitur miles eius es, & quidem bonus esse miles debes, siquidem laudem ab eo velis reportare. Mox verò boni militis subiicit descriptionem. *Bonus miles est, qui vitæ negotiis non implicatur, sed omnia eò dirigit, vt imperatori suo placeat.* Vitæ negotia sunt πραγματείαις, occupationes quæ à militia poterant mentem auocare, vt cura rei domesticæ, vxoris, liberorum, agriculturæ, & mercaturæ labores, opificij alicuius tractatio, quæ quidem honestè poterat tractare, nisi miles esse mallet. At delectis in militum numerum hæc deserenda sunt, & cogitationes dirigendæ ad victoriam, ad militarem gloriam, ad nutum imperatoris, cui se iuramento militari obstrinxerunt. Hæc si obseruantur adeò rigidè in mundo, quantò magis in Christi militia sunt studiosè consideranda? Dux enim hic æternus est Dei Filius, non Cyrus, aut Alexander magnus, vel Cæsar, qui suos seruare non possunt interdum. Stipendium verò non est pecuniarum vt illic, sed vita æterna, gloria non leuis, sed immortalis. Par igitur est vt sis constans, perdures sub afflictionibus, non enim aliter ex hac militia licebit tibi honestè secedere.

Piorum & ministrorum conditio exposita periculis.

Admonet argumentum nos, vitam Christianam, maximè verò ministrorum conditionem periculis multis esse expositam: vbi enim militia est, ibi pericula, pugnas, vulnera videre non est mirum. Deinde qualis ea sit acies in qua stant, Christi nimirum, in qua contra Satanam, hæreses, affectus etiam proprios certandum est: militi sanè sperandum otium & pax non est, nisi priùs confecta ad plenum victoria. In hac acie cùm stes fortis, constans esto, decet vocationem, decet personam tuam.

Curis vitæ huius vacet minister.

Tertiò, ministro dandam operam, vt curis vitæ huius sit quàm-liberrimus: animus enim hominis non potest omnibus satisfacere: nec vires etiam corporis hoc ferunt. Impedimenta igitur vocationis nulla sunt maiora quàm solicitudo rerum externarum, verè his animus ἐμπλέκεται, implicatur, vt ad reliqua sit inhabilis, & dum vocatio impeditur, interea nec ex curis etiam illis externis sese potest explicare, adeò intricatæ sunt res mundi. Quartò, probè seruandum est, quòd non solùm exterior cura rerum externarum ministro hic prohibetur, sed etiam talis quæ aliis concessa & libera est honestate etiam integra. Nimia enim cura in quouis Christiano vitiosa est, nedum in ministro. Sed huc reducit nos argumentum: minister quia peculiariter se Christo duci consecrauit ad militiam, vitam suam, res externas, liberos, vxorem, in summa rerum omnium curam non tanti debet facere, quanti alius de grege Christianus: possum enim arator esse, mercator, sutoriam exercere, aliud opificium tractare si nolim esse miles. At si nomen dedero ad militiam, non possum illa honestè exercere: deserenda sunt cum tota domestica cura: minister igitur quæ alij honestè curare possunt, ille non nisi cum ignominia curabit. difficilis est illa statio, & à paucis ritè defensa.

2. Arg. à similitudine certantiū in stadio, & certantium in militia Christiana.

5. *Si verò & certet aliquis, &c.*

Alterum argumentum ab alia similitudine sumptum. Qui in certamine ludicro vult coronari, curandum est illi vt legitimè certet: quantò magis ergo in serio certamine religionis seruandum est. Eadem similitudine vtitur 1. Cor. 9. ad finem ferè. Fuerunt veteres exercitiorum corporis admodum studiosi, ita vt rebus etiam periculosissimis interdum sua tractarent: & spectarent ludicra. Xerxe Græciam inuadente incredibili terrore, Græci olympica certamina peregerunt ad stuporem etiam Tigranis, referente Herodoto in Vrania

Fuerunt autem agonismata præcipua quinq. ἅλμα, δρόμος, δίσκευμα, κοντὸς & πάλη, quæ versibus his complectitur Eustah. in θ. Iliad.

Ἅλμα ποδὸς, δίσκου τε βολὴ, καὶ ἄκοντος ἐρωὴ,
Καὶ δρόμος, ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Legitimè certare.

Quid verò sit νομίμως certare, ex eo perspici potest, quòd athletæ in certamen progressuri, inter alia iurabant nihil se fraude facturos. Item se decem integros menses in ludicram exercitationem propositi certaminis consumpsisse. De quibus plura vide apud Pausaniam in Eliacis. Si qui fraudem ludis fecissent, graui mulcta puniebantur. Refert Pausanias se vidisse in olympia zanes, hoc est, Iouis ænea multa simulachra, quæ de multatitia pecunia athletis irrogata conflata sint. In ea fraude Eupolus Thessalus deprehensus grauiter punitus est. Idem de Callipo Atheniensi narrat, qui quinquercij coronam pretio ab aduersariis auertit.

Porrò vt ad institutum reuertamur. Ostendit argumentum, illos tantùm coronari qui legitimè certant. Ex quo colligitur primùm eos hîc à præmio excludi, qui luctam negligenter ingrediuntur, quales sunt qui subsistunt in cursu, aut deficiunt, aut mutata sententia ad vmbram & otium redeunt. Deinde eos etiam qui fortiter certant, sed fraude vtuntur, & dolo malo, legibus certaminis non stant. Cæterùm memorabile est tãtis sudoribus, tot laboribus & ærumnis, adde verberibus & vulnerib. nõ alia fuisse præmia, quâm coronam ex oleastro, quod mirabatur etiam Tigranes. Addita erat quidẽ etiam proclamatio victoriæ, in qua nomẽ & patria victoris addebatur, interdum statuæ ab amicis erigebãtur: sed quid illa? Itaq.

cùm

cùm athletæ nô dubitent per tot sudores & ærumnas aspirare ad gloriam mox interituram, & palmam marcessibilem eadem die, quomodo non turpe fuerit athletam Christi tanto præmio proposito deficere in cursu?

6. *Agricolam laborantem,&c.*

Tertium argumentum,quo videtur occupatio occurrere. Quid? vnde ergo viuam? Respondet,Dominus ita constituit vt nemo frustretur laboribus suis,imò ne rusticus quidem, si laborat,habet vnde viuat:multò igitur magis coloni Christi,si seduli sint in officio,habebunt sua necessaria vitæ: non igitur est cur sis solicitus. Argumentum ab otio ad negotium nos reuocat: deinde ostendit oportere labores priores esse, siquidem honestè velimus de Ecclesiæ bonis viuere. Primas enim tribuit laboranti colono: quales sunt fideles ministri. Viuunt deinde hinc etiam alij,vt pauperes,ægroti,egentes,orphani,viduæ,&c. Omnes quidem isti etiam suo modulo laborant: tamen ministri laboribus si conferantur, nulli videntur esse hi labores. Itaque huic laboris commendationem per excellentiam tribuit: deinde perceptio καρπῶν intelligi potest de vita æterna, quæ vt communis corona laboribus est proposita. Argum. à similitudine coloni.

Hactenus quidem argumenta tria à similibus adduxit, in quibus summa breuitate vsus, tantùm ὅμοια attulit: ἀνταπόδοσιν,quæ altera eius argumentationis est pars,neglexit. Hanc igitur Timotheo relinquit expendendam: plus energiæ sic argumenta habent. Et confidentiam bonæ causæ arguit,cùm aliis dictorum examen offerre possumus, quasi dicat, expende tu ipse quid sit militem Christi esse,quid athletam Dei, quid agricolam agri Domini.Item reputa quod iuramentum quo Christo fidem dedisti, quæ corona victoriæ proposita,quis laborum tuorum possit esse fructus. Adde, cogita quem habeas Imperatorem, quem athletam, quem agri locatorem. Fieri non potest quin illa ad constantiam & eam quidem laudatissimam te excitent,atque id vt facias, summis etiam precibus ego à Domino contendo. Ἀνταπόδοσις similiũ.

Vers.8. *Memor esto,&c.*

Argumentationi interposita fuit ἐπιμβολὴ, ad quam ardore quodam spiritus, & vehementia cogitationum rerum tantarum raptus fuit. Nunc ad locum de constantia redit, ac aliis etiam argumentis ad eam cohortatur. Obserua autem aliud hîc argumentorum genus. Superiora omnia tria ex eodem fonte similium promanabant. Iam non ampliùs similia affert,sed demonstrationem quasi viuam proponit: ostendit enim non posse nobis malè cedere tolerantiam, etiamsi moriendum sit. Ratio est: *Christus post mortem resurrexit*, resurgent ergo etiam membra omnia. Sed dices, quid ego homuncio? is erat Dei filius. Respondet,*ex semine Dauid fuit*,hoc est verus homo.Itaque Christus non solùm vt Deus,sed etiam idem verus homo resurrexit. In priori est consolatio ab exemplo Domini nostri Iesu Christi resurgentis: in posteriori vera eius asseritur incarnatio. Debuit autem Messias ex semine Dauid nasci: verus igitur homo debuit fieri, quod Manichæi vt Marcion impugnarunt. Vult autem Apostolus exemplum Christi resurgentis semper nobis esse ob oculos, vt eo nos in afflictionibus & metu mortis consolemur. Deinde addit, *secundum Euangelium meum*: est enim Euangelicæ doctrinæ is non minimus articulus de resurrectione. Suum autem appellat Euangelium, non quòd à se scriptum seu alteri dictatum sit: sed quòd illud doceat,cui omnia postponit,quod ardenter prædicat. Meum participatione & commissione,quod tueor,quod profiteor,in quo laboro,ob quod omnia patior.Inde ad suas afflictiones sensim descendit. In quibus obserua,quod mundi sit iudicium de sanctis Dei, *habeor* inquit,*tanquam* κακοῦργος: attamen nullum crimen illi obiici poterat κακουργίας alicuius. In Actis seditionis & nouæ sectæ accusatur: Tertullus Iudæorum orator λοιμὸν appellat, & πρωτοστάτην sectæ Nazarenorum.Ex quo facilè patet,Euangelij doctrinam illi odium omne peperisse,nec vllum aliud illi facinus obiectum legimus. Hæc sors Pauli fuit,imò Christi, sanctorum omnium: ergo expectanda eadem fidelibus omnibus. *At sermo Dei non est vinctus*: allusio sumpta est ex mentione vinculorum: ligantur ministri vt tollatur doctrina illorum. Docet autem eos multum falli opinione sua. Verbum Dei non ligatur cum Paulo,multò minus cum eo è medio tollitur. Consolatorium illud est, verbum Dei liberum manere etiam in vinculis: conscientiam enim nemo illis ligare potest, imò os & linguam interdum liberam in vinculis,in ipsis suppliciis habuere. Demonstratio loci de tolerantia. Cur Euangeliũ suum vocet Paulus. Verbum Dei non ligatur.

10. *Propterea omnia,&c.*

Quintum argumentum, in quo suum exemplum apertiùs proponit, quasi dicat, voco te quò ego festino: ergo intrepidè mea sectare vestigia. Ostendit autem quis finis sit suarum afflictionum, & quò Timotheus etiam respicere debeat. Duplex autem positus est: prior electorum salus: posterior gloria Dei. Prior ita intelligi debet. Paulus exemplo suo electos confirmabat in proposito suo: non enim satis erat docere veritatem, sed exem- Finis afflictionũ Pauli.

plo confirmanda erat. Electi Dei dicuntur tum illi qui in Ecclesia tum erant, de quibus pietatis & fidei poterat esse aliqua coniectura: tum etiam illi qui ad Ecclesiam adhuc erant congregandi, tum suo, tum sequentibus seculis. Christus missus fuit ad perditas oues Israelis conquirendas: ministri eodem pacto cogitent id quod sunt, aliis impendi debere vt doctrina & exemplo alios confirment, alios ad Christum adducant, ac quàmplurimos lucrentur. Altera causa est, *gloria æterna*, hoc est, Dei gloria, ad quam referri debet passionum tolerantia, ad ędificationem proximi, & gloriam Dei omnis nostra vita spectare debet. Alij gloriam æternam intelligunt, æternæ vitæ mercedem, quam suis promisit Christus. Vtrunque verò copulatur in Christo, nam & salus per Christum est parta, & ad gloriam Patris via ipse Christus est.

11. *Fidelis sermo, &c.*

Sextum argumentum, in quo sub finem huius loci congerie multorum vtitur argumentorum. Familiare illud est in argumenti alicuius conclusione antequam ab eo discedamus, subiicere aliquid ad πάθος aut emphasim relinquendam in animis auditorum. Id præsenti loco facit Apostolus: proponit autem præmia, & simul pœnas: præmia constantiæ: pœnas, apostasias. Nostra sit electio. Obserua autem collocationem: initio fidem argumentis sequentibus astruit, quod fit plerunque quoties augustum aliquid, & à sensibus communibus remotum est prolaturus, sic 1. Tim. 1. πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, &c. & ca. 3. eiusdem, πιστὸς ὁ λόγος εἴτις, eadem hic phrasis est, πιστὸς est ille ὁ λόγος, &c. ergo dignus cui fidem habeamus: ergo sine scelere ab eo non possumus recedere.

Collatio afflictionum & prçmiorum quç eas sequantur.

Sequuntur deinde antitheses aliquot, quarum duæ habent collationem afflictionum & præmiorum, quæ ad cõstantiæ laudem & remunerationem pertinent. Prior est, simul mori, simul viuere: prius illud carni durũ est, tamen ad posterius nõ aliunde patet aditus quàm per hoc ipsum. Vitam petis, ecce viam habes. Hebes autẽ sit oportet, qui breuis temporis calamitates non libenter commutet cum tanto præmio. Adde quòd in priori membro tacitè exemplum Christi latet: non tu solus es, qui quasi alter Atlas totam afflictionum molem humeris tuis feras, Christus est qui pondus malorum pertulit, is iam antè mortuus est, acerbitatem mortis mitigauit, mitiùs tu iam morieris, acerbior tibi fuisset mors ante Christi mortem. Adde, ipse tecum quasi moritur, commori solatium habet cum tanto rege, qui si velit mortem deponet, & suos commorientes poterit vitæ restituere. Posterior antithesis est, tolerare & simul regnare: mortis & vitæ illustris fuit collatio, non minor hæc est, nam præmium illustrius est, quàm sint mala quæ ob illud ferenda sunt. Est enim ὑπομονὴ non adeò difficilis, si ingenium placidum & moræ patiens consequatur: non autem dixit, si vnà sustinemus, vt priùs si vnà mortui sumus: hìc enim nostræ partes in solidum requiruntur, per patientiam, probanda est fides nostra. Perfer ergo & obdura. Tertia inde sequitur non antithesis ampliùs, sed sententia lege talionis nitens: pertinet autem ad pœnarum declarationem cum sequenti vltima. Ex eis argumentum à metu pœnarum sumitur, magnæ pœnæ sunt diligenter vitandæ: apostasias sunt certæ & magnæ pœnæ: est igitur ipsa etiam studiosè fugienda. Ratio est, *si negamus ipsum Christum*, quod facimus deficiendo ab eius confessione, quid mirari debemus si ipse etiam nos neget? faciet autem id certò certiùs vt testatur Matt. 10. Luc. 12. Quarta sententia ostendit periculum omne nostrum esse, si negemus: nihil verò hìc causæ Christi decedere. Nega si libet, facies tuo periculo. *Christus fidelis manet*, hoc est, tui similis non erit, suis præstabit quod promisit: ratæ & firmæ erunt promissiones vitæ æternæ, &c.

Pœnæ apostasias.

14. *Hæc admone, contestans coram Domino, ne verbis contendant, ad nullam vtilitatem, ad subuersionem auditorum.*

Quatuor vitia, verç pietatis sinceritatem euertentia.

Tertius locus sequitur in contextu: sunt autem in eo comprehensa certa quædam vitia, quæ simplicitatem ac sinceritatem Christianæ pietatis euertunt: quare diligenter iubet fugere. Vitia autem hæc sunt, λογομαχία, κενοφωνία, ἐπιθυμία νεωτερική, & ζήτησις μωρὰ καὶ ἀπαίδευτος: de his quatuor malis ac pestibus religionis ordine agit Apostolus, cuius vestigia studiosè sectantes expendemus singula vitia qualia sint, & qua de causa sint tantopere fugienda.

Studium rixandi de verbis.

Λογομαχεῖν, est de vocibus rixari, vel verbis contendere, aut sententiis tantùm pugnare, non re ipsa, inde λογομαχία, studium rixandi, & velitatio de verbis. Nascitur hoc vitium plerunque ex innata quadam animi superbia: nam qui aliis prçlucere volunt, dominari & prçesse aliis, hi facilè occasionem etiam arripiunt rixandi, disputandi argutè, tantùm vt videantur aliquid posse. In aliis amor est, natura insitus, argutiarum, qui facilè quidquid dicas, sophisticè carpunt: perniciosi sunt vtrique in Ecclesia Christi, nocentissimi autem in quibus concurrunt, amor sophisticus & dominandi studium.

Non tamen statim omnis de verbis instituta quæstio, λογομαχία dici debet. Nam in tanta

tanta rerum varietate & copia interdum vocum laboramus penuria, ita vt propria rerum vocabula non extent. Hinc translata, noua facta, & circunscriptiones locum obtinuerunt. In his vtilis, imò necessaria interdum est vocum explicatio & distinctio, ne ὁμωνυμίᾳ labamur in errorem. Quare quum de rebus non constat, sententiæ etiam conuenire non possunt, nec voces concedi possunt. Hinc patres in concilio Alexandrino, & alibi tantopere certarunt pro voce ὑποστάσεως, ac docuere non esse idem quod οὐσία, ne Sabellij & aliorum erroribus confunderentur personæ in Trinitate, in qua vna quidem est οὐσία, tres autem ὑποστάσεις. Sic τὸ ὁμούσιον defendit concilium Nicenum aduersus Arrianos. Interdum de rebus quidem constat: quæstio autem est de nomine vel imponendo, vel interpretando, aut phrasi ac modo loquendi, in quibus sanè interdum vtilis quidem est delectus vocum & phraseon: tamen indulgere ingenio valde perniciosum, in his standum est vsitatis, & non Latina Latinis interdum præferenda, vt Baptismum malo dicere quàm immersionem, Angelos, quàm Genios, nolim tamen contendere siquis istis vti malit cùm de re constet: sic fidem ἐνεργουμένην malim efficacem per dilectionem vertere, quàm operosam: si tamen de re mecum conueniat aduersarius, nolim illi molestus esse si operosam vertat, &c.

Interdum quæstio est de verbis, quibus ne res quidem subsunt, sed introducta veteri traditione sine certo iudicio, qualia à Philosophis conuelluntur fabulosa poetarum nomina, Hippocentauri, Tragelaphi: sic quæstio est de Purgatorio, vbi non solùm vocabulum in quæstionem trahitur: sed res etiam quæ per id significari debet, in dubium vocatur. Ex quo constat λογομαχίαν tum dici, cùm inutiliter de modo loquendi aut verbis certatur sine ædificatione. Atque id vitium hîc prohibetur. Porrò considera, quomodo Apostolus hoc vitium exosum reddat. Principio, inquit, *testificans coram Domino*, quæ magna obtestatione prohibentur à sanctis viris, ea oportet esse nocentia, ac meritò fugienda. Λογομαχία magna obtestatione prohibetur, meritò igitur suspecta nobis esse debet, ac ob id fugienda. Præterea talis quæ autoritate diuina prohibeatur, nam quod ait, *in conspectu Domini*, perinde est ac si Deum testem in rei atrocitatem producat. Tertiò, inutilia per se fugere debemus, λογομαχία est inutilis, de rebus enim constare poterat, certamen suscipitur de modo loquendi aut verbis ambitione quadam: est igitur fugienda. Quartò, non solùm inutile est vitium doctori, sed insuper pernitiosum etiam auditori, ne dicas suaue est audire sophistas de verbis velitantes, & argutiis ingenia sua exercentes. Non tutum est audire, etiam ipsis inutilis est alea, & auditoribus pernitiosa. Facit ad subuersionem auditorum: hærent enim prauæ opiniones facilè, & concipitur vel vna voce mali erroris seminarium, cauenda igitur est λογομαχία non solùm doctoribus, sed etiam auditoribus. Quintò, danda est opera vt approbemus nos bonis omnibus, imprimis autem Deo, qui liberalissimè rependit pro laboribus præmia: est enim boni ingenij bonis sese approbare. Logomachi sese Deo approbare non possunt: fugienda est igitur illa vt hoc præstare possimus. Sextò, ministro Christi curandum est, vt cosciential puritatem retineat, ne cùm Domino est reddenda ratio pudore suffundatur: vbi enim pudor est, delicti etiam est conscientia. Logomachi rubore & pudore illo, fieri non potest vt careant: fugienda est igitur vel propter conscientiæ tranquillitatem & puritatem. Septimò, cùm versetur minister Christi in præstantissima professione, par est vt eam rectè tractet. Professio autem eius est λόγος ἀληθείας, hoc est, Euangelij de Christo promisso, & iam exhibito secundum promissiones & scripturas prædicatio. Quo totus mundus nihil habet nec maius, nec pretiosius. In tanto negotio quum versetur minister, omnino necessum est ὀρθοτομεῖν, id est, rectè secare, quod est prudentis ministri & boni interpretis Scripturarum proprium. Id à Logomacho seruari est impossibile: omnibus igitur modis est illa fugienda, quò boni & prudentis Scripturarum interpretis nomen seruare possimus. Porrò verbum ὀρθοτομεῖν translatè significat rectè interpretari Scripturas. Ὀρθότης aliquando idem est quod ἰσότης. Est autem ea rectitudo vel æqualitas ad legislatoris mentem referenda, tum enim rectè explicatur quum interpretatur eam secundum mentem authoris. Deinde ad captum auditorum referatur: rectum enim est & æquale quum proponimus auditoribus quod capere possunt, quod intelligere & ferre eorum fides potest. Vt dispensator bonus non ta n tum cibi proponit infanti, quantum adultis, nec ægroto stomacho, qualem valido. Multis igitur vitiis opponitur verbum illud, quæ singula in logomachia facilè locum habent: nam qui plus minúsve secat, æqualitatem non seruat, & qui inæqualibus æqualia proponit, in eodem hæret vitio. Illud est scripturam negligenter tractare, in cortice, vt dicunt, hærere: minus illi faciunt, aut ad speculationes allegoricas omnia trahere, plus illi faciunt: aut eodem rigore apud omnes & cum omnibus pergere, sine respectu imbecillitatis quorundam in fide: ab inæqualibus æqualia illi exigunt. Magna igitur prudentia versandum est in Scripturarum expli-

Rationes cur fugienda logomachia.

Boni ministri munus rectè secare verbum Dei.

catione. Hactenus contra primum vitium actum eſt, à quo reuocat nos Apoſtolus, partim ab ipſius natura ductis argumentis: partim verò à boni miniſtri dotibus. Nam poſtrema tria non obſcurè habent dotes boni miniſtri, à quibus alieni ſunt logomachi. Tertium verò & quartum à natura ipſius mali ducuntur. Prima duo ſingularem Apoſtoli affectum & Dei authoritatem complectuntur.

Ver. 16. Τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας, &c,

Secundũ vitium vaniloquentia.

Secundum vitium in his ſequentibus verbis exploditur. Eſt autem κενοφωνία, inanitas vocum: κενολογία, garrulitas, vaniloquentia: κενὸν eſt quod à fine aberrat, finem non aſſequitur propoſitum. Idem Latini vanum & inane vocant. Inde κενοφωνία, inanis garrulitas, quæ ad ædificationem non facit, & inſuper ſimplicitatem Euangelicam euertit. Habet quidem ſcriptura ſacra ſuum etiam ornatum, ſed caſtum, pudicum & matronalem, qui ab eloquentiæ mundanæ ornatu longè diſcrepat. Meminerint igitur doctores Euangelij non quærendum applauſum theatralem in doctrina Chriſti, non grandiloquentiam, & ſeſquipedalia verba: ſimplex enim eſt veritatis oratio. Prohibetur igitur hic oſtentatio doctrinæ, & priuatæ gloriæ captatio. Propoſitio eſt, oſtentatio eloquentiæ & eruditionis ſedulò cauenda eſt miniſtro. Primùm quia fine propoſito fruſtratur, inde enim κενοφωνία appellata eſt. Sunt autem vana ſua natura fugienda. Deinde, quia idem eſt etiam βέβηλον, hoc eſt, prophanum, & pietati repugnans: miniſtri Chriſti non debent eſſe βέβηλοι: igitur βέβηλα tractare non debent: ſunt autem Chriſto initiati & conſecrati, in hac conſecratione ſtare debent. Tertiò, illa verborum & eloquentiæ oſtentatio habet etiam ſuum profectum: ſed ὅτι πλεῖον τῆς ἀσεβείας. Verùm ita proficere non debent miniſtri Chriſti, minus etiam auditoribus ſuis ad impietatis profectum eſſe authores. Magna igitur cura κενοφωνία eſt fugienda. Quartò, ſermo vaniloquentium paſtionem habet, vt Gangræna: eſt igitur cauendum ſtudioſè hoc malum. Gangræna medicis dicitur mortificatio partis alicuius ex magnitudine inflammationis, nec dum integrefacta, ſed dum in actu eſt & ad mortem tendit: nam vbi perfecta eſt mortificatio, iam σφάκελος, hoc eſt, ſideratio dicitur. Morbi illius tanta eſt vis, vt niſi velociter ſuccurratur, laborans membrum facilè moritur: nam vbi ſemel inflammatio magnitudine ſua cœperit occupare partem, νομὴν ἕξει, hoc eſt, paſtionem etiam habebit, longè enim latéque ſerpit, ſana omnia corrumpit, inflammat, mortificat: eandem hanc naturam, inflammandi, corrumpendi, ſerpendi, mortificandi habet κενοφωνία. Expende igitur quàm ſit pernitioſum & exitiale hoc malum. Quintò, exempla Hymenæi, & Phileti teſtantur quàm ſit pernitioſa illa peſtis. Hymenæi etiam ſuperiùs epiſt. 1. capite 1. meminit, vbi cum Alexandro cum coniungit, quaſi blaſphemum contra Chriſtum, & ob id Satanæ ab Apoſtolo traditum. Fuerunt illi κενοφωνίας ſtudioſi, & tragicam ſortiti cataſtrophen. Cauendum igitur nobis eſt hoc vitium, quod illis tribuens inquit περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν: idem eſſe iudico, quod ſuperiùs περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν. Idem igitur eſt à veritate aberrare, & fidei facere naufragium: ex quo ſequuntur errores, blaſphemiæ contra veritatem, inde plena Satanæ mancipia. Ecce quàm ſpecioſi fructus κενοφωνίας. Porrò quòd docuerit reſurrectionem iam factam eſſe, variè illud dogma intelligitur. Quidam exiſtimant eos docuiſſe reſurrectionem fieri in filijs tantùm, vti Philoſophi docuerunt, vnius corruptionem eſſe alterius reſurrectionem, vel generationem: hoc modo maiores in poſteris viuunt. Alij iudicant, eos de corporali reſurrectione etiam ſenſiſſe, & eam factam Chriſto reſurgente, vti legimus Matth. 27. multos ſanctorum ſurrexiſſe Chriſto ſurgente. Non deſunt etiam qui putent eos docuiſſe, non eſſe expectandam aliam reſurrectionem, niſi quæ eſt animæ à peccatis reſipiſcentis, qua ad nouam vitam reſurgimus, & hanc quoque iam factam eſſe in Baptiſmo, quo ſuſcepto incipimus in nouitate vitæ ambulare. Porrò quamcunque tandem ex his opinionibus defenderint, abſurdum id fuit & erroneum: nam Apoſtolus diſertè erroris circa hunc articulum eos arguit. Polycarpus in ſua epiſtola ad Philip. ait ex hoc loco, Qui dixerit nec reſurrectionem, nec iudicium eſſe, hic primogenitus Satanæ eſt.

Oſtentatio eloquentiæ cauenda miniſtro

Gangræna morbus.

Hymenæi & Phileti exempla apoſtaſias.

Sextò, *quorundam fidem euertunt.* Non ſolùm doctoribus in perniciem cedit ambitio illa & oſtentatio eruditionis, ſed etiam auditoribus nocens eſt malum: fidem enim euellit, vt teſtatur exemplum proximum: nam ſublata ſpe reſurrectionis, quid ſupereſt ampliùs in doctrina Chriſti ſani? Pœnas ſcelerum, & præmia rectè factorum ſi tollas, animus omni metu & religione liber & ſolutus in quiduis ruit præceps.

Electio fidelium apud Deum immutabilis.

Septimò, Reſpondet ſcrupulo qui poterat in animis fidelium hærere, ex eo quòd dixerat, euertunt fidem. Teſtatur autem Scriptura fideles non poſſe excidere: & Dominus Chriſtus ait de electis ſuis, nemo è manu mea eos eripiet. Dici igitur poterat, quomodo tu ais illos euertere fidem? Reſpondet Apoſtolus, *fundamentum Dei firmum manere*, hoc eſt, electionis propoſitum apud Deum manere immutabile, ita vt qui verè ſint vocati & electi, ex

his

his nullus omnino excidat, nec decipi à defectoribus illis possit, ac quanquam in illis etiam maneat peccatum, nō tamen in eis est nisi veniale. Obserua quomodo Apostolus vtatur loco prædestinationis, ad consolationem nimirum: & quando animus est confirmandus contra offendicula, quæ existunt à magno lapsu: consolatorium est piis salutem ipsorum curę esse Domino, & eam obsignatam fideliter custodiri. Deinde expedire hypocritas perdi, & tāquam paleas à tritico separari, & illos secedendo à vera fide, defectione sua verè electis non nocere. Tertiò, electos certa quadam nota in hac vita oportere esse conspicuos, quæ est in dies magis magisque peccato valedicere, carnis desideria domare, pœnitentia seriò vitam emendare: hæc vera & propria est electorum nota. Electorū nota. Inde iam argumentum ad institutum seruire potest, tale: ostentatio eloquentiæ & κενοφωνίας studium, signum est eos non esse verè de electorum numero, quum in peius ruant in dies. Est igitur fugiendum summopere, ac opera danda, vt vocationem nostram confirmemus profectu in meliùs: sic enim patebit nos esse de electorum numero.

Octauò, à simili ostendit quod fidelium sit munus & officium: confertur autem totus orbis domui, sic enim magis mihi placet, quàm de Ecclesia solùm. Mundus igitur totus quædam ampla domus est, in qua paterfamiliâs præsidet Deus. Habet is σκεύη, hoc est, *instrumenta varia, alia gloriæ*, hoc est, quæ ad gloriam & rem meliorem adhibentur, talia sunt *aurea & argentea: alia ignominiæ*, quæ ad vsus viliores & turpiores adhibentur, qualia *lignea & testacea* vtplurimum sunt. Honoris vasa vel instrumenta sunt electi, Ignominiæ, reprobi. Σκεῦος autem non tam vas est alicuius rei capax, quàm instrumentum: sic Paulus vas dicitur electum. Inde sequitur assumptum. Quicunque sese repurgarit ab istis, scilicet à λογομαχία, κενοφωνία, testatur sese esse σκεῦος sanctificatum εἰς τιμήν, hoc est, esse de numero electorum reuera. Sunt igitur illa vitia sedulò vitanda. Obserua igitur quæ sint partes fidelium, expurgare seipsum à vitiis, exhibere sese vasa vel instrumenta Domino suo vtilia. Hæc quanquam propriè Dei sint: tamen nobis etiam ea tribuit scriptura, vt ostendat quæ sint partes nostræ in declaranda electione nostra: quis enim dicet te electum cùm sceleribus indulgeas? quis Dei filium, dum Satanæ obsequium præstas. Officiū fidelium à simili declaratum.

Vers.22. Τὰς ϗ νεωτερικὰς, &c. Tertium vitium quod simplicitatem & sinceritatem doctrinæ Christianæ præcipuè euertit, appellatur id ab Apostolo νεωτερικὴ ἐπιθυμία, quo intelligi debent ea vitia omnia, quæ huic ætati vtplurimum inhærent: vt est impetus animi concitatior, crudelitas qua faciliùs ipsis imponitur tanquam simplicioribus & vsu nondum tutis, libido, temeritas, confidentia, iactantia, ostentatio, &c. Obseruemus hîc licere quidem ministrum ætate iuuenem esse, non autem moribus, & vitæ exemplo perinde illi concessum esse iuuenem sese declarare. Nam vt senecta laudatur non annorum multitudine, sed morum grauitate: ita etiam adolescentia quod ætati deest virtutibus compensare debet, & in eo tantò debemus esse cautiores, quantò lapsus est in ea ætate facilior. Sed quid? cum Seneca deplorandum nobis, Nobiscum iam non pueritia, sed quod grauius est puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quòd autoritatem habemus senum, vitia verò puerorum: nec puerorum tantùm imò infantium. Tertium vitium pietati contrarium iuuenilis cupiditas

Vers.23. Μωρὰ καὶ ἀπαίδευτος ζήτησις. Quartum vitium: pertinet hoc vitium ad superiora, quanquam virtutes quædam sint interpositæ, quas deinceps vti nunc vitia connectimus, ordine explicabimus. Porrò damnatur hîc non omnis ζήτησις: sunt enim quædam quæ ignorare sit turpe: ea igitur honestum fuerit inquirere, vt cognoscantur & defendi possint contra aduersarios. Quartū vitium, stultæ quæstiones. Necessaria itaque ad salutem, vt nulli mortalium concedenda sunt, ita ab omnibus cognoscenda, & rudes in eis instituendi, quò sciant salutis suę rationem, & quærentibus ea respondere tolerabiliter possint, vt vnde sit nobis iustitia quæ coram Deo valeat, & quæ sit vis fidei, & quæ operum æstimatio in iustificatione. Alia, sunt honoraria, quæ ignorare non impediunt nos in via salutis, de quibus vt litigare non licet, ita inquirere in ea curiosiùs non oportet, non enim meliores nos reddunt si maximè in ea incumbamus, & probabilia multa colligamus. Has quæstiones vocari hîc indico ζητήσεις ἀπαιδεύτους: nam quum debeant nos παιδεύειν ad regnum cælorum: quæstiones autem illæ nos ἀπαιδεύτους relinquant, hoc est, ineptos ad regnum Dei, quales etiam nos reperiunt: rectè tales dicuntur quales nos relinquunt. Tertium genus est ζητήσεων, quod absurdum dici potest: quum enim res contineat, neque ad salutem necessarias, nec probabiles vel honorarias, sed ἄτοπα quædam vel per se, vel quæ inde consequuntur, rectè prohibetur: quale est illud de sermone Angelorum, quid facturus fuisset Adam si non peccasset, de suffragiis defunctorum, de monstrosis partibus & abortiuis, an in resurrectione suam retineant formam, &c. quæstiones sunt μωραὶ: nihil enim vel ad ædificationem, vel ad salutem consequendam faciunt. Sapientis autem est omnia referre ad ædificationem proximi, vel ad vitam rectè degendam, ad emendationem morum, ad liberalem & lici-

tam rerum cognitionem, quæ ad vitæ vsum, vtilem referri possit. Stultum sanè est interrogare de via, quam non sis ingressurus etiam cognitam: aut ingresso quæ non sit futura vtilis, nec perducat quò tendis. Ita sanè de laboribus omnibus iudicandum est: stultus labor est ex quo nulla ad te nec proximum redeat vtilitas. Talis labor multarum quæstionum & disputationum superioris & nostri seculi: vnum verò genus quæstionum ad salutem necessarium nobis relictum est, quod positum est in emendatione vitæ, in seria pœnitentia, in exercitio fidei, similiúmque virtutum.

22. *Persequere verò iustitiam, fidem, dilectionem, pacem cum iis qui inuocant Dominum, ex puro corde.*

Virtutes ministro necessariæ vitiis superioribus opposítæ. Quartus locus est propositi capitis, in quo virtutes continentur, quibus ministerium ornatur, Mens Apostoli est, vt minister possit vtiliter præesse, curandum illi vt repressis vitiis: virtutibus quàm maximè polleat. Necessarium autem illud est, tum quia de virtutibus Christiani hominis illi est disserendum, & quomodo alios ad eas excitabit ipse earum rudis: tum quia opus est illi magna autoritate, illa autem conciliatur virtutibus & existimatione bona honestæ vitæ. Non enim de Christianismo nobis est philosophandum, vt de moribus & virtutibus philosophi veteres, de quibus Proclus alicubi scribit, Σοφιστεύουσι γοῦν οὐκ ὀλίγοι, μέχρι λόγων ἐπιδεικνύμενοι τὴν ἀρετὴν, ἔργῳ δὲ αὐτῆς παντάπασιν ἀπῳκισμένοι. Tales non decet esse Christi Philosophos: sed quæ alios ipsi docent exemplo vitæ exprimere debent, nam & sibi vtiliter philosophabuntur, & aliis viam monstrabunt, & doctrinæ suæ fidem

1. Iustitia. facient. Virtutes ordine & breuiter persequemur. Prima est Iustitia, quæ mentis est facultas diuinitus inspirata, qua pro æquitate omnia cum proximo transigimus, cuique suum tribuimus, nihil alieni affectamus. Rectè videntur dixisse veteres, in hac reliquas comprehendi omnes, Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. Nam sese extendit in omnes vitæ actiones, præterea cupiditatibus omnibus modum ponit. Quare imprimis ministro est necessaria.

2. Fides. Πίστιν, fides secundo loco requiritur, quæ est iustitiæ pars, complectitur autem cre-

3. Dilectio. dendorum formulam, & dictorum factorúmque constantiam. Tertiò sequitur, ἀγάπη, dilectio, beneuolus erga proximum affectus, quo non tantùm volumus, sed etiam facimus illi bene: est Græcis, ἀγαπᾶν, idem quod φιλεῖν, & φιλοφρονεῖν, hoc est, humaniter & aman-

4. Pax. ter excipere, complecti singularis ille affectus est fidelium erga fideles. Quarta, est εἰρήνη, pax. *persequere pacem*, tranquillum vult esse ministrum, qui consensum & concordiam Ecclesiæ procuret: imò cum omnibus habeamus quoad fieri potest. Est tamen hæc virtus sanctorum cum sanctis tantùm communis: illi enim & vitæ studiis, morum similitudine, & doctrinæ genere sese accommodare possunt vnioni quæ illis est in Christo. At cum mundo fieri non potest vt pacem habeant: nam quæ pax officiis ciuilibus contrahitur à piis cum mundo, eadem statim etiam amittitur iterum officio quod Deo præstare debent, increpatione nimirum scelerum. Inde fit vt ἄσπονδον maneat bellum inter eos, nec interea culpa est piorum. Pacem igitur hîc intelligemus quę à ministro ratione officij cum omnibus etiam impiis seruari potest. Tamen hîc Apostolus de fidelium tantùm consensu loqui videtur. Quò facit consequens clausula: *cum iis qui inuocant Dominum ex puro corde*. Quinto loco, requirit in

Mansuetudo. ministro ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, *mansuetum, blandum esse erga omnes*. Opponitur ea virtus immediatè vitio, quod ex quæstionum studio sequitur, pugnis scilicet & rixis. Ex quo ita collegit Apostolus: Quidquid rixas & concertationes generat ministro est fugiendum: sequitur

Aptus ad docendum. hinc, sit ergo ἤπιος, hoc est πρᾷος. Sextò, διδακτικὸν εἶναι, hoc est, *aptum ad docendum*: quæ suprà diximus περὶ ἱκανότητος, eadem huc faciunt: nam is demum aptus est ad docendum, qui & vult & potest vtiliter docere. Talis autem erit, qui habebit cognitionem scripturarum, cuius fides erit spectata, qui autoritatem habet, & reliquarum artium tolerabilem peritiam, qui & verbo & vitæ exemplo suis vtiliter præest. Septimò, ἀνεξίκακον εἶναι ἐν πραότητι

Patientia. *tolerantem mala in mansuetudine*: quo admonetur minister, oportere ipsum non solùm in persecutionibus constantem esse, sed in pace improbos & sceleratos patienter ferendos: nam si importunè repellantur, videtur ipsis præcludi resipiscendi locus, & minister fraterna dilectione ardens non facilè de cuiusquam salute desperare debet: ferendi sunt igitur illi etiam mali, & quidem cum mansuetudine seu lenitate. Potest tamen intelligi locus etiam de constantia sub cruce, cum qua debet coniuncta esse πραότης, ne remurmuret Domino, & impatientia adductus, quærat occasiones subterfugiendi afflictiones, quæ nomine Christi accidunt.

Instituendi etiam resistentes. Octauò, παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, hoc est, *instituentem eos qui resistunt*. Est παιδεύειν familiariter pueros instituere, & castigare pro ratione ætatis. Quare docet in ministro laborem indefessum oportere esse in docendo: finis enim est, salus auditorum, sine discrimine igitur cum omnibus agere debet, omníque ratione vt quamplurimos Domino acquirat.

quirat. Deinde vt certa ratione cum ipsis agat à notis paulatim ad ignotiora cum eis procedat, vti cum pueris agunt pædagogi. Tertiò, non sperandos auditores sequaces semper, imò cum iis etiam agendum leniter, qui sese opponunt pertinaciter. Ratio est, quia Deus cùm sit salutis author & largitor, non omnes eodem vel tempore, vel modo conuertit: præterea is non vult nos de salute cuiuslibet desperare. Adde, idem potest improbos tam conuertere, quam conuersos in ordine retinere. Denique pietatis est in ministro miserrimos imprimis curare. Itaque nulla ratione intermitti debet officium eius etiam docendi improbos: nam quod ait Apostolus, μήποτε, *ne quando*, possibilitatem rei declarat, quæ misero tamen videri poterat nulla esse, & ob id spem facit labores non fore irritos, modo officio grauiter inuigilet, euentum Domino committat.

Porrò eleganti metaphora exprimit mali magnitudinem in contumacibus, καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος: est enim ἀνανήφειν propriè à vino & crapula resurgere ad sobrietatem: solent ebrij plerunque post vinum ignorare quid fecerint aut dixerint per ebrietatem, tanta mali vis est in ratione sopienda: ita peccato inebriatis vsuuenire solet. Sed cogitandum ministro quomodo eos ad sobriam mentem reducat vt sese colligant. Deinde altera adest etiam metaphora, quæ eandem difficultatem mali declarat: nam laqueo capiuntur propriè aues ac feræ: & quæ laqueo implicantur, difficulter ac rarò sanè periculum euadunt: sed mali laqueo Diaboli implicati tenentur, difficulter igitur & non sine magno labore inde eximi possunt. Verùm ad ministrum pertinet, ita perpendere rem. Quò in maiori periculo sunt fratres, eò magis elaborandum est vt subueniamus: sed qui ita capti sunt à Satana periculosissimè tenentur. Quare danda est opera omni studio vt liberentur. Quòd à Satana capti in maximo sint periculo ostendunt ista. Primùm, quòd Apostolus dicit, eos ab eo laqueo teneri: deinde quòd ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ: quasi dicas, vt bestiæ ab eo capti sunt venatu, viuique ab eo detinentur & vegetantur, aut vt præda bello parta viui abducti sunt. Præterea habet in eos liberam potestatem, ac cùm quærat perditionem hominum in vniuersum, non solùm illa sua mancipia in peccata præcipitat, sed instruit eos, vt alios etiam plurimos secum trahant in ruinam, id quod studiosè exequuntur. Non minori studio igitur minister contrà laborare debet: potest tamen illud εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, ad Dei etiam voluntatem referri, quasi dicat, tenentur quidem, sed non plus iuris, nec diutius id in eos habet quàm Dominus permiserit, vt intelligat minister cur pro illis etiam debeat esse solicitus. Ratio est, quia tenentur ab illo εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, hoc est, *ad Dei voluntatem*, quandiu promiserit: spes est Deum misertum iri illorum, & tuis benedicturum laboribus in eis curandis. Ne cures igitur quòd sint ἀντιδιατιθέμενοι, nec quòd in laqueo Diaboli sint: imò nec quòd sint ἐζωγρημένοι, sed perpende omnia ista Dei consilio etiam regi: magna superest & amplissima spes, ad suam voluntatem ista omnia emendari possunt. Erit tempus quo vel aliquos ex illorum numero tibi tuisque laboribus donabit.

Mali magnitudo in contumacibus.

CAPVT III.

MVNIVIT Timotheum contra præsentia pericula: nunc contra futura eum instruit: docet enim quis sit futurus Ecclesiæ status mox post suam mortem. Describit autem hypocritas suis notis & proprio ingenio: sic enim & meliùs agnosci & caueri possunt. Addit exempla, quibus declarat eos, interea non habituros perpetuum rerum successum. Vincent tandem boni ministri, vti Moses cum veritate. Secundo loco ad hortatoria redit arguméta, laudat autem Timotheum à virtutibus, quas hactenus laudabiliter expressit: inter quas non minima est tolerantia sub afflictionibus. Quare hortatur eum ad propositi sui constantiam: præsertim cùm ea regula quasi communis sit omnium piorum: vt cum pietatis studio semper coniuncta sit fato quodam persecutio. Tertio, hortatur eum ad doctrinæ semel susceptæ constantem professionem: præcipuè verò ad sacrarum literarum iuge ac indefessum studium: quas elegantissimo encomio ad finem exornat.

Argu. 3. cap. & eius partes.

1. *Illud autem scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora periculosa.*
2. *Erunt enim homines sui amantes, &c.*

Primus locus est de malis in Ecclesia futuris: continet autem Prophetiam de vniuerso statu Ecclesiæ ad finem vsque mundi. Nam etiamsi circa mundi consummationem miserrimus sit futurus status Ecclesiæ: tamen post Apostolorum mortem mox mala illa cœpere, imò ipsis viuentibus ingressi iam sunt tales lupi & hypocritæ Ecclesiam, quales hîc depingit, quales Alexander, Hermogenes, Hymenæus, Phyletus, &c. Quare non de paucis quibusdam annis vltimis intelligatur, sed ad Apostolorum vsque tempora fiat cótinuatio. Porrò locus hic initio habet propositionem. *Scias tempora nouissima fore admodum periculosa.* In

Locus de malis in Ecclesiæ futuris.

Prudẽtia ministro necessaria. quibus verbis tria expendi debent. Primò in ministro requiri prudentiam aliquam contra futura pericula: nam cùm ait, τοῦτο γίνωσκε, ostendit ἐπίγνωσιν hanc esse illi non solùm vtilem, sed necessariam: vnde Christus cum simplicitate columbina serpentinam etiam coniunxit prudentiam. Vtile igitur est hoc ministrum sæpe expendere, non solùm quia præuisa tela minus lædunt: sed etiam quia sic multa rectiùs administrabit, minus fatigabitur si res minus videat succedere: ardentiùs officio inuigilabit, quandoquidem res non in melius, sed in dies natura sua ruunt. Non igitur est quòd speret singularem aliquam tranquillitatem in hoc mundo. Alterum est de tempore, ad quod prophetica hæc admonitio spectat,

Dies vltimi. ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Nouissimi autem vel vltimi dies numerandi sunt ab aduentu Christi ad finem mundi: nam tempus illud ἔσχατον dicitur respectu initij & medij. Initium ab Adamo ad Mosem numeratur: medium temporis à Mose ad Christum. Vltimum igitur est

Ecclesiæ status vltimis tẽporibus. à Christo ad eius reditum. Tertium est, qualis Ecclesiæ status sit futurus hoc temporis vltimi curriculo. Καιροὶ χαλεποὶ, inquit, erunt. Dicuntur difficilia tempora figuratè propter homines difficiles, & qui in eo nequiter victuri sunt. Dicitur & ipsum tempus difficile, quod expectationi non respondet, in quo homines difficulter se suáque tueri possunt, vt in peste, bello, fame publica. Nam ita χαλεπὸν est homini, aut viuere, aut sua tueri. Hic intelligi tempus χαλεπὸν propter improbos homines, consequens declarat narratio. Expende tu difficultatis huius initium temporibus Apostolorum & à morte ipsorum, cum eo confer nostri seculi statum & mores, videbis quantum ei accreuerit. De fine quid sperandum sit non est obscurum: nam anni totius consummationi proximi non tantùm difficiles erunt ratione seductorum: sed insuper aëris constitutione, rumoribus, &c. vt ostendit Dominus Iesus Christus Matth. 24.

2. *Erunt enim homines sui amantes, &c.*

Vitia in Ecclesia regnatura. Propositioni subiicitur Narratio quadam aitiologia annexa. Exprimit autem vitia quæ in Ecclesia regnatura sint, vt intelligamus nocentissimos esse hostes religionis eos, qui sunt domestici, & qui primas in Ecclesia quærunt, ac nomine pietatis sese ingerunt. Expende ordine notas illas,

Amantes sui. Primò, *Erunt*, inquit, *homines* φίλαυτοι: talis est qui se ita amat, vt reliquos præ se contemnat, in omnibus sui laudem quærat. Est enim sui amor quidam naturalis & honestus, qui cum proximi commodo & salute sese amat, suámque quærit & operatur salutem: rectè & honestè is se amat. Hypocritæ verò in religione seipsos quærunt, hoc est, dignitatem, laudem, pompam, & similia, quæ nocens est φιλαυτία. Grauissimum est Platonis contra hoc malum iudicium, ita vt non dubitet publicè receptam gnomen corrigere, qua dicitur φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος, de qua ait natura quidē & rectè oportere nos tales esse, tamen reuera si rem expendas, omnium peccatorum causam hinc promanare: ratio est, quia excæcat nos nostri amor nimius. Verba quæ elegantissima sunt, apponam. Τοῦτο δ' ἐστὶν ὃ λέγουσιν, ὡς φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος, φύσει τε ἐστὶ, καὶ ὀρθῶς ἔχει, τὸ δεῖν εἶναι τοιοῦτον: τὸ δ' ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν, αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε, τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν: ὥστε τὰ δίκαια, καὶ τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ καλὰ, κακῶς κρίνει, τὸ ἑαυτοῦ, πρὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀεὶ τιμᾶν δεῖν ἡγούμενος.

Auari. Altera nota est, *Erunt* φιλάργυροι, *auari*: tales sunt qui religionem in quæstum conuertunt: docent, quia magna stipendia sperant, non docturi sine magna mercede: suprà primæ epistolæ cap. 6. malorum omnium radix dicta est, ex eo satis constat quid de auaris sit

Arrogantes. sperandum. Tertiò, ἀλαζόνες, *arrogantes*, ἀλαζονία veritati opponitur: est enim eius excessus προσποίησις quædam τῶν μὴ ὑπαρχόντων. Gloriosi & iactabundi sunt ἀλαζόνες. Præterea fingunt honestas causas, vbi nullæ sunt: tales in religione pernitiosi sunt. Ad hos pertinent qui ob flagitia pulsi nomine Euangelij exulare se fingunt, & de persecutionibus suis ac constantia gloriantur sine ratione.

Superbi. Quartò, ὑπερήφανοι, *superbi & arrogantes*, comes est philautiæ: nam qui se in omnibus quærunt, arrogantes sunt & animo elati, inflati: ὑπερηφανία, sæpe idem est quod τύφωσις, animi tumor, vitium hoc pugnat cum Christiana humilitate.

Maledici. Quintò, *blasphemi*, primùm dicuntur qui contra Deum indigna loquuntur: inde conuitium in Spiritum sanctum. Deinde in homines qui probra indignis obiiciunt, aut maledicunt. Hypocritæ suas blasphemias in dogmatibus celare possunt, vt interdum difficillimum sit de blasphemia iudicare: nam quæ in homines committitur blasphemia legibus facilè coërcetur, aut patientia diluitur à bonis. In doctrina autem pernitiosa est. Sextò, *Parentibus immorigeri*. Intelligo immorigeros, qui nomine religionis parentibus obedientiam negant, qui ordines ingrediuntur contra voluntatem, & qui prætexunt libertatem Euangelicam, parentes negligunt, &c. Septimò, *ingrati*, qui gratiam bene merentibus negant, & qui prætextu pietatis aliena victitant quadra, ipsi otiosi pasti discedunt, quales Catabaptistarum sunt multi fratres, & fucati exules Euangelij nomine. Octauò, *impij*, nefarij. ἀνόσιον dicitur ἀθέμιστον, prophanum, quod tum de moribus tum dogmatibus doctrinæ potest intelligi. Nonò, ἄστοργοι,

στοργοι, *qui affectu naturali carent* erga suos, quos natura illis commendat: qualis Medea erga liberos, Clitemnestra erga maritum. Deus naturæ indidit στοργὴν erga nostros, vt est vxor, liberi, amici, domestici: tales negligere, impium est. Exempla non esset difficile afferre, quæ sub religionis prætextu commissa sunt, vbi deseritur vxor, liberi, aut maritus pietatis nomine, &c.

Sine naturali affectu.

Decimò, ἄσπονδοι, *qui fœdera non seruant*, iura pacis & amicitiæ violant, seu irreconciliabiles, vti dicimus, ἄσπονδον πόλεμον, atrox & perpetuum bellum. Vndecimò, *calumniatores*, διάβολοι, obtrectatores sunt, & qui ex amicis inimicos faciunt, dissidia seminant, calumniatores. Græcis Philosophis etiam dicitur διάβολος, ὁ δυνάμενος διαβάλλειν, καὶ τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιεῖν: quod cùm Satan propriè possit & faciat, Diabolus Græcus rectè dictus est. Hinc etiam homines improbi Diaboli hic dicuntur, qui hanc proprietatem Satanæ imitantur. Duodecimò, *intemperantes*: ἀκράτεια incontinentia est, pugnat cum ἐγκρατείᾳ, quæ pars est σωφροσύνης, aut certè viam ad eam sternit: est tamen generalis in ea voce significatio, nam sui esse iuris & potentem significat: sic ad omnes voluptates accommodari potest, qui se audit, & sibi modum statuere potest, & affectibus imperare, is dicitur ἐγκρατής. Hinc Socrates hanc virtutem, τῆς ἀρετῆς κρηπῖδα esse iudicauit. Sunt igitur ἀκρατεῖς soluti in omnem voluptatem, proni in omnem intemperantiam. Decimotertiò, *immites* ἀνήμεροι, alieni ab omni humanitate, quales sunt feræ: ἥμερος cicur est, quales sunt domesticæ animantes. Ἄγριοι igitur sunt feri-ni ἀνήμεροι: est etiam ἥμερος satiuum, ἥμερα φυτά, domesticæ sunt plantæ, quæ in hortis & locis cultis crescunt. Sic ἀνήμεροι sunt, qui naturæ ingenium retinent, qualis est oleaster, insitionem non ferunt, culturam non admittunt. Decimoquartò, *bonorum negligentes*, bonorum hostes, vel honestatis hostes: est enim φιλάγαθος, honestatis studiosus, boni & probi ingenij homo. Ἀφιλάγαθος, qui non tam bonos & honestos, quàm ipsam honestatem exosam habet, & auersatur. Decimoquintò, *proditores* tum fidei, tum fratrum, nihil pensi habent, modò ipsi sint in tuto. Decimosextò, *præcipites*, προπετής dicitur temerarius, inconsideratus, sumpta metaphora ab auium pullis, qui implumes dum volare conantur, humi decidunt. Hinc προπέτεια γλώσσης ἀχαλίνωτος, effrenata lingua: vitium est temeritatis. Quò pertinet illud Euripid. Ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία. Decimoseptimò, *inflati*. Τῦφος animi est tumor & arrogantia præ se alios contemnentis, dum homines amore & studio sui occupati sunt. Videtur à medicis sumpta vox, qui tumorem corporis sic appellant, & animi morbum, delirium cum furore iunctum. Hinc τυφωμένος furiosè delirans. Decimoctauò, *voluptatum magis quàm Dei amantes*. Opposita sunt ἡδονὴ & θεὸς apud Apostolum: nec obscurum est voluptatem carnis intelligi, in qua olim à quibusdam summa felicitatis constituta est, & hodie constitui à multis apertum est, & reperti sunt qui & Dei & voluptatum amorem coniungi posse existimarent: cùm Deus & venter diuisa sint, & hic hypocritarum nota sit, φιλήδονοι εἶναι. Decimononò.

Fœdifragi & calumniatores. Intemperantes. Immites. Boni hostes. Proditores. Præcipites. Inflati. Voluptati dediti.

5. *Habentes formam pietatis, vim autem eius abnegarunt.*

Vltima hæc proprietas ad omnes superiores pertinet: nam hac clausula iudicium suum de omnibus fert, & quo loco à nobis sint habendi docet. Μόρφωσιν habent tantùm pietatis, hoc est hypocritæ sunt, quales Scribæ & Pharisæi, docent quæ ipsi ne digito attingunt: est etiam μόρφωσις, institutio crescens in dies: sic Gal. 4. Donec formetur in vobis Christus. Sed hypocritarum μόρφωσις ad proprios mores & vitæ genus pertinet, ac consistit tum in factis, tum dictis, quibus possunt sese sanctulos simulare, quale apud Iudæos erat ornare sepulchra Prophetarum: hodie templa & imagines ornantur: longas habere & in publico preces: hodie de religione magnificè loqui. *Sed vim eius negant.* Vis pietatis est fides, vera inuocatio, consolatio in periculis Spiritus Sancti, conscientiæ tranquillitas, quas virtutes hi præstare non possunt. Quare mendax est tota illa pietatis species. Sequitur, *& hos vitato*: Altera illa est loci huius propositi pars. Initio dixit cognoscendos esse, & vt faciliùs cognosci possent, notis quibusdam inussit: ita enim agnoscetur pecus illud. Alterum est quod præcipit, vt cogniti etiam vitentur, vitandi sunt, quia obstinatè formam pietatis mentiuntur. Ostentant virtutes quas non habent. Refero autem ad omnes enumeratos superiùs gradus, qui tum vitandi sunt quando obstinatio pertinax cognita fuerit. Interea docendi etiam sunt, sic enim iussit ad finem præcedentis capitis etiam ἀντιδιατιθεμένους παιδεύειν, quod non tam de aliter affectis & sentientibus intelligi potest, quàm apertè verbis sese opponentibus. Doceri possunt siquidem ferant, & vitari interea & caueri: & verbum ἀποτρέπεσθαι significat vtrunque deuitare & auocare. Ex quo intelligimus nostri officij esse, tum ipsos vitare ne similes illis reddamur, mores ipsorum horrescere: tum operam dare vt corrigantur & à proposito auocentur ad meliora & saniora studia.

Hypocrisis, quæ ad superiora vitia refertur.

6. *Ex illis enim sunt qui subeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas, &c.*

Ratio est posterioris partis propositi, nam cur sint etiam vitandi nunc docet, vt priùs cur

Cur vi-

tandem ſuperius hominũ genus.

eſſent & quomodo cognoſcendi. Vitandi ſunt,quia nocens eſt eorum conſortium:conſiderandum igitur quomodo noceant, & quibus præcipuè. Nocent igitur ſic, ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, *ſubeundo in familias*, quo taxatur adulatoria inſinuatio, qua ſeſe priuatis & certis familiis obtrudunt & accommodant. Deinde angulos quærunt,non publicè ſua profiteri aut tueri audent: tertiò, captionibus inſiſtunt, h.e. qua parte homines laborare intelligunt, ea præcipuè eos aggrediuntur, quod eſt in captiuitatem redigere. Atque ex his intelligi poteſt quomodo noceant, ſuprà cap. 4. deſcripſit eos à genere doctrinæ, prohibent matrimonia, delectum in cibis ſtatuunt,hic ab artibus & dolis eodem pacto eos depingit.

Quibus noceant impij hypocritæ.

Quibus verò noceant expende:primùm in ſexu delectum habẽt, mulierculas aggrediuntur vt debiliorem ſexum. Id à Satana habent,qui eius rei primus experimentum fecit. Deinde inter mulierculas magnum etiam diſcrimen eſt: quærunt ergo idoneas ſuis artibus,quales ſunt quæ capaces facilè poſſunt eſſe fraudis. Fraudum capaces ſunt, Primùm, *quæ peccatis premuntur*, quæ σωρὸν peccatorum ſentiunt, hoc eſt, in quibus conſcientia incipit euigilare. Alaſtor mordet & excruciat: aut etiam quæ aſſuetæ ſunt peccato, ſine conſcientia adhuc peccant. Nam vtrunque genus ad errores procliue eſt. Priores, quia remedium quæritare incipiunt. Poſteriores, quia ſecuritas temerarias & faciles reddit, placet tamen de prioribus intelligere.

Secundò, *quæ deſideriis impelluntur*: peculiare illud eſt in muliebri ſexu, cupiditate multiplici agitari: nec ſolùm in libidinoſis deſideriis,ſed etiam cupiditate rerum leuium, vt nunc hoc,nunc aliud placeat. Sic in religione iam hoc dogma,mox diuerſum placet. Hanc inconſtantiam ſeu libidinis,ſeu fidei iſti artifices venantur.

Tertiò, *quæ curioſæ ſunt*, cupidæ vanæ ſcientiæ: ſcire volunt & excellere aliqua re: conuertunt ergo ingenium ad noua, ad rara,per omnia dogmata errare volunt: nouos igitur doctores illibenter admittent. Atque per tales mulierculas quaſi idonea organa irrepunt ad domeſticos, ad ipſos maritos, demum in totas familias. Addit Satan ſuas vires vt res ſucceſſum habeat.

Doctrina hypocritarum efficax.

Sed obſerua nouam quandam hypocriticę doctrinę proprietatem: non eſt efficax vt conſcientiis verè ſatisfaciat. *Auditores eius diſcunt ſemper, non autem perueniunt ad cognitionem veritatis*: ſic non diſcunt Chriſti & ſanæ doctrinæ diſcipuli. Diſcedere quidem commune habent: eſt enim ignorantia natura omnibus impreſſa: veri etiam notitia nobis peregrina. Diſcendum igitur & quidem omnibus. Cæterùm qui Chriſti ſunt non ſemper diſcunt, ſed ad ἐπίγνωσιν veri perueniunt, vt & conſcientiæ ſatisfiat, & cui nitendum ſit intelligant, & in eo firmiter perſiſtant ſine hæſitantia: illa ſemper fluctuant, non perueniunt ad ἐπίγνωσιν ἀληθείας nihil animo ſatisfacit, nihil conſcientiæ ſtimulis firmum ſatis eſt, id quod in periculis, & mortis agone demum proditur: miſera illa diſcendi & docendi ratio eſt fine deſtituta.

Verſ.8. *Quomodo autem Iannes & Iambres reſtiterunt Moſi: ſic & illi reſiſtunt veritati.*

Exẽpla ſucceſſus hypocritarum, in Ianne & Iambre. Argum. Epiſt.119. ad Ian.

Exempla ſunt,quibus conſolatur Timotheum,& miniſtros omnes. Nam mali doctores & hypocritæ non ſucceſſum perpetuum habebunt. Exprimit autem nomina Sacris literis non comprehenſa. Iudicant fermè omnes magos fuiſſe Ægyptios, qui Moſi reſtiterunt. Exod.7. Et duos præcipuos extitiſſe, qui duobus, Moſi & Aaroni opponerentur. Probabilis eſt horum ſententia. Malim tamen eos intelligere Iudæos fuiſſe, nec Magos, quales etiam Dathan & Abiron fuere. Ratio eſt,quòd hic ſermo ſit de hoſtibus domeſticis & hypocritis, qui Chriſtiani & eſſe & haberi volebant: imò doctores inter Chriſtianos haberi. Conformius igitur eſt argumentationi, exempla proferre ex ipſis Iudæis, qui de populo Dei eſſent, Moſi tamen ſeſe opponerent: nam Magi quanuis ſe oppoſuerint illi, fecerunt tamen id tanquam aperti hoſtes,& profeſſione religionis,& genere vitæ ac ſtudiorum ab eo diſſidentes. Sed & hoc probabile eſt,& vitioſum fuerit anxius de eis inquirere. Hoc ſatis eſto: ſimile eſſe ſtudium oppugnandi veritatem in nouis hypocritis ſub Euangelio, & in veteribus illis Iſraelitici populi, qui ſeſe tum Moſi,tum aliis piis doctoribus & Prophetis in eo populo ſemper atrociter oppoſuere. Ratio eſt, quòd ſimile in vtriſque ſit ingenium & natura: ait enim Apoſtolus, *homines eſſe mente corruptos*, id eſt, ingenio malitioſo & deperdito præditos. In mente debebat lucere Dei imago, & boni notitiæ, ex quibus ad veritatis cognitionem & defenſionem perducerentur: ſed corrupta illa pręſtantiſſima hominis parte, nihil ſani poteſt ſperari. Euidentius autem eſt κατεφθαρμένοι, quaſi dicat, perditos: eſt enim φθορὰ rerum interitus & corruptio ab eſſe ad non eſſe, vt loquuntur. Deinde ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν, ſequitur id ex φθορᾷ: corruptio enim inhabilis & inepta eſt ad formam natiuam, nam ab eo ſemper longiùs diſcedit. Fides autem nos formæ noſtræ priſtinæ reſtituit: rectè igitur ἀδόκιμοι, id eſt, inhabiles, inepti ad fidei negotia dicuntur: ac hæc in veteribus illis, & nouis falſis doctoribus communia ſunt.

Sequitur

Sequitur consolatio.

9 *Non proficient igitur amplius.*

Exitus hypocritarum.

Est enim terminus illis statutus vbi persistant,& quò vsque efficax error esse debeat. Deinde quia sua sponte etiam hypocrisis aliquando sese prodit, non potest per omnia sui esse dissimilis, deprehensa mox etiam exploditur. Rectè ἄνοια dicitur, stolida enim sectatur, & ineptias puriles, qualis est externus cultus, ceremoniarum obseruantia, ad solida non pertingit. Diuino id fit iudicio, vt sit apertum & satis amplum discrimen veræ & fucatæ pietatis. Obserua concludi argumentum similitudine errorum, studiorum, & euentus, paria omnia sunt in veteribus & nouis. Ex quo colligi potest personarum etiam similitudo, vt intelligantur non Magi, non Ægyptij, sed Iudæi ex Israële rebelles Mosi.

10. *Tu verò secutus es me in doctrina, institutione, proposito, fide, longanimitate, dilectione, tolerantia, persecutionibus, afflictionibus.*

Exhortatio ad cõstantiam à pristinis virtutibus Timoth.

Secunda pars est præsentis capitis, in qua eum constantiæ iterum admonet. Initio commendat eum ab iis virtutibus, quas hactenus felicissimè præstitit. Porrò quæ diu benè & feliciter præstitimus, ab iis certè nullo pacto desistendum est: fuerit enim id valde ignominiosum apud bonos, sed Timotheus iam diu bene & feliciter virtutes Pauli præcipuas imitatus est, inter quas non minima est tolerantia afflictionum: debet igitur tum in hac, tum in aliis perdurare. Singula argumenti membra expendemus. σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου. *Tu secutus es me*, vel assectatus. Est autem παρακολουθεῖν, iuxta sequi, comitari, & quasi singula vestigia studiosè obseruare, & imitari. Hoc igitur dicit, diligenter & æmulatione quadam me hactenus es imitatus: imò bona ex parte assecutus omni virtutum genere, *du hast mich erlanget.* Deinde per species enumerantur virtutes, in quibus præceptorem suum probè exprimit, in quibus prima est διδασκαλία, quæ omnem doctrinæ materiam complectitur. Deinde ἀγωγῇ, inquit, assecutus es me: est ἀγωγὴ forma, & docendi quædam facultas, facilitas, methodus. Tertiò, προθέσει. Finis est πρόθεσις, consilium & propositum, quò tota διδασκαλία & ἀγωγὴ referuntur. Illud est Christum iam exhibitum & morte sua peccatores in sese credentes redemisse. Item vt mundus vera pœnitentia tandem ad Christum conuertatur. Studiosa fuit hæc & laudabilis imitatio, qua non solùm doctrinam Pauli, docendi formam & modum imitatus est: sed etiam ad eundem scopum omnia contulit. Quartò, *fide*, quod ad officij fidem refero, hoc est, bona fide in Ecclesia officium suum præstitisse, quod & Paulus etiam obseruauerat. Quintò, *Longanimitate*, in ferendis improbis de nullius salute statim desperauit: peculiare boni ministri donum. Sextò, *dilectione* erga fidei domesticos. Septimò, ὑπομονῇ, *tolerantia* persecutionum, afflictionum: specificat autem hanc virtutem: alia enim est ὑπομονὴ ἐν τοῖς διωγμοῖς: nam hîc externi sunt hostes qui saluti & vitæ ministrorũ insidiantur. Alias τῶν παθημάτων, quæ animum & spiritum ministri perturbant, vbi nullus est externi etiam periculi metus. Consultò autem vltimo loco tolerantiam posuit: nam ad eam præcipuè voluit excitare. Fuit præterea tam luculentum & celebre testimonium vitæ anteactæ, & à tanto viro profectum, magni haud dubiè ponderis apud Timotheum, vt hac tanta commendatione proculdubio confirmatissimo animo omnia pericula adierit.

11. *Qualia mihi acciderunt in Antiochia.*

Persequutiones quas tulit Paulus.

Secundum hinc colligo argumentum, & per interrogationem hæc lego: est enim breuis fortunæ suæ calamitosæ variis in locis complexio. De his vide Act. 13. 14. 15. nota hæc erant Timotheo: perstringit ea igitur tantùm & in memoriam reuocat, vt suo exemplo ostendat quid illi expediat facere. Quales persecutiones sustinui? quasi dicat, nondum ad mea certamina perueniſti, quamuis in aliis videaris me assecutus, nondum ex tot ciuitatibus es eiectus, nondum ita lapidatus, nondum pro Christo toties incarceratus: maxima sunt & fuerunt mea pericula, & in singulis firmus permansi, eadem tu vtere constantia.

Et ex omnibus liberauit, &c.

Tertium argumentum à felici rerum catastrophe: nam prius argumentum magnitudine periculorum consternare poterat mentem Timothei, quid enim illa commemoratio habet, quàm rei atrocitatem & difficultatem? Hoc verò consolatorium est: magna fuere pericula, sed Domini auxilio omnia superaui: tibi idem igitur faciendum est & expectandum. In afflictionibus præsens est Dominus, noli ergo anxius esse.

12. *Et præterea omnes qui volunt, &c.*

Pietatis comes persequutio.

Quartum argumentum, à communi & fatali quadam regula. Pietatis proprius comes est persecutio, & indiuiduus assecla. Vis esse pius? noli ergo sperare singularem aliquam & propriam fortunam, qua tu solus extra teli iactum cõstitutus periculo omni careas: non enim fieri potest vt in hoc seculo separentur. Veritas parit odium, ex odio ira, persecutio, inde mille cruces, carceres, mortes. Ad illa ergo te præpara cum aliis fidelibus. Eleganter

autem & emphaticè dixit, ϗ πάντες ἢ, *& præterea omnes*, quasi dicat, non solus ego sum, cui tam iniquus est mundus, cui tam nouerca fortuna: sed omnium retrò piorum tale fuit fatum, omnium etiam post nascendorum similis erit conditio: quid ergo? commune fatum te soletur, mea exempla te confirment, Christi amor te armet & animet contra illa omnia.

Vers.13. *Improbi autem homines, &c.*

Infideliũ natura proficere in peius, decipere & decipi.

Quintum argumentum à contrario, dixit enim quæ natura & conditio sit fidelium: nunc infidelium hypocritarum naturam huic opponit. Boni & pij proficiunt etiam sub cruce, mali etiam suum habent profectum, sed in peius. Πονηροὶ sunt scelerati, non simpliciter mali, sed qui πόνους bonis & piis exhibent, homines molesti, digni qui malè pereát. Γόητες, impostores, malefici, qui malis etiam dediti sunt artibus. Inde γοητευμαι, præstigiæ, dementationes: proficiunt hi, sed in peius, quod est à Christo deficere metu periculorum: volunt enim in hoc prudentes videri ad tempus cedendo, dissimulando, accommodando sese tempori: sed errant, non est hæc via ad profectum in melius, sed ἐπὶ τὸ χεῖρον. Præterea suo exemplo alios seducũt, elegans est quod ait πλανῶντες, hoc est, dum impostores agunt, dum plani sunt. Est autem πλάνος insignis impostor, erro, nebulo, versutus. Latini etiam planum Græca voce nominant emphaticè: tales dum artibus suis eludunt omnes, & pietatem vniuersam in suum quæstum conuertunt, videntur sibi egregij & speciosè proficere, sed errant, & dum eludunt alios, eluduntur & ipsi à Satana. Πλανώμενοι enim vt intelligo, dicuntur quà ipsis imponitur à Satana, & propria irretiuntur malitia. Hoc fatum multò durius est quod hosce manet. Interea de doctrinæ ipsorum propagatione intelligi posse locum non negarim. Hic tamen sensus magis ad institutum præsens accedit.

14. *Tu autem mane in his, quæ didicisti, & quæ tibi credita sunt, sciens à quo didiceris.*

15. *Et quòd à puero literas, &c.*

Constanter Tim. manendum in doctrina & Scripturæ lectione prius tradita.

Tertia pars, qua in genere hortatur eum ad doctrinæ constantiam: præcipuè verò ad lectionem Sacrarum literarum, quas commendat ab autore Deo, & multiplici vtilitate. Initio breuiter sese reuocat: dixerat de improbis & ipsorum profectu, simul inconstantia notata est, nunc ad Timotheum redit, aliquid amplius ab eo postulaturus, nimirum vt maneat in doctrina Euangelica, in lectione canonicæ Scripturæ, ad quod ipsum Apostoli iudicium hoc postulantis satis poterat esse argumenti. Nam quæ facienda esse iudicant homines periti, vsu rerum docti, adde pij, nostríque amantes, hæc sine controuersia iunioribus nobis suscipienda sunt: tamen eo non est contentus Apostolus, quin addit argumenta grauissima. Oratio autem concisa, breuis, sed argumentosa est: singulæ enim fermè voces aculeum argumenti relinquunt. Nam iubet eum persistere non simpliciter in doctrina, sed ait, *Quam didicisti* ἔμαθες: magnum autem compendium est in præceptis subsistere, quæ diutino tempore, magnis sudoribus, adde laboribus didicimus, in his libenter vt plurimum persistimus. Ad consueta & familiaria igitur hortatur: facilitas est in eo expressa, quia iam didicisti quæ te seruare volo, non discedis nouis, & veteribus dediscendis te macerabo, persiste in perceptis, illud est quod abs te peto. Deinde addit, καὶ ἐπιστώθης, *& quæ tibi commissa sunt.* Talia autem magna cura & vigilantia sunt custodienda, vt de his ratio possit reddi ei qui hæc commisit, & cuius propriè sunt ista bona: sed doctrina Euangelij tibi commissa est, thesaurus ille filij Dei est, tu custos es, & defensor constitutus: vide ergo vt bonus sis tutor, ne tua negligentia deserta causa detrimentum patiatur. Est etiam in eo verbo reciproca obligatio, non enim tantùm tuæ fidei commissa est hæc causa, sed tu etiam pro hac fidé tuam interposuisti, quasi iureiurando permisisti procurationem fidelem. Est igitur tibi persistendum in ea duplici nomine, tum quia Dominus tibi hoc talentum concredidit, tum quia tu illud sponte recepisti, & fidem pro eo dedisti. Tertiò, *Sciens à quo didiceris.* Argumentum ab authore est & præceptoris præstantia: solet enim doctrina commendari à magistris. Sic Platonica plurimum laudis à professore Socrate sumpsit: Peripateticorum commendata est propter Aristotelem bona ex parte: plurimum etiam refert à quibus magistris ea discamus. Cicero iunior Cratippum audiuit, debuit igitur abundare præceptis, vt iudicat pater. Apostolus hîc ait: non contemnendum habuisti præceptorem in negotio religionis, sed Paulum primarium Gentium Apostolum: debet igitur ornare constantia tua etiam preceptorem tuum. Modestè autem & breuiter de se loquitur, *Sciens à quo didiceris*, me scilicet Apostolo Paulo & Gentium doctore. Quartò, *quòd à puero sacras literas nouisti.* In eo & facilitas est præstandi, & oblectamentum rei consuetæ, & laus diuturni iam temporis. Quæ ergo satis iusta posset esse ratio, qua inductus antiqua studia iam demum desereres? aut imparatum fingeres ad onus, in quo non triduanus auditor, non nudiustertius demum, aut ab heri versari cœpisti. Quæ à puero imbibimus tenacissimè hærent, in mores & naturam quodammodo abeunt: facilior igitur eorum est vsus: sacra à puero imbibisti, facilius

faciliùs igitur tibi erit in his persistere,& turpe foret ea nunc reuocare. Discant iuuenes exemplo Timothei qua diligentia,& quando, quámve diu sacræ literæ discendæ sint. Eximia sanè eius laus est quod à pueritia in sacris sit versatus. Quintò, *possunt te sapientem reddere*. Vtilitas est in argumento proposita. Mundus quærit sapientiam diuersis rationibus, alius rerum vsu,alius artium mirabilium inuentione. Quæritur sapientia etiam rerum explicatione, & subtilitate disputationum. Sed quid? stultitia est,& vana occupatio, imò defatigatio. Sapientiam quæris? sacra tracta, reperies veram sapientiam. Definit autem sapientiam veram, vt sit notitia salutis per fidem in Christum. Vera hæc est & præstantissima sapientia, quæ habet rationem consequendæ vitæ æternæ, quæ sola explicatur in sacris. Nam de beata vita & æterna felicitate mirum est quàm diuersa & pugnantia Philosophi scribant. Et qui optimè scripserunt de ea, qualis habetur Aristoteles ac Plato, vide quàm incerta, quàm humirepentia. Literæ Sacræ scopum ostendunt digito, vitam æternam post hanc nobis expectandam. Mox media illuc perducentia indicant. Christi meritum, quod nobis fide amplectendum est. Vide quanto compendio, inexplicabilis Philosophorum labyrinthus tollatur. Est igitur, quia hinc solida peti potest sapientia, studium ἱερῶν γραμμάτων numquam deponendum. Vis sapiens verè reddi, lege sacra. Atqui cupis verè sapiens reddi, legenda ergo tibi sacra. Hactenus diuersis rationibus ostendit doctrinæ constantiam Timotheo seruandam: præcipuè verò sacrarum literarum studium, quoad vita superest non esse deserendum. Nunc dignitatem scripturæ extollit, inquiens. — Veræ sapientiæ definitio

16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata & vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia.*

17. *Vt absolutus sit homo Dei, ad omne opus bonum consummatus.*

Magnificum testimonium de autoritate & dignitate S. scripturæ. Primùm, quia est θεόπνευστος, hoc est, immediatè à Deo hominibus data. Loquitur autem de veteris testamenti Canonicis libris, inter quos lex à Deo Mosi est viua voce tradita, Decalogus insuper digito Dei exaratus, reliqua Legis capita Deo tradente, iubente sic conscripta, Prophetarum inde libri à Spiritu Sancto dictati, & arcano Dei afflatu compositi, nobísque relicti, de quo vide 2.Pet.1. Porrò inter omnia mundi volumina, præstantissima sunt scripta θεόπνευστα: nam preter id quòd Deum habent autorem, veram continent sapientiam, infallibilia præcepta, optimam viuendi normam. Talis autem sola est Canonica Scriptura, nullum scriptum quantumuis eruditum & elegans hoc titulo commendari aliâs potest. — Scripturæ S. dignitas & autoritas.

Deinde sequuntur commoda Scripturæ, καὶ ὠφέλιμος. Videtur autem hic orationis ordo, seu sequela. Omnis scriptura diuinitus inspirata hæc sola etiam vtilis est ad sequentia capita: sic enim & hic poni arbitror. Diuina omnia non possunt non esse vtilissima, & eò magis, quò minus humanis sunt rationibus confusa & interpolata. Inde Platonis scripta iudicata sunt diuina, quòd proximè accederent ad ea, minimum humani haberent, vt ex sacris literis visus sit multis multa in sua transstulisse, quæ in Ægypto eum legisse volunt. Porrò vtut sint humana sunt: & S. canonica Scriptura purè diuina est. Vtilissima igitur hæc verè est, siquidem θεοπνεύστου σοφίας λόγος ἐστὶ ἄξιος. Vtilitatis autem capita sunt. Primùm, πρὸς διδασκαλίαν: quo nomine intelligitur vniuersa ratio doctrinæ de articulis fidei, de Deo, creatione hominis, lapsu, reparatione, salutis mediis, iustitia, operibus charitatis, vita æterna: quæ affirmatiua appellant. 2. Πρὸς ἔλεγχον, *ad reprehensionem*, quod ad conuincendos errores pertinet. Est enim ἔλεγχος demonstratio falsi, quæ ad aliquod principium reduci potest infallibiliter, vt Hymenæi & Phileti superius dogma, asserentium resurrectionem iam factam esse. Dogma de prohibitione ciborum, de coniugio, & similia ἔλεγχον postulant. Docendi sunt homines illa falsa esse, & pugnare cum fidei Christianæ puritate. 3. Πρὸς ἐπανόρθωσιν, *ad correctionem*, vitæ nimirum & morum, Ethica hæc Christiana est Philosophia, vitia in moribus emendans pœnis certis, libidinibus metum iniicit, de homicidio, scortatione, furto, obtrectatione, otio aliísque vitiis, rectiùs sacra statuunt quàm vlli Philosophi: illa est ἐπανόρθωσις, veram vrgens pœnitentiam, sine qua nulla prosit cognitio quantumuis sublimis. — Scripturæ vtilitas.

Quartò, πρὸς παιδείαν, *ad institutionem*, hoc est, virtutes bene agendi demonstrat, vt est charitas, beneficentia, hospitalitas, patientia, fides, aliásque Christianas virtutes, vt ἐπανόρθωσις sit vitiorum, παιδεία verò, doctrina de virtutibus: sic διδασκαλία credendorum est, ἔλεγχος verò confutandorum. Cum pædia coniungi etiam potest puerilis institutio sub Christianismo, quid parentibus, quid magistratui, quid amicis debeatur, in quo consistat salutis fundamentum, quæ elementa sint religionis veræ. Vltimò, à fine, *vt homo Dei perfectus sit*. Ἄρτιος dicitur numerus par, qui æqualis sibi est: talem decet esse Christianum, sibi similem, hoc est, qui nec secundis efferatur, nec aduersis deiiciatur, id quod proprium piorum est, qui ob id homines Dei dicuntur, non solùm quia creati à Deo, quod impiorum etiam est: sed redêpti sunt ab eo, spiritu eius reguntur, & illi similes sunt: Dei enim proprium — Finis S. scripturæ.

est non mutari, parem sibi manere semper. Demum in quo sit illa ἀρτιότης posita, *vt sit*, ait, ἐξηρτισμένος, consummatus, ἀπαρτισμένος, absolutus ad omne opus bonum. Finis est intermedius Christianę vitę bene operari & respectu proximi, qui opus habet nostra liberalitate, humanitate, aliisque virtutibus nostris: per hunc intermedium finem nos ducit fides ad vltimum, in quo acquiescimus, quæ est vita æterna.

Hoc elogium iustis de causis hîc attexuit: primùm enim ad scripturæ electionem cohortatus est: par igitur erat scire eius vtilitatem. Deinde vt ostenderet vnde vera petenda essent præsidia in docendo bono ministro: non ex Philosophia, sed sacris quæ ad omnem materiam copiosè sufficiunt. Addit Theophil. quia mox dicturus est ἤδη σπένδομαι. Ne igitur animo concidat quasi præceptore priuandus. Habes, inquit, pro me Scripturas, quæ & erudire te possunt & prodesse, modò diligenter legas, &c.

CAPVT IIII.

Cap. 4. argu. & partes.



CONCLVSVRVS epistolam Apostolus, redit ad primarios duos locos, quos in tota epistola præcipuè respexit, & vrsit. Quorum prior est de doctrina purè & constanter tradenda. Posterior de Christiana tolerantia, cum qua singularis quædam vigilantia coniungi debet, tum propter ministerij difficultatem, tum etiam quòd boni ministri fato quodam sensim ex hac vita subducũtur, quorum præsentia onus nobis leuius esse, & pericula nos minus vrgere poterant. De sua igitur morte diligenter eum admonet: non solùm autem de ea, sed magis etiam de præmiis vitæ æternæ. Nam ita & vigilantem in officio, & hilarem ad certamina subeunda pro Christi doctrina efficit. Vltimum, priuata quædam subiicit, quorum communicatio, & commemoratio testatur Apostoli & Timothei singularem quandam coniunctionem.

Vers. 1. *Obtestor igitur ego, &c.*

Propositio. In tres locos distinguimus caput hoc, primus quidem est de sana doctrina. Propositio est, Danda est opera bonis ministris, vt diligenter omnibus, omni tempore inculcent doctrinam salutarem. Obserua autem in hac re explicanda ordinem & collationem Apostoli: nam initio contestationem insignem ponit, deinde subiicitur Propositio, Prædica sermonem, quæ postquam per partes explicata est, rationes subiicit à natura corrupti seculi.

Obtestationis vis. In obtestatione argumenta quædam sunt, quibus præcipuè institutum suum vrget. Primùm ergo Paulus inquit, *obtestor te*: debes igitur omni tempore sanam doctrinam omnibus inculcare. Vbi vir grauis & autoritate pollens ita seriò obtestatur, res seriò & diligenter curari debet: sed Apostolus Paulus tantus vir, doctor Gentium, organum Spiritus S. iamiam moriturus, vsu rerum edoctus grauissimè obtestatur Timotheum, vt salutarem doctrinam omnibus qualibet occasione proponat. Res igitur est digna quæ curetur quàm diligentissimè.

Est etiam verbum διαμαρτύρομαι, *testor*, vt omnibus notum & palàm sit nisi res hoc pacto fiat, testato reclamo, conqueror de iniuria, & vt hodie loquuntur protestari, quasi dicat, *Ich vuil mich deßin protestier habenn halt an vnd leer*: sin minus eris inexcusabilis, cõqueror de iniuria neglecti officij, nulla ignorantia te excusare poterit, cuius rei testem habeo tuam conscientiam, & Deum quem nihil latere potest. Deinde in eadem obtestatione mentio fit conspectus Domini, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, quæ commemoratio maiestatis Dei vim magnam habet ad excitandos animos, quò ritè officium nostrum in docendo exequamur. Nam testibus agit Apostolus: testes sunt infallibiles Deus Pater, Christus filius, si negligenter doceat Timotheus: Apostolus Paulus, Iesus Christus, & Deus Pater de negligentia testabuntur.

Arg. à metu pœnarum. Tertiò, mentionem etiam facit iudicij nouissimi, τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς. Argumentum est à metu pœnarum: nam ad terrorem incutiendum ista faciunt, quasi dicat, in nouissimo iudicio omnes accipiemus præmia operibus nostris congrua, qui negligentes fuerint, pœnas negligentiæ dabunt: non debemus igitur in metu periculi alicuius externi desides in officio esse, vt remittamus aliquid de his quæ necessaria erant. Ratio est, quia sic maiora incurremus pericula. Dum vitare voles Syllam incides in Carybdim. Non vis periclitari hîc de vita, seu de bonis, aut stipendio: incides autem sic in manus Domini, in pœnas iudicij futuri. Porrò viuos dici puto eos, quos Christus vltimo suo aduentu in hac vita corporali reperiet: & mortuos, qui à condito mundo ad horam vsque iudicij illius ex hac vita emigrarunt. Nam qui per illos bonos & malos intelligunt, aut animam & corpus significari putant, minus dicunt: aut obscuriùs certè Apostoli verba exponunt. Atque ista quidem in hac grauissima obtestatione, obseruatione digna videntur esse. Sequitur Propositio, cuius gratia illa iam præmisit.

2. *Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè, reprehende, increpa, consolare in omni longanimitate & doctrina.*

His verbis comprehendi Propositionem dixi: nam huc respiciunt & ea quæ antecedunt, & quæ mox sequuntur. Sententia est, Ministro curandum est vt omnibus, omni tempore salutarem doctrinam proponat. Principio autem in genere id proponit: mox idem per partes aut species explicat, κήρυξον τὸν λόγον, prædica sermonem. Λόγος est Euangelij prædicatio, denunciatio exhibiti iam Messiæ, & beneficiorum eius, quæ mundo offeruntur. Est etiam λόγος ipse Filius Dei, de quo Ioann. cap. I. In principio erat ὁ λόγος, nec absurda erit sententia, si Christum ipsum intelligamus. Prædica τὸν λόγον, *verkundt* Christum. Idem erit sensus: nam Christum prædicare est Euangelium Christi docere, & beneficia eius mundo exponere & offerre. Obseruandum est autem verbum κηρύττειν, quod significat maxima cum maiestate, summa constantia & animi libertate clarissimè & apertissimè aliquid denuntiare: sumpta enim est metaphora à præconibus principum & Regum. Hinc κήρυκες, δημόσιοι ὑπηρέται, publici ministri, & Διὸς καὶ ἀνθρώπων ἄγγελοι, nuncij à Deo vel hominibus mittuntur. Hi certè summa constantia & animi libertate principum suorum tuentur dignitatem, de suo præterea nihil afferunt, sed quæ instructio continet, ea proclamant voce libera apud omnes. Talem igitur decet esse præconem Euangelij: nihil de suo afferat, Christi Regis mandata proponat, de his nihil reticeat, nihil immutet, vocem habeat liberam & constantem. Et obseruarunt Grammatici primitiuam vocem esse γηρύειν, quod est φωνεῖν, hoc est, clamare. Ex quibus intelligi potest quid velit hic sibi Apostolus breui hac sentētia, κήρυξον τὸν λόγον. Quæ inde sequuntur, propositionis habent quandam declarationem per distributionem: nam quatuor membra subiicit, quæ ad partes & ad officium præconis Christi pertinet, quibus κήρυγμα suum potest absoluere.

Propositio, oportere ministrum sedulum esse in docendo

Prædicare quid sit.

Primum est, *Insta tempestiuè & intempestiuè*, hoc est, non semel tantum proponas, sed omne momentum idoneum iudica ad docendum, donec appareat canes & porcos esse quibus margaritæ obiici non debent, & deteriores tamen fieri deprehendes: sic docendo fieri non potest, quin aliquos lucrifacias. Fecit id Christus, fecit idem Apostolus Paulus, qui per domos & familias docuit. Idem faciendum est Timotheo: continet autem hoc membrum totam quidem docendi formam, tamen quia hîc species formulæ continetur, primum hoc membrum *Insta*, intelligemus de doctrina articulorum religionis, quasi dicat, insta docendo quid de Deo & tota religione credendum aut non credendum sit. Et id quidem omni tempore, εὐκαίρως, hoc est, quando vltrò sese offert occasio: ἀκαίρως, cùm secundum carnem aliquod videtur incommodum, vel periculum instare, & est quidem opportunitas in omnibus rebus quærenda, attamen carni multa videntur importuna, quæ secundum Deum valde opportuna sunt. Quare iudicium opportunitatis hîc detrahit carni, & ad Dei transfert censuram: fieri enim potest vt vtrunque Deo placeat & opportunum sit, ex quibus tamen caro vnum tantùm approbet. Porrò importunitas illa, seu opportunitas intelligatur primùm nostro respectu, *Es sige mir gelegenn oder nit gelegenn*, omnino docendum est. Quò pertinet illud Apostoli, Væ mihi misero nisi euangelizauero. Ex quo conficitur illud, nullas oportere esse occupationes tanti momenti, quæ ministrum in docendi munere impedire debeant,

Docendi vera forma.

Deinde intelligatur εὐκαιρία & ἀκαιρία, respectu auditorum, & aliarum circunstantiarum loci & temporis: ne tum velis docere cùm mundus hoc poscat, cùm gratus sis futurus, mercedem & laudem ab hominibus reportaturus: imò inuito mundo, maximis periculis, in summa ignominia docendum est, veritas proponenda. Omne momentum idoneum iudicandum est, donec aliquid effeceris, aut manifestum sit canes & porcos esse: tum enim demum terminari omnem opportunitatem iudico.

Alterum est, ἔλεγξον, hoc est, confuta & demonstra id malum esse quod agitur, quod creditur, vel colitur. Quare hîc mandatur vis & potestas conuincendi hæreticos: errores in religione per ministrum refelli debent. Primum igitur ministri munus est docere necessaria creditu: alterum, absurda & falsa confutare, qualis tum erit idololatria Gentilis, superstitiosa ceremoniarum obseruantia Iudæorum & similia. Tertium est, ἐπιτίμησον, obiurga, quod ad mores pertinet: reprehendenda sunt vitia in moribus, ebrietas, adulterium, ira, inuidia, concupiscentia, & quidquid vitiosum est in homine, ac in mores abire potest. Quartò, παρακάλεσον, excita, hortare, quod pertinet ad currentes bene, qui monendi sunt vt ita pergāt. Deinde ad tardos, qui excitandi sunt vt progressus faciant, aliorum exempla sequantur. Tertiò, ad pusillanimes, qui cōsolatione confirmandi sunt, ne animum gerant muliebrē, ne despondeant, virilem sumant spiritum & fortes sint, rogent Dominum vt det illis spiritum constantiæ. Elegantissimus ille ordo est apud Apostolum & studiosè obseruādus: nam quatuor hæc membra ministrum totum absoluunt: docere necessaria, falsa refellere, vitia & mo-

Vis & potestas cō uincendi hæreticos ministris mādatur.

res corruptos taxare: denique excitare ad profectum in pietate: his quid addi possit non video. Ad finem quomodo hæc temperata esse debeant, ostendit, *Lenitate & doctrina*: refero hæc duo ad quatuor membra singulatim: lenitatis erit, si modestè cum hominibus peccata iam agnoscentibus agamus, nec de reliquis facilè desperemus, contumaces etiam non temerè damnemus, meliora semper sperare iubet lenitas seu longanimitas. Doctrinæ verò erit, ritè, ordine & certa ratione tradere veritatem. Perspicua erit illa docendi ratio, captu facilis, & scripturis conformis. Et hactenus quidem propositio primi loci, & eiusdem quadrimembris declaratio, sequitur.

3. *Erit enim tempus quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria propria sibi ipsis accumulabunt, &c.*

Diligenter docendum propter corruptũ seculum & homines deprauatos.

Confirmatio superioris sententiæ: nam ostendit hic cur oporteat tanta diligentia Euangelium docere. Ratio sumitur à conditione corrupti seculi, & natura hominum qui mente deprauati sunt: sententia est, Tempore periculoso decet ministrum esse vigilantem in docendo: sed Timotheus mox incidet in periculosa tempora: decet igitur eum esse in docendo vigilantem. Minor apud Apostolum declaratur copiosè: habet enim narrationem Propheticam, qua non præsentia, sed mox imminentia pericula depingit. Partes singulas expendamus.

Initio ait, *Erit tempus*, itaque nondum in actu erat illa corruptela: sed à Spiritu sancto prædicitur futura, vt caueri possit. Ex quo illud ad institutum facit. Dum occasio est docendi homines, studiosè id præstare debet fidelis minister: sed iam est adhuc occasio ô Timothee: debes igitur vigilanter docere. Et quomodo est dicendi opportuna occasio: cùm tot deficiant, & te, Paule, etiam omnes deserant? respondet collatione temporum. Nihil agis, Maiora subsequuntur impedimenta doctoribus, in quibus tamen eos oportebit docendo omnem mouere lapidem: ergo nunc dum maior est docendi occasio instare te oportet: quò facit etiam quod Græco habetur, ἔσαι γὰρ καιρός. Nam euidentius est Latino, erit enim tempus: καιρὸς enim momentum est temporis rem bene administrandi. Illa momenta paulò pòst minora fore prædicit: imò seductoribus omnes patebunt occasiones: bonos igitur decebit esse admodum vigilantes in officio, vt homines in veritate eiusque agnitione retineant.

Impiorũ malitia in fugiẽda sana doctrina

Deinde, obserua quales futuri sint homines: *Sanam*, inquit, *doctrinam non sustinebunt.* Sana est quæ sanas efficit conscientias, quæ sincera est, quæ nihil habet admixtum mali. Proprium autem huius doctrinæ est, initio ostendere homini peccatum suum, ex cuius agnitione deducatur ad pœnitentiam vitæ prioris: hinc remissionem flagitet à Domino mediatore Christo. Verùm homines adeò erunt reprobi vt nolint audire conciones de origine mali, de magnitudine peccati, de ira Dei contra peccatum: consequens ergo est vt sanam doctrinam etiam non ferre possint. Magna hæc insania est mundi, data opera salutaria excutere, nolle audire vitiorum & errorum increpationem: & tantò maior quantò minus sentitur. Atque ita affecti erunt homines erga veritatem, & salutaria consilia.

Sibi similes quærent doctores impij.

Tertio loco, obserua quomodo collecturi sint sibi doctores: nam animus hominis otiosus esse non potest, & impiissimi quique speciem aliquam pietatis quærunt, & præ se ferunt. Adde tantam esse vim conscientiæ & peccati, vt animus sine religione nec velit nec possit esse. Inde effectum est vt nulla gens in toto terrarum orbe vnquam reperta sit, quin aliquid religionis & cultus diuini habuerit. Superest igitur vt mundus ad errores declinet, cùm sanam religionem excludit. De eo Apostolus ita scribit, *Coaceruabunt sibi doctores*, quod Græcè euidentiùs dicitur ἐπισωρεύσουσι, quo verbo tria notantur: primùm studium ardens in conquirendis doctoribus: deinde quòd sine iudicio & temerè sint collecturi doctores suos: denique multitudo confusanea notatur, id enim est ἐπισωρεύειν, superaccumulare. *Zemen raschplenn*, sine iudicio quæuis obuia accumulare & ardore quodam: nam salutis etiam studiosi sunt, & cùm ordinaria media excluserint, necessum est animum fluctuare inter opiniones, ac dum verum quærit, probabilia multa & falsa apertè congerit.

Quartò, obseruantur causæ impellentes, ad quas pertinet quod habetur apud Apostolum. *Secundum propria desideria*, ἐπιθυμία eos impellit vt velint habere doctores, volunt etiam videri religiosi, nec recenseri inter impios: quærunt ergo mussatores qui suis cupiditatibus eos relinquunt: qui indulgeant, vlcera non tangant. In summa, quo singuli delectentur, in eo sibi quærunt doctores, patronos, & propugnatores, qui illa licita esse contendant, illud est Lesbia vti regula, doctrinam nimirum accommodare voluntati, & non voluntatem doctrinæ subiicere. Ad impellentes causas etiam refero quod ait κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, *Prurientes auditu*: nam ad eosdem auditores pertinent, qui sanam doctrinam contemnent, doctores sibi accumulabunt pro affectibus suis, iidem auditu pruriunt, hoc est, delectabilia audire volunt, quærunt ergo diuersos, vt quod vnus præstare non potest alter efficiat: errant hi in fine constituendo.

Quintò, consequens declaratur, *A veritate auertentur, ad fabulas autem conuertentur.* Illud omnino consequitur & quidem necessariò: nam veritas illis repagulis non patitur sese concludi, vt scilicet satisfaciat desideriis nostris, faueat peccatis, pruritum aurium titillet, grata proponat. Hæc quærunt homines, veritas nullo modo præstat. Superest ergo vt ab illa auersi, quærant alios aliunde doctores, proximum est vt ad fabulas conuertantur: nam in illis hæc omnia reperient quæ ipsi quærebant, delectant, titillant, fauent peccatis, indulgent libidini, &c. Talis erit mundus inquit paulò pòst: ministris igitur vigilandum est, & resistendum omnibus viribus huic corruptelæ.

Contemptores sanæ doctrinæ quò incidunt.

5. *Tu verò vigila in omnibus, patiens esto, opus facito Euangelistæ, &c.*

Locus est secundus in præsenti capite, quo ad tolerantiam Christianam hortatur: fecit id superiùs iam aliquoties, itaque hic breuiter perstringit tantùm eum locum. Deinde ad vitæ suæ anteactæ & finem iam imminentem ingreditur. Porrò quatuor sunt quæ in hac breui cohortatione exigit. Primùm, inquit, νῆφε h. e. sobrius sis, vel vigilans esto: coniunctæ autem sunt virtutes, vigilantia non potest carere sobrietate, & sobrietas alitur vigilantia & castitate. Omnes autem in ministro sunt necessariæ, siquidem velit ἀξίωμα suum tueri: quod autem addit ἐν πᾶσι, admonet nullam officij partem carere his virtutibus oportere.

Tolerantia & vigilantia instructos oportere esse ministros.

Alterum est κακοπάθησον, de quo iam superiùs diximus, patiens esto vt decet hominem Christianum, ne accersas mala tuo malo: sed ad malorum tolerantiam pertinet, eorum scilicet, quæ nomine Christi & veritatis obruunt fideles doctores.

Tertiò, *opus facias Euangelistæ*, hoc est, fideliter docens. Puto Euangelistam dici eum qui præcipuè in docendo Euangelio versatur, nec sit tamen Apostolus. Nam hi cum summa autoritate Spiritus S. hinc inde migrabant instaurandi & reformandi gratia Ecclesias vbicunque locus pateret: sed Euangelistæ citra munus Apostolatus prædicabant illis autoritate proximi certis Ecclesiis interdum vt Episcopi præerant. Talis fuit Timotheus & Euangelista & Episcopus. Gradus officiorum in ministerio habes ad Ephes. 4.

Euangelista.

Quartò *diaconiam tuam imple*: puto diaconiam hîc dici ministerium in genere, seu functionem instituendi, docendi Ecclesiam: sic Rom. 15. Christus dicitur minister Circuncisionis. Aliàs diaconi erant certi muneris in Ecclesia, qui sub Episcopo ministrabant Ecclesiæ, seu in dispensandis Sacramentis, seu colligendis, & distribuendis eleemosynis. In summa sedulum in officio & constantem in afflictionibus eum vult esse.

9. *Ego enim iam immolor, &c.*

Rationis redditio, quasi dicat, hactenus mea præsentia leuius tibi fuit onus: nam curas mecum partitus tulisti faciliùs, sed posthac & mea opera carebis & imminent per se magna pericula: ergo eò magis erit tibi vigilandum. Porrò narratio hæc complectitur mortis suæ significationem: secundò, vitæ anteactæ breuem commendationem: & tertiò amplissimam spem præmiorum post hanc vitam. Ad mortis significationem pertinent hæc duo, *iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat.* Obserua pios de euentu interdum admoneri & simul confirmari, vt magno animo mortem hanc contemnant. Deinde quàm placidè loquatur de morte, *iam*, inquit, σπένδομαι: certus igitur erat de morte, de qua tanquam re præsenti loquitur: & immolationem iudicat, sumus enim hostia Christi, & ad Rom. 12. hortatur nos vt corpora nostra exhibeamus Deo hostiam viuam: quod mox interpretatur λογικὴν λατρείαν: nam fide etiam offeruntur & immolantur corpora nostra Deo, dum affectibus renunciamus, dum carnem mortificamus, & in obedientiam Christi redigimus. In Baptismate primùm illi immolamur: continuatur autem per totam vitam, morte tandem perficitur, etiamsi nos non prosequatur gladius, immolatio est: gloriosior autem si mors violenta nos nomine Christi opprimat, qualis hæc Pauli est & Apostolorum reliquorum. Porrò cùm mori ita, sit immolari, mors ipsa certè erit immolatio seu σπονδή. Est autem σπονδὴ libamen quod in fœderibus in rei confirmationem fundebatur: quare hominis Christiani mors violenta nomine Christi, nihil aliud est, quàm obsignatio suæ professionis & consignatio fidei.

Significatio mortis Pauli.

Deinde ex posteriori sententia similis mortis colligitur definitio, mori est resolui: mors igitur nihil aliud est quàm ἀνάλυσις, resolutio quædam. Non igitur metuendus interitus: nam in ἀναλύσει partes manent ex toto resolutæ, non est partium φθορὰ sed separatio tantùm: soluitur anima à corporis vinculo: non igitur interit, sed ad meliora transit. Similis est Socratis sententia apud Platonem, ὥστε οὐκ εἰς θάνατον, ἀλλ᾽ εἰς ἀθανασίαν μεταβάλλεις ὦ Ἀξίοχε. Poetæ passim fratrem somni appellant. Ex quo eleganter Gorgias ille Leontinus iam moriturus dicebat interroganti quomodo haberet: Somnus incipit me suo fratri tradere: meliùs, magisque propriè hîc ἀνάλυσις dicitur, quandoquidem totum resoluitur, non autem partes intereunt. Hæc quid mors sit,

Definitio mortis.

Commendatio vitæ anteactæ, sequentia tria habent membra: ex quibus serua quomo-

do de vita præsenti loquatur, nam hinc scias quid illa sit.

7. *Certamen præclarum certaui, cursum absolui, fidem seruaui.*

Cômendatio anteactæ vitæ Pauli.

Vita præsens igitur est ἀγών, & est δρόμος, cursus. Admonent illa nos opus esse vigilantia in certamine enim summa illa requiri solet: similiter & in cursu. Deinde solicitè ambulandum: multis enim difficultatibus est exposita & sudoribus etiam certantium, & currentium conditio, adde periculis. Vnde Hercules apud Eurip. ait, ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά: vita Christiana multò magis agon & cursus dicitur, tam quia difficilis, laboriosa, & res soliciti plena timoris censetur. Vide autem quanta conscientię alacritate sibi victoriam polliceatur. *Vici*, inquit, *præclarum certamen, cursum etiam absolui*, victoris illa vox est, non succubui in medio cursu, non secessi in vmbras, non impegi, vici, superaui omnia impedimenta. Illud est fidem seruare, hoc est, professionem meam qua duci Christo ascriptus sum in militiam sacram, vel munus docendi Euangelium, fideliter & constanter docui: suauissima hæc est verè cygnea cantio. Tertiò loco præmiorum expectatio sequitur.

8. *Superest*, inquit, *corona mihi iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus ille iudex.*

piorum post hâc vitam præmia.

Continent ista periphrasin vitæ æternæ. Corona dicitur iustitiæ eadem metaphora, qua vita dicebatur agon, vt intelligamus non destitui præmiis piè viuentes, quæ dum hic non redduntur, ea maiori spe post hanc vitam expectare debent: & iustitię solùm est corona, quia huic debetur & promissa est. Iustitia Christiana est copula omnium virtutum veræ pietatis. Deinde ab autore Deo præmium illud exornatur, solent enim munera non modicam sui commendationem sumere ab autoribus. Tertiò, à tempore *in illa die*, hoc est, in publico cœtu, in panagiri omnium sanctorum, elegantiora sunt præmia, quæ in conuentu principum dantur. Illic erunt sancti omnes & Angeli Dei. Quartò à iudicis æquitate, *iustus est*: non igitur metuas corruptelam, nemo auertet abs te præmium tuum.

Vltimò, occupatione diluit, quod arrogantiùs à sese dictum videri poterat, *non solum mihi dabitur victoriæ corona illa, sed omnibus piis qui diligunt reuelationem eius*, hoc est, aduentu eius ad nouissimum iudicium. Prima apparitio fuit in carne humilis, qua visus est versari inter homines Christus. Altera est gratiæ, qua cordibus agnoscentium ipsum reuelatur. Tertia gloriæ, qua iudex apparebit viuorum & mortuorum. Aduentum hunc qui diligunt, coronam iustitiæ cum Paulo accipient, hoc est, omnes verè fideles: nam dilectioni tribuitur quod totius est religionis, vt charitati impletio præceptorum.

Tres Christi apparitiones.

Porrò ista commemoratio facit ad consolationem non solùm morituri Apostoli, sed multò etiam magis relinquendi Timothei. Nam quum audit eum honestissimè hinc emigraturum, vt suis relinquat etiam amplam famæ & gloriæ hæreditatem, mitigari dolor poterat: est enim fama quædam vicaria vitæ demortui. Deinde quum audiat eum ad meliora transiturum, congratulandum sanè magis erat illi. Dolendum certè quoties magni viri ex Ecclesia emigrant: primùm quia amici fuere: deinde quòd Ecclesiæ vtplurimum aliqua subsequitur perturbatio: exempla in historiis plurima id testantur. Et nostro seculo Lutheri mortem subsequuta est dissipatio Ecclesiæ per Germaniam. Præterea mors per se nos admonet peccati: dolendum igitur, non autem tam demortui nomine, quàm posteritatis & eorum qui in vita relinquuntur. Nam quòd ipsos spectat morientes, omnino ipsis est potius congratulandum, ad meliora enim abeunt, imbecillitatem omnem vnà cum vitæ huius miseriis omnibus deponunt. Qua sanè consideratione leniendus dolor in luctu etiam suauissimorum amicorum. Adde quòd augusta illa præmiorum commemoratio, contestatio piè actæ vitæ ad imitationem inuitat, & ad spem similium præmiorum erigit. Intrepidus sit igitur & magno animo præditus, maiora sunt præmia futura ærumnis vitæ præsentis.

Deflenda mors magnorum virorum in Ecclesia.

9. *Da operam vt ad me venias citò.*

10. *Demas enim me deseruit, diligens præsens seculum, & profectus est Thessalonicam, &c.*

Tim. cur ad se euocet Paulus.

Tertius est locus præsentis capitis: continet autem priuata quædam quæ Timotheum scire expediebat Pauli & Ecclesiæ nomine. Prosequemur illa secundum locos Apostoli. Primum ad se vocat: videtur hæc ex primariis causis vna fuisse cur epistola præsens scripta sit. Literis multa effici commodè non possunt, quæ præsentes cum præsentibus sermone & affectu libenter fideles agerent: & quanuis piorum literæ non erubescant, ardorem tamen æstuantis pectoris non possunt exprimere. Voluit præterea ante obitum charissimum discipulum & consolari & de rebus Ecclesiæ admonere: plenissima verò causa est quæ subiicitur desunt Apostolo fideles ministri: recenset enim varios qui omnes eum deseruêre. Demas reliquit eum causa non honesta: fuerat hic eximius inter fideles, cecidit: quo monemur vt cautè ambulemus, ne labamur. Quòd causa non bona deseruerit Paulum testatur, *præsens seculum amplexatus*, hoc est salutem vitæ huius prætulit gloriæ Christi: noluit

ſuit cum Apoſtolo & cauſa Chriſti periclitari. Sunt qui dicant Alexandri, de quo mox, fuiſſe ſocium.

Creſcens in Galatiam, pro quo Epiphanius Galliam habet, quaſi ex Italia Galliam hic petierit docendi gratia, vt Titus Dalmatas docuit. Hi non tam abierunt quàm miſſi ſunt ab Apoſtolo & honeſto fine, vt docerent: non ita Demas, ſolus eſt cum eo Lucas. Atqui negotium Chriſti, & conditio Apoſtoli plures deſiderabat. Mirari etiam poſſis vbi Petrus hîc fuerit, & cur eius nulla fiat mentio. Traditio patrum habet eum Romæ etiam fuiſſe & docuiſſe, imò eodem die exacto anno martyrio fidem in Chriſtum vtrunque teſtatum. Veriſimile igitur eſt non eodem tempore Romam vtrunque veniſſe: nec enim hic potuiſſet ſcribere Lucam ſolum eſſe ſecum. Eſt tamen quæſtio de qua non contendendum eſt.

Quid Tim. veniens Romam deducere debet.

Alter locus eſt, quid ſecum deducere debeat Romam: primùm Marcum, ratio eſt, quòd opera eius ſit vſurus ad miniſterium, quod vel publicum poteſt intelligi docendis fidelibus & inſtituendis Eccleſiis: vel etiam priuatum, vt inſeruiat Paulo in vinculis ſcribendo, excipiendo, exhibendo res neceſſarias: deinde φελώνην adferre ſecum debet, ex Troade. Porrò corrupta vox eſt, ſcribendúmque φενόλην aut φαινώλην: ſic enim Græci autores paſſim ſcribunt. Phauor. τὰν φαινόλαν ἀποδύσασθαι τοῦτ' ἐστι, τὸ ἱμάτιον, παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλος. Porrò in eius ſignificatione variant: quidam ſaccum intelligunt, ſeu capſulam librariam, in qua libri D. Pauli repoſiti fuerint. Alij penulam, hoc eſt, veſtem, in qua iterum variant. Quidam ſeruile genus veſtimenti intelligunt arcendo frigori & pluuiæ maximè accommodum. Vnde factum ſit vt alij quoque eo vti cœperint, quod teſtatur Lampridius in vita Alexandri Seueri, qui ſcribit, Penulis intra vrbem frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit, cùm id veſtis genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet. Matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permiſit. Ambroſius verò putat veſtem fuiſſe nobilium, qua Romani ſoliti erant vti, quando in curiam eſſet veniendum. Verùm illa interpretatio minus congruit cum Apoſtoli paupertate.

Libri Pauli.

Tertiò, libros illi commendat quos afferat ſecum, *Imprimis verò* membranacios: quod intelligi poteſt de codice veteris Teſtamenti, quo vti voluit legendo, conſolando ſe & alios. Aut etiam de ſuis ſcriptis, quæ in ordinem redigeret, & teſtatum relinqueret fratribus, quænam ipſe ſcripſerit, & caueret ne ſuo nomine aliena obtruderentur Eccleſiæ: in omne per eum caueri poterat, ſi quæ collegiſſet dictaſſet, ipſe ſcripſiſſet ad diuerſas Eccleſias, inſpiceret adhuc in vita ſua. Malim autem intelligere libros veteris Teſtamenti.

Alexander ærarius hoſtis Pauli.

Tertius locus eſt, de teſtibus ſuis apertis, & deſertoribus familiaribus. Hoſtis apertus Paulus fuit Alexander ærarius, nõ quidem cuſtos, ſeu quæſtor, ſed faber, homo idiota, & vt quidam aſſerunt, Demæ ſocius. Hic depingitur à profeſſione cùm fabrum appellat, deinde ab ingenio, reſtitit Paulo diſputationibus, concionibus, & facto. Ex quo intelligi poteſt hunc fuiſſe eius acerrimum hoſtem: ſolent enim homines idiotæ ſibi plus frontis ſumere contra bonos vbi ſucceſſum, & aliquem vulgi animaduertunt applauſum. Tertiò, imprecatione quadam ad pœnas eum repoſcit. Ex quo probabile videtur eundem hunc eſſe Alexandrum, cuius ſuprà 1. Tim. 2. ad finem mentio fit. Sed dices, quomodo ſeruatur interea, benedic maledicentibus, & diligite inimicos veſtros? Reſponderi poteſt, eſſe quoddam peccatum in Spiritum S. pro quo orandum non ſit. Adde non proficiſci illas imprecationes piorum ex animo liuido, qui perſonas odio habeat, ſed peccatum: ſunt præterea piorum exempla, quæ ſine vitio videntur hoſtes veritatis diris deuouiſſe. Suprà Alexander traditur Satanæ & Hymenæus. Phariſæi progenies viperarum dicuntur, & Væ contra illos inclamatur. In Pſalmis Dauid atroces habet imprecationes, quas vide Pſal. 69. & 109. &c. 1. Reg. 2. Elias quinquagenarios duos cum ſuis militibus, euocato cœlitus igni, perdit, &c.

Familiares Pauli eum relinquunt.

Familiares autem & domeſtici deſertores ſunt, qui in prima ſua defenſione eum deſeruere: contra hos non agit eadem ſeueritate, qua contra Alexandrum illum. Nam hi imbecillitate quadam lapſi ſunt: quam ille malitia animi contradixerit Spiritu S. Initio igitur breuiter commemorat delictum ipſorum: id ſanè magnum eſt & prꝑter charitatem, totum tamen infirmitatis cuiuſdam. Et in præſenti cauſa hoc poterat habere commodi quòd hac occaſione diſperſi, alius alibi interea doceret. Deinde narratio illa curam augebat Timotheo, quò citiùs ad eum properaret, & omnes admoneret quò ardentiùs pro Paulo orarent, qui ſolus ſuſtinebat negotium Domini. Videtur Apoſtolo idem accidiſſe quod Domino iam capto: ac mirum eſt deſertum penitus ab omnibus, cùm interim multi laudentur. Domini conſilium eſt, declarare quàm minimè brachio humano niti debeamus. Deinde, pro illis intercedit, *Ne ipſis imputetur*. Ex quo ſatis conſtat, non animi malitia illos peccaſſe.

Deus Paulum confirmauit in vinculis.

Tertiò, oſtēdit in tanta fratrum ſolitudine in quo ſpem habuerit, & per quem ſit confirmatus. *Dominus*, inquit, *mihi adfuit*, &c. Quo docemur conſilio diuino deſertum Apoſtolum. Plus habitura erat ponderis defenſio vnius Pauli, quàm ſi ſtipatus fuiſſet amicorum

copia: & diuinum auxilium in eius defensione ita plus poterat agnosci. Adde, quòd per solum Paulum præconium hoc debuit in prætorio Romæ illustrari. Fecit enim haud dubiè illic præclaram confessionem: idque in conuentu hominum ex omnibus nationibus, per eos in totum mundum fama Euangelij diuulgari poterat. Porrò quòd ait liberatum se etiam ex ore leonis, intelligunt Neronem ferè omnes, ex cuius crudelitate prima defensione sit liberatus diuino auxilio: fieri tamen potest, vt alludat ad Scripturæ formam loquendi, qua hostes & ingentia pericula solent sic describere: quasi dicat, liberauit me à persequentibus, ab hostibus meis, qui animam meam ad mortem quærebant. Nihil tamen est absurdi si taxari hic intelligamus Neronem & impios magistratus: hoc nomine enim digni erant. Sic Christus Herodem vulpem appellat, Pharisæos generationem prauam, &c.

Liberatus verò non solùm ex ore leonis: sed, inquit, *Liberabit me etiam ab omni opere malo*, hoc est, omnibus hostibus meis, vt quæ malitiosè contra me conceperunt, non possint exequi: aut me liberabit vt non delinquam, seruabit me vt nihil mali faciam, non peccem contra dignitatem Euangelij, & potius moriar pro eius gloria, quàm causam eius deseram.

Ad finem locum hunc suaui δοξολογίᾳ concludit: familiare illud est piis, & habet quandam gratiarum actionis formam, qua declarat se & intelligere Dei consilium in toto hoc negotio, & eo se etiam delectari, ac orare vt Deus sic in eo pergat agere.

Salutationes. Quartus locus habet salutationes: & tria complectitur. Primò, quos suo nomine salutari velit Paulus. Secundò, ἐπεμβολὴ est de Erasto, Trophimo, suo aduentu. Tertiò, qui salutent Timotheum. De Aquila & Prisca vide Act. 18. de Erasto Act. 19. vers. 22. de Trophimo Act. 20. 21. In quo illud expende, quòd cum reliquerit in Mileto ægrotum. Vbi igitur illa vis edendorum miraculorum in Paulo? Responderi potest non expediuisse sanctos semper edere miracula, nec illis eam vim ita fuisse collatam vt quoties ipsi vellent facere illa possent: sed Spiritu sancto ad illa ferebantur si esset necessum: & id rectè quidem. Nam Deus sanctos in hac vita morem humanum excedere non vult: manet in eis etiam aliqua infirmitas. Sic Paulo inter ingentia dona datus est etiam stimulus Satanę: & Moses mansit nihilominus blesus, etiamsi Deum de facie ad faciem viderit, & multa effecerit supra alios sanctos. Deinde videtur id etiam ideo factum, ne nimium homines sanctis tribuerent: denique non expedit causæ bonę per miracula omnia administrari, & nominatim morbi, quum admoneant nos peccati, vtiliùs manent interdum quàm tolluntur: qui si non corpori expediunt, animæ certè salutares sunt. Multa enim vitia in nobis impediunt ægritudines, incitant etiam animum ad Diuini nominis inuocationem. Adde, quòd fragilitatis humanæ memoriam nobis reuocant. His de causis vero est simile, Trophimum hunc esse relictum ægrotum in Mileto: & Epaphroditum ad mortem ægrotasse magno Pauli dolore legimus Philip. 2. non autem ab eo curatum legimus.

Timotheum autem salutant, *Eubulus, Pudens, vel Prudens, Linus*, quem Petri successorem faciunt in Ecclesia Romana. *Claudia*, nobilis quædam matrona. *Et fratres omnes*: multi igitur Romæ fuere fideles, ex quo magis possis admirari consilium Domini, quòd tanti viri omnes Paulum in dicenda causa deseruerint.

Comprecationes. Quintus locus est, Comprecatio & subscriptio: ad comprecationem pertinet quod ait, *Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo*. Precatur autem vt mentem eius regat Dominus, & ob id etiam omnes eius actiones fortunet, vitam dirigat: vbi enim ἐνέργεια mentis integra & sana est, actiones inde manantes bonæ erunt & vtiles.

Ad subscriptionem pertinet vltima clausula, *Gratia vobiscum, Amen.* Vbi obseruandum est Chrysostomum legisse ἡμῶν, quum hodie legamus ὑμῶν. Nam sic interpretatur, quasi Apostolus sibi quoque cupiat gratiam Dei communicari, vtpote qui ab omnibus desertus hominibus, omníque externo præsidio destitutus erat, &c.

FINIS.

ALIA DISPOSITIO IN SECVNDAM EPISTOLAM D. PAVLI ad Timotheum, quam secutus est Aretius, dum illam secundò legeret.



QVÆ de occasione, argumēto, propositione, & genere huius epistolę dicta sunt, relinquo integra, vt de his locis olim constitui. Partium verò seriem aliquantulum mutandam duxi, vt verbis Apostoli magis respondeat, & rerum cohærentiam pleniorem reddat: Itaque hunc ordinem iam sequar.

1. Initio, titulus est consueta salutatione, personis cum scribente tum illa ad quam scribitur, constans.

Versu 3. constituo exordium epistolæ, quod secundam efficit epistolæ partem: habet autem

autem significationem beneuolentiæ ex anteactis.


3. Pars constituitur versu 6. est autem πρότασις totius epistolæ, Excitare debes donum Dei quod in te est. Illa deinceps in duo distinguitur membra, scilicet de constantia pręstanda sub cruce, & de cura sanæ doctrinæ defendendæ & propagandæ. Huic loco addit confirmationem: nam mox ver. 7. additur confirmatio propositionis generalis. Ac confirmatio illa primùm accommodatur ad tolerantiam præstandam sub cruce, quæ & ipsa Dei donum est. Initio capitis 2. applicatur ad alteram partem de sana doctrina defendenda atque propaganda. Atque hi duo loci primarij sunt in tota epistola.

Quarta pars constituatur vers. 14. capitis 2. nam illic absolutis argumentationibus, redit ad personam Timothei, & digreditur in vitia illa quæ solent vtplurimum sanam doctrinam euertere. Atque illa bipartita sunt: quædam enim in ipsis doctoribus resident, & inter docendum sanitatem hanc vitiant, qualia sunt, 1. λογομαχία. 2. κενοφωνία. 3. νεωτερικὴ ἐπιθυμία, & 4. μωραὶ καὶ ἀπαίδευτοι ζητήσεις. Hæc igitur imprimis vitia cauenda docet ministro Christi. Alterum genus populare est, hoc est, etiam in auditoribus regnat, qualia sunt quæ initio capitis tertij refert, qui locus totus propheticus est: continet enim ideam corrupti status sub nouissimis temporibus. Status ille est ministro studiosè cognoscendus, & cauenda auditorum suorum vitia, &c.

Quinta pars, cap. 3. vers. 10. Epanodus est: nam illic sese recipit ad exhortationem: ac repetit principales duos locos, ordine etiam seruato immutato. Nam primùm ad constantiam multis rationibus iterum cohortatur. Deinde vers. 14. ad doctrinæ sanæ defensionem, quo loco excurrit in Scripturæ canonicæ commendationem. Huius loci quinti conclusio habetur initio capitis quarti, ac suauis adhibetur tractatio: initio obtestatio est, mox additur ver. 2. πρότασις. Hinc sequitur vers. 3. αἰτιολογία: inde vers. 3. illatio, quæ mox vers. 6. munitur noua argumentatione, &c.

Sexta pars constituatur vers. 9. cap. 4. continet autem hæc priuatas res, vt de Timothei aduentu Romam: nam ob hanc causam videtur imprimis epistolam hanc scripsisse. Deinde quid secum debeat afferre. Adducit primùm Marcum: deinde penulam. 3. libros. 4. membranas. Tertiò querelæ sunt contra apertos quosdam Christi hostes, qualis fuit Alexander ille faber ærarius: de aliis quoque conqueritur, quia imbecillitate quadam lapsi sunt, orat tamen pro eis ne ipsis imputetur peccatum. Itaque duplex genus est defectionis, &c. Quartò, annectitur salutatio, cui interiecta est ἐπεμβολὴ de Erasto, Trophimo, & propositionis de aduentu Timothei. Quintò subiicitur comprecatio qua clauditur tota epistola: habet autem duo membra, &c.

Hæc œconomia mihi solidior videtur, ideóque in explicatione sequar, non illam qua olim sum vsus, sed hanc. In explicatione rerum & locorum nihil muto in his quæ olim scripsi in hanc epistolam, ideo secundaria scriptione quoque abstineo, &c.



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD TITVM.

Quis fuerit Titus.



TITVS genere fuit Græcus, adeóque parentibus Ethnicis natus. Nam in epistola ad Gal. 2. proditum est illum incircumcisum fuisse & mansisse, quod sanè ortum sapit Ethnicum. Et mirum est cur manserit incircumcisus, cùm tamen Timotheum circumciderit idem Paulus. Sed Apostolus reddit rationem, vt libertatem Christianam defenderet hoc exemplo contra Iudæos, qui circumcisionem necessariam homini Christiano putabant. Præceptorem habuit Apostolum Paulum, cuius etiam fuit in multis peregrinationibus comes, aliâs ab eodem missus est ad di-

uerſas eccleſias, tanquam legatus Chriſti. Sic ad Corinthios miſſus eſt ad colligendas eleemoſynas pro pauperibus qui erant in Iudæa, vt eſt in 2. ad Corinth. cap. 8. verſu 6. & 16. Ex quibus conſtat eum Apoſtolo fuiſſe chariſſimum, quò facit etiam quod paſſim illius facit honorificam mentionem, vt in 2. ad Corinth. cap. 2. ver. 12. fratrem vocat, & 8 cap. ver. 23. eiuſdem Epiſtolæ κοινωνὸν & συνεργόν. In præſenti epiſtola filium. In 2. ad Corinth. cap. 7. verſu 6 dicit ſe ſingularem conſolationem accepiſſe ex reditu Titi. In 2. ad Timoth. cap. 4. ver. 10 ſcribit illum abiuiſſe ad Dalmatiam, quod intelligo miſſum docendi cauſa ab Apoſtolo. Et in hac epiſtola ſcribitur quod in Creta ſit relictus, non ſolùm ad docendum, ſed etiam ad conſtituendum alios miniſtros. Fuit autem ampliſſima tum inſula, vt quæ centum habitata ſit vrbibus, in quibus indubiè paſſim docendum fuit. Hieronymus author eſt, non ſolùm in hac, ſed & in vicinis quoque eum docuiſſe, in Creta verò mortuum & ſepultum eſſe.

OCCASIO.

Occaſio ſcriptæ epiſtolæ ſumatur ex ipſo exordio. Nam ſignificat ibi in Creta illum hoc conſilio relictum, vt oppidatim conſtitueret miniſtros, & docendo populi corrigeret mores. Erat autem iuuenis adhuc Titus, ideò Apoſtolus abſens, ne quid temerè ageret, hac epiſtola inſtruit, nominatim quales admittendi eſſent ad miniſterium, & quales remouendi. Item qua prudentia & lenitate mores auditorum corrigere debeat. Deinde nota erat Apoſtolo Paulo Cretenſium vanitas, & in moribus corruptela. Ideò ſtatim primo capite ex veteri poëta illos deſcribit, cùm appellat mendaces, malas beſtias, pigros ventres. Ob id ne quid remiſſius apud eos ageret Titus, admonendus erat. Præterea oberrabant in ea inſula Iudæi acerrimi legis patroni, quibus ne Titus cederet in defendenda ſana doctrina, diligenter fuit admonendus.

ARGVMENTVM.

Inſtruit ergo diſcipulum quales ſint admittendi ad miniſterium verbi, tales nimirum ſolùm, quos morum integritas, & ſtudium ſanæ doctrinæ defendendæ & propagandæ commendaret. Ideo eius rei virtutes commemorat, quales ſuprà in epiſtola ad Timotheum capite tertio. Deinde in ipſo Tito requirit ſummam prudentiam in corrigendis peccatoribus, habita ætatis, ſexus, conditionis ratione, vt hoc modo ad vitæ emendationem hortetur. Omnino enim neceſſarium eſt, vt pij profeſſionem ſuam innocentia vitæ ornent, ideo auditores etiam in genere omnes monet, vt memores prioris conditionis agnoſcant gratiam Dei, & ideo promptiùs emendent vitia, in quibus hactenus vixerunt. Nec ſolùm illa quæ ſunt in moribus externis, ſed etiam quæ ſunt ingenij, vt eſt ardor diſputandi de variis quæſtionibus, ſtudium genealogiarum, & in ſimilibus rebus curioſitas, quæ omnia prohibet Apoſtolus, tanquam certiſſimam peſtem ſanæ doctrinæ. Ad vltimum monet etiam de hæreticis corripiendis, & ſi ita perdurent vitandis. Demum rebus priuatis epiſtolam concludit.

GENVS.

Genus principale eſt Νουθετικόν. Admonet enim quid præcipuè in eligendis miniſtris, & corripiendis auditorum moribus ſequi debeat. Accedunt διδακτικὸν, quo docet qui ſint idonei, item qua prudentia ſinguli ſint admonendi, & quòd ſalus noſtra conſiſtat nuda gratia Dei. Παραινετικὸν, quo hortatur ad mores, vt reſpondeant profeſſioni. Ψεκτικὸν, quo inuehitur in vitia Cretenſium, & malorum doctorum. Ἐπαινετικὸν, quo Titum vt bonum miniſtrum commendat & laudat.

PROPOSITIO.

Sententia propoſitionis eſt. Tito eſt curandum, vt in eligendis idoneis verbi miniſtris, & corrigendis auditorum moribus ad præſcriptum Apoſtoli omnia quàm prudentiſſimè exequatur. Hinc deducatur generalis propoſitio ſeu theſis, quæ valeat in omni miniſtro.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes in breui hac epiſtola conſtituimus quatuor. Et prima quidem titulus eſt, conſuetis partibus compoſitus. Secunda, eſt exordium petitum ab ipſa propoſitione, verſu 5. Habet autem partes duas propoſitio: prior eſt Ἐπιδιόρθωσις, hoc eſt, facultas corrigendi hominum prauos mores, per doctrinam Euangelij, quod quomodo fieri debeat, ſuo loco dicet. Altera pars eſt κατάστασις, hoc eſt, facultas eligendi & conſtituendi miniſtros idoneos aliis eccleſiis, qui ſanam doctrinam & tueri & propagare vtiliter poſſint. De his duabus partibus agitur tota hac epiſtola. Tertia pars conſtituatur verſu 6. & eſt ecphraſis, hoc eſt, explicatio propoſitionis poſitæ, adeóque perpetua inſtructio, quid in vtroque membro ſequendum ſit. Porrò quia duo propoſuerat ſibi explicanda ordinem commodè mutat. Ac primo loco agit de conſtituendis miniſtris, quorum virtutes toto cap. perſequitur. Initio capitis 2. ingreditur alteram partem propoſitionis, quam appellauimus

uimus ἐπιδιόρθωσιν, & docet qua prudentia à ministro idoneo corrigi possint mores in auditoribus, habita scil. ratione ætatis, sexus, conditionis, & similium. Orditur igitur à senibus. Deinde agit de matronis. Tertio loco de maritatis. Quarto de iuuenibus: & quia hanc rem imprimis iuuat doctoris exemplum, ideo quinto loco ostendit quomodo ipse Titus viuere debeat. Sexto loco agit de seruis. Septimo digreditur in generalem θέσιν. Et octauo commoda conclusione locum hunc semel concludit. Initio tertij capitis persequitur rem propositam, & in genere ostendit quomodo subditis viuendum sit erga magistratum. Scopus omnium est vt professio Christiana ipsis moribus ornetur. Ideo admonet de priori conditione, & salutis rationem solius esse gratiæ. Quarta pars statuatur 12. vers. tertij capitis, & est breuis Epilogus. Eius membra sunt. Primùm euocat Titum ad se Nicopolim. Inde commendat ei Zenam & Apollum. Tertiò, adduntur salutationes mutuæ. Quartò, consueta clausula & comprecatione claudit epistolam.



IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TITVM, PRÆFATIO



PROPONAM vobis, studiosi adolescentes, epistolam ad Titum, atque id adeò non tam mea inductus sponte, quàm illorum penes quos est iubendi authoritas. Nam cùm præsens hora, quantum ego quidem meminisse possum, consecrata hactenus sit sacris prælectionibus, quibus ab annis iam postremis 14. præfuit magna grauitate, nec minori omnium commodo, pius senex, & peritissimus sacrarum literarum interpres D. Musculus. Hunc verò parcæ nobis eripuerunt superioribus diebus (sic enim placuit Domino eum reuocare ad beatum illum felicitatis μακαρισμόν) vnde est effectum, vt prælectio illa orba parente, & tanto destituta patrono neglecta iaceat.

At certè optandum erat omnibus, imò in id incumbendum, vt par aliquis & loco & præcessori substitueretur. Nam illud non solùm ad bonum publicum, sed etiam ad ornamentum scholæ faciebat. Adde quod maximum est, quòd sacra nolint ab omnibus, imò nec possint etiam rectè & commodè tractari. Vt enim Alexander non à quouis pictore pingi, nec à quouis sculptore voluit sculpi: ita certè de sacris æstimandum est. Gentilium sacra non nisi ab initiatis poterant ritè administrari. Prophani & βέβηλοι longè arcebantur, quantò ergo magis negotium veræ pietatis, quod sacris comprehensum est literis, peritos & industrios requirit interpretes? Inde factum arbitror vt Dominus in Euangelio prudenti œconomo dispensatorem verbi diuini conferat. Et Apostolus ob id tot virtutes requirit in idoneo interprete verbi Dei, inter quas non sunt postremæ, διδακτικὸν εἶναι, ἐλεγκτικὸν, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον, &c. Quod sanè non cuiusuis fuerit, qui hodie & nudiustertius cœperit sacras literas tractare. Itaque & magni interest qualis sit diuinarum interpres, & ad omnes spectabat hæc cura, ne magni iudicij & nominis alicuius, præficeretur huic vocationi. Sed quæ nostra est seu negligentia, seu cũctatio, seu peccatum veriùs, res sic procedere videntur vt spe omni excidamus, vt non solùm par nullus, sed ne multis quidem passibus comparandus alius, sit nobis sperandus. Et rectè scribit vir doctissimus, & præceptor nunquam satis laudatus D. Hyperius, vt Argentina non habuit secundum Bucerum, & Tigurum alterum Martyrem: sic Bernam non facilè habituram alterum Musculum. Nos interea ne desimus officio nostro, & scholasticis laboribus, hac eadem hora, eam de qua dixi, epistolam vobis proponemus: nam de toto illo negotio, placet illud quod Sallustius dixit de Carthagine: Malo tacere quàm parum dicere.

Porrò cur hanc potissimum epistolam mihi delegerim, paucis vobis exponam. Initio sanè vt omnibus constat, epistola hæc breuis est, ideóque poterit imò vel altero mense ad summum facilè absolui. Habet etiam ipsa per se breuitas nescio quam gratiam iucundam

Cur suis auditoribus hanc exposue

rit Epist. Arctius. & plausibile auditoribus, præsertim si rerum pondere, & sententiarum grauitate exornetur, quæ sanè ad amussim in hac habemus epistola. Deinde, quia summam religionis nostræ complectitur, vt haberi possit meritò omnium Paulinarum epistolarum iustum epitome.

Præterea competens est nostro seculo: nam de quibus hodie mouentur quæstiones, ista hic ab Apostolo propè habemus determinata: vt de electione ministrorum, de vita & moribus illorum, de ipsa doctrina, de docendi idonea formula, de officiis ciuilibus seruorum, dominorum, de iure magistratus, parentum, liberorum, de hæreticis admonendis, & cauendis, &c. Adde his omnibus si placet, quòd ad iuuenem sit scripta, quales nos ferè omnes sumus, si non ætate, certè vita & moribus. Cæterùm iuuenem fuisse apud Chrysostomum reperio. Quod cùm penitius considero, non caret ratione. Nam & iuuenem de singulis admonet, non secus, quàm Timotheum, appellat quoque filium: & cap. 2. ait, Nemo te contemnat, quæ omnia arguunt illum fuisse iuuenem.

Atque hæ quidem in præsentiarum mihi occurrunt causæ, quibus adductus hanc potissimum selegerim. Quod ordinem attinet, non est operæpretium vt multis admoneam: seruabo enim consuetam docendi rationem: qua hactenus me, alia tractantem, audiuistis. Itaque initio exponam vobis quis fuerit Titus, ad quem scribitur epistola: deinde argumentum proponam, ex quo de Propositione, diuisione, genere scripti, iudicium sumi poterit.

Quis fuerit Titus.

Titus genere Græcus fuit, & incircuncisus, qualis mansit etiam post mutatam religionem, vt constat ex 2. cap. ad Gal. ver. 3. nam in illa difficili disputatione de Circuncisione, quam non solùm Iudæi defendebant, hostes crucis Christi, sed multi etiam conuersi, Apostolus Paulus Timotheum quidem circuncidit: Titus verò iste non est coactus eandem admittere. Vnde probabile est deinceps semper in Christianismo incircuncisum mansisse. De parentibus eius nihil reperio in Sacris literis, tamen ex Ethnicis natum esse satis colligi potest ex loco ad Gal. cap. 2.

Titi præceptor. Præceptorem habuit Apostolum Paulum, quemadmodum & Timotheus: nam passim comes est peregrinationum eius. Apostolus etiam eius opera vtitur in legationibus ad diuersas Ecclesias, in colligendis eleemosynis pro pauperibus in Iudæa, vt 2. Cor. cap. 8. vers. 6. & 16. Vnde colligimus Apostolo Paulo hunc fuisse charissimum. Hinc fratrem vocat 2. Cor. 2. vers. 12 & 2. Cor. 8. vers. 23. κοινωνὸς eius & συνεργὸς dicitur. Et in hac epistola filium germanum vocat. In 2. ad Cor. cap. 7. ver. 6. singularem consolationem se percepisse scribit ex reditu Titi. in 2. ad Tim. ca. 4. ver. 10. In Dalmatiam profectus dicitur, quod intelligo factum docendi causa, & missum ad hoc ab Apostolo Paulo.

Ex quibus omnibus colligi potest donis illum fuisse admodum præclaris ornatum, vt non immeritò Creta insula centum oppidis illustris ei sit commissa. D. Hieron. vitam illius breuiter perstrinxit in catalogo, cuius verba sunt.

Titus Episc. Cretæ, in qua & circumiacentibus insulis prædicauit Euangelium Christi, ibidem etiam obdormiuit, & sepultus quoque est in Creta.

Occasio.

Reliquerat Titum in Creta, vt oppidatim ordinaret ministros, eundem absens per epistolam instruit: videbat enim iuuenem esse, & quanquam præclara Dei haberet dona, tamen fieri posse vt per ætatem minus rectè tantum munus administraret. Deinde accedebat quòd nota esset Apostolo Cretensium in bonis moribus publica corruptela: hinc statim primo capite mendaces, malas bestias, & pigros ventres ex veteri quodam poeta, dicit esse. Denique oberrabant in eadem insula multi Iudæi defensores legis, inter quos multi etiam Christum confessi, legalia interim mordicus seruabant, quibus ne cederet in defendenda sana doctrina, & ordinandis bonis ministris, absens per epistolam admonendus erat.

Argumentum.

Instruit autem discipulum suum quales sint admittendi ad munus docendi: nimirum quos morum integritas commendat, & studium sanæ doctrinæ, virtutes ad hanc rem necessarias recenset ferè easdem, quas suprà. 1. Tim. 3. In ipso verò Tito inter docendum requirit summam prudentiam in corripiendis peccatoribus, vt scilicet habita ætatis, sexus & conditionis ratione, omnes auditores ad vitæ emendationem hortetur: omnino enim necessarium est vt Christiani bonis operibus professionem suam ornent: admonet etiam nos conditionis nostræ prioris ante conuersionem, hoc est, quales simus natura, & quales ex Dei gratia. Atque illa vitia in moribus ferè concernunt. Alia deinde sunt ingenij præsertim iuuenilis, qualia sunt ardor disputandi de quæstionibus variis, studium genealogiarum & similia: quæ omnia illi grauiter prohibet, vtpote sanæ doctrinæ certissimam pestem. De hære-

ticis

ticis admonendis & demum cauendis locum addit ferè ad finem, hinc rebus priuatis totam epistolam concludit.

Genus.

Νουθετικὸν est principale, nam consilium Apostoli est admonere officij Titum, quid in electione ministrorum respicere debeat, & quid ipse inter docendum obseruare vtiliter possit. Accedit huic διδακτικόν: nam docendum erat quinam idonei essent, & qui non idonei. Item qua prudentia corrigenda vitia quæ in moribus auditorum irrepserant. Præterea παραινετικόν: nam ad mores professioni respondentes passim hortatur.

Status.

Quæstio est de re facienda, in qua etiam proponitur & datur consilium prudens, quod tutò & vtiliter sequi potest: ideo πραγματικὴ στάσις est. Quia verò passim adduntur consilij huius rationes grauissimæ: ex genere & forma orationis λογικὴ dici potest στάσις. Quia autem simul describitur bonus Christi minister, ὁριστικὴ eatenus dici poterit.

Propositio.

Duplex tractatur Propositio. Prior est, Titus ad præscriptum Apostoli, quàm aptissimos presbyteros Ecclesiis præficere debet. Hinc facilè generalis Propositio confici potest, qualis etiam 1.Tim.3. Altera Propositio est, In corrigendis auditorum vitiis minister bonus summa prudentia vti debet. Hanc posterius explicat, vtranque verò simul proponit ver.5 Itaque tota epistola habet hęc duo, κατάστασιν τῶν πρεσβυτέρων, hoc est, cōstitutionem ministrorum: & ἐπιδιόρθωσιν, hoc est, correctionem vitiorum in moribus auditorum: reliqua specialia sunt quæ per occasionem hinc inde negotio asperguntur.

Partes.

Cohærentiam membrorum ex ipso contextu sumamus hoc pacto. Primùm iustus est titulus loco exordij positus continens muneris Apostolici dignitatem, laudes breues Titi, & piam comprecationem.

Deinde vers.5. statuitur πρότασις generalis consilij sui, cur illum in Creta reliquerit, nimirum hoc fine, vt corrigeret hominum prauos mores per doctrinam Euangelicam, & ordinaret reliquis Ecclesiis presbyteros.

Tertiò, mox additus vers. 6. Propositionis positæ ἔκφρασις, in qua deinceps tota epistola consumitur. Et quia duo proposuerat in explicatione, vtiliter mutat ordinem, primò persequens id quod posterius erat in Propositione, scil. de ministris idoneis ad docendi munus. Διδακτικὸν hoc totum est: docet enim qui idonei sint: & ὁριστικὸν, notis enim quibusdam describit bonos ministros: quæ tum ad mores, tum ad doctrinam possunt referri, Atque hæc capite 1.

Deinde capite 2. accedit ἐπιδιόρθωσιν, quam proponēdo primo loco statuerat, ac declarat quanam prudentia vtiliter mores corrigi possint, si scil. pro ratione ætatis, sexus, & conditionis, officij sui admonentur singuli à ministro. Scopus omnium est, vt professio Christiana ipsis moribus & operibus cohonestetur. Huc pertinent officia senum, matronarum, iuuenum, seruorum, dominorum, subditorum, magistratuum, &c.

Quarto loco est ἐπίλογος capite tertio versu duodecimo, de aduentu Titi, de Zena Legisperito: adduntur breues salutationes: denique finalis comprecatio.

CAPVT I.



POSTOLVS more suo ciuili epigraphe vtitur, qua se suámque vocationem commendat, hinc Tito suas quoque ascribit laudes, ac pia comprecatione annexa transit ad scopum epistolæ, ostendens consilij sui finem, cur.s. in Creta sit relictus duplici.s. de causa, primùm vt aliis Ecclesiis in Creta ordinaret idoneos ministros. Deinde vt in moribus reliqua emēdaret, quæ correctione opus habebant. Mox qui idonei sint futuri ministri diligenter explicat, ascribens Canonem non dissimilem ei qui habetur 1.Tim.3. Ad finem inuehitur contra seductores ex Circuncisione, & in corruptos Cretensium mores. Cap. 1. argum.

Partes igitur tres ferè sunt in hoc capite. Prior titulum continet: altera Propositionem totius epistolæ, tertia Canonem ministerij, cui annexa est pars quarta, qua mores Cretensium, & Iudæos seductores reprehendit. In præsentia verò de solo agemus Titulo. Partes.

Titulus.

1 Commendat se suúmque Apostolatum variis nominibus. Deinde Titum ornat debitis laudibus. Tertiò, comprecatur illi bona quædam cælestia. Se commendat duplici nomine: primùm quia sit seruus Dei: deinde quòd sit Apostolus Christi. Apostolatum verò suum

multis nominibus illustrem facit, quæ ordine videbimus.

Paulus cur Dei seruus dicatur.

1. Seruum Dei se vocat: quæ commendatio non leuis est, nam non respicit abiectam & contemptibilem conditionem, sed vocationem ordinariam, per quam ad singularia vocati Dei serui dicuntur, quasi Dei singularia organa ad certas res expediendas Dei imperio: sic Dauid dicitur seruus Dei Ezech. 34. Messias, Esa. 52 53. Nebuchadnezar: Ierem. 26. Hoc sensu Paulus dicitur seruus Dei, id est, organum peculiare, per quod Deus totam pietatem mundo propositurus erat. Huc facit quod legitur Act. 9. ver. 15. instrumentum est mihi vt perferat nomen meum in conspectum Gentium, Regum & filiorum Israël. & Act. 13. versu 2. dicitur, Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod deputaui eos. Hinc doctor & Apostolus Gentium, quia singulare fuit Dei organum in conuertendis Gentibus ad Christum. Itaque serui nomen in omnibus quidem sanctis ei est commune: sed idem illi peculiari ratione congruit propter singulare officium, vt singulis Prophetis sua quadam ratione competebat.

Paulus Apostolus Christi.

Secunda commendatio est, quòd se vocat Apostolum Iesu Christi, qua corrigit aliquo modo superiorem: nam seruum Dei esse iam etiam ab hypocritis & osoribus Dei vsurpabatur, quod vel vnius Pauli exemplo euinci potest. Nam ante conuersionem dum hostis Christi esset, tamen Dei seruus dici & haberi volebat: at Apostolus haberi noluisse, ideo vtrunque titulum coniungit, seruum Dei esse, & Apostolum Christi, quasi in eo declarentur veri Dei serui, si iidem velint Christi esse ministri. Ideo ἀπόστολος δὲ scribitur, quia non satis est dici seruum nisi ad Christi gloriam applicetur totum ministerium. Atque hactenus suam personam commendauit. Iam quod posterius erat suum Apostolatum quoque ornabit: nam hoc nomen imprimis odiosum erat Iudæis, ideo commendatione & laudibus indigebat. Pertinent igitur huc iam consequentia verba, quæ paucis ad institutum clariùs applicabimus.

Apostolatus antiquitas.

Primùm igitur ornat Apostolatum suum: quòd sit institutus, *secundum fidem electorum Dei.* Argumentum vim habet à consensu antiquitatis. Ac refellit crimen nouitatis quod passim Apostolis obiiciebatur: vt hodie Euangelicæ doctrinæ nouitas solet obiici, quasi nupera sit doctrina. Dicit igitur D. Paulus, Apostolatum suum esse secundum fidem electorum, hoc est, omnes retro sancti hoc ipsum crediderunt quod Apostolatus meus profitetur. Et fides hîc non ineptè pro expectatione & spe rerum promissarum accipi potest: fuit enim omnium sanctorum hæc expectatio, Christum aliquando venturum & in illius nomine veritatem publicè esse promulgandam: secundum hanc igitur fidem, inquit, meus Apostolatus rem ipsam iam docet exhibitam esse. Electos Dei accipio, omnes, ante Christi in carnem aduentum pios. Ex quo demonstratur fidei vnio & consensus, quòd veteres eadem fide qua nos saluati sint, & totius doctrinæ Propheticæ ac Apostolicæ Ioannem esse subiectum, quamuis temporum ratione multum variet.

Subiectum Apostolicæ doctrinæ veritatis cognitio.

Deinde, idem Apostolatus est, *secundum cognitionem veritatis, quæ est secundum pietatem.* Commendatio sumitur à materia subiecta: nam profitetur Apostolatus nihil aliud quàm veritatem, quæ Christus est, huius cognitio non aliunde sumi potest quàm ex Apostolicis literis. Ac veritatem hanc eruditè distinguit ab aliis rebus vel scientiis variis: quia hæc professio veritatis est secundum pietatem, hoc est, faciens ad veram Dei cognitionem, ac ob id pietatem ipsam veram doceat. Est enim alia veritatis cognitio, quæ est secundum pietatem, hoc est, cuius finis non est peculiariter ipsa pietas, vt in disciplinis Philosophiæ multa veritatis sunt vestigia, vt in Arithmetica, in Mathesi veritas deprehensa est ex ipsis demonstrationibus, in Physica veritas propter causarum cognitionem, in ipsa Philosophia veritatis quædam lucet vmbra: sed omnia illa nihil ad veram pietatem, sola veritas Apostolica habet hanc laudem, quòd pietatem ipsam ac verissimam doceat.

2. *Ad spem vitæ æternæ, &c.*

Apostolici muneris finis.

Tertia est commendatio muneris Apostolici à fine sumpta, qui est, vitæ æternæ spes, q.d. hæc doctrina sola monstrat vitam æternam. Itaque ob hanc spem meritò admiranda est. Aliæ professiones fortè prosunt vitæ huic, sed nulla dum reperta est, quæ auderet æternitatem vitæ promittere.

Quarta est, ab autore certissimo, Deo scil. is promisit hanc spem vitæ æternæ, ac promissiones eius S. literis continentur: explicantur autem Apostolica doctrina. Porrò autor promissionum mentiri nescit, hoc est, veracissimus est, sine dolo, & fraude hoc promisit sua sponte. Igitur Apostolatus magni est faciendus.

Eius antiquitas.

Quinta à temporum antiquitate, *promisit hoc ante tempora æterna,* hoc est, quorum decursus æternus est, vel secularia, quia certo momento cœperunt, finem etiam aliquando habitura. Idem est quod Petrus. 1. epist. 1. ver. 20. dixit ante iacta fundamenta mundi. Et 2. Tim. 1. ver. 9. Gratiam nobis datam in Christo Iesu ante tempora secularia. & Col. 2. ver. 26. mysterium

rium abſconditum à ſeculis. Ephe. 3. ver.9. 10. Rom.16.verſ.25.26.ſimiles habentur phraſes. Porrò duo hîc conſideranda ſunt: initium promiſſionum: deinde declaratio illarum. Initium ſanè incomprehenſibile eſt, quia factum eſt ante mundi fabricam: nec obeſt quòd cum homo non fuerit cui fieret promiſſio, quia Deo omnia erant etiam tum præſentia: deinde quòd promittere dicatur id quod apud ſe certò determinauit ac conſtituit infallibiliter ſeruare: promiſerat igitur apud ſe Deus homini aliquando condendo, quod poſt eiuſdem lapſum impleturus erat. Demum verò homini condito has ipſas promiſſiones patefecit. Scriptura autem de his loquens citatis locis agit de initio illo incomprehenſibili, quia arcanum hoc Dei conſilium auguſtius eſt, quàm vt humana ratio illud exquiſitè comprehendat. Declaratio autem promiſſionum habet certa & cognita momenta, quæ dicuntur καιροὶ ἴδιοι hoc eſt, momenta ad hanc rem propriè deputata, vt quando naſciturus eſſet filius Dei, qua hora paſſurus, quando Euangelium in orbe prædicandum, & ſimilia. Loquitur igitur hîc Apoſtolus de ſuo ſeculo in quod iſti καιροὶ inciderant.

3. *Sermonem ſuum, &c.*

Ἔκθεσις quædam eſt cœptæ ſententiæ, de patefactione promiſſionum diuinarum: ac rectiùs hoc comma ſuperioribus connecteretur. ***Patefecit autem ſuis temporibus ſermonem ſuum.*** Ac λόγος αὐτοῦ accipiatur ipſa doctrina Euangelica de Chriſto, quæ verè eſt Dei ſermo, aut certè λόγος eſt filius Dei, vt eſt Ioan.1. Nec ſenſus alius erit, nam Chriſtus materia doctrinæ Euangelicæ, & eſt idem λόγος αὐτοῦ, hoc eſt, ratio & via conſequendi vitam æternam.

Ἐν κηρύγματι indicat cauſam organicam, per quam doctrina hęc de vita æterna in Chriſto aſſequenda ſit patefacta, ſcilicet per prædicationem Apoſtolicam, quam toties iam commendauit: & refero κήρυγμα in genere ad prædicationem Euangelij, quam aliàs ad ſe transfert Apoſtolus: aliquando ad Chriſtum, aliquando etiam ad ſcripta Prophetica, vt Rom. 16. verſu viceſimo quinto & viceſimo ſexto, non diſcrepante ſententia. Hoc loco ſtatim ad ſe applicat, ***quod eſt concreditum mihi ſecundum ordinationem ſeruatoris noſtri Dei.*** Sexta hinc petatur commendatio muneris Apoſtolici, ab autore Deo, & mutua obligatione, quaſi dicat, non meo, nec vllius hominis conſilio mihi impoſita eſt hæc functio, ſed Dei vnius arbitrio: id quàm verum ſit ex cap.9. Act. cognoſci poteſt. Deinde hoc etiam vult hunc theſaurum ſibi ita commiſſum, vt data fide ipſe teneatur omnibus modis hanc doctrinam propagare. Vide Gal.2.1.Theſſal.2.verſ.4.& 1.Cor.9.ver.17.ſimiles phraſes.

Prędicatio Apoſtolica.

Autor apoſtolici muneris.

Tito germano filio ſecundum communem fidem.

Hactenus de ſe ſuóque munere Apoſtolico: nunc tranſit ad alteram perſonam, Titi ſcil. eúmque ſuis ornat laudibus. Filium vocat iure regenerationis, quia hoc præceptore vſus erat in conuerſione & perdiſcenda doctrina Euangelica. Germanus autem eſt, hoc eſt, ſingulariter reſpondens notis ſuis, qualis fuit Timotheus quoque. Communem autem fidem vocat ſeu vſu, quia communiter omnibus proponitur iſta doctrina: vel profeſſione, quòd eandem vterque religionem profiteretur cum omnibus ſanctis: vel certè conſenſu, quia eandem doctrinam eodem modo explicarent. Fit enim vt vna & eadem doctrina non maneat communis in explicandis rebus, dum vnus hunc, alius alium ſequitur ſenſum. Commendatur igitur hoc loco conſenſus in docendo, quòd Titus non alium quàm quem Apoſtolus Paulus ſequatur ſenſum.

Titi commendatio.

4. *Gratia, miſericordia, & pax, &c.*

Tertius locus eſt inſcriptionis, continens piam comprecationem. Eandem habuimus in 1.& 2.Tim. cùm in reliquis epiſtolis duobus membris fuerit contentus, gratia ſcilicet & pace. De quibus vide ſuperiora. Hoc loco obſerua Chriſtum hîc etiam dici ſeruatorem, quod nomen ſuprà Deo patri tribuerat, ſignificans parem gloriam & maieſtatem Filij ac Patris, & ob id eandem naturam. Dicitur autem Pater diuerſo reſpectu, ſaluator, quia fons ſalutis eſt, & conſilium hoc ab æterno ſecum decreuit: filius etiam ſaluator alio reſpectu, quòd ſit organum ſaluationis, paſſus enim pro nobis hoſtia illa, peccata noſtra deleuit. Interim Pater non aſſumpſit humanam carnem, nec paſſus eſt, quæ in Filium propriè quadrant. Ac Deus Pater propriè reſpicit gratiam ac miſericordiam tanquam harum fons: Filius autem pacem, quia pacificator noſter eſt factus, quæ tamen ſic tribuuntur perſonis vt facilè omnibus tribus ſint communia, tamen inter docendum nihil impedit diſtinctè de his quoque loqui. Atque hactenus producitur ipſa inſcriptio: ſequitur propoſitio.

Chriſtus ſeruator.

Propoſitio.

5. ***Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt quæ reliqua ſunt corrigas, & conſtituas oppidatim presbiteros, vt ego tibi mandaui,***

Quæ hactenus dicta ſunt, pertinuerunt ad titulum præſentis epiſtolæ, ac tria potiſſimum ſpectarunt, ſubſcriptionem, inſcriptionem, & ſalutationem. Subſcriptio continuit muneris

Apostolici commendationem. Inscriptio verò laudes Titi pias ac moderatas. Salutatio denique piam comprecationem. Nunc consequens est propositio, quæ his paucis proponitur verbis, ac mentem complectitur totius epistolæ: nunc huc omnia referuntur quæ scribit deinceps. Exordium igitur à propositione ducit, ac forma quadam narrationis partes connectit, simúlque explicat obiter causas finales sui consilij, ad quas toto suo officio Titus debet respicere.

Mens propositionis est, Titus in Creta omnia debet ad consilium Apostoli quàm diligentissimè expedire, siue ad corrigendos auditorum mores spectent, siue ad ministrorum piorum electionem.

Partes nobis hoc loco tres explicandæ sunt: locus scilicet, factum Apostoli, & officium Titi. De his igitur breuiter agemus.

Creta insula in qua relictus Titus.

In Creta dicit se illum reliquisse. Est illa insula maris mediterranei, inter Atticam Græciæ & Cyrenaicam Affricæ media iacens. Habet ab occasu mare Ionium, ab ortu Carpatium, à Septentrione Ægeum mare, à meridie Lybicum, nobilissima olim insula rei nauticæ peritia, vnde prouerbium, Cretensis mare ignorat. Optimos quoq; sagittarios olim habuit, interim versutos homines aluit, vnde cretizare dicitur cum Cretense. Amplissima etiam fuit insula, etiam Homeri ætate, qui ἑκατόμπολιν vocat. & Vergil. 3. Creta Iouis magni medio iacet insula Ponto, Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna. Idem tamen Hom. in Odyss. nonaginta vrbes habere dicit, quod solui potest eo pacto, quòd tempore belli Troiani 90. tantùm habuerit oppida, quemadmodum miles in Odyss. de ipsa loquitur, sed Homeri tempore amplior sit reddita numero decem vrbium. Hodie Candia dicitur, fortè à candore montium: nam occidui eius montes albi sunt, vnde Græcis etiam λευκοὶ dicuntur. Vide Plin. lib. 4. cap. 12. Strab. 10.

Cur in Creta relictus Titus.

II. Consilium autem & factum Apostoli est, quòd illum istic reliquerit Ecclesiis emergentibus, vt docendo & confirmando eas auctiores redderet. Reliquit igitur eum in Creta, non vt Trophimum in Mileto, aut vt Erastum Corinthi: illum enim detinebat morbus: Erastum verò officium publicum Corinthi retinuisse videtur, sed quemadmodum Timotheum reliquit Ephesi, hoc est, necessario & perutili consilio. Deinde considerãdum hîc, Titum illic relictum ligari ad doctrinam Pauli: nam addit, *Vt ego tibi ordinaui*, vel mandaui, διεταξάμην, hoc est, à mea doctrina nulla ratione licet tibi recedere, tum in corrigendis hominum vitiis, tum in ordinandis quoque ministris. Sic Timotheum in officio retinet passim & astringit ipsum ad suam doctrinam. 2. Tim. 3. vér. 10. Assecutus es doctrinam meam. & mox vers. 14. Permane in his quæ didicisti, sciens à quo didiceris. 2. Tim. 2. ver. 2. Quæ audiuisti à me per multos testes, hæc trade idoneis hominibus. 2. Tim. 1. ver. 13. formam habeto sanorum sermonum quos à me audiuisti. Hinc anathema audet pronuntiare etiam Angelum de cælo qui aliud Euangelium attulerit, Gal. 1. 8. Quæ omnia istuc faciunt vt intelligamus vnum esse genus doctrinæ, cui certò & firmiter insistendum est, scilicet Apostolicum, & vt suo seculo, opposuit hanc suam doctrinam omnibus omnium interpretationibus: sic hodie omnibus hominum traditionibus opponi debet.

Titi officium duplex.

III. Officium verò Titi bipartitum est: aliud in corrigendo positum: aliud in constituendo. Hæc duo in propositione Apostoli habemus, *Vt corrigas reliqua, & constituas oppidatim presbyteros.* Illud igitur sit ἐπιδιόρθωσις, hoc verò κατάστασις. Correctio habet omne illud quod in hominum moribus vitiosum est, & emendari debet & potest ad normam Legis diuinæ. In qua parte Apostolus multa quidem correxerat, at non omnia, nec totum. Hinc præceptum de emendatione reliquorum. Solitus autem fuit Apostolus imprimis corrigere vagam illam adorandi consuetudinem, qua Gentes pro arbitrio sibi numina statuebant, & eadem honoribus diuinis prosequebantur, vt videre est Act. 17. in oratione Athenis habita: deinde correxit passim præsumptionem humanarum virium, ac ostendit natura nos omnes peccatores, Deíque gratia indigere. Hinc securitatem peccandi correxit metu diuini iudicij, ex iis fontibus emendauit corruptelam in moribus quæ proximo solet nocere, & violat legem dilectionis. Hæc & similia correxit, at non omnia, nec apud omnes: ideo Tito mandat τὰ λείποντα corrigenda. Quo admonemur semper & vbique opus nos habere emendatione: deinde nullam posse tantam esse piorum ministrorum vigilantiam, quæ vitia ad plenum in auditoribus corrigat, quin semper ingeminanda sit vox illa Apostoli, Corrige reliqua. Interim de successu minimè desperandum esse: aliquid enim promouit Apostolus, vt Tito non omnia, sed λείποντα corrigenda mandet.

Correctio corruptionis morũ & disciplinæ.

Porrò correctio illa, vel solet præuenire lapsus, & peccata imminentia, vel eadem iam commissa emendat. Contra futura vitia instituuntur bonæ leges, quibus in futurum vitiis obuiam itur: talis erat prima illa lex Dei homini in paradiso data, ne ederet de ligno vitæ, Genes. 2. Tales sunt Reipub. bonæ leges, & Ecclesiæ disciplina, & exempla publica pœnarum,

rum, spectatoribus proponuntur ad emendationem, ne in similia incidant. Quæ vno verbo προδιορθώσεις rectè appellabimus.

Alterum genus correctionis emendat commissos errores, quemadmodum Adamus post peccatum pœnis castigatur, amittit Dei gratiam, paradisi possessionem, &c. Sic omnes scelerati dum à magistratu ordinario ad pœnas rapiuntur, castigantur: quæ omnia non tam fiunt propter ipsos facinorosos, quàm ipsos spectatores, vt aliorum exemplis discant piè viuere. Sed de huiusmodi ἐπιδιορθώσει non loquitur hic Apostolus: fit enim ista cum vi corporali, est propria Dei, & ordinarij magistratus, qui vicem Dei in terris supplet. Ministerium aliam habet viam correctionis quæ procedit per doctrinam, admonitione, institutione diligenti, docere pœnitentiam, pios mores, declarare magnitudinem peccati, & quantum displiceat Deo: Item nullos peccatores per se locum habere in regno Dei, & quòd ad hoc nulla via sit alia nisi per Filium Dei, omnes nos egere gratia Dei, nec vllum peccatum impune committi. Quæ omnia si cum dono Spiritus sancti ingerantur auditoribus, odisse peccatum incipient, seipsos agnoscent, ac seriò conuertentur, quæ omnia minister sine vi corporali administrabit, etiamsi quidam impœnitentes permanserint, quos arcebit terrore iudicij Diuini. Ad hanc formulam correctionis pertinet caput secundum & tertium in hac epistola. Primùm docet corrigere vitia in senibus, mox matronarum, hinc iuuenum & iuuencularum, seruorum ac subditorum. In quibus Ethica Philosophia apud Christianos reposita est. Vitiis moralibus adiicit alterum genus erroris, quod correctione indiget, quod versatur in doctrinæ dogmatibus, quales sunt ζητήσεις μωραὶ, stultæ quæstiones. 2. genealogiæ infinitæ. 3. νομικαὶ μάχαι, quæstiones Iudaicæ ex Lege doctrinæ. 4. hæresis in genere, de qua monendus est homo, si perduret vitandus: quæ partim προδιόρθωσιν habent: partim verò ἐπιδιόρθωσιν.

Alterum officium Titi, est *Constituere presbyteros oppidatim*: appellatur hoc κατάστασις πρεσβυτέρων, ordinatio ministrorum, locus amplissimus & scitu necessarius. Quæri solet hîc, quis ordinare debeat, deinde qui ordinandi sint. Quod prius attinet, Apostolus hoc loco Tito soli hoc tribuit: nec enim alij erant in Creta qui hoc curarent, aut possent præstare, & magistratus omnes adhuc Ethnici erant, & erat Titus ab Apostolo rectissimè institutus, donísque Spiritus sancti præditus. Hodie alia est ratio, magistratus habemus fideles, populum quoque Christianum. Ideo ad solos ministros vis electionis non spectat, quanuis soli Tito hîc competat: ideo nostræ Ecclesiæ hunc morem seruant, vt ministri quidem eligant, Senatui tamen offerunt qui totam aut habet irritam electionem prout negotium cognouerint: sæpe etiam quæritur consensus illius Ecclesiæ cui minister est præficiendus, sed de eo argumento alibi dicetur. Apostolus ferè iubet respicere ad mores vitæ, & ad facultatem, mores autem tum ipsius personæ eligendæ, tum familiæ eius inspici debent. Facultas complectitur cognitionem sanæ doctrinæ, subsidia per quæ commodè proponi aliis poterit, hoc est, methodum quæ petitur tum ex peritia linguarum, tum artium, imprimis verò ex præceptis Dialecticis, ac in duo ferè cadit, διδασκαλίαν & ἔλεγχον, illa nostra probat facili & perspicua ratione, auditoris ingenio accommodata, hic verò corruptores sanæ doctrinæ conuincit, flagitiosè viuentes inexcusabiles facit nisi resipiscant. De quibus omnibus suis locis dicetur. Porrò illud hîc etiam seruandum est, cùm oppidatim iubet ordinare presbyteros, eos esse ministros qui Ecclesias docerent. Deinde multos conuentus iam in Creta fuisse, quum per singula oppida tales essent constituendi. De ordinatione ministrorũ, qui & à quibus eligendi.

6. *Siquis est inculpatus, &c.*

Tertia pars epistolæ, in qua Propositionem diffusè explicat: hanc igitur nominemus ἔκφρασιν seu ἔκθεσιν, quia propositi argumenti continet declarationem. Agitur autem de vita ac doctrina boni ministri, quæ pars ad κατάστασιν pertinet posteriore loco proposita.

Duo autem hîc explicantur: quales requirantur mores, tum propriæ personæ eligendæ, tum ipsius familiæ, denique de facultate, qua ad docendum debet esse instructus.

Propositio est, Minister Christi non solùm ipse inculpatus esse debet, sed etiam ipsius familia. Tractatio habet Propositionem, confirmationem, & hęc tractatur ἀποφατικῶς καὶ καταφατικῶς, omnia ordine videamus. Bonus minister qualis esse debeat.

Siquis sit ἀνέγκλητος, sup. 1. Timot. 3. vbi idem describitur canon, dicitur ἀνεπίληπτος, hoc est, talis qui non possit iustè accusari. Ε'γκαλεῖν verbum forense est, significans in ius vocare: vocantur autem in ius improbi, scortatores, ebrij, fures, adulteri, homicidæ, auari, raptores. His igitur criminibus vacare debet minister. Ac talis potest interim esse peccator coram Deo. Ideo non vult omni peccato carere ministrum, sed illis atrocioribus quæ Christianam professionem lædunt. Itaque ἀνέγκλητος vel est reuera talis: sic filius Dei Christus de se dicit Ioan. 8. quis ex vobis arguet me de peccato? quia reuera peccato caruit. Aut talis est apud homines in atrocioribus, tales esse debent ministri: talis Paulus

fuit Act. 20. vers. 33. vbi ait argentum, aurum, & vestem nullius se cupiuisse & Samuel. 1. Sam.12.&c.

2. *Vnius vxoris maritus.*

Idem 1.Tim.3 vers.2. habetur, ac diximus tum vnius vxoris maritum, damnare polygamiam, concubinatum & vagum cœlibatus prætextum, qui nudo titulo se defendit sine castitate carnis: euincit simul ministro licere prima defuncta ad secundas nuptias transire, quum morte interueniente prior vxor esse desinat.

3. *Liberos habentem fideles.*

Πιςὰ accipio pro liberis qui professioni respondent, aut fideles, h. e. conuersos ad Christum: nam pater fidelis si suos liberos conuertere non potest ad Christum, quomodo alios conuertet? exhibeat igitur facultatis docendi tyrocinium in suis conuertendis: inde probabile erit alios ipsum posse conuertere: sed priori sententiæ videtur conformius esse, quod sequitur, *non obnoxia luxui*. Asoti sunt decoctores, heluones, quales fuerunt liberi Heli sacerdotis, 1.Sam.2.& 3. quos quum non corrigeret pater, ipse cum liberis vna die miserè periit.

7. *Oportet enim Episcopum, &c.*

Confirmatio propositionis. Hactenus proposuerat, nunc rem confirmat. Obserua primùm Episcopum hîc sumi pro presbyrero, & vtrunque sonare ministrum frugi. Deinde genus confirmationis esse αὐτόπιςον: nam resumit id quod in Propositione fuerat: oportet enim esse ἀνέγκλητον, at idem proposuerat: non est repetitio principij, sed argumentum vim habet à natura rerum, certum enim est doctorem debere esse eruditiorem suis auditoribus eo ipso quo est doctor. Hinc illud Catonis, Turpe est doctori, si culpa redarguit ipsum. Præterea vim habet à similitudine: nam ministrum comparat œconomo, qui apud homines solet inculpatus requiri: ergo multò magis in ministerio Christi. Hanc similitudinem vide 1. Cor.4.& 1.Pet.4.

Vitia quibus vacare debet minister. Sequuntur hinc ἀποφατικὰ, hoc est, vitia quæ remouentur à ministerio, mox contrarias totidem virtutes subiecturus. Itaque diligenter expendantur hîc vitia.

Primùm. *Non sis præfractus*, αὐθάδη significat eum qui sibi in omnibus placeat, olim aliorum contemptor, vt in opinionibus suam solet approbare, aliorum omnium contemnere. Dictus est quasi αὐθάρεσκος, nam ἅδειν Græcis est ἀρέσκειν, placere: & ἄδειν, canere, qui suam cantilenam solam approbat, vt cuculus, vt noctua. Pessimum est vitium in ministerio.

2. *Non sit iracundus.*

Ὀργίλος pronus ad iram, biliosus, qui semper in armis est, irritabilis, & ad quæuis excandescit.

3. Πάροινος est quasi vino affixus, & ita deditus, vt sine illo esse nolit. 4. Πλήκτης, ex superioribus sequitur hoc vitium, vino & ira incalescunt animi: hinc à verbis ad verbera deuenitur.

5.& 8. *Turpis lucri cupidus. Sed hospitalem.*

Turpe lucrum est vel per se, vel per accidens. Vtrunque à ministro debet esse alienum.

Virtutes quas in bono ministro esse decet. Sequuntur iam θετικὰ, hoc est, virtutes quæ in bono ministro esse debent: enumerat autem sex quę ferè superioribus vitiis opponi possunt. Primum sit, hospitalem, deinde φιλάγαθον, quod tum ad res, tum ad personas refero: tertiò, temperantem: quartò, iustum inter homines: quintò, sanctum erga Deum. Sextò, continentem. Ἐγκράτεια virtus est omnibus affectibus sese opponens: nomen habet à κράσει, h.e. temperamento: vt enim vinum fortius aqua diluitur, sic affectus temperandi sunt, vt & tępestatibus infundi solet oleum, sic motibus animi, ac quemadmodum fluctus tempestatum ad scopulos illiduntur ac confringuntur: sic ratio immota stare debet contra omnes affectus, quod propriũ est huius virtutis ἐγκρατείας.

9. *Tenacem illius qui secundum, &c.*

Quom. docendũ Tito. Alterum membrum de doctrina, quanta illa esse debeat, scil. non solùm vt sua ad consolationem possit proponere piis auditoribus: sed etiam vt contradicentes possit potenter euincere. Duæ igitur sunt partes διδασκαλίας. Prior dicitur παράκλησις, & valet apud auditorem sequacem: altera ἔλεγχος, qui adhibetur contra refractarios.

10. *Sunt enim multi, &c.*

Confirmatio est prioris sententiæ, cur scilicet tanta doctrina instructus esse debeat causa admodum vrgens & necessaria, quia inquit, multi sint contentiosi aduersarij qui conuincendi sunt: igitur facultate conuincendi debet pollere bonus minister. Porrò quatuor hîc complectitur: primùm quales sint aduersarij: deinde quomodo eis fit occurrendum: tertiò quantum noceant: quartò quo fine.

Aduersarij quibus cum res est Tito. Primùm, quales sint ostendunt illa verba: *sunt enim multi intolerabiles* ἀνυπότακτοι, refractarij, qui obedire nesciunt, propriè boues iugo non assueti, & filij parentibus immorigeri: tales igitur sunt in Creta multi, ergo necessaria est ministro facultas confutandi, quia tales sine ista facultate nõ corrigũtur. Deinde sunt etiã *vaniloqui*, h.e. alia promittũt quàm præstare possint:

re possint: est enim *μάταιος*, quod finē nō assequitur, siue pertingit ad id ad quod collimabat. Tertiò, *deceptores mentium*. Mens in homine lumen debet esse iudicans de honestis & turpibus, hunc fontem illi corrumpunt: non mirum igitur si tota vita & omnes actiones perturbatæ sint. Itaque pessimum est vitium nobilissimam hominis partem corrumpere. Denique horum omnium *multi sunt*, igitur curandum vt eligantur ministri, qui possint etiam ἐλέγχειν. Addit autem ad finem speciem hominum, præcipuè *tales esse ex Circuncisione*, hoc est, Iudæos per metonymiam, vt pallium pro Græcis, togam pro Latinis, præputium pro Ethnicis dicimus. Obseruandum igitur præcipuos Christi hostes semper fuisse, & adhuc esse domesticos eius, hoc est, qui de numero populi Dei esse velint, quales olim Iudæi, & hodie Christiani malè viuentes, ac docentes.

11. *Quibus oportet os obturare, &c.*

Secundo loco docet iam quomodo huic malo sit occurrendum: *oportet*, inquit, ἐπιστομίζειν, hoc est, *obturare ora*. Verbum ἐκ τοῦ στόματος factum est, quod os significat: vult autem ministrum posse illis adimere iustam defensionē, errores illorum ita patefacere, vt nulla scriptura defendi, nec aliqua probabili ratione excusari possint: non enim vult illos planè effici mutos. Præstitit hoc ipse Apostolus Paulus Act. 13. apud Sergium Paulum Proconsulem in Elyma Mago compescendo, & post Act. 16. Christus quoque in confutandis Pharisæis de censu ipsum tentantibus Matth. 22. & Sadducæos ibidem compescit de resurrectione ambigentibus, aliisque locis frequenter. Historia Ecclesiastica mirabile recenset exemplum lib. 10. cap. 3. de Dialectico quodam arguto in Nicena synodo disputante contra Episcopos: cui tandem os obturauit idiota quidam: quod Nicephorus Spiridoni tribuit: & simile huic fecisse narrat in alio quodam Philosopho, Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum lib. 8. cap. 15. Niceph.

Quomodo resistendum aduersariis doctrinæ.

Tertio loco, ostendit Apostolus hoc loco quantum illi doctores noceant: *totas*, inquit, *domos subuertunt*, synecdoche, hoc est, integras familias, nulli parcit hoc malum, adeò serpit & sæuit, longè latéque adolescentiam corrumpit, vtrunque sexum, omnem ætatem: ergo diligenter obuiam ei est eundum per idoneos ministros. Deinde, *docent quæ non oportet*, h. e. vel turpia, quæ contraria sunt bonis moribus vt qui vitiis patrocinantur: vel quæ gloriam Dei, & Christi meritum extenuant, vt qui Circuncisionem dicebant necessariam ad salutem, obseruationem dierum, ciborum, temporum & similia.

Quantum noceant mali doctores.

Quarto, quo fine doceant, *turpis lucri gratia*: diximus suprà quot modis turpe fiat lucrum in ministro Christi. Hîc notat Pseudodoctores, & Apostolos, qui quæstū, & gloriam priuatam sub Euangelio quærebant, de quibus dixit ad Philipp. 3. Quorum Deus venter est, & Rom. 16. Non Christo, sed ventri seruiunt.

12. *Dixit quidam ex ipsis, proprius illorum, &c.*

Secundo loco argumentatur à persona Cretensium: horum enim depingit certa quædam vitia quę non minus opus habent ἐλέγχω, quàm superiora illa in doctorum ingenio deprehensa. Argumentum autem munit autoritate publica grauis in hac re viri, hinc mox suum addit iudicium, eósque duplici grauat autoritate sua & Epimenidis. Nam D. Hieronymus rectè ista de Epimenide Cretense interpretatur, qui in libros de oraculis Cretensium suorum vanitatem irridens hoc hexametrum ponit: Cretenses Ioui suo speciosum sepulchrum erexerant, quem tamen vt Deum adorabant. Per apostrophen igitur alloquitur Iouem. Tibi Cretenses construxerunt sepulchrum cùm tu non sis mortuus, sed in ęternum viuis. Hinc illa verba in prouerbium abiuerunt, quo vtitur etiam Callimachus teste Hieronymo, in laudibus Iouis contra Cretenses. Prophetam vocat communi loquendi consuetudine apud Græcos, qui poëtas & vates solebant Prophetas dicere: sic Plato Prophetas eos vocat, & Deorum filios: & apud Aristophanem, Προφήτης τοῦ τῶν λόγων γενήσομαι, inquit Cadmus ad Tyresiam. Nos obseruemus à ministro non esse alienum loco & tempore prophani scriptoris vti testimonio: sic Apostolus Act. 17. Arati vtitur, & 1. Cor. 15. Menandri: & hoc loco Epimenidis, modò parcè, & cum iudicio fiat.

Cretensium vitia notata, autoritate Epimenidis.

13. *Testimonium hoc, &c.*

Ἐπίκρισις est, approbat enim Epimenidis iudicium de suis conciuibus, *ideo redargue eos*. Illatio est, quasi dicat, propter vitia tuis auditoribus innata opus est etiam tibi facultate disputatoria δυνάμει ἐλεγκτικῇ: & addit seueriter, ἀποτόμως, *præcisè*, hoc est, sine ambagibus, ligonem dicito ligonem: ne vitiis nomina virtutum applicentur: sed vt merentur sic depingendi & producendi sunt. Locus est de iusta seueritate adhibenda contra auditorum publica vitia. Additur causa finalis, *Vt sani sint in fide*. Finis est iustæ seueritatis, sanitas in fide, hoc est, sentire & credere vt credendum est. De hac vide 1. Tim. 6. & 2. Tim. 1.

Vitia auditorum reprehendenda.

14. *Non attendentes, &c.*

Tertio loco argumentatur à materia quæstionum, quales tum in controuersia erant. Iu-

Quæstio-

nes inutiles Cretensium.

daicas fabulas accipio pro omnibus illis falsis interpretationibus Legis Mosaicæ, quas contra Christum adferebant: mandata verò hominum, traditiones maiorum intelligo, contra quas agit Dominus Christus Mat. 15. ex Esaia cap. 29. Colunt me mandatis hominum, &c. huc pertinet nobilis illa quæstio tum agitata de Circuncisione, & ciborum discrimine, quæ diluuntur Act. 15.

15. *Omnia quidem pura puris.*

De ciborum delectu.

Ad speciem accommodat quæstionem de ciborum delectu, de quo vide Rom. 14. & 1. Tim. 4. Act. 10. diuina voce mundantur ad vsum hominum. Discrimina mundorum & immundorum vide Deut. 14. Leuit. 11. Apostolus hic mundiciem sumendam iubet, non quę cibis inest, sed potius requirendam in animo sumentis. Obserua autem hic impiorum naturam, quæ gradibus quibusdam describitur. Primùm sunt *μεμιασμένοι, fœdati:* deinde ἄπιστοι, *Deo non credunt:* tertiò οὐδὲν *est eis* καθαρὸν: quartò *mens polluta est*, id est, imbuta prauis opinionibus: quintò, conscientia quoque mala laborant. Νοῦς vniuersalium est, & θεωρετικὴ propemodum. Συνείδησις autem specialium, ac versatur circa propria facta. Inde diximus illam esse partem memoriæ nos accusantem, vel excusantem. Hinc practici colliguntur Syllogismi, vt vocant, ex mente, quæ maiores propositiones dictat, & conscientia quæ addit minores, sicut efficiuntur conclusiones pro nobis vel contra nos.

Impiorũ natura.

16. *Deum fatentur se scire, &c.*

Pergit in describenda impiorum natura, ac adduntur ista per præoccupationem, quæ ostendit insignes esse hypocritas, qui externam faciem probè componãt ad pietatis formam, cùm re ipsa nihil tale vita & moribus exprimant. 2. Tim. 3. Habentes formam pietatis, vim autem eius abnegarunt. Quò faciunt reliqua illorum ornamenta. Βδελυκτοὶ dicuntur odio digni, ferè idem quod βδελυροί. Ac ad Deum primùm refero, quòd horum ingenium Deo sit exosum: deinde ad homines, qui & ipsi hypocritam cane & angue peius oderunt. Vide autem quid de operibus illorum dicat, *Reprobos esse ad omne opus bonum:* contrà pronunciauit de piorum operibus. 2. Tim. 3. ad finem, habiles esse ad omne opus bonum, &c.

CAPVT II.

Argum. cap. 2.



ATERIAM epistolæ diximus duo complecti membra, quorum prius agat de vocatione idoneorum ministrorum: idque vno verbo diximus ex Apostolo dici κατάστασιν, nos ordinationem diceremus. Ac de illa hactenus est actum, monstratúmque in constituendis ministris respiciendum ad mores, & doctrinam: mores castissimi esse debent non solùm in ipso, sed etiam in illius familia. Doctrina verò tanta debet esse præditus, vt sua ad consolationem possit proponere auditoribus, & contraria si opus sit euidenter conuincere. Illam diximus παράκλησιν: hanc verò δύναμιν ἐλεγτικήν. Iam igitur superest altera pars materiæ propositæ, scil. qua prudentia minister iam ordinatus vtiliter sua debeat proponere ad correctionem morum: est illa ἐπανόρθωσις, correctio ad quam spectabunt cap. secundi & tertij verba bona ex parte.

Partes.

Ac caput hoc duo membra proponit. Primò, speciales conciones secundum discrimen ætatis, sexus, & conditionis. Deinde generaliter omnes ad bona opera excitat firmis rationibus. Ad priorem locum pertinent ordine sex loci. Primus de senibus admonendis sui officij: alter de matronis: tertius de iuuenculis: quartus de iuuenibus: quintus de ipso Tito: sextus de seruis. Totidem igitur conciones sint, senilis, matronalis, coniugalis, iuuenilis, de ipsis ministris, & seruilis.

Propositio.

Propositio est, Tito & omni ministro quàm diligentissimè curandum est vt inter docendum auditores cuiuscunque ætatis, sexus, & conditionis sint, quàm diligẽtissime ad studium bonorum operum excitet.

Vers. 1. *Tu verò loquere, &c.*

Ministro proponẽdã sanam doctrinã auditoribus.

Exorditur locum à propositione generali, addítque aduersatiuam particulam σὺ δὲ, tu verò, significans digredi à superiore loco ad alium, & λαλεῖν est διδάσκειν, seu παρακαλεῖν, ad virtutis studium, & bonorum operum excitare auditorem. Πρέπον verò est officium quod à renatis & religionem Christi profitentibus requiritur. Itaque Philosophia moralis hic explicatur, quid quamuis ætatem & conditionem hominum deceat, quomodo professionem Christianam singuli possint quàm aptissimè ornare vita & moribus. Sana doctrina est Euangelica doctrina, quæ dicitur per metalepsin sana quia sanat animas nostras, ostẽdit peccati magnitudinem, & mox adhibet remedium: hinc sana dicuntur pharmaca etiam à medicis. Hinc statuatur propositio apertioribus verbis, Ministro danda est opera, vt in disciplina morali auditores professionem Christianam, vita & moribus quàm diligentissimè ornent. Id quomodo possint obtinere, iam persequetur partitione quadam.

2. Senes

2. *Senes vt sint sobrij, &c.*

Enumeratione persequitur rem propositam. Ac primum locum dat senili exhortationi: debent enim senes esse exempla virtutum. Discant igitur hinc ministri quomodo senes & ad quas virtutes imprimis sint excitandi. Primùm ad sobrietatem, quia debilitas cerebri facilè obruitur vino, vt citiùs ex vino inebrientur quàm priùs: vino igitur non planè interdicit, sed vt retineant sobrietatem. Deinde, *Graues debent esse*, hoc est, venerandi: σεμνότης enim est illa senilis grauitas & authoritas, quam vsu rerum, virtutum studio compararunt. Hanc amittent nisi bonorum operum vsum retineant. Tertiò, *temperātia* imprimis ad eos spectat, hoc est, in omni concupiscentia & desiderio moderatio. Quartò, *in fide sanitas*, requiritur virtus hæc in senibus, quia ab his iuuentus solet petere quæstionum solutiones. Itaque multum refert vt sani sint, nec aliqua hæresi infecti. Ita fiet vt adolescentes non nisi optima ab ipsis perdiscant. Quintò, *dilectio fraterna*, quia vinculum est humanæ societatis, & in hac re non debent esse hypocritæ. Sextò, *tolerantia*, requiritur hæc propter crucem & persecutiones, quas senes viribus iam fracti solent libenter declinare, otio & quieti consulturi. Senum officium quodnā.

3. *Matronas similiter, &c.*

Secundus locus de officio matronarum quomodo & hæ ornare debeant pietatem Christianam bonorum operum studio. Virtutes superiores hic etiam requiruntur: proinde Apostolus addidit vocem ὡσαύτως, eodem pacto, scilicet hortare ad easdem virtutes. Hinc specialiter quasdam addit contra quas sæpius peccare & faciliùs solent. 1. *Habitus matronalis pietati conformis esse debet*, non luxum & superbiam redolere. Ac potest id seruari à summis & infimis matronis, vt Consulis & Senatoris vxor pro dignitate honestè ornetur. 2. *Non calumniatrices*: peccat muliebris sexus ferè garrulitate, prohibet igitur ea in quibus procliuiùs peccant. Διάβολος est obtrectator, hinc Satan diabolus dictus est, quia amicitias dirimit, hostilia consilia dictat. Inde homines Diaboli fiunt, si illius fiant organa, aliorum famam libenter arrodunt. 3. *Non vino multo deditæ*. Ebrietas in omni ætate & sexu, turpis est, turpissima tamen in muliebri sexu, & anus ebria fœdissima res est. 4. *Doctrices honestatis*, priuatim instituunt domesticos suos, liberos, ancillas, &c. Ideo vitæ integritate & moribus prælucere debent, alioquin Apostolus non permittit mulieri docere publicè: ideo de priuata institutione accipiendum est quod hic dicit. 5. *Ad modestiam erudiant iuniores*, interpretatur seipsum Apostolus ostendens in qua re, & apud quos auditores debeant esse doctrices, domi scilicet inter mulieres, in gynæceis vt matrona exemplo vitæ & sermone honestatis sit idea & forma. Matronarum officium, & virtutes.

4. *Iuuenculæ vt modestæ sint.*

Tertius locus de iuuencularum officio. Νέας, fœminas iuniores quæ in matrimonio adhuc sunt, vel esse cupiunt, accipit. Ad has igitur istæ spectant virtutes. Iuuenculæ quæ virtutes deceant.

1. Σωφρονίζειν, modestas esse, complectitur vox illa temperantiam, sapientiam, & modestiam in moribus & sermone.

2. Φιλάνδρους εἶναι, amare proprios maritos, ne depereant alios, non fœdent thorum coniugalem alieno amore.

3. Φιλοτέκνους, amare sobolem, στοργὴ naturalis est erga liberos, quam Deus naturæ impressit, ideo requiritur vt virtus: non sint bestiæ & ferino ingenio præditæ, vt Medea discerpit liberos.

4. Σώφρονας, temperantes in cibo & potu.

5. Ἁγνάς, castas moribus & mente. Obserua castitatem in matrimonio esse posse, vt & maritum diligat, & casta sit eadem fœmina.

6. Οἰκουρούς, domo inhærentes, vt cochlea quæ inde φερέοικος dicitur, domiporta, humigrada: inde vox muliebris etiam esse debet φίλος οἶκος, οἶκος ἄριστος, non sint vagabundæ.

7. Ἀγαθάς, bonas, ingenio scilicet probo & moribus simplices, bonitas omnium virtutum chorus est.

8. Subiectæ suis maritis, ne imperium in virum affectet vxor: deinde voluntati eius pareat. His additur communis αἰτιολογία, quam refero ad omnia superiora ornamenta, tam senum ac matronarum, quàm iuuencularum: omnes enim ad officium ligat sententia ista. *Ne sermo Dei blasphemetur*. Λόγος est doctrina Euangelica, quæ ornanda est vita & moribus, non dehonestanda, quod obiicit Apostolus Iudæis ad Rom. 2. Et hodie Christianis nimium verè obiici potest, & quis emendabit?

6. *Iuuenes similiter, &c.*

Quartus locus de iuuenum officio, qui & ipsi ornare debent Christianam pietatem vita ac moribus. Primùm superiores virtutes in his requirit, ideo ὡσαύτως repetit, deinde vnam specialiter vrget σωφρονεῖν, quæ est moderatio omnium affectuum & ἐπιθυμητικοῦ μορίου, quæ latiùs tractanda omnia sunt, quoties oratio ad iuuentutem habetur. Iuuenum officium.

7. *Per omnia teipsum præbens exemplar,&c.*

Ministrorum officium, nō solùm docere, sed aliis bonis moribus prælucere.

Quintus locus de officio ipsius ministri in hac communi vita, ne sit asymbolus in disciplina morali. Videntur hæc certo consilio inspersa præoccupatione, ne putarent ministri perfunctos egregiè officio suo si docerent strenuè quid alios deceret, esséntque aliis monitores rigidi, interim quomodo ipsi viuerent parum referre, vt hodie fit, bona pars se ita purgat, doctrinam non vitam ministri inspiciendam esse. Huic malo occurrit Apostolus, imò vtrunque coniungi oportere necessariò: rectè igitur doceant, & honestè viuant.

Propositio est, minister non solùm sanæ debet esse doctrinæ, sed bonorum operum quoque debet esse typus. Καλὰ ἔργα sunt virtutum effecta, quales suprà recensuit. Est illud τὸ πρέπον, quod initio capitis docendum & vrgendum esse dixit. Deinde περὶ πάντα accipio παντῶς, hoc est, pro omnibus excellenter: virtus enim in omnibus auditoribus suo modulo requiritur: sed in ministro excellenter, ideo debet esse typus, hoc est, idea quædam perfectionis in hac imperfectione, viam mōstrabit quà sit eundum. Præterea seipsum proponere debet, non tam alios vrgere ad officium quàm seipsum, vt vita ipsa doceat alios. Hoc demum erat philosophari in negotio Christianismi, seipsum posse & ideam aliis proponere faciendorum. Idem vult dictio παρεχόμενος q.d. exhibens se ad viuum, *Soll sich durstellenn allenn*, quasi spectandum & explorandum præbere: ecce sic viuendum est nobis. Hactenus πρότασις, sequitur diductio, in qua re consistere debeat illud exemplar vitæ, in doctrina, dixerat bonorum operum debere esse typum. Iam addit, *in doctrina*, ideo doctrina sola non sufficit, sed accedat oportet bonorum operum studium. Eant igitur iam nostri & excusent se, respiciendum non ad vitam, sed ad doctrinam ministri.

1. Post doctrinam sanam igitur requiritur καλὸν ἔργον, quasi comes indiuiduus, & fructus bonæ arboris.

2. Αδιαφθορία, incorruptibilitas, integritas in actionibus & contractibus.

3. Σεμνότης, grauitas ministro digna, quæ non alio medio conseruari & parari melius potest quàm vitæ innocentia.

4. Λόγος ὑγιὴς, sanus sermo de doctrina accipi potest religionis, & de colloquiis in vniuersum, adeò vt ministri oratio semper qualiscunque sit & de quacunque re habeatur, spiret pietatem.

5. Ἀκατάγνωστος, sermo qui damnari, irrideri, subsannari iustè non possit, sic erit exemplar gregis, quemadmodum id requirit D.Petrus quoque 1.Epist.5. ver.2. & noster Apostolus seipsum non dubitat proponere Philipp.3. & 1.Cor.11. Omnium perfectissimè verò ipse Dominus Christus huius rei ideam proponit discipulis suis Ioan.13. Quam rem diligenter expendant ministri, imprimis adolescentes qui ad ministerium adhuc aspirant.

Vt qui ex aduerso,&c.

Communis iterum est ætiologia, qua ad officium duci debemus. ὁ ἐξ ἐναντίας est Satan, qui innocentiæ insidiatur, & ludibrio exponit doctrinam ex morum corruptela. Deinde omnes Satanæ serui, organa, quibus vtitur ad bonorum inuidiam, &c.

9. *Seruos vt suis dominis,&c.*

Seruorū erga dominos officium

Sextus locus de seruorum officio, de quo vide Ephes.6. Coloss.3. & 1.Timoth.6. & 1. Pet.2. Porrò in illis illa requirit. Primùm, *suis Dominis subditi maneant*, ne scilicet prætextu religionis seditiones moueant, aut fugam meditentur. Secundò, *Vt sint εὐάρεστοι*, hoc est, sese accommodent, & approbent suis heris, in rebus scilicet ciuilibus & pietatem non lædentibus. Placidi sint vt amore digni videantur: placere hominibus sine vitio potest seruus. Aliud respiciens Apostolus dixit, si hominibus placerem seruus Christi non essem. Tertiò, *Non cōtradicant dominis suis*, non sint responsatores & remurmuratores. Quartò, *Nō suffurantes*, νόσφι dicitur seorsim, hinc νοσφίζειν seponere, ex toto aliquid decerpere, quod fraudulenti faciunt ministri, nunc teruntium subducunt de pecunia, nunc panem de promptuorio, nunc alias portiones, & conuertunt in suum vsum, est autem furti species. Quintò, *fidem omnem declarare debent, eámque bonam*: opponit hanc virtutem priori vitio. Ac fidem accipio pro fidelitate seruili, hác omnem debent, h.e. in rebus omnibus declarare hero suo. Rectè inquit Comicus de seruis: Ille seruus probus est, cui res heri curæ sunt. His virtutibus addit communem rationem, quæ congruit cum generali Propositione. *Vt doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus:* magna est commendatio piæ seruitutis, quòd eius fidelitate quoque ornetur doctrina Christi. Ornare doctrinam Christi est Euangelium ornare vita & moribus, eidem respondere, quemadmodum contrà turpi vita blasphematur doctrina Christi, & ipse Deus, quod Iudæis obiicit Apostolus Rom.2. seruator Deus dicitur Christus, quemadmodum sequentia manifestè declarant. Dicitur quidem Deus Pater quoque seruator, sed in nouo Testamento Filio Dei propriè tribuitur propter beneficium redemptionis ac mortis. Ex quo demonstratur filius Dei Iesus Christus Deus esse. In omnibus, scil. actionibus,

Seruitutis piæ commendatio.

stionibus, quæ sententia Propositionem totius loci profert, seruis quoque operam dandam vt vita & moribus professionem Euangelicam ornent.

11. *Apparuit enim gratia Dei,&c.*

Septimus locus huius cap. in quo in genere nunc omnes hortatur ad bonorum operum studium. Ac superiores quidem sex speciales fuerunt, certis ætatibus, sexui, ac conditionibus hominum accommodati. Hic verò thesim habet, ac ad omnes pertinet. Sumantur igitur hinc argumenta ad Propositionem hanc illustrandam: Omnes homines qui Euangelium profitentur debent illud quoad fieri potest bonis operibus ornare, quod suprà diximus vita & moribus professionem suam exornare.

Studium bonorũ operum omnibus sectandum.

Prima ratio est, Euangelium omnibus hominibus offert gratiam Dei: ergo omnium interest hanc doctrinam ornare vita & moribus. Gratia Dei dicitur nos Deo gratos & acceptos reddere, quæ vera est causa salutis nostræ: salutifera autem dicitur respectu nostri & à causa finali, quòd salute priùs amissa per hanc viam ad eandem reuertamur. Illuxit autem illa gratia per prædicationem Euangelij: priùs quidem fuerat promissa, & à Prophetis sparsim confirmata, sed Christo nato, eodémque docente illuxit, quasi solis iubar: splendidissimè autem emicuit Apostolis prædicantibus, nam tum demum omnibus hominibus proposita est hæc doctrina. Ideo emphaticè addit, *omnibus hominibus*, ideo omnium interest hanc doctrinam ornare bonis moribus, ne tanta gratia indigni videamur reddi nostra malitia.

12. *Erudiens nos vt abnegata,&c.*

Alia ratio à fine doctrinæ Euangelicæ, qui est nos meliores reddere, emendare corruptos mores. Παιδεύειν pædagogi instar est erudire & corrigere lapsus pueriles, quod in peccatore efficit ostensa magnitudine peccati, & metu iræ Dei, compellando ad pœnitentiam, quod hic dicit Apostolus, *abnegare omnem impietatem, mundanas concupiscentias*, accipio pro appetitu honoris, opum, ac voluptatum, quibus concurrunt reliqua opera carnis, de quibus ad Gala. 6. effectus verò istius pædagogiæ sunt tres: primus respectu nostri, quò pertinet *temperanter viuere*, hoc est, ad naturæ & sanitatis conseruationem viuere: alter effectus est respectu proximi, *iustè viuere*, hoc est, in contractibus & communi hac vita neminem lædere, sed ad regulam charitatis degere inter homines: tertius effectus respectu Dei est, *piè viuere*, hoc est, Deum colere & adorare vt ipse præcepit, vnum Deum adorare per filium mediatorem.

Doctrinæ Euangelicæ finis.

13. *Expectantes beatam illam spem,&c.*

Tertia ratio à præstantia bonorum, quæ nobis in Euangelio promittuntur, simúlque spei, ac desiderij amplitudinem proponit, beatam spem dicit, h. e. bona amplissima continentem, & vitam æternam, consortium Angelicum, integritatem naturæ, immortalitatem, perfectam Dei cognitionem, conspectum filij Dei, quæ cumulatè nos beatos facient. Hanc beatissimam spem dum expectamus, oportet vita & moribus ornare hanc ipsam professionem. Deinde expectamus etiam apparitionem filij Dei, hoc est, iudicium nouissimum, in quo non solùm de præmiis agetur, sed etiam de pœnis, at enim pij amplissimè remunerabuntur: sic impij grauissimè punientur. Opera igitur danda est vt in hac vita professionem nostram ornemus.

Præstantia bonorum in Euangelio promissorũ.

Porrò aduentum Christi ad iudicium vocat apparitionem gloriæ, quia gloriosus erit, vt primus aduentus humilis fuit. Simili argumento nos excitat Petrus 1. Pet. 3. ver. 13. Demum obserua diuinitatis Christi argumentum, quia Apostolus hîc expresse vocat non simpliciter Deum, sed magnum Deum, ac seruatorem, quæ epitheta non possunt de alia quàm de persona filij accipi hoc loco.

14. *Qui dedit seipsum,&c.*

Quarta ratio à redemptionis genere ac fine: dedit seipsum scilicet Deus ille magnus & seruator Iesus Christus, hoc est, pro nobis hostia factus est hoc fine, *vt redimeret nos ab omni iniquitate*, ergo huic renunciandum est, & ornanda deinceps professio nostra bonis operibus: non enim decet redemptos ad pristinam seruitutem sponte redire velle. Deinde, *vt mundaret sibi populum peculiarem*, quasi dicat, mundati sumus à peccato, igitur deinceps non est peccato indulgendum. Peculium autem pij sunt Christi, vt olim Iudaicus populus peculium Dei vocatus fuit Exod.19. Deut.7. Psal.135. elegit Deus Iacob, & Israel peculium eius, quæ vox apud Hebræos est expressa per *segula*: sic in nouo Testamento pij gens sancta dicuntur, sacerdotium regale 1. Pet. 2. v. 9. Agnoscamus hîc dignitatem nostram, nec patiamur illam fœdari tot scelerib. Demum *Vt pararet sibi populum æmulatorem bonorum operum.* Zelotem id est, ardenter affectantem piè viuere, exclusa omni hypocrisi, omni etiam socordia & pigritia.

Redemptionis ratio & finis.

15. *Hæc loquere,&c.*

Cc. j.

Boni doctoris officium tribus capitibus comprehensum.

Conclusio est semel annexa superioribus argumentis: contrahit autem officium boni doctoris ad tria capita principalia. Λαλεῖν loqui est, perspicuè & indesinenter inculcare sanam doctrinam, ac respicit ad principium huius capitis, vbi dixerat, tu verò loquere quæ decent sanam doctrinam.

Alterum est παρακαλεῖν, hoc est, exhortari, addere admonitiones post doctrinam, excitare stertentes, timidos consolari, bene & feliciter currentes confirmare.

Tertium est ἐλέγχειν hoc est, errores in dogmatibus fidei, vel ritibus Ecclesiæ, vel moribus obortos taxare & confutare. Hinc prius δύναμιν ἐλεγκτικὴν requisiuit in ipso ministro. Et illa tria omnia debet administrare cum omni grauitate, ἐπιταγὴ hîc accipiatur pro seueritate ac grauitate Euangelio digna, quæ σεμνότης dicitur, quæ est donum Spiritus Sancti mouens auditoris animum, vt cupiat obsequi doctrinæ, aut certè conuictus argumentorum pondere, malam secum auferat conscientiam.

Coronidis loco addit, *nemo te contemnat*: quæ verba præoccupationem videntur habere, nam cùm ἐπιταγὴν in illo requirat, ætas reclamare videtur. Ideo munit ipsum autoritate contra refractarios auditores: sic primę Tim. 4. fecit. Περιφρονεῖν est & contemplari ex alto, & contemnere. Sic Aristophanes Socratem inducit loquentem, μετεωρῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, &c.

CAPVT III.

Cap. 3. argu. & partes.



REDIT ad præcepta specialia à quibus digressus fuerat cap. 2. vers. 11. Estque locus octauus de officio piorum erga suos ordinarios magistratus. Hactenus expositi sunt in disciplina morali hi loci: primus, de officio senum: secundus, de officio matronarum: tertius de decoro iuuencularum: quartus, decorum iuuenum: quintus, partes boni ministri: sextus, officium seruorum: septimus, commune omnium fidelium officium in præstandis bonis operibus, qui locus fuit generalis: ab eo igitur iam redit ad specialia præcepta de obedientia piorum magistratui debita. Vide ad Rom. 13. & 1. Tim. 2.

Vers. 1. *Suggere ipsis principatibus ac potestatibus, &c.*

Obediédum magistratui.

Propositio est, Piorum quoq; est ornare Christi doctrinam obedientia, quam verè diuino magistratui debent. Ac de hac re non tam docendi sunt quàm admonẽdi, quod indicat verbum ὑπομίμνησκε, quod est in animum reuocare, docent veterem doctrinam de iure magistratuũ non esse abolitam in Euangelio, imò seueriùs requiri modestiam & tranquillitatem contra seditiosos istos perturbatores, qui Euangelium ad defensionem suorum scelerum & seditionum rapiunt. Ac pertinuit hoc quoque membrum ad illa λείποντα, ad quæ corrigenda Titum in Creta reliquerat. Deinde quasi distributione complectitur omnes gradus magistratuum: ἀρχαὶ enim sunt qui pleno iure rem administrant, vt tum Romæ erat Cæsar, antea Senatus, extra Imperium Rom. Reges, ac liberæ Respub. ἐξουσίαι autem qui imperium habent inferius, quales erant Proconsules in prouincias missi, hodie præfecti, & subpræfecti, &c. Itaque mens Apostoli est, Omni magistratui, quocunque quis hunc gradum obtineat obtemperandum esse, modò religioni nihil imperet contrarium: tum valebit illud, oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Tertiò, verbum obediendi bis hîc exprimi, ὑποτάσσεσθαι subiici est pleno iure, id verò debet hilari animo, nec pœnarum metu fieri. Ideo addit πειθαρχεῖν, quod videtur promptitudinem in parendo significare, quasi dicat, hilaris debet hæc obedientia esse, & in eo ipso fidem exercere. Reliqua verba huius versus refero ad sequentem locum, nihil enim cum his commune habent, ideo initium secundi versus fiat ab his verbis, Ad omne opus bonum promptos esse, &c.

2. *Ad omne opus bonum sint parati, &c.*

Pios quales esse deceat erga conciues.

Secundus locus huius capitis ordine nonus, quales pij in genere debeant esse erga conciues: Propositio igitur est, Christiani omni studio promerẽdi alios debent ornare suam professionem pietatis. Ac vt obedientia magistratibus debita spontanea debuit esse, sic promerendi studium promptum esse debet. Propositioni annectit explicationem per enumerationem, *Neminem blasphemare*, id est, famam alterius ne arrodant, non maledicant magistratui, non serui suis heris, nullus suo vicino, summa, bene loquantur de omnibus.

Deinde, *A pugnis sint alieni.* Ἄμαχοι sunt, qui oblata etiam rixarum seminaria declinant: magna virtus pietatis, vbique paci & tranquillitati consulere in Ecclesia, inter ministros, inter vicinos, &c.

Tertiò, ἐπιεικεῖς, *Moderati sint*, hoc est, mitiora semper iudicia proferant & sequantur. De hac virtute alibi diximus.

Quartò, *Omnem lenitatem exhibentes.* Πρᾶος, mansuetus dicitur, facilis moribus, qui libenter & ignoscit & non facilè ad vindictam procedit, tardus ad iram. Qua re Dei naturam boni imprimis sequuntur, qui & ipse clemens & mansuetus est erga peccatorem. Et hanc virtutem exercere oportet omnes homines, idem mandauit Christus, vt hostibus bene loquamur & faciamus.

3. *Eramus enim & nos olim, &c.*

Prius vitæ genus.

Confirmatio propositionis à priori genere vitæ, quo viximus ante conuersionem: illud fuit turpe & omni genere scelerum conspersum, ergo nunc aliter viuendum est post conuersionem. Simile argumenti genus habuimus 1. Cor. 6. ver. 11. Ἀνόητοι dicuntur ratione & intellectu. Ἀπειθεῖς respectu fidei. Πλανώμενοι moribus & factis, &c.

4. *Quando autem bonitas, &c.*

Alia ratio à præsenti conditione, in qua noua professio requiritur. Illustrat autem negotium salutis nostræ causis veris breuiter indicatis. Causæ efficientes sunt χρηστότης & φιλανθρωπία Dei, quas mox alia voce ἔλεον Dei vocat.

5. *Non ex operibus nostris, &c.*

Gratia Dei non opera nostra, causa salutis

Remotio falsarum causarum, qualis est 2. Tim. 1. ver. 9. Opera nostra iustitiæ fructus non sunt causa salutis. Cadunt hic præparatoria opera quæ salutem antecedunt. Hinc sequitur διὰ repetens causam veram efficientem, ἔλεον Dei, id est, misericordiam gratis nos sibi conciliantem in Filio sine respectu operum nostrorum. Mox addit causas organicas, *Lauacrum regenerationis & renouationis, ac spiritum sanctum.* De Baptismo loquitur, ac ducit argumentum à vi Sacramenti, quod nos obligat ad nouam vitam. Similia habes Gal. 3. v. 27. Col. 2. v. 12. dicitur autem lauacrum regenerationis, quia hoc ipsum in Baptismo profitemur, finisque est Baptismi, & quia Deus per Baptismum quoque agit, ideo Apostolus officij nostri nos admonens dicit nos in Baptismo professos regenerationem: igitur more regeneratorum nobis est viuendum, interim vim externis symbolis nemo alligat. Ἀνακαίνωσις ad mores propriè refertur, quasi in Baptismo non simpliciter profiteamur regenerationem Spiritus, sed insuper renouationem morum, quod ipsum factis est exprimendum. Spiritus sanctus additur Baptismo vt verum organum regenerationis.

6. *Quem effudit in nos, &c.*

Salutis causæ organica & finales.

Organicam causam alteram plenius persequitur. Οὗ refero ad πνεῦμα, alij ad λουτρόν retulere, sed coactè, loquitur enim de effusis in nos donis Spiritus sancti. Ac hoc totum ad Christum reducit causam organicam salutis nostræ, respectu Dei.

7. *Vt iustificati, &c.*

Causas finales recenset: prima, est iustitia quæ valeat coram Deo, hanc obtinemus vera Dei clementia. Altera est, hinc consequi hæreditatem vitæ æternæ, quam in hac vita spe amplectimur.

8. *Fidus sermo, &c.*

Conclusio.

Conclusio, colligit enim in summam quæ hactenus de officio boni ministri dixit in cohortandis auditoribus ad studium bonorum operum. Propositio est repetita hîc more conclusionum, cuius sensus est, Titus in his materiis se debet imprimis exercere, quæ & ipsum & auditores suos ad studium bonorum operum maximè inflammant. Id dicit istis verbis *De his volo te confirmari.* περὶ τούτων referatur ad locos quæstionum, quibus Ecclesia fidelium personare debet. De officio senum, matronarum, iuuencularum adolescentum, seruorum, dominorum, subditorum, magistratuum, ministrorum verbi. Summa quomodo singuli debeant bonis moribus ornare professionem Christianam. Et verbum διαβεβαιοῦσθαι, pertinet tum ad personam Titi, tum ad auditores: significat autem confirmari & viribus ac animo crescere in re quapiam. Sensus igitur est, Titus seipsum in his quæstionibus imprimis debet exercere, hoc est, de bonorum operum studio imprimis disserat, de hoc argumento sæpe loquatur. Deinde in hac doctrina suos auditores diligenter confirmet, & sumit bona opera imprimis requiri à fidelibus, non vt causæ, sed vt ornamenta propria fidei, & fructus sine quibus fides nec esse possit in hac vita, nec etiam velit. De qua re diligenter sunt omnes admonendi, ideóque confirmandi vt fidem suam his exercitiis ornent. Hanc sententiam esse propositionis, sequentia mox declarant, *Vt discant bonis operibus præstare aliis, hi qui crediderunt Deo.* Suauis est periphrasis Christianorum, *Qui crediderunt Deo*, hoc est, qui Christum Dei Filium agnoscunt, is enim imago est Patris, nec quisquam venit ad Patrem nisi per Filium. Ex quo efficitur Iudæos, & Ethnicos nondum conuersos Deo non credere. Discamus hinc quibus quæstionibus suggestum Euangelicum personare debeat, nimirum Ethica Philosophia de bonis moribus renati hominis. Deinde credere Deo proprium esse fidelium. Et προΐστασθαι verbum excellentiam significat: sensus enim est, Discant preesse aliis bonis operibus, scil. Ethnicis & Iudæis nondum conuersis honestiùs vi-

Bona opera fidei ornamenta.

uant, plus bonis operibus sint dediti quàm vlli infideles, & quemadmodum sancti in hoc studio excellere debent ipsos impios: sic in Ecclesia Christi ministri suis auditoribus hoc studio debent præstare. Quò facit verbum quoque φροντίζειν, quod est cum ratione & consilio in aliqua re exerceri & occupari, prudenter sese exercere: hinc φροντιστήρια loca bonis exercitiis destinata. Hactenus propositio, sequitur ratio, *Hæc sunt honesta, & vtilia hominibus*. Rationes affert, cur bonis operibus pij debeant excellere. Prima est, *Quia hæc sunt* καλά, quasi dicat, Iudæi & Ethnici nondum conuersi τὸ καλὸν in alia re quærunt quàm oportebat: Iudæi enim ponunt τὸ καλὸν in traditionibus maiorum, & occupantur lectionibus, disciplina corporali, ieiunio, precibus superstitiosis, sacrificiis, &c. Ethnici verò in splendore virtutis, qui nimium pomposus erat, nam videri & isti volebant coram hominibus. Contrà Christiani faciunt, bonorum operum studio sese exercent, quæ proximo prosunt nihil sui quærentes. Altera ratio est, quia *sunt vtilia hominibus*, prosunt ad vitam degendam, vt eleemosyna & beneficentia in pauperes, prosunt etiam ad vitæ institutionem, vt sobrietas, castitas, sermonis verecundia, &c.

Cur pij bonis operibus debeant excellere.

Tertia addatur ratio à iudicio Apostoli, quia ait, in his volo te exerceri, boni enim præceptoris voluntas loco rationis est, vt tertia ratio sit, quia hæc doctrina est πιστὸς λόγος, hoc est, talis est doctrina quæ sua natura fidem meretur, est αὐτόπιστος, ἀξιόπιστος, de qua non licet cuiquam ambigere: debet enim omnino iustitia nostra maior esse quàm Scribarum & Pharisæorum, vt ait Christus.

9. *Stultas autem quæstiones, &c.*

Quæstiones vitiosas cauendas ministro.

Secundum membrum conclusionis, de his materiis quæ procul exulare debent à piorum cœtibus. Eleganter illustratur sermo contrariis membris. Dixit de locis quæstionum vtilium, nunc contrà de locis quæstionum inutilium à quibus minister sibi debet temperare: constat etiam hoc membrum Propositione, & ratione. Propositio complectitur quatuor genera vitiosarum quæstionum: primum est μωρὰ ζήτησις, *stulta quæstio*, de qua diximus 2. Tim. 2. vbi ministrum voluit cauere λογομαχίαν, κενοφωνίαν, νεωτερικὴν ἐπιθυμίαν, & μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις: nam ista quatuor imprimis tollunt sinceritatem sanæ doctrinæ. Deinde prohibet etiam hîc *genealogias*, de quibus vide 1. Timoth. vers. 4. & locos nostros. Tertiò, contentiones, hoc est, quæstiones rixosas ex Philosophia: & quartò *pugnas legales* quales damnat Christus etiam apud Matt. 15. ex Esa. 29. & Mar. 7. Ratio est, *sunt enim inutiles & vanæ*, hoc est, ad ædificationem nihil faciunt, & sine certo fine fatigant audientium mentes: sinenda igitur sunt. Discant hîc ministri quæstiones vtiles & materias pacificas cœtui proponere. Loci igitur περὶ ὧν, materiales, hoc est, ex quibus dicendi materia & argumentum sumendum est, hîc traduntur. Dicuntur illi in genere, προβληματικοὶ, quia argumentum dicendi habent, & sunt vel dogmatici de articulis fidei: vel ethici, de studio bonorum operum, vel prostagmatici de ritibus & ceremoniis Ecclesiæ, Apostolus priora duo genera probat de fidei articulis, & de studio bonorum operum. Atque hi loci rectè dicuntur περὶ ὧν.

Alterum genus locorum est ἐξ ὧν, ex quibus sumitur ratio probationis, cuius fons est scriptura sacra. Tertium διὰ ὧν, quò pertinet methodus, vt definitio, diuisio, totum, partes, similésque loci qui doctrina veritatis illustrantur.

10. *Sectarium hominem, &c.*

Hæretici fugiendi quom.

Tertium membrum conclusionis, de actione cum hæretico: ac apparet addi superioribus hoc membrum præoccupatione quadam: nam cùm prohibuisset rixas, & quæstiones contentiosas, dici poterat, sed quid si mihi contentiosè sese opponant reprobi & sectarij, quid faciam? Respondet etiam in eo casu esse cauendas contentiones, & vt id fieri possit monstrat. Semel atque iterum cum illo conferendum est, & amicè monendus, si nihil profeceris, sinendus. Ac datur hoc præceptum Tito, qui carebat magistratu fideli, ideo non opportunè hîc quæritur, liceátne magistratui ciuili in talem animaduertere, quia hîc de officio ministri agitur, quantum illi liceat, & quò vsque debeat procedere. Indubiè aliter scripturus ad magistratum, vel etiam ad Titum, siquidem habuisset fidelem magistratum: de qua re dicemus suo loco.

11. *Sciens quòd euersus sit talis, &c.*

Cur sinendus hæreticus.

Rationes addit cur sit sinendus hæreticus post vnam & alteram admonitionem: primùm, *quia euersus est*, scilicet à Christo vero fundamento, quemadmodum si ianua cardinibus suis emoueatur, vel cardines ipsi suis caliculis. Deinde, *peccat mortaliter*, hoc est, insanabilis est: tertiò, *damnatus est per se*. αὐτοκατάκριτος dicitur qui in se plenas & sufficientes causas suæ damnationis habet, quemadmodum latro, incendiarius, sic hæreticus suæ damnationis sufficientes habet intra se causas, quas tamen minimè agnoscit. Et hæ rationes niti etiam debent bona Titi conscientia, ideo addit εἰδώς, *sciens*: itaque minister prius

hoc

hoc scire debet: non autem sciet nisi amicè contulerit cum illo sæpius: & quandiu istæ notæ non comparent, spes emendationis retineri debet. Ideo non valet illa vox, Hæreticus est, Hereticus est, cognoscenda est hæresis, & an notæ pertinaciæ insint.

12. *Quando misero, &c.*

Quarta pars totius epistolæ, quam diximus Epilogum, ac de rebus priuatis agere. Primus locus est de aduentu Titi ad Apostolum Paulum, quando scilicet & vbi illum debeat conuenire. Temporis est, si miserit ad illum Artemam, vel Tychicum, hoc est, bonos & idoneos ministros, quales illi duo erant. Docemur Ecclesiam non esse deserendam, nisi alij adsint per quos possit doceri & in officio contineri. Loci verò est, Nicopolim veniat, ex qua scilicet scripta est præsens epistola, vt habet subscriptio. Porrò intelligo Nicopolim Thraciæ ad Istrum sitam, quæ est Macedoniæ vicina. Hieronymus in prologo huius epistolæ interpretatur de Nicopoli in Epiro sita ad littus Actiacum, quæ ibi condita est ab Augusto superato Antonio: alia est etiam in Armenia minore prope Ciliciam & Pontum constructa à Pompeio, superato Mithridate & Tigrane. Denique alia est inter Euphratis & Araris initia in Armenia maiore.

Epilogus totius Epistolæ.

Nicopolis.

13. *Zenam Legisperitum, &c.*

Alter locus epilogi continet commendationem Zenæ & Appolli.

14. *Discant autem & nostri, &c.*

Ratio commendationis à communi fidelium officio: ἡμέτεροι sunt quos priùs dixerat credentes Deo: & præstare bonis operibus est excellere alios homines hoc studio, debet enim iustitia fidelium maior esse quàm Scribarum & Pharisæorum. Finis bonorum operum est χρεία ἀναγκαία, inseruit enim proximi necessitatibus dilectio, nihil sui quærens. Alter finis est respectu facientium, ne sint ἄκαρποι, hoc est, de nuda fide quasi vmbra glorientur, quæ rectè dicitur mortua, & ob id simulachrum potius est fidei, quàm vera & viuida fides, scripturæ respondens.


15. *Salutant te, &c.*

Tertius locus continet salutationes mutuas: μετ' ἐμοῦ πάντες, sunt Christiani omnes, quos mox dixit τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει: & fides est tota Christianismi professio, quæ confirmatur benefaciendi studio.

Gratia sit cum omnibus, &c.

Quartus locus epilogi continens subscriptionem, seu comprecationem, qualem hactenus sæpe vidimus in superioribus epistolis. De loco subscriptionis, hoc est, de Nicopoli, iam diximus versu 12. ad quem redi, &c.

EPISTOLAE AD TITVM FINIS.



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.

Quis fuerit Philemon.



PHILEMON noster Colossensis fuit, vt placet D. Hieronymo. Theophylactus Phrygium facit, non dissentiens ab Hieronymi sententia. Nam suprà ostendimus Colossas Phrygiæ Pacatianæ fuisse Metropolim. Porro ex præsenti epistola colligi potest hominem fuisse diuitem, & inter suos conciues magni nominis, cùm domus eius priuata ecclesia fuerit celebris, in qua indubiè multi fuerunt peregrini in quos liberalis & hospitalis fuit, vt constat ex 7. versu vbi declaratur quòd consolatus sit pauperes, & viscera sanctorum refocillarit. Ad hunc igitur præsentem scripsit epistolam, tanquam hominem notum, & iure hospitij familiarem.

OCCASIO.

Oblata est occasio. Nam seruus Onesimus compilatis quibusdam rebus, & cum his indubiè pecunia domini sui, profugerat, Romámque se contulerat. Quò cùm peruenisset, audiuit Paulum docentem Euangelium, cuius doctrina mox in seruo fugitiuo fuit efficax, adeò vt conuersus ad fidem Apostolo seruiret in vinculis, qui dum intellexisset causam fugæ, iussit vt ad herum rediret, & vt facilius ei reconciliaretur, hanc tradidit epistolam.

GENVS.

Domino suadet vt in seruum fugitiuum præstet officium pietatis, pro seruo gratiam petens. Ideo petitorium & suasorium est, quorum vtrunque ad deliberatiuum pertinet, cuius finis est persuadere, officium verò, eorum nihil intermittere, quæ ad persuadendum videntur facere. Huic accedit Epæneticum, quo Philemonem laudat.

PROPOSITIO.

Propositio est. Philemon condonato delicto Onesimum in gratiam debet recipere. vers. 10.

PARTES.

Breuis quidem est epistola: attamen partes ferè omnes attingit. Nam primùm titulus iustæ magnitudinis ex suis integris constitutus est partibus. Secundo loco est exordium ver. 4. quod planè ad beneuolentiam spectat. Nam laudat personam Philemonis, & pro virtutibus eius Deo agit gratias. Continuatur vsque ad ver. 10. Tertio loco est protasis, ver. 10. Debes Onesimum tanquam filium meum recipere in gratiam. Quarto loco sequitur ver. 11. forma confirmationis, suadens reconciliationem à spe futuræ vtilitatis. Quinto loco est confutatio ver. 15. Nam istic diluit duo primaria crimina, quæ reconciliationi poterant obstare, furti scil. & fugæ, quorum vtrunque ita diluit, vt apud hominem Christianum & pium facilè sit habitura locum reconciliatio. Durat hoc membrum vsque ad ver. 21. Istic ergo statuatur sexta pars Epilogus, quo primitus breuiter repetit propositionen, & se excusat, cur in tali causa illi sit molestus scribendo. Deinde admonet illum de præparando sibi hospitio, significans recepto Onesimo, recipi quoque Apostolum, quasi non sit venturus, nisi hoc priùs reconciliato. Tertiò, adduntur salutationes. Quartò, comprecatione clauditur epistola.



IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM, PRÆFATIO.



PAR quidem erat Sacras literas eam habere apud nos homines authoritatem, vt nihil in his abiectum, nihil humile, nihil lectu indignum ac contemptibile iudicaremus. Verùm ea est humani iudicij corruptela, & præiudiciorum temeritas, vt in his nonnulli versentur non aliter, quàm in prophanis scriptoribus. Aliis certi Euangelistæ displicent: nonnulli quasdam epistolas inutiliter legi iudicant. Quasi iudicium idem ad sacra afferre nos deceat, quod ad Ethnici alicuius scriptoris lectionem. In his multa contemni possunt, quia fabulosa sunt: multa negligi, quia inutilia: multa etiam cauenda, quia cum religione pugnant. In sacris nihil tale, omnia vtilia sunt, omnia augusta, ad formandos mores, ad doctrinam pietatis planè necessaria. Et cùm erga hanc etiam epistolam nonnulli sint adeò iniqui, imò iudices ita morosi, pauca in eius defensionem dicemus. Porrò testatur D. Chrysost. & post eum Theophylactus, apud veteres quoq; extitisse qui eam epistolã superfluè additam esse iudicarint. Ex illis fortasse nostro seculo quidam instructi, hanc epistolam indignam lectu iudicant: malunt illi ingenia exercere in grandi materia & memorabili argumento. Ego verò ab illis hominibus prorsus dissentio. Nam epistolam ad Romanos non facilè attigerim propter amplitudinem, nisi priùs velitatus in minori aliqua, expendendæ nobis priùs vires ingenij, quàm de iis nos periculo committamus. Quòd si res feliciter succedat in parua aliqua,

qua, maiori alacritate licebit nobis progredi.

Expendamus verò causas, quibus inducti hanc ad Philemonem non legant, & explicatione quoque indignam iudicent. Breuiorem aiunt quàm deceat Apostolicam grauitatem: deinde argumentum humile tractari, vtpote priuati seruuli qui domino suo reconciliandus est. Denique parum habere vtilitatis ad defensionem religionis. *Cur ad Philem: scribat Paulus.*

Primùm hic miror, cur de breuitate conquerantur. Nam licet mole admodum sit breuis, sensu tamen & rerum copia non cedit amplissimis epistolis: nam locum de seruis, seruitutibus, dominis, rerum proprietate, restitutionibus, quis non videt esse amplissimum? Et certè ita patent latè, vt ne vastis quidem voluminibus rectè explicari potuerint à Iurisconsultis. Et de libertate Christiana disputatióne vilis haberi debet? sedare seditiosos rusticos, breuéne argumentum censebis? at hic seruus & quidem fugitiuus, adde furax compilator & transfuga, restituitur in seruitutem domino, non impediebat seruitutem Euangelica professio: nec tollebat conditionem seruilem mutata religio. Hanc rerum prolixitatem velim expenderēt hi qui verborum hîc accusant breuitatem. Adde mirum id etiam videri posse breuitatem accusari, cùm alioquin grata prope sit in omnibus rebus. In sacris sanè breues sententiæ plus feriunt animum, occupatis hominibus lectu faciliora sunt argumenta breuibus explicata, quàm prolixæ commentationes. Prouerbia breuitate commendantur: & Laconismus nomine breuitatis omnium ore celebratus est. Laudat Homerus Menelaum hoc nomine de quo scribit, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, hoc est, pauca quidem, at admodum arguté. Itaque cur illi hîc breuitatem accusent ignoro, nisi quòd longis legendis tempore ipsi abundent, malintque copiosum dicendi & scribendi genus sine delectu vbique adhiberi. Pugnant illi non solùm cum vsu, sed etiam ipsa rerum natura, quæ in multis breuitatem necessitate quadam rebus imposuit. Quare nihil iis aliud responsum velim, quàm breuem verbis quidem esse: sententiis verò longam, eóque nomine maiori commendatione, lectione, explicatione, dignam esse censendam. *Breuitas Epist. excusatur.*

Alterum est quod obiiciunt, humile argumentum esse: verum quidem est, seruus domino reconciliatur, humile est seruum esse, misera etiam conditio & verè humilis redire in seruitutem ex qua semel profugeris: sed non damus perinde humile esse argumentum, quæstionem hanc explicare. Ego verò existimarim excellentis esse oratoris seruitutes ritè explicare, maioris etiam dominia rectè asserere: maximi verò mundo persuadere Euangelium non tollere rerum dominia. Nostro seculo rustici Euangelij prædicatione iudicarunt libertatem extendi etiam ad res externas, vt liberi essent à tributis, à magistratibus: & sunt qui adhuc iudicant, seruos non oportere esse inter Christianos, horum errores tollere: illorum verò rabiem compescere, leuéne tibi videbitur argumentum & humile? Quare illis priùs hoc erat ostendendum, humile hîc explicari argumentum, & vide eo vti contra epistolam hanc: verùm ignorant illi homines aliud esse rei conditionem, aliud eiusdem tractationem. Deinde & hoc illis superest vt edoceant, an magnis viris nō liceat etiam humilia tractare, & quidem magnificè. In eo sanè non minus hærebunt quàm priores: quid enim? misellos clientes eodem iure arcerent à patronis. Præterea maximos viros videmus apud Ethnicos interdum humilia sumpsisse argumenta, quæ magna cum laude tractarint. Autor est Plin. lib. 5. cap. 1. Iubam Regem priuato volumine celebrasse euphorbium herbam. Eodem autore, lib. 19. cap 5. Marchion, seu Moschion, librum etiam scripsit de Raphani laudibus. Scribit idem lib. 10. cap. 3. Dioclem magnis laudibus celebrasse rapam. *Humile arg. epistolæ excusatur.* *Summi etiam viri humilia tractarunt.*

Laudauit Themison plantaginem, & Pythagoras suos bulbos. Et quid? nónne Synesius Cyrenaicus Caluitij laudes scripsit: & Dion Philosophus, qui vixit sub Traiano Cæsare comæ laudes: & Fauorinus febrim quartanam laudauit? & vt ad nota magis descendamus, Apuleius suum asinum aureum fecit, & Ouidij nuce oblectatus est. Et superiori seculo Erasmus memoriam commendauit. Hæc eò referuntur à nobis, vt intelligamus non propterea reiici argumentum, quia in speciem humile videtur: imò maiori cum laude & tractari & explicari posse præsertim à viris magnis. Nam ita videbunt illi, quàm infirma sit ratio illorum. Alioquin ne hoc damus Apostolum hîc quicquam lusisse, aut à sese alienum tractasse. Deinde vt intelligant dignas esse res tractatione & explicatione: nam si tantos viros non puduit intendere vires ingenij in tractandis illis, ne putemus alienum à persona nostra, breuem etiam epistolam, & sacram, adde Catholicam, illustrare explicatione aliqua. Verùm illi ostendant humilitatem argumenti, aut cur Apostolo non sit digna illa tractatio: id cùm non possint, non pergant nobis porrò esse molesti.

Nam quod de facilitate dicunt, quasi nihil hîc sit explicatione dignum, eadem ratione contemni potest argumentum. Facilia omnes desideramus: itaque commendari hinc magis debuit epistola tanquam scriptum aliquod non solùm breue, sed etiam dilucidum & facile. Attamen si penitiùs inspiciant, forsan non deerit quod eos possit exagitare, & in quo su-

dent ſtrenuè, aut reſpondeant ipſi de furti pœna remiſſa, de libertate Chriſtiana, de proprietatibus, aliiſque locis, qui doctiſſimos etiam Iuriſconſultos, optimos ſimul Theologos defatigarunt.

Porrò quòd obiiciunt non habere aliquam vtilitatem in negotio religionis, magnæ ignorantiæ argumentum eſt. Id vt apertiùs fiat, aliquot eius commoda declarabimus: in explicatione eius id aliquando prolixiùs facturi.

Loci præcipui epiſtolæ.

1. Primùm diſcimus hic humilitatis exemplum in Apoſtolo, qui pro ſeruulo non dubitat ſuam autoritatem interponere.

2. Pauperes conſolationem habent ſe curæ eſſe Domino, ac in conditione ſua poſſe Domino placere.

3. Diuites diſcant non contemnere inferioris conditionis homines, ſed fratrum loco habere, ciuiliter & moderatè tractare ſubditos.

4. Confirmantur hîc dominia & rerum proprietates.

5. Refellitur error de libertate Chriſtiana, quòd non tollat ſeruitutes, obedientiam ſuperioribus debitam.

6. Seruitutis locus vel proprius eſt huic epiſtolæ, nam ſeruus reſtituitur.

7. Non deſperandum de peccatoribus, reſipuit malus ſeruus.

8. Veniam etiam lapſis non eſſe negandam. His ſimilia alia produci poſſunt contra eos, qui hoc nituntur argumento: ſed pudeat eos tandem ſuam ita prodere ſubtilitatem.

Hunc in modum reſponſum ſit illis qui hanc epiſtolam contemnunt, & explicatione indignam iudicant. Nos contrà ſtatuimus breuitate, facilitate, ſi quæ eſt, commendabilem eſſe, tractatione grauiſſimam, vt ne quidem cuiuis ampliſſimæ epiſtolæ cedat. Quod vt faciliùs intelligamus, eius aliquam proponemus diſpoſitionem: & eam quidem dilucidam & breuem. Dicemus autem primùm de Philemone quis fuerit: deinde quodnam totius epiſtolæ argumentum. Quod vt faciliùs intelligi poſſit, illa complectetur. 1. Quæ fuerit ſcribendi occaſio. 2. Quæ propoſitio, & ſcopus ad quem collimet Apoſtolus. 3. Quod genus cauſæ. 4. Quæ ſit partium ratio, quibus conſtet membris & partibus. Quæ ſi commodè & vtiliter potuerimus explicare, vos gratiæ Dei committemus.

Diſpoſitio epiſtolæ.

Quis fuerit Philemon.

Philemon igitur ſecundum D. Hieronymum fuit Coloſſenſis genere, & inter ſuos ciues magni nominis, diues, & ſingulari in pauperes fideles hoſpitalitate præditus. Theophylactus Phrygium facit, ſed nulla eſt diſcrepantia: nam Coloſſos nonnulli in Phrygia collocant. Et hac ſanè ratione Philemon & Phryx & Coloſſenſis eſſe poteſt. Magni nominis fuiſſe arguit quòd Eccleſiam habuit domeſticam, in qua multos fuiſſe, ac inter eos peregrinos credibile eſt. Hoſpitalem fuiſſe docent, quæ de dilectione ipſius prædicat in omnes ſanctos, & quòd viſcera ſanctorum per illum ſint refocillata.

Occaſio.

Occaſio verò illius epiſtolæ illa fuit. Philemon hic ſeruum habuit Oneſimum: is compilatis quibuſdam rebus domini ſui, fortaſſe etiam pecunia aliquantula, à domino profugerat. Ac Romam veniens Paulum audiuit docentem, cuius doctrina ſtatim apud ſeruum fugitiuum efficax fuit. Conuerſus igitur ſeruiuit Apoſtolo in vinculis: qui cùm intellexiſſet cauſam fugæ ſuæ, iuſſit eum redire ad herum ſuum, ac epiſtola hac aditum illi facit.

Propoſitio.

Scopus & principalis Propoſitio eſt, Oneſimum eſſe in gratiam recipiendum condonato delicto.

Genus.

Genus orationis eſt petitorium: nam gratiam petit ſeruo, ſuadet domino vt præſtet officium pietatis mancipio. Quare ad genus deliberatiuum pertinet, cuius finis eſt perſuaſio. Officium verò nihil eorum quæ ad perſuadendum faciunt omittere. Ex quo videas quantus orator extiterit Apoſtolus, qui breui epiſtola rem tantam confecit.

Partes.

Partium conſtitutio elegans eſt: nam omnes complectitur, quas reliquæ etiam ampliſſimæ. Initio habet epigraphen ſuis locis illuſtratam: deinde exordium ad beneuolētiam, quam peculiariter hîc quærit accommodatum: tertiò, ſequitur πρόθεσις breuis & Propoſitio, *Rogo te pro filio meo*: ſed eam priùs munit artificioſè προπαρασκευῇ quadam, ne nudè & ſine gratia inſeratur: quartò, habetur Confirmatio ab vtili, aliiſque argumentis, vt ſuo dicetur loco. Quintò eſt etiam addita confutatio, qua diluit duo crimina, fugę ſcilicet & furti. Sextò, notari poteſt Concluſio, in qua & priuata quædam continentur, & ſalutationes. Denique ἐπιγραφὴ addita eſt, qua finitur epiſtola. De his ordine agemus πάλιν ἀρξάμενοι.

Partes ſic obſeruentur. Primùm, titulus: ſecundò, Exordium, verſ. 4. Tertiò, Propoſitio, verſ. 10. Quartò, Confirmatio verſ. 11. Quintò, Confutatio, verſ. 15. Sextò, Epilogus, verſu 21. in quo repetitur Propoſitio principalis: deinde de hoſpitio adornando agitur:

tur: tertiò, adduntur salutationes: quartò comprecatione concludit epistolam. Hanc dispositionem secutus sum in secunda lectione, Anno 1572.

I. PARS.

Vers. 1. *Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilectione digno, & cooperario nostro.*

2. *Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ in domo tua est.*

3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Iesu Christo.*

Epigraphes expositio.

Epigraphen hæc verba complectuntur: denuntiat autem salutem Philemoni, ac suis. Et diuisa sunt in tria mēbra omnia illa: primùm enim obseruabis (si propè inspicias verba) personas salutantes: deinde personas alias quibus salus denuntiatur: tertiò, quid salutis nomine illis precetur.

Paulus vinctus pro Christo.

Personæ salutantes sunt duæ, Paulus & Timoth. In his expende quomodo singulos commendet: seipsum à vinculis Christi commendat: appellat enim se δέσμιον Christi. Facit hoc non tam ad autoritatem cōparandam, quàm gratiam apud Philemon. & commiserationem. Nam vincula pro Christo ferre gloriosum est, & insigne vocationis legitimæ: tamen ipsum nomen & commemoratio vinculorum commiserabile est, præsertim in immerentibus: & quæ vincti boni viri rogant non facilè solent denegari. Quare hic nec seruum Dei, nec Apostolum vocat: non enim scribit ad eum qui de vocatione sua dubitare possit, nec desideratur autoritas: quæritur autem gratia pro seruo. Quod ad gratiam conciliandam facere igitur poterat, hoc assumit.

Fratres qui dicantur.

Vinctus pro soluto intercedit, & vir bonus apud bonum: non igitur neganda est postulatio. Timotheum verò commendat ab integritate: vocat enim fratrem, quod germanitatis & sinceritatis vocabulum est. Dicuntur autem fratres non solùm illi qui sunt ὁμοπάτριοι, & ὁμομήτορες, hoc est, iisdem nati parentibus, vterini fratres: sed illi etiam qui stirpem originis habent communem: sic posteri Abrahami fratres sunt: & vnius familiæ posteri dicuntur fratres. Hoc pacto fratres Christi & sorores noti erant Iudæis. Tertiò, fratres dicuntur professione, studiis, & vitæ genere: quo pacto germani milites sese omnes fratres appellant. Quartò, fide & iure regenerationis: sic renati in Christo omnes sunt fratres & quidem soli hi. Porrò quòd assumit sibi Timotheum, ad causam etiam facit: nam quod à pluribus petitur, iisque viris bonis & notis, non solet facilè negari. Deinde vt videret Philemon non solùm vni Paulo sese approbasse seruum suum, sed Timotheo, aliisque fidelibus. Est etiam humilitatis argumentum in Paulo, quòd in causa priuata non erubescat sibi assumere socium: adde etiam diligentiæ signum quòd non obiter scribat, verùm summa diligentia.

Scripta est hæc epistola ad Philemonem ante secundam ad Timotheum: nam Demas adhuc constans fuit, qui in secunda ad Timotheum defecit.

Philemō dilectus.

Secundo loco expende quibus personis dedicetur epistola: vbi occurrunt quadruplices. 1. Philemon. 2. Apphia. 3. Archippus. 4. domestica Ecclesia. De Philemone iam diximus. Expende hic quibus nominibus commēdetur, ἀγαπητῷ, inquit, quod D. Hieronymus dilectione dignum interpretatur. Nam ἀγαπημένος dilectum sonat: tales etiam hostes sunt, qui ex præcepto Christi sunt diligendi: non ita fideles, nam hi soli sunt ἀγαπητοὶ, hoc est, diligibiles, aut digni amore, habent illi mutuum affectum amoris, ἀντιφίλησιν, & habent in se causas quibus alij inuitentur vt eos ament. Philemon ἀγαπητὸς est, quia fidelis est, quia hospitalis, beneficus in pauperes, & quia ipsum Paulum etiam diligit.

Deinde ab officio commendatur, τῷ συνεργῷ, *cooperario*, potest autem referri ad docendi munus, quasi fuerit in ministerio docendi, qui propriè cooperarij dicuntur. Ad communem etiam Christianismi professionem pertinet: sic priuati etiam homines συνεργοὶ sunt. Nam fidei professio in omnibus requirit operationem, tutelam & patrocinium: vt singuli pro viribus eam tueantur & asserant. Placet tamen ad docendi munus referre: & quanuis non fuerit publicus minister, tamen cùm priuatam habuerit Ecclesiam, in ea certè fuit doctor, tanquam bonus paterfamiliâs, cuius exemplo patres discant quæ in sua familia præstare debeant. Doctores esse debent & cooperatores ministris publicis: nam domi si bene instituantur, publicè ministro multum laboris & molestiarum adimitur.

Apphia vxor Philem.

Deinde Apphiæ dedicatur: fuit illa vxor Philemonis, sic enim consensu publico video exponi. Honestæ matronæ imago est, boni viri proba vxor, ac digna dilectione Christiana propter virtutes matronales, præcipuè fidei præstantiam. Hinc digna ea laude, vt nomen eius huic epistolæ insertum, æternæ memoriæ consecraretur.

Archippus Epi-

Tertiò, Archippo. Hunc Episcopum Colossensem fuisse probabili coniectura asserit D. Hieronym. Fit cuiusdam Archippi mentio in epist. ad Colos. sub finem: & dicite Archip-

scopus Coloss. po, vide tuum ministerium quod accepisti à Domino, vt illud impleas. Fit ibidem mentio Onesimi, quasi de Colossensium numero sit, & per eundem transmissa est illa epistola: ex quibus concludit Philemonem Colossensem fuisse, cùm seruus eius illius Ecclesiæ sit membrum. Deinde Archippum ministrum, hoc est, Episcopum illic fuisse. Et hic commilito dicitur: militant quidem omnes Christiani sub duce Christo, sub illo tamen Imperatore summo duces sunt ministri: hi commilitones dicuntur, quòd in prima acie pugnant contra hostes veritatis. Reliquis sæpe dormientibus, cessantibus, hi in agone sunt, vigilant, defendunt gregem, propulsant aduersa: imprimis igitur illis competit nomen militis, & fieri potest vt Archippus hic cum Paulo & Timotheo aliquo peculiari periculo pro Christi gloria sese strenuum exhibuerit, quo liberati etiam sint tanquam victores. Eámque virtutem hîc illi obiter reuocat in memoriam.

Ecclesia domestica Philem. Quartò, Ecclesiæ domesticæ: fuit illa collecta ex liberis & seruis, & nimirum aduenis hospitibus, nam sequentia hospitalem fuisse declarant. Primùm, considera magnam fuisse hanc dignitatem & domesticis & patrifamiliâs, quòd Ecclesiæ nomine ornetur familia: non igitur dubitent pij, quanuis paruo sint numero, quin Deo Ecclesiæ nomine approbentur. Deinde serui Onesimi magnam habitam rationem, pro quo non solùm compellat herum, sed heram, familiam, conseruos, ipsum etiam Episcopum. Faciunt autem hæc ad impetrandum quod est petiturus. Nam omnes illos ad intercessionem pro Onesimo videtur solicitare, maximè quòd Ecclesiæ mentionem facit: eam enim admonet officij sui, vt pœnitentes recipiat. Archippum verò, quia minister est, decet pro oue illa etiam solicitum esse. Apphia autem & Philemon cùm pij sint, Pauli & Timothei preces non debent aspernari. Atque his quidem dedicatur epistola.

Sequitur membrum tertium epigraphes, *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Bona quę precatur Paulus & eorum autor. Hic consideranda sunt bona quæ illis comprecatur: deinde bonorum autor & fons. Bona spiritualia sunt, Gratia, Dei beneuolentia est amplectentis nos & remittentis peccata nostra gratuitò solius Christi merito. Pax, conscientiæ tranquillitas, agnoscentis Deum sibi placatum, peccata remitti propter Christum: illa summa est felicitas, quam humanæ mentes in hac vita sentire possunt.

Deus quom. Pater. Autor bonorum tantorum est, Deus Pater, & Dominus Iesus Christus. Deus Pater noster dicitur primùm iure creationis: sed ita fidelium etiam pater est. Deinde iure regenerationis, quia nos per Spiritum sanctum regenerauit. Ita solùm est Pater fidelium. Et iure regiminis, quia regit suos vt pater filios: & iure conseruationis, tutelæ & curæ. Ita hæc compellatio vim habet inter electos & Deum. Ab hoc fonte petenda etiam sunt prædicta bona & hilariter, est enim Pater. Iesus Christus Dominus est, iure redemptionis, sui iuris nos fecit morte sua & sanguine suo pro nobis effuso: eramus enim mancipia Diaboli, ex illius tyrannide nos vindicauit. Dominus igitur est, & agnosci à nobis ita debet. Deinde gratia commodè ad Patrem referri potest vt autorem: Pax verò ad D. Christum, nam per hanc pacificati sumus, reconciliati Deo Patri: est enim ille sequester noster & Mediator, cuius beneficio pacem obtinuimus.

SECVNDA PARS.

4. *Gratias ago Deo meo semper mentionem tui faciens in orationibus meis.*
5. *Audiens tuam dilectionem & fidē quam habes erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos.*
6. *Vt communio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis boni quod in nobis est erga Christum Iesum.*

EXORDIVM.

Exordiū vbi de Pauli affectu erga Philemonem. Exordium illud est epistolæ: ac totum ad εὔνοιαν captandam accommodatur. Nam à suo affectu in Philemonem, & ipsius Philemonis virtutibus sumitur. Affectus Pauli declaratur hisce tribus, quia Philemonis sæpe memor, frequenter ad Deum orat, & eidem pro Philemonis virtutibus gratias agit. Obserua autem ordinem, primùm est orare ad Dominum, quod fieri potest in genere, vt speciatim amicorum non fiat mentio: éstque pij pectoris semper orare. Verùm in deprecationibus meminisse amici alicuius nominatim speciale est, & amoris cuiusdam singularis argumentum. Denique gratias agere Deo pro ipso vltimum est. Sed Apostolus ab eo membro exorsus, ostendit Philemonem non solùm illi esse cordi, sed dignum etiam amore: nam gratias agimus vbi res prosperè cessit, vbi obtinuimus. Ex quo Philemonis fides, cæteræque virtutes laudantur, cùm talis sit vt de eo gratiæ Deo sint agendæ, potiùs quàm petendum vt resipiscat aut crescat, surgat, aut simile quid.

Audiens tuam, &c.

Audiens

Philemonis charitas.

Αἰτιολογία est, quæ ad primum membrum collocationis pertinet, hoc est, cur Deo gratias agat. Ratio est, quia audio commendari splendidè tuam dilectionem & fidem. Ἀγάπη charitas est, vel dilectio, hoc est, studium benefaciendi Christi nomine, nihil nostri quærentes. Aliàs etiam opera charitatis significat, hoc est, eleemosynarum distributionem, hospitalitatem, beneficentiam in pauperes: qua significatione hîc & in tota hac epistola libenter accipio. Dicebatur etiam Agape veterum collecta Cœnæ tempore, quæ postea in pauperes distribuebatur. Item conuiuia ipsa quæ pauperibus instruebantur, qualia hodie adhuc quædam in vsu sunt, ad quæ tantùm pauperes scholastici, viduæ egentes, & orphani miselli, senes etiam inopes inuitantur. Hinc factum est vt Cœna Domini diceretur etiam Agape, quòd in ea pauperibus quædam conferebantur.

Pauperũ commendatio.

Altera virtus est fides, eam de professione Christianismi intelligo, quare mox subiicit, *Quam habes erga Dominum Iesum, & omnes sanctos.* Prius ad fidem pertinet: posterius ad ἀγάπην. Et obserua pauperes nobis commendari sanctorum nomine, quo docemur pauperes præcipuè Deo curæ esse. Deinde inuitari nos ad beneficentiam tam splendido titulo, ne putemus abiectis erronibus nostra impendi, sed sanctis, hoc est, iustis, fidelibus, qui ad sanctitatem aspirant, & Deo prorsus deuoti sunt, qui diuini sunt iuris, & ideo in nullius bonis. Et sanè pauperes videntur dici sancti, quòd violari non debeant, nec possint sine magno crimine. Sancta qui violabat cõtra eum pœna capitis constituta erat, etiam legibus humanis. Cùm sancti autoritate diuina dicantur pauperes, iuris non humani, sed diuini dicuntur: ob id pœna grauissima violatores illorum damnantur.

Sãcti qui colendi.

Tertiò, docemur etiam qui sancti colendi sint, cùm scriptura nullos alios norit, aut commendet nobis sanctos, quàm viuentes in hac terra adhuc pauperes: cultus certè sanctorum illorum honestissimus erit. Expende autem quare ἀγάπην præmittat & fides sequatur, cùm fides causa efficiens ἀγάπης meritò haberi possit. Ad quod responderi potest hic agi causam charitatis, vt Onesimus restituatur in gratiam, ideóque prædicari illius charitatem, quò facilius huic seruo etiam communicetur. Deinde, cùm fuerit diues Philemon & benefaciendo pauperibus illustrem sibi pararit famam in Ecclesia, rectè commendatur primo loco. Adde quòd nostra cognitio vniuersa à posterioribus plerunque procedit, iudicamus de rebus ab effectis, vti Christus docuit ex fructibus cognosci arborem, & cùm fides sit causa efficiens operum, nam animi est quædam qualitas, quæ tum demum cõmendari dicitur si fructus congruentes ediderit, si operosa sit: quare necesse est priùs commendari vitam, mores, charitatis opera, priusquam fidem laudemus.

6. *Vt communicatio fidei, &c.*

Communicatio fidei quid sit.

Particula hæc explicat quid sit agape, scilicet κοινωνία πίστεως, hoc est, qua bona nostra cõmunicamus pauperibus sanctis, id quod fides nos facere iubet: communicare fidem dicimur benefaciendo, non quòd fidem ipsis communicemus, sed ea quæ fides nos facere iubet: atque illud est agapen exercere. Ac cohæret illa sententia cum superiori εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεως, &c. nam ostendit quo fine Deo gratias agat, non tam pro bonis, inquit, præsentibus, quia benefacis sanctis, sed magis pro futuris, vt illud tuum studium perpetuum sit, illustrior reddatur liberalitas tua, efficax diu sit. Est autem in liberalitate cognitio quædam necessaria, vt intelligas quid dandum, cui, & quo fine: illa prudentia ἐπίγνωσις hîc dicitur, quædam rerum experientia & vsus: non enim quæuis largiri expedit, & stolidi hominis potius est argumentum in quosuis obuios sua profundere: quare ad fideles pertinet largiri cum quadam ἐπιγνώσει: deinde largiri fidelibus, denique nomine Christi, atque illa vera est fidei nostræ κοινωνία.

7. *Gratiam enim habemus multam, &c.*

Philemonis liberalitas.

Causę redditio, qua declarat affectum suum erga Philemonem, eiúsque liberalitatem, sententia est, mirificè lætor tua liberalitate in pauperes. χάριν libenter pro χαρὰν admitto, nam lætitiam quandam declarat, quæ nascitur ex eo, quia Apostolus videbat fructum aliquem Euangelicæ professionis in Philemone, aliísque. Deinde idem erat consolatorium, quòd labores sui non essent frustranei, animosior etiam reddebatur ad perferenda vincula & carceres nomine Christi. Et quod prius dixit agapen κοινωνίαν πίστεως hîc appellat, *sanctorum viscera refocillare,* quibus omnibus operosa describitur charitas sanctorum. viscera dicuntur ipsi sancti per synecdochen. Hactenus quidem Exordium, quod totum beneuolentiam respicit, solam etiam charitatem vrget & commendat, nam id ad causam suam facit.

TERTIA ET QVARTA PARS.

Propositio & confirmatio.

8. *Quare cùm multam habeam in Christo fiduciam iniungendi tibi id quod officij tui est.*

9 *Magis tamen propter dilectionem rogo, præsertim cùm talis sim, Paulus nimirum iam se-*

nex & nunc etiam vinctus Iesu Christi.

10. *Rogo te pro meo filio, quem genui in vinculis meis Onesimo, quondam tibi inutili, nunc vero tibi & mihi, &c.*

Tria ex illis verbis colligenda sunt: primùm aditus ad propositionem: deinde ipsa propositio, ac demum argumenta suasoria.

Παρασκευὴ, initio posita est, nam præparat sibi viam ad id quod postulatum est. Sententia est, Possem meo iure tibi mandare vt faceres in præsenti causa officium Christiani hominis sed malo te rogare, quum sciam vltro te id facturum.

Deinde sequitur πρότασις. Παρακαλῶ σε περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου: sententia est, Cupio vt Onesimum nostrum recipias in gratiam. Quæstio igitur in qua negotij totius cardo versatur, est, An Onesimus sit recipiendus in gratiam.

Onesimum ab hero recipi rogat Paulus, quare.

Tertiò, superest vt expendamus argumenta Apostoli quibus id suadet: sunt illa colligenda partim ex antecedente παρασκευῇ, partim ex consequenti narratione: oratio enim hic tota est argumentosa. Primùm igitur remittere offensam fratri est officium hominis Christiani: Onesimus te offendit, tuum igitur est vt boni Christiani hominis, id illi remittere: ad maiorem & conclusionem pertinet τὸ ἀνῆκον, quod est competens officium, quod sine crimine & peccato non potest negligi, idem quod καθῆκον hoc loco. Deinde ego vt ordinarius Apostolus id te iubere poteram nomine Christi, sed rogare malo: tuum igitur est in eo esse facilem. Ad antecedens pertinet habere παρρησίαν multam in Christo, τὸ ἐπιτάσσειν, hoc est, ius & libertatem aliquid iubendi, mandandi, & imperandi. Et quomodo illud habuit Apostolus, quia extat Christi mandatum de remittenda noxa fratri, de diligendis inimicis, de benefaciendo his qui nobis malè fecerunt, de concedendo pallio ei qui vestem tulerit: deinde Apostolus præco Domini est, & vicariam præstat operam, Christi voluntate proponit & exigit, ex officio igitur Paulus id iuris habuisset. Tu Philemon si Christianus esse vis, mando tibi nomine Christi, vt Onesimo tuo reconcilieris. Tertiò, quæ rogantur cùm iure postulari possent, concedenda sunt: rogo pro Onesimo cùm id postulare abs te possim: facilis igitur in concedendo esse debes, & obserua remissionem iuris hîc tribui charitati, quam hactenus toties in Philemone prædicauit, habet & illa argumentum. Quartò, charitate tua adductus confido me intercedendo & rogando impetraturum, quę iure postulare poteram: igitur dabis operam ne fallar spe tam honesta. Quintò, ab aliis suæ personæ circunstantiis plurima conglobantur quę vim argumentorum habent, vno tamen omnia complectemur. Vbi magni sunt intercessores & eximij patroni, postulata non negari debent facilè, esset enim inciuile & à pietate alienum: sed in hac causa eximius & magni nominis est intercessor: non igitur facilè id quod petitur negare debes. Ad petitionem illustrandam illa faciunt, τοιοῦτος ὤν, *cum talis sim*, magni scilicet nominis & meriti apud te. Et quomodo illud? Respondeo, sum Paulus tuus, qui te etiam conuertit, cui omnia debes: deinde sum iam senex ætate, quæ ætas per se quandam habet erga inferiores autoritatem: vnde Gentiles etiam sapientes iusserunt αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους γέροντας: vsu rerum confidentes sunt senes, hinc illis tribuitur & sapientia & autoritas quæ interdum etiam apud improbos valet. Vnde Solon solebat dicere senectute fretum se audacter resistere Pisistrato tyranno. Tertiò, hoc ipso tempore quo intercedo pro seruo sum ipse vinctus & haberem opus intercessione, sed malo pro Christo mori & pro aliis in vinculis intercedere: magna sunt ista, & in oculis ac auribus Philemonis haud dubiè habebant insignem autoritatem, & illa argumenta suppeditat ipsa παρασκευή, quæ πρότασιν antecedit. Postea in verbis propositionis nulla est obscuritas: sextum tamen argumentum suppeditat, Onesimum filium tibi remitto, non malitiosum seruum, & quidem meum, non tuum filium: da ergo & illi & mihi hanc gratiam vt offensa remittatur.

Senum habenda ratio.

Septimò, filij qui nascuntur in maiori angustia solent esse chariores, hunc Onesimum genui in maxima mea angustia: mihi igitur & tibi debet esse charior. Ad minorem pertinet quòd ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου, in vinculis Romæ eum conuertit, quo iure filius illius dicitur. Maiorem declarant exempla Beniamin & Iosephi, qui hoc nomine dilectissimi fuêre Iacobo.

Allusio ad Onesimi nomen.

Octauò, Qui vtiles & bonos restituunt pro malis seruos, sunt audiendi, talem tibi Onesimum tuum restituo, sum igitur audiendus. Ad minorem pertinet, Ονήσιμον τόν ποτέ σοι ἄχρηστον νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον: alludit autem ad nomen Onesimi quod χρήσιμον significat, deinde antithesis est temporis, in quo considerat τὸ ἄχρηστον & εὔχρηστον. Hactenus tibi fuit ἄχρηστος & tamen retinuisti, imò fugam eius ægrè fers: nunc redit χρήσιμος, & verè respondet suo nomini, recipe igitur eum in gratiam. Pręterea emphaticum est quod ait, *Tibi & mihi*, nam bonum quantò communius, tantò meliùs, & vtilitas tantò melior quantò communior multis: quare si tui commodi rationem habere velis mei certè commodi sis fautor.

Fuit eiusdem nominis Plutarchus, qui cum Epictheto disseruit apud Fauorinum Acade-

micum

mecum Philosophum, de quo Galenus in principio περὶ ἀρίστης διδασκαλίας.

Vers.12. Nonò, Sequitur conclusio, *quare remisi eum ad te & tu ipsum suscipito*, verùm conclusio quamuis multis confirmata sit rationibus, tamen non infertur nudè, sed additur argumentum intimi cuiusdam amoris. Quidquid Onesimo contuleris gratiæ, id mihi collatum esse interpretabor, imò visceribus meis. Dicuntur viscera Pauli, vt sancti pupilla in oculo Dei, hoc est, res intimè chara, quæ sine magna offensa lædi non possit. Sequentia inde ostendunt, cur eum apud se non retinuerit, quum tanti faciat hunc seruum.

Ratio est, quòd aliena re sine permissione, & consensu Domini noluit vti, sed vt illa argumenta suppeditant: tanti facio Onesimum, vt cupiam eum mihi seruire tuo loco, idque in rebus honestissimis, scilicet in Euangelij negotio. Quare tu eum non grauatim in gratiam recipies. Tacitè autem innuit remittendum ad se Romam Onesimum post reconciliationem, vult eius opera vti, sed consensu Philemonis, κατ᾽ ἀνάγκην interpretor ἀκούσιον, vt opponatur sequenti κατὰ τὸ ἑκούσιον & ἀγαθὸν, vtilitatem quæ ex Onesimi ministerio ad Paulum redire poterat. Cur Onesimũ non seruet Paulus.

QVINTA PARS.

Confutatio.

Vers. 15. *Fortasse enim propterea ad horam secessit, vt æternum eum reciperes.*

16. *Non amplius vt seruum, sed supra seruum fratrem, dilectum imprimis mihi: quantò igitur magis tibi, & in carne, & in Domino?*

17. *Si igitur me habes consortem suscipe ipsum vt me.*

18. *Si autem aliqua iniuria te affecit, aut debet aliquid, id mihi imputa, &c.*

Duo erant quæ animum Philemonis alienabant ab Onesimo, furtum & fuga. Ad hæc duo hic breuiter respondet Apostolus. Et primùm crimen fugæ diluit. Ac initio reuocat cogitationes ad occultam quandam fugæ causam. Nam fieri potest vt diuersi agant in eodem negotio, diuerso tamen consilio & fine. Onesimi causa impellens ad fugam satis erat aperta, furtum commissum ex quo metuebat heri sui iram, plagas etiam, & pistrinam, hinc consilium de fuga conceptum: sed Dominus qui in eodem negotio suam habet potestatem & prouidentiam, agit etiam longè tamen alio fine, de quo Onesimus nihil cogitabat: voluit is hunc ea occasione Romam ducere, vt audiret Apostolum, & ab eodem conuerteretur ad Christum. Ecce mirandum Dei consilium conuertentis errores nostros ad finem aliquem laudabilem. Quod historia Iosephi quoque dilucidè ostendit. Quare eleganter initio in dubium ponit finem fugæ istius, quasi dicat, non posse nos satis rectè iudicare quo consilio fugerit: & honestum esse euentu hoc nos iudicare. Conuersus est ad Christum: igitur eo consilio Dominus voluit eum ab hero suo fugere. Deinde fugam mitiori vocabulo circunscribit, *separatus*, inquit, *est abs te:* non igitur fuga dici debet, sed χωρισμὸς separatio. Onesimi fugã excusari à Paulo.

Tertiò, tempora opponit, modicum est fugæ tempus: ad horam enim durauit: contrà tempus lucri quòd hinc habebis æternum est. Αἰώνιον intelligo, tum durationem longi temporis quo illi corporali seruitute poterat adhuc ad annos multos seruire: tum animæ commodum quo seruus cum Domino in vita æterna hoc medio copulatur, quasi dicat, in hac vita seruum frugi habebis & post hanc eundem cohæredem habebis vitę æternæ. Semper igitur & in æternum habebis eum. Tempus fugæ Onesimi quātum.

Quartò, *non seruum habebis in posterum, sed quiddam amplius*, hoc est, *fratrem dilectum*, nam eundem tecum iam agnoscit Christum redemptorem: noli ergo fuga eius tantopere offendi. Et quia seruum furacem hero bono fratrem constituere videri poterat molestum, suo exemplo ostendit non illi hoc esse molestum oportere. Ego Paulus, *non erubesco eum, & filium & fratrem agnoscere*: igitur multò minus tu erubesces id facere. Mihi frater est religionis nomine tantùm: quia Christum Filium Dei agnoscit, in quo nos omnes fratres adoptitij sumus. Sed vide, præter ius illud, carnali copula meritò tuus frater habendus est: nam membrum est familiæ tuæ: domestici rectè fratres dicuntur, quare duplici nomine fratrem agnosces, & libenter quidem, cùm id ego etiam faciam. Onesimus frater.

Quintò, Illatio sequitur. *Itaque suscipe illum vt me* condonata fuga. Ratio noua est adiecta, mea amicitia si velis frui, condonandum est seruo delictum: voles autem mea amicitia & familiaritate frui: itaque condonandum est huic sua noxa. Magna coniunctio est serui & Apostoli, qua non dubitat sese pro seruo opponere.

Sequitur deinceps crimen furti, nam hoc alterum erat delictum. Hoc etiam diligenter diluit. Initio confessione criminis mitigat animum heri: fieri potest vt te læserit iniuria & tua tibi interuerterit, quæ possis iure ab ipso reposcere. Habet igitur confitentem reum: quid ergo? Crimen inquit, hoc non diluo, nec ad Deum authorem refero, sed simpliciter restitui, inquit, debet. At vndè & quis? Respondet, *ego rependam*, *mihi* Furtum Onesimi quomodo diluat Paulus.

imputa. Habes ô Philemon magnificum sponsorem, non habes quò suffugias, non potes tanti viri fidem excutere:mihi,inquit,ascribatur.

Deinde quasi chirographum exhibet:*Ego Paulus scripsi mea manu*,quod intelligi potest de toto hoc epistoliolo,quasi id scripserit propria manu, vel de præsenti obligatione, qua fidem suam pro Onesimo obligat. Ac ne inanis obligatio videatur, expresse ait ἀποτίσω, ego rependam,restituam:plena igitur est sponsio.

Magna hæc Apostoli humilitas intercedentis pro seruo, tanto studio, vt paratus sit etiam pecuniarium debitum pro seruo soluere.Sed ad finem expressè merito suo vrget Philemonem:*maiora tu mihi debes* quàm hoc sit, hoc est, teipsum, nam meo beneficio factus es Christianus,Deum verè colis, & vitam æternam expectas. Et scio si teipsum mihi postularem,non id mihi negares. Itaque ne hoc quidem.

SEXTA PARS.

Conclusio.

20. *Certè frater ego te fruar in Domino:refice mea viscera in Domino.*

21. *Confisus de obedientia tua scripsi tibi, sciens quòd etiam plura quàm dicam sis facturus.*

Conclusio. Conclusio seu Epilogus his verbis continetur. Habet autem πάθος & spem obtinendi postulata,qui affectus ad epilogos propriè pertinent. Initio προσφώνησις est, qua amanter & patheticè eum compellat fratrem : nihil igitur inimicum & hostile præstare debet. Deinde, *Fruor te in Domino*, hoc est, vsus tui aliquis ad me perueniat in causa tam honesta, *ich vnd dinn geniessem mi herrenn*:aut vtinam fruor te in Domino. Tertiò, repetit propositionem, *Refocilla mea viscera*,hoc est,Onesimum recipe in gratiam:quidquid Onesimo præstas,mihi impendi iudica.Quartò,hactenus in omnibus mihi obedientiam debitam præstitisti: in hac igitur tam iusta,adeóque pia causa,meas preces non negligas.Quintò,spem de te non falles, spero autem plura facturum in hoc negotio,quàm petam,eóque nomine breuior sum.Quare locum da precibus meis.

SEPTIMA PARS.

Appendix.

22. *Simul autem præpara mihi hospitium : spero enim quòd per preces vestras donabor vobis.*

23. *Salutant te Epaphras,concaptiuus meus in Christo Iesu.*

24. *Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, cooperatores mei.*

25. *Gratia Domini nostri Iesu Christi,cum spiritu vestro. Amen.*


Ad finem priuata quædam solet Apostolus adiicere:idem præsenti loco præstat.Primum est, quòd spe bona ducatur, futurum, vt beneficio precum Ecclesiæ, liberetur ex vinculis. Habet simul etiam argumenti vim ad persuadendum, quasi ideo præmittat Onesimum, vt per eum adornaretur hospitij locus ei mox subsecuturo. Deinde admonemur hîc, precibus fidelium multum tribuendum esse in hac vita:nam hæc vera intercessio sanctorum,qua viui pro viuis ad Dominum clamant.

Alter locus est de salutationibus. Epaphras magni nominis fuit vir : de quo Coloss.4 & huius opera creduntur Colossenses recepisse Euangelium.2. Marcus Coloss.4.consobrinus Barnabæ : at D. Hieronymus putat Euangelistam Marcum esse. 3. Aristarchus etiam Coloss.4.vt constans commendatur 2. Tim.cap.4.vt desertor taxatur.Ex quo colligi potest, hanc ad Philemonem scriptam esse ante posteriorem ad Timoth. & videtur quidem scripta esse eodem tempore,quo illa ad Ephesios & Colossenses, nam omnia nomina in salutatione subscripta eadem sunt.5.Lucas,Medicus fuit, vt est Coloss. 4. Idem Euangelista.Hi omnes Romæ fuerunt cum Paulo, & (vt apparet) partim captiui, partim liberi,qui tamen accessum ad Apostolum habuerint. Ex quo obserua, quantum hoc fuerit offendiculum à tot,tantísque viris deseri negotium Euangelij, & causam Pauli, vt conqueritur in 2. Timoth.cap.4.

Tertius locus habet ὑπογραφὴν, quæ illa complectitur,*gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu vestro.* Solennis est Apostoli hæc subscriptio : non tamen semper vltimo loco collocatur,vt in Epist.ad Rom.interponitur salutationibus. In reliquis suum obtinet locum, vt hîc ad calcem : verbis aliquantulum interdum etiam variat, pro ratione causæ & personarum. Propriam autem hanc formulam esse Apostoli Pauli constat ex Epist.2.ad Thes.ad finem.Porrò Spiritus,vt annotat D.Hieronymus,pro toto homine sumitur:præstantior pars pro toto,quæ synecdoche frequens est Scripturæ sanctæ,&c.

FINIS.

DISPO-



DISPOSITIO EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

Quis fuerit author epiſtolæ ad Hebræos.



DE Epiſtola ad Hebręos triplex eſt hominum doctorum iudicium: nonnuli neque Canonicam, neque Paulinam agnoſcunt: alij Canonicam quidem, ſed Pauli eſſe negant: tertij verò & Canonicam & Paulinam affirmant. Primi illi iſtis fermè ducti ſunt rationibus, authoritate.ſ. Latinæ Eccleſiæ, quæ ſerò & vix tandem hanc admiſit in canonem ſacrarum literarum. Inde quòd cap.6. videatur Nouati dogma defendere lapſis negando veniam. Et denique quòd Hieronymus, Auguſtinus, & alij ſæpe dubitanter citent ex hac epiſtola teſtimonia. Sed his rationibus ab aliis iam ſæpe ſatisfactum eſt. Secundæ opinionis iſta fermè ſunt argumenta. Primùm quòd in tota epiſtola non extet nomen Pauli, nominatim in titulo. Deinde genus ſcribendi, & ſtyli proprietas multum videtur diſcrepare à Paulinis epiſtolis. Tertiò, quòd cap.2. autor de ſe loquens videtur quaſi de diſcipulo Apoſtolorum loqui. Et quartò afferunt ex Nicephoro lib.4. cap.34. de Caio veteri quodam ſcriptore, qui hanc Pauli eſſe negat. Cæterùm iſti has rationes non vehementer vrgent, & cum tertiis facilè conſentiunt, & canonicam eſſe, & ardore cum Paulinis congruere. Itaque breuiter peſtringamus rationes eorum, qui & Paulinam, & Canonicam agnoſcunt. Qui his fermè vtũtur argumentis. Primùm, quòd materia conſentiat cum articulis fidei, adeóque cum doctrina Chriſti & Pauli. Deinde quòd Græci communi conſenſu maturè receperint, quod iudicium etiam confirmauit ſynodus Nicæna. Tertiò Nicephorus lib. 4. cap.33. de Clemente Alexandrino ſcribens dicit hanc Paulo tribuiſſe, quibus addit Euſeb. lib.5. ca.11. à Paulo ſcriptam eſſe Hebraicè, per Lucam verò tranſlatam in Grecum ſermonẽ, & quidem liberiori ſtylo. Quartò, Origenes in enarratione Pſal. primi connumerat manifeſtè hanc Paulinis epiſtolis. Idem facit Nicep. lib.5. cap.16. & Euſeb. lib.6. cap.18 Quintò Clemens ille Romanus, qui fuit à Petro quartus, hanc etiam Paulo tribuit, referente Hieronymo, quod etiam habet Nicephorus lib.3. cap.18. & Euſeb. lib.3. cap. 38. Sextò idem Nicephorus lib.2. capite 46. contendit referendam eſſe inter Paulinas, quamuis ſit verſa, ſeu à Luca, ſeu à Clemente Romano, quod poſterius illi videtur vero ſimilius. Septimò, Euſebius lib. tertio cap.26. non reponit inter ſuſpectos libros noui Teſtamenti, ſed cap.3. eiuſdem lib. 3. manifeſtò etiam hanc Paulo tribuit. Octauò, Irenæus vetuſtus ſcriptor, huius epiſtolæ teſtimoniis vtitur tanquam Pauſinis. Nonò: Cyrillus etiam lib.12. cap.9. ſui theſauri, plurima teſtimonia hinc deſumpſit, tanquam ex epiſtola Pauli. Decimò, Chryſoſtomus quoq; integris commentariis eam illuſtrauit tanquam Paulinam. Vndecimò, Dionyſius ille Pauli diſcipulus hanc præceptori ſuo Paulo tribuit. Duodecimò, Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ ad Romanos hanc vt Paulinã citat, reddita etiam cauſa cur nomen pauli omiſſum ſit in inſcriptione. Decimotertiò, D. Hieronymus vt vt alibi dubitanter de hac loquatur: tamen in epiſtola ad Dardanum manifeſtè hanc Paulo tribuit, vt inde facilè colligi poſſit quid de hac ſenſerit. Verba illius iſta ſunt: Illud, inquit, noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos non ſolùm ab eccleſiis Orientis, ſed etiam ab omnibus retrò eccleſiaſticis Greci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet pleriq; eam Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit, cùm eccleſiaſtici ſit viri, & quotidie eccleſiarũ lectione celebretur. Quòd ſi eam Latinorum conſuetudo nõ recepit inter ſcripturas Canonicas, nec Græcorum quidem eccleſię Apocalypſin Ioannis eadẽ libertate ſuſcipiunt, & tamen nos vtraq; ſuſcipimus, nequaquã huius temporis conſuetudinẽ, ſed veterum ſcriptorum autoritatẽ ſequẽtes.

QVI FVERINT HEBRÆI.

Iudæos Hebræos dici manifestiùs est,quàm quod explicatione indigeat.Vnde autem dicti sint Hebręi,non perinde constat inter omnes.Nã reperio triplices sententias.Primùm, quidam putarunt Hebræos dictos esse quasi Abrahæos,quam sententiam aliquando secutus est Augustinus,vt est videre lib. I. quæstionum super Genesin, & lib. I. de consensu Euangelistarum.Item in quæstionibus mixtis in vtrunq; Testamentum,& fuit hæc sententia etiam Clementis lib.I. recognitionum ad fratrem Domini. Alij dictos putarũt quasi Heberæos ab Heber, quã sententiam sequitur Hieronymus in quæstionibus in Genesin.Et Eusebius lib.7.ca.2. de præparatione Euangelica.Et Galatinus lib.4.cap.20.Hanc sententiam etiam postea est amplexus Augustinus, vt est videre lib. I.retractationum,priorem scilicet corrigens,ac remittit nos ad librum 16.ciuitatis Dei, quem vide cap.3.& II. Tertij generis sunt Grammatici, qui Hebræos ab *Euer* propositione deriuant, quæ significat trans, seu vltra, cuius tamen radicale est *Auar* traiecit. Hinc *Iuri*, traiector. Porro illa compellatio primùm tributa est Abrahamo, singulari quodam ornamento, quòd scilicet voci diuinæ obediens factus, ex Vr Chaldæorum profectus, in terram Canaam iter facturus Euphratem traiecerit. Vnde ab incolis dictus est *Iuri* quasi dicas Ibræus, h. e. traiector. Habes hoc cognominis epitheton primùm Geneseos 14.Posteaquam enim Loth abductus esset ex Sodoma cum reliqua prȩda,illic scribitur:& venit qui euaserat & indicauit Abrahamo *Haiuri* hoc est,Hebræo, &c. Hæc est vera sententia de origine huius nominis. Nam vt deducas ab Abrahamo repugnat Orthographia,cùm Abrahę nomen per aleph scribatur,in *Haiuri* autem per ain. Vt verò sumas ab Heber repugnat quòd ante Abrahæ tempora hoc nomen non reperiatur in vsu. Itaque ab Abrahami facto, & ipse Abraham, & ipsius posteri dicti sunt Hebræi.

OCCASIO.

Occasio scribendi hanc epistolam Apostolo oblata est: partim ab indurata pertinacia Iudæorum,eorum nimirum qui Christum palàm persequebantur,quemadmodum testantur Apostolorum Acta. Hos igitur voluit reprimere metu iudiciorum diuinorum,ne pergerent in propriam perniciem sæuire:partim verò oblata est illi occasio, ex oscitantia eorum qui iam Christo nomen dederant. Nam hi negligentiùs adhuc de Christo sentiebant,quasi legis appẽdice opus esset Christi cultoribus,quemadmodum videmus in superioribus epistolis passim hoc studiosè ecclesiis conatos esse obtrudere. Itaque hos ad perfectionem hortatur, vtrisque autem ostendit quanta sit Christi maiestas & dignitas.

ARGVMENTVM.

Hinc commodè sumi potest argumentum. Nam explicanda fuit dignitas Christi, tam reprobis quàm credentibus,ideo ostendit illum esse filium Dei,maiorem Angelis, Prophetis, Mose, Aarone, Leui, & sacerdotium eius esse perfectissimum, vt qui secundum ordinem Melchisedec cõstitutus sit summus Pontifex sanctorum, hinc consequitur,quòd eius aduẽtu tota lex tanquam vmbra sublata sit,& Christi meritum omnium sit perfectissimum,vt qui vnica hostia semel oblata suis inuenerit æternam salutem. Ad harum rerum considerationem excitat,vt cognoscant iustitiam, quæ ex Christi merito fluit,hanc apud Deum solam valere.Ideo capite II.etiam ostendit veteres omnes hac fide esse absolutos,& demum ad exercitia bonorum operum,quę ornant renati hominis posessionem,hortatur.

PROPOSITIO.

Propositio est generalis,quæ ponitur cap.2. scil. Iudæis sedulò curandum est, ne deinceps ita contemptim & neglectim vti hactenus doctrinam de Christo audiant. Rationes sunt,partim ex I.partim ex cõsequentibus capitibus,quia filius est Dei,quia Angelis maior, & reliquis quicunque in veteri Testamento excelluerunt Patriarchis & Prophetis,& quia perfectum & æternum est eius sacerdotium,&c.cap.6.vers.20.

GENVS.

Genus principale didacticum est.Nam respicit hunc scopum,vt Christi meritum agnoscant esse perfectum & absolutum,quo omnes coram Deo à peccatis possint absolui.Sed accedunt in tractatione varia,quæ hoc exornant & illustrant,imprimis συγκριτικὸν cõparatiuum.Nã in principio statim Christũ confert cum Prophetis,deinde altius ascendens confert eum cum Angelis, mox ad humana reuersus cũ Mose,Aarone,Leui,

& sacer-

& sacerdotium Christi cum sacerdotio Leuitico, dignitatem Christi cum Mosaica, omnibus hoc eripiens quod vni Christo confert, perfectionem scilicet intercessionis, vni Melchisedec illum æquat tanquam verissimo typo. Accedit etiam Protrepticum, quo hortatur vt Christi doctrinam submissè admittant, & in illa in dies crescant, vt capite 3. facit, & 4. ver. 11. & 6. ver. 12. item 10. ver. 19. & consequentibus. Accedit etiam Ψεκτικὸν quo reprehendit in eis oscitantiam, vt cap. 5. ver. 11. & 6. ver. 12. vbi segnes appellat: tamen contra aliquoties laudat, quod est epæneticum, vt cap. 6. ver. 9. & 10. Item cap. 10. vers. 32. & 33. Sunt etiam quædam comminatoria, vt cap. 6. vers. 4. & 10. vers. 25. vbi agit contra impœnitentes, vt eos iræ diuinæ grauitate terreret. Accedunt etiam quædam historica, vt ca. 7. narrat historiam de Melchisedec, quando vixerit, quid egerit, quanta fuerit eius dignitas apud Abrahamum, & similia. Item cap. 9. historicè narrat ornatum templi, & Leuitici sacerdotij, vt his omnibus Christi dignitatem possit preferre. Quædam etiam ὁριστικὰ, vt cap. 11. definit fidem, cap. 6. iuramentum, &c. Omnia istuc respiciunt, vt Christo seriò agnito, vni huic nitantur.

PARTES EPISTOLÆ.

Partes fermè perpetua disputatione cohærent. Nam exordium statim ab ipsa re sumitur. Ostendit enim doctrinam Christi vnum esse ex modis diuinæ reuelationis, eúmque præstantissimum, cùm sit per filium factus, reliqui solùm per Prophetas. Hinc statim ingreditur collationem Christi & Angelorum vsque ad caput 2.

2. Capite 2. statuatur secunda pars, propositio, ad cuius confirmationem pertinebat totum exordium, ideo capita connectuntur per illationem.

3. Tertia pars ibidem statuatur ver. 2. quæ continet pleniorem confirmationem propositionis, quòd scilicet non minus contemni possit impunè hec doctrina, quàm legis doctrina, ac mox digreditur v. 6. vt ostendat cur Christus debuerit assumere carnem.

Capite 3. ingreditur nouum fundamentum de sacerdotio Christi, vt superiora ad personam commodè possint referri, consequentia verò ad officium Christi, pergit tamen in collationis ordine, & cum Mose primùm confert, & eodem cap. digreditur contra contemptores doctrinæ Christi.

Cap. 4. iterum concludit quòd Euangelij doctrina non sit contemnenda, quod vocat oblatam occasionem intrandi in requiem Domini negligere.

Cap. 5. Christi sacerdotium confert cum Leuitico, & quum prætulisset illum, inducit ordinem sacerdotij secundum ordinem Melchisedec.

Cap. 6. quasi iterum repetens propositionem, ad perfectionem hortatur, & iterum agit contra contemptores.

Cap. 7. repetit collationem cum Melchisedec, & Leui, ac Aarone, vt omnibus perfectionis gloriam adimat.

Cap. 8. totam disputationem cõtrahit, & ostendit hoc sacerdotio exhibito tam perfecto vetera illa omnia esse abolita.

In hoc argumento pergit cap. 9. etiam. Nam perpetua est collatio sacerdotij, & Testamentorum quoque, & hic Christo tribuit quòd suis æternam acquisiuerit salutem, ver. 13. Atque hactenus doctrina de persona & officio Christi. Reliqua deinceps habent doctrinam bonorum operum, cap. 10.

Et cap. 11. fidei præstantiam nobis depingit, & ne conquererentur Iudæi, ostendit Patriarchas omnes in veteri Testamento hac ipsa fide floruisse, & substitisse coram Deo, quam docet Euangelium.

Cap. 12. & 13. expressiùs persequitur fructus fidei secundum doctrinam Christi, ac hortatur ad tolerantiam sub cruce, ad beneficentiam, pacis studium, vitę innocentiam, dilectionem, hospitalitatem, castitatem corporis, frugalitatem, gratitudinem erga doctores, & similes virtutes vsque ad ver. 18. vbi statuatur Epilogus totius epistolæ, in quo pro se orari petit, mox comprecatur illi gratiam Dei. Tertiò, vt boni consulant disputationem præsentis epistolæ, quod magis disputando, quàm consolando cum illis egerit: commendat etiam Timotheum, & annectit consuetas salutationes. Demum comprecatione concluditur tota epistola.



IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS COMMENTARII.



Tria pro ponũtur in hoc opere ex plicanda

VT facilior nobis ſit aditus ad hanc epiſtolam, tria priùs nobis ſunt explicanda. Quis ſcilicet, ad quos, & quid ſcribat. In primo, de authore huius Epiſtolæ nobis dicendum eſt. In altero, de Hebræis qui ſint, & vnde appellati. In tertio, de argumento ſcripti eſt agendum. Quæ omnia quò commodius expediamus, de ſingulis breuiter agemus.

De Authore.

1. Author

QVI de authore huius Epiſtolę dubitarunt, illi etiam authoritatem eius ferè dubiam fecerunt. Nam & à Paulo non eſſe ſcriptam, & in Canone ſacrarum Scripturarum non eſſe ponendam aſſeuerarunt. Hi ducti videntur authoritate Latinæ Eccleſiæ, quæ ſerò tandem hanc epiſtolam recepit. Hinc fit vt D. Hieronymus vſurus huius epiſtolæ teſtimoniis ferè dubitanter eam citet, vt in Eſaiam cap. 6. tom. 5. & in cap. 9. Eſa. Item in Matth. tom. 9. & in cap. 8. Zach. tom. 6. Item in epiſtola ad Paulinam tom. 4. Deinde locum capitis 6. ex hac epiſtola producunt, qui lapſis veniam negare videtur, ſecundum Nouati dogma, quod Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ repugnat. Atque ita veteres prope hanc epiſtolam reiecerunt.

Alij de authore quidem dubitarunt, tamen vt Canonicam agnouerunt: inter quos noſtro ſeculo etiam fuerunt Caluinus & Eraſmus.

Cur hæc epiſtola Paulo nõ adſcribatur à quibuſdam.

Rationibus fermè his vtuntur. Primùm in tota epiſtola nomen Pauli aut alterius certi authoris non extat. Quod quum in tot epiſtolis ſeruarit D. Paulus, non ſolùm in inſcriptionibus, ſed etiam interdum ſubſcriptionibus: non ſit probabile in hac vnica ad gentem ſuam neglexiſſe: deinde genus ſcribendi & ſtyli proprietas longè alia eſt, quàm vt Paulum authorem prodat. Id ex collatione cum reliquis eius epiſtolis manifeſtum eſt. Tertiò, author de ſe tanquam de diſcipulo Apoſtolorum loqui videtur cap. 2. Denique quòd de Catechiſmo loquatur capite 6. quæ ætatem Pauli non ſapiunt, ſed poſterius aliquod ſeculum: hæ quidem authorem in dubium ponunt, authoritati interea nihil volunt derogatum. Huc facit quod Nicephorus lib. 4. 34. oſtendit ex Caio quoque veteri ſcriptore hanc epiſtolam Pauli non eſſe.

A quibus adſcribatur hæc epiſt. Paulo.

Tertij ordinis ſuperſunt, qui & Paulinam & Canonicam iudicarunt. In hac ſententia quum plurimi ſint, iidémque doctiſſimi, & ipſa per ſeſe pia ſit: tandem effectum eſt vt communi conſenſu etiam hodie admiſſa ſit inter Paulinas epiſtolas.

Primùm Græci receperunt eam communi conſenſu, quod iudicium confirmatum eſt authoritate Synodi Nicenæ.

Teſtatur Nicephorus lib. 4. cap. 33. Clementem Alexandrinum Paulo hanc tribuiſſe epiſtolam, quod confirmat etiam Euſebius lib. 5. cap. 11. qui addit à Paulo Hebraicè ſcriptam, verſam verò à Luca in Græcum ſermonem.

Origenes etiam in hac ſententia fuit, qui in enarratione Pſalmi primi, de Canonicis libris agens hanc Paulinis connumerauit. De quo habes teſtem Niceph. lib. 5. cap. 16. cui aſtipulatur Euſeb. lib. 6. cap. 18.

Clemens etiam Romanus qui à Petro quartus fuit teſte D. Hieronymo hanc etiam Paulo tribuit, de quo Nicephor. lib. 3. cap. 18. & Euſeb. lib. 3. cap. 38. Nicephori verba ad finem hæc ſunt: cæterùm de epiſtola ad Hæbræos anceps eſt opinio, hícne (ſcilicet Clemens) an Lucas Euangeliſta eam tranſtulerit à Paulo, cuius natiua & propria eſt, primùm dictatam.

Idem Nicephorus lib. 2. cap. 46. inter Paulinas eam recenſendam putat, verſam verò vel à Luca, vel Clemente Romano, quod ait ſibi vero ſimilius fieri cum ſtylo, tum ſententiis.

Euſebius

Eusebius etiam lib.3.cap. 25. inter suspectos libros noui Testamenti non reponit. Imò cap.3.eiusdem lib.3.manifestè hanc Paulo tribuit.

Irenæus vetustus scriptor huius testimoniis vt Paulinæ vtitur.

Cyrillus cap.9.lib.12. Thesauri sui hinc plurima colliget testimonia,tanquam ex epistola Paulina.

Gregorius & Nazianzenus ad finem lib. 4. Theologiæ suæ hinc testimonium desumpsit de Melchisedec.

Quid quòd D.Chrysostomus in hanc commentatus est?

Dionysius etiam Pauli discipulus hanc citat vt præceptoris sui Pauli Epistolam.

Augustinus in exposit.Epistolæ ad Rom.vt Paulinam citat,reddit etiam ibi rationē cur omissa sit inscriptio nominis sui. Idem de ciuitate Dei lib.16.cap.22. ostendit apud quosdam dubiam huius fuisse authoritatem: quod etiam facit lib. 1. de peccatorum meritis.

D.Hieronymus, cuius magna est in Ecclesia authoritas, hanc etiam Paulo tribuit Epistola ad Dardanum, & in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum refert quidem diuersas opiniones: non tamen obscurè videtur eam Paulo tribuere. Et quanquam alibi dubitanter videatur de authore huius Epistolæ loqui: tamen quid sentiret de ea seriò videtur ad Dardanum exposuisse, quæ non pigebit huc afferre. Ita igitur scribit: Illud nostris dicendum est hanc Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis Orientis,sed ab omnibus retrò Ecclesiis,Greci sermonis scriptoribus,quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil interesse cuius sit, quum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur: quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ,Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt,& tamē nos vtranque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem sequentes. Quare nobis satis esse debet Ecclesiastici viri hâc esse Epistolam, nam de authore certi ex sacris nihil statui potest. De eo igitur viderit ipse Deus. *Hieronymi verba.* Ardori certè Paulino admodum est conformis, quo pro fratribus cupit anathema fieri,& quo ad æmulationem prouocare cupit gentem suam secundum carnem. Et sanè fieri potest Paulum ad Hebræos scripsisse Epistolam Hebræo sermone, quam vel Lucas vel Barnabas, aut etiam Clemens Romanus liberiori stylo Græcam fecerit, mentem potiùs quàm verba Epistolæ sectatus. *Rationes cur Paulo adscribenda sit hæc Epistola.* Græcè scribi autem erat omnino necessarium propter Iudæos per Asiam dispersos,aliásque regiones, in quibus Græcè magis quàm Hebraicè loquebantur. Adde quòd ab aliis etiam legi debebat qui Christum agnoscebant. Verùm quæstio est de qua certandum non esse iudico, modò Canonica nobis relinquatur,& consensus tot veterum non debet à nobis contemni. Hactenus de authore,superest vt de Hebræis quoque agamus.

II. Locus ad quos scripta sit.

Scribitur ad Hebræos, de quibus paucis etiam agemus. Hebræos dictos esse Iudæos manifestius est, quàm vt confirmatione aliqua opus habeat. Vnde verò dicti sint Hebræi non perinde liquet.Itaque de eo agemus. *Ad quos sit scripta.*

Sunt qui ab Abrahamo quasi Abrahæos dictos esse velint.In qua sententia fuit etiam Augustinus aliquando,vt patet lib.1.quæst.supra Genesim: & lib.1.de consensu Euangelistarum:idem in quæstionibus mixtis ex vtroque Testamento. *Hebræi vnde dicti.*

Eandem sententiam habet Clemens lib. 1. recognitionum ad Iacobum fratrem Domini.

Alij ab *Heber* deriuant Hebræos, quasi Heberæos dictos fuisse. Illa etiam Hieronymi est sententia in quæstione in Genesim.Et Eusebij lib.7.capit.2.de præparat.Euangelica. Galatini quoque lib. 4. cap. 20. Hanc sententiam quoque amplexatus est postea Aug.nam lib.2. retract. priorem sententiam corrigit, non ab Abrahamo sed ab Heber esse dictos.Ac remittit nos ad lib.16.de ciuit.quem vide cap.3.& 11.

Tertia est Grammaticorū:illi Hebræos deducunt ab *gnebber* prepositione,quę trans vel vltra significat,sed radicale verbum est *gnabber* traiecit, hinc *gnibbri* Ibræus,hoc est traiector.Porrò ea cōpellatio primùm ornamento quodam singulari tributa est Abrahamo,quòd voci diuinæ obediens factus,ex Vr Chaldæorum profectus in terram Canaan iter facturus Euphraten traiecit.Hinc ab incolis Ibreus, hoc est, traiector dictus est.Habes hoc cognominis epitheton primùm Genes.14. postquam Loth abductus esset ex Sodoma cum reliqua præda, ibi scribitur, Et venit qui euerserat & indicauit Abrahamo *haguibbri* Hæc vera nominis huius est ratio: nam vt ab Abrahami nomine deriues, ratio orthographiæ repugnat: cùm in eo prima per aleph apud Hebræos *Gen.14.13.*

scribatur, in hac autem prima est per ain. Ab Abrahamo tamē cognomen hoc primum sumpserunt: nam ante Abrahę tempora non fuit in vsu, quare ad Heber referri non potest. Abrahamus primus dictus est Hebræus, à facto hoc consecutus cognomen. Hinc omnes illius posteri Hebræi dicti sunt.

III. *Locus quid scribatur.*

Argum. epist. in 5. mēbra distinctum. Tertius locus sequitur propositi nostri laboris, in eo explicandum est nobis argumentum epistolæ, quod in sua distinguemus membra. Dicendum igitur nobis de occasione epistolæ: inde materia explicanda: tertiò propositio epistolæ: quartò, genus etiam ostendemus: quintò denique partitione aliqua totam in suos locos certos distinguemus, quæ si rectè assequamur, tota epistola nobis (alioquin difficilior) fiet facilior. Quare vos præsentibus esse animis decet: ego vti priora, sic illa quoque breuibus perstringam.

Occasio. Quo tempore Apostoli Hierosolymis commorati sunt, post Ascensionem Domini, multos ex Iudæis etiam conuerterunt, id testantur conciones in Actis. Porrò qui obstinatis animis veritati repugnabant, varia contra pios & veritatem excogitarunt, ita vt & Hierosolymis, & in aliis nationibus eos persequerentur, ad carceres & mortem eos traherent, eorum bona diriperent. In Christum verò maledicta spargerent, patres, Mosem, legem à Deo traditam extollerent. Quare Apostolus commotus hanc epistolam ad Iudæos, tum in Iudæa commorantes, tum in toto orbe dispersos scribit: ac fideles ex ipsis confirmat ne ob blasphemias in Christum aut persecutiones in ipsos, à veritate deficiant. Impios autem Iudæos admonet ne contumaciter veritati repugnēt, quò diuinitus vti Patres puniantur.

Materia huius epist. De dignitate Christi, officio eius, sacerdotio, & plenitudine meriti eius disputat: nam inter fideles erant etiam adhuc quidam qui Euāgelio quidem credebant, tamen legem tanquam appēdiculam quandam obseruatu necessariam esse iudicabant. Quare ostendendum fuit Apostolo officium Christi plenum fuisse, oblationem eius perfectam, & legem ceremonialem eius aduentu prorsus sublatam esse. Demum etiam ad virtutes Christianas cohortatur fideles.

Propositio. Primaria propositio circa quam cardo rei versatur, cōstituitur sic, Iustitia & salus quę ex Christi merito expectanda nobis est, plena & sufficiens, adeóque conformis est ei iustitiæ, qua sancti Patres in veteri Testamento iustificati sunt coram Deo. Hoc vt euincat ostēdit Christum fuisse natura Deum, vt id facilè præstare potuerit: fuisse etiam maiorem Mose, Angelis, Prophetis, & eius sacerdotium æternum & perfectum. Præterea exemplorum congerie docet veteres hac fide fuisse iustificatos.

Genus. Genus Epistolæ mixtum est, prædominans genus est ἀποδεικτικόν: demonstrat enim Christum esse maiorem Angelis, Prophetis, verum Dei filium, æternum sacerdoté, cuius aduentu ceremoniæ sint abolitæ: sed hoc genus demonstratiuum tractatur aliis adiunctis generibus. Quare συγκριτικόν totum est initio. Confertur Christus Angelis, Mosi, Prophetis, Aaroni, Leui, Melchizedecho, atque his superior esse concluditur. Deinde adhibetur etiam ὁριστικόν, nam quid sit sacerdotium, quid perfecta oblatio, quid iustificatio, iustitia, quid etiam fides sit determinatur. Atque ex his omnibus primarium genus tractatur. Sic ὁριστικόν & συγκριτικόν subseruiunt ἀποδεικτικῷ. Deinde est etiam partim προτρεπτικόν: monet enim vt in suscepta professione fidei sint constantes, malis minimè cedant aut frangantur, præterea ad alias Christianismi virtutes hortatur.

Diuisio 1. Pars. Epistolam hanc in quatuor partes secamus. Quarum prima agit de Christo noui Testamenti authore: quòd verus sit Deus, quòd maior Angelis, denique quanta diligentia audienda sit doctrina eius: habent omnia ista collationem, nam veteris Testamenti originem confert cum initiis noui, ipsum Testamenti authorem cum Angelis: & auditores veteres cum nouis, docens quæ sit inobedientiæ expectanda pœna. Hinc de Christi humanitate agit, ostendens cur debuerit Messias etiam carnem induere. Atque illa ad personam Christi pertinent, tum Diuinam, tum humanam.

2. Pars. Secunda pars est de officio Christi, docet autem legem aduentu Christi abrogatam esse, quod vt commodè explicetur, initio Christum & Mosem cōfert, & Christum eo maiorem demonstrat. Inde iterum auditorum conditionem confert, vt ostēdat quæ sit incredulitatis pœna: commodè huic subiicitur adhortatio ad diligentiam audiendi verbum Dei. Secundus locus deinde est de Sacerdotio Christi, quo declarat esse præstantiùs quàm fuerit illud vetus: quare hoc loco Christum & Aaronem cōfert, nec non Melchizedek. Tertius locus digressionē habet de progressu in pietatis negotio. Quartus locus est de hostia Christi perfecta, hoc loco Christum cum Melchizedek diligentiùs confert, reditum faciens ad intermissam collationem, quam instituerat sup. cap. 5. Quin

5. Quintus locus est cap. 9. de Christi vnico & perfecto sacrificio, conferens Leuiticum tabernaculum, ritus, sacrificia cum Christi merito, ac docet illa typica omnia fuisse, peccata autem non potuisse delere: quod oblatio Christi ad plenum præstitit. Protrahitur hæc pars ad caput vsque 11.

Tertia pars tractat quæstionem de fide, quid sit, ac per varia exempla vim eius explicat, quòd scilicet Patres in veteri Testaméto eodem pacto per fidem iustificati sint, quo in nouo Testamento fideles Christi. Absoluitur vno capite vndecimo hæc pars. 3. Pars.

Quarta pars, doctrinam habet de moribus & officiis Christiani hominis, vltima duo capita complectens. 4. Pars.

CAPVT I.



QVVM vellet Apostolus doctrinam Euangelij commendare, & docere excellentiam eius, initio Legis & Euangelij initia inter sese confert, ex qua collatione facilè patebit quantum excellat Legem. Inde occasione sumpta Christi maiestatem Diuinam delineat, vt constet eum non temerè filium Dei ab ipso Apostolo dici. Eadem occasione eum etiam cum Angelis comparat: nam & hinc filium Dei, adeóque natura Deum esse intelligi potest. Argum. cap. I.

Propositio huius capitis est, Christus per quem reuelatum est Euágelium, verus Dei filius, adeóque Deus quoque est. Propositio.

Partes propositionis duæ sunt: prior, per Christum reuelatum esse Euangelium. Id confirmatione non indigebat, nam & fideles Iudæi hoc nouerant, & infideles de hoc eodem conquerebantur, quòd nimirum nouum quoddam genus doctrinæ introduxisset Christus, quo perturbaret totum mundum. Quare hoc membrum vt concessum, & confessum sumit: & originem Euangelij cum initiis Legis confert. Diuisio propositionis, cuius sunt partes duæ.

Posterior pars propositionis est, Eundem hunc Christum esse Dei filium, adeóque Deum quoque natura. Hoc membrum etsi apud fideles haberet fidem, tamen infirmi id non satis intelligebát, vt nec explicare nec tueri apud aduersarios id commodè possent. Quare hi iuuandi & instruendi erant copia aliqua argumentorum, quibus negotium hoc & explicare & tueri si res postularet, possent. Improbi porrò hoc totum negabant, quare hi conuincendi erant, & demóstrandum Christum verè esse Deum. Idem dici potest de officio Christi, an scilicet perfectum sit eius meritum, ita vt Legis appendicula non sit opus, & fide huius meriti nos plenè possimus iustificari. Quare κρινόμενον totius negotij est, de persona Christi, eiúsque officio. Cæterùm loci elegantiores in hoc capite sunt hi, de discrimine & consonantia Legis & Euangelij. 2. Christum natura esse Deum. 3. Quòd idem maior sit Angelis. 4. De Angelorum officiis. Scopus quæstionis. Loci doctrinæ.

Vers. I. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, &c.

EXORDIVM ab ipsa causa sumitur: nam propositionem habet totius status, Christum esse Filium Dei. Tractatio instituitur κατὰ σύγκρισιν, non enim nudè hoc poterat sine offensa dicere: præmittit igitur aliud membrum quod plausibile erat Iudeis, & cuius occasione illud induci poterat. Facit igitur Exordium hoc ad attentionem & beneuolentiam. De Prophetis, de Deo, de Lege, de Patribus mentio beneuolentiæ conciliandæ vim habebat. Quòd verò idem Deus etiam ipsis posteris locutus sit non minus quàm Patribus, attentos poterat facere: quomodo nimirum, ad quos & per quos tum loqueretur Deus. Exordiũ vnde sumptũ.

Collatio tota ostendit quid simile habeat Lex cum Euangelio, & quid ab eadem differat. Simile est, quia idem Deus locutus est Patribus, qui nobis per Christum loquitur: communis igitur est author Legis & Euangelij. Ne igitur culpent doctrinam Christi quasi nouam aut Satanicam, quum ab authore Deo proficiscatur, & eatenus Legi non sit inferior. Atque hoc vnicum est quod commune habent. Reliqua ad differentiam spectant: primùm enim tempore differunt: nam Lex πάλαι, olim: Euangelium autem vltimis his diebus innotuit. Vltimi dies sunt à nato Christo ad finem seculi. Primi dies sunt, ætatis primæ, qua mũdus stetit sine Lege duobus millibus annis. Media inde ætas est Mosis & Legis duratio, in qua fuere Prophetia & verus Dei cultus in certo populo: hinc vltimi dies sunt mundi senecta vergentis ad interitum. Collatio inter Legem & Euang. 1. Differentia. Primi dies & vltimi dies

Secundò differunt etiam auditoribus, Patres Legis fuere discipuli, Patres appellat ratione carnis, & via ad verum Dei cultum, quos interea cóstat fuisse duræ ceruicis, rebelles interdum & intolerabiles, quanquam Dei vocem audierint, signa & miracula viderint in Ægypto, deserto, in terra etiá promissionis, non raro per Prophetas responsa 2. Differentia.

diuina acceperunt: magna hæc erant diuinæ beneuolentiæ argumenta.

Euangelium verò nobis inquit, hoc est, si naturam respicias, non melioribus quàm sint Patres: tamen non minor hæc est dignitas, quòd in ea nos incidèrimus tempora. Et obserua quod ait NOBIS, atqui Deus non erat locutus Iudæis nisi paucis, vt Ioanni Baptistæ, Apostolis & turbis quæ audierant Christum docentem. Æquat sese reliquis, vt intelligant Deum quoque illis loqui, qui doctrinam Apostolorum audiunt, nec esse explicandam Dei vocem cœlitus cuilibet priuatim sonantem.

3. Differentia. Tertiò, etiam modo differunt: nam Legis promulgatio, & Prophetarum oracula fuere facta πολυμερῶς: diuersimodè, seu multis partibus, vt intelligas cultum Dei in veteri Testamento multiplicem fuisse, multis partibus constabat. Deinde πολυτρόπως, nam modi reuelationum etiam non fuere vnius generis: nam Mosi loquutus est facie ad faciem, Iosuæ non ita, Prophetis deinde per visiones vel insomnia, aut reuelationes. Consultus est etiam Dominus per Vrim & Thumim, per sortes à sacerdotibus. Atque illis modis omnibus dicebatur Deus loqui Patribus in veteri Ecclesia. Sub Euangelio πολυτροπία illa, & πολυμερία cultus Diuini prorsus desiit. Vna est & simplex ratio qua nobiscum agit Deus, pœnitentiam requirit & vitæ emendationem in vera fide.

4. Differentia. Quartò, Mediis causis quibus Deus vsus est, & per quas cum mundo egit: cum veteri Ecclesia egit per Prophetas, nam singulare hoc fuit Iudaici populi ornamentũ, quòd Deus cũ illo ageret per Prophetas. Etenim à Mose ad Zachariam vsque semper habuere certos vates, sed serui illi erant, & cum seruis per seruos Deus agebat. Euãgelium verò non per seruos Prophetas, sed ipsummet Filium Dei reuelatum est: nobiscum igitur agit per filium quasi cum filiis & nõ ampliùs seruis. Ex quo efficitur sortẽ nostram esse multò præstantiorem quàm fuerit Patrum: nam & nobiscum agit Deus, de quo videbantur dubitare, & est idem Deus qui Patribus est loquutus, sed insuper filium nobis doctorem dedit non Prophetas. Argumento illud est nos filios esse, & honestiori loco habendam reuelationem Euangelij quàm Legis. Hęc rerum est collatio in hoc Exordio.

Periodus bimembris. Periodus bimembris est: primum membrum complectitur Legis promulgationem, quando scilicet, quibus, à quo, & per quos, & quo modo sit data.

Alterum membrum eodem pacto loquitur de patefacto Euangelio, quando scilicet promulgatum sit. 2. quibus. 3. à quo. 4. per quem, ac singula singulis contentione quadam opponit.

Vers. 2. *Quem constituit hæredem.*

1. Mẽbri expositio. Hactenus propositio Deum & loquutum Patribus per Prophetas, & loquutum nobis per Filium. Hæc iam verba habent ἔκθεσιν posterioris membri: nam copulatiua est propositio continens duas partes. Prior extra controuersiam est: posterior verò dubia est, præcipuè extrema eius clausula ἐν υἱῷ *in Filio*: nam his verbis Christum Dei Filium, adeóque Deum facit. Id igitur declarat, affert autem proprias notas quę soli Deo competunt, quæ si Christo etiam congruant res confecta erit.

Ratio prima. Prima igitur ratio est, Christus est hæres Dei bonorum omnium: argumentum vim habet ex iure successionis, quo filij Patribus succedunt, similitudo tamen non debet extendi ad omnes partes: non enim necesse fuit patrem ob id mori. Hæres autem dicitur

Christus quomodo hæres dicatur. Christus πάντων, hoc est, cœli & terræ, quod ius naturali imperio ad eum pertinuit ante secula, quatenus λόγος Dei Patris est, ac per eum sunt condita omnia. Vel omnium, scilicet hominum, quia fideles suo sanguine redemit, qui etiam sponte sese subiiciunt imperio suo tanquam redemptori: & hoc patrimonium ad Christum propriè pertinet.

Secunda. Deinde solius Dei est condere, sed Pater per Christum condidit, est igitur & ipse Deus: vel ita solius Dei est condere res, sed Christus condidit: est igitur Deus. Nam quòd per Christum condidisse ait, idem est ac si ipsum Christum filium condidisse diceret: est enim sapientia Patris, & quæ Deo competunt, personis sunt communia. Quòd autem dicit, *secula per eum facta*, satis argumenti est filium fuisse ante res conditas, & proinde Patri coæternum. Αἰῶνας verò appellat temporum periodos, quibus res conditæ omnes comprehenduntur: & ποιεῖν creandi verbo ex nihilo omnia produxisse.

Tertia. Tertiò, *Qui quum sit* ἀπαύγασμα *gloriæ*: dicitur ἀπαύγασμα refulgentia qualis Solis splendor: est autem Solis & radiorum eius splendorísque eadem natura. Sic Filij Dei, ipsiúsque Patris eadem substantia, Christus est splendor Dei, est igitur Deus, lumen de lumine. Splendor autem Patris dicitur, quòd per eum illuminentur corda nostra notitia veri Dei, agnitione & cultu veræ pietatis.

Quartò character etiam est substantiæ eius, & hæc diuinitatem Christi confirmant. χαρακτὴρ dicitur perfecta & absoluta rei imago, qualis in cera redditur sigilli imago. Ὑπόστασις verò persona est in diuinitate indiuidua. Hoc igitur dicit, Quidquid Patris est

est, hoc totum in Filio expressum esse, vt qui Christum habeat, Patrem ad plenum habeat: si igitur Christus expressam Dei Patris habet imaginem, Deum esse necessum est: sed habet illud: igitur Deum esse necessum est.

Quintò, *Et fert omnia verbo potentiæ suæ.* Christus res conditas tuetur & in ordine conseruat: nam illud est ferre, ab interitu & ruina vindicare: id Christus facit verbo suo, hoc est, nutu suo potenti, voluntate sic omnia gubernante: verùm id solius est Dei, quemadmodum & condere Dei est solius: est igitur Christus Deus. Quinta ratio.

Sextò, *Per seipsum purgatione facta peccatorum nostrorum.* Solius est Dei peccata remittere vel delere: Christus peccata delet hominum, est igitur Deus. Emphaticè autem dicit δι' ἑαυτοῦ, *per semetipsum*, quo excluduntur omnia ceremonialia Legis. Deinde omnia alia adminicula seu præsidia, quæ extra Christum quæri poterant. Astruitur autem plenitudo meritorum Christi, quòd perfecta hæc sit remissio & vera liberatio à peccato, quæ per Christum nobis confertur. Sexta ratio.

Septimò, *consedit in dextra maiestatis in excelsis.* Prius membrum loquebatur de morte, qua plenam nobis impetrauit peccatorum remissionem. Hoc iam de eius Ascensione ad dextram Dei Patris. Sedere ad dextram Dei Patris, est plenam, parem cum Patre authoritatem & potestatem habere, Deum igitur Christum esse necessum est. Obserua autem quòd simpliciter dicatur ἐκάθισεν, consedit, non fit mentio iubentis alicuius, vel concedentis, vel impetratæ aliunde veniæ. Deinde, *in dextra maiestatis*, hoc est, plenaria potestate & authoritate: à Patre enim accepit omne imperium, quo etiam iudex aliquando redibit viuorum & mortuorum. Porrò in his omnibus similitudo est à rebus creatis petita, quæ ad Dei naturam transfertur, vt ex notis traducamur aliquo modo ad maiestatem cœlestium rerum, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descenderunt. Septima ratio.

Vers. 4. *Tantò præstantior factus.*

Secunda pars capitis huius: vult autem ostendere Christum summam habere authoritatem eo ipso, quòd sit Angelis maior. Ac facient hæc etiam ad priorem Propositionem, quòd Christus sit Deus: si enim Angelis maior declarabitur, & inter Deum & Angelicam naturam nihil sit medium: sequitur Christum Deum esse. Secunda huius cap. pars.

Porrò argumenta septem producit, quæ scripturæ authoritate hoc euincent. Initio tamen πρόθεσις instituitur: inde subiiciuntur argumenta illa, de quibus iam dixi: tertio loco breuis subnectitur epilogus explicans officium Angelorum.

Propositio his continetur verbis, *Tantò præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est nomen.* Verba contentionem habent: Christus Angelis opponitur & eisdem præponitur ex appellationum dignitate & differentia. Quæritur ergò quomodo Scriptura de Messia, & quibus nominibus loquatur. Item quomodo de Angelis loquẽs eos nobis commendet. Ex qua differentia tandem in notitiam maiestatis ac authoritatis Messiæ perueniemus. Et quòd ait κρείττων γενόμενος, hoc est, melior factus, intelligo de declaratione in carnem: quum enim esset Deus & homo declaratus est: & verus homo λόγος Dei Patris erat. Deinde, non induit Angelicam naturam, sed humanam, id nobis erat κρεῖττον, hoc est, conducibilius & illi gloriosius, si in humili persona victoriam pararet. Πρόθεσις.

Vers. 5. Τίνι γὰρ εἶπεν ποτέ.

Sequuntur argumenta, quibus ostenditur Christus esse ipsis Angelis κρείττων. Et obserua ex Scripturis omnia hic produci: nam cum Iudæis agens non poterat meliùs rem conficere. Argumenta quæ Christũ Angelis præstantiorem ostendunt.

Primum testimonium sumptum est ex Psal. 2. v. 7. Narrabo in decreto, Dominus dixit ad me, filius meus tu, ego hodie genui te. Ex quibus verbis tale habes argumentum. Maior est is, qui appellatur filius, sed Messias Psal. 2. dicitur filius: maior igitur est Angelis, nam hæc appellatio nõ competit hoc modo Angelis. Ac obserua historiam quidem de Dauide esse, ad Christum tamen aptè trahi: nam multa ibi sunt, quæ Dauidi nõ competunt, nisi quatenus typus fuit Christi. Nam Gentes habere in hæreditate sua illi non competit, & amplitudo regni ad fines terræ extensi, minus in Dauide locum habet. Adde quòd Petrus Act. 4. v. 25. hunc Psal. de Christo interpretatur. Rectè igitur & hic nomen filij ad Christum trahitur. Genuisse autem eum dicitur *Haion* hodie, vel quia Deo omnia sunt præsentia, vel ratione incarnationis, quòd tum demum patefactus sit mundo filius Dei.

Vers. 6. Καὶ πάλιν.

Secundum argumentum ex 2. lib. Sam. c. 7. v. 1. & 1. Paral. c. 17. v. 1. historia illic describitur de Dauide ædificaturo templum Domini, sed Dominus per Prophetam Nathan

illi denunciat, ne id faciat: Salomoni filio eius hoc conseruandum, cuius velit ipse esse Pater & Salomon illi filius: hæc vltima ad Christum transfert & iterum argumentatur à nomine filij, Messiam, cuius typus erat Salomon, dici filium Dei, itaque Angelis esse prestantiorem. Apte autem & hoc citari testimonium facile patebit ex contextu, in quo plurima sunt, quæ Salomoni per sese minime quadrant, nisi quatenus fuit Christi typus. Primùm enim istic promittitur Dauidi semen post mortem suam, nam scribitur ita. Quia implebuntur dies tui, & dormies cum patribus tuis, & suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de visceribus tuis, & confirmabo regnū eius. Atqui tum viuebat Salomon, & grandiusculus erat? Loquitur autem de futuro quodam semine nascituro post mortem eius. Deinde confirmabo solium regni sui in æternum, quæ certè regno Salomonis nō competunt: quanuis enim paternum regnum integrum retinuerit, tamen se viuo audiuit sub filio lacerandum esse, id quod mox mortuo factum est, ita vt duæ tantùm tribus adheserint domui Dauid, decem nouum sibi delegerūt Regem. Hoc non erat in æternum regnum eius confirmare. Quare in his typum Christi gessit, qui verus fuit Salomon, hoc est, pacificus, pacem statuens inter Deum & homines.

2. Sa. 7. 12.

1. Reg. 11. 11.

Vers. 6. Ὅτ' ἂν δὲ πάλιν.

Tertium argumentum sumitur ex Psal. 97. atque ad hunc modum formari potest. Adorare est inferiorum, adorari superioris. Sed Scriptura tribuit Angelis adorare, Messiæ verò adorari: ergò Messias est maior Angelis. Porrò argumenti duæ sunt partes: nam initio interpretatione quadam illustrat locum Scripturæ, quo est vsurus. Inde demum subiicit locum. Interpretationis est quod ait, *Rursum quum introducit primogenitum in orbem terrarum:* Opus autem erat illa accommodatione loci sequentis: nam Psal. expresse non loquitur de Christo, sed de Dauide, typum autem Christi hîc latere voluit ostendere. Et Psal. totus rectè examinatus augustior est, quàm vt de Dauide solùm intelligi possit: Christi igitur laus ibi commendatur, & regni eius æquitas, duratio & amplitudo prædicatur.

Πρωτότοκος Christus dicitur propter dignitatem, nam primogeniti authoritate, & dignitate reliquos omnes præibant. Dicitur autem πρωτότοκος ὁ πρῶτος γεννηθείς, εἴτε μονογενής, εἴτε πρὸ ἄλλων ἀδελφῶν, Vide Damasc. lib. 4. cap. 8. Ad Coloss. cap. 1. versu 15. dicitur primogenitus omnis creaturæ. Introductio autem primogeniti in orbem terræ dicitur ipsa reuelatio Christi in carnem, quasi dicat, quum Christum in carne declaraturus esset Dominum & hæredem totius mundi, eodem iure & authoritate ornauit eum, quo ornantur in hæreditate adeunda primogeniti: aut intelligatur de altero aduentu ad iudicium, qui gloriæ est, & maiestatis. Atque huic propriè competit adorari.

Quomodo dicatur Christus primogenitus.

Deinde in loco Scripturæ notetur primum officium Angelorum, quod Christo exhibere debent, adorare scilicet Christum, illud est, προσκυνεῖν Græcis, apud Hebræos *hasche tachauu,* hoc est, superiorem agnoscere, honorem & authoritatem summam illi deferre. Deinde id ad omnes spectare Angelos: boni quidem adorant laudantes & exultantes in Deo: mali contremiscunt, tamen coguntur dignitatem eius agnoscere.

Angelorum officium.

Tertiò obseruatione dignum est quòd Apostolus nō ad verbum citauit locum hunc: nam apud Heb. sic ista scribuntur, *hasche tachauu lo col elohim,* hoc est, adorent eum omnes Dij. Angelos autem Deos etiam dici notius est, quàm vt probatione egeat. Græci verterunt προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ: sed Apostolus ad mētem respexit, & non dubitauit *Elohim* Angelos vertere, & Dei addere, quod in Hebręo non habetur. Hoc notant, qui tam rigidè vbique literam scriptam vrgent. de Angelis priuato loco agemus, itaque nihil amplius hîc addemus.

Vers. 7. Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους.

Quartus locus est Scripturæ. In hoc de Angelis profert testimonium: nam quæ hactenus dixit, de Messia loquebantur, de quo augustè loquitur Scriptura filium nominās, & quem Angeli debeant adorare. De Angelis verò agens scriptura, Spiritus creatos & ministros appellat: sed maior est, qui filius habetur, minor autem, qui seruus: ergò Christus maior est Angelis. Porrò testimonium vide Psal. 104. vers. 4. vbi sic scribitur, *gnose, maleacau ruchot, meschortau eschlohet,* hoc est, qui facit Angelos suos spiritus, ministros suos ignem flammantem. Loquitur autem de creatione & gubernatione rerum creatarum. Ac de ventis hunc versum multi intelligunt, sed Apostolus hîc expresse de Angelis interpretatur, quare in ea sententia libenter acquiesco: scriptura hîc manifestè *maleaçau* habet, & Græci verterunt, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα. Scio alios interpretari de ventis, & igni, quæ famulantur Deo, quasi satellites Regi suo. Alij de spiritibus Dei, nam sunt Spiritus, qui tamen Angeli non dicuntur, sed ab officio demum, & cùm à Domino emittuntur, Angeli sunt. Sic Angeli

geli nomen est officij appellatio, Spiritus verò naturæ est & ab eo quod subsistit. Tertia in præsentia est Apostoli citantis de Angelis hoc dictum: vult autem dicere quòd Angelos suos faciat expeditos, vti ventos, & quòd operandi concernit vim sint instar ignis flammantis. Et est sanè velox ventorum natura, fortis autem ignis: quæ duæ proprietates in puniendis impiis, conseruandisque pijs præcipuè Angelis competunt. Duo autem hic Angelis tribuuntur: primùm quòd sint πνεύματα: atqui id naturæ illorum est. Alterum quòd sint λειτουργοὶ, h. e. officiarij quidam. Atque ex his postea Angelorum colliget definitionem, quòd sint λειτουργικὰ πνεύματα. Angeli & spiritus distinctio.

Vers. 8. Πρὸς δὲ τὸν υἱόν.

Quintus Scripturæ locus desumitur ex Psal. 45. vers. 7. quem de Salomone interpretantur Iudæi, nec desunt, qui de Assuero eum intelligant: sed de Christo Apostolus eum interpretatur. Hanc igitur, vt veram amplectamur sententiam, ac cōsidera, quæ in contextu competere possint Solomoni homini, quæ verò Deum postulent, ac Messiam homine maiorem & Angelis.

Primùm quòd apertè Deus nominetur: nam ὁ θεὸς antiptosi vocatiui locum habet, idem apud Hebr. *Elohim*: non igitur de Salomone dici possunt, nec valet elusio, quòd Reges & Principes etiam dij dicantur, quia hîc simpliciter prædicatur de persona. Deinde quòd thronus eius commendetur ab æternitate. Salomonis regnum desiit, taceo quòd sub filio statim sit laceratum, hodie ne vestigium eius superest. Oportet igitur aliud esse hoc regnum, non autem simpliciter in æternum debet durare, sed *gnolam vaged*, quod Græci habent εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, hæc cum regno Christi conueniunt Lucæ. 1. vers. 33.

Tertiò regni æquitas idem arguit, nam regno Solomonis quum nullum ampliùs sit, non congruunt, imò temporibus Solomonis non satis per omnia quadrant. Quartò iustitia regni & Regis quiddam altius postulant, quàm Solomonem hominem. Quintò, quia iterum Deus appellatur, Deus Pater vngit, & qui vngitur quoq; Deus dicitur, is filius est. Sextò qualitas inaugurationis, *vnxi, te*, inquit, *oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. De Solomonis inauguratione quidem intelligi potest, sed Christo appositè quadrant Ioan. 3. Luc. 4. Est autem oleum & vnctio symbolum donorum spiritus sancti, quem non secundum mensuram accepit, vti consortes eius, sed perfecta plenitudine. Consortes eius sunt Angeli & pij homines, illis omnibus superior est Christus. Adumbratur autem regnum doctrinæ Euangelicæ, in quo regnat pax & gaudium in Spiritu sancto. Rom. 14. vers. 17. Luc. 4. vers. 8. Oleum quid significet.

Vers. 10. Καὶ σὺ κατ᾽.

Sextum testimonium, quo Christum non solùm maiorem facit Angelis, sed etiam æqualem, idque Deo ex veris Dei actionibus & proprietatibus, quæ in solum Deum cadere possunt. Locus est desumptus ex Psal. 102. v. 26. apud Heb. Argumenta diuinitatis in eo loco illa sunt: primùm quòd ait σὺ κατ᾽ ἀρχὰς κύριε, tu à principiis Domine. Ab æterno esse solius est Dei, sed id tribuitur & accommodatur hîc Christo: est igitur ab æterno. Apud Hebræos vna est dictio, ex qua sententiam hanc paraphrasticè sumpsit, *lephanim*, priùs fuisti, vel ab antiquo. Deinde terram fundasti, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, quo nō solùm creationis tribuitur illi potestas, quòd simpliciter terram crearit, sed prudentia in disponendo, & solertia in collocandis fundamentis. Fundamenta collocare singularis est prudentiæ in architecto: quæ metaphoricè ad Christum translata prudentiam summam & omnipotētiam declarant. Verùm ne putes rerum creationem ex parte tantùm ad Christum spectare, subnectit etiam tertium de cœlorum fabrica, *& opera manuum tuarum sunt cœli*. Extremæ totius vniuersitatis partes sunt illæ cœlū & terra, quibus intermediæ naturæ partes omnes comprehenduntur. Atque hinc mundi definitio sumi potest: quid enim est mundus aliud quàm compages ex cœlo & terra, & quæ inter hæc posita sunt, constans? Partes præcipuas & integrales fecit Christus, totum igitur condidit, quemadmodum si dicas, eum qui animam & corpus homini dederit totum condidisse hominem. Hęc Christo tribuuntur & de eo hîc citantur ab Apostolo, Deum igitur esse oportet. Quartò, huc facit, quod de mundi interitu dicit & Christi perduratione æterna. Contentionem quandam habent, qua conditor rerum omnium extollitur & natura rerum conditarum declaratur. Conditoris est διαμένειν perdurare, & quod in Hebraica habetur *tagnamod*, subsistes, stabis, significat stabilitatem naturæ in sua essentia, quæ nullis seculorum periodis violari possit. De rebus verò conditis prædicatur ἀπολοῦνται, interibunt, aut dissoluentur, quod elegantius est apud Hebræos *hemmaiobhedu* illa transibunt, dissoluentur, dissipabuntur: non loquitur enim de interitu mundi, quasi ad nihilum redigendus sit, sed transformandus & restituendus me- Mundi definitio. Psal. 102. 27.

liori formæ. Quare subnectit, *omnes vt vestimentum veterascent*, quo senecta mundi declaratur, & vanitas, qua omnia ad corruptionem vergunt. Mundum autem innouandum sequentia docent, *& quasi indumentum mutabis & immutabuntur:* Græcè est ἑλίξεις, ἀλλαγήσονται, circũuolue & immutabũtur. Metaphora suauis est, vestes attritæ inuerti solent: sic formæ aliquo modo restituuntur & durant longiùs: ita de mundi reparatione loquitur, renouandus est mundus, vt ab interitu vindicetur.

Quintò, mundi restitutio, seu reformatio, vel innouatio Christo tribuitur. Psalmus illa propria tribuit Domino Deo: sed eadem omnia Christo hîc accommodat Apostolus: Deum igitur esse necessum est, non enim duo sunt creatores sed vnus. Iam quum Dominus condiderit, & innouaturus sit mundum, Christus quoque id faciet. Christum & Dominum idem esse & eundem sequitur, Deus vnus est, personæ autem distinctæ. Et obserua non solùm opus creationis ad filium pertinere, sed opus innouationis, seu restitutionis etiam: est enim redemptor Filius.

Psal.202. 28. Sextò, ***tu idem es, & anni tui non deficient***, durabit mundus etiam, sed restitutus, reformatus per ignem. Dominus autem durabit in æternum sine omni alteratione. *Idem es*, inquit, hoc est, tibi similis perpetuò, nulla alteratio in Dei cadit naturam, *& anni non deficiunt*, hoc est, temporum dimensione non circumscribitur. Meminerimus nos tandem æternitatis fore participes, si Christo coniungamur, nam huius est æternitatis facere consortes.

Vers.13. Πρὸς τίνα δὲ τῶν.

Septimus scripturæ locus, quo declaratur Christum esse maiorem Angelis. Locus est ex Psal.110 vers.1. Iudæi hunc Psalmum de Abrahamo exponunt, & de historia illa Genes.14. v.1. vbi insignis victoria contra quatuor reges describitur. Ezra tamen ad Dauidem omnia refert. Verùm de Christo Messia intelligendum esse docet ipse Christus Matth 22. vers.44. nec ipsi Iudæi negare hoc poterunt. Deinde Petrus Act.2. ostendit hunc Dominum esse Christum, qui à dextris Dei sedere iussus sit.

Tertiò, quòd in Psalmo sacerdotium æternum illi tribuatur, quod nec Dauidi, nec Abrahamo competit: nam reges non poterant esse sacerdotes, vt est 2. Paralip.26. v.18. De Christo igitur & rege & sacerdote intelligi debent. Sic igitur colligit Apostolus, sedêre ad dextram est paris, & eius, qui æqualem habet potestatem, aut certè proximam à Rege: sed Christus sedet ad dextram, æqualem igitur habet cum Deo potestatem Illa porrò dignitas nulli Angelorum tribuitur: omnibus igitur Angelis est maior Christus.

Expendamus autem locum ipsum. Initio vt re confessa vtitur, de Angelis hoc nullibi legitur, igitur in eo Angeli cum Christo conferri non possunt.

Sessione ad Dei dextram quid significetur. Deinde citat verba quæ huc spectabant omisso principio, nam (*dixit Dominus Domino meo*) parum ad causam Apostoli faciebat, quare illa præterit. Sedêre ad dextram ab humana consuetudine sumpta est phrasis, qua primogenitis aut charissimis summa defertur potestas & authoritas. Sic Dauid explicaturus Christi Regis potestatẽ, & maiestatem Diuinam, ad dextram Patris eum collocat. Illud est, quod Apostolus ad Ephes.1. ver.21. scribit exaltatum super omne nomen, quod nominatur in hoc & in futuro seculo. Hæc maiestas Christo & verbo incarnato tribuitur, & ob id meritò nullis Angelis potest competere. Admonet nos etiam, vt cogitemus ad quantam dignitatem nos simus subuecti: nam consedere nos fecit Deus in cœlestibus cum Christo Ephes.2. ver.6. hactenus sanè Angelorum superamus dignitatem.

Tertiò, de inimicis Christi vaticinium habetur, ex quo obseruetur Christi regnum in hac terra, non fore sine hostibus. Deinde eosdem non humanis viribus debellari posse: sed id Dei potentia solùm effici posse, cuius est eos ponere scabellum pedum suorum.

Tertiò, quæ sit hostium Christi futura conditio, misera nimirum & extremè abiecta, nam id phrasis illa scabelli pedum declarat: hostes potenter subacti pedibus aduoluuntur, ignominiosè & contemptim tractantur. Has pœnas extremas sentient aliquando superbi illi nominis Christi hostes.

Quartò obseruetur phrasis, ἕως ἂν θῶ, *donec posuero*, qua non finis aliquis regni Christi infertur, quasi tum non sit futurus ad dextram Dei, aut regnum eius sit finiendum, vbi hostes omnes fuerint subacti, sed perpetuitas declaratur. Futurum vt hostibus omnibus attritis Christus regnet, regnaturum etiam ipsis tumultuantibus, & reluctantibus: nec ob id sequitur, ergò postea non regnabit: imò contrà magis postea regnabit, nam si inter hostes & contra atrocissimos hostes retinebit regnum: ergo magis regnabit istis sublatis. Et vt illi possint esse scabellum pedum Regis, necessum est Regem in suo solio manere, regnum retinere, & supprimere hostes subactos.

Vers. 14. Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικά.

Conclusio est loci præsentis, qua Angelorum officium breuiter explicat: nam quæ hactenus attulit, Christi illustrarunt dignitatem, & ad hæc quatuor capita fermè referuntur, quòd sit natura Deus, est enim filius: secundò quòd sit æternus: ab initio enim est & anni eius non deficiũt: tertiò, quòd summa sit eius autoritas, ad dextrã enim sedet: quartò, quòd summa eius quoq; sit potestas, creator enim est & conseruator rerũ conditarũ. Ex quibus duo colliguntur ad præsens institutũ: primum quòd sit Angelis maior, hunc enim respexit tota illa collatione: posterius, quòd sit verus Dei filius, per quem loquutus sit nobis vltimis istis diebus. Atq; hinc constat vocem eius seriò & diligenter esse audiendam. Nunc igitur Angelorum officia perstringit, vt intelligamus quid sint. — Loci præsentis conclusio.

Porrò dicuntur Angeli Græca voce, Latinè nuntij dici poterant: ἄγγελος enim dictus est ab ἀγγέλλω annuncio: & si Grammaticis credimus deriuatur id verbum à λέγω, quasi dicas ἀνλέγω, ex quo, κατ' ὑπερβιβασμὸν fit ἀνγέλω, inde reduplicatione λ & mutato ν in γ habes ἀγγέλλω. Placet tamen aliis ab ἄγω Angelos dictos esse, ea ratione, qua ab εἴκω fit εἴκελος: sic ab ἄγω ἄγγελος: vtvt sit nominis origo officium Angelorum declarat, quod scilicet sint Dei internuntij, & agant, quæ Domini iussu habent in mandatis. Hebræis non dissimili ratione dicuntur *maleakim* à veteri verbo *Laak* misit & *gnasa* fecit, operatus est: quòd enim agunt, hinc nomen hoc sortiti sunt: & quòd subsistunt, Spiritus Dei sunt. Quare rectè dicitur Angeli nomen esse officij, Spiritus verò esse naturæ. — Angeli etymon.

Quid verò sint ex præsenti loco commodè peti potest: veteres quidem diuersimodè definierunt: ratio est, quòd difficilè sit naturam illorum humanæ imbecillitati comprehendere: tamen Græci quidam ita definiunt, Angelus est οὐσία νοερὰ ἀσώματος αὐτεξουσιάζουσα, θεῷ λειτουργοῦσα, χάριτι τὴν ἀθανασίαν εἰληφυῖα. Eleganter quidem & piè definita natura Angelica, sed quid obstat, quominus ex præsenti contextu sic breuiter & aptè definiatur Angelus? Est πνεῦμα λειτουργικὸν εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενον τῶν ἐκλεκτῶν. — Angeli definitio.

Genus rectè ponitur πνεῦμα, nam sic distinguuntur à creaturis corporeis, & spiritus in genere appellantur, qui tamen Angeli non sunt, hoc est, non missi ad certa ministeria huius mundi: deinde excellentiæ, & naturæ appellatio illa est. Λειτουργικὸν verò distinguit eos ab ipso creatore, & declarat primum Angelorum officium, Deo seruiunt in administratione mundi, conseruatione ordinis, celebrant etiam Dei conditoris maiestatem. Quòd verò additur εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενον, alterum officij genus est, quod exhibent Ecclesiæ fidelium. Ita prius officium ad seruitutem refero, qua in Dei conspectu Deo creatori subiecti seruiunt, vel orbes cœlestes iussu diuino gubernant, & totam machinam iubente & vim suppeditante Deo in ordine retinent.

Posterius verò hoc propriè Ecclesiam fidelium concernit, tuentur fideles Angeli, vti in historia Lothi est videre, Iacobi, & Danielis. Ac cùm Ecclesiam tuentur fit id vel in genere, quum totos cœtus defendunt vt 2. Reg. 19. vers. 35. Angelus Domini Assyrios percutit, & Iudæos obsessos liberat. Sic Dan. 10. sunt Angeli prouinciales, Medorum, Persarum, Græcorum Angeli, tuentur illi imperia, prouincias propter fideles, vt habeant sua hospitia pij, & Ecclesia cum doctrina vera conseruetur. Aliâs priuatos homines, sic Lothum educunt ab incendio Sodomæ, Iacobum defendit Angelus, Tobiæ tribuitur Angelus ductor, Hagar in deserto habet Angelum consolatorem, qui iubet eam redire ad heram suam, & nascituro filio imponit nomen Gen. 16. vers. 7. Aliâs etiam pœnarum sunt ministri, vt in Sodomorum historia, Pharaonis, Iobi. In nouo Testamento peculiariter salutis humanæ studiosi sunt præcones & ministri: conceptum Saluatoris & Ioannis Baptistæ reuelant, Christum natum prædicant Pastoribus. Angelus Iosephum in Ægyptum iubet fugere, vt Christus recens natus Herodis tyrannidem fugiat. Christo in deserto tentato seruiunt, eum in horto sudantem consolantur, resurrectionis sunt præcones, Ascensionis etiam testes. Ex quibus intelligi potest, quomodo ad ministerium emittantur à Deo conditore. Finis etiam seruitutis & ministerij illorum adiectus est: salus nimirum electorum, nam ad hunc finem propugnant, & vigilant pro Ecclesia, & priuatis personis quoque adhibentur, pœnas quoque ab impiis reposcunt, vt boni tuti sint, & vitam æternam consequantur. Nostrum est expendere quanta nostra sit dignitas, qui tantis custodibus committimur, Angeli nobis in nostris his miseris seruire debent nósque tueri, magnum est diuinæ erga nos beneuolentiæ argumentum. Deinde discamus piè ac pudicè viuere, tanquam in conspectu Dei & Angelorum præsentia, illi testes sunt vitæ nostræ, vitiis offenduntur & contristantur, virtutibus lætantur & exultant, circunstant nos & vident quidquid fecerimus. Christus apud Matt. 18. ver. 10. non vult contemni vnum ex pusillis, hoc

Gen. 19. 1. & 28. 12.

Gen. 32. 24. Tobiæ 5. 5. Gen. 21. 17.

Luc. 1. 31. 2. 10. Matt. 2. 13. 4. 11. Luc. 22. 43. 24. 4. Act. 1. 10.

ipso, quia Angeli ipsorum in cœlis semper vident faciem Patris, qui in cœlis est. Multò igitur minùs reliquis vitiis indulgendum est ob hanc ipsam causam, quia præsentes habemus Angelos. Elegans est enim Bernardi dictũ illud, In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiam exhibe Angelo, ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes: adsunt autem tibi non solùm præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, vt protegant te.

Discamus igitur piè & castè conuersari, non solùm in conspectu hominum, sed multò magis, cùm soli sumus, sed in consortio & cœtu Angelorum.

CAPVT II.

Argu. ca. 2.



SVPERIORI loco egit de Diuinitate Christi: subiungit nunc grauem exhortationem ad dignitatem audiendi doctrinam Christi. Constat hic locus sua Propositione & argumentis suasoriis. Deinde transit ad locum alium, in quo de Christi humanitate disseret, in eo docebit Dei filium etiam hominis naturam debuisse induere, cuius rei complures rationes afferet.

Partes.

Loci insigniores sunt in præsenti capite hi: de pœnis inobedientiæ, 2. salutis occasiones non esse negligendas. 3. de confirmatione Euangelij. 4. de Christi humanitate, officio eiusdem, aliisque.

Loci insi gniores huius ca.

Genus mixtum hîc adhibeatur: nam priora προτρεπτικὰ sunt, in quibus suasoria quærenda sunt argumẽta. Posterioris partis omnia sunt διδακτικὰ de Christi humanitate, in hoc docendi erant homines, & ad prius excitandi.

Proposi- tio 1. par tis.

Primæ partis Propositio continetur istis verbis. *Quapropter oportet nos diligentius attendere his quæ audita sunt à nobis*, quæ verba hanc habent sententiam: salutis occasio præsens non est negligenda, vti hactenus factum est. Nam quum velit περισσοτέρως προσέχειν, hoc est, diligentiùs attendere, non obscurè arguit aliquam in ipsis negligentiam & socordiam, in audienda & perdiscenda Christi doctrina. Et potest illa referri, tum ad suos auditores, ad quos scribebat Apostolus, tum ad ipsorum maiores, quorum inobedientiam postea in exemplum ipsis proponit, q.d. Oportet nos exemplo maiorum cautiores fieri, qui quũ contumaces & rebelles essent verbo Dei perpetuò, grauiter sæpenumero puniti sunt. Fuimus & nos contra Christum rebelles, corrigẽda est illa contumacia & socordia. Deinde obserua quòd seipsum illis adæquat in eo, quo meritò eximi vt culpa vacans, poterat: modestè hoc facit, ne se suáque videatur supra reliquos extollere: oportet, inquit, nos omnes in posterum diligentiores esse in audienda Euangelica doctrina.

Qua in re dili- gentio- res esse oporteat

Tertiò expende, in qua re oporteat esse diligentiores, τοῖς ἀκουσθεῖσι, h.e. auditis: sunt autem ἀκουσθέντα hîc, que patefacta fuere per Christum, & ab Apostolis in vniuerso orbe diuulgata, h.e. doctrina Euangelica. Hæc iam sonuerat multis annis in mundo, præsertim verò in Iudæa, vt eam nemo posset ignorare. Et quum Christus sit maior Angelis, vti docuit in primo capite, nemo certè contemnet ista ἀκουσθέντα, nam in dictione διὰ τοῦτο latet tacitum argumentum, cur oporteat doctrinam Christi diligentiùs audire in posterum. Ratio est, quia Christus est maior Angelis, est Deus, non feret ergò hunc sui contemptum in nobis.

Μή ποτε παραρρυῶμεν &c. Propositionem dixi esse, doctrinam Euangelicam à Christo patefactam, non esse (vti hactenus factum est) contemnendam, & Apostolum hæc quatuor in ea copulasse: primùm quare hoc fieri debeat, secundò, quantam in posterum diligentiam etiam esse oporteat: tertiò, à quibus requiratur illa: & quartò in quibus, vel cui rei debeat esse.

Nunc sequuntur argumenta protreptica, quibus nos omnes cum Hebræis ad eam, de qua dixit, diligentiam excitat. In Argumentatione hac confert auditores Legis cum auditoribus Euangelij, authores illius cum authore huius, pœnas cum pœnis etiam. Nos verbis insistemus, & ad certa argumenta resoluemus omnia.

Prima proposi- tionis ra tio.

Prima igitur sit Propositionis ratio, illa quæ ex superioribus pendet, & in διὰ τοῦτο latet. Christus maior est Angelis, debet igitur doctrina ab eo patefacta diligenter audiri, nam summa debetur obedientia ei, qui summam habet authoritatem & potestatem.

Alterum argumentum est à metu pœnarum, *ne quando fluamus*. Qui Christi doctrinam contemnunt & oblatam respuunt, perfluent, hoc est præterlabentur tanquã inutiles, & eorum nulla habebitur ratio inter electos: igitur danda est opera, ne salutis hãc occasionem negligamus. In verbo παραρρύειν metaphora est, quam alij aliò trahunt. Quidã ad res quę liquantur & fluẽdo consumũtur & euanescunt, vt cera à facie ignis, glacies

glacies à Sole. Alij à rebus pertusis, & humores infusos minimè continentibus ductam volunt, qualia sunt dolia perforata, rimosa, quę hac & illac perfluunt. Irriti certè & cassi labores illi sunt, qui his impenduntur: talis est & charta bibula, quæ literas inscriptas minimè continet, sed diffundit, transmittit & corrumpit figuras. Alij ab aquis citò prœterlabentibus etiam ducere malunt: omnes quidem concinnæ sunt sententiæ, sed pœnas aliquas in mentem reuocant, vt mihi quidem videtur, hæc verba. Quare præterfluere, & fluendo elabi, à salute dicere videtur: nam quæ capaci fluuio iniiciuntur, subitò à conspectu nostro eripiuntur, præteruehuntur: sic contemptores verbi Dei dissipantur vt paleę à conspectu Domini. In qua sententia & metus inest periculi, & facilitas interitus. παραῤῥύειν.

Tertia ratio longior est, continet enim rerum & personarum collationem, hoc est, Legis & Euangelij, Christi, Angelorum, Patrum & præsentium auditorum Euangelij, vnde consequitur pœnarum etiam quædam collatio. Argumentum ita habet, Deus in veteri Testamento nunquam passus est legem, quæ tantùm per Angelos erat tradita contemni, quin ingentibus pœnis socordiam hanc sit vltus: ergò in nobis eam minus feret si Euangelium, quod per Christum traditum est negligamus. Expende duas illas argumenti partes: antecedens de veteribus loquitur, consequens de contemptoribus Euangelij, & argumenti vis pendet à minori: nam si quod videbatur minus verum esse, tamen est: igitur id quod magis videtur tale, erit. Minores autem sunt Angeli Christo, & Lex Euangelio, & minor videbatur contemptus Legis, quàm sit contemptus Christi & Euangelij, tamen illum grauissimè puniuit Deus: ergò hunc multò grauiùs adhuc puniet. In antecedente obserua primùm Legis concinnam periphrasin: quid enim est Lex ὁ δι' ἀγγέλων λόγος λαληθεὶς, hoc est, sermo per Angelos, patefactus. Est autem λόγος hìc certum doctrinæ genus, quod veteribus fuit traditum. Deinde autores hìc legis dici Angelos, quo pacto interdum organa dicuntur rei authores, quum media tantùm sint. Legis certè author est Deus, & sic de eo scriptura loquitur: per Angelos autem eam Mosi tradidit, per Angelos etiam eius contemptum vltus est. Tertia ratio.

Tertiò, quomodo firma dicatur Lex, seu λόγος βέβαιος, id intelligi potest de Legislatoris mente, qui Legem propter populi Iudaici negligentiam & peccata quotidiana noluit abrogari, tolli, & cassari: sed vtut peccarint in dies & quidem grauiter, tamen Legem hanc omnino ratam voluit, vt populus perpetuam haberet normam, ad quam rediret, ad quam reformarentur mores & studia illorum. Deinde potest firmitas illa intelligi de Lege pœnarum, quas comminatus fuerat transgressoribus, quasi diceret, Dominus prædixerat se puniturum Legis contemptum, & id quidem constanter & firmiter præstitit. Exempla, quomodo Legis contemptus sit punitus, in veteri populo plurima extant, in ipso Mose in deserto, & demum in terra Canaan: quoties legem Domini neglexerunt, hostibus traditi sunt, peste, fame vexati sunt. Videtur autem præcipuè loqui de malis in deserto perpessis ob contumaciam & legis neglectum: atque illi in descriptione Legis occurrunt. Hinc sequitur vniuersalis complexio, qua clausula ostendit se de pœnarum certitudine loqui: memorabilis autem illa est sententia, πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Nam ostendit Deum seuerissimè punire verbi sui contemptum, est enim æquitatis hæc regula vt digna dignis tribuantur. Deinde ostendit quid pœnæ sint, nihil aliud quàm præmium peccatorum nostrorum, non est igitur quòd conqueramur, pœna arguit antegressa esse quædam nostra peccata, quibus hoc præmium debeatur. Quomodo Lex firma dicatur. Deutero 18.

Consequens est, πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, quasi dicat, nulla ratio est, qua tueamur nos, nulla via elabendi, nullus est excusationi & defensioni relictus locus: nam vt Christus maior est Angelis, vt Euangelium præstantius Lege, sic huius contemptores multò seueriùs & grauiùs punientur, quàm Legis illi antiqui contemptores. Consequens.

Quartum argumentum προτρεπτικὸν latet in verbis his τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας, tantam negligentes salutem: nam quanquam superioribus illa cohæreant, & Euangelij doctrinā Legi comparēt, tamen quum in his sit prærogatiua doctrinæ Christi, & occasiones amplissimas salutis nobis proponat, non malè hinc nouum argumētum ad propositionem accommodabimus. In doctrina Christi salus ipsa est reposita: ergò studiosè nobis curandum est, vt summa cum diligentia eam amplectamur. Obserua Christi doctrinam appellari σωτηρίαν: sic de Lege non est loquutus: fuit enim illa pædagogia potiùs ad salutem, sed in Christo nobis est salus proposita, & eius doctrina salutifera est, rationes veras consequendæ salutis nobis patefacit. Deinde obserua, quomodo puniat Deus contemptum Euangelij, non solùm crassum contemptum, qualis est in manifestè impiis, vti in Iuliano, Porphyrio: sed etiam socordiam & supinam negligen- Christi doctrina. σωτηρία.

tiam, qua diuina oscitanter tractamus, quæ est ἀμέλεια.

Transgressio quomodo dicatur inobedie̅tia & incuria.

Collige etiam hinc methodica, quæ ad locum de inobedientia pertinent. Primùm quomodo appelletur, παράβασις, παρακοὴ & ἀμέλεια, nam hæc vt synonyma hic habemus. Primùm quia factis Legem Dei peruertit: alterum propter sensuum inobedientiam: tertium, propter rationis corruptum iudicium ei tribuitur. Deinde etiam, quæ ad definitionem spectant hinc collige, quid enim est inobedientia verbi Dei? definitionem ex præsenti contextu sic collige, παράβασις est ἀμέλεια λόγου περὶ τῆς σωτηρίας, &c. sed nos ad argumenta exhortatoria reuertamur.

Quintum igitur est. Doctrina quæ Deo authore tradita est, & auritis, oculatisque testibus est confirmata, studiosè est audienda: sed talis est Euangelica doctrina: igitur studiosè est audienda. Argumentum declarat authorem doctrinæ huius: solent autem res non minimam sui commendationem sumere a præstantibus authoribus. Quid Philosophiam commendauit primitus? nisi quòd diuinitus traditam mortalibus asseuerarint viri sapientes: & Peripatetica dogmata gratiora erant, quia Aristotelem, Platonem, Teophrastum clarissimos haberent authores. Multò maior est Euangelij commendatio, quòd authorem ipsum Dei Filium habet. Loquitur autem de patefacto Euangelio per prædicationem: nam principium iam antè habuit à Dei Filio, sed insuper Dei Filius primus eius fuit præco. Habuit is quidem præconem suum Ioannem Baptistam, tamen ipsa doctrina per Christum demum fuit patefacta, de quo Matth. 4. ver. 17. Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dicere, &c. & Marci 1. vers. 15. Post captum Ioannem Baptistam venit Iesus in Galilæam prædicans Euangelium verbi Dei, &c.

Doctrinæ propagatio.

Deinde argumentum hoc etiam declarat propagationem doctrinæ, & successiones doctorum. A discipulis est propagata, qui testes fuère oculati & auriti: nam cum Christo vixerunt, ab eo acceperunt dogmata veræ religionis, ab ipso ad plenum instituti sunt, vt in illis nihil possit requiri. Tertiò, eadem puritate Apostolorum successoribus tradita est & Ecclesiis omnibus. Porrò quòd ait in nos confirmatam, non illud euincit, quòd author Epistolæ huius propterea non sit Apostolus Paulus: nam loquitur de iis, qui cum Domino vixerunt, & nominatim discipuli & Apostoli fuère, in quo numero non fuit Paulus, sed post resurrectionem demum hic vocatus est. Nos inde discimus nostri esse officij, doctrinæ puritatem, vt ab Apostolis nobis est tradita, sedulò & studiosè tueri, & ad posteros transmittere.

Signa & prodigia quibus co̅firmata est doctrina.

Sextum argumentum, à signis & prodigiis, quibus est confirmata hæc doctrina. Enumerantur hîc quatuor illustria testimonia veritatis, quibus hæc doctrina est confirmata. Primùm à Deo est signis confirmata. Signa intelligo coniecturas, quibus etiam sapientes viri poterant intelligere non esse humanitus traditam hanc doctrinam, vt erat, quòd cum authoritate quadam & grauitate docerent, quòd apposite scriptura vterentur, quòd castè & piè viuerent.

Τέρατα verò erant, quæ contra naturæ cursum accedebant, vt quòd ægrotos sanarent, mortuos quoque excitarent, spiritu immundos pellerent, in his peculiariter digitus Dei manifestabatur.

Tertiò variis virtutibus, δυνάμεις intelligo linguarum peritiam, facultatem conuincendi aduersarios, docendi, consolandi pios.

Quartò, *Distributionibus Spiritus sancti*, quas iudico esse dona Spiritus omnia, tum superiora, tum alia, de his Act. 2. vers. 4. & 1. Cor. 12. ver. 10. Porrò sic comparatum est natura, vt his quæ diuinitus testimonia habent veritatis libenter credamus: sed doctrina Euangelica testimonia talia habet: debemus igitur huic firmiter credere.

Vers. 8. *Omnia subiecisti pedibus.*

Septimum argumentum. Cuicunque omnia sunt subiecta, eius doctrinam decet studiosè audire: sed Christo sunt omnia subiecta. Igitur eius doctrinam oportet studiosè audire. Minor in contextu habetur his verbis: *Non enim Angelis subiecit orbem futurum de quo loquimur.* Habent illa verba contentionem, quæ ex superioribus pendet, vbi per antithesim Christum Angelis opposuit. Quòd si Angelis essent omnia subiecta, meritò illi audiendi essent neglecto Euangelio: sed id de Angelis non habemus, de Christo autem id testatur Scriptura: Christus igitur audiendus est præ omnibus. Porrò quæri hîc solet, quis sit ille orbis futurus, qui non Angelis, sed Filio Dei sit subiiciendus. Quidam dicunt intelligi orbem futurum respectu condendi adhuc, quòd Filius Dei ab æterno existens mundum condendum debuerit possidere. Alij ad reformatum mundum referunt per prædicationem Euangelij, quòd omnes in obedientiam Euangelij peruenire debuerint. Denique alij ad futurum referunt seculum, huic sententiæ libenter acquiesco: nam licet Christus sit omnium nostrûm Dominus,

De quo orbe intelligendum sit, qui Christo sit subiicie̅dus.

nus, & data sit illi omnis potestas in cœlo & in terra, tamen non manifestum hoc nobis est. Expende totum mundum, vix angulus superest relictus, qui Christo pareat, desideratur igitur ὑποταγή, quoad obedientiam, ne tanquam reprobi Spiritus sub imperio eius sit orbis: sed spontanea & libera voluntate. Id fiet fidelibus omnibus post resurrectionem restitutis suis corporibus, & renouato mundo ac reformato, tum plenum & apertum erit illud domicilium omni creaturæ. Qui igitur omnium nostrûm habiturus est plenum imperium, huius vox est audienda: Christus talis est: Igitur est audiendus. Minor confirmatur loco Scripturæ, in quo clarè habetur omnia subiecta esse pedibus eius: locus est ex Psalm. 8. vers. 5. sumptus. In eo primùm expende, quomodo Apostolus citet Scripturam, dicit, *testificatus est quidam alicubi.* Ἀόριστα sunt ambo persona & locus, quum potuisset & Danielem nominare & Psalmum. Verùm egit Apostolus cum Hebræis, quibus Scriptura tota erat nota, ita vt versus etiam in numerato haberent. Itaque statim prolatis verbis ipsi videbant, quis ille esset, & vnde sumptus locus. Aliquando citantur loca non sic infinitè, sed ἀδιορίστως, hoc est, indefinitè vt nominatim persona non indicetur, sed personę tamen qualitas: sic Herodi respondent Scribæ, Messiam in Bethlehem nasciturum, & citant Scripturam: sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethlehem, &c. Atque hic mos frequentissimus est noui Testamenti. Interdum verò ὁρισμένως citantur, sic Ioan. Baptista Matth. 3. vers. 3. de Christo citat Prophetam Isaiam nominatim, & cap. 4. idem Esaias citatur expresso nomine. Atq; aliis locis interdum idem fit. In loco Psalm. tria sunt, ex quibus vltimum ad cõfirmationem instituti huius facit: nam initio de humanitate Christi quædam sunt. Deinde de eiusdem exaltatione quædam adiicit. Tertiò, de plena rerum omnium potestate: sed quia ipse Apostolus pleniùs hunc locum tractat, nolumus in eo diutius immorari, satis sit minoris hîc esse confirmationem, quòd Christo omnia sint subiecta. Nam ex eo hæc duo fluunt: primùm quòd Christus sit prę omnibus audiendus: deinde quòd etiam sit maior Angelis. Nam cui omnia sunt subiecta, is maior est aliis, quibus illa subiectio non competit: est igitur eo ipso etiam Angelis maior. Eo pacto argumentum hoc ad locum primi capitis faciet. Apostolus diligenter vrget notam vniuersalem, omnia dicit Scriptura illi subiecta esse: igitur nihil excepit, quod subiectum non sit. Ex quo sequitur Angelos ipsos illi etiam esse subiectos. Hactenus quidem locus prior huius capit. explicatus est, in quo diximus id agi, vt salutis occasionem intelligeremus non esse negligendam, rationibus septem, atque iis etiam grauissimis id effectum est. Quæ iam sequuntur ad locum secundum pertinent, de Christi humanitate. Occasionem huius loci petiit ex Psal. 8. priùs citato: nam tres inde versus citauit, quorum duo priores de humanitate loquuntur. Pergit autem locum totum explicare.

Matt 2.5

At nondum videmus, &c. Ὑποφορὰ est in his verbis: dicit Christo esse subiecta omnia, at id non videmus, non igitur Christo rectè accommodatur. Respondendum est non esse necessum, vt nunc in pręsenti seculo sint omnia illi subiecta: nam regnũ Christi non est de hoc mundo: non igitur plenaria in hac vita quærenda est subiectio. Deinde Apostolus initio huius argumenti dixerat de orbe futuro. Quare cum expectemus renouatum & reformatum Spiritu Dei, tum videbimus eam plenam omnium rerum potestatem. Non igitur pugnant hęc, Christo omnia subiici: & id nondum apparere.

Obiectioni tacitæ responsio.

Secunda pars huius capitis.

De Christi humanitate acturus, retinet verba Psalmi, & quæ in eo vt de homine dicta fuerunt explicat, accommodans omnia Christo quæ à Dauide simpliciter de homine in genere dicta videbantur. Propositio huius loci est, Christum verum etiam hominem esse: ac in hac duo quærantur. Primum τὸ ὅτι, quòd sit verus homo. Posterius, cur voluerit hominis etiam naturam induere.

Argu. secundæ partis huius c. Propositio. Christũ verum esse hominem.

Ad τὸ ὅτι pertinent ista: primùm Christum videmus paulum infrà Angelo diminutum, verus igitur est homo: non enim medium est inter Angelicam naturam, & humanam descendendo, quemadmodum inter Deum & Angelum ascendendo nulla est natura intermedia.

Deinde in eo locum habuit πάθημα τοῦ θανάτου, hoc est, affectus mortis. Dicitur autem πάθημα mortis, non solùm ipsa moriendi passio, sed satellites etiam mortis, qualis est angor, tristitia, sudor, dolor etiam in neruis, & quidquid tale mortem circunstat sine peccato. Illa omnia locum in Christo habuere: fuit igitur verus homo, nam illa παθήματα, nec in Deum, nec Angelos cadunt.

Tertiò, non solùm παθήματα mortis in eo fuere, hoc est, mortis satellites: sed γεῦσις θανάτου. i. mortis gustus, quo ostendit verè mortuum esse Christum, vt verũ hominem.

Et addit pro quibus mortuus sit ὑπὲρ παντός, hoc est, pro omnibus: sic enim intelligo παντὸς idem, ac si diceret πάντων. Sed est in hac Christi humilitate quædam maiestas, quòd solus ipse pro humano genere sit passus, mundum redemerit, Deóque sua morte reconciliarit. Ad hanc Christi resurgentis, tanquam victoris maiestatem, accommodat tertium ex Psalmo versum citatum, *gloria, & honore coronasti eum.* Atque hactenus quòd sit verus homo. Sequuntur quæ explicant, τὸ διότι. Expendamus igitur rationes cur assumpserit humanam naturam. Prima est à causa efficiente, χάριτι θεοῦ, Dei hæc fuit voluntas & philanthropia, vt daret filium suum vnigenitum in hanc carnem. Atque hæc primaria est causa, nec alia quæratur superior.

Cur Christus humanam naturam assumpserit.

Altera est à fine, *vt mortem pro omnibus gustaret:* non poterat autem nisi homo factus pro hominibus mori, voluit igitur sese submittere in carnem nostram.

Tertiò, autor salutis hanc viam ingredi debuit, vt per afflictiones intraret in gloriam æternam, vt summus etiam esset in passionibus, qui principatum in salute teneret. Vis argumenti est in voce τελειῶσαι, quod est perficere vel consecrare, hinc causa humanitatis erit ad finem relata, Christus debuit ærumnas nobis cósecrare & sanctificare: ergò debuit homo fieri ærumnis subiectus. Si quæras ergò, cur Christus homo fieri voluit: respondeo, vt consecraret nobis crucem & afflictiones nostras. Obserua hîc magnifica de Christo elogia, dicitur ἀρχηγὸς σωτηρίας, princeps salutis, quia verus est Mediator inter Deum & hominem, author &. reparator pacis. Deinde ἀγωγεὺς τῶν υἱῶν εἰς δόξαν, ductor filiorum ad gloriam: eramus enim filij, sed excideramus ex gratia, alieni oberrabamus, vtrunque Christus restituit ius filiorum, ἀγωγεὺς est nobis εἰς υἱοθεσίαν, deinde ad pristinam etiam gloriam reduxit. Tertiò, *per quem, & propter quem sunt omnia,* quo ius conseruationis rerum omnium illi tribuitur. Deinde etiam finis, ad quem omnia spectent, & ad cuius gloriam omnia faciant.

Christi elogia obseruãda.

Quartò, *sanctificandi,* h.e. homines qui redimendi erant, & *sanctificans,* h.e. Messias Redemptor, debuerunt, ἐξ ἑνὸς πάντες εἶ), sed redimendi omnes veri sunt ex Adamo homines. Igitur Messias ex eodem Adamo carnem trahere debuit. Alludit autem in hoc argumento ad ritus sacrorum veteris Testamenti, vbi Pontifex sanctificabat populum, hoc est, expiabat à delicto, repurgabat, & benedicebat. Erát autem tam Pontifex, quàm populus eiusdem naturæ humanæ: sic in nouo fœdere Pontifex noster, & miselli homines eiusdem debuimus esse naturæ.

Quintò, frater voluit & esse & dici noster, sed non poterat hoc nisi ratione assumptę carnis fieri: itaque hanc assumere debuit. Quòd autem frater noster appellari voluerit, probat Scripturæ authoritate, Locus est Psal. 22. Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Psalmus manifestè de Messia loquitur, & ab ipso Christo citatur Mat.27. & Ioan.19. de Christo. In eo loco obserua, Christo tribui diuulgare nomen Dei Patris, quod primùm fecit in carne docendo & prædicando, deinde Spiritu suo per prædicationem Euangelij ad finem vsque seculi. Deinde quibus annunciet nomen suum, *fratribus scilicet suis.* Hi sunt non tam qui nomen Christi gerunt, & ab eo Christiani dicuntur, quàm illi, qui Spiritu eius ducuntur, vero pectore eum colunt, & adorant. Est autem verum Christi humanitatis argumentum, quòd voluit frater noster fieri: nam eo exprimitur naturæ æqualitas, quasi vno Patre geniti, carnem de carne nostra assumpsit, ossa de ossibus nostris.

Sextò Christo tribuitur confidere Deo, quod est inferioris: sed Christus nulla ratione poterat inferior esse Deo Patre, nisi assumpta natura humana: igitur hanc assumere voluit. Locus sumptus est ex Psal.18.v.3. Loquitur Dauid in persona Christi, & inter alia etiam fiduciam, qua in Deum polleat, prædicat. Illa nobis cum Christo est communis, &c.

Septimò, aliud testimonium Scripturæ adducit, in quo Christus discipulis confertur: non potest autem alia ratione eis similis esse, nisi humanitate, qua Patre esset inferior. Sumptum est testimonium ex capit. 8. Esa. vbi Propheta cum paucis quibusdam discipulis fœdus obsignat contra populi incredulitatem, qui Syros metuebant. Ad Christum hîc accommodantur illa verba, & rectè quidem: nam quæ ibidem habentur de lapide offensionis, de petra scandali, de Christo citantur Luc.2. ver.34. & ad Rom.9. ver. 33. & 1.Petr.2. ver.7. Et obsignatio illa, quam Esaias cum paucis fidelibus fecit, argumentum erat semper fore aliquos fideles, qui verbis Dei fidem haberent contra totius mundi diffidentiam: in eóque typus Christi fuit Esaias, & pueri, hoc est, discipuli sui illi pauci, typus discipulorũ Christi & omnium veterum doctorũ. Sed obserua, quomodo hoc testimonium ipse Apostolus interpretetur, & ad suum institutum accommodet. Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis: ipse etiam similiter particeps

ceps factus est eorundem. Quibus verbis postremum illum Scripturæ locum suo instituto accommodat. Discipuli quibus Christus similis est, veri sunt homines ex carne & sanguine, hoc est, vera natura humana compositi: igitur Christus eo ipso, quo illis similis est, veram humanam naturam voluit assumere. Postrema hæc tria argumenta Apostoli, quæ ex Scripturis colligit, ad τὸ ὅτι pertinēt: nam quòd humanam naturam debuerit assumere Dei filius illa declarant, non autem finem, aut causas efficientes. Quæ postea apud Apostolum sequuntur ad causas assumptæ naturæ humanæ pertinent.

Vt per mortem aboleret eum. Suprà exposuerat causas assumptæ naturæ humanæ, ac efficientem assignauerat Dei Patris voluntatem: χάριν appellabat, quia totum hoc redemptionis opus gratuitum erat & misericordiæ. Deinde fines cœpit explicare, qualia erant pro omnibus mori, 2. consecrare nobis afflictiones nostras, 3. sanctificare carnem nostram. His iam addantur, quæ hîc extant. Nam, quintum, sextum, & septimum argumentum ad τὸ ὅτι, vt diximus, pertinent. Quartum igitur est ad fines pertinens, ab officio Christi proprio sumptum. Victoria contra Satanā erat paranda per mortem: mori autem non poterat Dei filius, nisi in natura humana: quare illam assumpsit, vt haberet, per quod mori posset.

Obserua quomodo de hoste humani generis loquatur: initio periphrasi describit eum à potentia, is est qui habet mortis imperium, κράτος τοῦ θανάτου, hoc est, ius mortis, quo significatur eum mortis esse authorem: per peccatum enim mors introducta est, peccatum autem Satanæ fuit artificium. Deinde significat id, mortē pro Satana stare & facere, vt suo arbitratu sæuiat mors in omnes mortales, quo pacto omnes eramus filij mortis & æternæ condemnationis, mors grassabatur in omnes pro Satanæ arbitrio, cuius filius erat minister & satelles. Deinde ex descriptione subiicit nomen eius, hoc est, Diabolum. Inuenit nomen hoc à fraude & criminādo, nam ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν dictus est διάβολος, & quòd dissidiorum sit author, concordes partes dissidentes inter sese fecit, Deum & hominem, & ipsum hominem à seipso dissidentem, hęc vis improbi aduersarij est. Ita quidem hostem potentissimum nobis depingit. De victoria verò contra Diabolum sic loquitur, *vt per mortem eum aboleret.* Καταργεῖν est eneruare, debilitare, καταργεῖν τὸν διάβολον, eneruare Diabolum καταργεῖν τὸν θάνατον, mortem debilitare. Hæc officia solius sunt Christi, vnde expendi debet, quanta vis olim Diaboli fuerit, qui non vinci nisi à filio Dei potuerit. Deinde qualis nunc sit, ἄργος, debilitatus. Nam quanquam mors maneat, vis tamen mortis, hoc est, condemnatio æterna sublata est. Inde beneficium Christi agnoscamus & prædicemus, gratique pergamus esse. Porrò causa organica, qua ad victoriam Diaboli peruenire debuit Filius Dei etiam expressa est, mors: non enim nobis satis erat nasci filium Dei in carnem, nisi idem pro nobis moreretur, innocens pro nocentibus, nam sic redimi poteramus. Quare hâc vim ingressurus nostram naturam assumpsit.

Hostis humani generis descriptio.

Diaboli etymon.

Quintò, vt nos liberet non solùm à morte, sed eius etiam metu & seruitute, mori ipse voluit, tanquam verus homo. Alij sunt hi effectus mortis Christi à superioribus: nam priùs simpliciter de victoria contra mortē & Satanam disseruit. Verùm quid nobis inde spei, nisi applicaretur ad nos? quare his iam docet, Beneficium Christi hoc totū ad nos pertinere. Obserua hîc primùm ad quos spectet mortis Christi fructus: deinde in quibus consistat liberatio illa. Spectat ad omnes illa liberatio, quicunque erant obnoxij seruituti in hac vita: eramus autem omnes: igitur ad omnes spectabat hæc liberatio. Generalis autem dicitur liberatio, vel ad omnes pertinens, quia ad totum genus humanum pertinebat, quanuis non omnes illud beneficium agnoscant, nec grato animo recipiant. Inde fit, vt tātùm in fidelibus sit efficax generalis illa liberatio. In quibus autem consistat, tria exprimuntur, φόβος, θάνατος, δουλεία: terror ex delicti cōscientia nascitur, & pœnas præcedit, animum perturbat, furiis exagitat. Mors stipendium peccati est, & naturæ humanæ abominabile quiddam: nam videtur in hac finis quidam esse rerum humanarum, post quem nihil supersit ampliùs, quam dissolutionem natura fugit, vtpote sui conseruationem quærens. Inde fit, vt mortem πάντων τῶν δεινῶν φοβερώτατον iudicet esse: ab hac morte liberauit nos Christus: nec solùm à morte, sed etiam à metu eiusdem: nam effectus mortis, hoc est, æterna condemnatio sublata est. Nam mortem hîc intelligas non temporalem hanc διαχώρησιν σώματος καὶ ψυχῆς, sed æternam illam & veram mortē seu condemnationem, à qua penitus liberati sumus. & per cōsequens à metu temporalis illius mortis, quæ ianua erat hactenus vsitata ad condemnationem & inferos: illa iam facta est ianua ad vitam æternam. Seruitus autem erat imperium Diaboli in nos, cui subiecti eramus, vt imperata eius faceremus: sublata est & illa seruitus, quæ est peccati, vt iam liberi ab eo seruiamus deinceps Deo liberatori nostro, inno-

Ad quos spectet mortis Christi fructus.

Non solùm à morte, sed à mortis metu nos liberatos esse.

Seruitus spiritualis quid sit.

centia vitæ, vera inuocatione, & officiis charitatis erga proximum. Obserua etiam antithesin in verbis, homines qui hactenus in seruitute fuere, liberandi sunt: mors verò & Satan, qui tyrannidem hactenus exercuerunt, in ordinem & seruitutem redigendi.

Vers. 15. *Non enim, &c.*

Ratio est, cur Christus humanum genus liberare ex tyrannide Satanæ voluerit. Sumitur argumentum à certo signo. Quorum naturæ consortium assumpsit, hi liberandi erant per Christum, sed humanæ naturę consortium assumpsit: igitur homines liberare à seruitute Diaboli voluit. Maior vera est per se, non enim probabile erat alterius assumi naturam, & alterius liberationem meditari. Nulla enim erat ratio, cur in aliena id fieret natura. Minor iam multis probata est superiùs, & præsenti loco ab Apostolo per contentionem proponitur: duo autem in hac sunt, primùm, cur Angelicam naturam non susceperit: deinde, cur semen Abrahæ. Angeli naturam à Filio Dei assumendam videri poterat probabile, quòd post Deum præstantissima illa sit natura, & viribus mirabiliter pollens: adde quòd hominum consortio gaudeat, & prouidi sint illi etiam rerum humanarum creatores: sed respondet Apostolus ἁπλῇ ἀρνήσει non debuisse hanc assumi à Mediatore Christo.

Cur Angelicam naturam nō assumpserit Christus. Gen. 3. 15.

Rationes sunt, quòd hominis hîc agebatur causa, nihil igitur hoc ad Angelos.

Deinde Angeli nullam habent promissionem de liberatione, homo verè post lapsum illam statim consecutus est, futurum vt semen mulieris, serpentis conculcaret caput. Quare nihil ad causam liberationis præsentis faciebat Angeli induere naturam. Et præterea Mediatoris hoc erat munus, vt vtranque partem tueretur dissidẽtium: Dei tueri poterat partes, quia filius Dei ab æterno: hominis verò partes, quomodo tueri poterat sub Angelica natura? Etsi potuisset, quia Deus, quomodo nos id credere poteramus cùm nil in eo nobis coniunctum reperiremus. Noluit igitur Angelicam assumere naturam, sed hominis, vt in persona Redemptoris haberemus fratrem, cui negotium nostrum cordi esset.

Cur dicat semē Abrahæ assumptum esse.

Porrò semen Abrahæ dicit assumptum, quasi dicat, naturam humanam: speciatim autem Abrahæ meminit propter dignitatem Iudaici populi, ex quo Messias secundùm carnem originem traxit, cuius etiam sunt & Lex & Prophetæ, & promissiones. Ac in genere salus ex Iudæis est, hac prærogatiua superant Gentes. Deinde quia Abrahamo præcipuè illustres promissiones factæ sunt, Gen. 15. v. 1.

Tertiò, vt intelligamus Christum verè hominem ex homine natum, ex Abrahæ posteritate, secūdùm promissiones. Porrò, quòd ait semen Abrahæ assumit, annotat Theophylactus verbum ἐπιλαμβάνεται, quod assequi significat, & nihil opinantem consequi, prehensare, quo in loco hîc est vsus, quasi fugitantem & reluctantem carnem & naturam humanam induerit: quæ eò faciunt, vt intelligamus gratuitum hoc opus totum esse, nihil de nostro hîc concurrere merito aut dignitate.

Vers. 17. *Vnde debuit κατὰ πάντα.*

Amplific. superiorum.

Πόρισμα quod ex superiori ratione fluit. voluit eam sibi associare naturam, quæ erat redimenda: igitur debuit hominis assumere, & per consequens fratribus per omnia fieri similis. Porrò operæpretium est expendere, in quibusnam rebus sit illa ὁμοιότης filij Dei, & hominum fratrum, ne impingamus hac in re. Primùm igitur in substãtia humana est, seu essentia naturæ: est enim Christus sic homo, vt animam habeat, vt homo, cũ ratione coniunctam. Deinde corpus reuera physicum suis sensibus & proprietatibus circunscriptum. Præterea non solùm corpus & animam hominis integrales partes: sed insuper παθήματα ἀνθρώπινα, quibus homines subiecti sunt, partim quòd corpus attinet, vt dolere ex plagis, lassari, esurire, dormire: partim etiam quòd animam spectat, vt exhilarari, tristari, ridere, flere, &c. Superest genus vnum affectionum naturalium, quod proficiscitur ex singularibus causis naturæ corruptę, ac in moribus peccat, quod vitium dicitur, vel iudicio rationis corrumpitur, qualia sunt peccata, omnis generis ἁμαρτήματα dicta, his qualitatibus Christus exemptus est, nec quicquam nobiscum commune habet: nam peccatum nunquam fecit, nec repertus est dolus in ore eius.

De humana Christi natura.

Nihil Christũ nobiscũ commune habuisse, quòd peccatũ attinet.

Quare sententiam illam, κατὰ πάντα oportet restringere ad certam formam. Sunt quædam propositiones καθόλου ὡς καθόλου, hoc est, vt sunt vniuersales, sic sunt vniuersaliter intelligendæ: vt, Omnis arbor bona bonos fert fructus. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro, hoc est, nulla caro sic iustificabitur. Aliæ sunt καθόλου ὡς μὴ καθόλου, hoc est, vniuersales quidem sunt, sed in suo genere, in sano intellectu, vt prædicare Euangelium omni creaturæ: certè Christus noluit equis, bobus, &c. prædicari Euangelium, minùs etiam irrationalibus aliis & inanimatis. Homini igitur prædicari voluit, ac idem est, quod Matthæus dixit omnibus Gentibus. Sic Christus similis debuit fieri

Matt. 28. 19.

fratribus per omnia, non certè secundum peccatum, sed reliquis humani corporis proprietatibus, ita vt à reliquis hominibus nihil prorsus publicè videretur differre. Habitus est ab omnibus, vt homo & fabri filius, &c.

Vt misericors esset. Aliæ sequuntur rationes humanæ in Christo naturæ: omnes verò ad officium Christi pertinent. Primùm, vt esset ἐλεήμων. Misericors voluit & debuit esse Mediator, igitur miserias humanas in sese recipere voluit: nam commiseratio præcipuè ex sensu miseriarum, & cognitione afflictionum nascitur. Et quanquā Filius Dei non habuerit eiusmodi opus experientia, tamen scire id nos aliter vix poteramus, cum reuera esse misericordem, nisi sciremus conflictatum etiam communibus miseriis.

Deinde, *vt esset fidelis Pontifex apud Deum*, hoc est, Mediator & placator inter Deum & homines. Alludit ad veteris Testamenti ritus: nam illic Pontifex erat Mediator populi apud Deum, offerendo, orando, intercedendo. Non erant autem illi satis fideles, quia homines, ipsi quoque pro sese debebāt offerre Domino placatoria sacra. Christus verò, vt idoneus esset, hoc est, non solùm tueretur Dei Patris partes, sed hominum etiā, humanam induit naturam, vt scirent hominis casibus posse & velle ingemiscere, hoc ipso quia esset homo. Fidelis autem intelligi potest idoneus, vel par huic officio, aut fidelis πιστὸς, hoc est, ἀξιόπιστος, cui nos possemus nostram causam tutò concredere. Id non perinde potuissemus, si nobis non esset factus similis. Obserua, in qua re consistat Mediatoris officium, in iis quę apud Deum sunt peragenda, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, qualia sunt intercedere pro Ecclesia, tueri, iram Dei placare, & quod maximum est, peccata sui populi expiare, quod apud Matt. 1. vers. 21. Angelus etiam indicat, Saluum faciet populum suum à peccatis suis.

Christus mediator.

Cur fidelis dicatur.

Mediatoris officium.

Ad finem adiecta est ratio ab vsu quotidiano sumpta, quo homines experientiam iudicant cæteris potiorem, ita vt qui hanc non habeant, non iudicentur affici & condolere posse. Christus igitur vt Deus, omnia poterat & nouerat. Voluit igitur, vt homo, etiam sese submittere casibus humanis, hoc fine, vt ab hominibus etiam credi posset velle eum condolere, & commisereri nostris malis. Tentatus à Satana, vt tentatis ab eodem hoste meliùs crederet, eósque iuuaret.

CAPVT III.

HACTENVS de Christi persona egit, qua partim maior est Angelis, quia Diuinam habet naturam: partim iis etiam minor, quatenus humanam assumpsit naturam. Quare autem humanam voluerit assumere, & non potiùs Angelicam, certis nec non manifestis docuit rationibus. Atque ita prima pars de persona Christi absoluta est.

Argum. 3. cap.

Iam alteram ingredimur partem propositæ diuisionis, in qua declarandum est Christi officium. Id consistit in eo, vt perfecta oblatione nos reconciliet Deo Patri. Et quanquam alia sint etiam multa, quæ ad officium eius spectent: tamen in Mediatoris persona omnia intelligi poterunt. Bona pars illorum præcedenti capite comportata fuit inter causas susceptæ humanæ naturæ.

Porrò, propositio est. Christus morte sua ad plenum nos reconciliauit Patri. Ex quo sequitur sacerdotium illud vetus, ceremonias omnes, oblationes hostiarum desiisse, &c. Id Hebræis admodum durum videbatur: nam & Legis & Mosis summa apud eos erat authoritas. Quare initio Christo authoritatem facit, ac modestè ostendit eum esse maiorem Mose. Inde sensim progreditur ad sacerdotij vim, & reliquas Mosaicæ legis ceremonias, ac docet omnia cedere hostiæ & oblationi Christi, quemadmodum Moses ipsi cedit Christo. Cæterùm locos insigniores suprà indicauimus, eos suo loco omnes prosequemur. Ex iis primùm diximus esse, Christi & Mosis collationem, ea habetur hoc tertio capite.

Propositio.

Initio autem admonet nos officij nostri, vt de Christo religiosè sentiamus, & expendamus quale sit eius apud nos mortales munus. Id vno & altero verbo, quasi digito demonstrat. Hinc expressè Christum Mosi anteponit: ex quo sequitur, vocem eius à nobis studiosè esse audiendam, quod vt obtineat faciliùs, locum Scripturæ tractat, in quo ostendit Deum in veteri populo grauiter puniuisse inobedientiam & rebellionem contra Mosem: minùs igitur in nobis feret, si Christo rebelles pergamus esse. Locum Scripturæ diligenter explicat & ad auditores Euangelij accommodat.

Propositio huius tertij capitis est. Christus tanquam Mosi superior & maior, diligenter est sine omni rebellione audiendus.

Partes constituamus tres. In prima est personarum collatio, quæ ad id instituta est, vt

Partes.

Christo paretur authoritas. Altera habet illationem, & quasi notatam Propositionem, vt Christum studiosè audiamus: sed quò res maiorem haberet authoritatē, locū Scripturę tractat. Tertia pars habet propositi loci ad nos Christi confessores προσαπόδοσιν. Nos ad institutum Apostoli breuiter referamus argumenta, quę ex cōtextu possunt resolui.

Eò quòd Christi fratres sumus, eius vocē nos audire debere.

Primùm fratres sumus Christi: debemus igitur vocem eius studiosè audire, quòd fratres simus docuit superiori capite: quòd verò illuc respiciat, indicat particula ὅθεν, nam infert aliquid ex præcedentibus. Et quum vellet nos excitare ad diligentiam audiendi Euangelij, commoda erat ad id compellatio fratrum: nō solùm autem inter nos fratres sumus, hoc est, homines hominum fratres propter ipsam humanitatis societatem, quo pacto Paulus reliquos homines poterat appellare fratres: sed professione Christianismi, quia incorporamur Ecclesiæ Christi. Imò Christus ipse frater noster est, vt patet ex præcedenti disputatione, est igitur audiendus à nobis.

Deinde sanctorum est, vt sanctificantem ipsos diligenter audiant: sed Christiani sancti sunt: debent igitur Christum sanctificantem diligenter audire. Voce ἅγιοι puto eum respexisse ad superiorem sententiam, sanctificans, & qui sanctificantur ex vno sunt omnes.

Quo sensu sancti dicuntur fideles.

Sancti dicimur, quia Christi sanguine sumus abluti: deinde quia terrena amplius minimè curare oportebat: tertiò, quia Spiritu Sancto tales reguntur: quartò benefaciendo, aliisque pietatis officiis declarant sese alios iam esse effectos: denique quia ad vitam æternam, quæ vera est sanctitas aspirant. Magnum hoc est ornamentum fidelium, quòd Scriptura eos in his miseriis huius vitæ dignatur hoc titulo. Quo admonemur, quod sit officium nostrum, & quis scopus ad quem collimare debeamus.

Tertiò, qui ad cœlestia vocati sunt ea curare debēt, eósque studiosè audire qui isthuc dirigunt: sed Christus est, qui viam ad cœlos aperuit, & qui nos vocationis istius fecit participes: ergò Christum debemus præ omnibus studiosè audire. Μέτοχοι κλήσεως ἐπουρανίου, *participes vocationis cœlestis dicuntur* Christiani fideles, quia promissio vitæ æternæ ad eos pertinet: nam hi sunt amici sponsi, qui cum ipso debent discumbere in regno Patris sui: deinde quòd eorū πολίτευμα sit in cœlis, isthic ciues sunt, illuc aspirāt, isthuc vocantur. Admonet autem argumentū nos, participationem hāc esse alterius cuiusdam beneficio nobis gratuitò oblatam, vocamur enim in rei nō nostræ participationē. Atque illa à nostro officio & persona petita sunt: à Christi persona autē quæ sequuntur.

Quo sensu dicatur Apostolus noster Christus.

Quartò, *Christus Iesus est Apostolus nostræ confessionis:* est igitur audiēdus. Ἀπόστολον dixit Iesum Christum, quia legatione fungitur ad nos homines: est igitur legatus Dei apud homines, reuelando eius voluntatem mundo. Id factum est primùm incarnatione, postquam conuersatus inter homines studiosè docuit mundum, quæ esset Dei Patris voluntas. Deinde idem per Apostolos suos effecit, & adhuc quotidie per suos ministros eandem mundo inculcat. Est & noster Apostolus, apud Deum intercedendo pro nobis, placando, defendendo partes nostras: nam hoc legati proprium est munus.

Pōtifex.

Quintò, idem Christus est ἀρχιερεὺς noster, Summo Pontifici debetur obedientia: id in lege studiosè obseruatum est. Sed Christus est noster & verus Pontifex, nam hic verè intercedit pro nobis, perfectam obtulit hostiam corporis sui, suo sanguine nos expiauit non hircino: debemus igitur studiosiùs audire Christum, quàm Iudæi suum Pontificem, in quo hæc imperfecta erant. Pontifex igitur dicitur propter officium redemptionis, in qua adeò plenam obtulit hostiam pro populo suo, vt repetitione non opus habeat in hoc anno æternitatis.

Sextò, τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. Applicat illa sententia omne Christi meritum nobis, ac ostendit quod sit fidei Christianæ obiectum, Christus scilicet, Christus professionis nostræ patronus est: debemus igitur eum intrepidè audire.

Christus fidus.

Septimò Christus fidus est, & fallere nescit: adeóque certior est dux, quàm fuerit Moses in populo Dei, huic indubitanter est adhærendum. Πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν. Πιστὸν intelligo fidum, hoc est, qui bona fide Patris voluntatem mundo patefecerit. Deinde fidelem, qui etiam nostrā causam apud Patrem diligēter obeat: in summa, totū negotium redēptionis, propter quod in carnem missus est, bene & laudabiliter peregit.

Domus Dei.

Octauò, Mosem propter fidem & diligentiam populus omnis debuit studiosè audire: ergò nos Christiani multò studiosiùs debemus audire Christum. Domus Dei populus Dei est, in quo versatus est Moses bona fide, de quo vide Num. 12. versu 7. sed in eadem domo versatur Christus, & quidem non minori diligentia. Hinc iam emergit noua Propositio per collationem, quomodo habeat sese Christus ad Mosem, & eruditè ostendit Apostolus Christum Mose esse longè maiorem. Ex quo sequitur eum tantò religiosiùs esse audiendum.

Argum.

Videamus igitur argumenta, quibus excellentia Christi præ Mose asseritur. Primum,

mum, architectus maior est domo, sed Christus est eius architectus: Moses verò eius architectus non est. Porrò domus maior est Mose, quare Christus & Mosem & domum excellit, est enim architectus. Domus autem intelligatur Iudaici populi cœtus, cuius ductor fuit Moses, & ob id pars seu membrū tantùm illius populi: Christus, verò est autor: ergò longè est maior. Sed obserua circunductionem Apostoli. Tres videntur hic latere Syllogismi. Primus, Omnes domus hoc est, cœtus habet aliquem authorē: Populus Iudaicus fuit cœtus, & quidem insignis: habuit igitur authorem aliquem, non enim casu emersit. Secundus, honesti cœtus Deo authore instituuntur, Populi Iudaici fuit cœtus honestus: igitur Deo authore fuit institutus. Tertius iam ad institutū facit, Christus author est domus, hoc est, cœtus fidelium: Moses autem non author, sed eiusdem membrum. Igitur Christus est maior Mose.

quibus Christi excellentia præ Mose asseritur.

Tertiò, Moses testis erat & typus secuturi Christi: est autem res ipsa, vel causa principalis maior suis typis: Christus ergò vt causa principalis maior est Mose typo suo & teste. Nam illa verba, *In testimonium eorum quæ post dicēda erāt*, intelligo sic, vt Moses Christi typus fuerit, & omnia quæ in populo illo gessit testimonia, hoc est, indicia & vestigia, fuerint rerū per Christum gerendarum, qualis erat liberatio ex Ægypto, introducere ad terram promissionis, per deserta & aspera loca ducē sese præbere &c. Illa omnia typica fuère, quibus significabatur, quid Filius Dei mundo olim præstare vellet, &c.

Moses typus Christi.

Quartò, Moses non in propria domo, sed Dei domo sedulus fuit: Christus autem in propria: nam quum sit filius, hæres etiam est, & ob id quæ Patris sunt, filio tradita sunt. Igitur & hac ratione maior est Christus Mose.

Hactenus igitur effectum est Christum esse Mosi præferendum, quo retunditur Iudæorum iactantia, quibus hoc semper erat in ore, Nos discipuli Mosis sumus, quasi dicat, rectiùs feceritis si discipuli Christi fueritis, & eum studiosè audiatis, vel exemplo Patrum, qui illum debuerunt audire.

Hinc subiecta est explicatio vocis *domus*: nam etiamsi vtrunq; intelligi poterat ab Hebræis, domum Dei intelligi populum illum, in quo Dux fuerat Moses, tamen cùm de Christo agitur & eius domo, hoc est, Ecclesia, exprimendum erat, de quo populo intelligi deberet. Quare subiicit, *cuius domus sumus nos*, hoc est, Ecclesia Christi etiam ad nos pertinet: vel domus Dei etiam nos qui Christum agnouimus, complectitur. Consolationem habet illa applicatio: deinde admonet quomodo in illo cœtu populi Dei permanere possimus, *si scilicet* παῤῥησίαν & καύχημα *spei ad finem vsque firmam tenuerimus*, hoc est, si intrepidè in confessione Christi permanserimus, quod est si audierimus eum, si obtemperauerimus illi: opus est ergò constantia in fide, nam planè id vult dicere quod saluator, qui permanserit vsque ad finem, is saluus erit.

Vocis Domus explicatio.

Hinc noua conficiatur ratio προτρεπτική: Ad salutem consequendam opus est constantia in professione Christi: ergò illum debemus studiosè audire. Apostoli verba sic accommodari possunt: Membra Dei erimus, si constantes manserimus in professione spei nostræ: ergò illud studiosè nobis præstandum est. Παῤῥησίαν & καύχημα intelligo ipsam fidem intrepidam, quę liberè profitetur quod sentit, & in eo ipso exultat. Porrò domus illa Dei totam complectitur familiam Dei dispersam per orbem vniuersum & omnium ætatum periodos. Alibi appellatur templum Dei, vt 1. Cor. 3. An nescitis quòd templum Dei estis, & spiritus S. habitat in vobis? si quis templum Dei prophanat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sic 1. Cor. 6. An nescitis quòd corpus vestrum templum est habitantis in vobis S. Sancti, quem habetis à Deo, & estis ipsi vestri iuris. Templa illa ex viuis construuntur lapidibus, & ad vnum ædificium domus Dei faciunt, 1. Tim. 3. v. 15. Si tardiùs venero, vt scias, quomodo in domo Dei oporteat versari, quæ est Ecclesia Dei viuentis.

Matt. 24. 13.

Hactenus prima pars capitis, in qua obseruetur duplex argumentum. Primum, quo ad obedientiam Christi prouocamur: alterum verò, quo Christus maior Mose declaratur. Sed & illa argumenta singula nos excitant ad Christi obedientiam: nam & quia author est domus illius, & quia filius est familiâs, non seruus, & quia is est cuius Moses typum gessit, denique, quia ipsa domus hæc illius est propria, omnia hæc efficiunt, vt Christo studiosè præstemus obedientiam.

Διὸ καθὼς λέγει πνεῦμα τὸ ἅγιον: Secunda pars capitis huius, in qua illatione quadam infert, quod sui erat instituti, vt Iudæi oblatum veritatis verbum non contemnant. Narrat autem Patrum exemplum, quomodo illi Dei voci fuerint rebelles, & ob id in meritas inciderint pœnas: ac vt res maiorem haberet authoritatem, locū Scripturæ integrum tractat, cuius Propositio est, Patres contemnendo Dei verbum, quod per Mosen erat eis patefactum, inciderunt in maximas pœnas. Quare eorum exemplo opor-

Secundæ partis huius capitis argu. Propositio. Partes 2.

tet nos sub Christi agnitione esse cautiores, ne oblatam veritatem temerè contemnendo, prouocemus in nos iram Domini. Partes duæ sunt in propositione, prior de Patrũ exẽplo: eam explicat hac secũda parte. Posterior de nostro officio, qui cautiores esse debemus maiorum exemplo. Hanc in sequenti tertia declarauit. Porro Apostolus eruditè infert ex superioribus argumentis hoc quasi πόρισμα per exhortationẽ ad pœnitentiam, ac verbis & authoritate vtitur Prophetæ Dauidis. Nam apud Iudæos erat eius longè maxima authoritas. Deinde obliqua increpatio neglecti hactenus officij, carebat inuidia in personam aliam translata. Locus desumptus est ex Psal. 95. v. 8. vbi pleniùs veteris populi pertinaciam inspice. Nos argumenta expendemus, quæ hic latent, & ad exhortationem pertinent.

1. Arg. Primùm quæ Spiritus sanctus mandat ea seriò sunt exequenda: sed is iubet, vt obedientiam præstemus verbo Dei: ergò illam sine pertinacia præstare debemus. Maior vera est, quia Dei æterni hæc est æterna regula, vt à voce & voluntate eius non deflectamus. Ac ne obuelare possemus ignorantiam, quasi ignari fuerimus suæ voluntatis, eam testatam reliquit in oraculis Prophetarum. Loquitur autem S. sanctus per organa sua Prophetas, quare eleganter non Dauidi tribuit hoc dictum, sed Spiritui sancto, q. d. non Dauid huius author est, multò minùs ego de meo affero hoc iudicium de contemptoribus veritatis, sed vox illa est æterna Dei Patris regula per Spiritum sanctum dictata Dauidi, & posteris per eum relicta. Ἔμφασις autem est in articulo demonstratiuè repetito, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quasi dicat, Spiritus ille sanctus, qui fallere & mentiri non potest, qui verus est æstimator humanarum cogitationum: cui etiam nõ potest imponi, nouit quæ sit hypocriseos natura, & quænam vera obedientia dici debeat.

2. Arg. Secundò, dum est occasio resipiscere debemus: sed est adhuc præ manibus emendationis occasio: ergò vel iam tandem, & quidem seriò resipiscendum est. Nam Psalmista ait σήμερον, ostendit superesse occasionem pœnitentiæ, ne obiicerent improbi Iudæi: Deus nobis iam iratus est, & punire pergit, siue emendemus nos, siue minus. Hodie illud extenditur ad cuiusq; peccatoris vitam, quo docemur quæ sit Domini longanimitas, & quæ φιλανθρωπία, quum nunquam excludat resipiscentem peccatorem.

Præterea admonet nos, vt de emendatione morum maturè & seriò tandem cogitemus, quum vita nostra tantùm sit quasi diurnum temporis spatium, & id quidem incertum, vt vel in diem præsentem non simus de vita certi. Præterea admonet non superesse alium pœnitentiæ locum, quàm in hac vita: nam dum ait, *hodie nolite indurare corda vestra, si audieritis vocem eius*, dicere videtur, in posterum non fore eius facultatem, vbi illud σήμερον fuerit completum. Completur autem, vita hac ad calcem deducta: tum enim desinit esse σήμερον, & per consequens desinit occasio pœnitentiæ.

3. Arg. Hinc subiecta est propositio, *si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra.* Alloquitur Dauid, siue Moses, quisquis Psalmi fuerit author, sui seculi homines, quos vult Deo pæstare obedientiam in audiendo eius verbo. Eodem pacto Apostolus illa suo instituto applicat, vt Patrum exemplo idem sui faciant. Idem nos hodie facimus, nam vox illa omnium seculorum est. Sed assumptionem subiunge, ita habebis argumẽtum. Si audiueritis vocem eius, nolite obturare corda vestra, sed audite eius vocem per Euangelij prædicationem: ergo nolite corda vestra obturare. Nam Apostolus ad reuelationem Euangelij per Christum respexit: eámque vocem Dei interpretatur.

Quomodo induratur hominum corda. Induratur autem cor à nobisipsis, quando veritati agnitæ repugnamus, vel omnibus modis, vt non cognoscatur à nobis, repellimus. Illa est σκληρότης à nobis orta, hoc est, durities cordis deprauati, quam demum subsequi solet Diuini iudicij iusta excæcatio, vt in peccato indurati perduremus impœnitentes.

4. Arg. Quartò, à Patrum exemplo, Maioribus non obedire Diuinæ voci, pessimè cessit: ergo nos obediamus, ne in similes, aut etiam maiores incidamus pœnas. Historiam vide Exodi 17. vers. 2. Num. 14. Psalm. 78. vers. 15. vnde huc desumpta est. vis argumenti est à metu pœnarum. Qui Mosen noluerũt audire, grauiter sunt puniti: Ergo qui Christum Filium Dei audire nolent, grauissimè etiam punientur. Docemur hoc argumento, ad quid Patrum nobis faciant exempla. Honesta meritò imitari debemus: ita mala exempla, vtvt antiqua sint, docet Scriptura, vt fugiamus.

Improbitas autem maiorum pluribus hîc describitur: primùm à loco, *in deserto id fecerunt*, vbi ab omni humano auxilio destituti erant, decebat ergò eos humiliùs Dei obtemperasse voci.

Deinde à qualitate peccati, non fuit id simpliciter tentatio, sed irritatio quædam malitiosa, & crassa, quæ venia caret: quasi in hoc toti fuerint, vt Deum probarent & irritarẽt. Tertiò, à temporis diuturnitate, quadraginta annis: malitiosos ergo oportet fuisse Patres

se Patres, qui tanto tempore viderunt miracula Domini, ac tamen non erubuerint inobedientes sese declarare. Ostendunt hęc omnia peccatum grande & inexcusabile. Quare subiicitur declaratio pœnarum: nam enormia peccata, merentur enormes pœnas.

Ad pœnas pertinet primùm quòd infensus eis est Deus: ira Dei pœna est subsequens peccatum. Iratum habere Deum, est bonis suis omnibus sese priuare, terrore & mala conscientia sese onerare. Deinde ad pœnas etiam pertinet, quòd Dei iudicio errant & quidem semper: nam peccata peccatis puniuntur. Pœna.

Tertiò, vias Domini non cognoscere, hoc est, cæcitate & studio errorum tenentur ac ducuntur. Quartò, quòd promissis bonis insuper spoliantur, *si ingressuri sunt in requiem meam*. Id quidem de terra promissionis intellexit Moses, & post eum Dauid, sed Apostolus suo instituto accommodat. Ac id quidem pleniùs sequenti capite, vbi docebit oportere nos exemplo Israelis esse cautos, & Domini vocem audire fideliter, ac sic ingredi requiem illam cœlestem, &c.

Hactenus secunda pars, in qua docuit 1. quid nos deceat. 2. quomodo Patres peccarint. 3. quæ sint subsequutæ pœnæ. Atque id per locum Scripturæ.

Vers. 12. Βλέπετε ἀδελφοὶ μήποτε.

Tertia pars huius capitis, in qua locum Scripturæ applicat πρὸς θέσιν. Itaque est illa totius disputationis προσαπόδοσις, in qua docet Dauidis verba, vel Mosis (quisquis Psalmi illius fuerit author) non esse sic accipienda, quasi ad veterem illum populum Legis auditorem tantùm pertineant: sed ea etiam ad nos, sub Christi doctrina viuentes pertinere. Expendit autem omnia diligentiùs, ac fermè ex singulis vocibus Hebręos vrget ad obedientiam doctrinæ Christi præstandam. Tertiæ partis huius cap. argum.

Propositio igitur est, Cauendum est nobis sedulò, ne post auditam vocem Filij Dei, inobedientes seu increduli pergamus esse. Initio autem vt felicior illi sit ad rem aditus, beneuolentiam captans, fratres appellat. Nam si fratres sumus, ab Apostolo fratre consilium fraternum oblatum non debemus contemnere, & ipse, vt frater germanus nullius mali consilij nobis erit author. Videamus igitur nunc argumenta, quibus contra ἀπιστίαν agit Apostolus. Propositio. Argum. quibus ἀπιστία sit fugienda.

Primùm, cor prauum omnibus est diligenter vitandum. Ἀπιστία est cordis prauitas: est igitur vitanda. Argumentum à definitione procedit, & quanquã nondum sit integra, satis tamẽ argumenti habet notasse definitionis genus. Apost. inquit, καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, *Cor prauum incredulitatis*. h. e. quod incredulitatis est propria nota & sedes. Hinc cõstituẽ definitionis initium. Ἀπιστία est πονηρία καρδίας, verum habes genus & adiectã differentiã. Πονηρία dicitur naturæ deprauatio, qua ad malum sponte ferimur, & naturali quadam inclinatione. Adiecta differentia notat sedem illius mali, in corde habitat. Καρδίαν sedem appellant cogitationum, & actionum omnium sacræ literæ: est igitur ἀπιστία cordis humani deprauatio & inobedientia, semper verbo Dei audito, & voluntati eius repugnans. Argumentum hoc primum exornatum est circunstantia temporis *(ne quando:)* nam cùm ait μήποτε, tale malum describere vult, quod semper & vbique sit cauendum: sunt enim vitiorũ gradus aliqui, & vt homines sumus, infirmitate quadam carnis interdum leuiora quædam committuntur, quæ πονηρία ob id statim dici non possunt: ἀπιστία verò semper est πονηρία: semper igitur cauenda est. Malitia quid sit. Gen. 6.5.

Deinde & illud emphasim habet, quod addit, ἐν τινὶ ὑμῶν: nam eo ostendit, omnibus ex æquo cauendum esse hoc malum. Porrò quæ semper & omnibus sunt perniciosa, hæc sine dubio sedulò fugienda sunt. Talis est ἀπιστία: danda igitur est opera, vt singuli hoc malum cautè & vigilanter vitemus, & quidem semper.

Deinde, Ἀπιστία *abduxit à Deo viuente*: est igitur cauenda. Argumentum hoc effectum incredulitatis declarat, qui est ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος: nam hac phrasi declarat, in quo operetur ἀπιστία, in quid incumbat, ad quem finem sua dirigat, nimirũ tota illuc fertur, vt à Deo abducat. Est igitur ἀποστασία quædam defectio à Deo, inobedientia naturalis verbo Dei repugnans. Porrò à Deo deficere, est suum creatorem negare, deserere fontem bonorum omnium, vitæ æternæ, & veræ felicitatis ducem reiicere: is fructus est ἀπιστίας, nimirum mali corui pessimum ouum: fugienda est ergo studiosè, Nam extra Deum quid habes? Deserto Deo quid sequeris? tenebras, errores, mortem ipsam, Diabolum mendacij patrem, denique ipsum infernum & extremam condemnationem. Incredulitatis effecta.

Cæterùm collige integram ἀπιστίας hinc definitionem, quæ est, Prauitas cordis, verbo Dei viuentis perpetuò repugnans. In definitione habes causas: efficiens est πονηρία naturalis ex traduce nobis inhærens, & originali malo, seu peccato. Materialis dici potest cor: est enim mali huius sedes. Cordi inhæret, hoc est, fonti cogitationum & a- Incredulitatis definitio 1. Efficiens. 2. Materialis.

ctionum, ex quo intelligi potest, & cogitationes, & actiones omnes hoc malo infici fonte perturbato. Materia obiecta erat verbum: deinde æterna Dei regula & voluntas, cui assentiri & obedire cor nostrum debebat, ab eo dissentit, illa est incredulitas, enorme malum. Formalis causa non quærenda est, quum sit priuatio, nisi formam dicas in mali peruersitate & incommodorum multitudine. Finis, est defectio à Deo viuente, quem infiniti alij consequuntur, quò etiam pertinent pœnæ incredulitatis tam temporales, quàm æternæ.

3. Formalis. 4. Finalis.

3. Ab officio Christiani hominis.

Tertium argumentum. Singuli singulos admonere debent, vt hoc malum fugiant. Quare Christo non debemus esse inobedientes. Argumentum ducitur ab officio Christiani hominis, quod incredulitati opponitur. Ostendit autem media & formam, qua vitare hoc malum possimus, vel correpti ab eodem liberari queamus, nimirum si singuli officium suum admonendo, cohortando diligenter præstemus. Pertinet id quidem primitus ad Ministros, quorum munus est docere, & ἀπιστίαν pellere, ex cordibus nostris extirpando spinas, & inserendo bonum verbi Dei semen: tamē ad omnes etiam auditores hoc officium spectare docet non obscurè, cùm ait, παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς, *exhortamini vos inuicem*, hoc est, singuli singulos moneant, tu me, ego te, &c. Deinde officij nostri esse docet, tales admonitiones amico accipere animo, obsequi bene monenti, parere fratri consulenti, meliora sequi consilia, & de emendatione sedulò cogitare. Sic fiet, vt ἀπιστίαν possimus effugere, & obedientiam, quam Deo creatori nostro debemus, præstabimus. Consilium habes Apostoli, id sequamur sedulò.

4. à salutis occasione, quòd ea non sit negligenda.

σήμερον quid sit.

Quartum, Salutis occasio non est negligenda, sed illa etiam nobis hodie offertur, ita vt delictorum veniam possimus impetrare: ne pergamus ergò vlteriùs Christo esse inobedientes, ne fortasse nobis eripiantur occasiones pœnitendi: argumentum vrget à circunstantia tēporis, quā sumpsit ex loco Scripturæ priùs recitato. Nā quid σήμερον esset, & quomodo intelligendū foret, obiter indicat. Est σήμερον, id tēpus, quo singuli viuunt, & doctrinā Christi audiūt, nec non approbare coguntur tacito quodā consensu. Quare hoc ipso momento curandū est, ne excutiamus hanc occasionem, & consensum pectoris nostri negligamus. Ita Iudæi in deserto sub Mose suū habebant σήμερον, in quo potuissent in viam redire. Sub Dauide iterum habebant σήμερον, quo & illi obedientiam verbo Dei præstare debebant. Christi & Apostolorū tempore totus ferè mundus easdē occasiones habuit. Habemus & nos hodie nostrū σήμερον, vtinam illud diligenter complectamur, nec vlli mortaliū vnquā defuit suum σήμερον nec deerit ad finē vsq; mundi. Deinde Argumentum hoc declarat Dei bonitatem, quæ quotidie parata est, præterita delicta libēter condonat, longanimis est, & singulis suas offert occasiones resipiscendi.

5. Argu. à metu maioris mali.

Quintum Argumentum, ἀπιστίαν sequitur tandem σκληρότης. h. e. *cordis induratio*: fugienda est igitur. Argumentum incutit metum maioris mali, nam incredulum esse ferme omnibus inhæret, cùm natura mali simus. Σκλήρωσις tamen non omnes inuadit: ratio est, quòd quidam auditum verbum admittunt in pectus, & id conseruant, & demum moribus & vita exprimunt. Illud qui non præstant, habent atrocius malum, quod illis est metuendum: nam ex ἀπιστία continuata nascitur cordis induratio: σκληρότης illa postea manet immedicabilis: durum enim cor & lapideum redditur, vt nullum sensum amplius pietatis admittat. Huic desperatio proxima est, & extremus interitus. Hac duritia præcipuè laborarunt Iudæi perpetuò, quare Moses non sine ratione eos appellabat *dorgnikesch, vphtaltol*. Porrò Apostolus hîc etiam modum declarat, quo σκλήρωσις illa generetur. Ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας. Plauditur nobis peccatum & inuitat ad omnigena oblectamenta, voluptatem ingerit sensibus, ac iubet differre pœnitentiam in aliud tempus: sed reuera illa deceptio est, qua nos seducit peccatum: ac differendo hoc molitur, vt sensim obrepat nobis excæcatio, & cor nostrū occupetur duritie illa inemēdabili. Quare non tam contra ἀπιστίαν debemus armare nos, quàm contra illam ἀπάτην τῆς ἁμαρτίας instructi esse debemus. Valeat hîc illud, *Principiis obsta serò medicina paratur*. Suspectas habeas omnes voluptates, & quasi anteambulones indurationis longè valere iubeto.

6. Arg. à professione.

Sextum, Qui Christi membra sunt facti, meritò illi obedientiam debent: sed nos qui Christianismum profitemur, membra Christi facti sumus. Igitur ratione nouæ professionis debemus etiam Christo obedientiam præstare. Argumentum vrget vehementer nouæ professionis officium, μέτοχοι τοῦ χριστοῦ, participes Christi, hoc est, membra Christi. Porrò Christi μέτοχοι reddimur variis modis. Primùm, assumpta humana natura μέτοχοι eius facti sumus: nam quum verus sit homo, ex homine virgine natus, participes cum eo sumus in natura humana, quæ illi & nobis communis est. Deinde dum inserimur Ecclesiæ illius, & reddimur membra corporis eius, quod est Ecclesia. Tertiò, dum imputantur nobis Christi merita, iustitia illius nostra dicitur iustitia &c.

Participes sumus bonorum eius.

Septimum argumentum, Christianos homines decet non solùm bene incipere, sed etiam ad finem vsque bene currere. Incepistis bene credendo in Christum, perdurandum ergò est ad finem vsque obediendo Euangelio, nam fides vita & moribus exprimi debet. Ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως intelligo initia fidei, quæ rudia interdum sunt, progressu autem confirmantur & auctiora redduntur. Ὑπόστασις intrà cap 11. in fidei definitione continetur. Itaque hic pro eadem sumatur. Paulò ante παῤῥησίαν & καύχημα appellauit, & eadem vsus est phrasi, ἐάνπερ παῤῥησίαν καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. Quam circunductionē idem valere iudico, ac si simpliciter dicat: si in fide constantes manserimus vsque ad vitæ finem. Ita hic phrasis eadem est ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, hoc est, *si fidem constanter retinuerimus vsque ad vitæ exitum*: quare eadem illa sunt. Porrò argumentum docet opus esse perseuerantia in bono proposito: non enim minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. 7. Argu. à perseuerantia.

Octauum Argumentum, Maiorum vitia non debemus imitari, sed maiorum nostrorum quidam fuere rebelles sub Mose: Ergò rebellionem hanc nos sub Christo non debemus exprimere. In hoc argumento Apostolus diutiùs immoratur: nā repetit Prophetæ verba, & nominatim τὸ σήμερον vrget. Deinde *ne induretis corda vestra*: tertiò *vt in exacerbatione*. Priora duo iam sunt exposita: tertium verò de παραπικρασμοῦ huc iam propriè pertinet. Sententia est, Non debemus esse inobedientes vti maiores fuere. Sed vbi tales extitere? Respondet, *in exacerbatione*: vide Exod. 17. vers. 7. Num. 14. v. 37. Exemplum igitur habes inobedientiæ Patrum. Sed dices, at non omnes tales fuere sub Mose: respondet, nihil hoc ad præsens, satis est aliquos tales fuisse. Fuisse in populo Dei semper aliquos, qui furoribus aliorum resisterēt satis constat: tamen quæ ingeniorum fuit corruptela, pauci sanè reperti sunt qui non iram Dei promeruerint: nam solus Caleb & Iosua terram promissionis ingrediuntur, Deut. 34. adeò vt Moses etiam dux populi audiat, Non ingredieris in eam. Concussa sanè fuit etiam illius fides, sed mox in viam redit, & Num. 20. vers. 24. dicit illi Dominus & Aaroni, Eò quòd non credidistis in me, vt sanctificaretis me in oculis filiorum Israël, ob id non introducetis cœtum istum in terram, quam dedi eis, quid igitur de reliquis cogitabimus? 8. Arg. ab exēplo.

Nonum Argumentum, Quadraginta integris annis Dominus inobedientiam veteris populi castigauit: Igitur obedire nos oportet Christo, ne simili ira à Deo puniamur. Apostolus interrogatione vrget eos, vt ostendat, quàm grauiter peccarint maiores. Deus iratus fuit Patribus: Ergò necessum est eos in ipsum peccasse. Deinde quadraginta annis durauit illa indignatio: oportet ergò graue fuisse illud delictum. Graues enim & diuturnæ pœnę declarāt grauia delicta. Diuturnitas certo annorū numero expressa est. Grauitas verò eleganti ὑποτυπώσει, *quorum membra*, inquit, *ceciderunt in deserto*: nam qui ceciderunt in deserto, dicere poterat, vt & Scriptura loquitur, quorum corpora ceciderunt: sed κῶλα maluit dicere, miseram populi conditionem expressurus, qui in deserto deletus est, vt in prælio victi prosternuntur strage longè latéque facta: in qua non integra corpora vulneribus funduntur: sed dissecantur in membra, ita vt hîc caput, illic pedem, alibi brachium, alibi viscera, alibi alia videas disiecta κῶλα. Ad hunc modum populus ille duræ ceruicis Domino Deo suo pœnas dedit. 9. Arg. à diuina indignatione.

Decimò, aliud sumit ex citato loco Psalmi argumentum. Quæ iuramento confirmat Dominus seruaturum sese, illa seriò vt constituit, obseruat: sed ἀπιστίαν sese puniturum iuramento concepit, faciet ergò id etiam hodie si pergamus esse ἄπιστοι. Apostolus ait, *quibus autem iurauit*. Iurauit vt Psal. 95. v. 11. declarat, & historia Num. 14. v. 34. indicat, viuo ego, inquit Dominus, si non, vt dixistis in auribus meis, sic faciam vobis. In deserto hoc cadent corpora vestra, à filio 20. annorum: paruuli verò vestri, de quibus dixistis, quòd præda futuri essent hostibus vestris, illi ingredientur terram, &c. Illud est iuramentum, quod per se iurat Dominus. Et quæ sit requies declarat: terra Canaam, quam non sunt visuri, in deserto peribunt. Porrò magna oportet esse peccata, quæ arcent homines à promissionibus diuinis, cùm adeo firmæ sint & toties repetitæ: sed ἀπιστία nos arcet à promissionibus Diuinis, vt irritæ in nobis fiant, nec vllus fructus ex his ad nos perueniat: magnum igitur est peccatum hoc, & summo studio fugiendū. Quòd autem non sint ingressi, inquit, experientia testatur. Videmus quòd nō potuerint ingredi. Obserua autem vocum ordinem. Primùm dixerat peccasse: erat enim hoc quasi genus. Deinde subiunxit ἀπειθήσασι, specialius hoc iam est, quàm fuerit illud ἁμαρτήσασι. Iam demum addit certum & specificatum crimē, δι' ἀπιστίαν: tria sunt igitur, ἁμάρτημα, ἀπείθεια, & ἀπιστία, quæ in hoc populo reprehenduntur, & nobis, vt eadem fugiamus, proponūtur. Demum considera pœnas omnes populi veteris ad vnam causam sufficientē refer- 10. Arg. à iuramento diuino.

11. Sola enim est ἀπιστία, quæ nos priuat omnibus bonis & promissionibus: nam vt fides sufficit ad remissionem peccatorum impetrandam: sic ἀπιστία, quę fidei opposita est, sufficit, vt reliqua peccata fixa retineantur & irremissibilia sint. Itaque non immeritò peccatum omnium peccatorum maximum dicitur, fons & radix malorum omnium: ex hoc enim reliqua fluunt peccata, &c. Vide Augustinum sermone 61. vbi explicat locum Ioan. 16. Spiritus sanctus vbi venerit arguet mundum de peccato, iudicio & iustitia. De peccato, quia non crediderunt in me, &c.

CAPVT IIII.

Cap. 4. argum.



LOCVS adhuc προτρεπτικός est, hortatur enim ad diligentiam audiendi verbum Dei, nec nó vt vera pœnitentia eidem obediamus. Hunc locum superiori ingressus est capite. Et quia locum Scripturæ sibi proposuerat explicãdum, ex eo diuersas elicit rationes etiam hoc capite, quibus pondus argumenti inest. Deinde à vi etiam verbi Dei ostendit dandam operam, ne frustrà videamur Euangelium audiuisse. Denique à persona Pontificis & officio Christi Redemptoris nostri.

Propositio. Propositio est. Auditores Euangelij operam dare debent, vt verbo Dei obediant, ne salutis occasionem videantur data opera neglexisse.

Diuisio. Partes sunt tres. Primùm enim à natura promissionis & καταπαύσεως illius (de qua Psalm. 95.) propositum suum declarat. Eleganter autem hîc disputat de Sabbathismo illo æterno. Deinde de vi & efficacia verbi Dei agit, ex quo ad idem institutum petenda sunt argumenta. Tertiò, disputationem nouam ingreditur de Pontifice Christo. Atque hi pręcipui loci sunt capitis præsentis, eos ordine persequemur pro gratia Dei nobis collata.

Vers. 1. Φοβηθῶμεν οὖν, μήποτε.

Propositio totius exhortationis continetur his verbis. *Metuamus igitur, ne quando intermissa promissione intrandi in requiem eius, videatur aliquis è vobis tardiùs venisse* Quorum verborum hic sensus est, danda opera vobis ô Hebręi, ne salutis occasiones videamini neglexisse propria culpa. Verùm Apostolus eleganti circunductione promissiones allegat, eásque vniuersales facit, quasi dicat, omnibus oblatas occasiones fuisse salutis: sed à multis negligi suo vitio. Quare metum etiam adiungit, vt cogitent illum verbi Dei contemptum non fore impunitum.

Operãda salus cũ timore. Philip. 2. 12. Cæterùm ex propositione hac nos discamus illa: primùm cum timore operandam nobis salutem: debet autem is timor primùm in cuiusque causa priuata singulos excitare, vt in timore Domini ambulemus cautè: deinde, vt pro fratrum salute simus non minùs solliciti, quàm propria. Nam quum adeò sint multa, quæ nos trãsuersum agunt, sollicitè nos contra omnia salutis impedimenta armare oportet.

Intermissio promissionis quid dicatur. Deinde temporis nota, μήποτε, emphasin habet, & ad diligentiam stimulare nos debet: perpetuò enim hostis vigilat & insidiatur saluti nostrę. Igitur decet nos etiam nunquam non vigilantes esse in officio: turpe enim est eos stationem deserere, quorum res periculis quotidianis expositæ sunt.

Tertiò, promissiones salutis negligere, plenam esse causam & absolutam, quæ nos à requie Domini arceat, hoc est, priuet nos vita æterna, & suprema bonorum omnium felicitate. Est autem καταλειπομένης ἐπαγγελίας, intermissio promissionis, oblatas illas negligere, fide illis non adhærere, per incredulitatem illas excutere. Quod faciunt primùm illi, qui arroganter contemnunt, & alibi spem salutis extra Christum quærunt, quod hodie Turcæ & Iudæi faciunt: deinde illi, quibus non sufficiens est Christi meritum: denique, qui illa ad sese non spectare iudicant. Malim autem καταλειπομένης ἐπαγγελίας vertere intermissionem prædicationis vel annuntiationis: nam sic contemptus verbi Dei magis taxabitur, possunt audire, vel etiam audiunt, tamen contemnunt, quasi dicat, ad vos hodie missi sunt, qui annuntient vobis adesse occasiones intrandi: imò ad hoc vos nominatim inuitent. Credite Euangelio, intrate in requiem Domini, quam olim promisit. Videte ergò, ne vestra graui culpa hanc annuntiationem neglexisse videamini.

Quartò, hanc curam ad omnes spectare: nam disertè addit τίς ἐξ ὑμῶν. Docemur promissiones vniuersales esse de vita ęterna: nemo est tam abiectę sortis, quin ad se spectare firmiter debeat credere. Deinde curam ministrorum latè patere, nimirum ad singulas etiam abiectissimas personas: sic enim Apostolus hîc pro singulis Hebræis solicitus est. Quò facit causæ totius fraterna quædam communicatio. *Metuamus, ne quis nostrûm,* inquit,

inquit, quasi verò Apostolo per se metuendum fuerit? qui tanta fide, tanta constantia, cura & vigilantia partes suas est tutatus: tamen cum infirmis infirmum se facit, & metuit suæ causæ, vt discant infirmi, in quo ipsi versentur periculo.

Quintò, quæ sit neglectæ salutis aut occasionum contemptarum pœna: modestè eos depingit, *ne quis*, inquit, *nostrum* δοκῇ ὑστερηκέναι, hoc est, *videatur tardius venisse, frustratus esse*. Voluit dicere, exclusum esse à via æterna & regno cœlorum, propter contemptam illam annuntiationem, quia occasio intrandi est spreta. Dicuntur ὑστερίζειν, qui tardiùs veniunt, & qui peracto conuiuio adsunt, vel confecto prælio demum veniunt, aut occasionibus elapsis aliquid serò moliuntur: quales erant virgines istæ quinque stolidæ, non maturè instructæ ad occursum sponsi. 2. Deinde dicuntur ὑστερίζειν, qui socordia & tarditate reliquos ad idem contendentes non consequuntur, vt qui in via à comitibus deseruntur, & qui spe sua frustrantur. Admonent illa omnia nos curæ & sedulitatis: nam primùm qui Christum prorsus spernunt, aut spem in alio collocant, illi aliquando videbunt se frustratos sua spe, & eos, quos illi habuere pro reiectamentis mundi, in electorum numero esse: deinde illi etiam, qui per Christum quærunt salutem, & oblatas admittunt prędicationes, cauere debent ne tarditate excludantur, festinandum est, vt occasiones præsentes amplectamur, retrò enim occasio calua, nec proderunt etiam incepti labores: audient illi, non noui vos, &c. Matt. 25.

Ὑστερίζειν quid sit.

Vers. 2. Καὶ γάρ ἐσμεν.

Confirmatio propositionis, qua pluribus ostendit, nobis non deesse occasiones salutis consequendæ, modò eas, vt par est, amplectamur.

Propositionis confirmatio.

Ac superior propositio tacitum argumentum etiam habebat à metu pœnarum. Metuendum est, ne tarditate nostra excludamur. Ergò, &c.

Altera hæc iam est ratio. Qui eandem doctrinam pari perspicuitate audiuerunt, pari ratione etiam pœnas debent metuere, si pergant esse inobedientes: sed nos non minùs, quàm Iudæi audiuimus doctrinam veritatis. Igitur eadem ratione nobis metuendæ erunt pœnæ propter inobedientiam. Obserua phrasim ἐσμὲν εὐαγγελισμένοι, *sumus euangelizati*, supra Matt. 11. v. 5. eadem ratione habetur, Πτωχοὶ εὐαγγελίζονται: significat autem bonum accipere nuntium, occasiones habere oblatas consequendæ salutis. Docet argumentum hoc, primùm plenas occasiones nobis non deesse, ob quas neglectas, à nobis exigi pœnas. Deinde eandem esse salutis rationem in nouo & veteri Testamento, nam nos veteribus in eo gradu comparat, cùm ait, nos Euangelium audiuimus, quemadmodum & illi.

Tertiò, quemadmodum Iudæos non iuuabat audire tantùm Legem, nisi fides esset attemperata, qua Domino per obedientiam sese submitterent: ita nobis non proderit audiuisse Euangelium, nisi idem vita & moribus exprimamus.

Obserua primùm quid Iudæos damnarit, ipsa Lex, quæ ad salutem data fuerat. Nam quum audirent eam, vitam autē secundùm eam non instituerent, tantùm abest, vt manserint in gratia Dei, vt etiam prorsus sint abiecti, non enim auditores, sed factores Legis iustificabuntur.

Quid dānarit Iudæos. Rom 2. 13.

Deinde quòd Iudæi seduli quidem fuerint æmulatores Legis secundùm literam: nam λόγος τῆς ἀκοῆς videtur studium quoddam & diligentiam notare. Et sanè populus ille in deserto frequentissimè Mosen audiuit concionantem, & posteri Legem, & audiebant & legebant: verùm in ceremoniis hæserunt, & ritus externos commutarunt.

Tertiò, obseruetur neruus totius pietatis, πίστις: nam sine illa reliqua omnia vana sunt. Porrò Apostolus eleganti metaphora exprimit fidei necessitatem, λόγος μὴ συγκεκραμένος τῆς πίστεως, *sermo non fuit attemperatus cum fide*: & ob id, quòd defuit fides, λόγος τῆς ἀκοῆς non profuit.

Pietatis neruus fides.

Nam tria illa ordine sese subsequi debēt: primùm est λόγος, hoc est, Dei verbum, quo voluntatem suam nobis patefacit. Sic veteres habebant Legem, nos Euangelium.

Secundò est ἀκοὴ, nam audire oportet: quomodo enim credent, nisi audierint.

Tertiò, ista contemperare debet πίστις, fides: nam per illam verbum Dei locum habebit in cordibus nostris, & obedientes nos Diuinæ voluntati efficiet. Quare illa si desit, nihil cætera prosunt.

Quartò, soli credentes quietem Christi ingredientur: curandum igitur est ne frustra audiamus. Οἱ πιστεύσαντες ingredientur, hoc est, soli πιστεύσαντες: nam vim exclusiuam habet articulus hic, & si οἱ πιστεύσαντες intrabunt: ergò qui πιστεύσαντες non sunt, illi etiam non intrabunt. Quare sequitur non satis esse audire Euangelium, nisi vera emendatione morum obediamus Euangelio.

Quintò, à pronunciatis, Dauid in Psal. 95. vers. 11. inducit Dominum iurantem, quòd

verbi sui contemptores, hoc est, qui nudè audiunt, non autem secundum illud viuunt, hi, inquam, non sint ingressuri requiem suam. Igitur soli credentes ingrediuntur. Quare danda est opera, vt ex illorum simus numero.

Respõsio ad obiectionem tacitam.

Καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ. Post argumentationem occurrit tacitæ obiectioni: nam Iudæi dicere poterant, quænam tandem est κατάπαυσις, de qua nos vrges, nonne illa est, quam patres acceperunt duce Iosua? Terram Canaam nobis promisit, hanc dedit posteris, quanuis Patres in deserto ceciderint, & mortui sint. Respondet Apostolus, Requies illa Domini est, qua quieuit ab operibus creationis: & terræ sanctæ promissio & exhibitio typus fuit quietis cuiusdam sempiternæ, de qua loquitur Dauid in Psal. 95. Primùm igitur obseruandum est, quietem hanc Domini dici: deinde veteres non esse ingressos κατάπαυσιν illam etiam in terra promissionis: nam quum eam occupassent, & securè in ea regnarent sub Dauide, ipse Dauid hæc scribit, & ait, *Hodie si audiueritis verbum eius, nolite indurare corda vestra*: ex quo sequitur aliam esse quietem promissam quàm esset terra in qua tum degebant. Tertiò, δι' ἀπείθειαν, non tam exclusos à terræ promissæ possessione, quàm veræ felicitatis & καταπαύσεως veræ, de qua hîc agitur. Quartò, quid

Quietem Dei ingredi.

sit ingredi in κατάπαυσιν illam Domini: quiescere scilicet ab operibus suis, quemadmodum Deus ab operibus suis dictus est quiescere, Gen. 2. v. 2. Ex quo sequitur Deo similes esse oportere suos fideles, qui quietem hanc volent possidere. Quieuit autem Deus ab operibus creationis: nos quiescemus ab operibus nostris, quæ sunt carnis & tenebrarum, & ita Deo assimilabimur, quæ vera & æterna est felicitas. Danda igitur opera, vt emoriamur vitiis, virtutibus verò & pietate reuiuiscamus, in iísque accrescamus in ætatem adultam.

Quintò, κατάπαυσιν istam Domini præfiguratam fuisse Sabbatho illo veteri, & die septima, cui benedixit Dominus postquam opus creationis absoluisset. Ex quo colligi-

κατάπαυσις triplex. Esa. 66. 22.

mus triplicem esse κατάπαυσιν: vna est diei septimi, in quo Dominus quieuit, & in eius memoriam sanctificauit diem istum, & suo populo celebrandum reliquit. Altera est κατάπαυσις populo sub Iosua præstita in terra Canaan. Tertia est populi Dei veri in æterna vita, qua à suis operibus quiescent, ille est Sabbathismus sempiternus, de quo Esa. 66. Erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho. Locus ille totus didacticus est, nam ostendit, quæ sit vera quies, ad quam oporteat aspirare, & quòd in externis promissionibus non sit hærendum, sed ad veritatem illarum penetrandum sit. Eo loco absoluto redit ad προτρεπτικὰ argumenta.

Vers. 11. Σπουδάσωμεν οὖν.

Quies æterna capescẽda.

Propositionis est repetitio, postquam enim declarauit, quæ sit requies illa Domini vera, nimirum Sabbathismus ille vitæ æternæ, iam iterum ad eam capescendam nos hortatur. Manet autem in phrasi Scripturæ, *conemur igitur ingredi requiem illam*. Et δεικτικῶς inquit, ἐκείνην, quasi dicat, non illam externi Sabbathi legalis, nec terræ Canaam, in qua sumus partim adhuc: sed illam æternæ vitæ, in qua est populi Dei Sabbathismus, & cuius via consequendi per Christum nobis patefacta est. Addita sunt quædam quæ vim argumenti habent, primùm ab exemplo maiorum, prudentis est alieno exemplo sapere, vos Hebræi habetis exempla pœnarũ in Patribus vestris, qui inobedientiæ graues dedere pœnas: vos ergo vel illorum exemplo sapite. Deinde cùm ἀπείθειαν repetit, ostẽdit causam efficientem pœnarum, & excludentem à gratia Diuina. Ἀπείθεια malum est cuius nomine maiores dedere tam atroces pœnas: ergo nos ἀπείθειαν, vt extremum vitium vitemus. Atque hactenus ex loco Psalmi disseruit de vero sabbathismo, & inde argumenta deprompsit hortatoria, vt Christo obediamus. De Sabbathismo nos seorsim in locis nostris agemus. Nunc progrediemur ad sequentia.

Vers. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος.

Secunda huius capitis pars.

Secunda pars huius capitis: est autem locus de efficacia verbi Dei. Ac ex eo loco argumenta quoque accommodat ad primarium institutum suum. Nam superioribus cohærent per ætiologiam. Argumenta breuiter notabimus. Primùm, verbum Dei est viuum, ergò nos etiam viuos reddere debet. Danda est igitur opera, ne dum in peccatis nostris semper mortui perduramus, ne frustra audiuisse videamur. Dicitur λόγος ζῶν, sermo viuus, quia nos tales reddit, modò ne reluctemur pertinaciter veritati: nam per se quidem semper viuum & integrum est Dei verbum: verùm dum nobis proponitur etiam mortuum aliquando dicitur, cùm in nobis vires suas non exerere potest, dum Spiritui Dei reluctamur, agnitam veritatem excutimus, mortuum in nobis est Dei verbum, quia nos tales persistimus. Deinde est idem ἐνεργὴς efficax, operosus: turpe igitur fuerit auditores eius manere ἀργοὺς, otiosos & inertes. Tertiò, *penetrantior est quouis gladio vtrinque secanti*: danda est igitur opera, ne illi reluctemur, sed viuamus secundùm eius præ-

ius præscripta. Argumētum vim habet à similitudine. Μάχαιρα δίςομος dicitur, qui duas acies habet, cuius omnes ictus periculosi sunt, & vtut vertas lædere potest. Verbum Dei rectè eodem pacto δίςομος dicitur, sed alio respectu duas acies habet: vna peccata delet, vt pœnitentes purget merito Christi: altera acie damnat contumaces, & pœnis æternis subiicit impœnitentes. Quare nullum relinquitur nobis tertium suffugium. Credendum est Euangelio, aut in æternum pereundum. Hæc est illius gladij proprietas.

Verbum Dei duas habere acies.

Quartò, *pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum & medullarum.* Habet argumentum hoc αὔξησιν quandam energiæ verbi Dei, ac persistit in similitudine proprietatis gladij δίςόμυ. Nam vt is profunda reddit vulnera, non solùm cutem aperit, carnem, & musculos: sed venas rumpit vitales, neruos soluit, ossa comminuit, & ad medullam penetrat, ex quo incurabilia redduntur vulnera. Sic verbum Dei occultissima quæque penetrat, eadem patefacit, nihil intactum relinquit. Danda est igitur opera, vt ei obtemperemus. Vis hæc verbi ad pœnarum comminationem pertinet. Animæ diuisio & spiritus dicitur omnium virium humanarum solidum examen: & animam intelligo hîc æternam particulam nostri, quæ immortalis est. Spiritum verò affectus, quales suppeditat ἐπιθυμητικὸν & θυμοειδὲς, nec non λογιςικὸν ἡγεμονικὸν, quasi rex est, cui illi assistunt, quasi consiliarij non sani. Quidquid ergò ratio proferre potest contra verbum Dei, hoc gladio soluitur, vt exuta anima tandem omnibus præsidiis cogatur nuda & rea sese sistere iudicio Dei: sic enim gladius ille δίςομος separat animam à vitalibus spiritibus, & compages, ab ossibus & medullis.

4. Ad diuisionē animæ & spiritus pertingens.

Quid intelligatur per animę & spiritus diuisionem.

Quintò: idem λόγος est κριτικὸς *iudex cogitationum, & intentionum cordis.* Cor fons est & officina cogitationum & actionum. Hāc officinam Deus abdidit, adeò vt imperscrutabilis sit etiam ipsi homini. Quare mirabilis illic latebra tenebrarum, hypocriseos, vitiorum, quæ virtutes ementiuntur, constituitur. Ἐνθύμησιν intelligo inuenta & cogitationes rationis, quibus sese tueri conatur & vestire contra iram Dei, fucos assumit, hypocrisin, cultus varios extra verbum Dei, quibus spem suam adiungit deserto Deo. Ἔννοιαι verò sunt λογισμοὶ, quibus illa conficiuntur, solertia ac sagacitas, qua excogitamus nobis talia præsidia. Illam sentinam præsidiorum rationis humanæ scrutatur ille λόγος Dei: res omnium molestissima rationi est hoc munus, mallet mortem potiùs perpeti quàm inquiri in has res sibi charissimas & abditas. Discamus igitur candidè nos præbere obedientes Domini verbo.

5. Intentionum iudex Dei sermo.

Ἐνθύμησις quid sit.

Sextò *& non est creatura aliqua ἀφανὴς* in conspectu illius. Quæ hactenus de verbo Dei dixit, iam ad Deum ipsum refert. Nulla creatura est ἀφανὴς coram Domino: omnes homines sunt creaturæ Dei: Ergò nullus homo est ἀφανὴς in conspectu eius. Ne putemus ergò nos posse latere in nostra impœnitentia, inobedientia: habebimus iudicem oculatum. Maiorem Apostolus confirmat, πάντα γὰρ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Cùm appellat γυμνὰ, ostendit nullas esse latebras, nullas tenebras satis tutas, in quibus abscondi possimus. Deinde nuditatis nostræ nos admonet. Cùm res peragenda est coram Domino, præsidiis omnibus destituimur, nudas ad tribunal Dei deferimus conscientias. Τετραχηλισμένα cùm dicit, pertinaciam nobis innatam detegit: nam sumus natura ita corrupti, vt repugnemus voluntati & iudicio Diuino, idque malitia quadam inemendabili. Quare cùm ad Dei obedientiam redire debemus, collum submittere oportet: deinde ceruix infringenda, vt apta reddatur hostia Domini. Nam in sacris de pecore offerēdo dicebatur τραχηλίζειν, ceruicem incidere, iugulare, mactare, excoriare, vt intima quæque viscera paterent: sic nos corrigendi sumus. Et esto nolimus & reluctemur, tamen vel inuiti expositi sumus ad eundem modum oculis Domini. Itaque curandum est omnino, vt Christo vocanti, obsequentes nos præbeamus, nihil simulanter, nihil hypocriticè agamus in negotio Euangelij.

6. Neminē latere posse corā Deo.

Verbi τραχηλίζειν significatio.

Vltima clausula πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος ad Deum referatur hoc sensu: omnia oculis Domini patent, apud quem nobis est reddenda ratio, vel de quo iam nobis est sermo, de quo nunc agitur, cum quo ineunda nobis est debitorum ratio.

Ac ita arctiùs nos constringet argumentum, ac erit id octauum. Domino Deo nostro reddenda est ratio omnium actionum & cogitationum nostrarum. Is per Euangelium Christi nos ad obedientiam sui vocat: parendum est igitur, alioquin reddi à nobis λόγος nunquam commodè poterit. Atque ad hunc modum ab energia & vi Dei verbi, adeóque ipsa Dei in nos miseros mortales potestate, & iure plenario ostendit, nostri esse officij doctrinæ Christi nos humiliter submittere & obedire.

Vers. 14. Ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα.

Tertius locus præsentis capitis, de Christo Pontifice eiúsque æterno sacerdotio. Tertia

pars cap. & eius argum. Porrò cum pluribus consequenti etiam capite tractat: nam respicit Apostolus eò, vt ostendat veteres illos ritus sacerdotij, fuisse tanquam vmbram, & ob id præsente iam Christo sublatos esse. Accommodat autem ad suum cœptum institutum hunc argumenta, vt Christo pergamus obedire vera & seria pœnitentia.

Diuisio. Cæterùm distinguemus hanc clausulam ad finem vsque capitis in tria membra: quorum primũ personam Christi nobis exornat, vt veri Pontificis: alterum officij nostri in eo negotio nos admonet: tertium de fructu & spe boni consequendi loquitur.

Primum membrum ab officio Christi proprio, à potentia, & misericordia eiusdem nobis suppeditat argumenta. Sunt autem illa: primùm Christus est ἀρχιερεὺς, debemus igitur in eius confessione constantes manere. Ἀρχιερέως proprium erat populum peccantem & in dies delinquentem Domino Deo, certis ritibus placare: hostias enim offerebat, & sanguinem spargebat. Hoc sanè officium Christus omnium plenissimè præstitit, obtulit hostiam corporis sui Deo Patri, sanguine suo litauit pro nobis, intercedit etiam, quare vocem eius debemus audire. Et quia ipse Pontifex, officij eius fuerit nos placare Patri.

Sacerdotis summi officium.

Christus magnus Pötifex. Deinde non est simpliciter Pontifex, sed est μέγας ἀρχιερεὺς: quare non solùm debet, sed potest nos reconciliare: nam id summi erat Pontificis. Et hic noster verè magnus est, non solùm quia reliquos superat authoritate: sed quia non habet opus restitutione vt Mosaici habebant, moriebantur, quibus semper noui erant substituendi. Hic verò ter maximus est, durat semper, authoritatem habet summam, caput insuper est.

Tertiò, *penetrauit cœlos*, διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, & hoc argumentum est potentiæ. Respicit autem ad Mosaici Pontificis ritum, qui intrabat sanctum sanctorum semel in anno expiationem sui & populi facturus. Christus noster non penetrauit intra velum illud Mosaicum, sed cœlos ipsos penetrauit in gloriam & maiestatem Dei Patris: potest ergò & debet nos Deo conciliare.

Iesus nomen salutare. Quartò, Ιησοῦς est, salutare hoc nomen declarat salute nos destitutos & aliena gratia nobis victitandum: simul etiam hunc esse, per quem ad intermissam & hactenus negatam reconciliationem possimus peruenire. Nomen illud ab Angelo illi impositum est certa ratione, vt est Mat. 1. v. 21.

Quintò, Τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, *Filium Dei*, iterum potentiæ argumentum: Filius est Dei & cœlos penetrauit: poterit igitur nostram causam fideliter agere. Hæc quinque ostendunt nobis neque de officio, neque de potentia Christi esse dubitandum. Superest autem vt constet nobis etiam de voluntate: nam hæc præcipua est in suasoriis argumentis, vt credamus eos qui possent, & debent aliqua ratione nobis adesse, velint etiam id præstare. Ad voluntatis ergò declarationem pertinent hæc: *non enim habemus Pontificem, qui non poßit* συμπαθῆσαι *infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia iuxta similitudinem absque peccato*. Declarant hæc promptam voluntatem Mediatoris ab innata misericordia: naturalis est in eo συμπάθεια erga miserias nostras: ergo naturaliter misereri nostri vult. Deinde eisdem afflictionibus fuit particeps: condolere ergò & vult & potest.

Discrimen inter Christum verum Pontificẽ, & Mosaicos Pontifices, obseruãdum. Obserua primùm discrimen aliquod hîc esse inter Christum verum Pontificem & alios Mosaicos Pontifices. Hi etiamsi homines essent, tamen satis alieni ab humilitate aliquando erant, ita vt miseris non condolerent, nec satis ipsis essent propitij: maximè verò id eueniebat, quoties non satis pij essent Pontifices, quales in nouo Testamento Pontificum genus describitur.

1. Sam. 1. 2. In veteri etiam boni alioquin non satis prouidi erant in officio, quin humanitùs aliquid paterentur, qualis Heli depingitur. Christus autem non talis est Pontifex: illi affectibus priuatis excæcati interdum officium non rectè curabant: sed noster sine labe est, nihil est, quod ipsum impediat à vero misericordiæ affectu.

Quid sit illa συμπάθεια in Christo. Deinde misericordiæ affectum in Christo appellat συμπάθειαν: est illa consensus quidam & naturæ cognatio, vt quod humanæ carni in aliis molestum est, idem Christo, quia homo est, molestum fuit: talis in natura rerum admodum illustris est multis in partibus, qualis est in magnete & ferro, cui opponitur naturæ repugnantia & odium quoddam, quale est in vite & brassica. Porrò Christi συμπάθεια primùm est in casibus externis, quibus corpora humana sunt subiecta, vt est sitis, fames, frigus, &c. Deinde in animi perturbationibus, vt est horror mortis, persecutionum, mœror animi, angor, &c. & in summa, quum peccato careat, in his nobis similis & nobis condolere potest.

Denique in peccato nobis etiam condolet, ipse alienus ab omni peccato: nam hoc ad officium mediatoris spectat, peccatoribus etiam posse condolere. Nec ad hanc partem iam pertinet inquirere, quomodo πάθος illud nostrorũ affectuum sit in Christo, sed illud satis est scire, placidum nos habere Mediatorẽ & ad succurrendum promptum

prum. Tertiò, in quibus sit συμπάθεια illa consideranda, respectu infirmitatum nostrarum. Dicuntur infirmitates ἀσθένειαι: primùm, quæ carnis quadam fragilitate nobis eueniunt, vt affectus animi: deinde, quæ nos circunstãt miseriæ, vt morbus, sitis, fames: denique quæ in nobis etiam vitiosa sunt, infirmitates quædam dicuntur, quoties non obstinato proposito fiunt, & animo malitioso. His Christus condolere omnibus potest, hoc est, sese facilem præbere, & faciem Patris pro nobis exorare. In quibus considerãda sit illa συμπάθεια.

Quartò, quomodo Christus nobis sit factus similis, nimirum tẽtationibus: intelligo eum vt cæteros homines tentatum à Satana, fame, siti, alijsque casibus, sed Satanæ restitit: deinde veras in eo fuisse qualitates naturæ humanæ: imò affectus verè humanos, sed sine peccato: ita vt in speciem per omnia nobis sit repertus similis. Quomodo Christus sit nobis factus similis.

Quintò, in qua re sit dissimilitudo, quòd scil. nostri affectus semper peccatum olẽt, ἀταξίᾳ quadã corrupta perturbati: sed Christi affectus semper sinceri, ordinati, ad regulam legis Dei semper compositi. Talis nobis est descripta persona Iesu Christi Mediatoris, vt intelligamus facilè eum & velle & posse & debere nobis adesse.

Ad alterum perueniamus membrum, in quo officium nostrum requiritur: ad id primùm pertinet, quod ait, κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας, *teneamus professionem*, quibus verbis ad scopum nos reuocat, quemadmodum paulò antè: studeamus igitur ingredi in requiem illam. Illud autem vult, dandam operam vt professioni nostræ satisfaciamus, seu obedientes simus dicto Christi.

Ὁμολογία primùm est professio Christianismi, est etiam confessio oris, quę interdum extorquetur. Meminerimus igitur officio nostro nos non responsuros, nisi quod profitemur ore, vita & moribus confirmemus, simúlque quod videri volumus. Et verbum κρατεῖν parem esse significat, obtinere, vincere: oportet igitur in perpetua nos stare lucta, in qua statione depugnandum est contra tentationes, contra persecutiones, cõtra diffidentiam, dubitationem, & in summa quidquid nos à Christo auocat. Et decertandum pro ὁμολογίᾳ nostra, is thesaurus est, qui in nostram vindicandus est potestatẽ, victoria hæc splendida erit: nam & aduersarios multos superat, & in eadem nos ipsos quoque vincimus, imò mundi totius expectationem sinistram. Decet igitur nos perpetuò cogitare, Christiani hominis proprium esse κρατεῖν. Ὁμολογία quid sit hoc loco.

Alterum est, quod nostrum concernit officium, προσερχώμεθα οὖν μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος *Accedamus igitur hilariter ad thronum gratiæ*. Habent illa verba συμπέρασμα loci illius exhortatorij ad obedientiam Christi, ac declarant, in quo consistat ὁμολογία illa. Primùm in spe meritorum Christi, nam desertis subsidiis nostris accedere debemus thronum gratiæ.

Thronum gratiæ intelligo Christum eiúsque merita. Thronum dixit propter Pontificis dignitatem: nam Pontifex noster simul est Rex, & thronos quidem habet duos, vnum iudicij, apud quem distributio erit præmiorum & pœnarum, coram illo apparebit vniuersa olim caro. Alter thronus est gratiæ, quam in Christo offert mundo, huius titulus est, Venite ad me omnes, qui onerati estis, ego reficiam vos. Hic thronus dum in hac vita degimus, adeundus est per veram pœnitentiam & morum emendationem. Expende hîc requiri à nobis προσέρχεσθαι, in quo est perpetua actio: non igitur decet restitare, sed eundum est, vita enim per se quæd m est peregrinatio: deinde quò respicere debeat progressio nostra, ad Christum, qui gratiæ thronus est. Illa cynosura est, ad quam dirigi debet nauiculæ cursus. Denique μετὰ παῤῥησίας, *confidenter*, spes enim non confundit: duce fide & comite spe, ita tandem vocationi nostræ respondebimus. Duplex thronus Christi. Matth. 11. 28. Rom. 5.

Superest tertium membrum de fructu nostræ pœnitentiæ, ac obedientiæ Christo rectè præstitæ. Ἔλεος, χάρις, βοήθεια, sunt illa ad causas finales referenda, atque hinc vim argumentorum habent. Magna sunt bona obedientibus Christo proposita: igitur par est vt illi pareamus. Ἔλεος intima est Dei commiseratio, qua noluit humanum genus prorsus interire, sed de medio redemptionis cogitauit. χάρις vltronea beneuolentia vltrò in Christo amplectentis nos, & gratuitò delicta condonantis: sic ἔλεος causa est efficiens & antecedens, quam suus effectus χάρις tandem subsecutus est. Et obserua proprietatem, ἔλεον λαβεῖν dicit, quia à Patre accipitur misericordia: χάριν εὑρεῖν ad Christum pertinet, nam medium ille est, per quod gratiam impetramus. Et offensus Pater adorandus est per Christum Filium, vt nobis placetur: sic misericordiam impertiri est Patris, illum enim offenderamus: gratiam verò reperire in Christo dicimur. Pœnitentiæ fructus.

Tertiò, *ad opportunum auxilium*, in Christo reperitur βοήθεια: igitur illi debemus parẽre. Dicitur autem in necessitate βοήθεια, supplemẽtum aliquod aliunde acquirere, vt

subsidium contra paupertatem, contra hostes. Admonet nos pares non esse malis nostris, quæ nos oppugnant: quærendum igitur subsidium & defectus nostri supplementum in Christo. Adde non præstat solùm auxilium Christus, sed suo loco & tempore, εὔκαιρον, non deserit nos in periculo, opportunè succurrit & maturè: fidendum ergò & obediendum Christo.

Hæc quidem προτρεπτικὰ sunt, quibus animus noster in vera Christi obedientia confirmari potest & debet. Interea autem respiciendum ad illum etiam Apostoli scopum, quòd per Christum legalia illa sint abolita, & consummata.

CAPVT V.

Argum. cap. 5.



LOCVM tertium de Pontificatu Christi pleniùs hoc capite explicat, nam ad finem præcedentis capitis cum est ingressus, dũ argumenta προτρεπτικὰ inde produceret. Iam declarat, in quo constet officium boni Pontificis, & Christum cum Aarone in eo confert: sunt quædam ipsis similia vel communia, quæ tam Aaroni, quàm Christo conueniunt: quædam etiam propria singulis. Ex hominibus sumi Pontificem, pro hominibus illum intercedere, sacram offerre hostiam ad placandum Deum, vocari ad id muneris legitimè, communia sunt Christo cum reliquis Aaronici ordinis sacerdotibus. Verùm eosdem etiam esse peccatores, & pro seipsis etiam conciliandis Deo litare proprium erat illorum: peccato carere, & tamen humanis condolere casibus Christi solius est. Ex qua consideratione rerum similium & dissimilium facilè potest colligi. Pontificatum Christi esse multis modis pleniorem, perfectiorem, adeóque nobis chariorem esse debere. Et hæc ferme occupant maiorem partem capitis. Deinde sequitur locus nouus, in quo tarditas in negotio fidei accusatur, qui locus continuatur per consequens caput etiam sextum.

Quid simile, quid itẽ dissimile Christo, cum legalibus pontificibus.

Proprietates igitur boni Pontificis cõsiderabimus, & quomodo istæ etiam in Christo locum habeant. Propositio loci illius sit: Officia seu proprietates boni Pontificis in Christo plenæ sunt, adeóque pleniores, quàm Pontificibus illis legalibus. Confirmatio iam postulat collationem personarum & considerationem proprietatum. Quare duæ sunt huius loci partes: prior nudam habet διάσκεψιν considerationem officiorum Pontificalium, & in hac ratio duplex est, prior similium, altera dissimilium. Posterior pars applicat expositas illas proprietates ad Christum, vt videamus quomodo in eo locum habeant.

Proprietates boni pontificis in Christo.

Prima proprietas.

Prima proprietas est, Pontifices sumi ἐξ ἀνθρώπων ex hominibus, intelligo Aaronici ordinis: nam ex his sumebatur summus Pontifex, vt est Num. 18. v. 1. Porrò ex hominib. sumi satis erat ad præsens, nam Mediatoris persona debuit communicare cum illis, pro quibus intercedebat. Et declarat cur non Angelicam naturam induerit, quia non pro Angelis, sed hominibus debuit Pontifex intercedere.

Secunda prop.

Secundò ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται, hic finis erat Pontificum, vt populum cum Deo conciliarent: sic Christus nõ solùm verus homo est, sed pro hominibus nobis in mundum missus, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Veteres illi sacerdotes ex Aaronici ordinis hominibus sumebantur, & pro toto Israële officio fungebantur: sic Christus ex Iudæis certo & speciali populo, sed pro toto genere humano legatione fungitur. Conueniunt ista ex speciali ordine deligi: sed pro generali, officio fungi, ὑπὲρ ἀνθρώπων, malim supra homines: nam omnibus præerant summi sacerdotes, tum docendo, tum dirimendis grauioribus controuersiis, tum consulendo Dominum, expiandísq ue totius populi peccatis. Hanc excellentiam indicat cùm ait, ὑπὲρ ἀνθρώπων: summa enim authoritas, summum etiam officium in populo Dei illud erat, reliqui huic vni omnes subiecti. Christi sic est summa authoritas in Ecclesia, summo is fungitur officio, cui omnia subiecta sunt in cœlo & terra.

Ioan. 3.

Matt. 28.

Tertia proprietas.

Tertiò, τὰ πρὸς θεόν, conditio ostendit finem officij, nimirum quòd debeat rem populi apud Deum peragere, legatione pro populo apud Deum fungi: id proprium erat sacerdotum legalium, Christus pro hominibus verus est legatus, verus Mediator: bonus igitur est Pontifex.

Quarta proprietas.

Quartò, Sacerdos summus debuit expiare populum à peccatis: recenset autem ὄργανα, quibus illi vtebantur, qualia sunt δῶρα, hoc est, munera quæ *minha* dicuntur. θυσίαι verò pacifica sunt & expiatoria sacrificia.

Summa, hostia aliqua semper illi placabant Dei iram. Christus obtulit hostiam sui corporis, eámque integram & perfectam, bonus igitur est Pontifex. Admonet illa

conditio,

conditio, sine hostia non potuisse placari iram Diuinam, & ob id Pontifex ille debuit esse instructus hostia ad hanc rem idonea, qualis sola est filij Dei. Porrò ex his conditionibus hoc conficitur argumentum. Omnis Pontifex ad hoc instituitur ab hominibus, vt intercedat pro populo apud Deum: sed Christus intercedit apud Deum Patrem, idque pro hominibus ipse etiam homo. Igitur rectè dicitur Pontifex. Maior ab Apostolo sumitur, vt nota ex consuetudine Iudaici populi, qui legem de summo Pontifice eiúsque officiis nôrant. Minor nota est ex superioribus & consequentibus, vbi ampliùs de merito Christi disputabit.

Quintò, Pontificis summi etiam virtus propria est, vt sit misericors, & ferre possit peccatores, iísque condolere: nam quæ spes possit esse conciliationis, si Mediator ipse Pontifex sit rigidus & durus delinquentibus, non bene is aget causam nostram apud Deum, si nobis sit infensior: quare vel in primis debuit esse mansuetus Pontifex, humanus & studiosus salutis & conseruationis humanæ naturæ. Μετριοπαθεῖν est ruditatem populi æquo animo ferre: deinde condolere ex communi naturę eiusdem participatione. Ignorantes intelligo in rebus Diuinis rudes, non satis cautos, sic errantes, inconsideratos. Et habuerunt delicta per ignorantiam commissa, suum expiandi ritum: sic alium, qui per errorem contigerant. In his prudentia Pontificis poterat singula expiare suis certis hostiis. *Quinta proprietas.*

Hactenus quidem conditio similis veteris & nostri Pontificis, sed dissimile illud est, quòd Pontifices Mosaici omnes erant ipsi etiam peccatores, & ob id pro suis propriis delictis debuerunt certas offerre hostias. Christus verò ab omni peccato alienus non egebat, vt pro se offerret. Atque hac ratione sua hostia pro nobis purior & efficacior fuit apud Deum nobis iratum. Sed obserua infirmitatis communionem adduci ad confirmandam μετριοπάθειαν, hoc modo: Qui ἀσθένειαν ipse quoque habet, debet ἀσθενοῦσιν condolere, μετριοπαθεῖν: sed summus Pontifex legis habebat ipse quoque ἀσθένειαν in carne sua: debuit igitur μετριοπαθεῖν. Quod si hîc ἀσθένειαν intelligas infirmitates naturę humanę, quæ tamen peccato carent, vt præcedenti cap. συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, rectè ad Christum accommodabitur, & ex qualitatibus veris carnis humanæ declarabitur eius philanthropia. Verùm quod sequitur de expiatione proprij peccati id declarat, ἀσθένειαν hîc esse peccati infirmitatem, à qua alienus est Christus. Quare non opus habuit, vt pro se quicquam offerret, sed tantùm pro aliis hominibus. *Mosaicos pontifices pro seipsis offerre oportuisse: Christũ non item.*

Sextò, ad Pontificem etiam pertinet ordinaria vocatio: nemo legitimè fungitur hoc officio, nisi à Deo vocatus: sed Christus vt Aaron à Deo est vocatus: igitur legitimè fungitur illo officio. Primùm in eo argumento obserua, in officio opus esse ordinaria vocatione, ne pro nostro arbitrio nobis fingamus vocationem, vbi nulla est. Deinde graue illud esse, Apostolus vocat τιμὴν honorem, hoc est, rem suspiciendam, magnam, honore dignam. Non intelligi debet honor vt persona in officio tantùm honorem quærere debeat & suam dignitatem: quærendus ibi honor Dei, & ab auditoribus ministro debetur honor propter Deum. Maior ab Apostolo confirmatur exemplo Aaronis, in quo relucet veræ vocationis imago, vide Numero. 16. 17. & mox ad Christum accommodantur. Hactenus conditiones boni & ordinarij inter homines Pontificis. *Sexta prop.*

Vers. 9. Οὕτως καὶ ὁ Χριστός.

Hîc alteram partem constituo collationis: nam hactenus enumeratione recensuit Pontificis conditiones & officia. In quibus & simile & dissimile quiddam occurrit. Iam verò eas conditiones in Christo etiam considerat.

Rem orditur à postrema illa, de ordinaria vocatione, quòd illa sit necessaria. Nemo legitimè fungitur officio Pontificis, nisi à Deo sit vocatus: sed Christus est à Deo vocatus. Hanc minorem hîc probat, non sumpsit illum honorem sponte Christus, quemadmodum nec Aaron, sed à Deo Patre ad hoc munus est vocatus. Monstrat igitur Deum Patrem authorem suæ vocationis. Testimonium sumit ex Psalmo 2. ver. 7. vbi Deus Pater est mittens, & vocans ad Pontificatum: Filius autem Christus, missus & vocatus. Cæterùm in eo loco tantùm Patris & Filij mentio fit, nulla autem vocationis ad sacerdotium. Quare alterum locum producit ex Psalmo 110. vers. 4. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. In eo testimonio de vocatione, & dignitate vocationis agitur. Ac primò asseritur certa vocatio Christi certo expresso ordine: nam quum omnis Pontifex debeat certum habere ordinem, & Christus sit Pontifex: sequitur ordinem esse necessarium. Is non etiam est Aaronicus aut Leuiticus: sed planè nouus secundum ordinem Melchisedek, hoc est, in quo sacerdoti liceat etiam esse Regem. Id quidem sacerdotibus veteris Testamenti non licebat, sed alius *Vocatio Christi à Deo.*

ſacerdotis,alius regius erat ſtatus. In Chriſto igitur concurrunt:is enim & Rex & ſacerdos eſt. Deinde æternitas Sacerdotij aliquid commendationis affert, id Moſaici ſacerdotes de ſua vocatione non poterant aſſerere: nam nec Reges eſſe poterant: nec æternum erat eorum officium, quum de mortuis ſubinde noui ſuccederent, qui & ipſi paulò pòſt ceſſuri erant.

Verſ.7. Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις.

Officij Chriſti illuſtratio,quæ omnes illius circunſtantias continet.

Ἐπίδηλωσις eſt officij Chriſti:nam quum ſit ſacerdos,par eſt vt intercedat pro nobis: Quare omnes hîc officij illius circunſtantias explicat. Primùm, quando obtulerit pro nobis:deinde quid:tertiò,cui: quartò,quomodo obtulerit: quintò,quo euentu ac ſucceſſu:denique quo fructu.Ea ſingula hîc conſiderabimus.

Tẽpus. Dies carnis.

Primùm ad temporis notam pertinet, *In diebus carnis ſuæ*: dies carnis ſuæ intelligo tempus illud, quo inter mortales vt mortalis, & carnis infirmitatibus ſubiectus vixit citra peccatum.Scriptura veteris Teſtamenti ſolet dies vitæ appellare: ſed conſultò hîc dies carnis ſuæ nominat.

Primùm vt teſtetur veram Chriſti humanitatem : deinde vt intelligamus Chriſtum etiam infirmitatibus carnis ſubiectum fuiſſe, ex quo rebus humanis ſeriò conſultum voluit.Nec ob id Chriſtus iam intelligi debet carne exutus poſt reſurrectionem:ſed infirmitates carnis & naturam in carne mortalem depoſuit.

Quid obtulerit.

Alterum eſt, quid obtulerit, δεήσεις καὶ ἱκετηρίας *deprecationes & ſupplicationes*: prius vocabulum ſignificat orationem, qua à malis imminentibus liberari cupimus: poſterior verò ardentior quędam eſt orandi forma cum lachrymis,gemitu,aliiſque geſtibus coniuncta.Has preces obtulit Deo Patri ante agonem paſſionis, vnde ſæpe memorant Euangeliſtæ,eum ſeceſſiſſe ad montes,in ſolitudines ad orandum.

Denique veram hoſtiam corporis ſui obtulit, & in tota hiſtoria Paſſionis, preces etiam ſunt & interceſſiones: imò negotium redemptionis fermè concluſit iſtis precibus,Pater ignoſce illis,neſciunt enim quid faciant.

Cui obtulerit.

Tertiò, cui obtulerit, *Deo Patri*: verùm Apoſtolus maluit magnificè perſonam Patris,& quidem ſplendidiùs deſcribere. Πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, *ad illum, qui poterat eum ſeruare ex morte*. Et rectè quidem poteſtas in mortem Deo Patri tribuitur:nam hîc deſcribit ad quem Chriſtus moriens ſuas conuerterit preces. Et ita nobis etiam Deus Pater inuocandus eſt in omnibus tentationibus,ipſáque morte: inuocandus autem per Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Quomodo obtulerit.

Quartò *cum clamore valido & lachrymis*: deſcribunt hæc verba modum quendam & formam oblatarum precum. Et certè hiſtoria Euangelica teſtatur Chriſtum oraſſe in horto ad ſudorem vſq;, & credibile eſt non defuiſſe etiam gemitum & lachrymas,cùm diceret, Si poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Porrò cum clamore valido obtulit in

Matt.27. 46.

cruce hoſtiam corporis ſui, cùm alta voce clamaret, Deus meus,cur deſeruiſti me. Quæ nobis commendant magnitudinem Redemptionis, videmus enim hîc nihil remiſſè confectum:Filius Dei horret pœnarum magnitudinem, magno ardore conuertitur ad preces,inſtanter orat,lachrymæ & clamor exaudiuntur. Difficile igitur fuit negotium illud,& magni amoris argumentum.

Euentus.

Quinto loco euentus deſcribitur, *Et exauditus eſt* ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, quibus verbis declarat Apoſtolus, ſacrificium Chriſti gratum fuiſſe Deo Patri : deinde non fruſtraneas

Diuerſæ τῆς εὐλαβείας ſignificationes.

fuiſſe eius preces. Cæterùm illud ἀπὸ τῆς εὐλαβείας,alij aliter accipiunt. Quidam ad Patrem referunt,quaſi dicat,exauditus eſt Filius à Patre reuerendo.Alij pro reuerentia & dignitate, in qua ſententia eſt Chryſoſtomus & eius imitator Theophylactus: habet autem ea ſententia duplicem intellectum, nam tum ad Patrem,tum Filium poteſt referri. Ad Patrem ſic,quòd Deus Pater in ea reuerentia habuerit Filium inuocantem,vt ſtatim exaudierit.Ad Filium autem quòd reuerenter & ita ſanctè, atq; piè inuocarit,vt dignus fuerit,qui exaudiretur.Verùm alij has ſententias reprehendunt,ac tertiam afferunt,Exauditus eſt ex metu ſuo : nam Dei Filius terroribus mortis circunſeptus orauit ad Patrem,in illis anguſtiis igitur conſtitutus,auditus eſt.Piæ ſunt omnes illæ ſententię, tamen poſterioribus reſponderi etiam poteſt, quòd illi in Chryſoſtomo reprehendunt,nullum appoſitum pronomen,ſimpliciter autem poni ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, deinde nõ ἐκ τῆς ſed ἀπὸ. Et quia dictio εὐλαβείας non ſolùm pietatem, reuerentiam, aut metum ſignificat:ſed etiam cautionem & induſtriam declinandi imminentia pericula,ita vt non ſic patiamur omnia,quemadmodum aduerſarius noſter vult,Poterit hic etiam eſſe ſenſus, Chriſtum exauditum eſſe in precibus ſuis ad Patrem, non vt mortem declinaret prorſus,aut vt horrores eius non ſentiret:ſed ἀπὸ τῆς εὐλαβείας,hoc eſt, pro cautione, nimirum vt mortem non ferret,vt Iudæi & Satan cupiebant, alioquin in morte manſiſſet abſorptus

absorptus: sed industria tulit mortem, vt moriendo vinceret Satanam & ipsam mortem, hæc erat diuina quædam εὐλάβεια, qua declarabatur mortem esse subeundam quidem, preces tamen non esse irritas: inuentum autem medium, quo cum gloria in morte mors superari posset.

Sexto loco adiicitur, quis fructus ex morte Christi sit consecutus, nec solùm ex morte illius, sed etiam ex omni vita eius. Fructus igitur passionum Christi primus est ὑπακοὴ, atque illa quidem gemina: nam primùm Christus ipse variis tentationibus ac carnis infirmitatibus didicit Deo Patri obedire in omnibus. Nam quod Apostolus ait, *didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, hoc velle videtur, quòd Christus humanitus loquẽdo, vsu ipso afflictionum, didicerit, quid tandem sit Deo verè obedire: deinde ad nos pertinet illa obedientia: nam exemplum nobis præstitit obedientiæ, quam Deo Patri debemus vsque ad mortem. Alter fructus deinde est, τελειωθεὶς, hoc est, *perfectus redditus*, nam sic perfectionem suam absoluit: hic enim cursus aliter perfectus esse non poterat, oportebat multa pati, mori, & resurgere, & ita consecratus est, nam sic ingredi debuit in gloriam Patris sui. Memorabilis est locus de perfecto & consummato merito Christi pro humano genere. Expressè ait Apostolus, *omnibus qui illi obediunt perfectus redditus est*: nihil ergò requiri potest in eius merito, nihil desideratur, omnibus numeris est absolutum, modò obediamus illi. Obedias igitur Christo, & habebis absolutam & perfectam iustificandi rationem.

Fructus.

Nihil in Christi merito desiderari posse.

Tertiò, ad fructum pertinet etiam, quod ait, *factus est causa salutis æternæ*. Hic longè felicissimus est vsus mortis & hostiæ Christi. Causa est, per quam ad salutem perueniemus, quasi dicat, priùs nullum erat salutis seu organum, seu medium: Christi autem morte oblata est nobis causa efficiens & instrumentalis salutis, hæc via est ad vitam. Vocat æternam salutem, quia remissio peccatorum per Christi meritum perpetuò durat, æterna est: non talis erat expiatio peccatorum, quæ fiebat per Mosaicos sacerdotes. Deinde vt maior sit consolatio, probè obseruetur clausula illa vniuersalis πᾶσιν, nam sic intelligemus beneficium Redemptionis esse vniuersale, ac quidem ad omnes in vniuersum spectat modò obediamus illi.

Ex his oblationis Christi circunstantiis sequitur illa conclusio, quam superioribus proposuit: & hîc post ἐπίπλωσιν, συμπερασματικῶς iam infert. Ergò *Christus rectè & quidem à Deo dictus est summus Pontifex*. Id commune habebat cum legalibus Pontificibus, sed κατὰ τάξιν Μελχισεδὲκ, illud iam aliud est, hoc differt, & id proprium Christi est: nam sic etiam Rex, nec solùm Pontifex erit Christus Mediator noster.

Conclusio.

Vers. 11. Περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος καὶ δυσερμήνευτος.

Suprà in dispositione huius epistolæ partem secundum aliquot locos digessimus: ac tertium quidem inter eos ordine dicebamus esse de progressu in pietatis negotio faciendo. Is locus, inquam, tertius ab his verbis sumit initium, ac continuatur per consequens sextum caput integrum. Obiurgat autem modestè Hebræos, quòd tardi sint, nec dignos ac laudabiles faciant progressus in perdiscendis mysteriis oraculorum Diuinorum. Et quia Hebræi poterant in defensionem sui afferre quòd oracula diuina essent admodum difficilia, & ob id non mirum, si homines in illis perdiscendis tardiores essent: Apostolus opportunè illis occurrit, ac patefacit veras illius difficultatis causas, quòd ab ipsis pendeant, nec aliunde sint conquirendæ. Deinde ad maiorem diligẽtiam excitat eos variis argumentis, inter quæ celebris ille locus est de lapsorum sterili pœnitentia. Ac ne animum prorsus despondeant, conuersa orationis forma, declarat magnam superesse sibi spem de illorum emendatione. Et tum ab illorum persona, tum Dei iustitia & misericordia, confirmat eos, non fore irritos ipsorum pios labores, &c.

Tertius locus de progressu in pietatis negotio faciendo: & eius argum.

Genus orationis mixtum est: nam initium μεμπτικὸν est, grauiter enim obiurgat tarditatis initium. Deinde principium sequentis capitis διδακτικὸν est, ostendit enim quomodo ad maiorem cognitionem veritatis sit perueniendum. Reliqua postea habent consolationẽ, non esse spem de successu planè abiiciendam. Verùm hæc ad totum hunc locum tertium pertinent, quare ad eius principium reuertamur. Ait Apostolus, *De quo multus sermo nobis esset, & explicatu difficilis.*

Principio in his verbis habemus propositionem, quæ ita statui potest: Vobis Hebræis mysteria de Christo sunt δυσερμήνευτα, hoc est, obscura adhuc & explicatu difficilia. Hanc propositionem exornauit suaui transitione: nam particula περὶ οὗ superiorem orationis clausulam respicit *secundum ordinem Melchisedek*, quasi dicat, de Melchisedeck, quomodo typus fuerit Christi, multa mihi dicenda superessent, & quanquam illa scitu non solùm forent digna, sed etiam necessaria: tamen vobis nimis

Scripturarum sacrarum vbertas.

essent difficilia captu. Deinde verba propositionis ostendunt etiam copiam, & vbertatem Diuinarum Scripturarum: nam in historia Melchisedek, Iudæi non quærebant tantam mysteriorum vbertatem, quantam verè in sese habebat. Et Apostolus solus videbatur illa probè nosse. Tertiò, non esse cuiusuis hominis Scripturam probè explicare, sed turba maxima surda aure mysteria præterit, quorum respectu difficilis est. Quartò, obseruetur etiam non omnibus statim sine respectu quælibet esse proponenda arcana Scripturæ: nam Apostolus hîc non iudicat expedire Hebræis rudibus mysticum sensum proponere ex historia de Melchisedeck, quin priùs animos eorum præparet & erigat mentes, tarditatem excutiat, ac ad nouam quandam, & Christiano homine dignam diligentiam prouocet. Ita demum septimo infrà capite sensum mysticum proponit.

Δυσερμήνευτον quid sit.

Porrò δυσερμήνευτον dicitur explicatu & captu difficile. Qualia primùm sunt illa quæ sua natura difficultatem quandam habent in inuestigando & eruendo, quæ δυσερμήνευτα ob inueniendi difficultatem dicuntur, qualis Simonidi quæstio proposita, quid esset Deus, talis est apud Apostolum profunditas mysteriorum Dei, & illa quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, &c. sunt illa sua natura homini obscura. Deinde sunt etiam δυσερμήνευτα, quæ iam inuenta, & intellectu concepta, non possunt commodè proponi & explicari sermonis penuria. Ita Ciceroni difficile erat illustrare Philosophiã Latinis literis, quòd sermonis penuriam animaduerteret: sic Theologia difficilior initio visa est, quòd verborum elegantiam respueret. Tertiò, sunt δυσερμήνευτα, quæ negligentia quadam nostra redduntur nobis difficilia, alioquin diligentibus facilia futura: sic facilio ra quæque, stertentibus obscura, intricata, & difficilia sunt captu. Ita hîc etiam Hæbræis oracula Diuina sunt difficilia, sua quadam negligentia: nam scripturam vel quia Iudæi erant, debebant diligentiùs tractare, & in mysteriis eius sese probè exercere. Verùm quàm rudes fuerint in Scriptura satis arguit Apostolus, cùm pueris eos comparat: & in elementis eos semper hærere conqueritur. Turpe sanè illud erat, & inexcusabile negligentiæ vitium: sed peculiare etiam hoc seculo, huic genti: vtinam Christiani etiam ab eo sint alieniores, &c.

Hactenus propositio, Vobis ô Hebræi mysteria de Christo sunt δυσερμήνευτα. Videamus deinceps Apostoli rationes, quibus inductus tanti criminis reos faciat suos Hebræos. Primùm igitur, inquit, *quia estis facti* νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, hoc est, stupidi auditu. Νωθρὸν εἶναι, est natura stupidum esse, cui accedit deinceps affectata negligentia, qua sic dispositi digni sunt, vt de tergo eorum stimulus nunquam debeat recedere. Græcis propriè dicuntur νωθροὶ, tardi ad ambulandum, βραδεῖς, ἐστερημένοι τοῦ τρέχειν, & si Eustatio scholiastæ Homeri credimus, vox desumpta est à νῶ quod ait esse στερητικὸν & verbo θορεῖν, quod est πηδᾶν, hoc est, saltare, ac proprium asini ait esse, scribit enim in λ. iliad. ita, Τὸ δὲ νωθὴς, ὥσπερ τὸ ταχὺς ἐπὶ ἵππου· οὕτως αὐτὸ ἐπίθετον οἰκεῖον ὄνῳ, ὡς ἀργοῦ φύσει, καὶ ὑστερημένου τοῦ θέειν. ἐξ οὗ ὥσπερ ὁ νωθὴς οὕτω πως καὶ ὁ νωθρὸς γίνεται ὡς ἐστερημένος τοῦ θορεῖν, ὅ ἐστι πηδᾶν. Ex quo loco satis & eleganter colligi potest, asini tarditatem hac voce exprimi. Hinc ad alias actiones pigri etiam νωθροὶ dicuntur inde νωθρότης dicitur socordia, pigritia, qua officium non faciunt, aut malè obeunt. Transfertur ad animum etiam, & κατὰ λογισμὸν dicuntur νωθροὶ ῥάθυμοι, hebetes, stupidi, ingenio tardi. Apud Medicos etiam dicitur νωθρότης somnolentia, sic Dioscorides ait, qui oleomel bibunt, ἔννωθροι γίνονται καὶ ἔκλυτοι, hoc est, veternosi torpent, somnolenti redduntur: hinc Medici somni quoddam genus inexpugnabile ex humiditate ortũ νωθρότητα vocant, veternus est, mentis & memoriæ abolitionem inducens, verùm illa à Medicis petenda sunt: nobis sit in præsentia satis, vocis vim & proprias significationes sic obiter annotasse. Ex eo medio sic iam collige ad præsens Apostoli institutum. Quicunque νωθροὶ sunt, his mysteria de Christo sunt δυσερμήνευτα: Sed vos Hebræi estis νωθροὶ: Ergò vobis mysteria de Christo sunt δυσερμήνευτα. Maior satis est dilucida, vt pote ex consequentibus natura collecta. Nam νωθρότητι, hoc est, stuporẽ & affectatã negligentiã sequitur sua natura δυσερμήνευτον εἶναι, cùm omnia illi obscura & difficilia sint, vt asinus ad omnia tardus est. Minor, quòd Hebræi sint νωθροὶ probandum est. Quare apud Apostolum sic confirmatur à diuturnitate temporis, Tandiu versati estis sub Euangelio, vt ratione hac deberetis iã aliorum esse doctores, hoc est, diu fuistis auditores veritatis, sed sine fructu: sic igitur cohæret argumentum. Qui diu audiunt & sine fructu, illi sunt νωθροὶ, hoc est, stupidi ῥαθυμίᾳ quadam seu naturali, seu affectata negligentia: sed Hebræi iam diu audierunt Euangelium idque sine fructu: Sunt igitur νωθροί. Habes cõfirmatam minorẽ dilucidè & eleganter. Sunt tamen in contextu plura, quæ ad eius cõfirmationẽ spectare possunt, ea breuiter resoluemus, qualia sunt, *Iterum docendi estis* τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ

Hebræorum tarditas ab Ap. notata.

θεοῦ.

θιὰ Ex quibus sic collige, Quicunque semper versantur in perdiscendis elementis, illos oportet esse valde νωθρὰς: sed Hebræi semper versantur in perdiscendis primis elementis veræ pietatis: ergò oportet eos esse admodum νωθρὰς.

Maior vera est vsu publico, & experientia hoc dicente: nam qui elementa artium non percipiunt, eos re desperata ad aliud vitæ genus dimittimus, cùm elementa in re qualibet sint captu facilima & valde puerilia. Sic commoda metaphora vocat στοιχεῖα veræ religionis, initia quædam Christianismi captu facilia. Deinde quia initium eloquiorum Dei quoque malè addiscunt: habes medium ad eam conclusionem. Qui τὴν ἀρχὴν λογίων tardè & malè addiscunt, illos necessum est esse νωθρὰς. Sed Hebræi etiam τὴν ἀρχὴν τῶν λογίων malè percipiunt, Ergò necessum est eos esse valde νωθρὰς. Si enim in initio tandiu hærent, nec inde progrediuntur ad altiora, quomodo reliqua eloquia Dei verè difficilia & cum ratione humana pugnantia capient?

Quartò, à simili, *& facti estis χρείαν ἔχοντες γάλακτος, & non solo cibo*, hoc est, vt pueri qui semper volunt hærere ab vberibus matris, declarant sese verè esse νηπίους: sic qui in discenda vera pietate semper hæret in ipsis doctrinæ elementis, ostendit se esse tardum & νωθρόν. Similitudo ex contrariis constat, nam γάλα & στερεὰ τροφὴ respiciunt se, vt contraria: sic νήπιος & τέλειος & in redditione ἄπειρος & ἔμπειρος illis respondent. Lactis metaphora consueta est Sacris literis, significans facile docendi genus & accommodatum auditorum infirmitati, quali vsum se dicit Apostolus 1. Cor. 3. vers. 2. Hoc docendi genus ad tempus solet adhiberi, vt aditus fiat ad maiora, quemadmodum infantibus lac maternum instillatur, non vti hoc vtantur cibo per omnem ætatem: sed ad tempus, vt cum ætate accrescente, discant cibum solidum ferre eorum stomachi: ridiculum est adultos velle redire ad materna vbera, sic stultum est ad initia pietatis semper respicere, nec progredi velle. Στερεὰ τροφὴ contrà significat professionem Christianismi solidam, in qua mores ipsáque vita professioni respondent. Præterea perfectiorem quandam veritatis ac Christi cognitionem, quæ animas nostras solidiùs alit, quàm lacteus ille infantilis cibus. Ex quo discamus duplicem esse animarum cibum diuersis ætatibus accommodatum, quas si permutes, cum ætate quoque alimenti genus esse immutandum. Primùm sunt initia religionis Christianæ, quædam primordia facilia Catechismi de Sacramentis, de orandi formula, de dilectione, & quidquid locos primarios fidei concernit: illa lactis nomine intelliguntur, nō tam quia dulcia sint, quàm, quòd ætati rudiori conueniant. Deinde sunt grauiora quædam Christiano homini proposita certamina, in quibus probatur tyrocinium eius: quò pertinet lucta contra insidias Satanæ, contra persecutionum molem. In quibus omnibus admodum est opus solido cibo, nam illa augustiorem veritatis cognitionem requirunt. Præterea solidi cibi nomine continetur etiam illustrior quædam Diuinorum oraculorum notitia. Et ea significatione hîc propriè adhibetur metaphora illa, quod ex eo liquidum est, quòd hic ruditatem eorum carpat in intelligendis mysteriis de Christo. Quare lacteus etiam cibus est agnoscere Scripturam, & Christum in ea promissum & exhibitum: solidus autem cibus est, veteris Testamenti vmbras rectè intelligere, & Christo applicare, quale est illud mysterium de Christo in Melchisedek historia reconditum, &c.

Similitudo ex cōtrariis constans.

Solidus cibus quid significet.

Duplex animarū alimentum, pro temporum diuersitate.

Superest vt considerentur etiam personæ, quibus alimentum illud applicatur. Primùm sunt νήπιοι. hoc est, infantes, deinde τέλειοι. Voces translatæ sunt ab ætatibus hominis, ad animi & fidei robur. Νήπιοι primæ sunt ætatis, mox in lucem hanc æditi, qui ad omnes actiones humanas inepti sunt: inseruire nullis vsibus possunt, ipsis autem omnia seruire debēt: nullis sese accommodant, omnia verò ipsis accommodari oportet: omni præsidio destituti, solo eiulatu miserias suas & nuditatem testantur. Et quòd nomine testantur verè infantes ac νήπιοι dicuntur & sunt. Tales in Christianismo sunt, primùm qui ad fidem recenter accedunt: deinde molles & delicati, qui licet diu in ea professione manserint, nihil tamen profecerunt bonis moribus. Tertiò, quorum vita professioni parum respondet. Quartò, qui in diuinarum Scripturarum peritia rudes præter officium manent, semper discentes, nunquam verò ad solidam veritatis cognitionem peruenientes. Denique, qui hebetes sunt in mysteriis & vmbris veteris Testamenti, in quibus inuolutus est Christus, qua infantia Iudæi semper laborauerunt.

Νήπιοι.

Quinam dicantur νήπιοι in Christianismo.

Τελείων ætas complectitur adultos, præcipuè verò virilem ætatem, Notæ sunt ætates ex Medicis, qui septem gradus in ætate hominis constituunt, vt ex hoc carmine intelligitur, Infans, inde puer, adolescens, post iuuenis, vir, Subsequitur senium, postea decrepita. Ex his priores quatuor habent incrementum ætatis & roboris: Senium verò & decrepita declinationem virium in humano corpore complectuntur. Media inter

Τελείων ætas.

cas est, virilis ætas, in qua vires ad τελειότητα quãdam perueniunt. Quare hîc Medici constituerunt ἀκμὴν, quæ est quasi apex inter αὔξησιν & μείωσιν: in hac non solum viribus, sed ingenio, consilio, prudentia corpus humanum pollet. Ex his vtrunque intelligi potest, quinam τέλειοι sint in Christianismo, item quibus competat lac, & quibus solidus conueniat cibus. Præterea cur lacte vti in loco & tempore præter officium sit pietatis & professionis nostræ, à quo tamen nec viri nec senes abhorrent.

Restant definitiones duæ apud Apostolum, prior νηπίων, posterior τελείων, quæ ad redditionem argumenti pertinent: nam sic intelligimus, quid sit in Christianismo infantem esse, & quid etiam virum. Infans primùm sic definitur: νήπιός ἐστι ὁ μετέχων γάλακτος: rectè quidem à nutrimento, nam sic ad infantiam solùm hic pertinet sermo, cùm puer iam non ampliùs à mammis hæreat matris. Deinde magis ad institutum definitionem applicaturus per interpretationem, secundam adiicit definitionem. *Infans est*, ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης, rudis in sermone iustitiæ. Ἀπειρία omne vitium complectitur solidæ cognitioni veritatis oppositum, vt est rudem esse in Scripturis, vita & moribus non respondere professioni, vacillare in fide & agnitione Christi, dubitare de perfectione & merito Christi: & imprimis mysteria de Christo in veteri Testamento non videre, hæc ruditas est & imperitia infantilis. Λόγον δικαιοσύνης intelligo Scripturarum sanum intellectum, donum Spiritus sancti, quo oracula Prophetarum de Christo sicut oportet intelliguntur: in his quia latet ratio nostræ iustitiæ, λόγος δικαιοσύνης non malè dicuntur. Infantem igitur esse, est rudem esse in Scripturis, nullum vsum habere solidæ cognitionis, nec ad eum peruenire, mysteria de Christo non videre, in litera & historia hærere, animum ad Christum scopum Scripturarum non posse attollere. Illa demum infantia intolerabilis est, & ab Apostolo meritò hîc reprehenditur in Hebræis.

Per sermonem iustitiæ quid sit intelligendum Infantẽ esse in Christianismo quid.

Porrò τέλειοι sic describuntur οἱ μετέχοντες στερεᾶς τροφῆς, sic alimento designat robur & vires corporis egressi iã infantiæ annos, & quod iam ad ἀκμὴν vergat. Hinc ἐμφατικῶς rem ad Christianismum transfert, vnde hæc altera τελείων colligatur definitio. Τέλειοι sunt οἱ ἔχοντες τὰ αἰσθητήρια διὰ τὴν ἕξιν γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Definitio hæc constat ex causis adiuuantibus, nam demonstrat media, quibus tanquam gradibus ad τελειότητα peruenire possumus.

Hoc ordine primùm sunt αἰσθητήρια, quæ sunt organa sensus, vt aures, oculi, manus, &c. sed per illa sensus nõ malè accipies, tum externos, tum internos: his enim omnibus vult Deus nos vti ad plenam sui cognitionem consequendam. Et sanè absurdum sit, sensus omnes vtiles esse in rebus malis, ad quas principaliter conditi non sunt: ad bona verò cõsequenda, & maximè ad Dei sui creatoris notitiam comparandam stupidos esse. Discamus igitur intendere ingenium, attollere animi vires, exercere sensus in rebus honestis, organa quoque sensoria exhibere Deo nostro, vt seruiant non ampliùs carni & mundo: sed Spiritui, ad consequendam illam nobis propositam τελειότητα.

Rom. 6. 13.

Deinde oportet esse γεγυμνασμένα, hoc est, sensus eorúmque organa exercitata. Dispositio hæc est, qua sensim colligimus nos, & rebus honestis consecramus, paulatímque magis magísque adamare pietatem veram discimus. Initio enim etsi rudia sint, dulcedinem tamen miram habent ex tenui etiam gustu boni successus, quem Spiritus sanctus piè annitentibus inspirat. Magna hæc laus est exercitiorum, quòd inter causas τελειότητος tam studiosè à Spiritu sancto adhibeatur. Discamus ergo veternum excutere, & pietatis exercitia amemus, ac dum occasio est, ea amplectamur: certa enim nota est, Deum ad sui agnitionem nos prouocare, nec velle deesse successui, quandiu exercitia veræ pietatis florent, nobísque offeruntur. Porrò qui inspirationem rerum omnium Diuinitus expectant, viderint illi, quem prætextum inertiæ suæ & affectatæ negligentiæ olim afferant.

Anabap.

Tetio loco sequitur ἕξις, hoc est, habitus, qui est iam absoluta quędam animi affectio, ac constitutio in rebus Diuinis. Hæc illa iã est τελειότης Apostoli, ex qua deinceps fluunt actiones ordinariæ, quæ certè Spiritus sancti iudicio gubernantur. His nihil ampliùs durum est, non exilia, non mortem, non mille tormenta reformidant.

Quarto loco est διάκρισις καλοῦ τε καὶ κακοῦ, discrimen boni & mali, nam vera pietas non ratione, iudicióque caret, vt multi æstimant. Discrimen honestorum & turpium, quæsitum est à prudentibus Philosophis, & aliquid videntur in ciuilibus, ethicis & Physicis præstitisse, verùm cùm veram Dei agnitionem non sint assecuti, mancum est illud discrimen apud eos & imperfectum.

Ratio est, quòd in hac perfectione hominis Christiani sit repositum, solíque illi, τέλειοι, habent iustam hanc διάκρισιν. Hęc assignatio est causarum adiuuantiũ à parte nostra:

Cur Philosophi

stra: nam quæstio hic est de pigritia & tarditate hominis. Quare non erat necessum hic assignare causas superiores efficientes: erant Hebręi incitandi. Itaque consultò accommodauit descriptionem ad Hebræorum partes, vt viderent quid illi præstare & deberent & possent. Quòd si partes suas diligenter obirent, Deum etiam sua benedictione ipsis non defore: rectè enim dicitur θεὸς τ̃ βυλόμϑυον ἕλκει.

non sint assecuti verũ boni & mali discrimen.

Superiorem causam efficientem mox sequenti capite patefaciet in illis verbis, καὶ τοῦτο ποιήσομϑυ ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ θεός, de quo suo loco. Tu obserua hinc diligenter, quid nostri sit officij, & quomodo ordinarias etiam externas causas requirat Apostolus.

Primùm necessum est, esse διδασκάλυς, nam cùm adultis sit turpe διὰ τὸν χρόνον vti semper præceptoribus in rudimentis pietatis, certè eadem ratione adolescentiæ necessarium est eosdem habere sanos & bonos, vt à sanis, pietatis sana hauriant seminaria.

Præceptores habere, necessum esse.

Deinde naturæ docilitas approbatur, non enim oportet esse νωϑρὺς: νώϑροτης autem pugnat, primùm cum εὐφυΐα, deinde cũ sedulitate. Altera igitur causa sit ingenium, Dei donum. Tertia sedulitas ac vigilantia: quarta αἰσϑητηρίων applicatio: quinta γυμνασία, nam illa inducet ἐμπειρίαν & confirmat seminarium. Sextò ἕξις sequitur, confirmatus in pietate animus. Septimò denique, fructus etiam, vsus laborum omnium est διάκρισις honestorum & turpium, boni & mali, atque illa posita est partim in vitæ moribus, partim in tradendo aliis præcepta pietatis. Et in his suauissima est harmonia, qua actiones singulæ professioni nostræ respondent.

CAPVT VI.



CAPVT hoc totum adhuc pertinet ad locum præcedentem, nam pergit docere in fide semper ad maiorem veritatis cognitionem esse annitendum. Initio ex superioribus instituti sui infert quasi confertam conclusionem, inde conuersus iterum ad argumenta, ob oculos ponit conditionem & pœnas eorum, qui nõ proficiunt in religione, sed semper relabuntur ad pristina vitia. Item similitudinem à natura terræ petitam. Atque illa omnia argumentosum adhuc habent dicendi genus. Posterior capitis pars consolatoria est, ac initio superiorem argumentorum asperitatem mitigat, docendo quo consilio illa sint allata, quisve scopus sit orationis suæ: Posthæc ad patientiam Christianam præcipuè illos cohortatur, docens promissiones Diuinas ob id non irritas esse, quòd differantur aliquandiu: sed nostri esse officij maiorum exempla eas patienter ac constanter expectare.

Cap. 6. & eius arg. Diuisio.

Loci hic insigniores sunt, de progressibus in agnitione veritatis faciendis, de lapsorum sterili pœnitentia, de patienter expectandis promissionibus Diuinis, de natura promissionum, de iuramento.

Loci.

Διὸ ἀφέντες τ̃ τῆς.) Conclusionis est illatio ex præcedenti argumentatione confecta. At constat ex membris cõtrariis: primùm enim docet breuiter quid omittere debeant: deinde quid posthæc sequi deceat. Propositio igitur est, ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα, hoc est, danda est vobis opera, vt ad maiorem & ampliorem rerum Diuinarum cognitionem aspiretis: deserenda igitur vobis est tandem mora illa, qua in rudimentis hactenus hæsistis. Λόγος τ̃ ἀρχῆς est, quod prius dixerat στοιχεῖα τ̃ ἀρχῆς, quę ratio docendi ad Neophytos pertinet. Ex quo illa sequitur ratio Apostoli, vos Hebræi non estis ampliùs Neophyti: Ergò non debetis semper immorari ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ. Deinde suaue est, quòd sibi etiam causam hanc communem facit, nam cùm dicit φερώμεθα, seipsum includit, & ad annitendum animosos facit, quasi suo exẽplo viam monstraturus: sic boni præceptores quandoque cum discipulis repuerascunt, vt ad diligentiam sine rubore eos prouocent. Tertiò ab ingenio ædificantium ostendit pergendum esse, nam illi non in fundamento semper commorantur, nec ob id ponitur, vt in eo finis laborum ponatur, sed ad reliquas ædificij partes superstruendas festinãt: sic Christianis auditoribus, non propterea prima religionis fundamenta proponuntur discenda, vt in his acquiescant: sed maturè ad altiora procedant. Porrò quæ sint illa Neophytorum prima στοιχεῖα, καὶ θεμελίυ ἀρχαὶ, exponit Apostolus subiectione: primùm est μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων. Hinc colligi posse puto, quæ fuerint Catechismi tum temporis initia, seu loci præcipui. Cæterùm is tum accommodatus ad auditorum cõditionem,

Propositio.

Catechismi initia

Apostoli temporibus.

qui cùm adulti vtplurimum ad Christi agnitionē conuerterentur, rectè illis etiam loci grauiores proponebantur, quales hi omnes ferè sunt, quos hic recenset.

Quid primò requirebatur.

Primo loco pœnitentia requirebatur, cuius proprium est vitæ prioris emendationem polliceri: quare priora opera & omne vitæ genus antecedens mortua appellat opera: sunt enim carnis, mundi huius, vel saltem rationis humanæ. Omne hoc emendandum est per pœnitentiam post conuersionem.

Quid secundò.

Alter locus erat de fide in Deum: & hic rectè ab adultis requirebatur, nam opus erat breui formula confessionem ædere fidei, quale poterat esse Symbolum Apostolicum, aut vt expressè renuntiarent idolis Gentilium & Iudæorum erroribus, faterentur Deum vnum & trinum: Filium præsertim Dei Iesum Christum faterentur, & spem consequendæ salutis in eius ponerent meritis.

Quid tertiò.

Tertius locus est de Baptismo, is rectè à Neophytis exigebatur, erant enim baptisandi, quare vsus eius, institutio, & discrimen illis erat tenēdum, quale erat non esse Christi Baptismum, qualis fuerat Ioannis, sed ampliùs quiddam: baptisari hic in pœnitentiam & nominatim in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti: præterea non esse lauacrum hoc, qualia erant Iudæorum baptismata, qui superstitiosè magis, quàm certo Dei consilio plurimos abluendi ritus habebant. Hæc & illis similia puto hic intelligi. Alij aliter hęc accipiunt, ac plerunque coniunctim legunt βαπτισμάτων διδαχῆς: sed malo distinctos illos locos relinquere, vt textus illos separauit. Et quòd plurale attinet, facilis est responsio, cùm agat cum Hebræis, lauacra illorum distingui à vero Baptismo, & discrimen etiam Christi Baptismi & Ioannis: præterea quomodo in Ecclesia, & cur baptisentur tum adulti Neophyti, tum fidelium liberi, ante confessionem capitum religionis.

Quid quartò.

Quartus locus erat de Doctrina. Locus διδαχῆς Neophytis proponebatur propter Scripturæ interpretationem, atque id præcipuè Iudæis, nam apud eos solenne erat, vti & hodie etiamnum est, vt par sabbatha in Scholis & Synagogis congregati docerent. Hunc vsum retinuerunt, tantùm admonendi erant Neophyti ex Iudæis, vt Scripturæ interpretationem ad Christum, tanquam scopum eiúsque doctrinam dirigerent.

Quid quintò.

Quintus locus Catechismi, erat Impositio manuum: de hac ceremonia admonebantur Neophyti, quandoquidem tum in frequenti erat vsu, quid illa esset, cur instituta, quibus & per quos imponerentur manus: item ad quid conduceret, discebant primi fidei tyrones.

Quid sextò.

Sextus, de mortuorum Resurrectione, Necessarius hic locus erat apud Iudæorum Catechumenos, quòd apud Gentem hanc iam inualuisset perniciosum dogma hoc de animarum etiam mortalitate, aut certè carnis resurrectione, quam Sadducæi præcipuè inter Iudæos, negabant: Gentibus verò obscurior totus hic articulus erat. Quare in eo institui & erudiri omnes oportebat, antequam Baptismum susciperent.

Quid septimò.

Septimus & vltimus, de Iudicio extremo, in quo pœnarum & præmiorum expectanda est distributio. Vocat κρίμα αἰώνιον, quia semel lata sententia, tum non retractabitur nec resumetur, sed in æternum durabit.

Hæc capita erant, & loci doctrinæ Neophytorum, quæ vbi didicissent, quasi à fundamento progressi, ad altiorem cognitionem aspirabant. Qui verò in his diutius immorabantur, & ad pristina vitia tanquam consuetos mores respectabant, hîc stimulo excitandi erant, quòd hîc contigit Hebræis, nec ob id iubentur illa principia deserere, quia sint inutilia, sed quòd hæc non sufficiant, tenenda enim sunt elementa, & progressus interea non est negligendus. Sententia igitur Apostoli est, iam in his capitibus satis diu estis versati, nec est necessum in his prolixiùs philosophari, ad maiora aspirate.

A Deo in rebus omnibus implorandum esse auxilium.

Additur istis locus noui argumenti. *Atque id faciemus si permiserit Deus*. h.e. Dei bono & felici auspicio ad altiora perueniemus. Argumentum ex consuetudine loquendi, quæ tum fidelibus (& hodie etiamnum est) erat communis, sumptum est. Admonet autem in omnibus actionibus recurrendum esse penitus ad Deum, sine cuius auxilio reliqua omnia nihil sunt & vana. Quare discamus omnibus superioribus causis mediis hanc perfectam & absolutam efficientem causam præponere, Dei donum. Et id quum in Dei manu positum sit, paratus ipse interea ad gratificandum, vt hilari fronte & ardentibus precibus ingenium & facultatem discendi & proficiendi ab ipso postulemus, quò verè ipsum agnoscamus, veréque colamus, & actiones nostras ita dirigat, vt omnes εὔχρηστα organa in Ecclesia sua reperiamur per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde admonet nos piæ cuiusdam modestiæ, quæ in sermonibus alioquin certis

etiam

etiam seruari debet, vt in singulis illa sit appendicula, ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ θεός. Socrates certè apud Platonem corripit Alcibiadem temerè de futuro pronuntiantem: iubétque sic dicere, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, qua forma ipse etiam sæpe vtitur: magis igitur ea modestia decet homines Christianos.

Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ. Aliud argumentum, quo ad τελειότητα cohortatur suos Hebræos: sumitur illud à misero euentu labentium. Qui semel veritatem solidè agnouerunt, per negligentiam autem dono Dei oblato non vtuntur, illi cadunt iterum, & ita vt nonnulli ex ipsis inemendabiles fiant, vt ad pœnitentiam non possint redire. Igitur decet vos vigilare & ad τελειότητα contendere, ne graues detis negligentiæ vestræ pœnas. Hæc perspicua est & germana vt arbitror, Apostoli sententia: nec placet hic omnes omnium sententias referre. Ad Nouati verò dogma de lapsorum pœnitentia, quomodo hic locus illud non iuuet, seorsim respondebimus in locis communibus. Quare hîc verbis Apostoli insistemus, sunt enim obscuriora. Propositio consistit in his verbis, ἀδύνατον τοὺς παραπεσόντας ἀνακαινίζειν, *impossibile est lapsos renouari.* Primùm obseruemus propositionem esse modalem, Impossibile est, vt hoc opus fiat, nec opus tamen est ἀδύνατον modum interpretari per χαλεπόν, quanquam ea interpretatio nihil afferat absurdi. Sic igitur ἀδύνατον illos, qui sic labuntur renouari posse. Deinde obserua Propositionem esse indefinitam, labentes renasci impossibile est. In quantitate verò exprimenda, non est committendum, vt pugnantem faciamus hunc cum aliis Scripturæ locis: nam si dicas, Omnes lapsos impossibile est renasci, habes Christi amicam inuitationem contra stantem, Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Particularis igitur est, vtpote in materia contingente, fieri enim potest, vt illuminati labantur, & vt lapsi illuminentur. Tertiò sequitur subiecti descriptio, sic enim intelligi poterit, quinam & quales sint illi. Quidam, qui non possunt ἀνακαινίζειν. Ad ὑπογραφὴν τῶν ὑποκειμένων pertinent 5. interiecta commata.

Labentium miser euentus.

Matt. 11. 28.

Primùm, *qui semper fuerint illustrati*, hoc est, variam & solidam veritatis acceperint agnitionem, quæ Dei donum, non ingenij humani est. Deinde γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, hoc est, dulcedinem Diuinæ gratiæ senserint. Donum cœleste fides est, quæ Diuina quadam gratia datur hominibus. Per hanc intelligunt fideles, quæ sit Diuinæ gratiæ dulcedo, in acceptando, & remittendo per Christi meritum. Tertiò καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, hi sunt, qui iam non solùm Christi nomen ferunt agnita veritate: sed etiam de donis eius gloriantur, quales erant qui Christi nomine etiam poterant pellere dæmonia, sanare morbos, interpretari Scripturas. Quartò, καὶ καλὸν γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα *& gustauerint etiam bonum Dei verbum*, hoc est, auditores fuerint veræ doctrinæ nec solùm auditores quales vos nunc Hebræi: sed etiam intellectum Scripturarum fuerint consecuti. Quintò, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, *& gustauerint virtutes futuri seculi*, hoc est, intelligant promissiones non de temporali regno, sed de vita æterna, & gaudij illius vitæ beatæ vim & naturam aliquomodo intelligãt. Hi, inquam, qui illa semel acceperę, & postea iterum labuntur, eos est impossibile renouari. Habes subiecti dilucidam descriptionẽ, in qua certa labentium species exprimitur. Quare non est dubium, quo modus & prædicatũ sit intelligendum: non de aliis labentibus, sed hac ipsa specie: quò facit etiam antithesis emphatica in dictionibus ἅπαξ & πάλιν. Nam tanta dona iam enumerata satis erat eos semel accepisse quod Dei partes attinet: verum ipsorum negligentia eadem demum deperdi & amitti, non erat satis suas tueri partes. Præteritis delictis satis fuerat offensus Deus, & quòd illis remissis tam pio & paterno affectu indignos ad veritatis agnitionem pertraxerat, declarauerat magnitudinem suæ miserationis. Quare tanta dona magnifacienda erant, & præcauẽda noua defectio. Παραπεσόντες igitur hîc intelligo eos, qui contra agnitam veritatem & conscientiæ testimonium relabũtur ad prius vitæ genus: nam illud est propriè πάλιν παραπεσεῖν, iterum relabi, ad pristinum scilicet vitæ genus. Tales erant Iulianus, Porphyrius, Lucianus, &c. & siqui similes, qui agnitam veritatem pernegarunt. Hi nõ possunt ἀνακαινίζειν: præcessit igitur iam semel vna καινώσις: verùm post tam fœdam apostasiam, iam ἀνακαίνωσις ipsis denegatur, iustitia enim Diuina id exigit, nec ad Baptismum hãc ἀνακαίνωσιν refero, sed ad iustam emendationem pœnitentiæ: nam inquit εἰς μετάνοιαν q.d. illi nunquã redeunt ad pœnitentiam, sed moriuntur in apostasia: quod exempla historiarum satis declarant, verè & solidè exciderunt ex gratia apud Deum: ergò renouari non possunt. Ex quo satis constat hîc non locum habere quæstionem illam, lapsísne concedenda sit venia nec ne? nec etiam de sterili lapsorum pœnitentia, qualis erat Iudę, licet & istarum similis sit ratio: sed priùs de his in præsentia sermo est, qui pœnitentiam neque petunt neque agunt: sed impœnitentia sua & peccatis suis moriuntur. Alia est ratio de aliis la-

Quinam post lapsum veniam impetrare nequeãt.

psibus, quos sequitur dolor & pœnitudo, quibus cùm Christus spem salutis non præcidat, quæ esset dementia & improbitas venia indignos censere?

Cur impossibile sit tales renouari posse.

Porrò quòd tales sit impossibile renouari, non caret ratione apud Apostolum: nam subiungit ἀνασαυρῶντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, *iterum crucifigentes sibipsis Filium Dei*, ex quo sic colligitur. Qui verè exciderunt è gratia, si illi apud Deum in gratiam redire debeant, necessum est Filium Dei iterum crucifigi: sed hoc est ἀδύνατον: Ergò ἀδύνατον etiam est τοὺς παραπεσόντας, οὕτως πάλιν ἀνακαινίζειν. Firma ratio est, nam mortis Christi hæc solida fuit causa, quòd verè excideramus è gratia, nec ad eam restitui poteramus, nisi perfecta hostia Filij Dei. Atque id obtinuit humanum genus. Quare durat adhuc eadem iustitia Diuina contra peccatum, vt hi, qui redempti sunt, si excidant iterum, non possint nisi eadem satisfactione redire in statum: sed impossibile est repeti hostiam, impossibilis igitur etiam restitutio.

Deinde καὶ παραδειγματίζοντας, *& ludibrio exponentes*. Hinc collige, ἀδύνατον est τοὺς παραδειγματίζοντας Filium Dei ἀνακαινίζειν: sed παραπεσόντες πάλιν οὕτως, illi παραδειγματίζουσι Dei Filium. Ergo παραπεσόντας οὕτως, πάλιν est ἀδύνατον ἀνακαινίζειν, & hæc firma est ratio: nam meritum Christi nobis per fidem applicatur. Iam cùm illi fidem abnegarint, & ludibrio habeant omnem pietatem, mortem Christi, meritum, & satisfactionem, non potest illis applicari: non possunt igitur vlla ratione redire in gratiam, nulla enim alia superest via. Atque illa ad argumentum hoc pertinent, de miserando quorundam labentium euentu, qui in peccatis suis demum moriuntur. Hæc est quædam mali τελειότης, ad quam non subitò peruenitur, sed initia quædam leuia sunt, qualis est ῥαθυμία, oscitantia, neglectus officij, indulgentia affectuum, amor peccati, sed illa sensim vires acquirunt, vt in præceps demum agant hominem, & in eas angustias, vnde elabi sit ἀδύνατον. Quare Hebræi contrà anniti debent ad boni τελειότητα, quæ & sua initia habet, vt est diligentia, cura officij, affectuum inhibitio, peccati blandimenta habere suspecta, proficere pietatis studio, sic ad τελειότητα pietatis ascendent, & miserandos eos casus euitabunt. Huc facit illa graphica descriptio παραπεσόντων, & sic vigilantiores erunt in annitendo ad maiorem & pleniorem veritatis cognitionem, si videant, quò tandem νωθρότης illa ipsis obiecta sensim homines perducat.

Aliud arg. ab agricult.

Γῆ γὰρ ἡ πιοῦσα. Nouum argumentum, quo ad progressus faciendos suos Hebræos inuitat. Ducitur ab agricultura, docens quæ natura sit bonæ terræ & quæ etiam damnati soli existat indoles. Ac ipsa quidem argumentãdi forma imperfecta est, nam applicatio, vt & aliâs frequenter, omittitur. Et in similitudine duo sunt membra: nam laudati soli conditiones commemorantur, deinde breuiùs etiam sterilis terræ.

Laudati soli conditiones.

Ad boni soli conditiones pertinet: primùm complui, idque πολλάκις: nam soli siccitas domari aliâs non potest, vt radicale humidum satis concipi possit: sed & imbibenda est pluuia, nam diffluens humor eluit potiùs pinguedinem terræ. Itaque pluuiæ fœcundæ erunt à solo absorptæ: deinde sunt coloni labores, arando, fodiendo, runcando, serendo, &c.

Tertiò, demum profert βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις, *herbam vtilem colonis*. Βοτάνη species est, id est, herba, φυτὸν genus, hoc est, planta: apud Theocritum coniunguntur Idyll. & κρᾶναι καὶ βοτάναι, γλυκερὸν φυτόν. Βοτάνη εὔθετος *vtilis herba*, opportuna, idonea etiam ad repositionem & conseruationem in futurum. Hæc tandem benedictionem consequitur à Domino, hoc est, cẽsetur bona, & apud colonum etiam confessionem benedictionis Diuinæ extorquet. Nam quomodo tum demum benedictionem à Deo recipiet, vbi iam vberi messe felices suos reddit agricolas? vtique iam antè Dominus laboribus coloni benedixit: sed confessionem hanc etiam à colono nondum habebat, nisi postquam votis eius respondit.

Damnati soli coniecturæ.

Damnati soli hæ sunt coniecturæ, *spinas proferre*, quo nomine & sentes & dumos, carduos & similia comprehendi hîc puto, tribulos etiam talis profert. Sunt tribuli aquatici ἔνυδροι vasser nußly: alij tribuli terrestres χερσαῖοι, echinato capite. Est & inter trifolia tribuli species, flore luteo, quem sequitur aculeis horrens fructus. Et damnati soli argumentum esse tribulos, non solùm locus hic testatur: sed autores rei rusticæ, & Virg. de eo sic etiam scribit, *Lappæq; tribulique inter nitentia culta, Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ*: & lib. 3. Georg. ouibus nocere admonens scribit, *Lappæq; tribulique absint*, &c. Talis terra ἀδόκιμος est, hoc est, indigna, quæ colatur: deinde execrationi vicina, iustè enim maledici potest. Denique *finis eius in adustionem*, quod duplicem habet sensum: primùm enim intelligi potest quòd igni extirpanda sit, siquidem id fieri posset, omnis illa senticosa materia, & repurganda: aut quòd exustione reprobum illud soli ingenium possit emendari. Ex his illud collige: terra hominis est animus, qui

1. Georg. & 3.

bene

bene cultus, si respondeat votis & spei, testatur sese Dei benedictionis esse participem. Sin post culturam pertinax & sibi similis persistat sine profectu, instar spinosæ terræ damnatur. Danda igitur singulis opera, vt verbum Dei sic audiamus, vt exceptum cordibus nostris quasi fertili agro, statim in herbam consurgat, alioquin nulla potest esse messis spes.

Πεπείσμεθα δὲ περὶ ὑμῶν. II. pars præsentis capitis: in qua asperitatē superioris argumentationis non nihil mitigat, ac ad consolationem omnem sermonem accommodat. Etenim superiora omnia, maximè autē illa de lapsis & de terra maledicta, in speciē magis ad desperationem videbantur imbelles præcipitare, quasi omnis spes esset de ipsis etiam ab Apostolo deposita: quare animos eorum his erigit, declarans simul quo fine à sese actum sit asperiùs. Propositio verborum sequentium est, Hebræis de profectu in pietatis negotio non est desperandum. Primùm ἀγαπητοὺς appellando, eos sibi conciliat: nam in tota hac obiurgatione nihil tale auditum est. Deinde sequuntur, quę vim argumentorum & consolationem habent. Primùm, Ego Apostolus vester, & qui de vestris ingeniis optimè iudicare potest, de profectu vestro non despero: Ergò & vos bene sperabitis de laboribus vestris. Antecedens in his latet verbis, Πεπείσμεθα περὶ ὑμῶν τὰ κρείττονα, *meliora mihi de vobis polliceor*, quàm vt existimem vos futuros terram ἀδόκιμον, aut de illorum παραπεσόντων numero, de quibus dixi esse ἀδύνατον αὖθις ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν: neque illa ad vos deterrendos attuli, imò ad annitendum, vt vos alacriores facerem. Porrò quę sint illa κρείττονα, sequenti membro explicat, nimirum ἐχόμενα σωτηρίας, hoc est, *quæ salutem consequuntur*, comitantur, vt sine ipsa esse non possint, quæ vera sunt electorum argumenta, qualis est vera pœnitentia, constantia in fide, bonorum operum studium: nam vt vulgò dici solet, τὸ ἐχόμενον, ὃ ἂν ἐφεξῆς ᾖ ἅπτηται, quod quum rem aliquam sequatur, eam etiam tangit, vt ędificia dicuntur ἐχόμενα, quæ se ordine sequuntur, & attingunt, vt nihil ea separet. Sic bona opera, profectus in pietate ἐχόμενα τῆς σωτηρίας sunt, quia electionem ad salutem consequuntur.

Huius cap. pars. 2.

Propositio huius 2. partis.

Quid intelligat per Meliora.

Deinde, εἰ καὶ οὕτως λαλοῦμεν, *etsi ita loquamur*. Argumentum habet non esse iudicandum de animo Apostoli κατὰ τὸ ῥητὸν, vt asperitas literæ sonat: sed κατὰ τὴν διάνοιαν, sed διάνοια Apostoli est, illos prouocare ad τελειότητα: igitur asperitas illa argumentorum non trahi debet ad desperationem. Negligentia nostra interdum meretur rigorem, & qui iuris aliquid in nos habent sua vtuntur authoritate pro tempore seueriùs, vt qui blandiendo non prouocantur, quasi ferula excitentur: finis tamen omnium est ædificatio. Sed obserua boni Ministri munus esse, auditores verbi alacres non pusillanimes reddere.

Tertiò, vbicunque fidei sunt bona initia & fructus, ibidem etiam est Dei liberalis quædam remuneratio. Sed in vobis Hebræis fidei bona sunt initia & fructus. Erit igitur etiam in vobis Dei liberalis remuneratio. Maioris sententia est in illis verbis, *non enim iniustus est Deus*, scilicet vt nolit remunerare in nobis sua dona, & quasi ornare bona seminaria maioribus fructibus. Minor in illis, *vt obliuiscatur operis vestri & laboris & dilectionis, quam declarastis in nomen eius, dum ministrauistis sanctis & adhuc ministratis:* commemorat enim bona apud illos esse initia, & præcipuè opera charitatis, quibus fideles subleuabantur. Hæc initia, inquit Deus, vobis non dedisset, si vos de reproborum numero vellet esse: bene sperandum igitur vobis est in studio veritatis, de profectu.

Quartò, quis finis sit suorum argumentorum declarat: ex quo collige. Phrasis orationis & argumenta accommodari debent ad principale dicentis institutum: sed Apostoli principale institutum est Hebræos excitare ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος: Ergò tota eius dictio & argumenta ad id accommodari ab ipsis debent. Nihil ergò dictum à me volo rapi à vobis in argumentum desperationis. Πληροφορίαν spei simpliciter intelligo hîc τελειότητα, ad quam eos suprà prouocauit. Quare eleganter subiunxit, ἄχρι τέλους, quasi in plerophoria spei voluerit eos admonere τελειότητος.

Quintò, nondum facti estis planè νωθροὶ, sed de lapsu vos præmoneo, & tanquam bonus speculator de futuro periculo sum solicitus: Ergò bono animo estote, annitamini ad pleniorem veritatis cognitionem, sic νωθρότητα omnem effugietis. De voce hac pleniùs suprà dictum est, asininam stupiditatem & tarditatem eos vitare vult.

Vers. 12. Μιμηταὶ δὲ τῶν διὰ πίστεως. Tertius locus de patientia in expectandis promissionibus Diuinis. Rectè quidem illa se consequuntur: primùm enim ad profectum cohortatus est, deinde ne spem propositi consequendi abiicerent admonuit. Superest nunc tertio loco, vt patienter etiam moram in Diuinis promissionibus adimplēdis, ferant. Cohærent superioribus per antithesim, non debetis fieri νωθροὶ, sed maiorum imitemini patientiam. Propositio est, Hebræi in progressu pietatis patienter debent ex-

Tertius locus de patiētia.

pectare promissionum Dei impletionem. Ratio est, domestica virtutum exempla debemus studiosè imitari: sed Hebræi vos habetis exempla domestica, vt aliarum virtutum, sic etiam patientiæ: igitur illa debetis studiosè imitari. Deinde quia per fidem & μακροθυμίαν promissionum reddimur hæredes. Quare patientia, quam hic vocat μακροθυμίαν, vt causa sine qua non, est nobis studiosè colenda. Tertiò, speciale exemplum Abrahæ ponit, Abraham μακροθυμήσας consecutus est promissiones: Ergò & vos Hebræi, tanquam boni filij Abrahæ boni parentis, debetis μακροθυμεῖν, vt eodem pacto voti compotes reddamini.

Quartò, Deus certos nos vult esse de promissionum veritate: Ergò de expletione illarum non debemus dubitare, sed patienter illam expectare. Antecedens constat inde, quia iuramento interposito eos confirmauit & stabiliuit: nam quod Dei partes attinebat, non erat opus iuramento, vt qui etiam non iurando erat impleturus, quod promiserat: sed ad fidem nostram confirmandam hoc fecit. Quare patientia hic tantum opus est. Cæterùm formam iuramenti explicat, & simul finē. Forma est, vt fiat per aliud maius: Deo nihil est maius: Igitur per seipsum hoc concipere debuit. Finis, est cōfirmatio, *Nisi benedicēdo benedixero te*, &c. His enim auocauit Abrahamum ab omnibus causis impedientibus promissionum certitudinem, vt erat effœtum corpus, ætas marcida, solitudo liberorum, exilium, hostium numerus. His omnibus spretis a Dei verbo hærere debuit, ex vi & authoritate interpositi iuramenti. Historiam vide Gen. 22.

Gen. 12. 3. 17. 4. & 22. 36.

Quintò homini iuranti creditur: Ergo magis Deo iurando confirmanti suas promissiones credendum est. Antecedens est, in illis verbis, *Homines quidem per eum iurant qui sit maior, ac omnis controuersiæ finis est, si accedat iuramenti confirmatio*: dicit enim hominibus fidem haberi, alioquin fide non dignis, si iuramento sermoni fidem faciant. At in Deo nihil est quod fidem debeat derogare: veritas enim ipsa est, fallere nescit: homines non ita, multa sunt quæ derogant eorum authoritati. Quare vt aliunde eam habeant, iurant per maiorem alium: quæ ad formam iuramenti pertinent: quod tum demum est legitimum, si per maiorem fiat, hoc est, per Dei nomen, qui veritatis est origo, & corda iurantium perspecta habet, & peierantes diris pœnis persequitur. Iurant interdum etiam pij per creaturas, vt Ioseph per salutem Pharaonis, & Abigail per Dauidis vitam, nec id Scriptura reprehendit. Sed de iuramento latiùs egimus inter locos communes, vbi excussa est etiam quæstio, An Christiano homini liceat oblatum iusiurandum præstare.

Iuramenti forma

Iuramenti definitio.

In præsentia obseruetur Apostoli definitio, quid sit iuramentum. Ὅρκος inquit, est πάσης ἀντιλογίας πέρας, εἰς βεβαίωσιν τῆς ἀληθείας, hoc est, *omnium controuersiarum decisio in confirmationem veritatis*. Describit iuramenta à finibus & commodis, qualia sunt ἀντιλογίας terminare, veritatem stabilire, in contractibus, dictis, factísque fidem facere. Quæ singula quanta sint in politia nemini obscurum est. Quare vel hinc honestas, nec non necessitas iurisiurandi colligi potest.

Quare voluerit iuramentum adhibere Dominus.

Sextò, Apostolus diligentiùs exprimit Dei consilium, quare tandem voluerit iuramentum promissionibus adhibere. Vbi expendas primùm personas, quorum gratia id factum sit: factum est propter κληρονόμους τῆς ἐπαγγελίας. Quare ad impios, & qui extra Ecclesiam fidelium sunt ista non pertinent, fideles & electos suos Deus tanti fecit. Deinde quòd Dei personam concernit, id ex abundante accessit: nam non iurans etiam Deus seruaturus erat promissiones suas. Quare, inquit, περισσότερον βουλόμενος ἐπιδεῖξαι, id est, ad plenum voluntatem suam declarare nobis voluit, & plenè etiam nos confirmare, vt nulla esset dubitandi occasio.

Tertiò, quale sua natura fuerit consilium Dei in promissionibus etiam, antequam ὅρκος accederet. Τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. Quare consilium Dei non demum per ὅρκον est immutabile redditum: sed iam antè tale fuit & tale mansisset etiam sine iuramento. Est autem ἀμετάθετον per illud tantum declaratum mundo. Nostro igitur commodo interpositum est, vt imbecillitati consuleretur, & fides haberet obiectum aliquo symbolo confirmatum. Et elegans est quod inquit, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ, quasi dicat, omnes dubitandi occasiones illo sustulit. Et inter hominis in credendo infirmitatem, & suas promissiones Diuinas, medium quasi retinaculum, & glutinum interposuit iuramentum, ac eo vinculo arctissimè voluit illa esse connexa.

Duo immutabilia in Deo.

Septimò, in Apostolo sequitur ἐπιμονὴ, qua in Dei consilio explicando commoratur, vt per duas res immutabiles, in quibus impossibile erat Deum mentiri, firmam consolationem haberemus. In quibus verbis omnia consolatoria sunt. Primùm in Deo iam duo sunt immutabilia: Ergò firmiter illi debemus credere. Δύο πράγματα ἀμετάθετα sunt, promissio, quæ per se iam erat ex æterno Dei consilio immutabilis: & ὅρκος, iuramentum

ramentum, quod sua etiam natura est irreuocabile & insolubile, nisi impleatur. Per se Deo promittenti erat credendum: Ergò iam multò magis etiam iuranti credendum est. Deinde expende phrasim illam consolatoriam, ἀδύνατον ψεύσασθαι θεὸν, *Deus mentiri non potest*, nec solùm in promissionibus & iuramento: sed omnibus actionibus suis. Quare modus ille ἀδύνατον absolutè & propriè sumatur, Deus veritas, & est impossibile quicquam habere commercij cum mendacio. Lux est, cum tenebris ergò non potest confundi. Vita est, ergò mortis est expers. Habes paratam consolationem, ἀδύνατον est Deum posse mentiri. Ergò secundum promissiones suos seruabit, & tandem beatos efficiet. Hęc est illa verè ἰσχυρὰ παράκλησις, quam tantis verbis nobis commendat. Vbi firma sunt & solida obiecta fundamenta, illic debet esse firmus spei assensus: sed pij habent in Deo firma fundamenta, ἐπαγγελίαν scilicet & ὅρκον, quæ sunt ἀμετάθετα, & in quibus ἀδύνατον est ψεύσασθαι θεὸν: debet igitur firmus esse piorum spei assensus.

A spei cōmendatione argum.

οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι. Transit ad commendationem spei, quæ quantum habeat momenti ex sequentibus facilè apparebit. Porrò cohærent superioribus, ac subiectum hæc describunt, vt intelligamus, ad quos illa firma consolatio pertineat. *Ad nos* inquit, *qui confugimus huc, vt proposita potiamur spe.* Argumentum ducitur à decoro: Nos in spe proposita gloriamur de promissionibus Dei: Decet ergò nos in iisdem promissionibus firmam habere consolationem, quod est de illis non dubitare: sed patienter impletionem expectare.

Quid vocet spem propositam.

Προκειμένη ἐλπίς, est earum rerum expectatio, quæ in promissionibus erant expressæ, vt est quòd noster velit esse Deus, hoc est, tueri nos, liberare à malis, eripere à periculis, morte & peccato, iustificare nos in semine benedicto, dare vitam æternam, &c. Hæc est spes proposita, & ad hanc docet fideles omnes καταφυγεῖν, quo verbo exprimitur non solùm inopia nostra, sed desiderium ardens salutis, quo ingemiscunt pij indies, expectantes liberationem: sed non tantùm isthuc oportet confugere, verùm etiam decet κρατῆσαι, hoc enim victoriæ auidos exprimere voluit. Certamen istud fidelium est in tentationibus, vbi contra spem in spem figendus est animus. Sic vicit Abrahamus omnia obstacula: ita Apostoli, & beati Martyres in ipsis tormentis aduersarios superarunt, illud κρατῆσαι est: spem ita mordicus amplecti, vt nec igni, nec ferro, imò ne mille mortes eam extorquere possint. Rom. 4. 18.

Spes anchora animæ.

Ad commendationes igitur spei pertinent illa: primùm *quòd eam habeamus tanquam anchoram animæ.* Sententia definitionem habet κατὰ μεταφορὰν: nam si roges, Quid est Spes: rectè hinc responderi potest, est anchora animæ, quemadmodum illud, Sol est oculus mundi. Habet autem magnam gratiam illud definiendi genus: nam translatum verbum naturam spei valde illustrem reddit. Quis enim ignorat, quid anchora naui præstet, quomodo contra tempestates eam retineat? & quum sit minima propè nauis portio, maxima salutis est materia, non sinit eam euerti, disiici, illidi ad scopulos, aut asportari à tempestatibus in ignotas regiones. Ecce tibi in mari huiusmodi, & quidem valde commoto & procelloso animulam tuam quasi nauiculam, quæ hinc inde impellitur ab affectibus, rapitur à tentationibus. At habes anchoram Spem, hanc eiice non in profundum, sed in altum, in cœlos, illic firma eam: illa per cæcas tenebras, & nubilum hoc mare coniunget te firmo littori: non patietur te euerti, nō illidi, non abripi in tenebras illas extremas.

Deinde Spes est ἀσφαλής, hoc est, tuta, quia extra periculum nos facit esse.

Spei effecta.

Tertiò, est βέβαια robusta, hoc est, periculis omnibus nos pares omnes facit: imò superiores, firmos, inconcussos, vide exempla piorum Martyrū, qui hac spe suffulti, & illa anchora iacta, mirificè tulerunt omne tormentorum genus: hilares accessere carceres, ignes contempsere, tyrannos ad stuporem vsque. Ita sanè firma est Spes, quia nos firmos reddit.

Quartò, *Spes illa penetrat etiam per velum ad interiores templi partes*, hoc est, ad Sanctum Sanctorum, quod est cœlos ipsos penetrare. Alludit enim ad veteris Ecclesiæ ritum, in cuius templo erat καταπέτασμα, quo interior templi locus segregatus non patebat populo: sed Pontifici summo tantùm fas erat ingredi. Ita Spes cœlos, velum hoc penetrat ad thronum Dei. Quòd autem Spei aditus pateat ad cœlos, inde liquidum est, quia Christus præcursor noster illuc est ingressus, non autem pro se tantùm, sed vt verus Pōtifex, pro suo vniuerso populo. Quare is nobis sequendus est, & dum in hac terra oberramus, spe illum consequamur, donec aliquando exuti his miseriis & restituti corporibus de facie ad faciem, ad plenum illa beata perfruamur felicitate.

Spei obiectum.

Obseruandum hîc primum, quò spes respiciat, & ad quod obiectum sit referenda, εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος nimirum, gratiam Dei, & promissionum fidem illa

respicit. Hæc arcana sunt, quæ mundo non sunt patefacta.

Secundò, Iesus Christus πρόδρομος noster est, non tam quia viam nobis strauit, quàm quòd pro nobis etiam satisfecit: ingressus enim est vt summus Pontifex pro populo expiando sacrum oblaturus: & suorum nomina expressa intulit in Sanctuarium.

Epanodus ad principalem quæstionem.

Ad finem instituit Epanodum ad principalem quæstionem, *Secundùm ordinem Melchisedek, Pontifex factus in æternum.* Hanc quæstionem instituerat suprà cap. 5. & volebat excutere quomodo Melchisedek fuisset typus Christi. Verùm tarditate Iudæorum impeditus, deflexit ad ipsorum oscitantiam taxandam in oraculis Diuinis expendendis: tamen ne desponderent animos, spem ait superesse boni profectus, modò annitantur ad pleniorem Dei cognitionem, & promissiones Diuinas patienter expectent: tandem ad Spei commendationem deuenit, ac eius occasione redit ad intermissam quæstionem. Quare hæc verba Propositionem continent, quæ ita constitui potest: Christus rectè dicitur Sacerdos constitutus in æternum secundùm ordinem Melchisedek. Ad hanc propositionem bona pars sequentis capitis spectat. Quare argumenta inde huc conferenda erunt.

CAPVT VII.

Caput 7. & eius argum. Locus 4.



QVINTVS hic iam locus est, in quo Apostolus agit de perfectione Sacerdotij Christi. Ac initio repetit collationem cum Melchisedek: deinde, quantò maior hic Leui, & suis fuerit successoribus: denique de boni sacerdotis officiis in Christo ad plenum habent locum. Ex quibus præstantia Pontificis Christi colligitur. Præterea vetus illud Testamentum abrogatum esse de ceremoniis & legalibus hostiis: successisse autem nouum & perfectius sacerdotium Christi, in quo omnia absoluta sint plenariè. Quare obseruetur hæc generalis Propositio, Sacerdotium Christi perfectissimum nec non absolutissimum est. Quare meritò illi cedit Leuiticum illud, vt imperfectum. Atque hæc duobus hisce capitibus 7. & 8. tractantur.

Propositio.

Diuisio.

Porrò in hoc septimo capite obseruetur hic Propositionum ordo: primò, ostendit Christum rectè dici Pontificem secundùm ordinem Melchisedek. Secundò, Melchisedek maiorem fuisse ipso Leui quòd sacerdotalem attinet ordinem. Tertiò, Christum etiam Leui collatum præstantius habere sacerdotium.

Quartò, quæ sint notæ perfecti ac absoluti numeris omnibus Pontificis: ex quibus eandem Christi præstantiam colligit.

Vers. 1. Οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ.

Propositionis suprà positæ confirmatio.

Scopus disputationis positus est ad finem præcedentis capitis. Christus rectè dicitur ἀρχιερεὺς γενόμενος κατὰ τάξιν Μελχισεδέκ. Illa igitur πρότασις est, hæc iam continent κατασκευὴν, hoc est, propositionis confirmationem, ad quam spectant etiam mox consequentia argumenta.

Porrò confirmatio hæc initiò hîc continet ἑρμηνείαν τοῦ προσκατηγορουμένου: nam secundum ordinem Μελχισεδὲκ prædicato adiunctum est. Exponit igitur quis fuerit iste Melchisedek. Atque id facit ἁπλῇ διηγήσει: nuda enim est & breuis narratiuncula, quę historiam ex cap. 14. Gen. vers. 18. recitat. Artificiosè autem totam historiam quidē prolixam, in certa quędam & pauca membra contrahit. Ex quibus mox in collatione personarum est argumenta sumpturus. Membra ista sunt, primùm *Rex Salem.* 2. *Sacerdos Dei altissimi.* 3. *Abrahamo victori occurrit.* 4. *Abrahamo benedixit.* 5. *Decimas omnium rerum sumpsit ab Abrahamo:* nec poterat historia breuiùs contrahi, vt simul constaret, quis fuisset iste Melchisedek. Tria autem docuit narratione ista: primùm, vitæ genus duplex, nam & Rex & sacerdos fuit. Secundò studium erga fidelem Abrahamum, cui in rebus secundis congratulatur, & maiorem adiicit benedictionem. Tertiò, quæ fuerit illius authoritas non solùm apud suos, sed etiam exteros, qualis erat Abrahamus, qui illi decimas soluit. Hæc προκατασκευὴ est, hoc est, aditus ad veram confirmationem, ac complectitur diuitem argumentorum materiam ad positam propositionem.

Melchisedek verum fuisse Christi typū.

Πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος. Sequitur iam κατασκευὴ continens epicheremata ad personam Christi accommodata. Ostendit autem verum typum Christi illum fuisse, & ob id rectè dici Pontificem secundùm ordinem illius: primò ab origine nominis, nam *Melchisedek* Græcis est βασιλεὺς δικαιοσύνης, *Rex iustitiæ*, à dictione *Melech* & *tsedek*: sed Christus verè est Rex iustitiæ: Ergò rectè secundùm hunc typum dicitur sacerdos. Valet quidem argumentū ab etymologia, quia proprius est sermo. Meliùs tamē procedet, si habitus nomini respondeat. Et valet argumentum, Christus est Rex iustus: Ergò dicetur

dicetur etiam Melchisedek,& Melchisedek rectè illius dicitur fuisse typus. In argumento illo duo sunt,quæ proprie Christo competunt:primò,quòd sit Rex. Talem Messiam suum sine controuersia sperabant: in eo autem fallebantur, quòd regnum externum tantùm illi tribuerent. Quare in Euangelio Magi Christum, vt Regem etiam quærunt & salutant. Et quæstio etiam illa mouetur à Pilato, An Christus esset Rex.

Deinde,quòd verè iustus Rex. Commendantur Reges ab ęquitate quidem,sed quidquid illud est iustitiæ in Regibus non proprium est, sed donum Dei. Christus natura iustus ipsa iustitia est:meritò igitur hic titulus illi competit. Ex quo efficitur iam excellentius illius esse sacerdotium Leuitico, vt in quo non erant ipsi Sacerdotes Reges, nec per se & ex se iusti.

Mat. 2. 2. Ioan. 13. 37.

Secundò,à conditione,ac vitæ genere. Idem fuit Rex *schalom*,hoc est,pacis. Christus autem est verus Rex *schalom*,hoc est,pacis. Ergò rectè secundùm illius ordinem dicitur institutus Pontifex. Historia Gen. 14. testatur eum fuisse Regem *schalom*, quod vertunt Salem,& Græcè hinc Σαλήμ,vox est integra *schalom*,quæ pacem significat. Sed loci nomen est postea Hierosolyma dicta:hinc opinor Solymos dictos populos Græcis, & vrbem in Assyria,de qua scribit Eustathius interpres Homeri ita, Πόλις Ἀσυρίων κτισθεῖσα μετὰ τὴν ἅλωσιν τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱεροῦ. Et quomodo Christus Rex sit pacis,Prophetæ abundè testantur,& historia Euangelica tota pacis concionem habet: & ipse pacificator est verus inter Deum & homines. Quare & hic titulus illi iure competit.

Gen. 14. 14.

In 2. Iliad.

Tertiò,confert natales: in historia Melchisedek sacræ literæ non describunt parentes aut maiores eius,non quòd eos non habuerit, sed vt esset verus typus Christi: nam verum hominem fuisse credendum est. Alij alias minùs probabiles de eo afferunt opiniones. Sequamur nos Apostolum, qui libenter ignorat & nos etiam ignorare vult, quæ expressa in illius non sunt historia,alioquin Apostolo non defuisse puto verosimiles de parentibus eius coniecturas.

Nataliũ Christi & Melchisedek collatio.

Quare in eo Christi elegans est typus,qui ratione humanitatis est ἀπάτωρ, ignorat enim patrem,quatenus homo est. Ratione Diuinitatis est ἀμήτωρ, nam illa matrem nescit. Et præterea ἀγενεαλόγητος, nam Scriptura de illo testatur. Et generationem eius quis enarrabit?

Quartò,in vitæ duratione est etiam quiddam simile, nam historia etiam Melchisedeko non tribuit ἀρχὴν ἡμερῶν,nec etiam τέλος ζωῆς,quasi hic semper fuerit, futurúsque sit. Sed & hoc Scriptura arcano Dei consilio fecit, vt Christus elegantem haberet & ad viuum expressum typum: nam quod hic habuit, Scriptura autem occultauit, ideo factum est,vt adumbraretur Christi æternitas,qui α est & ω. In hoc igitur assimilatur filio Dei,in quo hoc verè locum habet.

Apoc. 1. 8.

Quintò,Sacerdotij etiam similitudo quædam est,nam vt in vita,sic in Sacerdotio illius non habetur, nec initium nec finis, ita Christi. Rectè igitur secundùm illius τάξιν dicitur Pontifex Christus,nec secundùm ordinem Leui: nam sic & Pontifex æternus, & Pontificatus eius æternus,& admiranda Pontificis natiuitas, & idem & Sacerdos & Rex esse demonstratur: quorum nihil locum habere potest in Leuitico ordine. Atque hactenus demonstrata est prior huius capitis propositio, quòd Christus rectè dicatur Pontifex secundum ordinem Melchisedek. Sequitur iam altera πρότασις, Quòd idem Melchisedek maior sit ipso Leui.

Vers. 4. Θεωρεῖτε δὲ πηλίκος οὗτος.

Secunda propositio huius capitis,quę cõtinet collationẽ Melchisedek,& ipsius Leui. Prior Christum cum Melchisedeco contulit,ac quæsiuit personarum ὁμοιότητα, quibus scilicet pares essent. Hîc verò ἀνομοιότης iam inuestigatur,vt declaretur excellentia Christi: nam si Christus & Melchisedek pares sunt, ac hic declaratur, *maior ipso Leui*, palàm est Christum etiã illo esse maiorem. Initio breuiter attentionem ab auditoribus postulat, quasi crescente oratione & argumentorum genere attentiores nos esse deceat. Πρόσεξις habet simul coniunctam transitionem: ac vtrunque summa breuitate Apostolus facit. Μεταβατικὸν est δὲ,quo (vt apud Latinos porrò) significatur crescere orationem, & ad aliud vel argumentum, vel propositionis genus fieri transitum. Hîc & nouum sequitur argumentum & πρότασις noua.

Secunda huius capitis propositio.

Attentionis verò nos admonet verbo θεωρεῖτε, quasi summa cõsideratione & pensitatione quiddam dignum propositurus. Inde non pluribus etiam verbis subiecit ζήτημα nouum. Πηλίκος οὗτος *quãtus sit ille*. Quęstio igitur est, An Melchisedek sit maior Leui, nam de illis duobus,non de Christo hîc sermo est. Ex quæstione πρότασις fluit, Est maior ipso Leui. Argumenta verò accommodanda nunc, quæ dissimilitudinem inter illos ostendunt.

Epicheremata itaque subiiciuntur, quæ ad confirmationem pertinent, hoc ordine: primùm, Qui decimas soluunt, inferiores sunt illis quibus eas pendunt. Sed Abraham soluit decimas Melchisedeco: Igitur hoc facto se illo minorem confessus est. Minorem vel assumptum Apostolus probare potest ex historia Gen. 14. vers. 19. & initio capitis huius Apostolus hoc factum quinto loco etiam narrauerat: sed eo omisso Apostolus ipsum factum & personam examinat. Primùm, inquit, Ἀβραὰμ ὁ πατριάρχης, satis fuerat dicere simpliciter Abraham, nisi iusta αὐξήσει iustam prærogatiuam viri huius apud Iudæos vellet declarare: sunt enim Patriarchæ summi in cognatione sua, & Gentis alicuius origo, principes familiarum. Deinde in facto quoque est insigne aliquid, quòd scilicet *decimas dedit* ἐκ τῶν ἀκροθινίων, spolia militaria enim iure Gentium victoris sunt, nec vllius iudicio seu censura subiecta: magnum igitur oportet fuisse hunc Melchisedecum, qui ex spoliis etiam sumpserit decimas, & maximo Hebræorum Gentis fuerit maior. Sententia igitur Apostoli est, Melchisedek maior est Abrahamo: Ergò etiam maior est ipso Leui. Antecedens factum superius probat: consequens personæ conditio, quia ille fuit Patriarcha, &c.

2. Arg. Secundò, poterant Hebræi excipere, Leuitæ nostri etiam accipiunt decimas. Respondet igitur ad id Apostolus, illi quidem accipiunt, sed à fratribus suis, id est, Hebræis qui Abrahæ sunt posteri. Ac ob id illis quidem præferuntur, sed quid illud, à fratribus tantùm accipere? Melchisedek erat alienigena, ac tamen decimas exegit ab Abrahamo: fuit igitur in eo & Leuitis & Abrahamo maior.

Est & illud argumentum in his verbis, Qui certa lege, à certis tantùm personis debent exigere decimas, minores sunt illis, qui sine lege à quibusuis eas exigunt: sed Leuitæ debent illud facere ex lege præscripta: Melchisedek autem hoc se posse declarauit in decimando Abrahamum. Ergò, &c.

Tertiū. Tertiò, minor à maiore accipit benedictionem, Abraham accepit bendictionem, ille verò dedit: igitur minor est Abraham, maior verò ille. Argumenti partes in Apostolo integræ sunt, Minor enim initio posita est, in qua est emphaticum, quòd Abraham iam acceperat promissiones: tamen benedictionem non aspernatur Sacerdotis externi. Maior deinde subiecta est, quæ approbationem habet omnium hominum, est enim χωρὶς, inquit, πάσης ἀντιλογίας.

Quartū. Quartò, Leuitas iterum cum Melchisedeco committit, inter quos hoc etiam est dissimile, quòd Leuitæ sint homines mortales. In historia verò Melchisedeci non fit mentio mortis vllius, quod Apostolus hîc sumit in testimonium vitæ æternæ. Maiores autem sunt Sacerdotes immortales mortalibus: Leuitæ mortales sunt, Melchisedek immortalis: ergò hîc multò est præstantior. Obserua antithesim, primùm in particulis ὧδε μὲν, & ἐκεῖ δέ: deinde in personis, hîc sunt ἄνθρωποι ἀποθνήσκοντες, Leuitæ scilicet: illic verò ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ, vitæ testimonium habet Melchisedek, vixit enim cum Abrahamo, mortis autem illius nulla habetur mentio. In hoc acquiescere nos vult Apostolus, nec scrutari vlteriùs, quid de homine Melchisedeco sit actum, mortuus sit, necne? sed ad typum illa sufficiunt, quemadmodum & illud superius, quomodo fuerit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ.

Quintū argum. Quintò, Leui in Abrahamo etiam decimatus est, hoc est, ad decimas soluendas ipsi Melchisedeco copulatus: Ergò est minor etiam illo. Antecedens habetur in illis verbis, Λευὶ διὰ Ἀβραὰμ δεδεκάτωται, & illustrior redditur sententia breui expositione, ὁ δεκάτας λαμβάνων, quasi dicat, Leui quidem magnus erat decimas sumendo, sed easdem pendendo agnoscit illum superiorem. Probatio verò antecedentis est, quia dum Abraham decimas obtulit, Leui adhuc erat in lumbis eius. Pertinent autem ad posteros etiam maiorum facta, dum id Analogia fert, quale hoc præsens est.

Vers. 11. Εἰ μὲν οὖν τελείωσις.

Collatio Leuitici sacerdotii, cum Christi sacerdotio. Hactenus duo effecit Apostolus: primùm ostendit Christum rectè dici Pontificem secundùm ordinem Melchisedek: deinde hunc Melchisedek maiorem ac digniorem fuisse ipso Leui. Ex quo sequitur Christi Pontificatum etiam maiorem, adeóque perfectiorem esse. Nunc expendit Christi & Leui, vel Leuitici sacerdotij cum Christi sacerdotio collationem: sic enim prærogatiua erit conspicua. Propositio est, Christi sacerdotium esse perfectius, quàm fuerit Leuiticum illud.

1. Argu. quo præstantia sacerdotij Christi asseritur. Argumenta sunt, primò, Si ordo Leuiticus fuisset perfectus: tum perfecti sacerdotij Pontifex non erat promittendus extra hunc ordinem. Sed est promissus & exhibitus extra hunc ordinē: Igitur Leuiticus ordo non fuit perfectus. Copulatum (vt vocant) totum est in Apostolo: confirmatio verò eiusdem, est interposita parenthesi his verbis, ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο: verùm singulas partes expēdamus. Antecedens cōnexi est, Si τελείωσις

τελείωσις per Leuiticum ſacerdotium erat. Hoc ſanè Iudæi tuebantur, & tanquam confeſſum habebant, & ob id ceremonias legales ſub Euangelio iudicabant ſeruādas eſſe. Adde eaſdem ad iuſtificationem aliquid conferre. Hanc ὑπόθεσιν euertit illis Apoſtolus validis argumentis, ac docet τελείωσιν non poſitam eſſe in Leuitico ſacerdotio. Τελείωσις autem intelligatur perfectio, quæ homines etiam perfectos poſſit efficere: ſic dici perfectum ſacerdotium Leui, cui nihil poſſit addi ad plenam conſummationem, & quod poſſit hominum peccata ad plenum expiare.

Conſequens eſt. Quid erat vlterius opus alium ſacerdotem ſurgere ſecundùm ordinem Melchiſedek, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Primum abſurdum colligit, idque per interrogationem aſperius facit, quaſi dicat nulla eſt ratio, cur fieret id, nulla neceſſitas vrgens. Deinde eſto, quòd in ſacerdotio perfecto fuiſſet opus perfectiori Pontifice, quam fuiſſet vel Leui vel Aaron: debebat tamen ex hoc ipſo ordine prodire: ſed ne hoc quidem obſeruatum eſt in Dei oraculo. Promiſſus eſt & alius Pontifex, & in alio ordine: certum igitur eſt hunc vſitatum hactenus ordinem Leuiticum non fuiſſe integrum. Argu. ab abſurdo.

Inter duas connexi partes, vt diximus, poſita eſt parentheſis continens probationem totius Propoſitionis hypotheticæ. Nam populus per hoc legem accepit, ſeu vt Græca ſonant, *nam populus ſuper hoc ſacerdotium lege fundatus eſt*: vult enim Apoſtolus oſtendere nullam fuiſſe rationem, cur nouus Pontificatus promitteretur huic populo extra ordinem Aaronis, ſiquidem hic fuiſſet perfectus: idque inde, quia ad hoc ſacerdotium reſpiciebat tota politia Moſis, omnes leges, tanquam ad ſcopum iſtuc referebantur: non poterat igitur ordo hic mutari ſine totius politiæ Moſaicæ euerſione. Si igitur Apoſtolus argumentatur, Sacerdotium Aaronis, quaſi ſcopus eſt totius politiæ Iudaicæ: non debuit igitur mutari ordo illius, ſiquidem eſt perfectus. Atqui eſt mutatus: non igitur habuit illam ſperatam τελείωσιν.

Deinde ſubiecta eſt etiam altera ratio, Trāſlato ſacerdotio, neceſſum etiam eſt transferri legem. Nulla autem neceſſitas eſt transferendi legem, niſi ſacerdotij imperfectio, cùm huic tanquam baſi & fundamento innitatur. Non debuit igitur hic ordo mutari, ſi perfectus fuit, ne lex ſine cauſa eſſet tota transferenda ad nouum ordinem. Legem hîc ceremonialem & iudicariam intelligo, quæ omnes authoritate Leuitarum & Pontificis executionem habebant. Lex igitur & ordo Sacerdotalis non poſſunt ſeparari. Secundū argum.

Verſ. 13. Ἐφ' ὃν γὰρ λέγεται.

Hactenus totum complexus eſt tractatum. Iam hæc verba aſſumpti conſequentis habent confirmationem, quòd ſcilic. promiſſus ſit perfecti ſacerdotij Pontifex extra illum ordinem. Ratio ſumitur à mente Pſalmiſtæ. Pſalmus inquit 110. ver. 4. loquitur de Melchiſedek Meſſia, qui non eſt de tribu Leui. Rationis confirmatio eſt, Chriſtus Dominus noſter de tribu Iuda eſt. Quare conſtat mutatum eſſe ordinem: ſequitur igitur illum imperfectum eſſe.

Verſ. 15. Καὶ περισσότερον ἔτι.

Secundum argumentum, quòd Chriſti ſacerdotium perfectius ſit, quàm Leuiticum. Sumitur ratio ab oppoſitis. Leuitæ inſtituuntur κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς. At Chriſtus κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου: ſed virtus illa vitæ inſolubilis eſt perfecta, cùm lex mandati carnalis ſit imperfecta. Igitur ſacerdotium Chriſti perfectum eſt, & meritò illi cedit illud. Initio autem magna confidentia promittit ſibi victoriam, vtpote in bona cauſa & aperto argumento. Deinde ordinem noui Pontificis repetit. Tertio, materiam argumenti ex antithetis ponit. Primùm oppoſita imparia ſunt νόμος & δύναμις, lex Moſis intelligatur in genere, vel ſpeciatim ceremonialis de Leuitis, ſacerdotibus, Pontificibus ordinandis. Δύναμις autem vis illa Euangelij legi oppoſita, ad gratiā etiam nos reuocat, cùm lex opera vrgeat. Deinde opponitur ἐντολὴ & ζωή. Præceptum eſt ceremonia, ritus ſacrorum, & vt Apoſtolus alibi ait, Litera occidens, vmbra externa. Vita autem Spiritus, res vera, vmbris præceptorum præfigurata, vis viuificādi, iuſtificandi. Denique σαρκικὸν & ἀκατάλυτον. Leuitæ habent σαρκικά, hoc eſt externa, carnalia, iiſque inhærent circa mactationes, libamina, purgationes occupantur: quæ verè ſunt σαρκικά. At Chriſtus circa ἀκατάλυτα, hoc eſt, æterna, immortalia, vt eſt iuſtificatio, & expiatio vera coram Deo, vitæ æternæ reſtitutio, renouatio Spiritus. Hæc in vtriuſque Pontificatu ſunt propria: ac inſpecta penitiùs facilè declarant, quantò Chriſti ordo ſacerdotalis illo ſit præſtantior. Sacerdotium Chriſti Leuitico perfectius.

Verſ. 17. Μαρτυρεῖ γὰρ. Ὅτι.

Confirmat alteram antitheſeos partem, Quòd ſcilicet Chriſtus ſit electus Pontifex κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Ratio eſt, quia in teſtimonio oraculi habetur, Τὺ εἶς

sacerdos in æternum secundum, &c.

Iam si in æternum duret, erit etiam eius δύναμις æterna: item vita erit ἀκατάλυτος, quod nulli hominum est concessum. Alterum verò membrum Leuitici ordinis per se notum erat, quòd scilicet circa externa versaretur: quare vt notum relinquit.

Vers. 18. Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται.

Tertium argu. de legis natura.

Tertium argumentum à natura Legis, quo ostendit, quis vsus illius sit, & quis finis, quantúmve in illa spei sit ponendum. Primùm sic cohæret argumentum. Quum antiquior lex abrogatur, necessum est eam inutilem fuisse aut debilem ad optatum finem consequendum. Sed Deus author Legis Mosaicæ eandem iam abrogat. Oportet igitur eam inutilem fuisse & imbellem. Nam ἀθέτησις alioquin locum non haberet, nec esset excusabilis, maximè cùm per eum inducatur, qui legem tulerat. Quòd autem lex Mosis abrogetur, apertum erat Iudæis, & de eo conquerebantur. Quare Apostolus eos reuocat ad causarum considerationem, cur tandem Deus patiatur eam antiquari. Causa inquit est, τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές: ἀσθενὴς dicitur, quia non est par tanto oneri, debuit expiare peccata: sed maiora sunt, quàm vt lex sufficiat illis repurgandis. Habet igitur lex in se τὸ ἀσθενές: deinde ἀνωφελὲς etiam quiddam habet, nam homines in illa quærunt, quod non reperiunt, volunt coram Domino esse iusti & mundi, ad hunc finem lex non prodest, cùm à nullo seruetur: imò magis læsa accusat homines, & reos facit coram legislatore. Est igitur illud in lege nobis prorsus ἀνωφελές: parata est igitur ratio. Quidquid est ἀσθενὲς & ἀνωφελές, id meritò abrogatur tanquam imperfectum: sed lex est ἀσθενὴς & ἀνωφελής: meritò igitur, vt imperfecta abrogatur. Minor confirmatur his verbis in contextu, Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, *lex nihil perfecit.* Porrò τελείωσις finis erat, ad quem respiciebamus in legis ceremoniis, vt nimirum essemus perfecti & integri, qualis Deus noster est. Sed ecce vsu didicimus, quòd illam τελείωσιν lex non conferat. Spe nostra frustramur, nihil agimus, imperfectio nobis semper adhæret, vtvt sacra obeamus, ablutionibus, ritibus nos secundùm legem mundemus. Est igitur lex debilis & inutilis ad hoc propositum. Sed quæri poterat, Cur ergò tradita est lex? Respondet Apostolus, Lex non per omnia fuit inutilis: sed ad hoc seruiebat, vt nos introduceret in nostri agnitionem, & elementa præberet ad agnitionem Christi, fuit tanquam παρασκευή. Apostolus inquit, fuit ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος, fuit pędagogus ad Christum. Pueris initio præscribitur isagoge aliqua in artibus, non vt in his subsistant, aut perfecti esse possint: sed vt viam habeant ad maiora & perfectiora. Talis quædam isagoge fuit lex, magnificus sanè vsus. *Melior* autem *spes*, est sacerdotium Christi, in quo obtinere possumus bona optata, quæ frustrà in lege quærebantur. Euangelium enim docet veram rationem perfectionis & iustificationis, qua falli ampliùs non possumus.

Lex cur dicatur debilis.

Cur igitur tradita sit lex cùm sit debilis.

Sequitur mox in textu fructus & vsus melioris huius spei, *Per quam*, inquit, *accedimus ad Deum*: id opponit imperfectioni legis: ac per hoc perfectionem sacerdotij Christi euincit. Ἐγγίζειν dicit, *Deo appropinquare*, h.c. reconciliari, vt bona cum fiducia & spe salutis tribunal illius accedamus. Habes igitur præstantiæ argumentum, Quidquid nos verè Deo conciliat, id perfectum est: Sed sacerdotium Christi nos Deo verè conciliat, quum Leuiticum nos debiles relinquat: Igitur illud perfectum est, & ob id hoc meritò illi cedit.

Vers. 20. Καὶ καθ' ὅσον οὐ χωρὶς.

Quartũ argum. vbi sacerdotij Christi præstantia asseritur, quòd cũ iuramento sit institutum.

Quartum argumentum, quo præstantia sacerdotij Christi asseritur. Collatio est à forma confirmati vtrinque sacerdotij. Quæ iuramento interposito instituuntur, præstantiora meritò haberi debent: sed Christi Pontificatus est institutus interposito iuramento: Leuitarum autem sine illo: Ergò Christi Pontificatus meritò debet haberi præstantior. Initio autem obserua, quomodo Apostolus ad argumentum etiam trahat particulam hanc iuramento ex prædicto Psalmo: *Etiam quatenus non sine iuramento*, quasi dicat, & id expendi debet, & ad præstantiam referri: nam iuramenta ad fidem faciendam introducta sunt, nec adhiberi solent, nisi in grauibus, adeóq; præstantibus negotiis: qualia sunt fœdera publica, pacta, contractus, obligationes, &c. Deinde Apostolus instituit antithesin. Ac primò expendit Leuitici ordinis Pontifices, *facti sunt illi*, inquit, χωρὶς ὁρκωμοσίας, sacerdotes. Quod intelligi debet de Deo instituente hunc ordinem: nam quòd ipsos attinet Leuitas, ne ipsi quidem iuramento astringuntur ad officia, sed pœnis & certis legibus in ordine retinentur. Tamen puto hæc ad Deum retulisse Apostolum hac sententia, Deus quidem vtriusque sacerdotij author est, & in eo paria videri poterant: sed in eo multum differunt, quòd idem Deus alio modo vtrunque instituerit: nam Leuiticum quidem iussit Mosen instituere, & certas etiam de eo dedit illi leges:

li leges: tamen nullo iuramento Deus declarauit, an hoc illi ita per omnia placeret, vt perfectum. Verùm Christi sacerdotium non solùm instituit, sed etiam ὁρκωμοσίᾳ approbauit & confirmauit. Sic illud simplex decretum quoddam est, de quo non erant certi quandiu durare deberet. At hoc non ἁπλῶς ita decretum est: sed declarationem & approbationem certam habet. Quò facit, quòd post antithesin partium inducit iterum versum illum ex Psal.110. Ac ad approbationem huius sacerdotij ampliorem faciunt illa, quòd ipse Dominus author sacerdotij iuret, Et iuret ipsi: nam Apostolus hæc verba, λέγοντος πρὸς αὐτόν, citat, quasi Dei sint loquentis cum Christo, & affirmantis ei, sacerdotium illius ipsi placere. Denique quòd in formula iuramenti etiam contineatur, *nec pœnitebit ipsum:* nam fieri solet vt fœderum interdum pœniteat, facti etiam & iuramenti fiat correctio. Idque nedum apud homines, sed Scriptura idē Deo interdum tribuit. Tamen vtvt sit, id in præsenti negotio tantùm habetur, non reuocari debet hæc conuentio, rata firmáque debet esse, ita vt ὁρκωμοσία insolubilis & irreuocabilis sit. Hoc de suo sacerdotio Leuitæ dicere non possunt, Deus illis non iurauit, sed simpliciter tradidit, & in tradendo non securos reddidit, illud ita semper mansurum, sine reuocatione & emendatione illi sic placiturum. Quare hoc ipso testatur, & penes ipsum vt sunt plena tradendi authoritas, sic etiam superesse voluntatem abrogandi. Psal.110.4.

Conclusio deinde sequitur in Apostolo: *Tantò præstantioris fœderis factus est sponsor Iesus.* Quæ verba alii aliter accipiunt & applicant. Alij quòd his dignitas Euangelij demonstretur ex præstantia sacerdotij Christi: alij contrà, dignitatem sacerdotij approbari ex fœderis dignitate. Quæ quidem vera sunt porismata, & fluunt ex consequenti, ex tota argumentatione: tamen ad vim concludendi non respiciunt. Quare plenum hoc συμπέρασμα accipiatur, & particula κατὰ τοσοῦτον, referatur ad antithesin factam. Nam respondet ei, quod dixerat initio huius argumenti, Καθ' ὅσον, vt Latinis quatenus & eatenus. Quare vertendum erat totum hoc argumentum, vt redditio maneret. Et quatenus non sine iuramento (nam illi sine iuramento instituti sunt sacerdotes, hic autē cum iuramento. *Per eum qui dicit ad eum, Iurauit Dominus, & non pœnitebit, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedek.*) Eatenus, inquam, melioris fœderis sponsor factus est Iesus. Sic dilucidum est argumentum ratiocinatione ex oppositis & illatione constans. Et διαθήκη hîc fœdus est, non testamentum, nisi & hoc pro fœdere & pacto sumas. Nam respicit ad ὁρκωμοσίαν, quæ in fœderibus locum habet. Et fœdus duplex facit: κρείττων præstantius, cuius sponsor est Christus: & ἀσθενὴς debile, cuius ministri erant Leuitæ. Nouum illud cùm multis de causis sit prȩstantius: hîc tamē tale dicitur propter interpositum iuramentum. Conclusio præcedentium.

Porrò Christus ἔγγυος dicitur, quòd in hoc nouo fœdere fidem suam interposuerit: est enim fideiussor vel sponsor, qui in aliena obligatione fidem suam interponit, vt nisi debitor satisfaciat, sponsor ipse faciat satis. Id quod proprium est noui fœderis, cùm vetus non habuerit spōsorem. Et hinc effectum est, vt cùm homo legibus pactis stare non posset, ipse reus traheretur rupti fœderis. At nouum fideiussorem Christum habet, qui spopondit se pro suis satisfacturum & legi & voluntati Patris. Ac ex vi sponsionis illius pro nobis compulsus est etiam mori.

Vers. 23. Καὶ οἱ μὲν πλείονες.

Quintum argumentum, quo imperfectionem Leuitici sacerdotij, & contrà præstantiam Christi sacerdotij demonstrat. Sumitur hoc à vitæ diuturnitate ac breuitate. Leuiticum ab vno ad alterum translatum est morte interueniente: mortales enim cùm essent, naturȩ cedere debuerunt. hinc per plures continuatum est. Sed Christus in suo sacerdotio vnus est, & manens εἰς τὸν αἰῶνα. Possunt tamen duo hinc sumi argumenta: nam gemina est collatio. Prior in numero, Illic multi sunt: hîc verò vnus. Οἱ μὲν πλείονές εἰσι γεγονότες ἱερεῖς: membrum hoc dilatatum est circunductione, cui respondet ὁ δὲ scilicet εἷς, istic multi, hîc vnus. Porrò multitudo, imperfectionis est certissimum argumentum. Vnum rebus sufficere, præstantiæ est & perfectionis: Christus vnus sufficit: Leuitæ verò multi non sufficiunt. Igitur hoc imperfectum & Christi sacerdotio, vt perfectiori: cedere debet. Quintū aliud arg. quo ostenditur Leuitici sacerdotij ἀσθένεια contrà sacerdotij Christi præstantia.

Deinde altera est collatio durationis: illi morte præuenti nō sunt durabiles: sed Christus manet εἰς τὸν αἰῶνα. Ex quo sexta fluit ratio, Mors est imperfectionis argumentum, æternitas autem perfectionis: Christus æternus est sacerdos, Leuitæ autem temporanei tantùm. Ex quo Apostoli est συμπέρασμα, Ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην, hoc est, *sacerdotium, quod transferri non potest.* Nam in conclusione respicit ad imperfectionem Leuitici sacerdotij, quod ab vno ad alterum erat transferendum, vno demortuo succedebat alius: quo pacto παράβατον erat sacerdotium, non in vno perdurans: sed Christi non est

tale, impoſſibile eſt, vt ad alium transferatur: ratio eſt, Quia Chriſtus non moritur, manet in æternum. Quare Chriſtus etiam non habet vicarium aut ſucceſſorem in ſuo Pontificatu: nondum enim eſt mortuus, nec deiectus de ſua dignitate. Atque illud eſt, perfectum illius eſſe ſacerdotium, cùm non habeat opus multorum continuatione, &c.

Verſ. 25. ὅθεν καὶ σώζειν.

Πόρισμα illud iam eſt ex concluſione præcedenti fluens: continet autem cauſas finales perpetui illius ſacerdotij. Finis eſt σώζειν, ſeruare ſuos. Quòd autem poſſit, ratio eſt, Πάντοτε ζῶν *ſemper viuit*, & proprium eius eſt σώζειν: poterit ergò. Quatenus autẽ poſſit, reſpondet εἰς τὸ παντελὲς, id eſt, plenè: nam Chriſtus & ſolus ſaluat, cùm ſolus ſit Põtifex: & perfectè ſaluat, cùm perfectum habeat ſacerdotium. Porrò, quos ſaluet ſi quæras, habes paratum reſponſum, τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ, quo demonſtrat ad pios meritum Chriſti pertinere, qui auidi & cupidi ſunt ſalutis. Deinde quò dirigi debeant cogitationes noſtræ & preces, ad Deum Patrem: hunc nobis adorandum monſtrant ſacræ literæ, & de ſalute noſtra ſolicitandum. Tertiò, per quos nobis aditus pateat ad Dei Patris tribunal: non ſanè per alia media, ſed δι' αὐτοῦ ſimpliciter inquit. Chriſtus ergò organum illud eſt ſalutis noſtræ. Quo refellit Iudæos, ceremonias ſuas, tanquam ſalutis media oſtentantes: & noſtram hodie dementiam pluſquam Ethnicam in conquirendis aliis patronis & interceſſoribus pro nobis, tum apud Deum Patrem, tum etiam Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Vltimo loco, quomodo ſuos ſaluet, quò pertinet particula εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν: nam redemptionis opus iam in cruce morte ſua inchoatum, reſurrectione perfectum eſt. Intercedendo autem quotidie pro noſtris delictis, nobis applicatur & vtile redditur, vt non ſolùm æternam conſequamur vitam: ſed etiam in hac beneficio Chriſti mitiùs tractemur. Atque id etiam proprium eſt Pontificis, intercedere pro populo ſuo & ad fines pertinet.

Qui à Chriſto ſeruari dicũtur.

Verſ. 26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν

Quarta huius cap. pars de boni Pontificis dotibus.

Quarta pars capitis, in qua boni & perfecti Pontificis dotes, ac conditiones recenſet: non enim parum refert qualis ſit ille, qui pro aliis velit & debeat intercedere. Ac pertinent eadem etiam hæc ad confirmationem, quòd Chriſti ſacerdotium ſit perfectius Leuitico. Quare per ætiologiam ſuperioribus ſunt annexa.

Initio admonet nos in diſputatione de perfectione Pontificatus, expendendum eſſe, non in genere, qualis ſit perſona Pontificis: ſed qualis debeat eſſe, qui nobis ſit futurus vtilis. Quare ſecundùm quid conſiderandus eſt, vt rebus humanis ſit idoneus. Nam hoc pacto maior in ipſo requiretur perfectio, quantò maior eſt totius humani generis corruptela. Et verbum ἔπρεπεν *conueniebat* interpretor: ſic enim dilucidior eſt ſententia ad hunc modum. Pontifex, qui pro rebus humanis velit vtiliter intercedere, eum conueniebat haſce ſequentes habere conditiones: quæ cùm ſine controuerſia non poſſint competere Leuiticis, ſatis conſtat non fuiſſe vtiles rebus humanis. Et mox ſubiectæ qualitates particularem efficiunt perſonæ deſcriptionem, quæ vni & ſoli competit Chriſto.

Prima proprietas eſt, vt ſit ὅσιος, ſanctus, & ad res Diuinas γνήσιος integer & ſufficiens, περὶ τὰ θεῖα ἐσπουδακώς, item qui iuſtus ſit, δίκαιος in rebus Diuinis. Ἄκακος à dolo & malitia alienus: dicuntur enim ἄκακοι ſimplices in malo, à ſtudio nocendi alieni: hinc corda τῶν ἀκάκων, id eſt, ſimplicium dixit Apoſtolus 3. Ἀμίαντος, impollutus: nam cædibus & mactationibus polluebantur Leuitici ſacerdotes, cùm ſanguis afferendus & offerendus eſſet, Chriſtus alienus à cęde debuit eſſe, non alieno ſanguine litare. Hinc agnus immaculatus dicitur, quo fuit præfiguratus Exod. 12. Ἀμίαντος debet eſſe Pontifex, hoc eſt, καθαρὸς, purus, 4. *Separatus à peccatoribus*, hoc eſt, cùm Pontifex pro hominibus velit vtiliter intercedere, ídque propter peccata, par erit, vt ipſe à peccato ſit immunis, nullum habeat conſortium cum peccatoribus: quod intelligi debet de cõſenſu peccati, de communione mali. Nam cura expiandi peccatores, conſortium etiam redimendi, curandi: item conſortium naturæ non excluditur, homo debet eſſe, & hominibus conuerſari, iiſdémque poſſe & velle condolere: ſed peccato omni debet carere.

Exo. 12. 5.

5. Ὑψηλότερος, τῶν οὐρανῶν γενόμενος, *cœlis altior factus*. Ad perfectionem ſacerdotij etiam pertinet eminentia ſupra omnes creaturas. Quo oſtendit dignitatem hanc non ſolùm hominibus Leuitis negatam: ſed Angelicis quoque creaturis. Deinde voluit mentes noſtras auocare à terrenis illis mediis, ad quæ ſolent homines recurrere, & mõſtrare propitiationem omnem in cœlis apud Dei tribunal gratiæ quærendam, quò euectus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

6. Qui non opus habeat pro ſeipſo expiatione: nam imperfectio eſt ſeipſum etiam expiare,

expiare, priusquam pro aliis intercedat.

7. Qui semel oblata hostia, non repetitione indigeat: nam & Pontifex & hostia sic demum erit perfecta. Et hoc in Leuitis deerat, vt etiam reliqua: sed id vt manifestum in illis carpit, nam sua expiant peccata primùm, deinde demum populi, atque id in dies repetunt. Certum igitur est semper mansisse peccatum & præteritas hostias non fuisse sufficientes. At Christus sui corporis hostiam tantùm semel obtulit, quæ sufficiens est pro totius mundi peccatis: deinde pro se nihil obtulit cùm peccato omni careret. Hæ proprietates tales sunt, vt facilè constet ne minimam quidem in Leuitis locum verè & perfectè habuisse. Soli autem Christo competunt, atque adeò perfectè & in solidum. Solus igitur hic perfectus est Pontifex. Num. 28. Leuit. c. 9. 16.

Vers. 28. Ὁ νόμος γδ.

Argumentum à propriis: ostendit enim hanc esse naturam legis, vt imperfectos habeat sacrorum ministros. Contrà Euangelij, seu nouæ legis esse proprium, perfectum habere Pontificem. Constat argumentum ex oppositis: primùm ἀντίθετα sunt νόμος & λόγος ὁρκωμοσίας, & priùs opposuit Leuiticum ordinem & Melchisedeci ordinem. Deinde commune est vtriq; Pontifices creare. Iterum pergit antitheta explicare, quibus conspiciatur differentia vtriusq; ordinis. In lege sunt ἄνθρωποι simpliciter: hic verò υἱός, qui natura etiã Deus est & Patri similis: illic tẽporanei sũt, hìc verò est αἰώνιος illic ἀσθένεια hic τελείωσις. Quare sequitur id quod propositum fuit, Christi Pontificatum perfectum esse, & ob id etiam rebus humanis valde vtilem. Atque hic ordo Propositionum obseruetur in hoc cap. Primùm Christũ rectè conferri cum Melchisedek, deinde Melchisedek maiorem esse ipso Leui: tertiò, Christum etiam superiorem Leui esse: ac quartò veris perfecti Pontificis notis demonstrauit præstantiam sacerdotij Christi, &c.

CAPVT VIII.



IN eodem argumento fermè etiam hoc capite pergit Apostolus, nisi quòd superiora magis fuere συγκριτικά: nam tria in collationem veniebant, Christus, Melchisedek & Leui, ex quibus singulos singulis contulit. Hic verò non tam confert, quàm explicat: nam Christi sacerdotium docet esse cœleste, idque firmis rationibus. Ac fœdus illius iam ab antiquo per Prophetas fuisse vt perfectum & nouum promissum. Contrà Leuiticum non fuisse verum, nec ob id introductum vt perpetuò duraret, sed vt vmbra esset & typus veri illius & cœlestis tabernaculi. Ad hanc rem conficiendam, & rationes, & aperta Scripturæ testimonia producit. Cap. 8. argum.

Partes duæ erunt, quarum prior ad præstantiam sacerdotij Christi pertinet. Posterior de vmbratili tabernaculo veteris Testamenti loquitur, eiúsque abrogatione, ac noui veríque successione. Diuisio.

Propositio generalis est. Christi sacerdotium est cœleste, verum ac spirituale, cuius vmbra Leuiticum fuerit externum & caducum, ideóque illo patefacto iam meritò hoc vt vmbra corpori cedere debet. Propositio generalis, sacerdotiũ Christi Leuitico præstantius probatur argum.

Vers. 1. Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς.

Ἀνακαίνωσις est principalis quæstionis, hoc est renouatio quædam Propositionis. Alij ἀνακεφαλαίωσιν, alij summam Epilogi intelligunt. Verùm notum est κεφάλαιον significare in disputatione & cursu orationis ipsum statum, ipsum Κεινόμενον, quo est certamen inter partes. Hinc apud Hermogenem legimus κεφάλαια γυμνικώτατα, hoc est, locos principales, qui confirmandi aut in fringendi sunt oratori.

Sensus igitur est Apostoli, Principalis quæstio eorum quæ hactenus diximus, illa est: quo sensu post longam disputationem nos ad scopum reuocat, ne extra carceres euagemur. Idque ἀνακαίνωσιν προτάσεως appellant.

Deinde repetita Propositio in illis continetur verbis, Τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, quæ verba supple ex fine præcedentis capitis ἀπὸ κοινοῦ tantùm resumpta vltima voce. Hoc pacto, Τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα τετελειωμένον, habebis plenam Propositionem, sublata omni obscuritate. Ac de hoc ipso hactenus certamem fuit, perfectúsne esset Christus sacerdos. Esse hactenus confirmatum est ab Apostolo, & mox ad idem plura adhibentur argumenta.

Ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ. Explicatio est Propositionis per circũstantias, quæ singulę etiam vim argumenti habent: si enim Christus perfectus est Pontifex, debet apud Deum perpetuò esse, vt intercedat, debet pro sanctis suis intercedere, debet in perfecto esse etiã tabernaculo, debet perfectã offerre hostiã, non debet in vmbris & typicis occupari rebus:

& hæc ſingula argumentum habent, ſi loco medij adhibeantur. Singula igitur expendemus.

Primum inquit, *Qui conſedit ad dextram throni maieſtatis in cœlis*. Sedere ad dextram Dei, per ſe perfectionis eſt, ac ſolius Filij Dei, vt ſuprà cap.1. vidimus. Quia ſedere Chriſtus dicitur, plena eſt eius potentia: id enim regium eſt & plenam habentis poteſtatem, quem nemo poſſit eiicere. Deinde non ſolùm ſedet, ſed ad dextram Dei, quod eſt eiuſdem authoritatis cum Patre: nec ſolùm id, ſed ad thronum maieſtatis, quod eſt eiuſdem etiam naturæ ac potentię, ídque in cœlis, nam iſtuc corpore humano aſcendit. Hęc Chriſto Pontifici inſunt: neceſſum igitur eſt perfectum eſſe Pontificem cum poteſtate, tum maieſtate, ac authoritate.

Chriſtus miniſter ſanctorum.

Secundò, τῶν ἁγίων λειθυργός. *Sanctorum miniſter*, λειτυργός dicitur publicus miniſter, & Magiſtratuum etiam officia λειτουργίαι dicuntur, ſacrorum item, priuata quoque. Sic Apoſtolus Rom.15.v.16. ait ſe Ieſu Chriſti eſſe λειτυργὸν ad Gentes. Alciatus vult dici ἐκ τοῦ λειτοῦ, quod idem eſt ac λήϊτον, hoc eſt, δημόσιον publicum, & ἐργεῖν. Ac rectè quidem: nam Pontifices pro toto populo munus obibant, ſed qui iam peccaſſet, vt illum Deo reconciliarent. At Chriſtus τῶν ἁγίων eſt λειτυργός: nam ſemel paſſus eſt Chriſtus pro noſtris peccatis. Ex quo qui ſpem ſuā in eius meritū ponunt iam ſancti dicūtur & ſunt. Et illud λειτούργημα ſemel tātùm obiuit. Alterū tamē eſt officij genus, quod ſemper adhuc durat: nimirum ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν, pro ſuis enim intercedit πάντοτε, vt priùs dixit. Ex quo officij genere hîc λειτυργός dicitur. Quare illa eſt ſequela: Chriſtus ſanctorū, id eſt redemptorū eſt λειτυργός: eſt igitur perfectus Pōtifex, nā tuetur eos, vt non recidāt in mortalia peccata. Id Leuitæ præcauere non poterant: ſunt igitur eo imperfectiores.

Tabernaculum duplex.

Tertiò, *veri tabernaculi eſt etiam miniſter*: ἀληθινὸν hîc τέλειον intelligo, γνήσιον, perfectū, natiuum, æternū: cui opponitur σκιὰ & σκιῶδες ὑπόδειγμα, τύπος, quod imperfectum eſt ſimulachrum & vmbra alicuius veri, & perfecti corporis. Duplex igitur hîc cōſtituitur tabernaculum: vnum σκηνὴ ἀληθινὴ dictum, quod verum, quod æternum, quod perfectū eſt: Atque huius λειτουργός eſt Chriſtus. Alterum non verum, ſed illius tantùm ſimulachrum & vmbra: huius miniſtri ſunt Leuitæ. Fuit hoc Hieroſolymis cultum, & legibus certis in templo illo per miniſtros ſuos ſacra ſua habuit. Illud autem verum, cuius miniſter eſt Chriſtus, in cœlis eſt. Hinc ſequitur illud argumentum, perfecti tabernaculi oportet etiam eſſe perfectum Pōtificem: ſed illud eſt verum & perfectum tabernaculum: Oportet ergò Chriſtum eius miniſtrum eſſe perfectum Pontificem.

Quartò, *quod fixit Deus & non homo*. Pertinent quidem hæc verba ad confirmationem veritatis & perfectionis tabernaculi illius ad hunc modum. Quæ Deus immediatè inſtituit & confirmat, meliora & perfectiora eſſe oportet, his quę mediatè per homines hominibus tradit. Sed tabernaculum illud cœleſte immediatè Deus confirmauit ac fixit. Externum verò vmbratile illud Aaronicum per Moſem introduxit Deus: Eſt igitur illud perfectius. Tamen ſimpliciter poſſunt ad inſtitutum facere: perfecti artificis perfecta ſunt opera: ſed Deus perfectus eſt artifex: perfectum igitur eſt opus, tabernaculum nimirum illud cœleſte. Illuſtrior verò eſt antitheſis in authoribus, Illius conditor Deus abſolutè verus & perfectus. Huius verus author eſt Moſes. Quāta verò authorum differentia eſt, tanta etiam in operū perfectione & imperfectione. Prætereà notetur in verbo ἔπηξεν relatio ambigua, nam vel ad Deum Patrem referri poteſt, vel ad Chriſtum Deum: nam is ſanguine ſuo ſtabiliuit & confirmauit illud tabernaculum, & obſignauit, vt impuris nullus ad hoc pateat aditus.

Quintò, integrum ſequitur enthymema. Sumitur ab officio proprio Pōtificis, quod eſt προσφέρειν δῶρα καὶ θυσίας. Quare antecedens libenter ad Chriſtū Deum refero, quòd is fixerit hoc tabernaculum, id eſt, confirmarit & ſtabilierit. Hinc enim ſequebatur illa tacita cogitatio, Cur verò neceſſum erat Chriſtum ſanguine proprio tabernaculū cœleſte ſtabilire? Reſpondet igitur commodè Apoſtolus ab officio proprio. Omnis Pontifex debet habere hoſtiam, quam offerat: Chriſtus eſt Pontifex, Ergò Chriſtus etiam debuit ſuam habere hoſtiam. Iam ad inſtitutum principale procede. Perfecta hoſtia eſt perfecti Pontificis. Chriſtus obtulit perfectam hoſtiam, corpus ſcilicet proprium. Eſt igitur perfectus etiam Pontifex. In minore occulta eſt antitheſis: nam quòd Chriſtus proprio ſanguine litauit, præſtantior meritò eſt Leuitis, qui pecudum cæde litabant.

Pontificatus Chriſti cœleſtis. Pſal.110.

Sextò, Pontificatus Chriſti non poteſt eſſe in terra: Ergò cœleſtis eſt, & ob id perfectus. Antecedens probat Apoſtolus, quia hic locus deputatus eſt ceremoniis legalibus, & Leuiticis oblationibus: ſunt hæ vmbræ tantùm: Ergò cum illis nec loco etiam debuit confundi ſacerdotium Chriſti. Inconueniens locus non debet rei aſcribi. Ex quo valet argumentum, Si terreſtre ſtatuatur illius ſacerdotium, ne ſacerdos quidem

eſſe

esse potest. Atque id est impossibile, & contra Dei æternum decretum, qui dixit illum Pontificem in æternum secundùm ordinem Melchisedek: non ergò debet in terra stare illud sacerdotium. Complexum totum probatur in Apostolo, *quia istic sunt sacerdotes legales*, quasi dicat, terra deputata est ceremoniis & vmbris, non veris rebus & perfectis, quale est Christi sacerdotium.

Hæc simplex est & aperta Apostoli sententia, nihil enim habet à verbis & sententiis contextus alienum & tortum. Magis etiam sequentibus cohærent ad eum modum.

Vers. 5. Οἵτινες ὑποδείγματι.

Explicat cur Christi sacerdotium cum Leuitico non debeat confundi in hac terra, hoc est, quare simul stare non possint.

Cur Christi sacerdotiũ cũ Leuitico simul stare non possit.

Ratio est, Leuitici sacerdotes seruiunt simulachro tantùm & vmbræ, ὑποδείγματι & σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων: Ergò non debent coniungi in terra: sed Leuiticum, vt vmbratile in terris manet, Christi verò vt verum exemplar in cœlis debet constitui. Quòd autem totum illud Leuiticum tabernaculum fuerit vmbra tantùm & simulachrum cuiusdam perfectioris tabernaculi, & sacerdotij, probat authoritate Scripturæ. Locus est Exod. 25. vers. 40. vbi Moses author illius tabernaculi, iubetur totum conficere κατὰ τὸν τύπον, hoc est, ad exemplar illud, quod in monte viderat. Tria igitur videntur hæc inter se distincta esse: primum, verum tabernaculum sanctorum in cœlis: deinde eiusdem τύπος, quem Moses in monte viderat, nec enim est verisimile, quòd veram rem oculis carnalibus sit contuitus: sed gustum quendam æternæ illius perfectionis. Quare τύπον appellat, quasi dicat ideam & exemplar rei cuiusdam perfectioris.

Tertiò demum est tabernaculum Mosaicum manibus opificum constructum, ad typi illius imitationem, quem credibile est nullo pacto manus artificum potuisse adæquare tum elegantia, tum perfectione. Vide ergò quantum à rei veritate abfuerit, cùm typum nõ assequi potuerit. Res ipsa, ἐπουράνιον, τύπος & ὑπόδειγμα rem satis hîc illustrãt. Ὑπόδειγμα est secundaria pictura: quare rectè dicitur σκιὰ vmbra, vtpote à veritate rei longiùs recedens. Τύπος autem expressum exemplar ad imitationem propositum, non tamen est res ipsa, alioquin non esset τύπος. Ἐπουράνιον verò dicitur corpus ipsum, veritas & res ipsa, cuius typus exemplar est, &c.

Vers. 6. Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας.

Septimò, præstantiam sacerdotij Christi arguit à præstantia Testamenti. Perfectiora Testamenta, perfectiorem habent Pontificem: nouum est perfectius veteri: Ergò Christus noui Testamenti Pontifex est præstantior Leuitis, qui ministri sunt veteris. Minor indiget explicatione, quomodo nouum Testamentum sit præstantius veteri. Primùm propter pleniorem gratiæ Dei perfectionem, quia gratis admissurus est nos in cohæredes Filij sui, modò eius merito nos muniamus. Deinde ob vberiorem Spiritus sancti communicationem. Tertiò, propter pleniorem Dei cognitionem, qui apertè trinus agnoscitur, & sese ita patefecit quidem Patribus, sed in vmbris. Præstantius etiam est, quia ad plures spectat: nam vetus ad certum tantùm populum pertinuit, at hoc ad omnes Gentes: sunt autem bona meliora, quãtò sunt communiora. Atque huius est Christus μεσίτης, hoc est, Mediator: illius autem Leuitæ.

Testamẽtum nouum veteri præstantius.

Octauò, à promissionum præstantia. Noui Testamẽti perfectiores sunt promissiones quàm veteris: Ergò Pontifex huius quoque est perfectior, quàm illius. Apostolus inquit, *lege firmatum est auctioribus promissionibus*. Meliores promissiones intelligo hominibus magis salutares & aptiores, qualis est promissio de peccatorum remissione per fidem sine operibus legis: item missio Spiritus sancti, illuminatio cordium, quæ promissiones quasi lege firmatæ sint, quæ est æternum Dei decretum. Adde formulam confirmationis, quòd iuramento interposito Deus Pater per Prophetam ad hoc munus confirmauit & deputauit Christum Filium suum.

Præstantia promissionũ noui Testamẽti.

Vers. 7. Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη.

Hactenus de præstantia Christi: iam de imperfectione Leuiticæ legis, imò totius veteris Testamenti, vel legis Mosaicæ abrogatione. Sententia sequentium est, legem Mosaicam vmbram tantùm fuisse noui Testamenti, & ob id illo iam patefacto, vetus debuisse iam cedere.

De Leuiticæ legis imperfectione.

Argumentum est, Si vetus Testamentum fuisset integrũ & perfectum, nouo nõ fuisset datus locus. At nouo datus est locus: Igitur vetus non fuit perfectum. Complexum totum habet Apostolus, & verum est, quia nulla fuisset ratio introducendi aliud Testamẽtum, si primum istud fuisset ἄμεμπτον, hoc est, labe & defectu caruisset. Quare vnica causa impellens ad nouum condendum fœdus fuit prioris illius imperfectio, non poterant homines per id ad optatum peruenire finem: imò ne seruare quidem aliqua

ex parte. Quæsita est ergo ratio noui fœderis. Expende autem quomodo Apostolus à disputatione de Leuiticis ceremoniis transeat sensim ad totius Testamenti veteris ac legis Mosaicæ abrogationem.

Testamētum vetus totū à nouo tollitur.
Ierem.31.32.33.34.

Occasio sumpta est ex voce διαθήκης, quæ & fœdus & Testamentum sonat. Ac ea visus est præcedenti capite pro fœdere, cùm de Christo confirmato Pontifice interposito iuramento loqueretur, cùm Leuitæ sine iuramento eam dignitatem acceperint. Nunc eandem pro tota lege accipit: ac à toto abrogando, demonstrat etiam Leuiticas ceremonias, quæ legis pars sunt, abrogandas esse. Deinde alia est ratio, quæ mihi etiam magis arridet. Disputatio tota est de fœdere: ac vox διαθήκη, vt priùs, ita in sequenti Ieremiæ testimonio semper pro fœdere accipi debet. Ita meliùs consistunt argumenta: ac hactenus partem antiqui fœderis cum parte noui contulit, eam nimirum, qua Leuitæ in eo comprehensi erant, & ministeria sacerdotalia pro populo in conseruando toto fœdere debebant obire, cum intercessione ac hostia Christi, quę noui pars est: ac ostendit partem illam ab hac tolli tanquam perfectiore ac præstantiore. Iam totum cum toto confert, ac eodē modo conuincit vetus totū à nouo fœdere integro & perfecto tolli. Quam ad rem elegit testimonium tale, in quo vtriusque expressa esset mētio: ac promissio quidem noui tanta, cum qua vetus subsistere non possit. Ad hāc igitur rationem contextum hunc inspiciemus, ac mēbra membris applicabimus. Sit igitur hic Syllogismus Apostoli: Si antiquum fœdus fuit perfectum ac sufficiens, non erat opus nouum promittere. Sed Deus promisit nouum: Ergò antiquum nō fuit sufficiens. Assumptum, quòd scil. nouum Deus promiserit, est Apostolo probandum. Id facit oraculo & authoritate Prophetæ, hoc expresſè ex ore Dei scribentis. Ac initio aditum sibi facit. Μεμφόμενος γδ' αὐτοῖς λέγει. Quo commate ostendit ruptum esse fœdus, & violatum, non quidē à Deo: sed à populo, cum quo erat contractum. Nam vt fœdus aliquod perfectum & integrum dicatur, necessum est, vt primùm extent fœderis certi articuli & conditiones. Deinde vt vtrinque in illos sine ambiguitate exprimatur partium cōsensus. Tertiò, instrumentis & ritu aliquo externo confirmetur & concludatur. Vltimum deinde est & longè maximū, vt partes actionibus, moribus, dictis in conditionibus persistāt: nam & factis & dictis & moribus violari possunt, violata fœdera iam imperfecta & cassa pergunt esse. Quare ostendit Dominum iratum Iudæis & iræ causam insinuat rupta fœdera. Hinc illa indignatio, ac iusta reprehensio: hinc nouum consilium noui fœderis.

Ierem. 31.32. Testimonio probatur rerum mutatio tēpore Messiæ.
1. Differentia à fœderū tēpore.
Communis vtriusquę author.

Sequitur nunc ipsum testimonium ex cap.31. Ieremiæ. *Ecce dies venient dicit Dominus.* Exordium illud est, sumptúmque à circunstantia temporis & personæ. Temporis est nota, *Ecce dies venient.* Ostendit autem rerum immutationem fore Messiæ tempore. Tempus legis iam prætererat bona parte, & vsus iam edocuerat, quàm perfidè Iudæi fœdus cum Domino initum seruarent. Quare admonet populum Ieremias, vt erigant mentes & confidant bonitati Diuinæ, futurum vt sublatis istis conditionibus nouum statuatur fœdus per Messiam. Et ex eo statuatur prima fœderum differentia, nam tempore differunt, cùm antiquum confirmatum tempore, nouum præcesserit reuelatum. Personæ autem circunstantia est cùm ait, λέγει κύριος, pro quo septuaginta legunt φησὶ κύριος, sed eodem sensu. Ostendit autem eundem fore noui fœderis authorem. Quare hæc ad similitudinem vtriusque pertinent: commune enim vtrique est, quòd eundem habent authorem. Quò facit id quod initio epistolæ huius dixit, Deum locutum patribus per Prophetas: nobis autem per Filium. Idē igitur est Deus vtriusque populi, idem author legis & Euangelij: nam is est Dominus, qui hîc populum rupti fœderis accusat, ac nouum promittit, qui illud vetus cum Mose & Patribus promiserat.

Porrò exordiolum hoc totum accommodatur ad attentionem, nam & Deus hîc loquitur aliquid, & futuri cuiusdā negotij magna promittitur spes. Adde quòd Propheta per se etiam exigat attentum auditorem, cùm ait *ecce*, quod semper nouis & admirandis narrationibus, aut euentibus raris & obseruatu dignis solet pręmitti. Audiamus ergò attentè, quid velit proponere.

Et disponam cum domo Israel, & cum domo Iuda fœdus nouum. Exordio subiicitur iam πρόθεσις: sententia enim est. Ego Dominus nouum fœdus cum posteris vestris inibo. Ac in propositione hac obserua tria exprimi: primùm quid promittatur: deinde quibus & cum quibus: tertiò, quomodo.

Ad primum pertinet διαθήκη καινὴ, hoc enim in quæstione fuit, an promitteretur à Domino? Habes autem id statim in propositione. Itaque iam solutus esset nodus & confecta conclusio. Deus promisit hîc nouum: Igitur antiquum illud non fuit perfectum: tamen Apostolus maluit totum illum locum subiicere, quò & forma noui fœderis, & discrimen eius à priore magis conspiceretur.

Refera-

Referatur igitur hoc etiam ad differentiam fœderum: nam πρώτη ἐκείνη διαθήκη, & 2. Diffe-
δευτέρα hæc hic promissa διαθήκη in eo etiam differunt, quòd hoc fœdus dicatur δια- runt ap-
θήκη καινή. Ex quo sequitur illud appellandum παλαιὰν διαθήκην. pellatio-

Nouum autem dicitur his de causis, vt apparet: primùm propter antithesin tempo- nibus diuersi tempo-
rum, nam quæ tempore solent se subsequi & antecedere, illa respectu simili dicuntur noua & vetera. Deinde propter nouam formam & hactenus non vsitatam in priori fœdere de qua mox. Sunt & tertiò alia multa hîc noua quę meritò illi hoc nomen imponunt: primùm sunt promissiones hîc nouæ, nam cùm vetus habeat promissiones terræ sanctæ, ac felicitatem externam proponat, idque certis conditionibus, nouum omne illud transfert ad vitam æternam, de abolenda morte, de renouanda natura hominis, de iustitia donanda per Christum. Secundò noua hîc est inuocatio: nam vetus illud alligat inuocationem veram, vt reliquos etiam ritus, ad certum locum. Nouum verò loco omnia nobis libera facit, ac promittit Deum propitium, modò verè inuocemus, quò facit locus Ioann. 4. Ioann. 4. 21.

Tertiò noua etiam hîc est lingua, nam antiquum veteri Hebrea lingua conscriptum est, quæ habet antiquitatis certum argumentum. At nouum Græca lingua, quæ recentior est, quo declarauit S. sanctus transferri etiam regnum & prerogatiuam Iudaici populi. His ac similimus rationibus dici potest nouum. Διαθήκη autem cur dicatur, in locis communibus tractabitur: apud Hebræos est, *Berith*, quod fœdus propriè significat.

Secundum est in propositione, quibus promittatur hoc fœdus, hoc est, ad quos pertineat, *Ad domum Israel, & ad domum Iuda*. Israelis nomine decem tribus intelligi pla- Per Iuda
cet Iudæis. Iuda verò continet Beniamin & Iudam, atque cum his contrahendum erit & Israel
nouum illud fœdus: verùm cùm decem tribus nunquam ex captiuitate sint reuersæ, & quid in-
reliqui etiam à Romanis dispersi, videant ipsi Iudæi, quomodo hîc suas tueantur par- telligen
tes. Israël igitur & Iuda intelligatur iuxta Spiritum: nam cùm Apostolus 1. Cor. 10. ap- dum.
pellat Israëlem iuxta carnem, satis ostendit alium esse Israëlem iuxta Spiritum, qui secundùm Dei placitum viuit. Cum illo Israële fœdus hoc initum est.

Tertia hæc sit differentia, quòd fœdus antiquum pertinuit ad specialem & carnalem 3. Diffe-
populum Hebræorum: nouum verò ad vniuersalem & spiritualem Israëlem, qui col- runt au-
lectus est ex Iudæis & Gentibus. Ratio est, quòd Iudæi non possunt monstrare, vbi hæc ditori-
inter ipsos sint completa. Nam si excipiant sub Esdra hoc factum 2. Esdræ. 9. vers. 38. Re- bus.
spondemus id non esse nouum fœdus, sed antiquum renouatum. Quod priùs iam etiam fecerat Iosias 2. Reg. 22. vers. 13. Deinde Esdras non Israëlem & Iudam habuit, sed modicas ipsorum reliquias.

Tertium in Propositione est, Quomodo promittatur, συντελέσω inquit, *consummabo*, pro quo septuaginta legunt, διαθήσομαι componam, disponam. Atque hinc διαθήκη originem trahit. In Hebræo est *vekaratti* & percutiam fœdus. D. Augustinus alibi verbum consummabo trahit ad perfectionem, quòd voluerit noui Testamenti hîc ampliorem declarare, quàm veteris perfectionem: & quanquam verbum Hebræum id non sonet, tamen sensus Græci & Latini verbi pius est. Et reuera τελείωσις ad nouum pertinet Testamentum. Quare & hoc ad discrimen vtriusque referatur. Nam τέλος ve- 4. Diffe-
teris Testamenti fuit Christus, is in nouo reuelatur, & simul traditur perfecta salutis runt per
ratio, qua in veteri per typos & vmbras fuit delineata. fectione

Vers. 9. Οὐ κατὰ τὴν διαθήκην.

Sequitur διάκρισις, qua nouum fœdus expressè à veteri separat, ac distinguit. Vetus à personis & tempore circunscribit, nam cum patribus sub Mose factum est: deinde cùm educerentur ex seruitute Ægyptiaca. Ab illo distingui debet nouum: non ergò dubium, quin à Mosaico separet. Patrum persona ad auditores pertinet: liberatio ex Ægypto ad differentiam temporis.

Ὅτι αὐτοὶ οὐκ. Ratio subiicitur abrogati antiqui fœderis. Perfidi sunt facti in priori Ratio
fœdere, satis igitur est causæ vt abrogetur. Porrò non videtur eadem sententia Græci abroga-
& Hebraici contextus: tamen vtraque pia & vtilis. Græca ex causa consequentiam ne- ti vete-
ctunt: Iudæi in fœdere non manserunt, ego igitur etiam eos neglexi. Qua sententia cau ris Te-
sa abrogati Testamenti reiicitur in Iudæos. Atque id duplici modo: primùm enim causa stamenti
est infirmitas, qua Legem præstare nemo potuit Act. 15. vers. 10. Hinc effectum est, vt rei simus facti, & irę Diuinę subiecti: nemo enim per legem saluari poterat, nisi impleuisset eam, quò nostra infirmitate non poteramus peruenire.

Deinde non solùm hoc pacto legem & fœdus ruperunt, sed malitiosè etiam, quæ seruare potuissent, neglexerunt: vt est idolorum cultus, aliaque vitia contra religionem & bonos mores introducta. Qua de causa motus Dominus Iesus Christus, præcepta

legis corrupta ab ipsis, corrigit & interpretatur Matth 5. vers. 2.

Ad hanc corruptelam respicit illa consequentia κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, q. d. malitiosè transgrediuntur leges fœderis mei, *quare & ego contempsi ipsos*: illi me non curant, quare ego curarem eos? illi fœdus fregerunt, quare ego seruarem?

Hebræa verò hanc dant sententiam. Eò quòd ipsi ruperunt pactum meum, & ego dominatus sum illis, inquit Dominus. Quę verba antithesin habent: nam causa in ipsos recidit iterum, at Deus interea tenax promissionum asseritur: est autem *hephir*, quo verbo hîc vtitur, malitiosè & petulanter dissipare, violare minutim, inde *peraphruoth*, frustillatim, *broskloтt vnd stuck verk* vocant Iudæi. De se autem Deus ait, At ego *bagnalti* hoc est, dominatus sum eis, cuius etiam duplex est sensus: nam quidam hunc dicunt, illi quidem fœdus meum violarunt: tamen ego ipsos interea potenter retinui sub iugo meo, & grauiter vltus sum rebelles, vt dominator illis institi puniendo, corrigendo. Aliis placet verbum, *bagnal*, per metaphoram accipere, præfui illis, vt maritus petulanti vxori, quam dum in adulterio comprehendit, iure quidem repudiare possit, ob ruptam fidem: tamen miseratione commotus apud se retinet, ac de integro nouo fœdere sibi copulat. Vult igitur dicere, hactenus fœdifragos satis pertuli, & quidem patienter, iam quæram nouo fœdere nouam Ecclesiam.

5. Differunt duratione. Ad discrimen etiam id referatur. Quòd antiquum illud fœdus temporale fuit, quo rupto aliud fuit expectandum. At nouum hoc æternum est, non ita rumpetur, antiquabitur, vt aliud debeat expectari: & nouum & vltimum est.

Vers. 10. Ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη.

Post dissimilitudinem pergit describere formam: dicit enim, *quale non sit futurum.* Iam quale sit θετικῶς describit. Repetit autem & nomen fœderis, & personas, & tempus. Fœdus vt certò intelligamus hoc nouum planè aliud à veteri futurum: Israëlem verò, vt etiam hunc cum nouo fœdere innouandum esse doceat. Intelligit autem Israëlem secundùm Spiritum reformatum, & ob id Iudam omittit: nam vniuersalem Ecclesiam ex omnibus Gentibus collectam significat Israël. Porrò tempus repetitum erigere illis animos debet, ad spem futuri noui pacti, ac pudorem incutere tantæ ingratitudinis, quòd suo vitio iam quasi extorres sint sine fœdere, sine Deo, quod ipsorum partes attinebat. Cæterùm quòd adhuc subsistunt ritus, & Dei cultum aliquem retinent, id totum esse Dei miserantis donum, & benefici Domini. Excitat etiam illa promissio tam clara ardorem orandi, inuocandi Deum, vt tantum bonum reconciliandi denuo sibi populum, nouo fœdere maturè præstet.

Testamenti noui forma. Quid sit lex. Διδοὺς νόμους μου. Forma noui Testamenti delineatur, vt videamus quale sit futurum & quomodo aliud à veteri illo. *Dans dabo.* 70. habent, διδοὺς δώσω, cùm apud Hebr. tantùm sit *nathati* dedi, quod ad certitudinem promissionis facit. Νόμους Hebræis est *thorathi*, legem meam, hoc est voluntatem meam: est enim lex æternum Dei decretum & constans voluntas de faciendis & omittendis. Eam voluntatem patefaciet apertè cordibus fidelium, quod est leges dare in διάνοιαν ipsorum, hoc est, mentem aperire & intelligentem largiri Spiritum, vt Deum eo pacto intelligant & cognoscant, vt se cognosci vult. Deinde easdem *suas leges inscribet cordibus illorum*, quod non tam ad memoriam Diuinorum præceptorum refero, quàm ad vitæ actiones, & mores externos. Nam cor principium est vitæ & cogitationum, Quare non solùm reformabit spiritum nostrum & mentem intelligentiæ capacem: sed etiam cor & voluntatem, vt secundùm veri notitiam, vitam etiam & actiones externas, moresque instituamus: veri enim erimus Dei cultores, si professionem nostram vita & moribus expresserimus. Atque illæ duæ sunt noui fœderis notæ. Veteris autem erant scriptas habere leges in duabus lapideis tabulis. Quare præstantior est noui forma, quia viuet lex illius in membris nostris, cùm illius mortua fuerit in mortuis tabulis.

6. Differunt tabulis. Differunt igitur hæc duo pacta etiam hoc, quòd illius essent duæ tabulæ, sed lapideæ, in quibus conseruabantur leges, contra obliuionem φάρμακον. At noui etiam duæ sunt tabulæ, sed carneæ, imò spirituales, imò viuidæ διάνοια & καρδία, quarum prior cognoscendorum & credendorum habet leges: posterior faciendorum & omittendorum regulas. Et vtraque scripta est digito Dei (quod habent commune) hoc est Spiritu Dei illustrante & regenerante nos. Quò facit dictum Christi: si digito Dei dæmonia eiicio, &c. hoc est, Spiritu Dei.

Fœderis noui conditiones. Καὶ ἔσομαι αὐτοῖς. Conditiones fœderis subiicit. Respexit ad fœdus cum Abrahamo initum Gen. 17. v. 8. vbi hîc obseruatur couenientium partium in fœdera modus. Deus promittit Abrahamo & posteris eius tutelam. Et ero inquit *lahem lelohim*, deinde, dabo tibi & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, omné (inquam) terram

Canaam in possessionem æternam. A parte verò Abrahæ promittendum est,& tu fœdus meum custodies,tu & semen tuum post te,in generationibus suis. Sic cum toto populo Deus ait,Ero Deus vester,& vos eritis populus meus,hoc est,tuebor ego vos: vos autem eritis obsequentes mihi & dicto audientes. In nouo fœdere hæ conditiones mansere, quare id etiam commune habent : idem enim Deus est, idem tutor, idem redemptor,eadem voluntas seruandorum suorum mandatorum. Hic fructus est noui pacti,vt intelligamus nos esse in gratia,in patrocinio Dei:deinde fidem nostram non amplius liberam:sed ei obligatam in cuius verba iurauimus.

Vers.11. Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν.

Pergit aliam noui pacti porprietatem describere *: non docebit amplius vir proximum suum, nec quisquam fratrem suum* , &c. sed cognoscent omnes me,&c. Græci 70.habent πολίτην,vbi nos hic legimus τὸν πλησίον αὐτοῦ,hoc est, ciuem suum, qua versione veteres etiam vtuntur.Hebræum habet *regnehu*,hoc est,proximum suum.

Porrò hic promittitur amplior & perfectior cognitio Dei, beneficio Spiritus sancti, quàm fuerit Patribus sub veteri lege concessa.In qua promissione,obserua primùm negatiuam,Nullus alterum docebit,quæ efficitur hac periphrasi Hebraici sermonis:Non vir proximum suum , nec vir fratrem suum docebit. Deinde limitari hanc ad certum genus, γνῶθι τὸν κύριον: non enim in genere omnem dicit tollendam esse διδαχὴν inter Christianos, sed quod γνῶσιν attinet. Hæc ita publica erit, vt turpe sit futurum, si quis veri Dei cognitionem ignoret.Deum verum agnoscent à pueritia,innascentur, educabuntur,consenescent in veri Dei cognitione.Cæterùm pręter γνῶσιν superest πρᾶξις,ad quam capessandam opus habemus stimulo:nec enim omnes,qui dicunt Christo , Domine,Domine,intrabunt in gloriam eius,imò ne hi quidem omnes,qui sub nomine,& per nomen eius ædiderunt miracula. Ac vulgatum illud omnibus est in ore , scire nos, quid facto sit opus : quotusquisque autem id sedulò capessat ? Vide quàm languidi in eo quandoque simus. Quare Spiritus sancti gratia nos non destituit, quin omnes sciamus & cognoscamus Deum verum & vnum:nostra verò tarditas & socordia efficit, vt contingat sepe multis,quod imprudentibus virginibus tardiùs comparantibus oleum.

Cognitio amplior in nouo fœdere.

Matth.7.

Tertiò, obserua in contextu αἰτιολογίαν subiectam , *quia omnes cognoscent me à paruo ad magnum*:persistit enim ratio hæc in cognitione , ac ostendit publicam fore in omni ætatis conditione,nascentur in vera Dei cognitione,& in eadem consenescent. Vel Sp. sanctus tam paruulis,quàm adultis communicabitur,vt Deum verum agnoscant.

Differentia igitur etiam in eo est,Quòd effusio Spir. sancti, & veri Dei amplior cognitio sit noui Testamenti proprium,in veteri opus fuerit laboriosa , & multiplici institutione, tum ad cognoscendum , tum ad agendum. Nam Moses certè diu institutus est à Domino : tandem tabulas accepit & longa παρασκευῇ priùs populum instruxit. Post datam legem vide quàm operosè in dies populum instruat, quàm laboriosè legem explicet,quàm diffusè doceat omnes ritus & ceremonias , & posteris illis omnia commendet:& vt verus cultus retineatur,quantus ordo Leuitarum,sacerdotum,Pontificum instituatur,qui aliud nihil agant,quàm doctrinæ incumbere pergant.

7. Differunt doni Spiritus.

In nouo,Apostoli Theodidacti sunt, & quanquam cum Christo sint conuersati , tamen plenam veritatis cognitionem acceperunt in Pentecoste, effuso Spiritu sancto: nec solùm illis datus est , sed ipsi deinceps precatione facta aliis eundem communicarunt. Et posteri sine omnibus ceremoniis & operosa illa pædagogia,veram pietatem discunt.

Act.22. Apostoli Theodidacti.

Omnes cognoscent me, &c. Eam propositionem quidem per Synecdochen accipiunt pro magna parte, quemadmodum tota Iudæa dicitur egressa ad Ioannem , hoc est, maxima pars : ac eo sensu significatur hîc popularem fore hanc Dei cognitionem. Alij ad certum genus restringunt.h.e.electi illi omnes cognoscent Deum à paruo ad maximum : nam reprobis nulla est communio cum S.sancto. Quo sensu propositio καθ' ὅλου est ὡς μὴ καθ' ὅλου, & significat tantùm eos qui veritatem apprehenderunt. Verùm simplex est Prophetę sensus:vult enim maximam occasionem cognoscendi Deum promittere,quasi dicat,non erit opus sub Euangelij reuelatione, vt quisquam alterum vrgeat ad discendam veram pietatem,passim obuiæ erunt infinitæ occasiones,maxima pars illustrabitur Spiritu sancto. Deinde ad primitiuam Ecclesiam relata,sub Apostolis pleniorem habent fidem,in qua Spiritus sanctus expresè regnabat etiam per miracula, & habebat multos Theodidactos, quales Apostoli, Paulus , cœtus credentium sub Apostolis. Subsequentia tempora statim ad peius relapsa sunt : quanquam omnibus seculis fuerint aliqui singulari Dei dono illustrati, non humanitus.

Matth.3.

Refert D. Augustinus lib. 1. de doctrina de Antonio Eremita , quòd Scripturas me- *Anto-*

[...]nius Eremita. moriter tenuerit, & intellexerit sine scientia etiam literarum. Rara sunt tamen ista, nec fortasse huius loci: nam cognitio simplex esse potest etiam sine notitia Scripturæ. Nec ad eam notitia perfecta requiritur, sed quæ ad salutem sufficit, qualis est de Dei timore & notitia meriti Christi, &c.

Vers. 12. Ὅτι ἵλεως ἔσομαι.

Alia proprietas Euangelij. *Placabilis ero* ἀδικίαις *illorum, &* ἁμαρτιῶν *non recordabor.* Peccatorum remissio illa est, peccati grauitas exprimitur tribus illis: nam ἀδικία, ἁμαρτία & ἀνομία sensu idem sunt, quanquam specie aliquid differant.

Remissionis promissio in Euāgelio. Remissio verò promittitur illis, ἵλεως ἔσομαι, hoc est, *reconciliabor*, placabor: id factum est Christi merito. Firma autem remissio in eo habetur, quod ait, *non recordabor amplius*, quod est non imputare, gratuitò remittere.

Sed obserua mirandam consequentiam, placabor ipsis, & peccatorum non recordabor: Ergò omnes cognoscent me, Ergò nullus alterum docebit, nam sic rationes cohærent. Quare firma hæc est sententia loci illius: Peccatorum gratuita remissio præcedit, & ex vi illius omnes illi Spiritu Dei illuminabuntur & ad cognitionem Dei peruenient, si maximè nullus externus adsit doctor.

8. Differentia. Noua illa est differentia, quòd in nouo Testamento articulus de peccatorum remissione gratuita & perpetua sit patefaciendus: is in veteri lege non ita fuit cognitus. Christus enim apertè docuit, & Apostoli ad meritum illius omnes peccatores remittunt. Ioannes Baptista, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: & Christus de se, venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiā vos. Et iustificamur δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι per redemptionem, quæ est in Iesu Christo.

Ioan. 1. 36. Matth. 8. 28.

Hactenus verba Prophetæ, quibus Apostolus docuit aliud & nouum Testamentum esse promissum, & illud multò fore perfectius Mosaico illo. Quare formam ita depinxit, vt discrimen vtriusque manifestè appareat.

9. Symbolis differunt. Ad discrimina etiam possunt addi hæc, Quòd scilicet etiam symbolis differant, nam vetus habuit circumcisionem & Pesach: nouum Cœnam & Baptismum.

10. Promissionibus. Item promissionibus: nam in veteri omnes erant externę fermè de terra promissionis, alijsque, quæ ad εὐλογίαν pertinebant. Nouum illa omnia transtulit ad vitam æternam, ad renouationem humanæ naturæ, iustificationem merito Christi, &c.

11. Inuocatione vera. Præterea, formula inuocandi Deum. Vetus lex ad locum certum alligabat totam inuocationem & cultum verum. Christus verò omnia loca ritè inuocantibus libera fecit. Proinde etiam conclaue iussit ingredi. Vide Ioan. 4. v. 23. de inuocatione.

12. Differunt lingua. Adde etiam lingua & idiomate differre: nam vetus veteri lingua conscriptū est Hebræa: nouum noua, hoc est, Græca, quo significatur cum lingua translatum etiam sacerdotium & regnum à Iudæis.

Vers. 13. Ἐν τῷ λέγειν καινὴν.

Confirmata est illa argumentatio. Si πρώτη διαθήκη fuisset ἄμεμπτος, non fuisset opus δευτέραν promittere: sed promissa est δευτέρα διαθήκη: ergò πρώτη illa non fuit ἄμεμπτος. Assumptum probauit authoritate Ieremiæ, & quia in eius testimonio habetur apertè καινὴ διαθήκη, ex eo iam format nouum argumentum. Si δευτέρα διαθήκη dicitur rectè καινή. Ergò πρώτη dicenda est παλαιά. Vis argumenti est à relatiuis: nam quæ sic opponuntur, nomina etiam opposita habent. Constat ergò hinc prius Testamentum appellandum esse vetus.

Hinc alterum sequitur ad rem argumentum. Posteriora Testamenta tollunt priora, si ab iisdem, & inter easdem personas contrahuntur: sed nouum hoc posterius est, & ab eodem Deo institutum cum eodem populo Israël, sed spirituali & reformato: Igitur hoc nouum tollit illud prius. Abrogatum igitur totum illud vetus Testamentum.

Sequitur & tertium inde. Antiquata senio pereunt & euanescunt sensim: Antiquum fœdus est antiquatum: Ergò tandem debet euanescere, hoc est, ex vsu politico & Ecclesiastico tolli. Vide quò reducat Hebræos Apostolus. Ex serie disputationis res istuc euadit, vt concludat apertè Testamentum vetus, quoad vsum, debere tolli: erat autem geminus vsus, prior politicus, quò pertinent iudicialia, & in genere omnis politia Mosaica: alter Ecclesiasticus, quò pertinent ceremoniæ de sacris & cultu Diuino per ritus externos. Illa ad limen senectutis peruenerunt, superest vt euanescant, sepeliantur, in vsu esse desinant. Atque is est verè ἀφανισμός.

Veteris Testamēti vsus.

CAPVT

CAPVT IX.



Argum. cap. 9.

VINTVS hic locus est de hostia Christi perfecta: nam vetus Testamentum consenuisse docuit, & ob id ἀφανισμῷ sepeliendum est. Quæ verba de toto visus est dixisse Testamento. Nunc igitur ostendit, ad quas illius partes hoc pertineat: nimirum ad tabernaculum, & ad omnes ritus sacrorum eius, quos ceremonias appellamus.

Initio confert ipsum tabernaculum, partes eius, sacra & Pontificem summum, eiúsque officium in sacris obeundis cum Christo, declarans, quomodo illa omnia fuerint typica: in Christo autem verè adimpleta. Ad hanc rem facit consideratio similium: nam habuit ille Mosaicus quædam Christo communia, alia verò singulis fuerunt propria. Quarum rerum consideratione facilè patebit hostiam Christi perfectam fuisse.

De Testamento & testatore elegans est adiecta disputatio, vbi docet, cur Christo fuerit moriendum: nec solùm id à natura testatoris, sed etiam à consuetudine veteris Testamenti.

Vltimò, cur semel oblata illius hostia perfecta censeri debeat.

Propositio.

Propositio sit. Hostiam Christi, quam pro genere humano obtulit, perfectam esse, eiúsque typum fuisse veterem illam solennem hostiam.

Partes.

Partes duæ sunt: Prior habet historiam Tabernaculi & partium eius præcipuarum, quò pertinent etiam vasa præcipua & solenne sacrificium summi Pontificis. Item adiectum breue iudicium S. Sancti, quid istis rebus omnibus sibi voluerit. Posterior pars mysticam habet interpretationem de Christo & eius morte.

Quare tractatio tota comparationem habet, tum personarum, tum rerum gestarum, tum etiam περιστάσεων quæ res gestas comitantur.

Vers. 7. Εἶχε μὲν οὖν καὶ ἡ πρώτη.

Ceremoniæ veteris Testamenti.

Propositio noua statuitur. Vetus Testamentum habuit etiam ritus & ceremonias, sed externas & typicas. Initium sumitur à continuatione, qua καθ' ὑπόθεσιν conceduntur ceremoniæ: nam μὲν οὖν consequentiæ vim habet & tacitam ὁμολογίαν significat. In confessione sunt tria enumeratione distributa: primùm habet δικαιώματα, quę intelligo signa iustitiæ & pietatis, vt est vitare peccatores, mundare corpus, lauare manus, decimas reddere, & his similia, quæ iustitiæ externa species postulabatur apud Iudæos. Λατρείας, intelligo partes cultus diuini, quales erant hostiæ, oblationes, preces, expiationes: nec ad δικαιώματα refero. Tertiò est ἅγιον κοσμικόν, quo intelligo omne id quod externæ sanctitatis habet speciem. Et eleganter naturam eius vniuersam voce vnica proposuit: nam licet Iudæis ἅγιον esset notum, tamen nō κοσμικὸν iudicabant. Quare cùm velit ostendere typicum totum illud fuisse, initio extenuatione pompam istam ceremoniarum debilitat, q.d. Habet quidem ceremonias plurimas & in speciem elegantes, sed externæ sunt. Κοσμικὸν dicitur propter ornatum & splendorem, quo omnia erant illustria: deinde quia talia mundo placent, talibus oblectatur. Item quia iustos coram hominibus faciebant, & ad decorum pertinebant. Non fuit autem iustitia illa, quæ coram Deo valet. Hactenus Propositio, sequitur eiusdem confirmatio.

Vers. 2. Σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη.

Probandum est Apostolo externa fuisse & typica sacra ceremoniarum veteris Testamenti. Quare ceremonias proponit per partes: éstque hæc prima pars collationis, in qua habetur descriptio veteris Tabernaculi, partium eius instrumentorum præcipuorum, & officij Pontificis, vt in πραγματογραφίᾳ fieri solet.

Templi Hierosolymitani tres partes.

Porrò, vt res facilior sit, intelligendum est, templum Hierosolymis fuisse in tres partes separatas: primò enim fuit vestibulum templi, quod & atrium templi, & porticus aliquando nominatur, exterior fuit illa templi pars. Deinde fuit templi media pars, quæ ipsa templi nomine appellatur, & Apostolus hîc vocat ἅγια, sancta. Tertiò, erat augustissimum sacrarium, ἅγια ἁγίων, sanctum sanctorum. Posteriores duæ partes hîc commemorantur cum suis præcipuis instrumentis. Nam in his erant præcipuæ ceremonię, & ob id ad rem maximè spectabant. Quare σκηνὴ ἡ πρώτη est pars media templi ἅγια appellata, cui tribuit λυχνία, candelabrum, 2. τράπεζαν, mensam. 3 πρόθεσιν τῶν ἄρτων erant panes illi duodecim, panes aspectuum, vel propositionis dicti, quia ab vno sabbatho, ad alterum ibi in conspectu manebant positi, solísque sacerdotibus deputati erant.

Matt. 27. 51. Luc. 23. 53.

Secundò, σκηνή, quæ dicitur ἅγια ἁγίων, sanctum sanctorum: separata hæc pars erat velo quodā à priori loco, quod καταπέτασμα ruptū est in passione Domini, vt historia testatur Euangelica. Velum templi dicitur, & hîc δεύτερον καταπέτασμα, quia etiam medius locus tēpli ab atrio distinguebatur velo. In hoc sacrario erat aureum thuribulum,

quod de altari suffitus intelligi potest, vel etiam de thuribulo, cùm plura fuerint in templo. 2. Arca fœderis auro cooperta: in arca verò fuit vrna aurea, quæ continebat Man, idque testimonium erat beneficij in deserto exhibiti: item baculus Aaronis: item tabulæ Decalogi. 3. Cherubin, hoc est, imagines alatæ, quæ propitiatorium obumbrabant, de quibus passim in veteri Testamento.

Περὶ ὧν οὐκ ἔστιν. Ἀποδίωξις qua remouet opportunè longiorem omnium tabernaculi partium explicationem: primùm ad breuitatē hoc facit, deinde quia oratio aliò festinat.

Vers. 6. Τούτων δὲ οὕτω.

Pôtificis officiú.

Secundus locus de officio Pontificis: hactenus enim partes templi & instrumenta quædam recensuit. Diximus autem iam suprà templi tres fuisse partes, quasi diuisa locis spatia.

In media quæ hîc iterum πρώτη σκηνὴ dicitur, fiebant sacra quotidie: deinde ab omnibus promiscuè, de quibus vide Num. 28 In tertia verò, quæ est δευτέρα σκηνὴ, tantùm in anno semel, deinde à solo Pontifice, Leuit. 16. v. 2. tertiò, adhibito sanguine: & quartò, sanguinem illum non solùm pro populo fundebat, sed etiam pro seipso, & quidem propria expiabat delicta: deinde populi ἀγνοήματα, hoc est, peccata in genere omnia, quæ non fuissent expiata.

Vers. 8. Τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος.

Quid summi Pôtificis ritu significarit S. sanctus.

Tertius locus, quid S. sanctus hoc ritu summi Pontificis voluerit declarare. Est illa ἐπιδήλωσις instituta ad sequentem mysticam interpretationem tabernaculi, & sacrorum eius. Primùm, obserua, aliud hîc fuisse adumbratum: non fuerunt ergò illa propter se, sed propter aliud instituta. Harum rerum optimus est interpres S. sanctus, nam is errare non potest, nouit is consilium Dei & finem, ad quem singula ordinata sint.

Deinde obserua, quomodo negotium hoc interpretetur, quòd solus Pontifex ingreditur, idque in anno semel δηλεῖ, significat, quòd via sanctorum nondum sit patefacta, h. e. ratio iustificandi & expiandi, quæ coram Domino valere debet, nondum est proposita mundo. Nam cùm solus ingreditur, & illic expiat populum, quid aliud agit, nisi quòd illa sacra foris in medio templi loco peracta, declarat esse imperfecta? Prætereà pij foris stantes ignorant quid intus agatur, latet eorum oculos sacrum istud. Quare dum consistit prius illud tabernaculum, argumentum est, veram iustificationis rationem sanctorum nondum esse patefactam.

Sensus huius loci mystieus.

Potest & ita colligi sensus mysticus: exterius tabernaculum est Ecclesia Iudaica. Secundum Tabernaculum, secunda Ecclesia sub Christo reuelato. Vt igitur in priori quotidie fiebant sacra, quæ tamen populum non poterant ad plenum expiare: sic in altero semel tantùm, quo populus semel absoluebatur. Ex quo sequitur iuxta analogiam, vt se habuit solenne sacrificium ad quotidiana sacra: ita mors Christi se habet ad omnes ceremonias: sed quotidiana imperfecta fuere sine illo solenni. Igitur ceremoniæ Leuiticæ etiam imperfectæ sunt sine morte Christi. Quòd verò imperfecta sit ratio iustificationis, dum illud durat apud sanctos, ratio est: 1. πρώτη ἡ σκηνὴ est παραβολὴ certi temporis: non igitur sanctis potest dare veram expiationis rationem, sed remittit ad δευτέραν σκηνὴν, vbi illa habeatur. Παραβολὴν intelligo imaginem rei perfectæ, ad quam imago sensus nostros remittit: vt Cæsaris picta imago est παραβολὴ viui Cæsaris, cuius personam pictura refricat nobis. Sic tabernaculum externum, est imago alterius cuiusdam veri tabernaculi, in quo vera est absolutio. Infrà mox appellabit ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν. Quia igitur est παραβολὴ tantùm, non habet φανέρωσιν τῆς ὁδοῦ τῶν ἁγίων: sed remittit isthuc nos, vbi quærenda est.

Deinde est certi tantùm temporis, quod appellat ἐνεστηκότα, hoc est, ad Legis durationem tantùm vsus eius pertinet, præsens vocans, durationem Legis respiciens, postquam sequitur τὸ μέλλον: non igitur in eo quæri debet plena expiatio.

Tertiò à proprietatibus illius temporis, In illo, inquit locum habere debuerunt δῶρα & θυσίαι, hoc est, illi externi ritus omnes à Mose ordinati, sed stultum foret singulis temporibus singulas ceremonias applicare.

Quartò, *cultori suo non possunt conscientiam expiare*, sanctificare: igitur vera sanctificationis via in his non est posita, cùm omnia sacra non tam propter corpus, quàm ipsam conscientiam & animam reperta & instituta esse constet. Quòd verò ad conscientiæ iustitiam non pertingant, his signis probat: pertinent enim tantùm ad βρώματα, πόματα, βαπτισμοὺς & δικαιώματα σαρκὸς, hoc est, iustificationem carnis, quæsita est in ciborum & potus delectu, & ablutionibus corporis. Hæc externa sunt, nihil ad conscientiæ integritatem. Deinde à consilio authoris, qui hæc ordinauit, voluit illa durare tantùm ad tempus correctionis, Διόρθωσιν vocans τὸ μέλλον, tempus aduentus Christi, reuelationem

nem Euangelij, quando crepundia hæc finem habuere.

Vers. 11. Χριστὸς δὲ παραγενόμενος.

Secunda pars præsentis quæstionis, qua mysticè omnia ad Christum transfert: nam tabernaculi structuram & summi Pontificis munus iam asseruit imperfectum esse, & respexisse ad aliud tempus, aliúdque tabernaculum, alium etiam Pontificem, in quo sit τελείωσις vera τῆς συνειδήσεως.

Propositio sit, Christi hostia vera est, quæ conscientias expiat, cuius illa vetera fuere typus. Initio differentiam Christi & Leuitici Pontificis explicat, nam sic excellentia & perfectio intelligi poterit. Communia sunt vtrique: primùm vterque est Pontifex: deinde vterque habet suum tabernaculum: tertiò, vtriusque hostia fit sanguine: quartò, vterque semel tantùm ingreditur. Sed vide nunc quid differant: primùm Christus est Pontifex παραγενόμενος, h.e. succedens, nimirum Leuitico Pontifici ceremoniarum, ipse Pontifex veræ liberationis & expiationis. Quid cõmune Christo & Leuitico Pontifici fuerit, & quid nõ.

Secundò μελλόντων ἀγαθῶν, quæ sunt vita æterna, reconciliatio cum Deo, vera iustitia, pax conscientiæ, agnitio vera veri Dei. Illa opponit ἐνεστηκότι huic superius, in quo erant tantùm externa, quæ pertinent ad βρώματα, πόματα, δικαιώματα τῆς σαρκός.

Tertiò, in tabernaculo quoque discrimen est: nam illud χειροποίητόν est, est enim ab hominibus extructum & externum: deinde est de hoc mundo, ταύτης τῆς κτίσεως, hoc est mundanum, caducum, in mundo elementari & de eius materia sumptum, Christi autem maius est & perfectius, non enim manibus hominis cõstructum: deinde non mundanum, sed cœleste, non externum, sed internum, non corporale, sed spirituale.

Quartò sanguinis etiam est differentia: nam ille τράγων, καὶ μόσχων vtitur sanguine, hoc est, non suo sed alieno, nec humano etiam pro hominibus expiandis, sed pecudum. At Christus proprio sanguine effuso, quod sanè maius est, laboriosius & augustius.

Quintò, vterque semel quidem ingressus est sancta sanctorum, sed differenter: ille semel in anno, qui mos reuoluto anno redibat: sic annus erit ingressus. At Christus in anno æternitatis tantùm semel: qui annus finem ignorat, vnde nec repetitione indiget, sufficit enim pro illo toto anno hostia semel oblata, vt illa pro anno Solari sufficiens erat.

Sextò, quod maximum est, Christus habet αἰωνίαν λύτρωσιν, ille non item: nam, quod annuum est & repetitione indiget, non est αἰώνιον: contrà quod illa non indiget, ac sufficiens est semel, αἰώνιον rectè dicitur. Notanter autem inquit εὑράμενος, inueniens, quasi diu quæsita sit. Et sanè totus ille Mosaicus cultus, quid aliud moliebatur, quàm vt λύτρωσιν reperiret populo? quærunt igitur anxiè & laboriosè, quod ipsis erat impossibile præstare. Christus hãc perfectam redemptionem inuenit optimus rerum inuestigator.

Hactenus differentiarum annotatio. Sequitur argumentatio de possibilitate: nam illa facilè præstantiam imò perfectionem demonstrant, si de possibilitate etiam Hebræis fidem possit facere. Teneatur igitur Apostoli quæstio, scil. An Christus suo sanguine possit τὴν συνείδησιν τελειῶσαι, id est, conscientiæ satisfacere, & animam à peccato emundare. Ratio est à proportione. Sint quatuor termini proportionales, Sanguis τράγων, cinísque vaccæ, & καθαρότης σαρκός: deinde his respondeant sanguis Christi, & καθαρότης συνειδήσεως. Iam vt se habet sanguis taurorum, ad purgationem carnis, ita se habet sanguis Christi ad purgationem conscientiæ: sed ille sufficiebat ad eam expiationem. Ergò hic sufficiet ad hanc. Apostolus argumento addit emphasin à minori: si enim fuit illud possibile, quantò magis erit hoc? In antecedente expressa est etiam forma, quomodo illa expiant corpora, nimirum aspersione. De illis vide Leuit. 9. Num. 19. In consequente sunt adiectæ breues rationes, quæ sufficiens Christi meritum declarant. Quæ verba sunt per parenthesin concludenda. *Qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo.* Tria continet illa parenthesis, quæ vim rationis habent: primùm Christus sese obtulit per Spiritum æternum: Ergò æterna potest esse illius hostia. Spiritum æternum intelligo Diuinitatem Christi, qua humanam naturam morientem pro nobis ad vitam resuscitauit. Valet hinc consequentia, quia Dei opera perfecta sunt. Deinde quòd seipsum obtulerit, quod iam antè inter discrimina etiam posuerat. Tertiò, quia ἄμωμον se obtulit, hoc est, sine macula peccati, sine noxa, sine contagione delicti vllius. Hinc agnus ille Paschalis debuit esse integer, macula & labe carens, non tam propter Pesach illud, quàm propter Christum, qui voluit seipsum aliquando hostiam puram & planè integram Deo Patri offerre. Valet igitur ratio: Æterna & integra hostia æternam & integram λύτρωσιν potest reperire: Christi hostia talis est: Ergò λύτρωσις etiam talis.

An sanguis Christi συνείδησιν τελειῶσαι poterit.

Quid per Spiritum æternum intelligendum sit.

Addita est deinceps finalis causa & effectus redemptionis, seu fructus qui in redem-

ptis debet posthac elucere. *A mortuis operibus*, hoc est, ab operibus carnis, ne posthac studia carnis, h.e. ipsum peccatum sequamur. Peccatum mortem effecit, hinc mortua opera dicuntur peccata actualia. Ab his repurgat animas nostras: non ergò decet ad illa redire, vt sus ad lutum, est enim argumentū ad nos non spectare meritum illud. Deinde, *vt seruiamus Deo viuenti.* Antithesis est in verbo *mortuum esse*, quod peccato propriè tribuitur, & *viuere*, quod Dei proprium est & piorum. Deinde consequentiæ quędam est ratio. Illa posthac nō sunt sequenda: Ergò Deo est seruiēdum. Dicuntur etiam pij liberati à mortuis operibus, non tamen quòd illa non faciant, sed quòd cùm mortificati sint, reatus permanens in natura non possit illis nocere: non enim sic tollitur è carne peccatum, quin semper natura maneat corrupta & infecta originali malo. Quòd vires autem attinet, mortificatum est.

Quomodo dicuntur pij liberati à mortuis operibus.

Vers. 15. Καὶ διὰ τοῦτο διαθήκης.

Ostendit rem possibilem esse, vt Christi sanguis conscientias ablueret, vel æternam redemptionem reperiret, nunc ostendit idem fieri oportuisse. Ratio est à fine incarnationis ac officio Christi. Argumentum ita habet. Christus est noui Testamenti μεσίτης: Ergò necessum fuit eum etiam mori. Antecedens est in contextu apertum, supra etiam cap. 6. præstantioris Testamenti dictus est μεσίτης. Dicitur autem Mediator, hoc est, reconciliator dissidentium partium. Ἔγγυον cap. 7. appellauit melioris Testamenti, hoc est, sponsorem: nam is alienam obligationem recepit in suam fidem. At cùm soluendo non essemus, pro nobis fideiussit. Ob fidem interpositam sponsor est: quia autem inter dissidentes partes tertius est ac mediator, cum vtraque dissidentium aliquo modo coniunctus est, μεσίτης dicitur. Consequens dilatatur in contextu: primùm mors debuit intercedere: deinde ad quid? vt delerentur peccata etiam patrum in veteri Testamento. Ergò sacrificia illa Leuitica non habuerunt veram λύτρωσιν, sed mansit semper reatus, etsi mundi pronunciarentur, & ob id patres in plena remissione ad semen promissum respicere debuerunt. Hinc Christus inquit de Abrahamo, quòd viderit diem eius, & sit gauisus. Tertiò, *vt electi spem accipiant æternæ hæreditatis*, hoc est, plenam peccatorum remissionem. Puto enim idem esse Apostolo hic in tota illa disputatione αἰωνίαν λύτρωσιν, & καθαρότητα συνειδήσεως, & αἰωνίαν κληρονομίαν, nisi quòd Christus sit λύτρωσις factus, & electis applicata καθαρότης, & iidem expectent plenam post hanc vitam κληρονομίαν. Stat igitur enthymema, Christus est noui Testamenti Mediator: Ergò debuit mori.

Sup. 8. 6.

Sup. 7. 22.

Vers. 16. Ὅπου γὰρ διαθήκη.

Consequens confirmatio est à natura Testamenti: cur enim sequitur illud, Christus est Mediator noui Testamenti: ergò mori debuit, atqui in veteri non mortui sunt. Ratio est, Illi non erant mediatores, qui simul instituissent Testamentum, sed veteris tantùm erant ministri: Christus autē testator simul est & Mediator: nam duo hic concurrunt, Testamenti fœdus, in quo conuenere Deus & homines mediante Christo: deinde Testamenti quoque obligatio, qua Christus promisit morte sua conciliaturum hasce partes. Quare est & fœdus & contestatio voluntatis vltimæ. Hinc petita iam est confirmatio, Vbicunque est διαθήκη, necessum est consequi mortem testatoris, sed in hoc nouo fœdere est etiam διαθήκη, hoc est, dispositio & contestatio de vltima voluntate: Ergò necessum est testatoris Christi subsequi mortem. Maior hìc vera est: primùm quia vltima voluntas testatoris morte tātùm rata habetur. Apostolus inquit, ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, hoc est, mortuo testatore, rata habetur eius vltima voluntas. Deinde quia dum viuit testator ipse, dominus est bonorum suorum, nec hæredibus patet aditus ad bona legata: necessum igitur est, vt adiri possit hæreditas, vt priùs testator moriatur. Apostolus inquit, *nunquam valet, dum viuit testator*, quasi dicat, nam ipse dum viuit, plenariè sua possidet bona. Constat igitur Christum mori debuisse.

Cur Christus mori debuerit, prima ratio.

Vers. 18. Ὅθεν οὐδ' ἡ πρώτη.

2. Ratio.

Secunda ratio, cur Christus mori debuerit. In omni testamento requiritur ad eius confirmationem sanguis: sed hìc habemus testamentum: Ergò requirebatur ad eiusdem confirmationem sanguis. Maior probatur à natura veteris Testamenti. Hinc ita sequitur: vetus testamentum debuit sanguine confirmari: Ergò multò magis nouum, quod æternum est. Antecedens confirmat enumeratione: nam Legis confirmatio ac promulgatio sanguine confirmata est. Præterea tabernaculi dedicatio: item vasa templi, ac reliqua omnia in veteri Testamento: Ergò nihil sine sanguine expiari & dedicari potuit. Sed expendamus singulas partes. Initio inquit, *vnde neque prius testamentum absque sanguine dedicari potuit.* His verbis nectit consequentiam ex eodem fundamento. Fundamentum & maxima est, vbi Testamentum conditur, requiritur mors. Id inquit

quit adeò verum est, vt non solùm in Testamento vltimæ voluntatis, requiratur ad ratificationem eius, mors testatoris, vt etiam in fœdere, quod etiam Testamentum dicitur, sanguis requiratur. Quare omne testamentum, quod Deus cum hominibus contraxit, sanguinem requirit: nec refert vtrum id fœdus tantùm sit, an verò contestatio etiam vltimæ voluntatis. Deinde subiicitur narratio de veteri confirmato per sanguinem. Loquitur autem primùm de totius fœderis explicatione, quam postea Moses confirmauit externo illo ritu. Vide Exod. 24. De hyssopo addito habes Exod. 12. de lana. Leuit. 14.

Cùm dicit aspersisse totum populum, intelligatur de primoribus, qui omnium nomine fœdus suscipiebant: nam sanguis ille tanto populo non suffecisset.

Deinde obseruetur, quòd & populum & librum legis aspersit: nam duæ partes sic vniebantur: liber legis nomine Dei: populus tanquam auditores, qui istis pactis stare vellent.

Tertiò, phrasis obseruetur. *Hic sanguis est Testamenti*, qua vsus est postea Christus in institutione noui Testamenti, Matth. 26. vers. 28. hic enim est sanguis meus, sanguis, inquam, noui Testamenti. Quare Testamentum non solùm vt extremam significat voluntatem, mortem postulat: sed etiam, quatenus tantùm fœdus certis legibus contractum denotat. Exod. 24. 8.

Quartò, notetur mysterium, quòd veteris dedicatio fit aqua & sanguine: Christi certè latus sanguine & aqua fluxit Ioan. 19. vers. 34. quo declaratum est Testamenti veri iam perfectam esse dedicationem, cuius illa Mosaica figura fuit. Magis ineptiunt hic Pontificij, qui nouum construendo mysterium, aquam calici Dominico miscent.

Secundò, tabernaculum etiam & vasa ministerij sunt expiata & consecrata sanguine. Historia extat Leuit. 8 vbi de sacerdotum agit consecratione.

Hinc subiicitur tertio loco καθολικὴ σύλληψις, *& secundum Legem eodem pacto omnia ferè purificantur.* Πόρισμα, Ergò nulla fuit remissio delicti in veteri Testamento sine effusione sanguinis. Sensus est, Lex ipsa suscepta est aspersione sanguinis, tabernaculum consecratur eodem modo & vasa etiam, & ministri eius, sacerdotes lustrantur & consecrantur sanguine: Ergò ipsa peccata etiam non potuere remitti sine effusione sanguinis. Inde testatur lex in omnibus sacris pro peccato litatum sanguine. In summa peccatum sanguine expiandum est.

Vers. 23. Ἀνάγκη οὖν.

Συμπέρασμα ex tota inductione, ita: Cùm igitur necessum sit exemplaria cœlestium sanguine emendari: Ergò magis fuit necessum nouum Testamentum consignari morte Christi. Argumentum tamen in Apostolo videtur habere proportionem: Vt se habent ὑποδείγματα ad sanguinem pecudum: ita cœlestia ad mortem Christi. Sed illa pecudum sanguine debuerunt expiari: Ergò cœlestia morte Christi etiam confirmari. Non enim erat par, vt æterna & cœlestia eodem pacto expiarentur, quo externa, carnalia & peritura. Debuit igitur maior esse hostia æterni Testamenti.

Ὑποδείγματα appellat externa illa, quibus æterna remissio peccatorum præfigurabatur, & quia ad aliud illustrandum, & repræsentandum instituta erant, ὑποδείγματα dicuntur: mox eadem vocat χειροποίητα, quia externa sunt ab hominibus constructa. Item ἀντίτυπα, quia picturæ sunt, quæ ad aliam & veram quandam imaginem referuntur. Apostolus sic videtur singula singulis opponere: primùm ὑποδείγματα & ἐπουράνια, deinde ἀντίτυπα & ἀληθινά: demum χειροποίητα & αἰώνια.

His iterum redit ad differentiarum explicationem, vt illustretur Christi beneficium & præstantia agnoscatur. Idem fecerat initio collationis applicatæ. Deinde ostendit etiam, quòd potuerit sanguis eius nos abluere ad æternam remissionem: tertiò, quòd debuerit etiam sic fieri illa expiatio. Iam iterum videamus præstantiæ argumenta.

Vers. 24. Οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα.

Præstantia primùm à præstantiori tabernaculo: præstantius tabernaculum requirit præstantiorem hostiam: Christus ingressus est præstantiùs. Ergò præstantior eius est hostia. Illud constat, quia est ἀληθινόν, αὐτὸς ὁ οὐρανός: nam isthuc ingressus est Christus. Illa autẽ sunt externa ἀντίτυπα, ὑποδείγματα, χειροποίητα, quæ si ingressus esset Christus, potuisset pecudum sanguine litare, sed ita imperfecta fuisset hostia. Patet ergò quod sit sanctum sanctorum Christi, nimirum cœlum, idémque tabernaculum eius.

Secundò, in cœlis apud Deum intercedere, præstantius est, quàm in terra in sancto Sanctorum. Apostolus inquit, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν: nam quòd Pontifex ingressus sanctum Sanctorum dicebatur apparere coram facie Domini, id opponit vero Dei conspectui in cœlis, cui sistitur Christus cœlos ingressus.

Atque id pro sanctis, vt ille pro terreno populo.

Tertiò, ille alieno sanguine officium peragit: at Christus suo proprio suos liberat.

Quartò, ille singulis annis semel repetit suam hostiam: Christus non sic, sed semel per omne æuum tantùm hostiam integram obtulit. Porrò huic quarto membro insistit, ac posita hac quæstione, cur tantùm semel, ostendit certis rationibus, rectè tantum semel hoc fieri debuisse, atque id in συντελεία mundi. Propositio dilatata est ex verbo: nam pro mori semel, magnificè circunducta oratione ait, *semel per hostiam suipsius manifestatus est.* Deinde assumit tempus dilatatum: *in consummatione seculorum*, hoc est, nouissimis diebus, mundo iam ad finem decurrente.

Tertiò adiecit etiam fructum hostiæ illius, ἀθέτησιν ἁμαρτίας: nam hic finis est totius negotij.

Cur repeti non debuerit hostia Christi semel oblata.

Ratio Propositionis ab absurdo, Si sæpiùs etiam repeti debuisset illius hostia: Ergò debuisset etiam sæpiùs pati: sed illud est ἄτοπον, Christum sæpiùs mori: Ergò ἄτοπον etiam est hostiam eius sæpiùs repeti.

Secundò à lege humanæ naturę, quæ est vt homo tantùm semel corporali morte teneatur, post quam nulla illi ampliùs est mors metuenda: sed iudicium factorum subeundum: Ergò Christo tantùm semel etiam moriendum fuit, post quam non ampliùs, vt hostia pro peccato expectandus est, sed vt iudex peccati. Legem mortis habes illis verbis, καὶ καθ' ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, hoc est, incumbit illis moriendi necessitas semel, nam stipendium peccati mors est.

Rom. 6. 23.

Post mortem autem corporalem metuendum est iudicium: nam id contra securitatem mundi facit, ne putemus post mortem pœnas etiam sublatas, aut vnica corporali morte expiatas: quare ait κρίσις κατὰ τοῦτο scil. ἀπόκειται, metuendum est iudicium.

Vers. 28. Οὕτως καὶ ὁ χριστός.

Applicatio argumenti ad causam præsentem, quasi dicat, humanæ naturæ hæc est conditio, vt semel moriatur tantùm: Ergo in Christo idem valere debuit: nec est alia eius seu mors, seu hostia expectanda.

Satisfactionis spes in solo Christo.

Obserua quàm diligenter proponat hostiam Christi, vt reuocet nos ab aliis mediis, ac in solum Christum spem satisfactionis & ratæ expiationis doceat ponendam esse.

Deinde prouidè vrget vocem ἅπαξ: primùm contra Iudæorum opinionem & consuetudinem, quibus solenne erat sacra sua pro peccatis in dies repetere.

Secundò, vt posteris consuleret, ne nimium Iudaizando, hostiam pro peccato repetere conarentur: sed iubet acquiescere in satisfactione & merito Christi, quòd semel atque eo sufficienter nos expiarit.

Tertiò, vt intelligeremus meritum plenarium esse ad peccati expiationem, repetit, *vt peccata multorum tolleret*, πολλῶν dixit pro omnibus credentibus, aut pro infinito numero: vniuersalis enim est salutis prædicatio, vt constat ex doctrina Euangelij: quòd verò non omnes amplectuntur, Domino rationes de tanta ingratitudine & contemptu reddent.

Duo aduentus Christi notandi.

Quartò, obserua hîc duos constitui aduentus, prior in quo Christus, vt hostia & Mediator apparuit: pacem enim reddidit mundo, & peccato sublato viam aperuit ad gratiam. Quare hic aduentus dicitur gratiæ. Secundus aduentus est, quo apparebit quidem, sed χωρὶς ἁμαρτίας, hoc est, non erit tum ampliùs hostia pro peccato, nec vt Mediator tum veniet, sed iudex.

Deinde declarabit tum se credentibus verè abstulisse peccatum, & hostiam sui corporis perfectam fuisse: sed id solùm pertinere ad eos, qui spem salutis in illum posuerũt. Ex quo sequitur ex altera parte horribilem esse illum aduentum omnibus infidelibus, hoc est, qui hostiam Christi insufficientem arguunt: aut in ea repetitionem quærunt, aut eidem etiam alia connectunt media, aut aliud simile excogitant, quod perfectioni & vnico sacrificio Christi repugnat.

CAPVT X.

Cap. 10. argum.

PERGIT Apostolus in argumento cœpto: nam postquam docuit qualis esset Christi hostia, qualisque expectandus in secundo suo aduentu. Iam à contrario etiam docet, quales sint hostiæ illæ Leuiticæ, quòd nimirum peccata non possint delere. Itaque vera iustificatio ac peccatorum remissio, non ad legem pertinet: sed hoc solius Euangelij proprium est. Hoc multis rationibus vrget Apostolus. Deinde conuertit se ad exhortationem, vt Hebræi in veritate semel agnita, cõstanter perdurẽt, nec vlla ratione patiantur se

tur se inde diuelli. Quo loco explicat magnitudinem meriti Christi, ac simul partes nostras, vt intelligamus, quibus virtutibus nos deceat esse instructos, siquidem meritum Christi velimus vt par est amplecti. Admiscet autem & alia suasoria argumenta, ac comminationes pœnarum, simúlque ab anteactis laboribus docet honestissimum esse incepta professione perseuerare.

Tertiò disputationem totam sensim transfert ad quæstionem de fide, cuius vim cùm vellet accuratiùs excutere, initio proponit naturam eius ex Habacuc, ad quam Propositionem illustrandam totum consequens caput accommodat. Tria igitur sunt præsenti capite: primùm ἀποδεικτικὸν est, quo demonstrat legem & ceremonias veteris Testamenti non posse hominem absoluere ad plenum à peccato. Alterum est προτρεπτικόν, vt fidamus Christo, & in eius confessione perseueremus. Tertium verò διδακτικὸν est, de fide, aditum sibi faciens ad sequentem epistolæ partem, qua docebit quid sit fides, & quòd per eam solam veteres sint iusti coram Deo habiti. Diuisio cap.

Vers. 1. Σκιὰν γὰρ ἔχων.

Cohærent illa superioribus per contrarium: nam superiùs docuit vnicam Christi hostiam pro peccato sufficere: nec expectandum alium eius aduentum, in quo iterum peccata deleantur. Hîc iam antitheseos, altera est pars de lege, seu hostia Leuitica, cuius ἀδυναμία & prioris δύναμις explicatur.

Expende igitur diligenter membra in antithesi pugnátia, & vnius vim & efficaciam, alterius verò impotentiam. Ex quo noua hæc fluit Propositio, lex non potest obseruatores suos perfectos reddere. In Apostolo eam totidem ferè verbis habes sic, Ὁ νόμος οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι, *lex nunquam potest accedẽtes perficere*, hoc est, non potest ad plenum peccata expiare. Deinde expende, quid ad explicationem subiecti pertineat: & quid itidem ad prædicati naturam illustrandam faciat.

Subiectum est ὁ νόμος, lex, quam vt intelligamus sic explicat. Σκιὰν ἔχων τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. Ex quo tu intelligas non hic de lege dilleri, quatenus est æterna & immota ratio Dei mandans facienda & prohibens contraria: nam illa non dicitur vmbram habere, sed reuera honesta præcipit & peccata detestatur: sed de ceremoniali, quę non æterna est, sed ad tempus instituta fuit, & suo loco aboleri iterum debuit. Et obserua in explicando subiecto nouam oppositionem. Σκιὰ & εἰκὼν enim hîc opposita sunt: & quia vmbra legis est, sequitur εἰκόνα esse Euangelij. Μέλλοντα autem ἀγαθὰ & ipsa πράγματα sunt bona vitæ æternæ, vera liberatio à peccato, reconciliatio cum Deo, gaudium, pax conscientiarum, &c. Legem ceremonialem intelligendam esse hoc loco.

Hinc ad propositionem sume argumentum à definitione subiecti. Lex ceremonialis est tantùm vmbra, non vera imago. Porrò vmbra nunquam potest eos effectus edere, quos præstat ipsum verum corpus: lex est tantùm vmbra, Christus autem verum corpus: Ergò lex nunquam edet eos effectus veros, quos Christus. Quid ergò queris perfectionem in hostiis Leuiticis, cùm ea sola præstetur à Christo. 1. Argu. Lex peccatores nequit absoluere.

Eodem pacto prædicatum illustratur, quod est τελειῶσαι. Hîc expenditur, quibus mediis hoc lex tenetur præstare: deinde quando: denique quoties. Media legis, quibus nos ad τελείωσιν perducere conatur, sunt θυσίαι: quòd verò hostię illæ pecudum non possint id prestare, suprà iam aliquoties ostendit, & mox idem clarissimè euincet. Christus verò & Euangelium præstantius habent medium, hostiam nimirum proprij corporis. Quando verò id conetur, inquit Apostolus κατ᾽ ἐνιαυτὸν *singulis annis*, quotannis easdem repetunt hostias. Et quoties hoc? εἰς τὸ διηνεκὲς, *continenter*, inquit, quasi dicat, non est repetitionis finis, cum anni periodo, recurrit hostiarum etiam circuitus. Hinc materia argumentorum à natura prædicati subministratur: primùm lex per hostias pecudum, Christus autem proprio corpore. Deinde lex suas in dies repetit: Christus verò sine repetitione, quod perfectionis est argumentum, vt illud imperfectionis. Vera igitur est propositio, Quòd lex non possit accedentes ad conspectum Domini, & tribunal Dei perficere, hoc est, à peccato absoluere: sed plenior sequitur comprobatio.

Vers. 2. Ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο.

Tertium argumentum est, & habet formam indirectam: nam ad impossibile & absurdum ducit, seu manifestè falsum. Sumit autem καθ᾽ ὑπόθεσιν aduersarij sententiam, quòd scilicet hostiæ illæ ad plenum peccata abluant. Hinc sequitur, debuerunt igitur cessare. Ratio consequentiæ, Quia nulla superest apud cultores illos peccati ampliùs conscientia. Cõfirmatio rationis, Quia iam semel ad plenum sunt emundati à peccato. Assumptio contrarij: Atque hoc falsum est & absurdum. Ratio, Quia quotannis semper peccatorum adhuc fit mentio, imò conscientia peccati manet inhærens. Non est Argum. ab absurdo.

igitur plenè expiatum, & nondum cultores illi ad τελείωσιν peruenerunt: Ergò falsa etiam est prima ὑπόθεσις, ex qua illa fluxerunt. Stat itaque semper adhuc prima propositio, Quòd Lex non possit suos cultores τελειῶσαι.

Arg. cornutum. Potest hunc etiam cornuto argumento vrgere aduersarios: si hostiæ Leuiticæ possunt τελειῶσαι homines, debent iam cessare, vtpote iam toties oblatæ & ad τελείωσιν deductis hominibus. Si illuc deducere non possunt, iterum cessare debent, vtpote quæ plus promittant, quàm præstare possint: debent igitur cessare, vtvt se res habeat. Nulla enim est ratio, cur hostia maneat sublato peccato, pro quo hostia fuit instituta. Sin peccatum manet, semper sequitur non posse τελειῶσαι.

Quartò, *Impoßibile est vt sanguis taurorum & hircorum tollat peccata.* Ratio est, quòd peccatum sit mentis corruptio: nec solùm corpori foris inhæret, sed aspersiones illæ tantùm ad corpus extra pertinent, non pertingunt ad animum, vbi mali fons latitat. Itaque radicem mali & peccati fontem non possunt abluere. Apostolus ait ἀδύνατον esse, quia nulla est proportio, nec affinitas inter sanguinem brutorum animalium, & animam hominis rationalem, quæ peccati rea est. Instituta autem sunt, vt peccator admoneretur ad expiationem necessariò requiri sanguinem. Et sanè peccatoris erat fundendus sanguis: Deus autem misertus nostri, passus est in populo suo recompensationem, aut commutationem fieri, ac pro hominis sanguine admisit certorum animalium sanguinem, donec vera adueniret hostia Filij Dei, quæ ad plenum hæc omnia adimpleret.

Quid admoneret sanguinis effusio pecudum.

Quintò, authoritate diuinæ vocis probat legem sacrificiis suis id non posse præstare. Deus ipse testatur displicere sibi hostias legales: non possunt igitur peccata expiare. Antecedens probat ex Psalm. 40. vers. 7. Sed expende hic diligenter, quomodo locum hunc scripturæ tractet Apostolus. Initio ostendit, ad quem pertineat hic Psalmus: deinde bona fide contextum producit verba Psalmi recitando. Tertiò, eum breuiter explicat & instituto suo vtilem facit.

Explicatio loci ex Psal. 40. v. 7. Quod primum attinet, scribit, *Quare ingressurus in mundum dicit.* Ostendit his verbis Psalmum illum loqui de Christo mediatore, atque adeò illius primo aduentu, quo natus in hunc mundum hostia debuit fieri: atque ob id veteres hostias irritas facere. Quod alterum membrum spectat, verba Psalmi duo complectuntur: primùm hostias legales voce Diuina reiici & damnari. Alterum Christi obedientia Dei voluntati fieri satis, & ob id illum in lege promissum fuisse. Quod hostias legales attinet, enumerat quatuor illarum species præcipuas, & ad quas reliquæ omnes referuntur. Sunt autem θυσίαι apud Heb. *zebhach* hostia pacifica, qua quis testabatur se in gratiam cupere redire cum Deo, post peccati confessionem.

Hostiarum 4. species.

Altera est προσφορὰ oblatio, *mincha* apud Hebræos dicta, qualia erant libamina ex esculentis & poculentis facta, vino, oleo, farina, &c.

Tertia ὁλοκαύτωμα, quod totum comburebatur: nam ex reliquis, aliquid redibat in vsum sacerdotum & sacrificantium, in hoc non ita, Hebræi vocant *gnoloth* ascensum, quòd totum per fumum ad Dominum ascenderet.

Quarta, Περὶ ἁμαρτίας, *pro peccato*, quod peculiariter ad expianda certa delicta erat institutum: Hebraicè dicitur *cathaa*, id est, peccatum, hoc est, hostia pro peccato. Sic Apostolus ait, Christum factum esse pro nobis peccatum, Hebraica phrasi respiciens ad illud sacrificij genus, quod *chataa* dicitur, cùm vellet hostiam pro peccato eum appellare.

Ad Christi obedientiam pertinet, quòd tributum sit illi corpus, quod ad plenum satisfacere possit: deinde quòd ait, *in volumine libri scriptum de illo.* In Hebræo est *bigemilat*, quam vocem Iudæi explicando scribunt, *husepher hathora*, hoc est, liber is est legis, & locum intelligunt de Messia rege, qui in lege est promissus.

Vers. 8. Ἀνώτερον λέγων.

Sequitur iam citati testimonij breuis interpretatio, qua causæ suæ vtilem hunc locum facit. Ac distribuit in ἀναίρεσιν rerum à Deo improbatarum, qualia sunt sacrificia, quæ secundum legem offerantur: & in θέσιν de obedientia Christi, ac infert. Illa tolluntur voce Diuina, & obedientia hæc Christi stabilitur: Ergò illa non possunt homines τελειῶσαι. Et obedientiam Christi latiùs diducit, tanquam veram causam iustificationis: *sanctificati sumus*, inquit, ἐν θελήματι, id est, *in voluntate*, Dei scilicet per Christum impleta & reconciliata.

Vers. 11. Καὶ πᾶς μὲν ἱερεὺς.

Beneficij Christi Antithesis est, per quam illustrat Christi beneficium & meritum: & contrà debilitatem & imperfectionem hostiarum Leuiticarum ob oculos ponit. Leuitæ primùm

stando

stãdo sacra faciunt: deinde *καθ' ἡμέραν* id factitant: tertiò *τὰς αὐτὰς θυσίας* offerunt: quartò, *πολλάκις* nimirum, & repetendo eadem, & pro peccati genere commutando sacra. In quibus certè & difficilis est labor & spei parum respondet euentus. His oppone primùm Christum vnicum multis sacerdotibus: deinde *μίαν θυσίαν*, tot generibus hostiarum: tertiò, pro omnibus peccatis cùm illic singula peccata, singulas propè postularent hostias: quartò, quòd hæc perpetua sit, illæ autem semper repetitæ: quintò, hic iam peracta hostia sedet ad dextram, illi adhuc stant, quasi sacro nondum ritè peracto. Quæ singula, si bene expendantur, Beneficium Christi eleganter illustrant, quo etiam consilio adhibita videntur: nam quæ præcedunt & sequuntur, vim argumentorum habent, vt probent & Iudæos confundant. Hæc exornant causam, & ob oculos ponunt vnius commoditatem, alterius autem incommoditatem.

[Margin: sti collatio cum hostiarũ imbecillitate.]

Vers. 15. *Μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν.*

Sextum argumentum, quod etiam ab authoritate Scripturæ sumitur: sententia argumenti est, Remissio peccatorum est gratuita: Ergò, non est opus sacrificiis legalibus. Antecedens probat ex cap. 31. Ierem. Initio aditum sibi facit ad testimonium, quo illi fidem faciat, ac asserit S. Sanctum authorem esse huius doctrinæ, etiam in Prophetis. Deinde recitat testimonium, in quo vrget præcipuè illud, quod scribitur, *καὶ τῶν ἁμαρτιῶν*: item *καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι*, &c. Hinc infert breue argumentum, *vbi est illarum rerum ἄφεσις, ibi non est opus oblatione pro peccato*, quasi dicat, sublato peccato, inutilis est hostia pro illo: sed vt testatur hîc Propheta, sublata sunt peccata sub regno Christi: Ergò inutiles in posterum sunt hostiæ illæ Leuiticæ.

[Margin: 6. Arg. de Remissione peccatorum gratuita. Ierem. 31.33. Rom. 11. 27.]

Vers. 19. *Ἔχοντες οὖν ἀδελφοὶ παῤῥησίαν.*

Hactenus confirmata est propositio, Legem ad iustificationem esse imbecillem: Christum autem ad id plenam obtulisse hostiam. Nunc secunda pars capitis huius sequitur, in qua explicatur meriti Christi prestantia, nostrum etiam munus in amplectendo tanto Christi beneficio: pœnæ etiam nisi fecerimus proponuntur, & vitæ anteactę irriti labores. Quare hæc pars tota est exhortatoria, cuius finis est ad constantiam in suscepta semel professione excitare. Propositio est inuoluta multis connexis, tamen ex tota periodo sic colligatur, Christiani intrepidè meritum Christi debent amplecti. Partes eius duæ sunt: nam primò meriti Christi explicatur dignitas: deinde quomodo rectè id amplectamur. Dignitas beneficij Christi in his continetur ordine: primò *in Christo pij habent παῤῥησίαν*, hoc est, *libertatem* quandam, quæ non solùm est licentia adeundi Patrem sine timore: sed etiam facultas liberè effundendi preces & animi effectus coram Deo Patre, idque per Filium.

[Margin: 2. Pars huius cap. de meriti Christi præstantia.]

Deinde *εἴσοδος τῶν ἁγίων*, ingressus in sancta sanctorum nobis apertus est denuo. Interclusus hic aditus fuerat nobis peccato Adæ, & custos adhibitus rutilanti gladio. Deinde sancta sanctorum patebant soli summo Pontifici, reliquos nos arcebat *διάστημα*. Christus autem hoc septum diruit, & ex duabus Ecclesiis vnam fecit: sublatus etiam ille custos paradisi, & via ad salutem aperta.

Tertiò, si quæratur de modo & causa organica, respondet *ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ*. Dignitas maior est, quia proprio sanguine nobis illa tanta bona reparauit.

Quartò *viam reparatam dedicauit nobis*, quasi dicat, nobis propriam fecit, & ita vt à solis piis hominibus perambulari possit. Nam Christi meritum ad solum humanum genus pertinet, non ad Angelos, aut alias creaturas. Nostrum est quidquid hîc boni acquisitum dicitur.

Quintò, via illa *ὁδὸς πρόσφατος* est, nam à seculo occlusa fuit, & recens beneficio Filij Dei aperta: habentur autem bona recentia & beneficia inaudita in pretio.

Sextò, eadem est *ζῶσα viuens*: vel quia Christus est vita, qui idem est via & veritas: vel quia nos vitæ restituit, & ad vitam amissam reducit: vel certè quòd à viuis & renatis tantùm calcari & perambulari possit: nam in ea nullus locus est carnalibus, & qui in peccatis absorpti sunt.

Septimò consecrationis etiam medium adiecit, per *καταπέτασμα, hoc est, carnem* suam. Suprà dixerat in sanguine Iesu: hîc per velamentum, hoc est, per carnem suam significans viam redemptionis fuisse per mortem, per immolationem corporis sui. Obserua hîc dici carnem Christi *καταπέτασμα*, nam respicit adhuc ad Mosaicum tabernaculum, vbi illud velum separabat sancta sanctorum: sic humanitas Christi obuelauit Diuinitatem eius, vt lateret nos foris stantes. Per hoc igitur velum illa facta est nobis dedicatio tantorum bonorum.

[Margin: Caro Christi.]

Octauò, in Christo habemus etiam *Sacerdotem magnum præfectum domui Dei*. Est autem Pontificis proprium suos subditos conciliare, eoque magis, siquidem is in do-

Christus noster saluator. mo Dei versetur, nam extra illa non valet sacrificiorum vsus. Christus igitur cùm in domo Dei, h. e. Ecclesia sit summus Pontifex, non est cur fideles iam ampliùs de reconciliatione hæsitent. Christus igitur, summatim dicendo, est via nobis ad salutem, reconciliatio nostra, libertas nostra. Atque illa sunt in antecedente.

Accessuris ad Christū quid requiratur. Hinc sequitur ἑπόμϵνον, quod continet iam partes nostras in amplectendo Christi merito: sententia est, Christi beneficium intrepidè est amplectendum. Vt id autem ritè & dignis fiat modis, obserua quid in nobis accessuris ad Christi meritum requirat.

Primùm, *accedamus vero corde*, h. e. sine hypocrisi, simplici animo: id enim est ἀληθινὸν, quod sibi est simile, non fucatum, non simulatum. Deinde *in plenitudine fidei*, hoc est certa & minimè vacillante, integra fiducia & persuasione erga meritum Christi.

Tertiò, *corda repurgata sint à mala conscientia*, quod fit, dum verè & ex animo priorem vitam improbam detestamur: deinde mores ita immutemus, vt conscientia deinceps nos excuset, ne Alastor conscientiæ nos in dies mordeat & vexet.

Quartò, *corpora nostra debent esse abluta aqua pura*, hoc est, Baptismo Christi debemus esse initiati: symbolum enim hoc professionis est, sed aqua pura hæc debet esse, quæ Spiritum etiam renouet: oportet enim renasci etiam Spiritu, alioquin externum illud symbolum inane est. Hinc lauacrum regenerationis Apostolo dicitur.

Quintò, *confessio spei indubitata retinenda est*, hoc est, professione nostra, id sonare debemus, quod pietas nos sperare iubet, Spes futuri boni est: sic ὁμολογία nostra non externa temporalia sonare debet, sed æterna, sed cœlestia, eáque confessio firma tenenda est & moribus, ne vita nostra aliud clamitet, quàm quod os profitetur.

Sextò, *ad dilectionem nos mutuò inuitare debemus*: elegantissimus est ille παροξυσμὸς, quo charitate mutua nos irritamus & superare conamur: sed & per illud nos inuicem explorare debemus, quasi hæc sit ratio probandi & explorandi veram fidem.

Septimò, eadem exploratio ad bona extenditur, & de fide hinc tanquam à posterioribus iudicium sumimus: ostendit autem oportere nos in perpetua esse actione, nec expectandus est proximus: sed nostris bonis operibus inuitandus est, & quasi pertrahendus in palæstram.

Octauò, cœtus publici fidelium non etiam sunt deserendi, nam de illis intelligo τὴν ἐπισυναγωγὴν, congregationem discentium, cœtus profitentium veritatem. Ab his sese subducere argumentum est hominis malè de Christi merito sentientis. Videant ergò, quid responsuri sint illi Domino, qui conciones, publicas preces, piorum cœtus, non solùm rarò accedunt, sed fugiunt, detestantur, quasi id ad solos ministros pertineat.

Nonò, sed παρακαλοῦντες ἑαυτούς. Pars est pietatis alios in honesto proposito confirmare, id quod fit verbis amicè consolando, & erudiendo, proponendo certas rationes. Fit & moribus, qui dum boni & pietati conformes sunt, plus aliquando momenti habent quàm sermo vtcunque expolitus & doctus, maximè verò apud rudem populum. Fit & exemplo cõstantiæ, dum ipsi persecutionibus resistimus, & forti pectore obuiam imus aduersis. Atque hactenus altera pars Propositionis, quòd magno animo oporteat nos in semel suscepta professione constantes permanere.

Expendamus iam argumenta Confirmationis, ex quibus duo superioribus dotibus fidelium sunt interiecta. Reliqua deinceps ordine sequuntur. Nos singula per ordinem inspiciemus.

Gen. 3. 15. & 12. 18. Promittenti Deo credendum. Ad primum pertinet, quod dixerat, πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος. Porrò Deus Pater est, qui promisit in Filio se placatum esse: & Euæ promiserat semen, quod serpentem contereret: & Abrahamo semen, in quo benedicendæ essent omnes gentes. De Dei fide in seruandis promissionibus non est dubitandum, nec Patres in veteri Testamento dubitarunt: minus ergò nos dubitare decet. Etsi Deus promissiones seruando constans & fidelis est, decet etiam nos in sperando constantes esse. Deinde ad Filium Dei rectè etiam refertur, is promisit credentibus in se vitam æternam, & afflictis requiem, constans etiam est in seruando: decet igitur nos in sperando, fidem Christi in seruandis promissis imitari. Non est illa ratio hîc, quæ in mundo apud simulatos amicos & principes, vbi, *pollicitis diues quilibet esse potest*.

Secundum argumentum in illis habetur verbis. Καθὼς ἔθος τισὶν: subiecta sunt illa verba octauæ doti fidelium, quòd scil. ἐπισυναγωγὴ non sit deserenda, decet enim cœtus fidelium esse, in quibus audiatur verbum Dei, proponantur consolationes, erudiantur rudiores, & confirmentur infirmi. Nunc peruersos mores & corrupta quorundam ingenia taxans inquit, *vt mos est quibusdam*, ex quo euidens est, illo seculo multos sese cœtibus subduxisse, alios cõtemptu, alios metu periculorum, nonnullos aliis inductos rationibus. Verùm eos grauiter peccare asserit. Valet igitur argumentum, Pseudochri-

do christiani sese à cœtibus subducunt: Ergò vos non sic: oportet enim extare aliquod euidens discrimen verè piorum & hypocritarum. Nec est quòd sese tueantur Nicodemi exemplo illi temporanei. Simile argumentum est Christi, Principes gentium ita faciunt, vos autem non ita. Mos est hypocritarum ἐπισυναγωγὰς deserere: vos igitur Hebræi non ita facietis. Ioann.3.

Tertium ducitur à circunstantia temporis, *atque adeò magis, quia videtis aduentantem diem.* Qui tota die laborant, imminente vespera sese confirmant, quia vident adesse laborum finem: ita fideles in senecta mundi facere debent, Mundi adest vespera: Ergò eò constantiores esse debent, breui finis aderit. Nam diem hîc intelligo iudicij nouissimi diem. Deinde illa vesperæ mentio non solùm fidelibus consolationem affert, sed pigros excitat & terrorem incutit desertoribus stationis suæ: dies enim illa est iudicij pro meritis singulos exornatura. Porrò dies hîc etiam intelligi potest de vitæ termino cuiusque pij. q. d. perdurate, maximos iam labores pertulistis, & paucæ supersunt vitæ horæ, breui moriendum est, & licet tuta omnia in mundo quæratis, tamen naturæ cedendum est. Date igitur operam, vt piè in professione veritatis hinc emigretis, sic læti ad tribunal Christi transibitis. Diei nouissimi aduentus vtilitas.

Quartò, proponit pœnas grauissimas eorum, qui post agnitam veritatem deficiunt. Hæc est illa ratio comminationem horrendam, qua falsos illos Christianos perterrefecit, seueritatem Diuini iudicij contra hypocritas vrgens. Argumenti sententia est, Qui post agnitam veritatem deficiunt, illis grauissimę sunt metuendæ pœnę. Vos veritatem iam agnouistis, date operam, ne ab ea deficiatis, idque propter metum futurarum pœnarum. In argumento illa considera, ad quos pertineat illa comminatio: deinde quomodo pœnæ explicentur. Nam peccatorum non est omnium eadem ratio: sunt qui peccant quadam ignorantia, quo pacto Paulus testatur se Ecclesiam esse persecutum. Alij infirmitate quadam, vt Petrus: nonnulli malitia, vt Iudas, Iulianus, Porphyrius. De hoc genere peccantium hîc loquitur Apostolus. Nam licet omne peccatum habeat in sese quiddam ἑκούσιον, tamen illi propriè dicuntur ἑκουσίως peccare, qui admoniti, scienter, dataque opera & præmeditato consilio in peccata irruunt. Pœnę in veritatis desertores. Non eandem esse omnium peccatorum rationem.

Deinde malitiosi peccatoris illud est certissimum argumentum, quod ait, μετὰ τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. Agnitio veritatis est, rem, vt est sua natura, cognoscere: sic in Christianismo veritatis agnitio est, Christum verum Mediatorem, Redemptorem humani generis agnoscere. Post hanc solidam cognitionem ab eodem deficere hîc dicitur ἑκουσίως ἁμαρτάνειν: nam status & principalis Propositio hîc est, Hebræis non esse deficiendum à Christo, sed in cœpta semel professione persistendum. Quare ratio etiam de eodem genere peccati debet intelligi, contra quod hîc Apostolus pugnat. Iam cùm Nouatiani hinc constituunt, lapsis post Baptismum non esse concedendam veniam, illi totum hunc contextum asyllogistum faciunt: non enim concludit ratio ad illum sensum quidquam. Sed de ea quęstione seorsim in locis egimus. Pœnę sic proponuntur *non amplius pro peccatis relinquitur hostia*, hoc est, hostia Christi non illis prodest, nam ab illo palàm defecerunt, nec alia hostia illis prodesse potest, nulla enim præter illam Christi, hominem ad τελείωσιν perducit, vt iam probauit, Quid ergo? *horrenda illis superest tantum expectatio iudicij*, nam post hanc vitam nullus est locus pœnitentiæ agendæ, in hoc seculo peccatori tempus pœnitentiæ conceditur: illic erit sententiæ declaratio, quam impœnitentes metuere debent. Deinde pœnas amplificat à forma & fine: ad formam pertinet, *quòd pœnæ ignitæ sunt*, accerbissimas per id demonstraturus, & quòd cum ratione sint acturæ contra peccatores: non temerè vagabuntur hæ pœnæ: sed æmulatione & pio zelo pro gloria Dei vindicanda. Ad finem spectat *quòd aduersarios & hostes Christi consumpturæ sint*: manet in certo peccati genere declarando, notat enim hęc pertinere ad ὑπεναντίους, hoc est, ad Christi aduersarios apertos hostes, defectores, non ad eos, qui imbecillitate labuntur, & veniam etiam seriò deinceps quærunt. Nouatianorum error. Pœnitentiæ tempus.

Quare argumentum hoc non trahi debet ad omnes in genere labentes, cùm de certa specie lapsorum loquatur, ac in eo casu concludit, & Apostolus eo vtitur. In cæteris quàm firmiter illo vtantur Montanus, Nouatus, Cathari viderint ipsi. Eadem est ratio loci illius superiùs capite 6.

Quintò loco argumentatur à simili, ex quo ratio ducitur à minori ad maius. Similia hic sunt Moses & Christus, item lex Mosaica & doctrina Christi: Minor tamen Moses vt demonstratum est. Interea contemptus doctrinæ eius seueriter punitur apud Iudæos. Ergò multò seueriùs punietur contemptus Christi. Primùm exemplo Mosis obseruetur contemptus forma, Ἀθετήσας, inquit, τὶς νόμον Μωσέως, quod declarat præuaricationē legis grandiorem, quę pœnis corporalibus & extremo supplicio coërceba- Arg. à simili doctrinæ Christi & legis Mosis.

tur, quale erat scortatio, idololatria, contemptus sabbathi, parentum inciuilis cultus, &c. Deinde pœnę expendatur qualitas, in qua primum est ipsa mors corporalis: deinde sub testibus duobus aut tribus mori: oportebat enim delictorum extare testes, quorum manus prima esset contra eos. Tertiò, χωρὶς οἰκτιρμῶν, nam venia caret ἀθέτησις, & ob id commiseratione etiam: sic igitur moriuntur, qui Mosen contempserint.

Deut. 19. 17. Matth. 18. 16.

Contemptus Christi illustratio.

Contemptus Christi sic illustratur: *Dei Filium pedibus conculcare*, hoc est, meritum eius contemnere, annihilare, negare etiam Diuinitatem eius: deinde, *sanguinem Testamenti communem iudicare*, hoc est, vt alium hominem habere, mortem eius contemnere, & insufficientem æstimare, prophanare, hoc est, non illi tribuere, quòd nos possit mundos reddere à peccato: tertiò, *Spiritum gratiæ contumelia afficere*, hoc est, vim eius negare, dona Spiritus sancti, signa & miracula eius in Ecclesia Domini negare, vel dæmonibus illa ascribere, quod Iudæi faciebant in miraculis Christi. Maiora hæc sunt: Si igitur sub Mose comtemptores tam seueriter sunt puniti, quantò seueriùs contemptores Christi sunt puniendi.

Sextò à pronunciatis probat, quòd Deus illum contemptum non sit neglecturus: nam dignos esse pœnis illos contemptores omnino certum est: sed quid si eos Deus ita sinat, aut contemnat? Respondet, *Deus non inultum sinet, notus est Deus, qui dicit, mea est vindicta, ego rependam*: vide Deut. 32. vers. 35. Mea vltio & rependam, quia propè est dies perditionis eorum, quia iudicabit Dominus populum suum. Apostolus hîc duo facit testimonia: primum vt ostendat Deum sui contemptum non ferre in irrisoribus: deinde vt omnium minimè ferri id sciamus, in illis, qui Dei populus appellari volunt, quod declarauit in Iudæis. Ergò in Christianis irrisoribus meritorum Christi idem non feret. Danda est igitur opera Hebræis, vt ab eo non deficiant semel agnito.

Dei est vindicta. Deut. 32. 35. Rom. 12. 19.

Vltimò locum hunc epiphonemate concludit. *Horrendum est in manus Domini incidere*: quæ maior est argumenti propositio, cui subsume: sed qui à veritate semel agnita deficiunt, illi in manus Domini incidunt: Ergò illi in horrendum incidunt iudicium. Cauendum igitur id summopere Hebræis.

Vers. 32. Ἀναμιμνήσκεσθε δὲ τὰς.

Exhortatio ad cõstantiam.

Redit ad argumenta exhortatoria, & Hebræos hîc à præteritis laboribus ad constãtiam excitat. Iam plurima nomine Christi pertulistis, qui labores omnes essent irriti & frustranei. Quare decet vos in pulcherrimo hoc curriculo constanter perdurare.

Habet autem ipsa temporis mentio argumentum: nam cùm in memoriam reuocat dies, in quibus sint illuminati, admonet non oportere contra religionem susceptam quidquam committere. Et conscientias ipsorum vrget, *illuminati estis*, hoc est, notitiam veritatis accepistis. Non potestis ergò sine iactura salutis vestræ eam deserere.

Alij φωτισθέντες referunt ad dies Baptismi, quòd admoneat eos Sacramenti, in quo Christo dedere nomina: ac eodem pacto validum est argumentum, Dedistis Christo nomina in Baptismo: Ergò sine periurio non potestis eum deserere. Græcis dicitur φώτισμα, vt Baptismus, & dies φωτισμάτων apud Chrysostomum, quibus Catechumeni ad Baptismum admittebantur. Adhibebantur faces in eo ritu, vnde adhuc in quibusdam Ecclesiis moris est infantibus, dum ad Baptismum deferuntur, faces ardentes præferre. Symbolum est Spiritus sancti, & illuminationis, qua regenerati deinceps Christo debemus viuere. Prima illa iam sit ratio, à Sacramento, quo se consecrarunt Christo, vel à dono Spiritus sancti, quo sunt illuminati.

Dies illuminationis.

Labores pro Christo exhausti.

Altera deinde est à laboribus nomine Christi exhaustis, eos per distributionem enumerat bimembrem: eam autem ipsi suis corporibus pertulerunt, aut in aliis. Quę ipsi tulerunt sunt ὀνειδισμοὶ, hoc est, persecutiones, partim etiam παθήματα, hoc est, cruciatus & tormenta, quò pertinent vincula, carceres. Hæc omnia vna voce amplificantur. θεατριζόμενοι, hoc est, *spectaculo fuistis*, quasi in theatrum producti. παραδειγματιζόμενοι vt aliis essetis exemplo, quæ magnitudinem laborum illustrant, & ostendunt inter Hebræos multos fuisse, qui nomine Christi omnia discrimina subierint. Et vt illa discrimina augent, sic non minorem illi laudem merentur ex victoria: eam declarant illa, πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε. Quæ verò in aliis pertulerunt, illa nominatim non recensentur, sed notantur verbo communionis, quòd aliis afflictis nomine Christi, condoluerint, opem tulerint, subsidia suppeditarint. Exemplum subiicit de seipso, ex quo iudicium de aliis vult fieri.

Tolerantiæ exemplum in bonorũ iactura.

Καὶ τὴν ἁρπαγὴν τῶν. Aliud producit experimentum laborum & tolerantiæ. Facultates diripi vobis passi estis nomine Christi: Ergò à tam egregiis laboribus nolite deficere negando Christum. Moris id fuisse impiis videmus in Actis 12. Porrò factum habet emphasim, quòd id petulerint μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*, nam id testimonium erat

Spiritus sancti, alioquin carni hoc non poterat esse iucundum spectaculum, eiici ex propriis sedibus, diripi sua: nec ita vim illatam ferre nouerant, nisi Diuino spiritu illustrati. Quare ratio subiicitur, quæ negotium per veras causas explicat. Dixit, diripi facultates vestras vidistis: ex quo sequitur, nihil superesse, quod possint amittere amplius: Ergò turpe foret & stultum iam demum deficere. Si erat negandus Iesus Christus, faciendum fuerat ante amissas opes. Sed vos vidistis hoc cum gaudio: & quare hoc? quia nouistis meliora: ecce recompensationem, pro bonis terrenis & caducis accepistis æterna & cœlestia: stultum igitur sit post tantam adeptam cognitionem deficere. Opponit autem inter se bona illa: amissa illa fuere caduca, quod euentus declararunt. Deinde externa, non de hominis vera possessione: denique terrena, vtpote è terra eruta. Sed hæc quæ per compensationem pro illis accepistis, sunt interna, quæ habetis & possidetis ἐν ἑαυτοῖς: sunt igitur hominis propria. Deinde sunt cœlestia, & ob id æterna. Deniq; permanentia, & ideo auferri non possunt, capi & amitti non possunt.

Sequitur hinc conclusio: *Igitur ne abieceritis fiduciam vestram.* Παῤῥησίαν intelligo ὑπομονὴν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ, constantiam in suscepta professione: nam eam hortatus est omnibus antecedentibus argumentis. Quare semel infert instituti sui scopum, ac tanquam ad eam propositionem mox noua confert argumenta. Primùm, constantia illa magna habet & certa præmia proposita: quæ illa sint colligi potest ex Mat. 5. vers. 10. & Marci. 8. vers. 34. Secundò à necessario, sine tolerantia non potestis ad optata peruenire bona: est enim causa sine qua non: Non ergò deserenda est.

Constantiam in professione seruandam.

Tertiò, per hanc Dei voluntas impleri potest: aut, Dei sic voluntas est, vt per patientiam consequamur propositas promissiones. Stultum igitur sit alio modo ad eas contendere, aut alias abiicere propter asperiora quædam media, quibus ad illas perueniendum est.

Quartò, à breuitate temporis, quo aduersa durabunt, cui opponitur iudicij grauitas, & iudicis seueritas, atque aduentus certitudo. Suprà eodem vsus est argumẽto. Loquitur Scriptura de vltimo iudicio, quasi de mundi vespera, sub qua rerum omnium quies quædam speratur, & malorum finis. Quia igitur superest μικρὸν ὅσον, hoc est, admodum modicum momentum, perdurandum est sub afflictionibus, quia certum est etiam adesse finem. Quòd autem *venturus veniet*, persona iudicis pios solatur, qui illorum bono, non malo veniet. Et quòd non tardabit, illa etiam certitudo in officio nos debet retinere: nam pœnas non effugient, qui deficiunt, cùm citra dubitationem iudex venturus sit. Et contra, suos & sine mora liberabit omnibus illis ærumnis & laboribus, quos suo nomine pertulerunt.

Aduersorum breuis duratio.

Iudicij aduentus.

Vers. 38. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως.

Admonuit de iudicij tempore, de iudicis etiam rectissimo aduentu. Iam agit de officio credentium, qui seueritatem iudicij volunt euitare. Illud consistit in eo, vt fidem retineant. Et loquitur quidem testimonium hoc Prophetæ, de iustificatione per fidem: tamen hic alio modo causæ suæ fecit hoc vtile. Nam hîc de constantia in fide agitur, quam & παῤῥησίαν & ὑπομονὴν appellauit: nunc πίστιν simpliciter etiam vocat. Nec facilè illa tria à sese inuicem separari poterunt, quanquam suo modo etiam differant. Apostolus ita argumentatur. Fide poterimus vitam conseruare: Ergò in illa oportet esse constantes. Antecedens habetur ex 2. cap. Habacuc, vbi scribitur, & iustus in fide sua viuet, pro quo Græci verterunt, ὁ δὲ δίκαιος μου ἐκ πίστεώς ζήσεται, iustus meus ex fide viuet. Apostolus relatiuum hic vtrinque omisit: nam instituto suo ita satis inseruit, vt doceat opus esse perseuerantia in cœpta professione. Quinta hæc est ratio, Iusti à fide non deficient: vos Hebræi cupitis esse & haberi iusti: igitur à fide non erit vobis deficiendum.

Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. Gal. 3. 11. Iustificatio per fidem.

Sextò, Qui deficiunt à fide, Domino non probantur: cogitate ergò diligenter, quid facto sit opus, an velitis indignationem Domini iucurrere. Huc pertinent illa, *Et si subductus fuerit, non probabitur animo meo.* Testimonium ex eodem loco Prophetæ sumptum est, nam hæc verba immediatè priorem sententiam antecedunt. Ostendunt autem iudicium Domini contra apostasiam & cordis pertinaciam, seu rebellionem, q. d. rebellio sine mora separat ab amore Dei, ex amicis hostes facit, ex Patre Deo inimicum & vindicem reddit. In summa, Deus odit rebellionem, eámque ferre non potest. Cauenda ergò vobis Hebræi.

Iudiciũ Domini contra apostasiam.

Septimò, à natura fidelium, quorum proprium est curam habere animę suæ, inuigilare saluti, operari εἰς περιποίησιν ψυχῆς: Ergò Hebræi in eodem genere curæ debent persistere. Habet autem argumentum hoc antitheta: nam ὑποστολὴ & πίστις pugnantia sunt, deinde pugnant etiam ἀπώλεια & περιποίησις. Ὑποστολὴ, defectio est, animi rebellio, quam comitatur subductio. Ea ducit εἰς ἀπώλειαν: finis enim rebellionis est

interitus ac perditio: quare illa duo non ad fideles pertinent, & eleganter inquit Apostolus, nos non sumus ὑποστολῆς, hoc est, non pertinemus ad eam, non est nostri muneris, nihil etiam nobis cum illa est commune: nam labores nostri non ἀπώλειαν spectant, sed nati sumus & redempti ad fidem, h.e. ad constantiam in fide. Ratio est, quia finis studiorum nostrorum omnium est περιποίησις τῆς ψυχῆς.

Hæc est Apostoli sententia, secundùm quam omnia ad tolerantiam, & in fide constantiam referri debent. Cæterùm nos initio huius capitis tertium locum huic quæstioni de fide tribuimus: idque propter consequens caput, quod totum in eius natura explicanda consumitur. Quare hic locus, in quo citatur testimonium Habacuc, vsque ad finem huius capitis, παρασκευὴν habet sequentis disputationis, &c.

CAPVT XI.

Cap. 11. argum.  TERTIA pars hæc est huius Epistolæ, in qua de fide agit: definit autem eam, & naturam eius illustrat Patrum exemplis. Scopus Apostoli est docere non solùm nos sub Christo, sed etiam Patres ante natum Christum per fidem Deo placuisse. Ex quo sequitur, sine fide neminem Deo posse placere: quare decet in hac constantes esse.

Scopus.

Tractatio exemplaris est, & formã habet Inductionis, nam habet πρόθεσιν & exẽpla, & σύλληψιν καθολικὴν, & συμπέρασμα, quæ partes sunt necessariè in perfecta Inductione.

Partes. Partes sunt. Prima de fidei definitione, quæ superiori causæ & subsequenti inseruit. Secunda, Propositio est, quòd per hanc iustitiæ testimonium consecuti sint Patres inde ab initio mundi. Tertiò, exempla varia subiiciuntur, in quibus seruatur naturalis ordo: nam temporum series & librorum propè etiam conseruatur consequentia.

Quartò, quasi copia exemplorum obrutus, reliqua summatim perstringit, ac in certas classes secundùm diuersa fidei opera & effecta reponit. Denique, vt moris est, Inductionibus rem concludit.

Vers. 1. Ἔστι δὲ πίστις.

Fidei definitio. Fidei hæc definitio est, quam vt rectiùs intelligamus, non fuerit inutile etiam de voce pauca admonere. Significat igitur πίστις constantiam in dictis & fidelitatem quandam, quæ species est iustitiæ commutatiuæ, & in emendo, vendendo, stipulationibus, ac contractibus locum propriè habet. Secundò, est assensus etiam historicus, quo historiis credimus, Fides. Tertiò, professio religionis alicuius dicitur fides: sic fides Christiana dicitur, quæ articulis symboli est comprehensa. Quartò, firma persuasio erga promissiones Dei, sic de fide loquimur, quoties sermo est de iustificatione per fidem. Sed est etiam quinto loco Rhetorum quædam πίστις, hoc est, argumentorum materia, quibus fidem conantur facere auditori: sic illi artificialem & non artificialem constituunt πίστιν.

Nunc expendamus definitionem: Est illa substantialis, nam de substantia fidei loquitur, & materiam obiectam ostendit.

Ὑπόστασις, ponitur loco generis, ac significat certitudinem, nec significat hîc rem per se subsistentem, seu personam, qua significatione vsus est ea voce sup. cap. 1. Nam hic rem certam ac solidam fidem vult indicare, quales sunt etiam qualitates quædam, vt notitia, persuasio, assensus. Idem significat ἔλεγχος, est enim euictio & argumentum tale, quo sic concluditur res, vt non dilui possit. Differunt tamen in hoc, quòd Ὑπόστασις ad certitudinem referatur assensus, cui innituntur reliquæ postea actiones. Ἔλεγχος verò ratione promissionis, quam indubitanter amplectitur fides, quod est ἐλέγχειν. Postea

Fidei obiectum. ἐλπιζόμενα πράγματα & οὐ βλεπόμενα differentiæ loco adiiciuntur. Ac exprimunt obiectum fidei. Promissiones obiectum sunt fidei: & quanquam Spes in genere sit futuri boni opinio, tamen ἐλπιζόμενα πράγματα hîc propriè intelligantur res promissæ: nam hæ vel maximè sub spem cadunt. Deinde alia est etiam promissionum differentia: nam sunt externæ, & internæ. Fides igitur non de externis & præsentibus, sed internis & absentibus spem habet. Docent illa, Fidem nos ad absentia reuocare, quæ cœlestia sunt, & ad quæ per spem & patientiam multam nobis contendendum est. Ex hac Apostoli definitione sic paulò pleniorem confice. Fides est certa persuasio, facta per Spiritum Sanctum in animis nostris, de merito Christi, & vita æterna, &c.

Vers. 2. Ἐν ταύτῃ γὰρ ἐμαρτυρήθησαν.

Cur fides sit rerum speratarum. Ratio qua definitionis illa pars probatur, in qua dixerat, quòd esset ἐλπιζομένων, item πραγμάτων οὐ βλεπομένων. Ratio est, quia veteres pij omnes sic in spe de bonis futuris, & non de præsentibus Deo adhæserunt, ac ita iusti reputati sunt. Est igitur fides rerum

rum sperandarum,& quæ non videntur & apparent certus ac firmus assensus.

Πρεσβύτεροι,non seniores hic verti debebat, sed veteres : loquitur enim de piis in veteri Testamento, & in genere de omnibus,qui Messiæ incarnationem præcesserunt. Et verbum ἐμαρτυρήθησαν significat,eos Deo fuisse acceptos,placuisse illi,adhæsisse ei per fidem,cuius rei testimonium à Deo meruerunt.

Vers. 3. Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι.

Probauit quòd fides sit τῶν ἐλπιζομένων πραγμάτων : nam Patres in spe omnia acceperunt,& iusti hac fide sunt pronunciati. Iam probat alteram particulam,quòd fides etiam sit οὐ βλεπομένων,hoc est,rerum,quæ non videntur.Ita colligit,Opus creationis intelligere,solius est fidei:sed illud est οὐ βλεπόμενον: Ergò fides est τῶν πραγμάτων οὐ βλεπομένων.Primùm obserua hic fidem versari non solùm circa futura, qualia sunt τὰ ἐλπιζόμενα ἀγαθά : sed etiam circa præterita. Ita officium fidei proprium est , creationem rerum rectè intelligere.Deinde opponi,hic βλεπόμενα & νοητά. Hinc sequitur, opus creationis est νοητὸν, & id sola fide intelligitur. Ergò fides versatur circa τὰ νοητά , hoc est, οὐ βλεπόμενα, vt in definitione dixerat.

Fidem non solùm circa futura sed etiã præterita versari.

Tertiò,τοὺς αἰῶνας κατηρτίσθαι,h.e.*secula aptata esse*,h.e.condita,& maius quiddam dicit per αἰῶνας, quam si simpliciter mundum exprimeret:nam complectitur omnes naturas in cœlo & terra, & insuper temporum periodum, quo mundus durat, & æternitatem, quæ omnia tempora complectitur. Hæc coaptata est & ordinata , vt in se tempus certum complectatur.Et verbum καταρτίζομαι non est propriè condere & creare, sed aptare & ordini inserere,ac ad certum finem condita dirigere.Quo docetur,Deum non solùm condidisse omnia,sed εὐταξίας quoque in rebus conditis esse authorem.

Quartò,forma exprimitur etiam creationis,& modus ῥήματι θεοῦ,*verbo Dei.* Ῥῆμα nõ solùm est vocale verbum,quale in Baptismo Christi cœlitus auditum, & Moses ac Prophetæ aliquoties audiuerunt: sed est etiam voluntas,& nutus,quo testatur voluntatem suam. Sic verbo creauit Deus omnia, hoc est, iussit & voluit esse, & facta sunt.Hæc intelligere opus fidei est,nam ratio,instrumenta & modos,itémque preparationem precedentem , ac molitionem secum in his expendit. Sed fides non simpliciter reuocat ad voluntatem Dei,& potentiam,ac ostendit Deum voluisse,deinde etiam potuisse:in his iubet nos acquiescere , vtut rationi stupendum & nouum genus agendi hoc videatur. Rectè igitur dixit πίστει νοοῦμεν, nam rationi hæc impossibilia sunt,nec ex illis sese potest vllis rationibus euoluere.Quare νοητὰ sunt,& ad fidem solam pertinent.

Creationis forma & modus.

Quintò,εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.Modus seu causa formalis hîc latiùs explicatur. Alij ad causam finalem illa referunt : sed vtraque sententia pia est, & rem argumenti huius explicat admodum bene. Qui igitur ad formam referunt , illi sic vertunt verba illa,vt ex non apparentibus fierent illa,quę videntur:& separant prępositionem (ἐκ) à sequenti participio , vt idem sit, ac si dicas , ἐκ μὴ φαινομένων γεγονέναι τὰ βλεπόμενα,tum is sensus est,omnia condita ex nihilo,nec vllam fuisse præiacentem materiam.Nam μὴ φαινόμενα intelligunt priùs non extitisse,non fuisse, ne putes non apparuisse tantùm, quanquam fuerint : sed ex nihilo sub visum esse producta, & iam videri, quæ priùs nec videbantur,nec erant.Hoc sensu intelligimus nos liberari magno disputationum aceruo per fidem: nam hîc præciduntur omnes quæstiones Philosophorum, de mundi origine.Illi cùm fidem non haberent,& alieni essent à Repub. fidelium, multis sudoribus seipsos enecant, cùm disputant, quo pacto, & ex qua materia mundus sit conditus:nam ex nihilo conditum publico consensu negarunt.Hinc alij æternum fuisse asseruerunt, vt Aristotelici. Alii, qui rectiùs videbantur sentire , conditum dicebant ex præexistente materia : sic Ouidius,Hesiodus,& Platonici. Verùm nugas illas omnes reiicit fides, ac iubet firmiter credere Deum voluisse & potuisse ex nihilo hoc pulcherrimum ędificium construere.Hic effectus fidei tribuit Deo summam sapientiam & plenam omnipotentiam. Summæ potentiæ est , quòd condidit omnia. Summæ verò sapientiæ est argumentum,quòd ex nihilo condidit,nudóque verbo.

Sola fide rerum creationem ex nihilo posse intelligi.

Qui ad finalem causam illa verba accommodant sic vertunt : *vt non apparentium visa fierent*,hoc est,spectacula : ac præpositionem ἐκ cõnectunt cum sequenti participio sic, εἰς τὸ γεγονέναι , scil. τοὺς αἰῶνας, vt fierent omnia condita , βλεπόμενα τῶν μὴ ἐκφαινομένων, visibilia illarum rerum, quæ non videntur. Tum is erit verborũ sensus. Mundum hunc conditum esse,vt extaret testimonium Dei inuisibilis,vel visibilem mundum theatrum esse quoddam instructissimum,quod nos in cognitionẽDei inuisibilis perduceret.Quo pacto ad Rom. 1. scribitur inuisibilia Dei cognosci ex mundi creatione , dum in operibus eius cernuntur.Pius sensus est, & ostendit mundum certo fine esse conditũ, vt scil. agnoscatur inde architectus Deus.Ac certè hoc pacto Philosophi etiam in Dei aliquam

peruenere notitiam. Aristoteles ex ordine motuum inductus est, vt statueret vnum esse Deum: vnam enim esse causam primi motus. Sic Cicero ex certitudine temporum & orbium cœlestium, motus, statuit mundum quadam mente prouida regi, &c. Idem ex Platone & aliis dici poterat.

Vers. 4. Πίστει πλείονα θυσίαν.

Exẽplis probatur fidẽ esse hypostasin rerum speratarum, &c. Hactenus quidem ipsa definitio fidei à nobis vtcunque explicata & confirmata est, nunc sequitur inductio exemplorũ. Repetatur igitur hic propositio principalis, Quod Patres in veteri Testamento, vti nos per fidem, iusti sint pronuntiati: quæ prima est pars inductionis. Iam exempla comportantur, vt hoc clarum fiat. In exemplis dixi seruari naturalem ordinem, quia ab antiquissimis initium sumit, & ex singulis ætatibus illustres aliquot eligit. Primus est Abel: ac cur ab hoc potiùs sit exorsus, quàm ab Adamo, nolo hic disquirere. Sed istud inspiciatur, quid ad fidem in eo referat. Primùm igitur fidei esse dicit, *quòd obtulerit θυσίαν πλείονα*: offerebat Cain etiam, sed non ex fide, consuetudine autem, aut ita à parentibus iussus, vel æmulatione fratris. Quomodo autem πλείονα obtulerit, vix satis constat: nam ratione materiæ, vix est credibile: quòd illa pretiosior fuerit hostia: fide ergò maior fuit & animo offerentis, qui in oblationibus imprimis spectatur: deinde quia Abel de primogenitis obtulit, quod genus hostiæ affine erat hostiis postea in lege præcipiendis: denique elegantior in ea erat typus Christi sacrificij. Deinde quòd ipse Abel per eandem fidem, qua obtulit hostiam Deo, fuerit acceptus: testimonium enim habuit iustitiæ, hoc est, Deo approbata fuit eius fides, & ob id gratæ erant actiones eius: nam respexit Deus ad oblationem Abelis propter fidem. Illa fuit quæ gratam faceret personam.

Gen. 4. 4. 1. Abel.

Tertiò, fides immortalem illum reddidit: nam *per eam adhuc loquitur iam mortuus.* Loquitur autem Abel etiam iam mortuus, quia Gen. 4. v. 10. scribitur, vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra. Deinde quia innocentiam suam & fidem nobis proponit imitandam: sic enim dicuntur loqui mortui, dum exemplo suo hortantur nos ad pietatem, fidem, & constantiam in persecutionibus. Præterea, quòd Deus vindex est innocentiæ illius, & morte eius tam miseranda afficitur, curam illius gerit, & quasi opem implorantem contra fratris iram exaudit. Denique quia verè viuit adhuc, & immortalis est, Deóque acceptus: pretiosa enim mors sanctorum in oculis Domini, magni clarique redduntur illi Martyres.

Abel per fidem loquitur mortuus

Psal. 116. 15.

Pietatis sors. Quartò, obseruetur sors pietatis, iam initio mundi, vix dum nati sunt homines, & impietas tyrannidem sumit sibi contra pios, fidelis ab infideli occiditur. Verùm iucundissima est compensatio, temporalis vita compensatur æternitate, & honestissima memoria apud posteros, cùm illius & nomen & memoria apud omnes damnabilis sit.

2. Enoch fide iustificatus. Secundum exemplum de Enoch, is etiam fide iustificatus est coram Domino. Obserua primùm, quòd *translatus* dicitur, *& mortem non vidisse*, fidei ascribi. Est quidem lex totius carnis mori, eáque omnibus est imposita. Tamen illa fidei vis est, vt à morte eum vindicarit. Translatus est Elias 2. Reg. ver. 11. & Apoc. 11. vers. 12. de duobus sanctis scribitur: citatur & Ecclesiastici 44. exemplum eius. Vide Aug. lib. 9. cap. 5 suprà Gen. ad literam & lib. 2. de peccato originali contra Celsum.

Deinde, quòd Deo placuit, antequam esset trãslatus, fidei est fructus. Quòd autem ad fidem hoc pertineat, sic probat: *sine fide nemo potest placere Deo:* sed Enoch illi placuit: Ergo Enoch fidem habuit. Maior sic ab Apostolo confirmatur, qui cum Deo est acturus, primùm debet tenere τὸ ὅτι, quòd scilicet Deus sit: nam qui Deum planè negant, non possunt cum eo quidquam agere. Deinde etiam tenere debent, eum esse μισθαποδότην, hoc est, qui cultoribus suis benefaciat, & hostibus meritas infligat pœnas. Vtrunque autem est fidei quædam pars: Ergò sine fide nemo potest Deo placere. Minor autem, quòd Enoch illi placuerit, habetur ex Gen. 5. vbi testatur quòd ambularit cum Domino, hoc est, se illi accommodarit & approbarit.

3. De Noacho. Tertium exemplum inductionis est, de Noacho, in quo obserua exercitium fidei, deinde varios effectus eiusdem. Exercitium in eo est, quòd pœnas audit tanto tempore antè, & quæ non videt metuere debet, nam anno 500. ætatis suæ admonetur de diluuio: id incidit tandem in annum 600. vitæ suæ: annis igitur 100. occupatus instructura arcæ, varios sine dubio habuit censores. Argutum seculum illud, institutum & cõsilium eius multis locis & sannis potuit irridere. Adde tanto tempore protrahi negotium, & solum hunc in tanto sapientum numero sibi sapere, nouo & insolito more. Tentationes illæ erant & fidei ingentia exercitia. Effectus autem fidei sunt: primùm quòd oraculo illo dignus sit habitus, fidei ascribitur: nam fide admonitum ait Scriptura, hoc est, quia fidit Deo, & ei adhæsit integro corde, dignus est iudicatus à Domino

Effectus fidei in Noacho.

ad tantum

ad tantum negotium conficiendum. Non solùm igitur amicos Dei facit fides: sed arcanorum eius consiliorum nos etiam cósortes reddit. Solus Noachus nouit consilia Dei arcana de mundo delendo, quæ totus ignorat mundus.

Deinde effectus est fidei, quòd religiosè amplectitur mandatum Domini: εὐλαβηθείς, quod non intelligo tā de motu futuri periculi, quàm de reuerentia & veneratione erga Diuinam vocem. Est enim in fide amor & timor, amat Deum vt summum bonum: timet vt filius liberalis parentem, ne voluntatem eius negligat. Sic Noachus summa cura & religione mandatum Domini accepit de arca construenda, plúsque valuit apud eum, quàm totius mundi contemptus, risus & insectationes.

Tertius effectus est, Arcæ fabrica: nam opus molitur & absoluit, ídque *in salutem domus suæ*: nam ipse & familia sua per hanc seruantur. Vnde ad fidem pertinet etiam corporalis conseruatio, cùm totus reliquus mundus in infidelitate periret. Arcæ fabrica fidei opus.

Quartus, *per arcam condemnauit mundum*: fuit enim doctor Noachus pœnitentiæ, & cùm eam verbis non obtineret apud incredulos, in testimonium condemnationis, arcam construxit. Et elegans est, quòd per arcam dicatur mundus condemnatus, quasi dicat, verbis nihil effecit, nec vincere potuit, vicit ergò reipsa, arca inexcusabiles fecit. Magnam consolationem habent illi effectus fidei, conseruare pios, salutem parare, & corporalem & spiritualem, & condemnare impios. Quæ cùm solius Dei sint, tamen non dubitat Scriptura eadem tribuere fidei.

Quintus fidei effectus, *Iustitiæ secundum fidem factus est hæres*. Illud est, quod in omnibus exemplis quærit, fide fuisse Deo approbatos & iustos pronūtiatos. Obserua autem iustitiam hîc duplicem innui: vna est κατὰ πίστιν, quæ apud Deum valet, vera illa est & solida: altera operum, quæ coram mundo locum habet, & necessaria est propter politicum ordinem, & quia etiam à Domino præcipitur: ac si vera est, fluit ex priore. Dignior autem prior est, quia facit filios Dei & cohæredes Christi. Gratuitò autem nobis contigit, cùm fides ipsa donum Dei sit. Hi effectus fidei, quia maximi sunt, ostendunt, Noachum egregia fide fuisse præditum, Et consultò vltimus est de hęreditate iustitię secundum fidem: sic enim congruit cum propositione inductionis, Fide Patres esse iustificatos. Noach fide iustificatus. Iustitia duplex.

Quartum exemplum est de Abrahamo, in quo diutiùs commoratur: nam singulare est fidei exemplum. Et cùm Iudæi de hoc præcipuè glorientur, par fuit, vt probè illis ob oculos poneretur: sic enim videbunt, quàm sint degeneres filij. Porrò quatuor sunt in hoc exemplo insignia membra, primum de obedientia Abrahami in peregrinando: alterum de Saræ promissionibus: tertium ἐπεμβολὴ quædam est, illatione superiora constringens & promissiones constituens spirituales. Quartum autem de Abrahami tentatione, dum iubetur offerre Isaacum filium, de quibus ordine est dicendum. 4. Abrahami exemplū.

Ad peregrinationes Abrahæ pertinet, primùm certa & diuina vocatio, non enim libidine suam natalem terram deseruit, nec est pij hominis quicquam sine authore Deo moliri. Deinde quòd vocanti tam alacriter obediuit, fidei ascribitur, inquit enim πίστει ὑπήκουσεν. Commendatur fides in obedientia, nam sine scrupulosa inquisitione Deum vocantem sequitur. Abrahami obedientia in peregrinādo. Gen. 12.

Tertiò accedit promissio, *terram habebis in hæreditatem*: ad eam ergò, quasi occupaturus iubente Domino pergit. Quartò, terra illa non monstratur statim vbi-nam sit, *sed quam monstrabo*, inquit Dominus, illud erat certa pro incertis deserere, & spem pretio emere. Sed expende fidem, sequitur Deum etiam ad incerta vocantem, & egreditur ex Vr Chaldæorum, μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται, nam locus illi nondum erat designatus, terram Canaam est ingressus: in ea tamen non aliter habitauit, quàm aduena & peregrinus. Ratio est, quia nullam domum, nedum villam in ea ædificauit: sed tantùm est vsus tentoriis, Gen. 12. v. 1. scribitur habitasse in tabernaculis, & 13. sic 18. in Mambre cóstruit tabernaculum. Sic de Isaaco Gen. 24. & de Iacobo 25. Certum est igitur Abrahamum cum filio Isaac, & nepote Iacob, omnes inquam illos, se vt aduenas in illa terra gessisse, imò fatentur se aduenas. Parati igitur videntur fuisse Deo sic iubente vlterius commigrare: & Abraham Gen. 15. vers. 18. interrogat, vnde sciam quòd possessurus sim eam. Ex quo videtur promptus fuisse, si maximè non esset daturus, sed aliam monstraturus Dominus vlterius commigrare. Et Stephanus Act. 7. ait, ne pedem quidem agelli accepisse de terra, nisi agrum pecunia emptum cum duplici spelunca.

Vers. 10. Ἐξεδέχετο γὰρ τὴν τοὺς θεμελίους.

Ratio est, cur in terra Canaan nihil stabile construxerit, & cur item se peregrinum iudicauerit in ea, ratio est, quia respexit ad meliorem quandam aliam terram, ad quam vbi perueniret non ampliùs peregrinus, sed ciuis & domesticus esset. Illa est patria cœ-

Patres non ad externa sed cælestia respexerunt.

lestis. Ex quibus sequitur Patres in promissionibus illis non acquieuisse in externis tantùm, sed animos erexisse ad maiora quædam spiritualia. Externa illa instituta erant vt illis aleretur fides, & in ordine contineretur in obsequentia & spe. Verùm cùm illa externa etiam communia essent hypocritis & impiis infidelium cœtibus: adde illos vt plurimum fortunatiores in externis esse, par erat eos extendi ad Spiritualia.

Præterea Patres minimam partem rerum illarum acceperunt quæ promittebantur: fides igitur erigenda erat ad Spiritualia. Sed & animus hominis non potest acquiescere bonis illis externis: caduca enim sunt & instabilia. Anima æterna meritò quærit æterna & firma. Item nulla esset prærogatiua piorum ab impiis, si tantùm ad externa hæc respexisset Dominus: sed par est bonis bona, malis etiam suas pœnas decerni, ad Spiritualia igitur pertinent promissiones. Præterea si probè expendantur promissiones temporales, semper habent annexam conditionem rerum maiorum. Et Abrahamo hoc adiicitur. In te benedicentur omnes nationes terræ. Ac propter hanc promissionem reliquæ videntur efficaces. Idem videre est in Prophetis, qui manu quasi ducunt per temporalia ad spiritualia.

Denique certum est Patres respexisse ad primam illam promissionem Euæ factam. Vnde mox natis filiis sperabant iam adesse semen illud benedictum: & ob id nomina quoque fausta illis imponebant. Ex quo certissimum est omnes reliquas promissiones ad hanc, tanquam fontem omnium retulisse.

Non immeritò igitur hîc testatur Apostolus, Abrahamum expectasse ciuitatem, quæ haberet fundamenta, cuius opifex & cõditor esset ipse Deus: nam sic illa externa patria non habebat firma fundamenta, quod euentus docuit, cùm tota posteritas ex illa sit eiecta. Deinde quanquam Deus omnium rerum sit conditor, tamen cœlestia & firma humanis & infirmis hic opponuntur, & æternorum Deus vel maximè author est: in his enim declaratur & sapientia & potentia eius. Externa hominum ingeniis tractantur, immutantur, construuntur, ac iterum deiiciuntur. Ac respexit hîc Apostolus ad ἀντίθεσιν, nam σκηνὴν opponit τῇ πόλει. Tabernacula ab hominibus eriguntur, artis enim sunt non naturalia, & ob id caduca. Sed πόλις firma quædam est munitio: firmissima autem si à Deo construatur & regatur, qualis est ciuitas illa Dei cœlestis, quæ arte Dei constructa est & regitur.

Vers. 11. Πίστει καὶ αὐτὴ Σάῤῥα.

Promissiones Sarræ factæ.

Alterum membrum de promissionibus Sarræ factis. Historia habetur Gen. 17. ver. 19. vbi Isaac promittitur Abrahamo iam annos nato cẽtum, & Sara 90. In illa historia duo sunt illustria membra: primum de exercitio & tentatione fidei: alterum de effectibus eiusdem. Ad exercitium fidei spectant insignes illæ tentationes fidei, quæ nascuntur ex naturæ impotentia. Hinc & Abrahamo & Saræ absurdum initio videtur vetulum senem, & emortuam anum filium suscepturos. Expendatur igitur naturæ conditio: primùm in natura *iam erat ἀδυναμία*, nam annos pariendi supergresi sunt, præsertim verò Sara, nam præter annorum sterilitatem, qua tota laborauit vita, iam annum attigerat 90. quod tempus etiam fœcundis, ne dicam sterilibus spem sobolis adimit. Medici & Philosophi pariendi habilitatem extendunt ferè ad annum vsque 50. cui astipulatur communis experientia in mulieribus. Deinde eidem astipulatur præsens locus: & historia in Genesi, nam παρὰ καιρὸν ἡλικίας illa cõtigisse testatur scriptura. Tertiò, quòd ab vno tanta esset speranda posteritas, qui & ipse erat νενεκρωμένος, quem locum eleganter quoque tractat Apostolus ad Rom. 4. vers. 19. Vide ergò, quæ hinc subortæ sunt tentationes: primùm Sara per se sterilis est, deinde pariendi tempus est egressa, tertiò: Abraham quoque iam est decrepitus, & in senectutis limine.

Fidei tentatio.

Fidei vis & efficacia.

Considera iam vim & efficaciam fidei, illa tot malis simplici confidentia resistit: primùm inde sequitur δύναμις, quæ sterilitatem tollit: nam concipit, & quod concepit retinet. Apostolus καταβολὴν appellat σπέρματος. Quòd igitur Gen. 11. describitur sterilis & 16. fatetur se à Domino esse conclusam, fide hîc superatur & expugnatur. Alter effectus est, quòd peperit: nam sterilem concipere magnum erat, sed maius eandem legitimo tempore parere, & naturæ ordinem mutare: quàm inepta ad partum fuerit natura ostendit Genes. 17. & 18. muliebria ei iam desierant, & erat annus 90. interea parit, vis infertur naturæ.

Tertiò, ad effectus fidei hîc pertinet etiam tam numerosa posteritas: nam stellis cœli & arenæ maris comparatur. Habet illa phrasis ὑπερβολὴν quandam, qua indicibilis & innumerabilis quædam multitudo significatur: tamen vtilis est vtriusque comparationis consideratio, nam per stellas cœli, quibus comparatur eius posteritas Gen. 11. rectè intelliguntur filij Abrahæ genuini, qui fidem eius imitantur, & ad cœlestem pertinent

Eccles. 44. v. 22.

nent illam ciuitatem, de qua paulò antè.

Per arenam verò intelliguntur steriles illi posteri Abrahæ, qui nomen & titulum solum habent, fidem autem non imitantur, hypocritæ sunt. Nota est arenæ natura, vtpote & sterilis & fundaméto inutilis, vnde stolidi hominis consilium ædificantis super arenam taxatur in Euangelio. Hæc ad effectus fidei pertinent. Verùm expendenda est etiam hic causa formalis fidei, quò pertinet quod ait, *quia fidelem iudicauit eum qui promiserat.* In qua sententia hæc sunt, primùm fides simpliciter assentitur promissionibus sine dubitatione, Deus promisit, hoc satis mihi est: bene viderit ipse Deus qui promisit. Deinde de Deo honestè sentit, non fallacem, & dolosum sibi fingit, vti impij & gentiles quidam finxerunt: sed fides Deum iudicat πιστὸν, vt est, h.e. beneficum, amicum salutis humanæ, constantem, tenacem promissionum. Tertiò omnipotentem etiam iudicat, & ita, vt nulla sit naturæ ἀδυναμία, cui non ausit Dei potentiam & robur opponere. Et quanquam absurda viderentur prima facie, vt etiam ad risum concitaretur: tamen in consideratione Dei omnipotentiæ sese collegit, & fidenter rem Deo commisit, posse eum quæ promisit perficere.

Vers. 13. Κατὰ πίστιν ἀπέθανον.

Tertium membrum illud est in exemplo Abrahæ, Habet autem illationem, qua post aliquot exempla semel rem concludit, Patres omnes in fide mortuos esse. Porrò hic constituenda est simul noua Propositio, quæ breuiter hoc tertio membro tractatur, quòd scilicet Patres promissiones spiritualiter intellexerint. Occasio verò eius est, quòd paulò ante iam dixerat, Abrahamum cum suis expectasse cœlestem quandam ciuitatem firmam, & ob id tantùm vsum tentoriis in terra promissionis. Quare iam spiritualiter locum hunc excutit κατ᾽ ἐπεμβολὴν: mox inde ad fidem Abrahæ rediturus. Propositio igitur sit, Patres non tantùm externè: sed spiritualiter quoque intellexerunt promissiones. Ratio est, Quia externæ eis non sunt exhibitæ, & tamen in fide de implendis promissionibus mortui sunt. Superest igitur eos intellexisse illas etiam spiritualiter. Quòd externas non acceperint, vide quanta orationis copia astruat: primùm procul eas tantùm viderunt: deinde crediderunt se accepturos: tertiò, salutarunt, hoc est, gratanter & amanter amplexi sunt, hunc qualemcunque gustum implendarum promissionum. Metaphora à nauigantibus tracta est, qui post multa discrimina maris, & adhuc in mediis fluctibus constituti, è longinquo vident turres, litus aliquod, hi magna exultatione & spe salutant terram, ad quam sperant se liberandos esse: sic Patres viderunt in æternis promissionibus cœlestia bona. Hinc Apostolus 1. Corinth. 10. v. 11. inquit, omnia illis contigisse in figura: & Christus apud Ioan. 8. v. 56. vidit Abraham diem meum, & gauisus est.

Patres spiritualiter promissiones intellexerũt.

Secundò, & confessi sunt se hospites & peregrinos esse in terra. Vnde collige, Qui se peregrinum vocat in aliqua terra, declarat se aliam inquirere patriam extra hanc terram: sed patres etiam in terra Canaam sese vocant peregrinos: Ergò declarant sese aliam præter hanc inquirere patriam. Maior vera, nam ratio nulla est, cur peregrinum aliquis sese appellet in terra sua: & maximè si iure hæreditario ad ipsum pertineat. Minor multis locis Scripturæ probari potest, Exod. 6. v. 4. appellatur manifestè terra peregrinationis, & Gen. 47. v. 9. Iacob id fatetur. Psal. 38. v. 13. Dauid etiam confitetur se & omnes patres suos peregrinos esse. Admonent illa nos de peregrinatione fidelium in terra, & si patres iam tum aspirabant ad cœlestem illam patriam, quantò promptiùs nos oportebat contemptis istis mundanis ad altiora aspirare: certè in cõfusionem nostri vrget illa Apostolus. Reperti sunt inter Philosophos, qui auderent omnia contemnere, & mundi sese profiteri ciues, quòd quæuis terra bo ni viri sit patria. Ita Socrates se κοσμικὸν appellabat, & Diogenes ille κοσμοπολίτην sese nuncupabat. Non ita Patres, sed in mundo quocunque terrarum venirent aduenas vocabant. Quare altius aliquid quàm Philosophi, & etiam nos hodie sapiamus, sunt meditati.

Peregrinatio fideliũ in terra.

Ver. 15. Καὶ εἰ μὲν ἐκείνης.

Obiectioni hic respondet, nam dici poterat, propterea dictos esse peregrinos, quòd extra terram Canaam ad alias Gentes, vt in Gerar, in Ægyptum, &c. peregrinati essent Patres, vel etiam respectu Carram terræ, aut Vr Chaldæorum, ex qua primi erant egressi. Respondet Apostolus, poterant illuc redire, si illius terræ respectu se appellassent peregrinos: sed in Vr non sunt reuersi, nec etiam in Carram: Itaque has non inquirebant. In terra autem Canaan constituti, etiam dicuntur peregrini: manet igitur firma ratio, quòd aliam quæsierint patriam. Quæ autem fuerit illa patria explicat Apostolus, cùm appellat eam κρείττονα ἐπουράνιον: in cœlis igitur habebant suum πολίτευμα. Hanc eandem ciuitatem nobis describit Apostolus Ephes. 2. ver. 19. cùm loquitur

Patria fidelium in cœlis.

de Gentibus ante conuersionem, vos eratis alieni à Rep. Israelis: & mox de iisdem conuersis, Cùm non ampliùs estis ξένοι & πάροικοι, sed συμπολῖται τῶν ἁγίων, & οἰκεῖοι Θεοῦ. Hæc est illa ciuitas, ad quam respexerunt Patres peregrinantes, Ecclesia cœlestis. Porrò Ecclesia etiam in terris constituta rectè dicitur ciuitas cœlestis: primùm propter Christum caput, qui eam administrat cœlesti modo: deinde à forma politica, in qua omnia cœlestia proponũtur nobis & peraguntur: tertiò, à fine, nam omnis nostra spes ad hereditatem cœlestem aspirat. Patria autem dicitur, quia omnia quæ in bene instituta patria sunt, illa hîc nobis etiam contingunt: nam ibi renascimur, alimur, enutrimur, leges bene viuendi accipimus, honestè factorum etiam præmia habemus delictorũ quoque pœnas videmus. Discamus igitur patriam hanc illustrare, & in eam grati esse, ne moribus nostris malè audiat, & blasphemetur nomen Domini, &c.

Deus Israelis Deus.

Tertiò, *Deus singulariter illorum Deus nominari voluit*, quòd insigniter illis benefaceret: non autem apparuerunt illa beneficia externè: Ergò oportet interna esse. Nam si conferas Patres cum sui seculi principibus, serui videntur, minúsque felices, quàm reliqui: sic Iacob apud Pharaonem seruum se agnoscit.

Quòd Deus illorum dici voluerit, passim habemus in Scriptura, Exod. 3. v. 6. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Gen. 18 Ego sum Deus Abraham: & in Exodo Deus Hebræorum, vt cap. 5. 6. 7. singulariter enim volebat eis benefacere. Psal. 19 119. Deus Iacob dicitur, &c.

Singulare autem beneficium est, quòd pararit illis ciuitatem. Primùm considera dici ciuitatem cœlestem patriam, quia suprà πόλιν & σκηνὴν opposuit. Deinde eam parari non hominis consilio, & ope, sed Dei: & accipi ab hominibus à Deo paratam, in testimonium, vt intelligamus donum esse Dei, ídque non ex nobis. Hactenus ἐπιμβολὴ de promissionibus spiritualiter intellectis à Patribus, redit iam ad fidem Abrahæ.

Vers. 17. Πίστει προσενήνοχεν.

Isaaci oblatio vbi de vi tentationis.

Quartum membrum in exemplo Abrahami, de oblatione Isaaci. In illo expende tentationis vim: deinde fidei naturam. Tentationis vis declaratur illis membris. Primùm quòd filium iubetur offerre, hoc nouum & insolens sacrificij genus erat, præsertim apud fideles, qui pecudum victimas didicerant tantùm offerre. Gentes in eam insaniam prolapsi fuerant, vt humana etiam hostia interdum litarẽt, qui mos in populo Dei etiam postea inualuit. Deinde hîc μονογενὴς est: nam licet alios habuerit postea filios ex Cetura, tamen hic vnicus est, ad quem promissiones pertinent, Gen. 21. in Isaaco vocabitur tibi semen. Itaque hîc tollebatur omnis spes prolis, & facilè illi erat cogitare, aut promissiones Dei erunt irritæ, aut filius hic tibi erit seruandus. Tertiò, de hoc nominatim promissiones sonabant, respicit ad cap. 21. vbi promissio in Isaaco promittitur, & mox cap. 22. sequitur mandatum de eo immolando, & cùm in genere dixisset tentationes, vnam tamen solùm citat. Quartò, ad idem facit quòd tentatio disertè dicitur, πειραζόμενος, tentatus: qua voce omnia illa certo Dei consilio facta esse testatur scriptura: deinde arcanum hoc fuisse consilium Dei, nec cognitum per omnia Abrahamo.

Tentãdi variæ rationes.

Porrò tentare dicuntur homines, cùm explorare volunt, & vt ait Sophocles πεῖραν λαβεῖν de voluntate alicuius occulta. Satan dicitur tentare, & propriè quidem ad malum irritando, subministratis occasionibus & mediis. Deus etiam tentare dicitur, vt hic & 1. Cor. 10. v. 13 cum tentatione dat etiam euentum, sic historia Iobi declarat. Diuersa ratione Deus tentat: primò, vt perdurantes in periculis coronet: secundò, vt Ecclesia habeat exempla constantiæ: sic Iobi, Abrahæ, &c. Tertiò, vt innotescant cogitationes nostræ, sic Deut. 18. quartò, vt consilia sua Deus suis patefaciat: denique vt doceat quomodo simpliciter sine tergiuersatione ab eo debeamus pendere.

Fidei natura.

His oppone fidei naturam: primùm, simpliciter obedit, vnde dicitur obtulisse filium, quod per se factum non est. Secundò, præcepto tam duro opponit λογισμὸς fidei: pertinent illa ad formam explicandam. Λογισμοὶ diuersi suborti sunt, honestiores fides retinet, quos imbecillitas carnis commouebat, reiicit.

Tertiò, fides piè sentit de omnipotentia Dei, & huic innititur: nec mouetur pugnantia apparente. Quartò, promissiones quoque firmiter seruat, & vtrumque Deo committit. Promisit seruare, ergò poterit & faciet, hoc mihi satis sit: si non aliter, certè mortuum restituere poterit.

Quintò, agnoscit Deum esse agens liberrimum, cui nullus modus sit præscribendus, & cui etiam non desint media & rationes implẽdi promissa. Sextò, tam pias cogitationes comitatur euentus iucundissimus: nam conseruatur Isaac, reducitur ἐν παραβολῇ, quod alij intelligunt typum resurrectionis: alij in exemplum aliis, ex quo discerent patientiam

tientiam & obedientiam præstare Deo iubenti. Sed placet mihi eorum sententia qui typum Christi hîc quærunt: nam Abraham Isaacum recepit in typo, qui Christum præfigurabat.

Expendamus igitur obiter, in quibus Isaacus παραβολὴ fuerit Christi: primùm Isaacus magno desiderio diu expectatus, multísque annis ante promissus nascitur: sic Christus, & diu antè promissus & expectatus nascitur: secundò nascitur ex muliere, ex qua non secundum naturam, nec etiam ætatem nasci filius potuit: ita Christus miraculosè de virgine. In quibus sit consideranda παραβολὴ Isaaci & Christi. Gen. 21

Tertiò, μονογενὴς Isaac est vnius Saræ filius: Christus etiam πρωτότοκος etiam & μονότοκος. Quartò, ablactato Isaaco grande paratur conuiuium. Christus in mundum veniens doctrinam Euangelij palàm omnibus proposuit, gratiæ tempus, erat conuiuium. Quintò, Ismaël ludit cum Isaaco, sed lædit illum, hinc mater postulat, vt eiiciatur Ismaël cum matre sua: sic Lex & Euangelium in multis conueniunt: tamen Lex derogans gloriæ Christi, petente Ecclesia matre eiicitur, ac liberantur pij à seruitute legis, ac vtuntur libertate Euangelica, vide locum ad Gal. 4. vers. 22.

Sextò, in immolatione plenissimus est Christi typus, primùm noctu surgunt: sic Christus venit cùm mundus esset in densissimis tenebris: deinde asinum secum ducunt, & ligna, quæ sunt onera legis: tertiò, duo iuuenes deducunt asinum: sunt sancti Patres ante legem Prophetæ sub lege comitantes populum Iudaicum: quartò, post tres dies vident locum, sunt tria tempora inter Abrahamum & Christum, Matth. 1. Ab Abrahamo ad Dauid generationes quatuordecim: à Dauid ad captiuitatem Babylonicam generationes quatuordecim, & inde ad Christum quatuordecim. Quintò, asinus & pueri relinquuntur ad radicem montis: sic Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem durauit. Sextò, reuertuntur post sacrificium ad eos: sic gratia non est ablata à Iudæis, nisi ad tempus, vt plenitudo gentium ingrediatur. Inde & Israël saluus erit.

Septimò, Isaac gestat ligna: Christus baiulat crucem organum salutis nostræ. Octauò, pater ignem & gladium fert: Deus Pater in ira contra peccatum, ardentem amorem erga genus humanum ostendit Ioan. 3. ver. 16. Rom. 3. ver. 23. & Zacharias ait, Percutiam pastorem & dispergentur oues: is gladius est. Nonò, Isaac in omnibus obediens est vsque ad mortem: sic Christus. Decimò, Isaac non moritur, sed aries hærens in vepribus: Christus secundum humanam naturam hærebat in vepribus peccatorum nostrorum, hoc est, infirmitatibus fuit subiectus, & inuentus vt peccator cùm esset sine peccato: secundum hunc arietem passus est: diuinitate non potuit mori. Vndecimò, Isaac triduo fuit destinatus morti: Christus post tres dies etiam resurrexit. Duodecimò, Isaac rediit domum: Christus expedita redemptione nostra, ad cœlos iterum ascendit ad dextram Patris.

Hæc dici possunt, aliáque his similia ad præsentem locum, vt intelligamus, quid Apostolus dicere voluerit, cùm ait Isaacum reductum ἐν παραβολῇ: nam ad altiora quædam nos reuocare videtur. Nec absurdæ sunt allegoriæ in loco adhibitæ. August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 16. ait, cùm secundum sensum Grammaticum nulla elici potest doctrina, vel res in speciem absurda videtur, quærendas esse allegorias. Quibus adde, vel si Scriptura nos manu ad illas deducat, vt præsenti loco facit Apostolus.

Vers. 20. Πίστει περὶ μελλόντων.

Quintum exemplum inductionis de Isaaco benedicente filios suos Iacobum & Esau: vide Gen. 27. v. 28. Iacob præripit fratri Esau ius primogenituræ, & benedictiones primogeniti non minori astu consequitur. Pater Isaac re intellecta ratas habet benedictiones illi collatas. Id hîc Apostolus ad fidem refert: ac vis argumenti est in eo, quod dicit περὶ μελλόντων. Nam præsens nihil erat adhuc earum rerum, quæ in benedictionibus exprimuntur. Respexit igitur fide in promissiones Dei, ac ea fide non dubitauit minorem præferre maiori. Esau figura fuit Iudæorum, qui ærumnosè & multis laboribus vix consecutus est partem inter promissiones: sic Iudæi legem vrgent sine fructu. Iacob verò nihil agendo, sed consilium matris sequendo, assecutus est facilè & sine laboribus, & benedictiones & ius primogenituræ. Sic Gentes obtemperando Euangelio, facilè Ecclesiam Christo congregarunt & assecutæ sunt gratiam, & iustificationem per fidem. 5. Isaaci fidei exemplũ.

Vers. 21. Πίστει, Ιακὼβ.

Sextum exemplum de Iacobo morituro & benedicente Ephraim & Manassem, vide Gen. 48. & 47. ad finem. Duo hîc recenset Apostolus: primùm benedictionem ex cap. 48. deinde inclinationem ad sceptrum ex cap. 47. vers. 31. Prius ad finem refertur, quòd Ephraim natu minorem præfert maiori: & quàm verum fuerit hoc iudiciũ fidei, euen- Exemplum fidei Iacob benedicen-

tis filios Ioseph. tus docuit: nam Ephraim ita creuit, vt sub eius nomine sæpe ipsum regnum Israël intelligatur. Et Scriptura etiam prærogatiuam huic tribui concedit Psal. 59. 107. 79. Ephraim semper præponitur reliquis fratribus, & plerumque cum aliqua dignitate. Deinde benedictiones illæ spirant spiritualia, præsertim quòd habet, Inuocetur nomen meum super illos, quibus optat eos persistere in vera vocatione vnius Dei. Deniq; quòd tanta diligentia promissiones acceptas posteris tradit, fidei argumentum fuit, nam eas certò implendas firmiter credidit.

Alterum, *Et admonuit apicem virgæ illius.* Hebræi *gnal rosch hamita*, quod Græci fecerunt ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, quam lectionem hîc etiam Apostolus retinuit. Hanc tamen lectionem multi damnant, inter quos est D. Hieronymus, qui vertit ad caput lectuli. At eligat sibi hîc lectionem, quam volet quilibet: mihi placet illa, quam non solùm septuaginta, sed etiam Apostolus Diuino Spiritu illustratus secutus est.

Quæ apud me firma est & valida ratio, piam & genuinam eam esse: hanc etiam sequitur D. Chrysostom. Hom. 65. in Genesin. Deinde mirè conuenit sententiæ nam gestus ille adorantis sceptrum Iosephi declarat, quòd agnouerit illum aliquo modo Dominum. Vnde vel hîc impletur ex parte sua somnium de Sole, Luna, & vndecim stellis Iosephum adorantibus. Tertiò, vox adorandi sæpe ita ponitur, & gestus est reuerenter salutantium apud Orientales: sic Sam. 9. versu 6. Dauidem adorat Mephiboseth. Ester ita honorat Assuerum, Esth. 5. Ita Iacob hîc inclinatione ad sceptrum filij, ipsum honorat. Quartò, Iacob id fecit afflatu S. Sancti, & testatur se verè credere promissionibus Diuinis, & in Iosepho agnoscit regnum Christi, cuius typum Iosephus virgam gerens, & regnum administrans gerebat: & in hac consideratione fides Iacobi præcipuè commendatur. Quæ singula in altera lectione admodum sunt ieiuna: non tamen damnanda est & illa, habet enim suum & vtilem sensum.

Ioseph Christi typus. Porrò quòd typum concernit, multa sunt, & quidem valde iucunda, quibus Ioseph Christum expressit. Primùm patri fuit charissimus: Christus etiam hoc testimonium habet à Patre, Hic est filius meus, in quo mihi complacitum est. 2. Peccata fratrum taxat & accusat apud Patrem: Christus peccata mundi etiam accusat, & in iudicium venit in hunc mundum, item vt mittat gladium. 3. Ad quærendum fratres mittitur: Christus ad perditas oues domus Israël est missus. 4. Somnium explicans prædicit se dominum fratrum suorum: Christus etiam non obscurè significat, quis sit. 5 Inuidiam fratrum sibi contrahit vera dicendo: Christus odia Iudæorum hinc in se transtulit.

6. A fratribus venditur: Christus à Iudæis fratribus secundum carnem. 7. Mendacio tegunt crimen: Iudæi milites corrumpunt, & dicunt à discipulis sublatum Christum.

8. Saluator mundi appellatur Ioseph Gen. 41. 43. Christus verus est σωτὴρ κόσμου. Sed de his alio loco forsan commodiùs.

Vers. 22. Πίστει Ἰωσὴφ τελευτῶν.

7. Exemplum fidei Iosephi. Septimum exemplum de Iosepho, Gen. 50. Porrò duo ibi sunt argumenta fidei: primùm, quòd liberationis tam certam facit spem, nam illa verba non habent Prophetiam, sed potiùs fidei suæ confessionem: & certè admirandum est fidei argumentum, delicias aulicas & honores regios authoritatem publicam, non illi eripuisse omnes illas de futuris promissiones. Alterum est, quòd de ossibus suis transferendis tam solicitè præcipit fratribus suis. Argumentum est à signo, quo fratres confirmare vult in promissionibus, & excitare ad expectationem illarum.

Pompa funerũ non probanda. Deinde laudabile est in cœtu fidelium quiescere: item idololatriæ occasionem Ægyptiis noluit præbere, qui regibus suis & magnatibus solebant diuinos offerre honores. Præterea solatium erat reliquis posteris, vt qui vnam profiterentur religionem vnà sepelirentur. Non tamen hinc approbanda est funerum pompa, nam illa nihil facit ad felicitatem, alioqui miserè ageretur cum illis, quorum sepultura ignoratur, vt Mosis, Aaronis, aut qui apud exteros humati sunt, vt Daniel, Ieremias, &c.

Verùm honestas sepulturæ magis viuis solatio est, quàm prosit mortuis, De quo in loco de sepultura fusiùs dicetur.

Vers. 23. Πίστει Μωσῆς γεννηθεὶς.

Fides nõ caret tẽtationib. Octauum Inductionis exemplum, de Mosis parentibus. In his parentibus signa fidei sunt, primùm quòd occultant puerum tanto tempore, & quidem magno periculo: deinde quòd non vana in eo ducantur spe, sed certis quibusdam iudiciis deprehenderint, per hunc aliquid singulare Dominum effecturum. Nam id velle puto, per id quod dicitur, puerum fuisse ἀστεῖον. Et si credendum est Iosepho, Amram pater Mosis responsum accepit ex sese nasciturum populi liberatorem. Denique ad facti commẽdationem pertinet, quòd contra edictum Regis eum conseruarint. Et fides quidem magnitudine peri-

ne periculi postea opprimitur, aut certè reprimitur: tamen de Dei omnipotentia certi sunt. Inde sororis illa cura, sequentis & spectantis euentum circa puerum.

Disce fidem non carere tentationibus, & alias aliter ab illis affici, nuquam tamen extingui, ac tandem ad optata illam peruenire. Deinde quatenus obediendum Magistratui, cùm imperat talia, quæ contra naturam sunt, aut cum Dei mandato pugnant, decet illis obedire. Præceptum hoc Pharaonis primùm cum natura pugnat, quæ iubet sobolem diligere: & asinus per ignes ad liberationẽ sobolis fertur: validiores sunt ςοργαὶ illæ φυσικαὶ in fidelibus. Deinde pugnat cum Dei promissionibus de multiplicando hoc populo. Denique cum spe liberationis pugnat, nam sublata mascula sobole semper, non poterat sperari liberator ex seruitute, non igitur decebat parêre tam impio edicto. Fidei exemplum in Mosis parentibus.

Vers. 24. Πίστει Μωυσῆς μέγας.

Nouum Exemplum de ipso Mose, cuius fides fusiùs illustratur: nam vt in Patribus ante legem Abraham reliquos antecellit: sic sub lege Moses omnes antecellere videtur. Itaque ad fidei illius commendationem primùm pertinet, *quòd filius dici filiæ Pharaonis recusarit*: erat autem in regiam familiam adoptione insertus: vnde magnarum rerum & dignitatum offerebantur occasiones. Sed cùm intelligit impiam familiam, & promissionibus diuinis se ad aliud vocari, libenter contemnit familiam regiam, & paupertatem sui populi præfert. Secundò, exilium etiam non dubitat subire, quàm licentiam & delicias aulicas captare, quod Apostolus expressit per συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, quo denotatur miseria laborantis in seruitute populi. Huic opponitur πρόσκαιρος ἀπόλαυσις ἁμαρτίας, quo significatur aulicæ vitæ licentia, & ad omne peccatorum genus exquisitæ occasiones. Fugit igitur aulam Moses grauibus commotus rationibus. Rectè dixit ille, Exeat ex aula, qui volet esse pius. Petrus in aula Christum negat: Magis in aula Herodis euanescit stella, quæ ad Christum ducebat. Adde, quòd omnis ille splendor, vtut luceat in oculis hominum, est πρόσκαιρος, h. e. ad tempus breue durat, momentaneus est: post quod illa tota ἀπόλαυσις perit voluptatis, manet autem delictorum conscientia indelebilis. Exod. 2. 11. Mosis fidei commendatio. Ioan. 18. 17.

Tertiò, quòd expressè etiam fide respexerit ad spiritualia de futura liberatione per Christum, testatur illa antithesis, quòd ὀνειδισμὸν Christi pluris fecerit, quàm Ægypti thesauros. In miseria igitur illa ad Christum respexit, & beatiùs iudicauit cum Christo & pro Christo affligi, quàm deliciari apud impios, & in pretio esse in aula. Respiciant igitur Hebræi exemplo sui Mosis ad Christum. Adiecta est ratio electionis illius, quòd ὀνειδισμὸν prætulit, & neglexit θησαυρὸς. Ratio est, quia fide penetrauit cœlos & respexit μισθαποδοσίαν. h. e. vitam æternam, quæ Dei cultoribus promittitur. Ad eam Patres sese erexerant in afflictionibus: idem fecit Moses.

Quartò, eadem fide ductus, Ægyptum deserit, idque facit sic obdurato animo, ac si Deum ipsum vidisset, qui tamen est inuisibilis, vide Exod. 3. 4. 6. deseruit initio solus Ægyptum, eò tamẽ postea reuersus est. Et vidit Deum in rubo ardente, vnde puto eum sic fuisse obfirmatum vt hîc testatur Apostolus.

Quintò, eadem fide inductus præparauit populum ad egressum, & nominatim in rei memoriam instituit Pesach illud solenne. vide Exod. 12. vers. 22. & 11. Erat symbolum liberationis & tessera, qua distinguebantur ab Ægyptiis, nam hac nota arcebatur Angelus percussor. Agnus ille, Christi typus erat, cuius sanguis illum percussorem Satanam arcet à fidelium cœtibus.

Sextò, denique ad fidem etiam refert, transitum rubri maris, in quo illustre est fiduciæ exemplum: nam sperare viam per inuium mare, non erat hominis fide exuti. Desperat hîc tota ratio cum vniuerso consiliorum Senatu: quid faciet apud mare sine nauibus, sine remis, sine nauris? Ad littus inermis stat, orat, consolatur impatientes, baculo aperit viam, sicco pede deducit suos, fidei illa sunt omnia. & quidem eximia. Ad fidem pertinet, quòd Ægyptij vndis marinis opprimuntur, precibus enim Mosis, factum esse constat, ita fides liberat fideles, improbos opprimit commeritis pœnis. Maris rubri transitus.

Vers. 30. Πίστει τὰ τείχη Ἰεριχώ.

Decimum Exemplum de Iosua, nouo & insolito more expugnante Ierichuntem: vide Iosuæ 6. vers. 2. promittit Deus victoriæ nouum genus. Iosua credit Deo, & actiones suas ad id dirigit, vt iubet Dominus: euentus rem comprobat. Rectè igitur fidei tribuitur, nam nullus est apparatus hîc militaris tantæ spei par, vt humanitus credi posset capi eam vrbem ita posse. 10. Exemplum Iosuę Ierichũtem expuguãtis.

Subest elegans hîc etiam typus, Iosua est verus saluator: Iericho mundus à Luna dictus Iericho: competit autem id nominis ei ob mutationes, quas cum luna habet communes: decrescit etiam, vt Luna. Sacerdotes clangentes tubis, sunt Apostoli Euangelica

buccina clangentes, hac victus est mundus, & in obedientiam Christi pertractus.

Verſ. 31. Πίςει Ῥαὰβ ἡ πόρνη.

11. Exemplum fidei in Raab meretrice.

Vndecimum Exemplum in Raab, cuius fides declaratur, quòd exploratores amicè recepit hoſpitio, & Regis exploratoribus eos non prodidit. Deinde quòd fatetur, fatale vrbi imminere diuinitus excidium: item, quòd ſpem ſalutis ponit in fidem exploratorum, quam poſtea liberat Ioſua, fidelis ergò fuit & declarauit facto, ſe adhærere velle Deo vero & cœtui colentium Deum, verè poſthac adhæſuram. Porrò non conſtat inter Hebræos ſcortum-ne fuerit nec-ne: nam *zonah* coquam etiam ſignificat, quæ cibos parat & vendit, quales in hoſpitiis publicis habentur: vnde Chaldæi vertunt *pundekitha* & Græcum verbum πόρνω vendo eſt: ſic Latinis mereo, inde meretrix non ſtatim in deterius rapi debet. Veteribus dicebatur, quæ pro mercede & ære alieno ſubiret etiam honeſtos labores: conſenſus tamen obtinuit, vt ſcortum intelligatur, &c.

Verſ. 32. Καὶ τί ἔτι λέγω.

Tertia pars inductionis, σύλληψις καθολική: nam ſingularium exemplorum infinitus eſt numerus, nec eſt etiam neceſſum ſingula recenſeri. Quare elegit ex hiſtoriis inſigniora quædam: iam vniuerſali hac clauſula reliqua omnia concludit ſub eandem formam hoc eſt, quemadmodum prædicti fide ſeruati & approbati ſunt Deo: ſic de reliquis omnibus iudicandum eſt, vt tandem inferatur totum, omnes pios in veteri & nouo Teſtamento fide iuſtificari. Porrò clauſula illa habet duplicem congeriem: prior eſt illuſtrium perſonarum, quæ ſuperioribus non ſunt inferiores, quod fidem attinet, vt eſt Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & in ſumma omnes Prophetæ.

Fdei effecta varia.

Poſterior eſt effectorum fidei, quibus vis & infractum robur fidelium explicatur. Atque hîc iterum duplex eſt ratio: nam primò oſtenditur, quàm magna per fidem poſſint effici bona. Quò pertinet, expugnare regna. 2. iuſtitiam adminiſtrare. 3. promiſſiones conſequi. 4. leonum ferociam debilitare, vt Daniel. 5. ignis vim extinguere, vt ſocij Danielis. 6. declinare gladij aciem. 7. reſtitui ex morbo, vt Ezechias ex peſte Eſa. 38. v. 5. Dauid. Pſal. 6. & Iob. 8. in bello confirmari, vt Machab. 4. 5. Nonò, incurſiones arcere. Decimò, excitare mortuos, vt Elias, & Eliſæus. 3. Regum 17. & 4. Regum. 4. Hæc primi ordinis ſunt effecta.

Deinde explicantur alia effecta, quanta ſcilicet mala, & quàm ardua per fidem poſſint ferri. Illa ad εὐτυχίαν pertinent in externis: hæc ἀτυχίαν quandam apparentem habent cùm reuera etiam ſint εὐτυχίας: nam fides in his aduerſis caſibus ſimiliter vincit, vt in ſuperioribus.

Mala quæ pij per fidē tolerarunt.

Primùm, *alij*, inquit, *diſtenti ſunt* ἐτυμπανίσθησαν, hoc eſt, vt corium tympani extenditur, ſic quædam ſanctorum corpora diſtenta fuerunt, alij interpretantur fuſtibus pulſatos, nam tympana dicebantur fuſtes, quibus ſontes percutiebantur, quod tempore Machabæorum quibuſdam piis contigit: illa ferre nomine pietatis, opus eſt fidei.

Deinde non admiſerunt ἀπολύτρωσιν, hoc eſt, cùm liberari poſſent noluerunt, vt Ieremias, Michæas, & cæteri liberari potuiſſent, ſi modò recantaſſent: ſed noluerunt illam ἀπολύτρωσιν, & hodie multi pij malunt adire ignes & mille tormenta, quàm veritatem agnitam reuocare.

Reſurrectio.

Tertiò, expreſſa eſt cauſa finalis: nam vitam hanc per ſe non contemnerent, ſed hoc declararunt, ſe huius amore, nolle meliorem vitæ æternæ ſpem deponere. Pertulerunt igitur cruciatus illos, vt meliorem aliquando haberent reſurrectionem. Eſt reſurrectio communis omnibus, ſed boni ad vitam reſurgunt: mali ad pœnas æternas: nam iuſtum eſt, vt fiat compenſatio aliqua. Boni hîc peſſimè habent: mali contra optimè: in reſurrectione igitur harum rerum erit compenſatio. Expende igitur quò reſpexerint martyres iſti in cruciatibus.

2. *Alij affecti ſunt ludibriis, flagris, vinculis, carceribus mancipati*: ſic Eſaias conqueritur, factus eſt mihi ſermo Domini in deriſum, Eſaiæ 20. & 50. verſ. 6. conqueritur in perſona Chriſti, non tamen dubium eſt, quin ipſi talia etiam contigerint. 2. Regum 2. 23. Eliſæus à pueris deridetur, aſcende calue, &c. Chriſtus ſalutatus ludibrio rex flagris & colaphis cæſus. Ieremias in lacum lutoſum mittitur, vide Ierem. cap. 37. verſ. 15. & 38. verſ. 6. de Micha ſimilia habes 3 Reg. vltimo.

3. Alij *lapidati ſunt*, vt de Zacharia exprobat Chriſtus Iudæis Matt. 23. v. 35. vide 2. Paralip. 24. v. 21. Ieremias ab ipſis Iudæis in Ægypto lapidatus eſt. Stephanus in Actis lapidatus ſcribitur propter confeſſionem.

4. Alij *diſſecti ſunt*, Eſaias dicitur diſſectus ſerra lignea, de quo Orige. in cap. 23. Matt.

5. Alij *tentati ſunt*, ἐπειράσθησαν, eam vocem nonnulli ſuperuacaneam arbitrantur, & irrepſiſſe ſcribentium negligētia: poteſt tamen referri ad eos martyres, qui honoribus, opibus,

opibus, dignitatibus oblatis noluerunt confessionem veritatis deserere, vt hodie quidam tentati sunt aliquando Episcopalibus & opimis sacerdotiis oblatis, &c.

6. *Gladio percussi sunt alij.* 7. *Alij exules facti oberrarunt in caprinis & ouillis pellibus.* Eliæ historia huius exempla habet, 2. Reg. 1. 8. fugit vt exul, & mox capite 2. tribuitur illi μηλωτὴ, qua diuisit aquas Iordanis. His adiecta est malorum conglobatio, ὑστερούμενοι, *deserti ab omnibus:* θλιβόμενοι *afflicti*, κακουχούμενοι, *malè habiti.* Hæc sors est pietatis in mundo: interea mundus horum gratia conseruatur. Impij quod viuunt, his debent. Sodoma non potest deleri, donec inde profugiat Loth. Diluuium non immittitur, donec priùs Noë construxerit arcam. Seruanda etiam fuerat Sodoma, si decem iustos intra se habuisset, & Christus testatur propter electos abbreuiandos dies, ne & ipsi seducantur, tanta est dignitas piorum in conspectu Domini. Interim illi in hoc mundo oberrant in desertis, in montibus, in speluncis, in terræ cauernis, quod fecerunt Elias, Elisæus, aliíq; Prophetæ frequenter.

Impiorũ conseruatio piis debetur.

Ex his docemur, quanta res sit fides, inuicta nimirum, imò malis alitur, nullæ enim sunt tantæ afflictiones, quin ipsa semper vincat: in summa nescit cedere malis.

Vers. 39. Καὶ οὗτοι πάντες μαρτυρηθέντες.

Quarta hæc est pars inductionis. συμπέρασμα, quo infert rem initio positam, omnes scil. veteres pios fide consecutos iustitiam: ita enim proposuerat ἐν ταύτῃ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. Huic iam respondet post longam exemplorum commemorationem conclusio, καὶ οὗτοι πάντες μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως. Secundò, colligit hinc promissiones ad spiritualia extendi: nam promissiones hic non acceperunt: ergò frustra promisisset, & inanis fuisset fides obiecto euanido inhærens. Sed id falsum est: verax enim est Deus in promissionibus suis, igitur necessum est ad spiritualia promissiones extendi.

Tertiò, comprehendit etiam causam finalem, cur promissiones in hac terra patribus non sint exhibitæ. Ratio est, quia Deus melius quiddam illis præuidit, hoc est, prospexit illis præstantiora quædam bona, in quorum possessionem transire debent. Itaque externa hęc felicitas mundi minor est, quàm vt satiare possit animos fidelium: maiora desiderat fidei certitudo. Expende argumentum à prouidentia Diuina trahi ad consolationem: docet enim pios Deo seriò esse curæ, & in illorum salutem vigilare, non otiosus est, vt fingunt Stoici: deinde beneficus est, & author boni: deniq; defensor suorum, & periculorum propulsator.

Quartò loco, ratio etiam explicatur, cur Patribus nõ datæ sint promissiones vel impletæ. Prior quidem firma est, quia ad vitam æternam spectabant: sed & illa consolatoria est, *sine nobis*, inquit, *non debuerunt perfici*, hoc est, eadem ratione nos qua illi, & illi eadem qua nos iustificari debuimus. Ad vnum tempus pertinemus, vna igitur & eadem in vtrísque forma debuit esse implẽdarum promissionum. Superest igitur tantùm hoc, vt fidem patrum imitemur, & ipsis adiungamur per confessionem. Sic τελείωσιν communem habemus, vitam æternam: deinde medium, per quod eam apprehẽdimus, fidem scilicet. Differimus autem primùm tempore: illi Christum antecesserũt, nos sequimur: deinde illi sub pædagogo lege vixerunt & in vmbris: nos in libertate & vera luce Christi. Illi expectarunt: nos exhibita scimus illis propter nos extrahebantur promissiones: nos expectati ab ipsis, illorum fidei vestigia imitari debemus. Hinc disce, quanta sit Ecclesiæ Christi post eius aduentum dignitas, sine qua tanti Patres ad plenam promissionum possessionem non potuerunt peruenire: deinde quanta in nobis fides requiratur, certè non solùm par fidei Patrum, sed etiam maior, cùm nos in luce meridiana versemur, illi verò sub vmbris, &c.

Ecclesiæ Christi dignitas.

CAPVT XII.



QVARTA pars præsentis epistolæ, in qua iã ad officia & proprias Christiani hominis virtutes nos exhortatur. Itaque Ethica Christianismi hinc discantur. Superiora magna ex parte διδακτικὰ fuere, ac ad γνῶσιν pertinebant: nam quid de Christo sentire deberemus piè nos docuit. Hìc post cognitionem subiicitur πρᾶξις, ac religionem totam in vitam & mores transfundit. Genus orationis est προτρεπτικόν: hortatur enim validis argumentis ad officium Christiani hominis. Duo autem præsenti capite requirit: primùm constantiam in professione semel suscepta: deinde innocentiam vitæ cum pacis studio coniunctam. Propositio prioris loci est, Pij homines reiectis omnibus impedimẽtis, semel susceptam Christi professionem summa tolerantia & constantia persequi debent.

Cap. 12. arg. continens Ethica Christiana.

Vers. 1. Τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς.

Connectit sequentia superioribus, argumento à consequentibus ducto. Atque illa hactenus perpetua fuit Apostoli consuetudo, vt didacticis hinc inde insereret protreptica. Sic hoc loco, cùm præcedēti capite docuisset rationem iustificationis, hîc iam consequentiam facit, oportere igitur nos maiorum exemplis firmiter insistere.

Propositio noua in his latet verbis, ἡμεῖς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Sententia est, Vos Hebræi in Christi professione deberis esse constantes. Apostolus translatis est vsus, nam ita verbis & sententiis additur vis. ἀγῶνα vocat hominis verè Christiani vitam, nam plurimis est inuoluta afflictionibus, plurimi etiam circunstant hostes, qui tum apertè nos petunt, tum ex insidiis contra nos insurgunt. Verùm vt boni militis est hosti obuiam ire, & boni cursoris de cursu quàm minimum remittere, imò intendere, eoque magis quantò propiùs ad metam accesserit: sic Christiani hominis omnino proprium est in suscepta professione constanter pergere. Quale ipsum vitæ genus sit, vox ἀγῶνος satis nos admonet: quid verò à nobis requiratur, verbum τρέχειν declarat, significat id continuatam actionem certo fine & iucundo præmio proposito. Decet ergò pios semper vigilare, vt sint in perpetua πράξει, non stertant, otio indulgeant: currendum est, non restitandum, non respiciendum, sed prospiciendum, minus standum sed rumpenda mora: omnino minimè sedendum, sed festinandum ad metam. Sed emphatica sunt & reliqua omnia: nam personam etiam pronomine adiecto vrget, ἡμεῖς τρέχωμεν, quasi dicat, singulis pro sua salute elaborandum & currendum est: nam in aliis vitæ actionibus adhibentur interdum vicarij, qui rem meliùs nobis ipsis efficiunt: hîc non ita, singulis de se suáque vita erit reddenda ratio. Alioqui satis erat dicere τρέχωμεν, nisi singulare aliquid vrgeret. Idem iudicium est de sequentibus, nō simpliciter dicit ἀγῶνα, sed προκείμενον ἀγῶνα. q.d. hæc est vocatio nostra, id propositi nostri est, singuli sua habent προκείμενα eáque pro vitæ genere diuersa, sutor sutrinam, Senator curiam, concionator suggestum, alij aliud. Sic Christianus quatenus est & dici meretur Christianus, habet suum προκείμενον, pietatis & innocentiæ perpetuum exercitium. *Daß ist syn* προκείμενον. Nec minus argumenti est in eo, quòd non contentus adhuc, sed addit προκείμενον ἡμῖν: nam δεικτικῶς, quasi digito demonstrat, ad quem pertineat illud προκείμενον, *Ad nos*: quæ enim in genere proponuntur, minùs solēt curari, dum nemo certus ad id ligatur. Ita publica minus curantur, quæ laboriosa sunt, priuata verò impensè. Docet igitur Apostolus ad singulos priuatim hoc pertinere: nam ἡμῖν demonstratiuè intelligi debet, & ad singulos ordine referri: nemo igitur est, qui sit immunis ab hoc cursu, modò qui velit data opera damnari. Hęc in verbis Propositionis considerari poterunt.

Deinde verbis Propositionis adiunxit causam mediam vel organicam, δι' ὑπομονῆς: ostendit causa hæc rei aliquam facilitatem, & modum singulis obuium. Tolerare singuli poterunt, modò animos rectè habeant instructos, & interdum plus laboris est in inferendo, quàm tolerando malo: sic in reliquis casibus durum patientia frangit: Aureum est & celebre dictum. *Gedult in der nott, ist himmell brott.* Itaque perfer & obdura, labor hic tibi proderit olim: Hac via constantiam in professione Christi testabimur.

Tertiò, admonet etiam de impedimentis, quæ pertinent ad causas corrumpētes, quò pertinent illa, ἀποθέμενοι ὄγκον πάντα καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. Significat autem omnia impedimenta esse studiosè in hoc certamine cauenda. Ea in genere omnia complectitur per ὄγκον: sarcina enim est & onus quidquid hîc nos remoratur: nam alia extra nos sunt impedimenta, alia in nobis ipsis quasi domestica & congenita. Externa offendunt, & lapsu vel offensione remorantur. Interna onere premūt & impediunt, hæc rectè sarcinæ dicuntur. Est etiam ὄγκος fastus & arrogantia, quę inter impedimenta non postremum habet locum: sed suauior est significatio, metaphora vt pro sarcina capiatur: nam onusti oneribus minimè sunt idonei ad cursum. Deinde ἁμαρτία etiam ad impedimenta pertinet significans naturę corruptionem & malum radicale, ex quo polluuntur actiones quotidianę & simul etiam cogitationes. Deinde significat occasiones peccandi, quę infinitæ sunt & nos ambiunt. Εὐπερίστατον autem dicitur peccatum, quia nos densa acie circunstat, nihil enim nisi peccatum ex nobis sumus: deinde quia innatum nobis est & domesticum: tertiò quia captu faciles sumus propter apparētem suauitatem & præsentem delectationem: quartò, quia non facilè deponitur, vt facilè assumptum est,

Facilis enim descensus Auerni,

At reuocare gradum superásque euadere ad auras. Hoc opus hic labor est. Et copulā illam intelligo per epithesin, quasi dicat, Omne impedimentum esse reiiciendum, præcipuè verò, quod speciem habet peccati, aut etiam occasiones offert peccandi. Sic diuitiæ, honores, eloquentia, si cœperint esse ὄγκος, deponēda sunt: nedum scortatio, auaritia, libido, &

Vita hominis Christiani certamen.

Constantia & vigilantia in professione piis necessariæ.

Tolerantia.

Impedimenta à cōstantia remouentia.

do,&c.earúmque rerum occasiones.

Hactenus Propositio exposita est, quòd omnibus impedimentis sepositis oporteat constantes esse. Videamus nunc, quæ ad rationes pertinent, & vim habent argumenti ad προτρεψιν.

Primum argumentum à consequentibus,nam remittit nos ad superiora Patrum exempla ad hunc modum, Veteres sancti omnes dederunt nobis exemplum magnæ constantiæ in vera religionis professione:Ergo nos etiam illa exempla studiosè debemus imitari. Argumentum in his verbis continetur, ἔχοντες τοσοῦτον περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων.

Primùm verba καθ' ὑπόθεσιν dans,nos exemplis,& quidem notis,non destitui:illa iam priori capite copiosè recensuit, quò facit vox τοιγαροῦν, quæ illatiua est & consecutionem aliquam conclusionis denotat:deinde copiam exemplorum innuit, cùm ait νέφος: nam copiosa est exhalatio nubium & densior etiam,vt septi nubibus,nihil aliud, quàm nubes videant.

Tertiò,περικείμενον septos & inclusos nos ostendit,quasi dicat, nihil est quod causemur,nulla est excusandi & elabendi occasio. Et μάρτυρες exempla commemorata intelligit:& rectè martyres dicuntur,nam testantur de veritate: deinde sanguine confirmarunt eandem nonnulli, vt Abel. Tertiò, nos conuincunt & inexcusabiles reddunt, testibus conuincimur:quartò,prouocant ad imitationem suæ vitæ.

Secunda ratio est sumpta ab exemplo Christi. Proponitur nobis Christus, vt qui nostri causa patienter subiuit crucem, eámque constanter pertulit: Ergò decet, vt in nostra propria causa constanter perduremus in agnitione veritatis.Initio admonemur nostri officij, vt scilicet in vita & actionibus nostris respiciamus ad vera, & laudabilia exempla:nam qui sine exemplo viuunt & agunt temerè,facilè labuntur.Iubet igitur ἀφορᾶν hoc est,diligenter respicere, quos vitæ duces imitemur. Deinde obserua qualem nobis proponat Christum:primùm ἀρχηγὸν τῆς πίστεως *fidei ducem*, nam est eius author, est etiam defensor & patronus,est & propagator,est & collator, donum enim Dei est, media etiam suppeditat.Et quod maximum est,vitæ innocentia monstrauit,quomodo fidelibus sit ambulandum in hoc mundo. Itaque ducit nos & regit: par igitur est,vt eum sequamur.Deinde proponitur nobis,vt τελειωτὴς,hoc est,*consummator*,quia quæ ad fidem pertinent, ad plenum ille confert: deinde negotium redemptionis ipse perfecit clamans consummatum est.Item vt est ἀρχὴ sic est & τέλος, omnia est in omnib. Est etiam ipse fidei fundamentum,cui innititur,est etiam perfectio nostra.

Christi constantię exemplum in cruce ferenda.

Ioan. 19. 30.

Tertiò, vide vt explicetur exemplum tolerantiæ in Christo, *pro gaudio sibi proposito pertulit crucem.* χαρὰ ab aliis hîc intelligitur gaudium, in quo poterat esse reiecta cruce. vt in sinu Patris Deus, Deo æqualis: aut quòd potuisset esse magnus in mundo etiam, nam populus illi offert regnum. Verùm rectiùs referatur ad finem afflictionum omnium,quasi diceret ἀντὶ χαρᾶς pro gaudio, hoc est, vt ingrederetur illud regnum Dei Patris & gaudium cœlorum,debuit priùs ferre crucem & alias afflictiones.Crucem ergò tulit,turpitudinem contempsit,ac ita ingressus est gloriam suam.Ergò nobis & cogitandum est, quòd non alia via nobis pateat ad salutem, quàm per afflictiones, quas constanter ferre decet.

Vers. 3. Ἀναλογίσασθε.

Dilatatio Argumenti, qua meritum Christi amplificatur à Iudæorum malitia. Peccatores illi erant,& Christo sunt molesti qui peccato caret:ergò nos peccatores à peccatoribus pressi nõ debemus impatienter ferre,cùm id fiat pro veritate & gloria nominis Dei.Τοιαύτην emphaticῶs posuit:magnitudinẽ declarans ἀντιλογίας,& antiologia hîc studiũ est impugnandi & expugnãdi doctrinam Christi,quo morbo singulariter Iudæi laborarunt,& adhuc laborãt. Ἵνα μὴ &c. Τελικὸν αἴτιον exẽpli Christi, & altera pars Enthymematis,Christus constans fuit in tolerantia:Ergò etiã vos nõ debetis frangi.Proponitur nobis Christus dupliciter:primùm,vt saluator & Deus,sic nõ in exẽplũ,sed doctrinã proponitur:deinde exẽplũ vitæ instituẽdæ in his terris, in eo nobis est imitãdus.

Vers. 4. Οὔπω μέχρις αἵματος.

Tertia ratio,qua ostendit,quid nondum fecerint,vt sic innuat,quid eos facere deceat. Christianos decet vsque ad sanguinem constantes manere. Id vos nondum fecistis: Igitur par est vos adhuc persistere. Sanguinem appellat mortem, extrema pericula, quibus vita eripitur ob confessionem veritatis.Et obserua patientiæ hîc tribui resistere,nimirum quòd tentationibus non cedat,persistat in vera sententia, quidquid obiiciat mundus. Deinde quando laudetur constantia illa, nimirum,quando peccato sese opponit.Nam propria hæc lucta Christianorum est.Ac priùs agonẽ dixit, nunc ἀνταγω-

Christianos ad sanguinem vsque constantes esse decet

νίζειν πρὸς ἁμαρτίαν, *certare contra peccatum*, quale est dubitationi, credulitati resistere, adde illis apertiora, auaritiæ, iræ, libidini, &c. sese opponere.

Vers. 5. Καὶ ἐκλέλησθε.

Castigationum natura.

Quarta ratio à natura castigationum, & iudicio Scripturæ de illis. Scriptura testatur castigationes nostro bono immitti, & esse Dei benefici testimonia: ergò non sunt suffugiendæ nimiùm. Antecedens probat ex 3. cap. Prouerb. v. 11. Initio testimonium commendat, & παράκλησιν vocat, hoc est, piam exhortationem ad patientiam, eámque spectare ad filios Dei: non igitur ab irato Deo illa proficiscuntur. In testimonio expende ista ordine: primò dici παιδείας, hoc est fine bono & certo institutas castigationes, quales à bonis præceptoribus, discipulis & piis parentibus, filiis adhibentur: deinde sunt ἔλεγχοι, quibus coërcentur nostra peccata: item μάστιγες, quibus stultitiæ nostræ pœnas damus. Deinde à Deo volente & sciente immitti, & esse amoris argumenta, & adoptionis in filios testimonia. Ratio dictat mala à Deo irato immitti: Philosophi casui & fortunæ multa tribuunt, cùm vident bonos cum malis affligi. Sed literæ sacræ nos aliud docent, nimirum paternas esse correptiones, ne duriora cogamur pati in altero seculo. Immittit tamen etiam iratus multa, ita in his iram, in aliis dilectionem suam declarat, vt si contingat bonos cum malis affligi, tamen attemperat pœnas Deus, vt boni vel eripiantur, vt Ieremias, Daniel, quibus ad bonum cessit captiuitas, vel illis meliores reddantur: sic Iob, si bona suscepimus, cur mala non sustinemus.

Vers. 7. Εἰ παιδείαν ὑπομένετε.

Deus præsens in afflictionibus.

Quinta, in afflictionibus Deum habemus præsentem: ergò non sunt subterfugiendæ. Antecedens verum est, quia à Deo authore immittūtur, sed non possunt, nisi à præsente immitti, ergò præsens est. Deinde à comparatis, vt boni parentes filiis quos diligunt minus concedunt præsentes: ita Deus quos diligit coërcet, minúsque indulget.

Vers. 8. Εἰ δὲ χωρίς.

Sexta ratio à contrario. Qui immunes sunt ab omnibus afflictionibus, hi testantur se non esse filios Dei, sed adulterinos: ergò non debemus nimium affectare felicitatem mundi, & successum in rebus externis, qui votis nostris per omnia respondeat. Apostolus ita colligit, Omnes filij Dei μέτοχοι sunt afflictionum. Vos non vultis esse μέτοχοι: Ergò non vultis esse filij Dei, sed νόθοι, Atqui id ignominiosum est: ergò in illis perdurandum est.

Vers. 9. Εἶτα τοὺς μὲν τῆς σαρκός.

Deus castigās vt pater ferendus.

Septima ratio à minori, Carnales parentes debemus ferre castigantes nos, imò ob id eos diligere & honore prosequi, Ergo multò magis id debemus præstare Deo Patri. Tacitè hîc conferuntur duo præcepta: primum de honorandis parentibus ex Decalogo: alterum de afflictionibus patienter ferendis: deinde maius hoc asseritur quàm parentes honorare, quantò Deus carnalem patrem antecellit. Addita est causa finalis, vita æterna: nam & illud habebat promissionem annexam de vita longæua.

Vers. 10. Οἱ μὲν γδ.

Octaua ratio cohæret priori, nam consequentis cōfirmationem habet, cur nimirum plus Deum castigantem debemus ferre, quàm carnales parentes. Ratio est, quia hîc maior est vtilitas, Illi regunt filios ad paucos dies tantùm: deinde κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, Deus autem non ad paucos dies, sed in æternum suis præest: deinde non κατὰ τὸ δοκοῦν, sed ἐπὶ τὸ συμφέρον, nam illi errare possunt, vt apparens sit vtile, hic autem non errat, sed verè est vtile, quod suis filiis eo nomine confert. Quare æquum, vt mala à Deo immissa æquo feramus animo. Obserua etiam castigationes facere ad sanctimoniam, nam illa vt finis afflictionum hîc ponitur.

Vers. 11. Πᾶσα δὲ παιδεία πρὸς.

Castigationis fructus iustitia.

Nona ratiò, qua tacitæ obiectioni respondet: poterat enim dici, castigationes non esse argumenta amici animi, quando λυπηρόν τι sit. Respōdet non esse παιδείας spectandas in præsenti dolore, sed ex consequenti fructu, quando ne pueriles quidem externæ castigationes ex modico dolore iudicantur, sed cōsequenti vtilitate. Est autem hîc fructus iustitiæ, hoc est, iustiores facit, vel confert veram iustitiam, quæ coram Deo valeat, cui coniuncta est pax, quæ duo maxima sunt παιδείας bona: deinde oportet esse γεγυμνασμένους, hoc est, exercitatos in παιδείᾳ, nam hæc est Domini schola, in qua exercemur. Hîc sunt παθήματα, μαθήματα, in his, nisi quis probè sit exercitatus non coronatur: nam vt in discendis literis præcepta sine exercitatione non prosunt: plus autem prodest exercitatio sine præceptis: sic in studio pietatis pij exercentur præcipuè afflictionibus & est hæc vita practica, quæ multò præstantior est, quàm speculationes & disputationes de pietate.

Vers. 12

Vers. 12. Διὸ τὰς παρειμένας.

συμπέρασμα, nam post argumentationem prolixiorem, rem in pauca contrahit: habet autem grauem exhortationem non solùm ad constantiam cœptæ professionis, sed etiam ad emendationem vitæ præteritæ. Obserua quòd peculiariter requirat manus & pedes, quibus complectitur totam vitam hominis: nam pedes sunt, quibus ambulamus, manus verò quibus laboramus: quare incessus noster, conuersatio, actiones nostræ sic instituí debent, vt Domino placeant. Respicit autem ad mores populi Iudaici, qui vt plurimum solebat vtroque humero portare, vel in ambas partes claudicare, quo nullum est vitium magis detestabile. Reprehendit id Elias in sui seculi hominibus, Quousque claudicatis in vtramque partem, & de Angelo Laodicensis Ecclesiæ dicitur, neque frigidus es, neque calidus Apoc. 3. vers. 15. Tales non vult nos esse Apostolus.

Vers. 14. Εἰρήνην διώκετε.

Secunda pars huius capitis continens locum etiam secundum huius quartæ partis. Hortatur autem Hebræos ad publicam concordiam, & ad vitæ innocentiam. Concordiam ideò vrget, quia fundamentum est præcipuũ Ecclesiæ, vti etiam omnium Rerump. nam hac, res paruæ cresunt, cùm discordia, maximæ dilabantur. Deinde quòd Iudæi per se erant irritabiles & rixosi. 3. erant inter eos multi falsi fratres ad mouenda dissidia parati, inde sequebantur offendicula, quales hodie in Ecclesiis passim subortos videmus magno Ecclesiarum damno. Sanctimoniam autem coniungit, vt tolleret discordiarum occasiones: vbi enim singuli à crassioribus vitiis sibi cauent, & innocentes possident animas, non potest facilè suboriri contentionum seminarium: deinde vt moneret cauendam esse hypocrisin in pacis studio. *Exhortatio ad pacem & concordiam mutuam.*

Porrò propositio in his continetur verbis εἰρήνην διώκετε μετὰ πάντων, καὶ τὸν ἁγιασμόν. Et est coniuncta, nam bimembris est ratione prædicati, Ita, Pij operam dare debent, vt sint pacis studiosi, cum innocentia vitæ. Εἰρήνη hîc est concordiæ studium totius Ecclesiæ inter sese, tum etiam consensus ministrorum in dogmatibus religionis. Ἁγιασμὸς verò est externa vitæ innocentia, qua bono exemplo Christiani reliquis præsunt, nec non interna conscientiæ puritas, qua à crassioribus vitiis sese mundos retinent. Ex quibus vtrumque intelligi potest, quid à nobis fidelibus requiratur: deinde quomodo intelligi debeat particula ab Apostolo adiecta μετὰ πάντων: nam quoad nos, danda est opera, vt cum omnibus colatur pax, nec tam priuato commodo, quàm publico bono: sed quod causam Dei concernit, meminisse decet, pacem non separandam à sanctimonia. Quare impiorum amicitia nos à Deo & pietate auocans, hîc tollitur. Pace cum hominibus conglutinamur, sed per ἁγιασμὸν Deo coniungimur: non decet igitur prius illud conglutinum hoc impedire, aut planè tollere. *Pacis definitio. Sanctimoniæ definitio.*

Hactenus propositio loci, videamus nunc aliquot eius argumenta, sic enim apparebit, quanta sit vis & maiestas orationis Paulinæ. Primùm à natura sanctimoniæ nos vrget, nam in Græco nulla est ambiguitas, vt in Latinis verbis, χωρὶς, οὗ, citra dubium ad ἁγιασμὸν refertur: vis argumenti est à necessario, ad hunc modum. Quidquid est necessarium ad consequendam salutem, id Christianis imprimis est studiosè colendum: Ἁγιασμὸς est necessarius ad consequendam salutem: Ergò est Christianis imprimis studiosè colendus. Maior vera est, & maxima apud fideles, minor in Apostolo habetur. Οὗ χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον: nam hæc sententia inter causas salutis connumeratur, & quidem eas causas, quas Dialectici vocant ἄνευ οὗ μὴ, & quãquam hæ causæ, sine quibus non dictæ, non sint principales, tamen ad organicas spectant, & ad rei confectionem admodum sunt vtiles, imò necessariæ sunt, nisi quid præter communem ordinẽ & cursum fiat. Quare vt libri organa sunt ad consequendam eruditionem, diligens item repetitio, aliáque his similia, & ob id ἄνευ ὧν μὴ appellantur. Sic Apostolus ἁγιασμὸν nobis proponit, sine quo & pacis studium frigidum sit, & salus comparari non possit.

Ὄψεσθαι τὸν κύριον, salutem consequi, est positum coniunctum vitæ æternæ, pro ipsa vita æterna. Nam alioquin infirma esset ratio & ἀσυλλόγιστος: impij enim qui ἁγιασμὸν illum non habent, videbunt faciem Domini, vt iudicis, & audient condemnationis sententiam ab eo: sic non videbunt pij. Ad illum visum non est sanctimonia necessaria, ad hunc autem fidelium. Deinde hoc pacto intelligimus duplicem esse ἁγιασμόν. Prior est verus, à nobis superius descriptus, qui extenditur ad vitæ innocentiam. Posterior externa tantùm est hypocrisis, qualis ille in Euangelio, qui de iustitia sua gloriatur coram Domino. Duplex eodem pacto est videre Dominum: vident pij & vident impij, singuli suo modo. *Duplex sanctimonia.*

Secundò, argumentum à consequenti, Sanctimoniam vitæ deserere, est à gratia

Sanctimoniam vitæ deserere quid sit.

Dei deficere, vel vt loquitur Apostolus ὑστερεῖν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ, nam hoc dicere vult: sectemini pacem cum vitæ sanctimonia coniunctam, quandoquidem, qui hoc non faciunt, à gratia Dei excluduntur. Quare illud ἐπισκοποῦντες, αἰτιολογίαν habet, quæ pœnam declarat trangressoribus. χάριν aliqui hîc vocationem & professionem nostram intelligunt: malim autem de gratia Dei intelligere simpliciter, acceptante nos: sic enim cum priori ratione magis consentit. Dixerat illic faciem Domini non posse videri sine sanctimonia: hîc non multò diuersum, sine eadem non posse obtineri gratiam Dei.

Tertiò affectus discordiarum & iræ proponit, vt hinc discamus pacem sectari cum vitæ innocentia. Inde nascitur πικρία, animorum exacerbatio: inde ἐνόχλησις, turbæ & seditiones: hinc procedũt ad μιαίνειν, hoc est, cædes & pollutiones, illa omnia vitanda sunt: est igitur sequenda pax. Est quidem inquinatio omnium scelerum, quæ exemplo serpunt & sese tuentur: tamen illa simplex est sententia, nihil habet aut obscuri aut coacti.

Sanctimoniæ mala cõtraria.

Quartò, contraria sanctimoniæ mala sunt & fugienda: ergò ipsa sanctimonia est amplectenda. Duo hîc ponuntur pugnantia: primùm πόρνος, scortatio enim polluit hominem, éstque species, certum peccatum denotans. Alterum βέβηλος profanus, quod peccatorum genus ferè est, significans omnes eos, qui de Diuinis contemptim sentiunt & iudicant, quales hodierni sunt Epicurei & Athei, quibus omnis pietas lusus & iocus est. Erant certa τῶν βεβήλων sacra Ethnicis, quibus homines profani poterant interesse: ei opponitur ὅσιον sanctum & ἄδυτον, quod non cuiuis expositum est: nam si credimus Eustat. Homeri scholiastæ vox desumpta est à dictione βάσιμον, quod ab omnibus vadari possit, inde βέβηλοι τόποι, hoc est, βάσιμοι, qui ab omnibus perscrutari possunt. Genericum hîc vocabulum est, postea sequitur expositio per exemplum: nam Esau, vt homo impurus & profanus proponitur. Profanus in eo est, quia primogenituram vendidit, & quidem pro tam vili pretio: per se malum erat ius hoc vendere, peius tam contemptim vendere. Argumentum erat hominem de Diuinis nihil rectè sentire, nam ius illud, prærogatiuam habebat, non tantùm in externis bonis, sed etiam in promissionibus augustioribus, sacerdotia & imperia primogenitis conferebantur: fuit illa profanatio Esau grandis, eámq; secutę sunt atroces pœnę: ergò fugienda est, & amplectenda eidem opposita sanctimonia.

Gen. 23. 33. & 27. 38.

Esau profani exẽplum.

Quintò, à figura veteris legis, quæ dũ daretur, requirebat populũ sanctum & purum: ergò multò magis sub Euangelio homines debent sanctimoniam vitæ declarare. Argumentum prolixiùs tractatur: nam initio modum datæ & promulgatæ legis recitat: deinde quomodo in ea promulgatione affectus fuerit tum populus, tum Moses, vide Exod. 19. vers. 13. 20. vers. 21. &c.

Legis natura describitur.

Deinde redditio subiicitur argumenti, explicans naturam Euangelij, & quò auditores eius vocati sint, aut quàm puri esse debeant. In priori illa sunt, lex primùm data est in monte, qui cœlitùs tactus erat, deinde ardebat igni. 3. turbine commouebatur. 4. caligo tegebat verticem. 5. procellæ, hoc est, flatus repentini, qui magno impetu ferebantur, inquieta omnia efficiebant. 6. tubæ sonitus audiebatur. 7. vox disertè loquens, & articulata percipiebantur verba. Quibus omnibus significatur legis naturam esse, non tranquillas reddere conscientias, sed sauciare, turbare, concitare. Et quanquam illa essent adhibita, vt excitaretur populi inertia, & legibus Diuinis adderetur authoritas: tamen legis naturam rectè depingunt. Interea populus ita afficitur, vt & consternatus trepidet, & vocem Dei ferre non possit, & petat mediatorem. Moses itidem, cui omnia nota erant, cõsternatus est & trepidat ad tantam Diuinarum rerum maiestatem. Verùm ad hæc non vocati sunt fideles, quanquam & hîc singularis requireretur sanctimonia: primùm enim accedit Moses, deinde Aaron, & principes Leuitarum. 3. septuaginta seniores. 4. populus. 5. iumenta, certísque modis purificantur, quæ videntur significare gradus proficientium in vera Dei agnitione. Redditio argumenti sequitur in his verbis, *sed accessistis ad montem Sion*, &c. vult autem ostendere meliorem esse conditionem viuentium sub Euangelio, quàm viuentium sub Lege. Primùm hîc est mons Sion, non Sina, hoc est, fidelium cœtus renatorum, vide Gal. 4. vers. 24. Esa. 2. v. 2.

Euangelij natura.

Secundò, *accessistis ad ciuitatem Dei*: ergo nobis viuendum est secundùm mores & leges illius Diuinæ Reip. Esa. 5. 2. vers. 1. Sion dicitur ciuitas Dei: tertiò, *Ierusalem cœlestem*, sic Gal. 4. vers. 24. etiam dicitur: quartò, *ad cœtus Angelorum*, hi custodes sunt ciuitatis Dei, & conciues sanctissimi: tuta est igitur hîc mansio, deinde mundis tantũ hic est locus: 5. *ad Ecclesiam primogenitorum conscriptorum in cœlo*, hoc est, præcipuè electorum: nam singulari semper prærogatiua vsus est Deus erga primogenita. 6. *iudex ibi*

Deus

Deus praeest, nam bene institutæ Respub. certum habent Magistratum. 7. *Spiritus perfectis & iusti*, hi quasi Senatum constituunt politię 8. *Noui hic Testamenti est Mediator*, qui suos si labantur reconciliat, 9. *ad sanguinem aspersionis*, hoc est, quo semel abluti & redempti sumus: decet igitur purè viuere. Suprà 11. cap. Abelis sanguis propositus fuit loquentis vindictam & vltionem, ei opponit hic Christi sanguinem, *qui meliora* (inquit) *loquitur*, scilicet remissionem peccatorum clamat, & orat pro persequẽtibus se. Appositè hic confertur vtriusque sanguis: nam Abel Christi typus fuit, vt enim Abel à fratre innocens ipse occiditur, sic Christus à Iudæis fratribus secundùm carnem innocenter occiditur. Deinde Abelis mortem Deus est vltus fuga occisoris, Cain enim fit profugus: ita Iudæi dispersi sunt, &c. Hæc quinti sunt Argumenti, quod habet descriptionem Ecclesiæ accommodatam ad perfectam ideam bene institutæ Reip. est enim in ea Magistratus, Senatus sacrorum præfectus, sunt ibi ciues, sacrificia, præmia, pœnæ. Quare nobis est imitanda vita horum ciuium. Gen. 4. 10. Abel Christi typus.

Sextum Argumentum, ab excellentia Christi, & eius authoritate, hortatur nos ad vitæ innocentiam: Christus non debet contemni: sed illius lex est de sanctimonia: ergò studiosè sequenda. Significat autem παραιτεῖν, conquisitas aliunde afferre excusationes, quales illi in Euangelio, ne venirent ad epulas nuptiales. Et τὸν λαλοῦντα infinitè dixit emphaticè pro Christo. Sequitur inde ratio à minori, continens comminationem pœnarum: si illi qui loquentem in terra contempserunt, non effugerunt pœnas: Ergo multò minus effugient contemptores loquentis de cœlo. Sed illi non effugerunt, vt patet Exod. 16. Num. 12. 14. 16. vbi grauissimè puniti sunt hi, qui Mosen sunt auersati. Innocentia vitæ sequenda exemplo Christi.

Vers. 26. Οὗ ἡ φωνή.

Probat, quòd maius sit Christum contemnere, quàm Mosem. Ratio est, quia Christi voce tum concussa est terra, & ipsum cœlum adhuc concutietur. Testimonium producit ex Agg. 2. vers. 7. Christi maior est authoritas & potentia: Ergò maius est peccatum ipsum contemnere.

Vers. 27. Τὸ δὲ ἔτι ἅπαξ.

Interpretatio vaticinij, qua vocem ἅπαξ suo instituto accommodat: nam quòd dicit semel commotionem esse factam, dicit id fuisse legis tempus, & eam abrogatam. Aliam commotionem esse cœlorum, qua Euangelium est promulgatum: post eam nullam amplius expectandam. Æternum igitur est Euangelium, & lex illo inferior.

Vers. 28. Διὸ βασιλείαν.

Συμπέρασμα: ergò Christi regnum debemus amplecti. Inconcussum dicitur respiciens ad τὰ σαλευόμενα, Spirituale & æternum volens significare. Fructus inde subiicitur suscepti illius regni, χάριν habebimus, hoc est, Dei beneuolentiam erga nos: deinde in eo consistit verus Dei cultus, quem patefecit nobis Dei filius de cœlo. Porrò in cultoribus duæ sunt insignes virtutes: pudor seu reuerentia αἰδῶς, qua pudet indecentia, & quæ Deus non præcepit, afferre, qualis est tota fictitia & hypocritica sanctimonia, quam Deus non præcepit. Deinde εὐλάβεια, hoc est, animi promptitudo, qua alacriter & sponte subimus, quæ Deo placere intelligimus: hilarem enim vult seruum.

Vers. 29. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν.

Conclusioni subiicit nouam rationem: quasi per ἐπιφώνημα, habétque vim à natura Dei. Deus noster est ignis consumens: ergò viuendum est piè: nam vt ignis non potest non agere in materiam idoneam: ita Deus profanos non feret. Vocabulum ignis declarat magnitudinem iræ Diuinæ contra peccatum. Locus sumptus est ex Deut. 4. v. 24. Docemur hinc omni tempore extare comminationem iræ Diuinæ contra peccatum, & ob id in Euangelio etiam describuntur pœnæ damnatorum, vt intelligamus, quantum peccatum sit inobedientia, &c.

CAPVT XIII.



VITAM hominis Christiani cœperat exornare suis virtutibus priori capite, quare hoc loco reliqua persequitur, quæ ad moralem hanc Christianæ Philosophiæ partem spectant, quibus virtutibus expositis subiicit totius Epistolæ conclusionem, breuem etiam subscriptionem, qua more Apostolico negotium præsens absoluit. Nos virtutes ethicas has Christianismi ordine expendamus. Cap. 13. argum. Rom. 12. 10.

Porrò præcedenti capite iam tres explicuit. Prima ex his fuit ὑπομονή, 2. εἰρήνη, 3. ἁγιασμός. Quarta iam ordine sequitur, φιλαδελφία, fraterna charitas, quæ est beneuolentia studio iuuandi eiusdem religionis homines, aut quos natura coniunxit, aut ne- Charitas fraterna.

cessitas. Prima huius species est inter genuinos fratres, sub quibus amici & consanguinei & affinitate aliqua iuncti continentur, quam commendat etiam Dauid, Ecce quam bonum & iucundum fratres habitare in vnum. Verùm quàm sit rara docet Gentilis poeta, *Fratrum quoque gratia, rara est.* Altera est inter eiusdem professionis, seu religionis homines, nam scriptura consortes fidei vocat fratres: hac ratione omnes Christiani fratres sunt, & ob id ipsum sibi mutuam debent beneuolentiam, cum studio iuuandi coniunctam: sic Paulus fideles fratres vocat supra cap. 3. vnde fratres sancti, &c.

Tertia eius species est inter eos, quos necessitas coniungit, vt pauper diuiti coniungitur, stultus sapienti: in ea valet regula, Diliges proximum tuum vt teipsum: sic Samaritanus proximus erat, & frater sauciati à latronibus. Hinc discimus φιλαδελφίαν extendi ad omnes homines: nam fratres omnes sumus originis ratione.

Luc. 10. 33. Rom 12. 15.

Hospitalitatis. comendatio.

Quinta est φιλοξενία, hospitalitas: virtus qua peregrinos & aduenas studio iuuandi amplectimur, nihil nostri inde quærentes, liberalitatis est species. Et Apostolus hic fraternæ charitati, vt generi speciem subiicit: deinde non nudè eam Christianis commendat, sed adiecta ratione. Propositio est, Christiani hospitales esse debent. Ratio, *quia per hanc Angeli à quibusdam sunt accepti.* Respicit ad historias Gen. 18. vers. 3. 19. vers. 3. vbi ad Abrahamum tres diuertunt, & mox ad ipsum Lothum duo. Argumentum in tres rationes diduci potest: primùm enim in eo est exemplum laudabile & imitabile maiorum: deinde quia illa approbatur ex facto ipso, laudatur Diuinitùs: tertiò honestissima est conuersatio Angelorum, quæ per eam virtutem hominibus conceditur: adde & quartum, amplissimus virtutis illius fructus, nam Abrahamo confirmantur promissiones. Lotho autem singulare beneficium liberationis eo medio confertur, est igitur virtus illa imitanda.

Condolendú afflictis.

Sexta virtus ethica est, condolere afflictis, hanc licebit συμπάθειαν appellare, condolentiam Latinis: nam pericula extra nos esse quoque videntur: consortibus autem fidei, qui in periculo sunt, condolere iubet etiam φιλαδελφία. Porrò ad hanc pertinent, primùm δέσμιοι quales sunt carceribus mancipati, vinculis constricti nomine Christi: deinde κακοχέμενοι, hoc est, malè habentes quales sunt profugi, exules, persecutionibus hinc inde disiecti propter pietatem. Deinde qui morbis detinentur, & fideles sunt: tertiò qui paupertate premuntur, quos tamen ad εὐποιΐαν remittimus, de qua paulò post.

Matrimonij castitas seruanda.

Septima matrimonium, seu castitas: iubet autem castè coniugium colere: primùm τίμια sunt Diuina, vti humana dicuntur ἐπαινετά. Quare coniugium Diuina quadam authoritate hominibus concessum declarat. Deinde res omnibus licita est, nam ἐν πᾶσι in omnibus, ad conditiones seu vitæ genera commodè refertur, quasi dicat, nullum vitæ genus est, cui matrimonium non sit concessum, & honestè quidem, nisi malis ἐν πᾶσι κατὰ πάντα, aut ὑπὲρ πάντα.

Tertiò, in matrimonio est κοίτη ἀμίαντος: ergò extra coniugium est κοίτη μιαντὸς, lectus pollutus vitandus est, extra matrimonium est pollutio: Ergò, &c.

Quartò, extra matrimonium est scortatio & adulterium, omnis cum fœmina consuetudo: sed illa diris pœnis damnantur: Ergò inter Christianos ab omnibus ordinibus colendum est matrimonium, vt euitetur πορνία & μοιχία, illorúmque vitiorum consequentes pœnæ, &c.

Auaritia fugiéda.

Octaua, ἀφιλάργυρος τρόπος, quo loco cùm velit nos esse alienos ab auaritia, non satis illi est auaritiam prohibere, sed vult τρόπους ἀφιλαργύρους esse, quasi velit inter fideles, ne vestigia quidem illius vitij superesse, ita vt ne moribus quidem nostris aliquod signum vel argumentum edamus tali nos laborare vitio. Nam auaritia per se non hæret in moribus, sed animi est quædam insatiabilis libido habendi: mores verò eam produnt.

Deinde fidelium est proprium contentos esse παροῦσιν. Hebræi volunt haberi fideles: debent igitur præsentibus esse contenti. Illud autem est fortunam præsentem boni consulere, pro ea gratias Domino agere.

Tertiò, Dominus promisit suis rerum sufficientiam & præsens semper auxilium: decet ergò promissioni huic fidé habere, quod fiet, si alienos nos ab auaritia declaremus.

Iosu. 1. 9. Psal. 118. 6.

Quartò, pij debent piè & sine hæsitatione inuocare Deum, sed auari id non possunt: igitur pij non debent esse auari. Vis argumenti est in eo, quod dicit, oportet nos θαῤῥοῦντας λέγειν, hoc est, cum certa fiducia oportet inuocare, quod soli pij possunt, qui soli Domino fidunt, nec vllis aliis rebus.

Fides habenda maiorũ exéplo.

Nona, de fide: Iubet autem fidem ex doctoribus piis discere. Quorum constantia & pia conuersatione, item sana doctrina perspecta, argumentum ipsis facere debet fidei, quam imitari debent: discitur enim fides non tam ex doctrina vocali, quàm exemplo vitæ. Sunt igitur præsenti loco ἡγέμενοι, boni ministri Ecclesiarum, ob id ita dicti,

ra dicti, quòd vt doctrina præcedunt, ita vita & moribus etiam prælucere debent. Ad prius pertinet λαλεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ſic enim ſana erit doctrina & auditoribus vtilis ad perdiſcendam fidem. Ad poſterius verò ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς, ſi nimirum euentu quoque declarent doctrinæ ſuæ mores & conuerſationem fuiſſe conformem, alioquin vna manu conſtruunt, quod altera deſtruunt. Ad hęc duo iubet reſpicere, ac vbi illa conſenſerint, illorum imitari fidem. Adiecta eſt ἐπιφώνημα, *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem, & in ſecula*, quo oſtendit Chriſtum eundem eſſe veteris Teſtamenti, qui & noui quoque fundamentum, & vt fundamentum idem eſt, ſic quoque doctrinam de Chriſto ſibi eſſe conformem, & per conſequens miniſtrorum etiam vita ſibi conformis erit, vnde ſequitur certiſſima nota veræ fidei. Heri veteris Teſtamenti tempus eſt: hodie noui Teſtamenti hora: idem eſt Chriſtus, hoc eſt, ſibi conſentiens & conformis apud veteres, & hodie nobis, ſimúlque in futurum. Idem cõſenſus debet eſſe in vita, & in doctrina miniſtri.

Doctrinæ ſimplicitas ſeruãda.

Decima, de doctrinæ ſimplicitate ac certitudine, *doctrinis* (inquit) *variis ac peregrinis nolite circunferri.* Propoſitio eſt in illis verbis, quæ ſic conſtituatur. Curandum eſt Hebræis, vt retineant doctrinam ſimplicem & ſacris literis conformem. Simplicitati opponitur ποικιλότης, nam ποίκιλον, vt in coloribus & picturis ſuo loco adhibitum artem ornat, & ingenium pictoris arguit: ſic varium in moribus, item varium in ſermone, in doctrina etiam vitioſum eſt, & improbum: nam mentis inconſtantiam, ingenij malitiam, ac cordis quandam prauitatem declarat, & in doctrinis non poteſt abeſſe à mendacio. ξένον verò & ξενότης opponitur certitudini, quæ ſacris literis conformis eſt, nam peregrinum dixit quidquid à Scriptura ſacra & eius genuino ſenſu eſt alienum.

Quare curandum eſt, vt pij religionem ſimplicem & certam retineant: eſtenim per ſe vitioſa peregrinitas, ſimiliter & varietas in moribus & religione. Item περιφέρεσθαι per ſe quoque malum eſt: caret enim ratione & honeſto ſine. Quale legitur de Ecebolo Sophiſta, qui ad mores Imperatorum mutabat religionem, & proſtratus ante templum dicebat, Conculcate me ſalem inſipidum. Verùm Apoſtoli videamus argumenta.

Doctrinæ finis.

Καλὸν γὰρ χάριτι. Confirmatio eſt, cur oporteat ſimplici & certæ inſiſtere doctrinæ. Ratio ſumitur à fine: doctrinæ finis eſt, confirmare nos, & certos reddere de gratia Diuina. Id non fit varietate, ac nouitate, ſed ſimplicitate & certitudine: ergò variis & nouis doctrinis non eſt concedendus locus. Apoſtolus ait καλὸν eſſe, hoc eſt, nobis vtile, ſignificans eam doctrinam eſſe amplectendam, quæ nos quàm compendioſiſſimè ad optatum finem ducat. Finis autem eſt βεβαιότης, hoc eſt, certitudo, nam ad hoc totum inſtitutum eſt miniſterium, ipſa & Scriptura hunc ſcopum reſpicit, vt ad Chriſtum adducat, & de illius merito & gratia nos certos reddat. Καρδίαν pro mente & ratione intelligente ponit: homo is eſt interior & ſpiritualis. χάρις autem pro gratuita Dei erga nos beneuolentia acceptante nos & iuſtos pronuntiante propter meritum Chriſti.

Delectus ciborum inutilis.

Οὐ βρώμασιν. Variæ & peregrinæ doctrinæ hæc eſt ſpecies, & in illa oſtendit quæ ſit in genere natura διδαχῆς ποικίλης, quídve de ea ſentiendum ſit. Porrò hanc ſpeciem de obſeruantia & delectu ciborum conſultò affert, quòd Iudæi delectum ciborum pręcipuè admirarentur, & eum à Moſe acceperant, & patrum traditionibus mirificè erat confirmatus & auctus.

Argumentum inde ſic colligitur, Delectus ciborum ſuis admiratoribus nihil profuit: ergò fruſtra docetur, & ób id cauenda eſt ea doctrina. Quòd non profuit id ſatis conſtat: nam patres ſub Moſe illa obſeruantia iuſtitiam conſequi non potuerunt: non profuiſſe igitur, inquit, quia id quod in eo communiter quęrebant Iudæi, non ſunt conſecuti, qualis eſt iuſtitia vera quæ peccatorem Deo reconciliaret: alioquin profuit enim pædagogia ad Chriſtum. Deinde non profuit, ſcilicet illis, qui poſt agnitam veritatem, hanc traditionem, vt neceſſariam volunt etiam retinere: illi vſu edocti ſunt nihil profuiſſe. Quare quidquid ſimplicitati fidei repugnat, id vt peregrinum & varium diligenter cauendum eſt.

Verſ. 10. Ἔχομεν θυσιαστήριον.

Teſtamẽti veteris & noui differentia ceremoniarum.

Differentiam oſtendit Noui & Veteris Teſtamenti, & ex illa declarat varietatem ceremoniarum eſſe ſublatam in Nouo Teſtamento. Vetus Teſtamentum alit ſuos ſacerdotes de altari, ſimul etiam, qui ſacra offerunt partem capiunt in epulum. At Nouum habet quidem altare & ſacrificium, ſed de quo nihil cedat in cibum corporalem: ſublatum igitur eſt diſcrimen ciborum. Quòd autem rectè ſic conſtituatur in No-

rum abolitio probatur. Leuit. 6. 36. & 16. 27.

uo Testamento, probat ex Veteri, in quo typus huius rei extat Num. 19. Sacrificium pro peccato illud extra castra comburebatur, ita vt nihil in cibum sacerdotibus cederet: sed Christi sacrificium pro peccato est oblatum: igitur rectè dicitur totum oblatum, vt in eo nullus expectetur delectus ciborum.

Ὧν γὰρ: Typus narratur ex Veteri Testamento.

Vers. 12. Διὸ καὶ Ἰησοῦς.

Anagoge qua typo applicatur corpus & genuina significatio.

Vers. 13. Τοίνυν ἐξερχώμεθα.

Porisma exhortationem continens ad sequendum Christum, ac nominatim, vt alacres simus contra ὀνειδισμὸν, hoc est, ignominiam crucis Christi. Ratio est adiecta ab inconstantia huius vitæ, Qui locum certum non habent in ciuitatibus, illi libenter inde discedunt: ratio est, quia festinant ad ea loca vbi fixa habeant domicilia: Christiani in hac terra non habent certa loca: ergò libenter debēt & alacres egredi extra huius mundi ciuitatem ad Christum, vbi quærant certa domicilia.

Mal. 2. 10

Vers. 15. Δι' αὐτοῦ οὖν.

Sacra Christianorū laudis esse.

Conclusio est, ostendens, qualia sint in genere Christianorum sacra: laudis nimirum & gratiarum actionis. Sacrificia legalia sunt externa: Christianismi autem sunt vel laudis, θυσία αἰνέσεως, cùm Dei nomen celebramus & diuulgamus, de quo passim in Psalmis, vt 116. vers. 17. & 50. 14. Oseæ 14. ver. 3. Vel sunt gratiarum actionis, cùm pro acceptis beneficiis gratos nos declaramus: aut sunt miserationis, quando nostra impendimus pio affectu egentibus, &c. de quo iam sequitur.

Vers. 16. Τῆς δὲ εὐποιΐας.

Beneficentia in pauperes

XI. Virtus est beneficentia in pauperes: dicitur ea virtus hîc εὐποιΐα primùm: deinde etiam κοινωνία: priùs nomen inuenit à fine dantis eleemosynam, qui ideo dat, quia cupit εὐποιεῖν, deinde quia fructus apud accipientem remanet: is enim beneficium sentit. Posterius nomen Græcanicum est, vt Latinis communicatio, quia in beneficio conficiendo, nō habetur delectus personarum, sed respectus necessitatis: nam bonis & malis promiscuè debet benefacere, digni sint nec ne parum interest: sed quia egent, communicat. Ratio est, quia talibus sacrificiis placatur Deus: firma igitur ratio est. Quidquid nobis confert ad placandam iram Dei, hoc debent pij studiosè præstare: sed beneficentia in pauperes, confert ad placandam iram Dei: igitur beneficentiam debent studiosè præstare.

Vers. 17. Πείθεσθε τοῖς.

Obediendum magistratui.

Duodecima virtus, obedientia, quæ Magistratui debetur: ἡγουμένους hîc Magistratum intelligo, aut certè seniores, qui populo præsunt & in cœtibus fidelium authoritate antecellunt, siue iidem sint doctores nec ne: nam de Ministris priùs iam egit suo loco in nona virtute. Propositio est, fideles etiam decet præsidibus suis debitam præstare obedientiam & reuerentiam. Obedientiæ est πείθεσθαι, vt credant eos bene præesse, & ad honesta eos vocare. Reuerentiæ verò quod ait ὑπείκετε, hoc est, *concedite*, quando scil. videntur vel rigidiùs agere, aut humanitùs aliquid pati, non statim excuti debet iugum.

Argumenta Confirmationis sunt, primùm *qui vigilant pro nobis*, hoc est, labores insumunt, vt tuti & in pace degamus, & vita nostra sit extra periculum: decet ergò pro tantis laboribus ipsis obedire, vel gratitudinis ergo. 2. ipsis est reddenda Deo iudicii ratio de nobis, eas rationes decet nos non interturbare nostra inobedientia: deinde facit illa ratio, vt ipsis eò faciliùs ignoscamus, nam siquid in officio peccant, Deo dabunt de illo, vti etiam de nobis rationes. 3. Curandum est nobis, vt hilares habeamus præsides, id efficiemus nostra obedientia: ergò ei studendum est, 4. si ad iram prouocemus & tristitiam præsides nostra morositate, aut inobedientia, id nobis est ἀλυσιτελὲς inquit, cauendum igitur id: nam viri boni & circunspecti est, omnia certo fine vtili facere, sin desit vtilitas apparens, adsit tamen honestas, nullum ibi locum habere potest: cauenda est igitur inobedientia.

Vers. 18. Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.

Precum publicarum studium.

Decima tertia virtus, precum publicarum studium, præsertim verò pro Ministris: speciatim verò ad se accommodat Apostolus, vt pro ipso orent. Argumenta sunt, Habeo honestæ conuersationis apud omnes testimonium bonum: est autem pro viris bonis & in causa honesta orandum, talis Apostolus, eiúsque causa: est igitur pro ipso orandum. Bonam conscientiam intelligo testimonium auditorum, quod bona conscientia Apostolo poterant integritatis nomine præbere, quòd nimirū in omnibus cupierit honestè viuere, idque conuersatione declararit, cuius rei appellat ipsorum conscientias

testes,

testes. Alterum est à certa vtilitate precum, quæ est liberari à præsentibus periculis, restitui fidelium cœtibus: id confido impetrari posse precibus vestris: igitur vestrum est id mihi beneficij præstare: nam nulla hic est opum iactura, nihil damni conferentibus hoc beneficium metuendum est, multum verò boni ad accipientem hinc redibit. Adde quòd tam ardenter petat Apostolus: ingrati certè fuerit, imò inhumani, imò barbari, negare tam pia postulata.

Vers. 20. Ὁ δὲ θεός.

Epilogus iam sequitur totius Epistolæ: accōmodatus autem est, non ad causam præsentē, vt quicquam inde in cōpendium contrahat, aut anacephalæosi resumat: sed personis & rebus priuatis inseruit. Sunt igitur illius hi quinque loci: primò comprecatio habetur, quo declaratur animus Apostoli amicus erga Hebræos: deinde, excusat scriptum suum, quod vt boni consulant, precatur: tertiò, commēdat Timotheum Epistolæ latorem, cum quo suum etiam in futurum promittit aduentum: quartò, salutationes mutuæ habentur: nam aliquos suo nomine salutari vult Apostolus, & alios declarat Hebræos per Apostolum salutare: quintò, sequitur finalis clausula ἀποστροφὴ dicta. Epilogus epistolæ.

In comprecatione diutiùs commoratur, faciebat enim illa ad declarandam beneuolentiam, precatur autem illis, vt Deus eos faciat habiles ad omne opus bonum, deinde vt in illis perficiat voluntatem suam. Prioris Propositio est, ὁ θεὸς καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Sed in explicando subiecto, obserua quàm diligēter immoretur, primùm inquit, *Deus pacis:* dicitur Deus pacis quasi eius autor, & vt ipse pacificus est, ita nos ad concordiæ studium inuitat, quò facit Gregorij Nazianz. in Iulianum elegans illud dictum, οὐκ ἐστὶ θεὸς ἀκαταστασίας καὶ ἀταξίας, ἀλλὰ εἰρήνης καὶ τάξεως. Deinde addit aliam commendationem à potentia Dei, qui *excitauit Iesum à mortuis:* sed & Christum appellasse Iesum non contentus est, verùm periphrasi vocat eum *Pastorem magnum ouium.* Christus, vt est Pastor, ita seipsum etiam Pastorem dixit Ioan. 10. v. 1. Ego sum Pastor ille bonus, & Matt. 26. v. 31. item Mar. 14. vers. 28. citat dictum Zach. 13. vers. 7. de se, Percutiam Pastorem. Magnus autem dicitur Pastor, quasi ἀρχιποίμην, princeps Pastorum: sunt enim parui etiam Pastores, quorū oues non sunt propriè, illorum caput est hic Pastor magnus. Et ad finem resurrectionis pertinet, *in sanguine Testamenti æterni,* nam per sanguinem eius fœdus hoc nouum sancire voluit in æternum. Christus pastor.

Prædicatum Propositionis est καταρτίσαι, quod est idoneos, habiles reddere, quod intelligi potest ex verbo ἀρτίζω: sententia igitur est, vt Deus illos idoneos reddat ad opera bona. Ex quo discimus & velle bene operari, & ipsum agere secundùm boni propositum à Deo esse, dat is velle & perficere.

Secūdum membrum comprecationis est in verbis, ποιῶν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, quæ verba alij sic explicant, *Efficiens vt quod agitis, acceptum sit in conspectu eius,* quo sensu optat Hebræorum actiones Deo placere. Alij sic: *faciens in vobis quod acceptum est coram ipso,* tum sensus erit, vt voluntas Dei locum habeat in Hebræis, & ipsi corpora sua organa præbeant S. sancto efficaciter operāti in illis. Sed Græca aliuin habent sensum, ad verbum enim ita habent, faciens vobis quod acceptum est coram ipso: ac sensus est, vt Deus, quod de Hebreis statuit id ipsum impleat, siue eos afflictionibus probare velit, faciat: dabit enim cum tribulatione euentum: siue bona etiam pace externa ornare, & extra crucem ponere, quod cedat ad gloriam nominis sui, & id faciat: ipsi verò patienter sequantur Deum quicquid de ipsis statuerit. Ratio est, quia per Iesum Christum de suis statuit: benedixit autem is iam cruci & afflictionibus nostris, vt ad bonum iam cedant, non sint ampliùs argumenta irati Dei.

Secundus locus excusat Epistolam hanc, ac simul eam ipsis commendat: primùm fratres vos agnosco, igitur à fratre amicam Epistolam debetis boni consulere. Deinde à genere orationis, seu qualitate scripti, tota Epistola tantùm est λόγος παρακλήσεως, hoc est, exhortatoria quædam oratio ad officium: debemus autem admonitiones amicas æquo ferre animo, præsertim cùm nihil inest imperiosum, minax, & quod ad contemptum nostri faciat. Tertiò, breuitate etiam commendatur, longi sermones tædium afferunt & memoriam superant: contrà in breuitate multa sunt commoda, præsertim si perspicuitas simul retineatur. Breuis est hæc & perspicua Epistola: debet igitur vel hoc nomine ipsis esse grata.

Tertiò loco de Timotheo scribit, & cum illo suum pollicetur aduentum. Priora verba obscura sunt, & ob id diuerso modo accipiuntur. Quidam sic vertunt, Scitote fratrem Timotheum solutum, quasi Hebræis significet eum è vinculis liberatum esse, aut alio quodam discrimine: verùm id parum habet rationis, quid enim attinebat hoc Iudæis significare, quandoquidem ipsum Timotheum ad eos misit, imò hanc Episto-

lam per ipsum accipiunt? viderunt igitur præsentem & salutarunt, antequam ad hanc venirent clausulam. Quare alij sic accipiunt, Agnoscite fratrē Timotheum præmissum. Quo sensu commendatur ipsis tabellarius, vt humaniter & amicè eum excipiant, tum ob officium tabellionis, tum vel nomine Apostoli. atque eam amplector sententiam. Discamus nos humaniter & excipere & commēdare alijs, quorum opera in piis vtitur officiis. Quòd verò in eodem hoc tertio loco promittit suum in Iudæam reditum, facit ad declarandum animi pium affectum erga suos gentiles. Ex quo videmus piorum etiam hoc esse proprium, vt non solùm absentes pro piis eiusdem fidei consortibus orent diligenter: sed etiam quærant occasiones conueniendi coràm, magnas enim habet vtilitates piorum præsentia.

Quartus locus complectitur salutationes: primùm Apostolus salutat suo nomine ipsorum præpositos, hoc est, ἡγουμένους, quo nomine intelligo tum Ministros, tum etiam seniores, qui reliquos authoritate regebant, & in officio detinebant. Deinde salutat omnes sanctos, hoc est, verè pios & fideles, qui sancti dicuntur, quia sanctificati sunt per sanguinem Christi: deinde reguntur Spiritu sancto: tertiò, quia ad sanctitatem veram aspirant: denique quòd à terrenis iam liberi sint affectibus, renatorum faciant opera. Et obserua Scripturam nullos alios nobis commendare sanctos, quàm viuos in hac terra, qui vtplurimum pauperes sunt. Vltimo loco Hebræos salutant Itali, hoc est, Ecclesiæ Italicæ, vel fideles in Italia, facit id ad cōiunctionem fidei, & magnam simul habet consolationem ex locis remotis à consortibus fidei audire salutem.

Quintò, sequitur ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν. Clausula, hoc est, ὑπογραφή: nam ea testatur Apostolus suam esse Epistolam: nam quòd aliqui afferunt locum 2. Tessal. 3. ita scribo, Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen: ac per eum locum probare conantur hanc Epistolam non esse Paulinam, leuius sanè est, quàm vt responsione dignum sit. Ratio est, quòd ad verbum ea clausula non vtatur vbique, & in Epistola ad Titum, vbi planè eadem vtitur, qua hîc: & ad Timotheum 2. simpliciùs concludit ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν. Ex quo pari argumento sequeretur, ne illas quidem esse Paulinas, cùm tamen de illis nemo dubitet. Quare subscriptionis hæc forma potiùs est argumentum Paulinæ Epistolæ, cùm eadem vtatur etiam alibi. Sed de eo toto negotio plura diximus ab initio Epistolæ huius in προλεγομένοις. Precatur autem illa clausula omnimodam Dei beneuolentiam, qua in gratiam receptos tueatur etiam clementer, consoletur potenter, gratiam det bene operandi, piè viuendi. Eam gratiam largiatur etiam nobis æternus Dominus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, per meritum Filij sui, Amen.

2. Thess. 3.17.

*

FINIS EPISTOLAE AD HEBRAEOS.


COMMENTARII IN EPISTOLAS CANONICAS FACILI ET PERSPICVA METHODO CONSCRIPTI

A

D. BENEDICTO ARETIO BERNENSI THEOLOGO.

Cum Indice rerum memorabilium quæ in hisce continentur.

Posterior hac editio superiori emendatior aucta est Isagoge in ipsas Epistolas.



DISPOSITIO IN EPISTOLAM D. IACOBI APOSTOLI.

Argumentum Epistolæ.



OSTOLVS Iacobus magis instruit pios quomodo viuendum, quàm quid sit credendum. Ideo de moribus renati hominis semper loquitur, de fide non perinde. At in professis religionem Christi, requirit imprimis tolerantiam sub cruce, quæ Christi nomine obtruditur, à qua diligenter separat eam crucis speciem, quam nostra nobis imponit caro. Deinde in conuentibus sine prosopolipsia cōueniendum esse docet, fidem ritè ornandam omni bonorum operum studio, ne inani quodam simulachro dementemur, quemadmodum philosophi quidam speciosè de virtutibus differebant, cùm interim mores illorum omni scelerum turpitudine essent defœdati, &c.

AVTOR EPISTOLÆ.

Iacobus, qui autor est præsentis Epistolæ, fuit de numero duodecim Apostolorū. Nam Græci expresse τῦ Ἀποςόλυ addunt, & Syri qui mox post Apostolorum tempora Euangeliū Christi & has Epistolas, quas appellamus Canonicas cum aliis in suam linguam transtulerunt, Iacobum Apostolum agnoscunt. Cęterùm quia apud Matth.10.c. duo recensentur Iacobi in catalogo Apostolorum, nō frustra quæri potest, quisnam ille sit, Zebedęíne, an Alphæi filius: In huius quęstionis decisione sequor Hieronymi sententiā, qui hunc Alphæi filium pronuntiat esse, & eundem esse qui Iacobus minor, Iacobus iustus, Iacobus frater Iudæ, & Iacobus frater Domini dictus sit. Itaque hic erit Iacobus, quem Apostolus Paulus Hierosolymis conuenit, vt est ad Galat.c.1. vbi inquit se prętereа Apostolum nullum vidisse præter Iacobum fratrem Domini. Porro dictus est frater Domini, quòd esset filius Mariæ Cleophæ quæ soror fuit Mariæ virginis, & more scripturæ fratres dicuntur qui reuera erant consobrini. Hæc, vt apparet, verissima sententia est de autore præsentis Epistolæ. Nō ignoro interea quibusdam magis placere hunc Iacobum non esse de censu Apostolorum, sed de numero septuaginta discipulorum, & hunc esse quem appellant Iacobum Obaliæ. Sed probabiles tātùm sunt coniecturę, nec plus valet quàm superiores rationes, & quia hac sententia plurimum decedit de autoritate Epistolæ, magis arridet superior, vt & Apostolica sit & catholica. Hinc intelligi potest cur veteres Catholicam appellarint vnà cum sequentibus, quòd scilicet non vni priuato homini, aut vni priuatæ ecclesiæ, sed omnibus piis esset scripta. Deinde, quòd non minus ponderis in probando habere debeat, quàm Paulinæ epistolæ. Præterea, quòd habeat generales vitæ regulas, quæ ad omnes spectant. Eadem ratione dicta est Canonica, quamuis ea vox à nonnullis damnetur: tamen hæc appellatio ostendit eam non minus esse in canone, quàm sint Paulinæ, nec minus autoritatis huic tribuendum esse. Itaque ostendit consensum & doctrinæ & ecclesiæ iudicium recipientis hanc cum reliquis pari autoritate. Porro, qui dicunt non esse Apostolicam, hæc ferme habent argumenta. Primum, quòd locum de fide Abrahæ ex 15. cap. Geneseos contra mentem Pauli ad Rom.4. applicet operibus. Locus est infra cap.2.v.25. Sed facilè responderi potest non fieri hoc contra mentem Pauli. Nam bona fide citat Mosen, & ostendit ex operibus Abrahami illustratam esse illius fidem. Quam sententiam haud dubiè Apostolus Paulus quoque approbasset, cum & ipse velit operosam esse fidem, nec vnquam probet inane fidei simulachrum.

2. Secundo loco dicunt illum nunquam vel rarò saltem de Christo loqui, quo nomine nihil frequentius sit in ore reliquis Apostolis. Respondemus illum satis testari quantùm Christo deferat cum ab illo exordiatur. Porro, cum esset correcturus mores male exprimentium doctrinam Christi, frequentior debuit esse in corripiendis vitiis: & vrgendis bonis operibus, quàm fidei ratione, cum iam Christianis constaret quid credendum esset, non perinde autem quomodo viuendum: aut si etiam hoc constabat, pauci tamen erant qui vita & moribus hoc vellent exprimere.

3. Tertio, & hoc non videtur Apostolicum, quòd cap. 2. loquẽs de lege, vocet eam libertatis legem cum Apostolus Paulus potius seruitutis, mortis, iræ, & peccati ministram appellet. Respondeo, non eodem consilio hoc fieri. Nam Paulus contra Iudæos agens rectè sic appellat, dùm illi hanc vrgerent quasi necessariam ad salutem, & per legem intelligebant ipsas ceremonias, quandoquidem ipsam circuncisionem & similia ex lege obtrudebant, non moralia. Contra Iacobus de morali lege loquitur, ideo iubet omnes sic loqui & sic facere, quasi per legem libertatis iudicandos, & lex libertatis vtique Christi est, cuius doctrina imprimis requirit bonos mores: libertatis autem, quia nos non ligat ad ceremonias externas, sed hilari spiritu & sponte Deo seruit omni bonorum genere. Itaque nihil hic est quod non sit Apostolicum.

QVIBVS SIT SCRIPTA EPISTOLA.

Testatur Iacobus in titulo scribere Iudæis conuersis & dispersis in omni terrarum orbe, quæ quidem specialia sunt. Verum cum in progressu doctrinæ vbique generalia de moribus det præcepta, vtique ad nos etiam pertinet, & ad omnes fideles non minus quàm epistola ad Romanos, aut illæ ad Timotheum, ac similes. Nã communes mores & vniuersales de moribus regulæ, omnes eiusdẽ professionis homines ligãt.

OCCASIO.

Occasionem huic epistolæ præbuerunt Christianorum mores, qui malè doctrinam Christi vita exprimebant. Nam maturè hoc malum Ecclesiam inuasit, quod dixit Dominus Christus de Iudæis apud Matth. 23. In cathedra Mosis sedent, quæ vos docuerint facite, secundùm autem opera ipsorum nolite facere, significans Iudæos non rectè philosophari in lege Mosis. Sic Christi Ecclesia multos habuit quidem professores fidei: pauci tamen erant, qui Christianum esse putarent nihil aliud esse, quàm vita & moribus testari innocentiam. Horum ergo præposteros mores corrigit.

GENVS.

Principale genus est exhortatorium, vt fit in deliberationibus, vbi regulæ & præcepta de moribus dantur. Accedunt postea quę hoc exornant, vt Διδακτικὸν, ἐπαρκτικὸν, ἐλεγκτικὸν & similia.

PROPOSITIO.


Scopus Apostoli est, instituere pios quomodo viuendum sit in hoc mundo, vt hæc sit illius sententia, Piis imprimis curandum est, vt omni bonorum operum studio professionem fidei suæ ornent, ideò passim vrget virtutes renati hominis. Hanc propositionem desumimus ex cap. 1. vers. 22. Estote factores sermonis, & non solùm auditores decipientes vos ipsos, & cap. 2. vers. 14. Quæ erit vtilitas, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat, poteritne fides illum seruare? & vers. 20. item 26. fides sine operibus mortua est: significans ipsam professionem fidei sine studio bonorum operum esse merum simulachrum. Et cap. 3. vers. 13. Si quis sapiẽs est inter vos, ostendat ex honesta conuersatione opera sua, & cap. 4. ad finem, Scienti bonum facere & non facienti, hoc ipsi peccatum est.


PARTES.

Partes epistolæ principaliter duæ sunt. Nam primo constat titulo, quo exprimitur autor, & quibus dedicetur, item honesta comprecatione salutantur. Secunda pars, quæ totum occupat epistolæ corpus, est exhortatio ad bonos mores, ac constat his locis. Primùm hortatur ad tolerantiam præstandam sub cruce, qui locus hoc pacto tractatur. Primùm, exordium est ab ipsa propositione, cuius sententia est, Pij gratanter crucem nomine Christi debent subire. Hanc propositionem mox confirmatione probat. Tertiò, præoccupatione ostendit quibus mediis ad hanc virtutem perueniamus. Quartò, digressione ostendit ad omnes pertinere hanc doctrinam, pauperes & diuites.

Vltimò


Vltimò, exclamatione concludit locum. Atque hæc ad vnam speciem crucis pertinent, quæ nomine Christi imponi solet. Superest altera species tentationis, quæ oritur à propria carne: hanc studiosè separat à superiori, ac sua constat etiam tractatione. Et hactenus locus primus de cruce, quam Apostolus vocat in genere tentationem. Secundus locus 2. capite proponitur, de conuentibus publicis congregandis sine prosopolipsia, quem locum illustrat apposito exemplo, & expressa mimesi, aliisq; locis tractationis. Tertius locus est de fide ornanda operibus, ac planè pertinet hic locus ad generalem sententiam, contra eos quibus fidei nomen frequentius erat in ore, quàm bonorum operum exempla in moribus. Quartus locus est cap. 3. de vitiis linguæ & de eiusdem commodis, vt reprimeret auiditatem docendi in nonnullis. Quintus locus contra contentiones & similia vitia, quæ ex voluptatibus oriebãtur, qualia sunt ira, obtrectatio, inuidia, æmulatio. Sextus contra præsumptionem oris in quotidiano sermone. Locus ille tractatur cap. 4. à ver. 13. ad finem vsque. Septimus de officiis diuitũ & pauperum qui & ipsis vtraque fortuna professionem ornare debent. In diuitibus liberalitatem requirit: confidentiam, tenacitatem & fraudem taxans. In pauperibus verò patientiam postulat exemplo Prophetarum & Iobi: item ne murmurent seu contra Deum, seu contra diuites tenaciores. Reliqua iterum ad omnes ordines pertinent, vt quòd non sit iurandum, diligenter orandum & orationi coniungendas confessiones peccatorum. Demum omnibus incumbendum vt errantes reducantur in viam, quæ omnia si præstiterimus vtique professionem fidei quàm elegantissimè ornabimus.





IN EPISTOLAM D. IACOBI APOTOLI

Προλεγόμενα.



Bſoluimus Dei beneficio, Epiſtolas Paulinas omnes: nunc igitur ad Canonicas nos conuertemus: quas pari diligentia quidem proponemus, modo dociles animos, & faciles aures prębueritis: quod de vobis ſperare poſſum, de me verò ſeriò polliceri. Seruabimus autem noſtrum in explicando receptũ morem. Ideóque iam dicemus de authore huius Epiſtolæ: deinde cui ſit dedicata: tertiò quodnam ſit eius argumentũ, hoc eſt, quæ fuerit ſcribendi occaſio, quod genus ſcripti, quis ſtatus, quæ propoſitio, qui loci, ſeu quæ ſint præcipuæ partes in tota Epiſtola. Quibus expoſitis, officio noſtro in præſens, ſatis feciſſe videbimur.

De authore huius Epiſtolæ, hodie, vt olim quoque multi dubitant. Ego tamen ſimpliciter ſequor Hieronymi ſententiam, qui hunc Iacobum Iuſtum dicit eſſe, aliàs dictum Minorem, Iudæ fratrem, & fratrem Domini, ideóque de numero Apoſtolorum. Nam vt conſtat ex cap.10. Matth. inter Apoſtolos, dúo fuerunt Iacobi: prior, Ioannis frater, & filius Zebedei: ſed hic noſter Alphei filius erat. Frater autem Domini dictus, quòd eſſet Marię Cleophæ filius, quę ſoror erat Marię Virginis, ac matris Domini Chriſti. Hinc more Scripturæ, fratres dicti ſunt, cùm re vera eſſent conſobrini. Hæc ratio mihi placet magis, quàm illorum qui dicunt fratrem dici, quòd eſſet Ioſephi naturalis filius, ſed ex alia vxore. Author. Gal.1.19.

Huic Apoſtolo tribuo hanc Epiſtolam: nam Græci expreſsè habent, Ἰακώβου τοῦ Ἀποστόλου: & Syri hanc Apoſtolo quoque aſcribunt. Quod ſi admittamus, non poteſt Iacobo Obaliæ aſcribi, qui fuit vnus de 70 diſcipulis. Sed in eo, quilibet ſuo fruatur iudicio, modò authoritati Epiſtolæ nihil detrahatur.

Hodie illam reiecerunt nonnulli, quòd locum Geneſ.15. de Abrahamo, quem Paulus ad Rom.4. ver.9. ad fidem trahit, in hac Epiſtola cap.2. ver 23. de operibus interpretatur: cui tamen non eſt difficile reſpondere: nam Iacobus vtitur loco illo, bona fide, & expreſsè citat Moſen dicens, Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad Iuſtitiam: ſed docet ſimul hanc fidem non conſtare nuda hiſtoria, & infrugifera cognitione, ſed ſuis debitis fructibus, ſecus quàm faciebant tum quidam de fide gloriantes. Itaque nulla hic eſt inter duos hos Apoſtolos contradictio.

Deinde aiunt, rarò eum loqui de Chriſto, cùm tamen Apoſtolicum ſit de Chriſto teſtari, Ioan.15. De me teſtabimini. Reſpondemus, nomen Domini Chriſti illi in ore eſſe, ſtatim ab initio: ſed cùm illi propoſitum fuerit, corrigere mores corruptos malè viuentium ſub Chriſtianiſmo, ideò non tam fidei vim, quàm operum neceſſitatem vrget: quod Apoſtolus quoque ſolet ad Rom. facere: nam à cap 12. totus in hoc eſt, vt oſtendat renatos bonis operibus oportere aliis prælucere. Sic in Epiſt. ad Galat. & ad Epheſ. poſtremis partibus facit.

Tertiò, Legem vocat, legem libertatis cap.2. verſ.12. cùm contrà Paulus vocet legem ſeruitutis, iræ, mortis, & peccati miniſtram. His reſpondemus, non eodem modo vtrinque de lege ſermonem eſſe. Paulus de lege contra Iudæos diſputat, qui ceremonias etiam requirebant à piis, ſecundum Moſen. Hoc negat Apoſtolus, & vocat iugum ſeruitutis vt reuera eſt. At Iacobus noſter de ſtudio bonorum operum diſputans, citat legem moralem, & iubet omnes ſic loqui & facere, tanquam per legem libertatis iudicandos, hoc eſt, ſecundum præcepta Chriſti. Lex enim libertatis Chriſti eſt lex,

non Mosis, quanquam vtrinque moralia præcepta eadem sint, imò seruētur strictius sub Christo, quàm sub Mose. Aliter esset loquutus si de ceremoniis contra Iudæos illi fuisset agēdum. His breuiter sit responsum ad ea, quibus nonnulli Epistolam hanc tollunt de Apostolicis scriptis: & quanquam doctrinam in genere non damnent, tamen multum de authoritate detrahunt, dum ab Apostolo scriptam negant. Nos igitur secundum Græcam inscriptionem & Syriacam, Hieronymi, aliorūmq; hic sententiam sequendam nobis induximus, suo loco deinceps ostensuri hunc Iacobum nihil pugnans cum Apostolo Paulo scribere.

QVIBVS SCRIBAT.

Scribit quidem Iudęis conuersis ad Christum, & dispersis per totum terrarum orbem. Verùm cùm præcepta quę hîc traduntur communia sint, & ad omnes fideles pertineant, satis perspicuum est, hanc Epistolam ex consequenti ad omnes Christianos pertinere, non minùs quàm illa ad Rom. aut illæ ad Timotheum.

Quare dicatur Catholica. Atque hinc factum arbitror, quòd Greci catholicam vocarint Latini quoq; Canonicam. Catholica enim dicitur, quia nō vni priuato homini aut certæ Ecclesiæ sit scripta: sed omnibus piis in genere possit inseruire. Deinde quòd hîc quoque vniuersalis & generalis regula fidei traditur, de professione nostra, vita, ac moribus exprimenda. Denique quia Ecclesia communi consensu, hanc admisit in Canonem scripturę sacræ, cùm olim de hac multi dubitarent.

Cur dicatur Canonica. Hinc constat non rectè damnari vocem Canonicam à quibusdam hoc loco. Nam vt Catholica rectè dicitur hæc Epistola, propter consensum Ecclesiæ: sic eadem rectè dicitur Canonica. Nō enim sic dicitur ad notandum aliquod discrimen: sed potius ad significandum consensum doctrinæ cum reliquis Apostolicis scriptis, ac Epistolis Canonicis. Testatur enim Ecclesia hoc titulo, pari authoritate cum reliquis etiam Paulinis Epistolis hanc admittendam esse, quasi in Canone nunc sit & authoritate Ecclesiæ, quam olim quidam ex hoc ordine conati sunt tollere.

OCCASIO.

Diximus de personis, hoc est, quis eam scripserit: deinde cui sit scripta. Nunc locos argumenti proprios persequamur. Occasio certè oblata est ad scribendum: nam multi tum erant professi religionem, qui lingua quidem Christiani erant, non autem vita & moribus, quod malum citò Ecclesiam Christi inuasit: quemadmodum apud Philosophos, multi ore & disputationibus philosophabātur, pauci verò erant quibus philosophari nihil aliud esset quàm secundum virtutem viuere. Sic apud Iudæos hoc genus hominum inualuerat. Hinc Christus Matt. 23. ver. 2. ait, in Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: id quod docuerint vos, facite, secūdùm opera autem illorum nolite facere: significās rectè quidem illos docere multa, sed pessimè eosdem viuere. Idem passa est Christiana professio: multi statim initio Ecclesiæ sequebantur Christum ventris causa, alij aliud hîc se sperabant reperturos, de moribus emēdandis parum curiosi. Hos igitur corrigit Apostolus, non esse satis profiteri fidem Christianam, nisi hanc ipsam vita & moribus exprimamus. Et reuera hodie doctrina ista omnibus modis necessaria est. Totus Christianus orbis fidem sibi quandam, historicam somniat, clamitántque omnes fide, fide nos iustificari: hoc quidem verum est, sed quando tandem hanc fidem ornabimus vita & moribus?

GENVS.

Mixtum genus huius Epist. Mixtum est. Προτρεπτικὸν est principale, quo ad bonos mores hortatur, vt fit in deliberationibus, vbi dantur præcepta vitæ, & consilia quæ sequamur. Accessorium est διδασκαλικὸν, nam rariùs docet: quanquam in loco id nō negligat, vt quod sit officium pietatis, quæ veræ fidei natura, quomodo orandum sit & benefaciendum proximo, quæ sint partes diuitum, quod decorum in conuentibus seruandum sit.

STATVS.

Πραγματικὴ στάσις est, qualis constitui solet in consultationibus, exhortationibus, & parænesibus, vbi de vitæ præceptis constitui solet.

PROPOSITIO.

Propositiones speciales sunt plures, pro locorum varietate. Generalis tamen vna est, quam sume ex cap. 1. v. 22. quæ deinceps hincinde aliquoties repetitur. Sit illa, Christiani

stiani curare debent, vt professionem suam quam aptissimè ornent omni bonorum operum studio, quales sunt virtutes renatorum.

PARTES.

Initio est inscriptio seu titulus Epistolæ: deinde additur exordium à reipsa sumptū, ac continet mox propositionem specialem, de præstanda tolerantia sub cruce. Refero igitur huc locos principales, hoc ordine. Primus est de patientia sub cruce, quem locum elegāter tractat propositione ac confirmatione, mox addit interpretationem, hanc veram esse sapientiam, quam munit preoccupatione, Siquis hac sit destitutus, vt sciat vnde petenda sit, à Deo scilicet, significans ipsam tolerantiam esse donū Dei, ac impetrari ardenti oratione. Hinc inuehitur in dubitationem orātium, ac ad rem rediens, ostendit vtranque fortunam tum aduersam tum secundam, & in hoc ipso gloriari debere. Sed cùm crux interdum ab hominibus vltrò accersatur, posteriorem locum de tentatione carnis persequitur, ac digreditur in iræ vitium huic malò ferè con iunctum. Hinc tandem generalem statuit propositionem de bonis moribus, quibus professio sit ornanda. Atque hæc omnia ad primum locum pertinent, de tolerantia præstanda sub cruce, cui insunt multi speciales. 1. Locus.

Alter locus cap. 2. tractatur contra προσωποληψίαν præsertim in cœtibus Ecclesiasticis, vbi diuites suos habebant adulatores, qui in omnibus eis primatum deferebant, cum iniuria & ignominia pauperum. Hic tractatur pleniùs locus generalis de ornanda professione vita ac moribus: nā ad fidem hîc omnia accommodat, quæ non mortua, sed viuida esse debet.

Tertius locus tertio cap. habetur de moderanda scil. lingua. Disserit de commodis & incommodis linguæ in genere: ac continētem linguam dicit esse veram sapientiam quę declarat sese bonis operibus: contrà incontinens lingua Iacobo est fructus carnis, ac contentionibus ornatur, vtvt de fide glorietur.

Quartus locus in 4. cap. explicatur. Locus autem est de studio contendendi. Hîc plures fructus carnis explicantur, inter quos etiam est præsumptio loquendi de rebus in futurum, cùm non, *Si Deus velit*, addatur.

Quintus locus vltimi est capitis de diuitum officio. Disserit tamen directè de miseria diuitum malorum, significans quid bonos in diuitiis præstare conueniat. Hinc ad locum de patientia redit, & corrigit leuitatem temerè iurātium. Hinc alij speciales loci adduntur, vt de oratione, vnctione, confessione, &c. Quæ omnia suis locis opportuniùs videbimus.

CAPVT I.

POST epigraphen statim aggreditur præcepta vitæ Christianæ, ac locum de cruce proponit, sub qua, constantia piis est necessaria. Vocat autē crucem πειρασμὸν, tentationem: ac eruditè distinguit in crucem à Deo impositam nomine pietatis & in crucem nostro vitio accersitam, quæ dicitur tentatio carnis. Illam probat & ferendam suadet: hanc improbat, & à nobis oriri docet: vicina huic malò vitia simul explicat, vt est cupiditas, loquendi temeritas, ira, &c. Hinc ad priorem speciem redit, & eam ad propositionem generalem transfert de professione moribus ipsis ornanda, quæ vera & solida est religio. Hæc ferè in hoc primo capit. explicantur. Locus illustris est de patientia sub cruce, qui tractatur propositione, confirmatione, distinctione, generali sententia & conclusione: quibus omnibus præfixa est inscriptio. Ab hac igitur principium faciemus. Ὑπόθεσις.

Iacobus Dei & Domini Iesu Christi seruus, duodecim tribubus dispersis, salutem. More Epistolari præfigit titulum: sed longè alio modo, quàm in Apostolo Paulo id factitatum hactenus viderimus. Summa vtitur breuitate, & titulorum humilitate. Præ cæteris habet tria illa cōsueta, hypographen, epigraphen & salutationem. Subscriptio enim est in his verbis, *Iacobus Dei & Domini Iesu Christi seruus.* De Iacobo iam diximus. Hic obserua dici seruum: ratio ex contextu rectè petitur, quia Christum Dominum fatetur, ita hic se non alio titulo quàm serui voluit ornare: sic enim requiritur hic mutua relatio. Seruus igitur dicitur, vt hodie concionatores dicuntur ministri, quia deseruit in ministerio docendi. Alioquin omnes pij sunt Christi serui, quatenus hunc Dominū confitentur. Porrò quòd hic nonnulli colligunt, Iacobum hūc non fuis- Titulus I. Seruus.

ſe Apoſtolum, quia ſe non Apoſtolum, ſed ſeruum vocat: reſpōdemus id minimè hinc poſſe colligi, quia ſi id ita ſequeretur, tum Ioannes Apoſtolus nō eſſet author ſequentis infra Epiſtolæ primæ, cum ibidem ſe nō vocet Apoſtolum: & Epiſtola Iudæ non eſſet ab Apoſtolo Iuda ſcripta, pari ratione. Itaq; nihil virium habet argumentum hoc, ſed dicimus liberum fuiſſe in hac re ſtylum Apoſtolorum, vt ſuo titulo ſeſe ornarent in loco & tempore, alioquin facilè eundem negligentes. Paulo rationes graues erant, cur vbique ſe Apoſtolum eſſe diceret, aliis aliæ fuerunt rationes.

Dei & Domini Ieſu Chriſti. Deinde vide cuiuſnam ſit ſeruus, *Dei*, inquit, *& Domini Ieſu Chriſti.* Quæ verba alij diuiſim accipiūt, hoc ſenſu, Se ſeruum eſſe, primùm Dei Patris, deinde filij Ieſu Chriſti, qui ſenſus doctrinæ Iacobi magnam affert authoritatē: ſolent enim ſerui à Dominis ſuis habere dignitatem & authoritatem apud eos ad quos mittūtur. Sic Cæſaris vel regis ſeruus longè maior habetur, quàm ſe natoris alicuius, aut ciuis ſeruus.

Hinc Iacobus iure audiendus fuerit, cùm ſit Dei creatoris ſeruus, & filij Dei Ieſu Chriſti. Nam ſeruus erit hoc pacto nihil aliud, quàm Apoſtolus. Sed non ſatis ſeruat mentem Apoſtoli Iacobi, qui breuitate delectatur, adeoque multa complectitur paucis verbis. Itaque copulatiuè accipiatur totum connexum, vt ſint duo epitheta vnius perſonę, hoc ſenſu, Sum ſeruus Ieſu Chriſti, qui ſimul Deus eſt & Dominus. Quo ſenſu duæ naturæ vniuntur in vna perſona. Atq; ideò facio libentiùs, quia hodie ſunt homines malitioſi, qui paſſim à Chriſti perſona ſeparant Dei titulum, quantum poſſunt, etiam in apertis ſcripturæ teſtimoniis. His opponamus copulatiuam hāc Iacobi propoſitionem, quia ſine diſtinctione vtrunq; de Chriſto dicitur: & ne nouitatē mox clament, & ſimilem copulatiuam habuimus ad Tit. 2. v. 13. Expectātes reuelationem magni Dei, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Eodem planè ſenſu hîc dicitur Deus & Dominus, vt illic magnus Deus & Seruator Deus, quia natura Deus eſt à Deo æterno natus, æternus ratione & modo inexplicabili. Dominus verò propter humanitatem, quam licet communem nobiſcum habeat, tamen excellenter à noſtra natura humana differt, cùm ſine omni peccato ſit conceptus homo Chriſtus, vt legi diuinæ ad plenum ſatisfaceret. Deinde Dominus dicitur ratione & iure redemptionis, & confeſſionis, quia à piis, vt Dominus inuocatur, hoc eſt, penes quem ſit voluntas non ſolùm, ſed etiam poteſtas ſuos iuuandi.

Duarum natur. Chriſti vnitatis teſtim.

In titulo ſequitur ἐπιγραφὴ, hoc eſt, membrum, quod propriè ad inſcriptionem refertur, *Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione*, hoc eſt, Iudæis ad Chriſtum conuerſis. Nam in genere ad Iudæos ſcribendo, alia orationis forma vſus fuiſſet, ſcil. qua probaret hunc ipſum Ieſum Mariæ filium, verum eſſe Meſſiam patribus promiſſum. Verùm cùm in hoc non incumbat, ſed ſolùm vrgeat vitam profeſſioni conformem: euidens eſt, illum ad conuerſos ſcribere.

Diſperſos quos intelligat. Porrò *Diſperſis* addit, hoc eſt, qui Dei quodam conſilio in orbe terrarum ſparſim habitabāt ex Babylonica, Aſſyriaca, aliiſq; transmigrationibus, nunquam in Iudæam, nec vnquam planè reuerſis. Nam in Actis paſſim videre eſt, Apoſtolum Paulum reperire Synagogas Iudaicas per Aſiam & per Europā, manifeſto argumento, Iudæos nunquam ad plenum rediſſe in Iudæam. Quæ diſperſio argumentum erat irati Dei, qui tanquam agricola è ſua manu, illos hinc inde vt grana diſiecerat: tamen in his multi erant pij, qui Chriſto nomen iam dederant, quo admonemur fortunam quidem parem piis cum impiis, impari tamen fine & euentu.

III. Locus tituli habet comprecationem, quò pertinet vox χαίρειν. Apoſtolus Paulus diceret χάρις καὶ εἰρήνη: ſed Iacobi alius eſt ſtylus: vt igitur non eandem eſt ſequutus rationem in titulo, quo ſe ornauit: ſic in ſalutatione ſimplicitatem populi magis eſt ſequutus. χαίρειν. n. conſuetum erat Græcis, & loquendo & ſcribendo. Hinc Plato in Epi. ad Dionyſium, eodem vtitur. Medici dicebant ὑγιαίνειν, Philoſophi εὖ πράττειν, εὐδιάγειν, vulgus χαίρειν. Itaque nec Paulino more, nec Iudaico ſalutat fideles. Iudæi, pacem dixiſſent, *ſchalom.* Ideo Syrus Iacobum ex Græco in Syram vertens linguam, *ſchalom* poſuit, ſed ſuo & quidem populari more. Admonemur non oportere nos in his rebus eſſe ſuperſtitioſos.

Verſ. 2. *Omne gaudium ducite fratres mei, ſi quando in tentationes varias incideritis.*

Vt in tituli compoſitione plurimum variauit Iacobus noſter, ſic iam exordio. Nam ſumit hoc mox ab ipſa re præſenti: in quo ſeruat illud pręceptū, ἐκ τοῦ πράγματος προοιμιάζειν. Secus facit Apoſtolus Paulus.

Pertinet exordium hoc ad εὐμάθειαν & ſimul ad εὔνοιαν, vt videmus. Docilitatis eſt, quod proponit rem de qua acturus eſt: Beneuolentiæ verò, quòd fratrum nomine pios compellat.

Statuatur

Statuatur hic propositio specialis, scilicet, Pij omnino debent in omni aduersitate perdurare constantes, vel crucem constanter ferre nomine Christi impositam. Fratres vocat significans se ad fideles scribere, inter quos, propter communem religionem, hęc compellatio familiaris erat, quod habet simul vim argumenti. Nam fratres meritò audiunt patienter fratrem piè monentem, præsertim Dei famulum & Apostolum. Itaque, id beneuolentiæ est. Locus de constantia sub cruce. Fratres.

Deinde sequuntur verba propositionis, *Quando in tentationes varias incideritis*, hoc est, sub qualibet cruce, nomine Christi vobis imposita. Πειρασμοὺς vocat, quos Christus dixit διωγμοὺς, ὀνειδισμοὺς, & in genere πᾶν ῥῆμα πονηρὸν, qualia sunt, à synagogis excludi, erronem fieri, occidi ob confessionem, quæ omnia & his similia rectè tentationes dicuntur, quia his Satan nos conatur de gradu deiicere: meliùs tamen sunt Græcis πειρασμοὶ, quia probamenta sunt, quibus exploratur fides nostra. In his præcipitur constantia, & quidem omnibus. Nam addit ποικίλοις, In tentationes varias incidunt multis modis. Matth. 5. 10.11. Ioã.16.2.

Primùm varietas illa oritur à personis persequentibus nos: vt tempore Iacobi, fideles Iudæos primùm persequebantur infideles Iudæi, qui semper hostes crudeles fuerunt nominis Christiani. Ab his eiiciebantur è synagogis, deferebantur illorum nomina apud magistratus: deinde malè excipiebantur ab Ethnicis si cœtus priuatos instituerent. Hinc magistratus in eos variis modis animaduertebat. Varietas tentat. vnde oritur.

Est etiam varietas in ipsa re. Nam alij pro hac causa fiunt exules, alij ignominia notantur, alij carcere, inedia, fame castigantur, alij tormentis explorantur, alij morte, & hac quidem varia afficiuntur. Itaque non frustra est, quòd Apostolus varietatem in tentationibus animaduertit: voluit enim omnes casus aduersæ sortis complecti, & in his constantiam præcipere.

Interim tamen non vult nostro vitio accita esse hæc mala. Nemo enim piorum debet pati, vt fur & latro: sed nomine Christi tandem imposita crux, est commendabilis. Quò facit vox περιπεσεῖν, qua hîc vtitur Iacobus. Significat enim incidere in mala nõ satis præuisa & prospecta, aut vt Scriptura loquitur innocenter nomine veritatis, non aliquo nostro vitio. Denique in his etiam, temporis est quędam notatio, ὅταν, quando, hoc est, quotiescunque. Itaque semper quoque pręcepta est constantia: non satis enim est semel officium præstitisse, sed qui perseuerauerit ad finem vsque, saluus erit. 1.Pet.4. 15.

Constituatur igitur vniuersalis propositio loci huius, Piis in omni tentatione quæ Christi nomine imponitur semper est seruanda constantia in confessione veritatis. Sed hactenus de cruce solùm diximus, & eius circunstantiis: ad constantiam autem pertinent illa verba Iacobi, *Omne gaudium ducite*, ἡγήσασθε, ducite, hoc est, Interpretemini. Aliud enim carni de cruce apparet, quàm Christus nobis mandet: ideo Iacobus nos iubet ad mitiorem confugere interpretationem, & πᾶσαν libenter accipio pro μόνον, q. d. in afflictionibus his solùm confugite ad consolationes Spiritus sancti: tantùm hîc quærite materiam gaudij in Deo. Et re vera pij verè in his casibus exultant, adeo vt sæpe tyrannis insultarint in mediis tormentis. Deinde πᾶσαν ad omnes species crucis extendatur: nam Deus in his ærumnis omnibus adest suis, firma & vera consolatione. Atque hactenus propositio, quæ reuerà est argumentosa. Datur enim consilium à fratre qui est meritò audiendus, & habent afflictiones istæ materiam pleni gaudij, & nullo piorum crimine eis eueniunt. Itaque magno animo in his esse debent. Sed audiamus ipsius Apostoli rationes, quibus nobis constantiam sub cruce commendat. Ait igitur ita:

Vers.3. *Scientes quòd probatio fidei vestræ, &c.*

In his verbis constituo κατασκευὴν: nam sententiam suam de cruce firmis rationibus munit. Nos igitur hîc sequamur διάλυσιν, & ad causam hanc, ex verbis Apostoli eruamus rationes hoc ordine.

Ex propositione ordiamur. Primùm constantiam sub cruce debemus ex officio, quia præceptum est hoc loco Apostoli, qui vt nos proniores ad hanc rem redderet, fratres compellat, hoc est, eiusdem professionis membra. Non est igitur negligendum hoc mandatum. Huc confer & Christi mandatum & Apostoli Pauli. Deinde talia sunt hæc ἀτυχήματα, quæ non nostro vitio, aut causæ malitia nobis eueniunt, sed hominum improbitate, qui auersantur veritatem: igitur constanter sunt ferenda. Illud est Iacobi περιπεσεῖν. Matt.10. 38.16.24. &c.

Tertiò in his malis certissima est consolatio, & veri gaudij materia: cur igitur trepidaremus? His iam adde reliquas rationes ex Apostoli confirmatione promanantes. Sit igitur iam hæc ordine quarta: Qui norunt crucis vtilitatẽ hanc non debent suffu-

gere. Vos pij qui Christũ profitemini nouistis hoc: ergo constantiam in re cognita præstate. Hoc dixit Iacobus γινώσκοντες, sciẽtes: sumit enim hoc tanquã confessum & concessum. Ideo diximus eum scribere ad fideles, qui iam de Christo rectè fuerãt instructi: Tales enim sciũt quæ sit crucis vtilitas: quę notitia non reddit beatos, nisi rei ipsa hanc præstiterint. Ideo Christus Ioan. 13. Beatos suos prædicat, si fecerint illa quæ norũt vera esse.

Constantia fidei effectus. Quintò recenset fontem huius virtutis quam vocamus ὑπομονὴν, τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονὴν, hoc est, probatio vestræ fidei operatur cõstantiam. Argumentum est à natura causæ efficientis, hoc sensu: Causæ bonæ non potest non effectus esse optimus: sed vos fidem solidam profitemini: Ergo oportet in vobis huius tam bonæ causæ, ipsum quoque effectum apparere. Effectus autem fidei solidę est ipsa ὑπομονή. Obserua in hoc argumento fidem veram eleganter dici phrasi Hebræa, τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, hoc est δόκιμον πίστιν probatam & exploratam fidem, & nos diceremus iam, solidam & veram fidem. Huic solidæ fidei tanquam causæ efficienti tribuit κατεργάζεσθαι, hoc est, efficere ὑπομονήν: Itaque tolerantia aspicit fidem veram, vt effectus suam causam efficiẽtem, nec repugnat huic argumento, locus ad Rom. 5. vers. 3. 4.

Sextò gradatione ad naturam ipsius effectus transit, hoc est, quale debeat esse ingenium constantiæ sub cruce: vt enim fides ornatur constantia tanquam suo fructu: sic ipsa cõstantia ornatur perfecto opere, quod ipsum, fructus est & effectus constantiæ, quasi dicat, ὑπομονὴ nisi perducat ad finem vsque, nulla est, nec satisfacit suo nomini. Itaque ἔργον τέλειον dixit fructum tolerantiæ, qui est constanter ad finem vsque perseuerare. Id in propositione sibi volebat particula ὅταν: quasi dicat; Quotiescunque nomine Christi in discrimen venitis, constanter semper perdurate: tum enim constantia dicitur, si nunquã interrumpatur hæc virtus. Nos sic formabimus argumentũ: Boni effectus oportet causam esse bonã: Sed ἔργον τέλειον bonus est effectus τῆς ὑπομονῆς: Ergo oportet hanc virtutẽ esse bonã, & simul existere tempore. Nam in ethicis virtutibus causa simul cum effectu suo existit & durat tempore. Secus interdum habet in physicis causis, vt calor diu manet in aqua, iam remoto & extincto igni: in ethicis non ita. Prudentia tempore semper durat cum suo opere: in concreto, hoc est dum homo prudens prudenter egit sic ὑπομονὴ non potest abesse ab opere suo perfecto.

Perfectũ opus quo sensu dicatur. Porrò ἔργον τέλειον qui trahunt ad bonorum operum perfectionem, mentem Diui Iacobi non seruant: nam perfectum vocat opus, constantiam perfectam sub cruce, quæ est perduratio in veri confessione vsque in ipsam mortem & vltimum spiritum.

Septimò à fine ad quem tendit professio pietatis. Is est, vt simus perfecti & integri, nulla ex parte culpabiles. Hunc finem ac ipsa via consequemur: Ergo forti animo est ingredienda. Et τελείους ac ὁλοκλήρους, item ἐν μηδενὶ λειπομένους accipio ad præsentem quęstionem hos qui obedientiam sub cruce diligẽter præstant: illorum enim vocatio hoc postulat, quemadmodum alij ad aliud vocantur singuli in sua vocatione fidem debẽt pietati Christianæ, quam si præstent, dicuntur ὁλόκληροι & τέλειοι. Sic Christus Matth. 5. vsu. 48. os iubet esse τελείους. Excitet nos commendatio virtutis, quæ in hac rerum imperfectione, perfectos tamẽ aliquo modo reddit. Dicitur perfectum quicquid Deus boni consulit, quod gratum & acceptum habet. Itaque interpretatione tale dicitur, quòd reuera, & nostri respectu minimè tale est: nihil enim est ab omni parte beatum, & quicquid fecerimus, semper fateamur, nos seruos esse inutiles.

Vers. 5. *Si cui vero deest sapientia.*

Hactenus de tolerantia sub cruce disseruit: iam de authore huius virtutis disputat: ac pertinet locus ad causarum tractationem. Ostendit enim originem seu causam efficientem esse ipsum Deum, medium autem orationem minimè hæsitantem, sed in fide solida permanentem.

Cohærent autem superioribus præoccu patione quadam. Dicunt enim homines ad crucem inepti, se non habere hoc donum: ideo tempori, loco, & personis se aliquid concedere, nec esse prudentis sese periculis offerre. Respondet Apostolus, si quis dono hoc destituatur, petat à Deo. Sapiẽtiam igitur hîc accipio pro sano iudicio de cruce, est enim vera sapientia finem & vsum crucis intelligere: Quemadmodum Apostolus, Rom. 5. Gloriamur in oppressionibus, scientes quòd afflictio patientiam parit, patientia autem probationem, probatio spem, spes autem non confunditur. & Rom. 8. Neque mors, neque vita, &c. separabit nos ab amore Dei. Hæc sapientia in multis deest. Dicit enim Apostolus, *Quod si quis destituitur sapientia*, forma concedentis est. Obiciũt enim sic homines, Nõ habemus omnes hoc donũ, non habent qui ad crucẽ & martyria imparati sunt. Ostẽdit igitur primùm vnde petendũ sit, à Deo scil. ac locum illustrat vocibus argumẽtosis. Primùm, Deus dat etiam alia quæ habes omnia: Igitur confidenter

Rom. 8. 39.

fidenter pete etiam hoc, spe obtinendi: quod euidenter dicitur Græcè παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ: q.d. etiam alia dedit, ac dat in singulas horas quę non petis. Dans Deus dicitur, quia nunquam nos tueri & alere suis beneficiis desinit, quasi dicat, Non petes ab ocioso Deo qualem finxit Epicurus, sed petes à Deo dante, à quo accepisti vitam, animam, corpus, sensus, rationem, sanitatem, sui agnitionem, &c.

Deinde *dat omnibus*, cur igitur tu desperares? Nulla est ratio cur ab vniuersali numero te solum & vnum seiungas: Tertiò dat quoque simpliciter ἁπλῶς, hoc est, sine personarum respectu, candidè. Sic Rom. 12. v. 8. in eleemosynis simplicitatem postulat, hoc est, vt sine personarum respectu fiat. Sic Deus dat sua χαρίσματα ἁπλῶς: vel dat ἁπλῶς, hoc est, absolutè, vt de veris causis efficientibus dici solet. causa absoluta & simpliciter est huius rei, hoc est, non per accidens, sed verè & propriè.

Quartò *non exprobrat* sua beneficia, quo morbo diuites solent laborare. vt beneficij dati sint memores probe, ac facilè offensi id exprobrent. Hoc Deus non facit. Quintò, *Ac dabitur ei*. Spe obtinendi munit orationem nostram. Sic Marc. 11. v. 24. Christus iubet nos credere, accepturos nos quæcunq; petierimus, Et erunt vobis, inquit. Hanc spem igitur obtinendi diligenter alamus in precibus.

Vers. 6. *Petat autem in fide.*

Causam efficientem & simul organicam indicauit. Iam pergit orationis formam depingere. Oratio enim causa media est, per quàm donum constantiæ acquiritur: sed huius formam scire oportet. In fide, inquit, petat. Nam quicquid ex fide non est, peccatum est: itaque fide inniti debet. Sic de ortu patientiæ dixerat priùs versu 3. Probatio fidei nostræ parit tolerantiam. Fidei igitur in omnibus, vt hîc Apostolus, tribuit primatum. Deinde fidem hanc munit constantia sua, *Nihil disceptans*, hoc est, Non hæsitans. Respexit ad mores dubitantium de Dei voluntate: Illi solent varias rationes sibi fingere, & in speciem probabiles: de omnibus tamen coguntur dubitanter disceptare, nunc huc, nunc illuc inclinat animus.

Qui enim disceptat. Argumentum addit à simili. Hęsitabundus animus agitatur variis cogitationibus, vt mare suis fluctibus. Damnatur hac similitudine inconstantiæ vitium, quod contrarium est constantiæ orantium per fidem.

Vers. 7. *Non enim extstimet homo ille.*

Dubitanti nulla est obtinendi spes.

Conclusio argumenti contrarij: ergo inconstantia nihil impetrabitur à Deo. Hinc sequitur veri argumenti conclusio: Constantia in precibus obtinebit rem petitã. Eleganter autem præscindit spem obtinendi dubitantibus, Ne putet homo ille, se quicquam impetraturum, quasi dicat, Ne in mũdo quidem quicquam impetret. Si quis enim à vicino petat panem, sed hæsitanter, fortè mihi non dabis: certè non acciperes: audies, Non igitur accipies, cùm me suspectum habeas, non daturum. Deinde particula τὶ emphasim habet, vult enim dicere, ne quidem minora accipiet à Deo, nedum tantam virtutem quæ alioquin rara est.

Vers. 8. *Vir animo duplici.*

Duplici animo qui dicantur.

Conclusioni subiicit elegantem gnomen, qua inuehitur in vitium inconstantiæ. Δίψυχος dicitur ἀνὴρ, qui variis cogitationibus impellitur circa rem eandem, nec certũ habet quid potissimum sequatur, quales reuera sunt hæsitantes, videntur illi δίψυχοι, hoc est, duos habere animos pugnãtes. Talis vir est inconstans ἀκατάστος. Στάσις est rerum naturalium quibus natura debet quietem: vt terra στάσιν habet, h. e. locum quietis: sic animus boni viri habet στάσιν in re obiecta, cui innititur. Κατάστασις verò est consiliorum humanorũ, vt respublica habet κατάστασιν, h. e. suas leges, secundum quas administratur, & in his aquiescunt ciues. Hinc dicitur ἀκατάστατον, quod quietẽ hanc euertit, quales sunt ciuiles seditiones contra ordinarium magistratum, vt Tyrannica imperia contra leges honestas. Hinc ad animi imperium illa referuntur dũ ratio in homine fungitur suo officio, affectus omnes manent in officio, manétq; animus in sui constitutione: dum autem repagula frangunt affectus, nascitur ἀκαταστασία. Itaque Apostolus eruditè hîc tumultus affectuum expressit in homine impio qui dubitanter orat: affectus enim semper aliud sequuntur, quàm dictet fides. Non ineptè huc referretur illud à Græcis dictum, μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα. Vias eius accipio more Scripturæ pro moribus & vitæ institutione: ac valet hinc argumentum, inconstantia vitiosa est in tota hominis vita: ergo magis in precibus damnanda est.

Vers. 9. *Glorietur autem frater humilis.*

Reditus ad principale institutum, hoc est, ad tolerantiæ laudem. Ostendit autem in hac vnica re positam esse salutem vtriusque fortunæ tum aduersæ, tum secundę. Obser-

Antithesis obseruanda. uetur hic antithesis vtriusque fortunæ. Opponit enim humilitatem diuitiis: hoc est, afflictos & gementes sub cruce, his qui florent, & secunda vtuntur fortuna. Itaque frater ταπεινὸς est ταπεινωθεὶς, hoc est, quem crux humiliauit, quem Dominus rebus asperis exercuit. Hic glorietur in sublimitate sua. Τὸ ὕψος dicitur maiestas sanctorũ quam habent in cælis per Christum. Itaque hoc dicit, Afflictus asperitatem crucis debet contemnere, spe tantorum bonorum, quæ in cælis nouit sibi reposita esse.

Vers. 10. *Diues autem.*

Alterum membrum collationis: ac *Diuitem* accipio pro fortunato quouis modo in hoc seculo: & quemadmodum pauper sub cruce se debet erigere certa consolatione bonorum cælestium: sic fortunatus debet se in officio continere consideratione crucis imminentis, ne nimium fortunæ blandienti credat. ταπείνωσιν igitur accipio pro consideratione crucis euenturæ. Sententia igitur est: Pius rebus secundis minime debet efferri: quò facit ratio quæ mox addita est, *Quia vt flos herbæ præteribit.* Ratio sumpta est à natura fortunę secundæ, Inconstans est & momentanea: Ergo huic minimè fidendum est. Argumentum illustratum est similitudine à natura quoque petitum. Nam successus fortunæ floribus cõparatur, quibus nihil speciosius dici aut fingi potest: at decor iste totus euanidus est. Idem igitur cogitemus in rebus secundis. Vide Esa. 40. vers. 6.

Vers. 11. *Oritur enim Sol.*

Argumentum explicat & dilatat ac primùm loquitur de modo pereũtis floris, cuius mira est pulchritudo. Oritur Sol cum æstu: nam pluuiosis diebus quoque oritur, nec floribus nocet, deinde crescit herba, hinc decidit flos, denique euanescit tota illa pulchritudo. Deinde sequitur applicatio: Sic diues est fortunatus & speciosus quidam flos: oritur æstus persecutionum & crucis: hinc arescit fortunæ supercilium, hinc flos decidit: fortunæ præsidia nos destituunt, & pompa illa mundi tota euanescit. Idem fere habes. 1. Pet. 1. ver. 24. & Psal. 103. v. 15. Esa. 40. & inf. cap. 5. vbi diuitum impiorum fortunam deplorat.

Porro πορείαις dicit hic vt sup. ver. 8. ὁδοῖς, more Scripturæ, ac Syrus quoque habet, *behaupacaubi*, quod Hebræi dicunt *bedarchechen*, hoc est, in viis suis, ne putes pro πορείαις legi debere ἐμπορίαις, &c.

Vers. 12. *Beatus vir qui.*

Ἐπιφώνησις, qua concludit locum hunc de tolerantia seruãda sub cruce. Ac addit mox nouum argumentum à magnitudine ac certitudine præmiorũ quæ his proposita sunt qui constantiam seruant: magnitudo præmiorum est, quia *corona est vitæ*. Similitudo sumpta est à certaminibus, in quibus, victoribus dari solebat corona, & ea quidem tenuis, ex apio vel oleastro, vel simili re: At pij coronã vitę expectant: vno verbo, omnes thesauros vitæ æternæ dixit. Deinde certitudinem addit, quia hanc coronam promisit Deus, quasi dicat, Non homo, sed Dominus, qui falli non potest, nec fallere suos vult. Denique ad quos? Qui probati redduntur in hac crucis palæstra. Id vtrumque præmisit, vt vsum crucis disceremus: atque illa est sapientia de qua initio, vers. 5. dixerat via hæc est ad victoriam. Læto igitur animo illam ingrediamur. Est probatio & exploratio Domini, qua suos quasi per ignem expurgat, & aliis exempla constantiæ statuit, quæ tutò sequantur. Itaque verè exclamat, Beatus ille vir qui sustinet crucem: imò fortunatissimus, & fœlicissimus luctator Domini, qui victor in cœtu omnium sanctorum pronunciabitur ab ipso Dei Filio, Iesu Christo.

Vers. 13. *Nullus qui tentatur dicat.*

Secunda pars præsentis capitis: in qua explicatur altera species tentationum. Nam hactenus de tentatione crucis Christi loquutus est, eámq; multis nominibus commendauit piis, ac virtutem ipsam sub hac seruanté constantiã, sapientiam Dei vocauit, quæ diuinitus datur, impetratur autem precibus ac fide. Nũc de altera specie disserit, hoc est, de tentatione carnis nostræ, seu de prauis affectibus, qui nos ad peccatum impellunt. Dicitur hæc species, πειρασμὸς ἀπὸ τῆς ἰδίας καρδίας. Propositio statim proponitur, *Nemo tentatus dicat, quòd à Deo tentor.* Sensus est, Pij hominis non est, causam scelerum suorum, adeoque prauorum affectuum in Deum referre.

Altera tentationis species.

Tentat Deus dum patefacit abditas cordis cogitationes. Sic Israelitas dicitur tentasse per annos 40. Deut. 8. v. 2. Hoc est, aliis & ipsis Iudæis seipsos spectandos proposuit. Sic Pharaonem tentauit, quia contumaciam cordis ipsius mundo prodidit: sed non sic de tentatione hic loquitur Iacobus verùm loquitur de propria affectione naturæ corruptæ, quæ intra se variarum tentationum cõtinet seminarium, quod Satan sciens, successu temporis variis occasionibus suscitat, & in effectus certos conatur proferre

Quo sensu dicatur Deus tentare.

proferre. Itaque nihil hîc pugnans dicitur, státque sententia Iacobi, Deus neminem tentat, hac scilicet specie tentationis.

Ratio est à Dei natura, per quandã comparationem. *Quemadmodum enim Deus tentari malis non potest: sic ipse neminem tentat.* Ἀπείραστος dicitur, quia substantia diuina purior est, quàm vt in ea malum quiddam hærere possit: quemadmodum lux pura nõ admittit tenebras, sic neminem tentat, scilicet ad tentati euersionem: sed prodit euersos iam per propriam malitiam. Atque hæc ratio habet remotionẽ causæ alienæ & minimè veræ, quam tamen homines reprobi mox solent ad velanda sua scelera proferre: Deus me fefellit, præcipitauit in hæc mala, non præseruauit, &c. Quibus cogitationibus reprobi sese purgare conantur, & culpam in ipsum Deum transferre.

Deũ non tentari malis.

Vers.14. *Quisquis autem tentatur.*

Altera ratio quòd Deus nullum tentet. Sumitur hæc à propriis & proximis causis, quas ordine connectit. Atque hoc loco θέσις est, orditúrque à suprema adeóque vera huius speciei causa, quæ est ἐπιθυμία, h.e. appetitus prauus naturæ insitus, qui non potest non mala suadere, habitat enim in abysso & fomite originalis peccati, nec potest inde nisi corruptus progredi. At quomodo hic appetitus nos tentat? Respõdet, protrahẽdo, & inescando. Ἐξέλκειν dicitur id quod extra viam rapit: sic mens & rectum iudicium ab appetitu transuersum rapitur extra tramitem præceptorum Dei. Δελεάζειν verò incautum blandimento aliquo fallere, vt capiuntur incauti pisces, & stolidæ aues, proposita aliqua specie alimenti. Sic appetitus orator est, habens argumenta, quibus ad peccandum incitat, & in primam quidem speciem suauitas & vtilitas & similia copiosè suggeruntur, donec nos in casum protraxerit.

Vera causa huius tentat.

Causæ mediæ.

Vers.15. *Deinde cupiditas.*

Tertium argumentũ, in quo gradatione quadã pergit sententiã connectere à prima & vera causa, ad vltimũ vsq; effectum. Prima causa est appetitus: is mouet volũtatem voluntas addit assensum: hinc circumspicitur de mediis, inde nascitur peccatũ actuale. Ex hoc tandem mors & pœna fluit.

Vers.16. *Ne erretis fratres.*

Conclusio argumentationi annexa per exhortationem. Ostendit autem errorem esse grauem & nocentem, Deum velle causis peccatorum connumerare & inuoluere. Itaque obseruandum est diligenter, Deum peccati non authorem esse, nec malorum in genere causam. Apostolus hoc dogma errorem vocat.

Vers.17. *Omnis donatio habet.*

Redit ad argumentationem: ac fit hoc ordine 4. argumentum à natura causæ & effectorum, ad hunc modum: Omnes effectus diuinæ voluntatis boni sunt: sed tentatio illa, de qua hîc loquimur, non est bona, ergo nõ est effectus dicẽda diuinę voluntatis. Et contrà crux illa, quam pro veritatis cognitione ferimus bona est: Igitur hæc est diuinæ voluntatis effectus. Porrò hîc maximam solùm ponit quæ postea multis locis inseruit. Obserua hîc etiam ornamẽta Dei, quia *est pater luminum*, hoc est, fons boni ac veri. Non est apud illum παραλλαγή, hoc est, error visus vel intelligentiæ: diuersitas aspectuum apud illum non fallit, *nec est conuersionis obumbratio*: hoc est, inconstans non est, sed sibi semper similis: ex quo efficitur, boni saltem esse authorem.

Effectus diuinæ voluntatis quales sint.

Vers.18. *Volens genuit nos.*

Superiori maximæ annectit minorem admodum competenter: nam argumentum dirigit ad priorem locum, de constantia seruanda sub cruce. Voluntatis diuinæ omnes effectus boni sunt: sed cognitio veritatis est bona: igitur est verus effectus voluntatis diuinæ. Et hinc etiam efficitur quòd crux illa ob hanc illata, solùm bona sit. Porrò argumentum declarat modum regenerationis, cuius causa efficiens primaria est Dei voluntas, quia volens regenerat, & regenerat, vt mater fœtum, hoc est, sine antecedentibus nostris operibus. Organica causa est λόγος ἀληθείας. Periphrasis est Euangelij: sic Ioannis 17. vers.17. Sermo tuus, veritas est. Tribuit organis quod per se Dei erat, & Spiritus sancti. Sic de Baptismo loquutus est Paulus Ephes. 5. & ad Tit.3. finis est, *esse primitias creaturarum*, hoc est, ex toto hominum cœtu, fieri specialem cœtum electorum, & pertinentium ad adoptionem filiorum Dei, qui primitiæ sunt

Regen. causa efficiens & primaria Dei voluntas.

Domino consecratæ. Reliqua turba profana manet.

Verſ.19. *Itaque fratres mei.*

Prouerb. 17.27. Περίσματα elicit, hoc eſt, præcepta moralia, quæ nobis ex hac diſputatione obſeruanda ſunt. Primum eſt continẽtia linguæ: *Tardi ad loquendum, veloces ad audiendum*, hoc eſt, ne temerè & depoſito omni pudore diſſeramus de his locis, qualis eſt prouidentia diuina, quæ ſit cauſa malorum extra hominem: ſed has ipſas intra nos quæramus. Sic in aliis, digito compeſce labellum, ſalubre eſt præceptum.

De moderanda. Alterum eſt πρόσταγμα, de moderanda ira. Elegãs eſt præceptum & verè Chriſtianum: nam impij etiam Deo ſæpe iraſcuntur. Cogitemus igitur de hac moderanda. Menandri citatur verſiculus in hãc rem, Ἄνθρωπος ὢν γίνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν: quo monet hominis proprium eſſe, iram frænare, vt dixit ille, Candida pax homines, trux decet ira feras: & Horatij eſt iudicium de ira, Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret, Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce cathena.

Verſ.20. *Ira enim viri.*

Rationem adiicit vltimo præcepto, quæ ab incommodo ducitur, Ira iuſtitiam Dei non operatur, hoc eſt, eam iuſtitiam, quam à ſuis requirit Deus, quod eſt ſtudium bonorum operum, quæ opera requirit à ſuis tanquam bonæ arboris fructus, quæ lucere debẽt coram mundo, vt videant illa homines, & glorificent Deum Patrem qui eſt in Matth.5.16. cælis: Alia eſt Dei iuſtitia, qua ipſe per ſe iuſtus eſt, & qua nos iuſtos efficit: ſed hæc eſt quam à nobis requirit, qui regenerati ſumus.

Verſ.21. *Quare deponentes.*

Cognitionem Euang. non eſſe naturalẽ. Illatio vniuerſalis, qua aditum facit ad propoſitionem generalem totius Epiſtolæ. Ἔμφυτος λόγος dicitur Euangelij cognitio: & dicitur ἔμφυτος, quia non natura nobis ineſt, ſed vt agreſtis arbor cicuratur opera agricolæ. Itaque nihil patrocinatur naturæ integritati, & viribus humanis. Addita eſt ratio, *Qui ſermo poteſt ſeruare animas veſtras*, hoc eſt, præcipuam hominis partem, quę læſa eſt per peccatũ, nec admittit aliam medicinam, quàm quæ nobis in Euangelio proponitur: ergo Euangelium placidè recipiendum eſt.

Verſ.22. *Sitis autem effectores ſermonis.*

Matth.7.21. Locus eſt tertius huius capitis, ac pertinet ad generalem propoſitionem totius epiſtolæ, de practica vita hominis Chriſtiani. Sententia eſt, Pij operã dare debent, vt vita ac moribus profeſſionem fidei quàm decentiſſimè ornent. Hoc dicit Apoſtolus Iacobus, *Sitis effectores ſermonis, & non ſolùm auditores*, quibus verbis hortatur ad praxin, intermiſſa θεωρία. Erant enim iã tum Chriſtiani multi, quibus profeſſio fidei ſolùm erat in lingua, vitam autem ad eandem non accommodabãt. Contra tales igitur diſputat, ac praxin vrget. Sic Chriſtus, Si diligitis me, ſermonem meum ſeruate. Et Matth.28. Ioan.14.15. v.20. Docete eos ſeruare omnia quæ præcepi vobis. Item, Beati ſi feceritis illa: quibus Ioan.17.17. congruunt aliæ ſententiæ tum Chriſti, tum Apoſtoli Pauli.

Fallentes vos ipſos. Confirmatio propoſitionis hinc colligatur. Ac rationem habet comma hoc, παραλογιζόμενοι ἑαυτούς. Hoc modo vita contemplatiua, hoc eſt, eorum qui ſolùm audiunt veritatis doctrinam, nec ſecundum illam viuunt, ſibi ipſis imponunt: Ergo vitæ iſta ratio damnanda eſt. Paralogiſmi in omni re damnabiles ſunt: at in hac vita ſunt paralogiſmi, ergo, &c. Obſerua hìc pernicioſos eſſe paralogiſmos morales in philoſophia ethica apud Chriſtianos, quando aliud profitemur verbis, & aliud moribus exprimimus, vt faciunt hypocritæ. Paralogiſmos in vita Chriſtiana vitandos.

Verſ.23. *Nam ſiquis.*

Altera ratio propoſitionis, quæ ducitur à ſimili. Speculum eſt lex Dei, ſeu doctrina veritatis: in hac contemplamur faciem noſtram, h.e. naturæ corruptionem, næuos etiam actualium peccatorum, quos iubet in nobis emendare. Quod qui non faciunt, ſimiles ſunt his, qui contemplantes ſe in ſpeculo, nihil tamen curant næuos ſuos corrigere, ſed ſordidi eſſe malunt.

Verſ.25. *Qui autem introſpexerit.*

Tertia ratio ab effectis practicę vitę: nam antitheſi opponit contrariorum vitę generum cõtrarios effectus. Theoria effectus habet, diſcedere, & ſui ipſius denuò obliuiſci

ci. Est autem obliuio mala, & recessus quoque malus est, à speculo diuinæ voluntatis. Vitanda igitur theoria. At contrà, praxis bona habet effecta, scilicet μακαριότητα, fœlicitatem & vitam æternam: Igitur ista studiosè nobis est affectando. Porrò lex perfecta dicitur nostri respectu, quia nos in dies magis magísque cupit reddere absolutiores: alioquin in se & per se, doctrina veritatis perfecta est, sed nobis applicata, etiam nos cupit perficere. Si verò id in nobis non assequitur, culpa non est doctrinæ, sed nostrę infirmitatis. Ideo alium mediatorem monstrat, ipsum Christum, qui absoluta est nostra perfectio. Deinde νόμος τέλειος dicitur propriè lex dilectionis Christianæ, quia in hoc mandato perficitur tota lex & prophetæ. Ideo maximum dicitur, hoc est præcipuum mandatum.

Theoriç & praxis differentia.

Lex perfecta.

Libertatis autem lex dicitur, quia hæc propriè doctrina Euangelij est, de diligendis non solùm proximis, sed inimicis quoque: & libertatis dicitur, quia Christus hanc legem non alligauit locis & temporibus, sed omnibus suis sectatoribus vbique & semper sequendam proposuit. Atque hæc lex effectores requirit, eósque minimè obliuiosos, quos tandem consequetur μακαρισμός.

Lex libertatis quo sensu dicatur.

Vers.26. *Si quis videtur religiosus esse.*

Quarta ratio à distinctione veræ & hypocriticæ religionis. Vt enim priùs opposuit contemplatores veros suæ faciei, & negligentes, quibus placet sordities sua: ita iam opponit consequentiæ hypocriticæ religionis, & veræ Θρῆσκος dicitur in genere religiosus: hinc θρησκεία religio. Vox, vt apparet, à Thracibus efficta est: quod alibi Nazianzenus quoque videtur approbare vbi dicit: Οὐ θρακῶν ὄργια ταῦτα παρ' ὧν καὶ τὸ θρησκεύειν ὡς λόγος. Hinc vera & falsa religio dicitur θρησκεία. Sed Apostolus hîc iubet à consequentibus distinguere. Hypocrita cognoscetur, primùm à loquacitate: blaterones enim libenter alit, qui multùm garriant de pietate, ac ceremoniis, aut qui aliorum libenter famam arrodant, aut quomodocunque tandem linguam suam non frenant, vt qui impudenter & licentiosè de diuinis arcanis disputant: ex quo cognoscis hypocritas esse. Deinde alter effectus est, quòd seipsos fallunt: quod suprà dixit παραλογιζόμενοι ἑαυτούς, hîc dicit, ἀπατῶν τὴν καρδίαν αὐτοῦ. Itaque falsæ religionis comes est ἀπάτη, quemadmodum paralogismus quoque in moribus.

Θρησκεία.

Tertiò hinc sequitur vanitas. Μάταιος θρησκεία dicitur religio quæ ad optatum finem non pertingit, vt in causa præsenti, linguaces isti Christiani, quibus solùm in ore est pietas ac fides, promittunt sibi quoque vitam æternam, sed illam non assequentur: quæ reuera est ματαιότης. Cauenda igitur est sedulò.

Vers.27. *Religio pura.*

Alterum membrum antitheseos est de fructibus veræ religionis. Pura & immaculata dicitur religio quæ nos tales format in vita ac moribus: ac nisi tales efficiamur, non assequetur in nobis finem suum. Huic subiicit enumerationem quandam duas præcipuas partes practicæ religionis: quarum prior est, cura pauperum, quo refertur tota liberalitas in dando & erogando, nomine Christi, siue peregrini sint, siue domestici, &c. Altera est vitæ innocentia: non se polluere publicis & receptis moribus huius mundi: in qua re sæpe peccatur etiam ab eruditis & ministris verbi, qui more vulgi viuere malunt, quàm offensam suorum popularium ferre.

Religio pura & immacu lata quo sensu.

CAPVT II.

Negotium fuit Apostolo Iacobo, vt apparet, cum hypocritis, qui Christiani nominis professionem magis in ore, quàm vitæ innocentia habebant. Diuitum enim gratiam ambiebant, auari erant, & personarum respectu laborabant. Itaque grauiter hoc capite disputat contra προσωποληψίαν. Ac ostendit æqualitatem laudabilem esse in honorandis piis, secundum iustitiam distributiuam. Atque hæc primo loco explicantur. Posterior pars est de fidei natura, quæ per se quidem Dei donum est, sed in nobis nunquam debet esse inanis & destituta testimonio bonorum operum. Itaque à posterioribus, hoc est, ab operibus, de hac nos iubet pronunciare.

Arg.c.2.

Propositio.

Loci prioris propositio est, Piis in primis est curandum, vt sine personarum respe-

ctu, amplectantur pia dilectione cuiuscunque fortunæ homines in conuentibus sacris. Partes illius sunt, Propositio, propositionis illustratio per ὑπόδειγμα, κατάστασιν, ὑποφορά, & cōclusio. Nos tamen ad ista duo respiciemus, hoc est ad propositionem, & propositionis argumenta.

Partes.

Vers. 1. *Fratres mei.*

Locum hunc contra προσωποληψίαν orditur à propositione. Pij sine personarum respectu omnes fideles cuiuscunque sint fortunæ, fraternè complecti debent in cœtibus publicis. Vocatur προσωποληψία, cùm res æstimatur ex habitu externo, vt si sint diuites, potentes, nobiles, formosi: aut contra, pauperes, rustici, &c. Sententia igitur est, Non oportere pios his rebus externis aliquid tribuere cum paupertatis ignominia: cùm pauper perinde excellat fide atque ille personatus diues.

προσωποληψία quid sit.

Rationes propositionis sunt ex contextu. Primùm quia Christiani sunt fratres, quę compellatio habet per se quandam conditionis ęqualitatem. Itaq; non debent respectum habere personarum. Huc facit vocabulum ἀδελφοί: Dicuntur enim ὁμογάστριοι, vterini, & δελφὺς Græcis est vterus, & ἀδελφοί, quasi συνδελφοί dicuntur, h. e. ὁμογάστριοι vel ὁμόδελφοι: nam particula α, habet vim similitudinis in hac compositione: idem est quod ὅμοιον. Sic Latinis frater dicitur quasi ferè alter, quod & ipsum similitudinem quandam & æqualitatem significat. Abesse igitur debet in Christianis προσωποληψία.

Altera est ratio, quia pij vnius & eiusdem Domini sunt serui, scilicet, Christi Iesu, quem hîc allegat vt Dominum. Igitur dominium hoc perinde ad diuites, atque ad pauperes pertingit, & eo respectu, pauper non debet contemni, respectu diuitis, in Christo. Tertiò & Dominus hic gloriam suam pari sorte suis piis communicat: igitur in Christo non plus debet valere diues, quàm pauper: sed is cuius præstantior fuerit fides. Quartò ab authore fidei. Christus eius author est, hoc est, est donum Dei: Igitur in illius æstimatione non debet præferri diues.

Cur personarum respect° damnetur.

Vers. 2. *Si enim ingrediatur.*

Propositionem illustrat casu, h. e. exemplo, quod fieri poterat, quasi iam factum: huius exempla Græcis dicuntur ὑποδείγματα. Est in hoc casu elegans antithesis: opponit enim diuitem pauperi, ac diuitē depingit à coniunctis, *aureo est ornatus annulo, vestitus splendidus est.* Hinc cognoscitur diues. Contrà pauper à lacera cognoscitur veste: atque hæc mouent oculos ad prærogatiuam concedendam diuiti, ac contrà contemptum pariant pauperi coram mundo.

Vers. 3. *Et respexeritis ad eum.*

Factum narrat, quod apud Iudæos solebat ex hac fortunæ diuersitate nasci, scil. vt moti diuitis persona, darent illi primatum in conuentibus, sed cum ignominia pauperis, quod vitiosum est. Hinc sequitur μίμησις: imitatione enim exprimit voces, ac gestus eorum qui pietatem æstimant ex diuitiis ac vestitu personæ, non autem ex fide. Molliter ac blādè alloquuntur diuitem, Σὺ κάθου ὧδε καλῶς *sede tu hîc molliter. ia gnad herr sizendt hie furhen.* Contrà pauperē alloquuntur duriter, Σὺ στῆθι ἐκεῖ. In quibus obserua antithesin locorum: nam honestissimus in cœtu locus tribuitur diuiti etiam impio: contrà ignominiosissimus locus tri- buitur pauperi etiā pio, & honesto viro: in qua re lęditur iustitia distributiua, quę inęqualib. inęqualia tribuit, sed piū iuberet prę ferri impio præsertim in cœtibus piorum.

Vers. 4. *Et non diiudicati estis intra vos.*

Infert exposito exēplo, grauiter illos peccare in suis conuentibus. Διακρίνειν accipio κατακρίνειν eo sensu, ac si dicat, Nō pudet vos tam sinistri iudicij: nonne damnat vos propria cōscientia, qui plus moueamini externa illa larua, quàm vero interno pietatis indicio? Hinc ab effectis argumentatur. κριταὶ dicuntur qui pronuntiant de causa, iudices. Vis argumēti est, Iudicia vestra impia sunt: ergo causa quoque impia est, ex qua iudicia illa promanant, quæ est προσωποληψία.

Mali effectus malam oportet esse causam.

Vers. 5. *Audite fratres mei dilecti.*

Redit ad argumentationem, ac vrget eos tacita quadam confessione. ac sit hoc ordine sextum argumentum repetitum à relatiuis: fratres estis in Christo omnes dilecti: ergo eodē amore debetis pauperem ac diuitem complecti: id cùm non præstetis grauiter peccatis.

Septima ratio est à diuina ordinatione, qua conuincit eos rei confessione. Vos scitis quòd Deus pauperibus promiserit regnum cælorum, eósq; diuite quadam vena ornarit, fidei præstantia. Itaque his non præferendi sunt diuites, quia diuites sunt. Hanc promissionem vide Matth 5. vers. 3. Et simili argumento vtitur Paulus 1. Cor. 1. vers. 26. In argumento obserua antithesin: nam in pauperibus quidem fatetur fortunam coram mundo abiectam: sed illam compensat præstantia donorum, spiritualium, quæ verè bona & absoluta sunt dona.

Octaua ratio addita est, quia regnum cælorum pertinet ad eos qui diligunt Deum: at hoc præstant pauperes magis, quàm vestri illi diuites: ergo horum respectu non sunt contemnendi pauperes.

Vers. 6. *Vos autem contumelia.*

Illatio est, semel ex superioribus concludens illos grauiter peccare, qui in suis conuentibus, fidē æstimant ex illo externo habitu, quia iudicium hoc cōiunctum est cum pauperū ignominia. Hinc formetur igitur nouum argumentum. Quicquid coniunctum est cum piorum ignominia, id in cœtibus piorum ferri non debet: sed illa vestra προσωποληψία talis est: ergo non est ferēda.

Decima hîc quoque habetur ratio ab his, quæ vt plurimum eueniunt. Ac argumentum vrget interrogatione, quia confessionem habebat à communi experientia. Nam semper diuites magis sunt molesti pauperibus, quàm contrà. Diuexāt eos exactionib. in emendo, ac vendendo, circunueniunt eos, cùm non sunt soluendo, ad tribunalia trahunt, in ecclesia quoque Christi semper tyrannidem affectarunt, & eam assequuti miserè tractarunt pauperes.

Vers. 7. *Nonne isti blasphemant.*

Aliud argumentum, diuitum mores altiùs depingens. Non solùm piis semper fuerunt molesti in Ecclesia, sed impedimento quoque pietati, quam blasphemant, seu peierando, seu prauis moribus, maléque viuendo, vt propter eos pietas malè audiat apud alios. Atque illa argumēta vim habent probabilem, quia ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ solet ita accidere. Interim sæpe diues pius est, ac contrà, pauper impius. Ideo pro loco ac tempore talia argumenta sunt adhibenda.

Vers. 8. *Si legem perficitis Regiam.*

Hactenus argumentosa fuit oratio: nunc modicum respirat, ac cōsiderat quid in hoc negotio opponi possit. Itaq; hæc verba accipio tānquam ὑποφοράν. Nam illi dicere poterant: Nos bono fine honoramus diuitem, tāquam à Deo honoratū, & quem debemus ex vi Legis de dilectione proximi amare, vt nos ipsos. Lex regia accipietur pro dilectionis lege, quę rectè dicitur regia, quia illi debetur principatus, ac Christus etiam illi primatum tribuit Mar. 12. v. 30. Matth. 22. ver. 34. & Rom. 13. v. 8. Galat. 5. v. 14. Hoc quidem concedit Apostolus pium esse, si quidem res se ita habeat, καλῶς ποιεῖτε, quasi dicat, approbo causam quam affertis, modò non sit fucata: ideo conditionaliter dixit, Si perficitis legem regiam, quasi dicat, mihi secus videtur, vtvt vos causam hanc pallietis. Lex Regia quo sensu dicatur.

Vers. 9. *Si verò personarum respectum.*

Contrarij exceptio: quasi dicat, Vos quidem illud dicitis: at hoc mihi videtur probabilius: Laboratis personarum respectu, ergo peccatis, & lex dilectione contra vos tota stat. Est argumentum hoc duodecimū, ac violentum. Nam quod pro se citabant, contra illos torquet, hoc modo, Lex dilectionis commendat vobis proximum, vt teipsum: ac pauper quoque proximus est, non solùm diues: ergo pauper perinde amandus erat ac diues: quod cùm negligatis, rei estis legis istius. Lex dilectionis proximi nomine etiam pauperes nobis commēdat.

Vers. 10. *Quisquis enim totam legem.*

Ratio prioris argumenti à connexione totius legis, quæ sic est vnita, vt nulla particula sine aliarum legum violatione, possit violari. Ex quo etiam illud efficitur, non iuuare vos, vtvt videamini legis boni obseruatores, quia in legem regiam hoc casu impingitis, Qui vnam violat, totius legis est reus. copulatiua enim tota est.

Vers. 11. *Qui enim dixit.*

Rationis confirmatio, quæ sumitur à natura authoris. Vnus est totius legis author: ergo qui in vnam legis particulam, quęcunque tandem illa sit, peccat, is in ipsum Deum peccat: & ob id reus est totius legis non seruatæ.

Verſ. 12. *Sic loquimini.*

Illatio eſt,ergo vita ac mores accommodandi ita ſunt, vt ſecundum legem dilectionis poſſimus abſolui. Lex libertatis,eſt lex illa regia,& dilectionis regula, cui primatus debetur.Ita cap.1.perfectam legem hanc libertatis vocauit

Verſ.13. *Nam damnatio.*

Illationi annectit nouum argumentum,quod habet metum diuini iudicij. Sit argumentum hoc 13.Qui legem dilectionis fraternæ neglexerit, is ſeuero Dei iudicio damnabitur: at perſonarum acceptores legem hanc negligunt: Ergo, &c. Requirit enim Mat. 18. 27. Deus miſericordiam inter conſeruos, quam ipſe ſuo exemplo omnibus præſtat. Ideo immitis ille ſeruus,carceri adiudicatus eſt.

Additur nouum argumentum,ordine 14.*Gloriatur miſericordia aduerſus iudicium*:hoc eſt,nulla alia re nititur noſtra cauſa coram Deo, niſi miſericordia nuda, qua vna poſſumus gloriari.Ergo exemplo Dei, eadem impertienda pauperi. Videtur vis argumenti ab exemplo Dei,qui ſolet grauitatem pœnarum mitigare ingenti ἐπιεικείᾳ. Deinde admonet etiam nos hoc argumentum noſtræ conditionis, quia nulla habemus præſidia ſalutis extra miſericordiam Dei, quam nobis in Chriſto offert. Si rigore ſit agendum, iam tota cauſa decidimus. Itaque rectè inquit Dauid, Domine ne intres in iudicium cùm ſeruo tuo. Hæc conſideratio vtilis eſt ad deprimendum ſupercilium, quoties homines contendunt de dignitate operum ſuorum coram Deo.

Verſ.14. *Quæ eſt vtilitas fratres mei.*

De fide mortua.

Sequitur altera pars capitis, de fide mortua ac inani. Continet autem grauiſſimam diſputationem,qua oſtendit ipſam profeſſionem pietatis per ſe minimè nobis prodeſſe:niſi hanc ipſam ſtudio bonorum operum ornauerimus. Qui enim iuſtitiam exercet, hic iuſtus eſt,vt ait Ioannes, non is qui de eadem plurimùm garrit. Huius loci propoſitio hîc ſtatuitur:cuius mens eſt,Profeſſio nuda ſuis bonis operibus ad ſalutem non ſolùm eſt inutilis,ſed etiam res per ſe inanis.Πίστις igitur hoc loco eſt ipſa nuda profeſſio Chriſtianiſmi,de qua multum gloriantur nonnulli: Opera autem non habere, eſt carere ſtudio & voluntate piè viuendi. Itaque obſerua iſta duo diuiſa eſſe, fidem ac ſtudium piè viuendi,quemadmodum hodie diuiſa ſunt,profeſſio Chriſtianiſmi, & honeſtè viuendi ratio. Illam etiam improbi Chriſtiani poſſident, hanc ſoli electi habent. De fide illa ſeparata à bonis moribus, duo prædicat. Primùm quòd ſit inutilis, ſcilicet rebus humanis: deinde quòd non iuſtificet. Nec enim proximo prodeſt, nec ſibi ipſi eſt ſalutaris.

Quomodo accipiendum ſit nomẽ fidei hoc loco.

Propoſitionem hanc informauit per interrogationem,ſignificans argumentum hic ab impoſſibili latere. Fieri enim non poteſt vt ſalus illa immortalis proficiſcatur à re tam inani,quæ nudo quodam titulo,ac vmbra potiùs nitatur,quàm rei ſolidæ natura, quaſi dicat: fieri non poteſt vt ſalus prodeat à fide,diſtincta à ſtudio bene operandi. Oportet enim tanti boni cauſam perinde bonam,aut etiam meliorem eſſe.

Verſ. 15. *Quod ſi frater aut ſoror.*

Hinc ſequitur iam propoſitionis confirmatio plenior: Eſtque ſecundum argumentum hoc loco conſtituendum, quod ducitur à pari virtute, hoc pacto:Liberalitas ſi nudis conſiſtat verbis, ſine operibus ſuis, certè nemini prodeſt, eritque inane potiùs idolum virtutis,quàm virtus.Sic igitur æſtimandum quoque eſt de fide quæ nuda conſiſtit profeſſione,ſtudio bonorum operum carens.

Verſ.16. *Dicat autem ei aliquis.*

Μίμησις eſt,qua exprimit ſermones diuitum,qui ore quidem liberales ſunt, re autem tenaces & inclementes erga pauperes.

Verſ.17. *Sic & ipſa fides.*

Applicatio eſt argumenti ad rem præſentem. Applicat autem ad certam fidei ſpeciem, hoc eſt, ad nudam illam profeſſionem, quæ dicitur fides quadam conceſſione, quia ſic de ea loquuntur hypocritæ:quemadmodum mortuus dicitur homo, cùm potiùs ſit cadauer: & id in pariete pictum dicitur Cæſar, cùm illius quædam ſit vmbra & imago vita carens & imperio. Ideo mortuam hanc eſſe fidem dicit, quia ſeparata eſt à voluntate ac propoſito bene operãdi. Ideo Syrus rectè cõuertit *mittha hi bal chodiha*: h.e.hæc ſola mortua eſt:ſignificans hîc non damnari fidem in genere,ſed præpoſterum hypo-

Cur mortua dicatur eiuſmodi fides.

hypocritarum iudicium, nominantium externam professionem, fidem, vt hodie symbolum Apostolicum vocamus fidem, eiúsque notitiam historicam. Aliud est fides in disputationibus Pauli ad Rom. Galat. & Ephes.

Vers.18. *Imò dicet aliquis.*

Tertia ratio est, quare professio pietatis sine studio bonorum operum damnanda sit. Antithesis est tacita: nam opponit duos inter se, vnum qui de professione gloriatur: alterum qui studium habet bonorum operum. Nunc quæritur vter meliùs suæ fidei τεκμήριον proferre possit. Dicit posterior, Tu fidem habes, concedo tibi: sed vnde hoc mihi persuadebis? Ego opera mea tibi offero, tanquam argumentum fidei minimè fictæ: tu nihil tale potes proferre. Nam fides cùm sit quiddam spirituale, debet habere aliquod κριτήριον: nam corpora quę sub sensum cadunt, sensibus diiudicantur qualia sint. At Fides non ita, sed habet sua κριτήρια à posteriori, hoc est, studium piè viuendi. Nam opera ex fide tanquam fonte promanant: nec impedit hoc quòd opera bona quoque sunt in hypocritis: non enim suis ob id fructibus spoliari debet Fides. Itaque argumentum est, Nullum adest piè viuendi studium: Ergo professio est inanis & inutilis ad salutem. Fidei κριτήρια à posteriori.

Vers.19. *Tu credis vnum esse.*

Quarta ratio ab insufficienti descriptione veræ Fidei. Nam illi Thrasones interrogati respondebant Fidem esse, credere in Deum, quæ formula est expressa in symbolo Apostolorum. At illa est etiam in dæmonibus. Latè itaque patet, nec solis piis quadrat: ideo falsa est descriptio: deest enim specifica differentia, scilicet, Res ad salutem nostram sperandæ: hoc est, confidentia, qua sibi applicantur promissiones de Christi merito: id quod dæmones non possunt. Additum est hoc loco contrarium argumentum à metu pœnarum: Credunt hæc omnia dæmones, interim horrescunt: Ergo illis Thrasonibus potiùs metuendum est Dei iudicium, quàm speranda salus ex professione nuda.

Vers.20. *Vis verò scire.*

Aditus ad quintam rationem. Notat iterum Thrasones istos, qui gloriantur de nuda professione. Vanos vocat, hoc est, inanes, alludens an vasa vacua, quæ crepitant & strepunt plus quàm illa, quæ plena sunt. Ita garruli sunt hypocritæ, plus quàm piè viuentes.

Vers.21. *Abraham pater.*

Quinta ratio ab exemplo Abrahæ, cuius fides non fuit nuda professio, sed operibus ipsis fuit confirmata. Ergo ea ratio in omnibus piis debet valere. Valet argumentum ab vno exemplo ad totam & vniuersalem regulam, quia in Abrahamo idea iustificationis fuit proposita. Vide Genes. 22. Porrò iustificare hîc est, iustum intelligi ex posteriori: & quia hoc præstitit Deo, hinc cognitus est verè illi credere.

Vers.22. *Vides quòd Fides.*

Applicatio argumenti ad rem: ac obserua fidem, respectu operum esse causam antecedentem, ipsísque operibus vnitam, causam esse adiuuantem, αἴτιον συνεργόν, hoc est, sine qua, opera bona Deo placere non possunt. Contrà opera consequentia esse fructus Fidei, quæ eandem Fidem expoliant, & in dies magísque perficiant. Habet enim Fides suos gradus per quos etiam opera crescunt, simúlque & Fides & opera crescunt. Imperfecta dicitur Fides quæ occasionem bene operandi non habet, eadem præstita occasione dicitur perfici Fides. Opera consequentia Fidei.

Vers.25. *Et impleta est scriptura.*

Deducit argumentum hoc ad primum est fontem, hoc est, ad fidei historiam, quæ Genes.15.v.26.22.v.1. Vide locum ad Rom.4.v.3. Galat.3.v.6. Fides imputata est illi ad iustitiam: quia Dominus boni consulit operum imperfectionem, modò animus in Deum candidus sit. *Et agnitus est Dei amicus*, scilicet à posteriori, ex splendido illo facinore, quòd in gloriam Dei paratus esset etiam Isaacum immolare.

Vers.24. *Videtis igitur.*

Illatio est: concludit enim semel rem propositam. Ex operibus iustificari accipio declarari hominibus & pronunciari talem. Nā non aliud habemus κριτήριον diiudicādi

de natura Fidei, quàm ex actis ipsis: vt enim fortem ex factis fortibus iudicamus, sic iustum ex iustis actionibus: sic fidelem & pium ex piis & fidei operibus. Sola Fide dicimur iustificari: contra est, nuda professione nominis Christiani velle fœlicitatem assequi, quod Apostolus rectè vt absurdum reiicit.

Vers. 25. *Similiter & Rahab.*

Sexta ratio similiter ab exemplo ducta. Historiam vide, Iosuæ 2. ver. 1. Dicitur πόρνη, scortum. Ita septuaginta interpretes quoque verterunt, vt hoc loco Iacobus, & Heb. 11. v. 31. dicitur quoque πόρνη Hebræis *zonah* dicitur, quam vocem Syrus quoq; retinuit. Hebræi interpretes interpretantur ambiguè: dicunt enim hanc vocem significare & scortum, & hospitam: Ideóque fere omnes interpretantur *punede chitha*, hoc est hospitam. Sed Spiritus sanctus in aliis linguis non ambiguè πόρνην nominat.

Vers. 26. *Vt enim corpus.*

Septima ratio à comparatis. Vnde fit argumentum à proportione, in qua quatuor termini collocatur: vt enim spiritus se habet ad corpus, sic opera ad fidem: sed spiritus corpori subtractus cadauer relinquit: Ergo opera quoque à fide seiuncta, cadauer fidei relinquunt, quod est vmbra & idolum fidei, nihil in se viuidi cōtinēs. Hactenus nuda analysis huius loci. Diffusiorem disputationem alibi require.

CAPVT III.

Cap. 3. argum.



Equitur locus alius, non minùs quàm superior vtilis, ac necessarius, hoc est, de moderatione linguæ, quæ Christianis in primis est necessaria, ne in aliis censendis plus iusto occupentur, interim suorum vitiorum sint immemores. Hinc transit ad locum generalem, de professione ornanda, vita ac moribus. Itaque duo hic explicantur. Primùm enim linguæ tam moderatæ quàm immoderatæ recensentur, tum commoda, tum incommoda. Deinde veram esse hanc ac cœlestem sapientiam, quæ non tam verbis, quàm vita ac moribus philosophatur.

Prior locus tractatur propositione, confirmatione, ac conclusione. In confirmatione sunt argumenta illustria à comparatis. Nam à re equestri & nautica illustres affert similitudines. Item à natura ignis, vt vim nocendi in lingua effræni demonstret. Locus communis est de commodis & incommodis linguæ, de quo inter locos communes est agendum. Hesiodus illustrem habet linguæ commendationem τῆς κατὰ μέτρον ἰούσης: cuius versus sunt,

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Εἰ δέ τι κακὸν εἴπῃς, τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Hunc locum in præsentia Iacobus more ethico tractat, & pios à vitio garrulitatis dehortatur.

Vers. 1. *Ne sitis multi præceptores.*

Orditur à propositione: quod Iacobo nostro est familiare. Sententia est, Pij in primis cauere debent, ne de aliis nimium censendi ius sibi vsurpent, suorum interim obliti vitiorum. Multos igitur doctores accipio, tum illos qui docēdi munus sibi sumebant, tum eos qui de aliis facilè iudicāt: sunt enim vicina, & vt plurimùm qui docendi munus affectant sunt loculei, dicaces & seueri in alios censores. Discant igitur hic primùm adolescentes, damnari præposterum docendi studium: contra quos clamat Ieremias in persona Domini, Currebāt, & ego non misi eos. Et Apostolus 1. Tim. 3. ver.

Ier. 23. 21 3. priùs iubet eos probari, hinc demum ministrandi concedit potestatem. Deinde censoria illorum potestas corrigitur, qui quiduis de aliis pronunciandi ius sibi sumunt, interim manticæ à tergo probè sunt immemores.

Scientes quod maius iudicium. Propositionis sequitur ratio. Itaque seruetur hic confirmationis robur: hoc est, quibus & qualibus argumentis rem confutet. Ait enim contra ambitionem vel etiam contra obtrectandi studium.

Prima ratio. Prima ratio sumitur à metu diuini iudicij, in quod incident isti censores & doctores seraphici. Maius iudicium accipient, hoc est, grauiùs punientur, cùm iam priùs iudicandi sint ob naturæ commune vitium: attamen hoc crimine aggrauabitur iudicium illorum. Obserua igitur nos omnes iudiciū aliquod subituros: grauissimum autem, si rigidi simus aliorum censores. Grauius autem erit, quia non vocati accedunt ad docendi munus: Deinde quia ab his auditorū sanguis requiretur. Ezech. 3. v. 18. Locutule

verò eo nomine grauiùs iudicabuntur, quia in suis cæci sunt, in aliorum verò peccatis æstimandis lynceos habent oculos.

Verſ.2. *In multis enim labimur omnes.*

Secunda ratio à facilitate labendi, quæ nobis alioquin naturâ inhæret: quasi dicat, Alioquin facile est nos errare: Ergo in docendi munere erit multo facilior lapsus. Si extra lapsus est facilis, quanto erit facilior in tam arduo munere? Quod igitur dicit, omnes in multis labi, refero ad simplicem hominis conditionem, etiamsi sit priuatus, & inter auditores malit consistere, tamen lapsus non euitabit: Ergo minùs effugiet in tanto officio, aut in tam prępostero iudicio de alijs: vtique hic maior erit lapsus.

Si quis in sermone. Tertia est ratio à natura contrarij. Loquacitati opponit moderationem linguæ: atque hanc virtutem commendat, vt ab opposito vitio dehortetur. Certum enim est quod habet Solomon Prou. 10. In multitudine verborum, non cauetur iniquitas: ideo pressi labia laudem habent. Dicitur vir perfectus taciturnus, quia minimè nocet tum alijs tum sibi, éstque perfectioni proximus. Frænare totum corpus alij referunt ad totam Ecclesiam: sed potest ad priuatam personam etiam referri, quia moderata lingua suam personam, fortunásque optimè tuebitur, cùm è contrario loquacibus eueniat, quod dici solet, Α᾽χαλίνου ςόματος τέλος δυςυχία.

Tertia.
Eccle.14.
1.19.16.25
11.

Verſ.3. *Ecce equis fræna.*

Quarta ratio à comparatis. Equos ferocissimos fræno régimus, eósque obsequentes facimus, adeo vt in circulum flecti possint perfacilè. Ergo sic quoque moderanda est petulans lingua. Hinc dicitur ἀχάλινον ςόμα, os impudens & sine fræno, quod in quosuis quæuis effundit, non minùs quàm equus petulans.

Quarta.

Verſ.4. *Ecce & naues.*

Quinta ratio est à re nautica petita. Nam gubernaculo maxima nauis, contra quasuis ventorum procellas regitur, & in cursu retinetur: Ergo eodem modo in vita humana, regenda est lingua, ne obsit alterius famæ. Argumentum ostendit linguam oportere esse conseruatorium quiddam & προφυλακτικὸν, non autem φθαρτικὸν, vt est apud nautas gubernaculum, quo si nauis euerteretur, certè nemo retinendum putaret, sed in mare præcipitandum. Sic de lingua omnino est iudicandum. Sit igitur bonum gubernaculum in humana vita.

Quinta.

Verſ.5. *Sic & lingua.*

Πρόςαπόδοσις est: applicat enim superiores similitudines ad suum institutum. Lingua sua quidem natura membrum est pusillum: at multa sibi præsumit, quasi dicat, potens est ad concitanda mala, nam in hoc gloriatur in primis lingua petulans.

Ecce ignis modicus quantam materiam. Sexta ratio, qua linguam igni confert, Vt enim modicus ignis mox flammam concipit, & vastat ingentia ædificia, villas, vrbes, segetes ac syluas: ita lingua in primis studio nocendi valet. His connecto quæ sequenti versu pscribuntur: *Et lingua ignis est*, & sequens cõma, *mundus iniquitatis*, accipio pro ὕλη in quam linguæ ignis in primis valet, quasi dicat, Totum mundum dissidiis perturbat lingua, & eo faciliùs, quòd mundus per se, habilis sit ad illa incendia concipienda. Est enim iniquitatis, hoc est, varijs morbis laborat, varia habet vitia, quæ lingua petulans facilè traducet. Secus esset, si mundus iustus esset, non enim admitteret linguę petulantis incendia.

Sexta.

Mundus iniquitatis.

Sic lingua est inter membra nostra maculans totum corpus. Malè certè sunt hîc distincti versus in hoc cap. distrahunt enim sæpe sensum. Hic igitur noua est periodus, adeóque nouum argumentum, ordine septimum Commemorat autem linguæ geminum damnum. Prius est quod totum corpus contaminet: hoc est, loquaces reliqua in se dona polluunt & reddunt contemptibilia. Corpus accipio pro persona hominis obtrectandi studio laborantis. Deinde hi ipsi vt plurimùm alijs quoque vitiis laborant: mendaces enim vt plurimùm sunt: in multitudine sermonis non potest abesse mendacium. Sic leues sunt, irritabiles sunt, inuidi sunt, superbi & arrogantes sunt: quæ vitia omnia, dicendi copia volunt palliare. Posterius est, quòd lingua improba inflammant cursum vitæ, hoc est, vitam quæ per se videri poterat honesta: hinc prodit loquacitas: & τρoχὸν γενέσεως accipio pro cursu vitæ, vt plenior sit sensus.

Septima.
Linguæ geminũ damnũ.

Et inflammatur ipsa à Gehenna. Argumentum est octauum, à causa efficiente ductum. Si enim quæras, vnde lingua ista viperea ortum habeat: rectè respondebit Apostolus

Octaua.

Iacobus à diabolo: sed nominat sedem & aulam Satanæ, pro ipso inhabitatore. Sic Dominus dixit, diabolum à principio fuisse mendacem, nec in veritate stetisse. Itaq; ille author est loquacibus quoque, vt illi libenter alios traducant. Sic poetæ fabulantur furias illas infernales, faces suas apud inferos in amne Periphlegethonte accendere, easque in terras proferre: vnde bellorum & dissidiorum nascantur mox seminaria.

Ioã.8.44.

Vers.7. *Omnis enim natura.*

Nona. Nona est ratio, quæ collatione ad alia animalia etiam ferocissima facta, ostendit linguæ improbitatem, eo quòd semper indomita permaneat, etiamsi leo, vrsus, panthera, drago, lupus, aquila, vultur, aliáque ferocissima quæque animalia cicurari possint. Cómemorat autē tres animaliū species, initio genere posito, quod est θηρίον. Sub hoc sunt cōprehensæ tres species: πετεινὰ, volatilia, ἑρπετὰ, quadrupedia, vel reptilia, & ἐνάλια, aquatica. Domātur, inquit, hæc omnia ab hominis industria. Hinc Imperatores Romæ sæpe leones, pantheras, vrsos, tygrides ad currus adhibuerunt. Sic volatiliū omne genus cicuratur, vt ad heri sui manum sæpe reuolét, accipitres, falcones, aquilæ, vultures. Ita quoq; marina monstra domantur, vt Delphinus agnoscit benefactoris vocē. Porrò ait non solùm domari, quod de experientia quotidiana dici potest, sed domitam esse eorum naturam, quod accipio de diuina lege, qua Deus hominē horum omnium dominum cōstituit: ac nisi accessisset peccatum, indubiè ista omnia homo haberet obsequentissima. Interim tamen quanuis per peccatum aucta sit in illis ferocia & inobedientia: tamen lex Dei mansit, vt dominium in has feras haberet homo.

Vers.8. *Linguam autem nullus.*

Noua est προσαπόδοσις, quæ improbitatem linguæ loquacis egregiè proponit. Linguam nemo potest domare. Subest tacita antithesis: Bestia ferocissima domari potest, at lingua nó potest: oportet ergo pessimum quoddam esse linguæ ingenium. Nam illa videbantur minùs posse domari, at domantur. Lingua autem videbatur faciliùs domari posse: at minimè domari potest. Leone igitur est ferocior, peior lupo, vulpe nequior, tygride truculentior, vulture rapacior.

Decima. *Plena est veneno mortifero.* Decima est ratio, cur vitanda sit garrulitas piis hominibus, quia lingua garrula est veneno plena, quod ipsum quoque est lethale. Ducitur ratio à vi nocendi. Qualis vis est in veneno & animalibus venenatis, vt in scorpionibus & crocodylo, in basilisco, serpentibus venenatis, rabioso cane, aliísque mille: sic in plantis quædam sunt vi nocendi imbutæ, vt subitò vitam tollant, vt in cicuta videre est, in aconitis, in helleboro quoque, opio, scammoria, aliísque quæ vitam hominis lædunt, mox validiùs sumpta tollunt quoque. Tale venenum θανατηφόρον est sub lingua obtrectatoris: quod Scriptura quoque testatur Psalm.13. & 40.v.4. venenum aspidum sub labiis illorum, quod citat Apostolus Rom.3.v.13.

Vers.9. *In ipsa benedicimus.*

Vndecima. Vndecima ratio collationum vsus ac abusus continens: contrariorum enim est collatio. Vsus est benedicere Deo Patri: h.e. illum in suis beneficiis ac operibus laudare. Abusus autem linguæ est, quod eadem lingua execramur homines, qui ad imaginem Dei conditi sunt. Respicit ad historiam creationis, in qua scribitur, Deum condidisse hominem ad suam imaginem & similitudinem: in qua violatur ipse architectus Deus. Itaque lingua pessimum est organum, vt quod cōtrariorum est effectrix, quod alioquin natura rerum abominatur.

Vers.10. *Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio.*

Illatio est gemina. Prior ex argumento colligit linguam esse causam contrariorum effectorum: altera est πόρισμα infert, Ergo fugiendum est malum.

Vers.11. *Num fons ex eodem.*

Duodecima. Duodecima ratio à simili. Fons non fundit dulcem & acidam aquam eadē scaturigine: ergo ne linguæ quidem hoc permitti debet. Videtur argumentū ab absurdo duci, q.d. hoc pugnare cum vera natura. γλυκὺ est potabilis aqua, vt fontium & fluminum. πικρὸν acida aqua, potui non perinde apta, aut fortè acidula, *surbrunnen.* Πηγὴ fons & scaturigo. Sic Aristoteles ait terrā cōtinere multas πηγὰς, id est, fontes vētorum, ignis & aquæ. Cui cōuenit verbum βρύειν. est enim βρύω sensim accresco, bullio: hinc Embryo dicitur: & hinc βρύειν est scatere, vt Galenus inquit, ἄλλοις ἰατρὸς ὢν, αὐτὸς ἕλκεσι βρύει: cum aliorum sit medicus, ipse vlceribus scatet.

Vers.12.

Verſ.12. *Num poteſt fratres mei fieri.*

Alia ſimilitudine ſuperiorem confirmat: vt enim arbores ſingulæ in ſua ſpecie manent, in qua fructum proferunt, nec alterius ſibi fructum ſumunt, ſic fons eadem aqua ſemper ſcatet: Ita linguæ etiam eſt ſimplicitate vti in omni ſermone. Obſerua hic certum aquæ genus, ἁλικόν, hoc eſt, marinum, minime potui aptum. Vide in Mat.7.

Verſ.13. *Quis ſapiens & ſciens.*

Secunda pars eſt capitis, in qua locum reducit ad generalem propoſitionem, de profeſſione ornanda vita ac moribus. Propoſitio igitur hic ſtatuitur epiſtolæ. Vera & cęleſtis ſapientia eſt, profeſſionem Chriſti innocentia vitæ, ac ſtudio bonorum operum ornare. Vrget autem eos inſtanti interrogatione, *Quis ſapiens eſt & ſciens inter vos?* quaſi dicat, Quem titulum omnes quęritis, vultis omnes ſapere & videri ſcientes: ecce dabo vobis ſapientiæ materiam, in qua exerceatis vos vtiliter. Obſerua hic ſapientiam dici, iudicium illud ac æſtimationem rectam de innocentia vitæ, vt ſup.cap.1.ſanum iudicium de cruce vocauit ſapiẽtiam, quæ à Deo ſit impetranda. Huius ſapientiæ materia obiecta, eſt vitæ innocentia, quam vocat καλὴν ἀναςροφὴν, piam cõuerſationem. Forma autem diffunditur per καλὰ ἔργα, h.e. per omne genus bonorum operũ. Propria autem actio eſt, omnia manſuetudine quadam adminiſtrare. Nam in hac palæſtra occurrunt multa acerba & hoſtilia, in quibus omnibus ſeruabit decorum, hoc eſt, manſuetudinem, hoc eſt, vt nunquam impatientia animus frangatur, nec Deo obmurmuret, vel etiam proximo indignetur. Quid ſapientiæ nomine hic ſignificetur.

Verſ.14. *Quòd ſi inuidiam.*

Præoccupatione obiicit ipſis quod verè illis poterat dici, ſcilicet quod non ſapientia eſſent præditi, quemadmodum tamen gloriabantur: ſed potiùs contrà inuidia, aliiſque contrariis veræ ſapientiæ vitiis. Hoc dato, infert nouum pręceptum, non velanda eſſe vitia virtutum nominibus. Gloriari contra veritatem, accipio pro palliare vitia aliquo titulo honeſtatis, quod nihil aliud eſt, quàm palàm mentiri contra veritatem. Sic locutulei ſeſe venditabant eloquentiæ titulo, tetrici cenſores nomine diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cenſuram rigidam palliantes nomine ſapientiæ cæleſtis. Gloriari cõtra veritatem quid ſit.

Verſ.15. *Non eſt illa ſapientia.*

Διάκρισις eſt veræ & falſæ ſapientiæ. Locum propoſuerat, ſapientiam conſiſtere in vitæ innocentia, quæ eluceret per bona opera in communi conuerſatione: ſed quia illi ſua vitia ſapientiæ titulo palliabant, nũc diſtinguit illud totum, ac duas facit ſapientiæ ſpecies, quarum vna cæleſtis eſt, altera terrena. Priorẽ illis negat ineſſe, poſteriorẽ verò concedit, ac vtranque depingit à veris cauſis, & propriis fructibus. Illa prior quæ rectè iudicat de ſtudio bonorum, cæleſtis eſt, hoc eſt, Deum habet authorem: poſterior illa veſtra terrena eſt, hoc eſt, diabolũ habet authorem. Deinde eſt ψυχικὴ, animalis, hoc eſt, in rebus diuinis cæca & ſtupida, vt homo animalis eſt. 1.Corinth.2. cum ſuis facultatibus extra Chriſtum. Denique eſt δαιμονιώδης, hoc eſt, furioſa, vt dæmon inſanit & furit contra Deum creatorem ſuum. Obſeruent hoc præcones ſapientiæ naturalis. Veræ & falſæ ſapientiæ diſcrimen.

Verſ.16. *Vbi enim inuidia eſt.*

Διάκρισιν ſuam confirmat ab effectis, & mutat ordinem. Nam de terrena primò loquitur: hinc redibit ad illam cæleſtem, primo loco nominatam. Quod igitur ipſi terrenam habeant ſapientiam, inde conſtat, quia inuidi ſint, irritabiles, ſeditioſi, aliiſque malis operibus laborent. Argumentum ſumitur à poſteriori, habétque certum ſignum ſeu γνώρισμα de cauſa antecedente. Effectorum malorum oportet cauſam eſſe malam: ſed iſti fructus ſapientiæ veſtræ mali ſunt effectus: ergo ipſam ſapientiam veſtram malam eſſe oportet, hoc eſt, dæmoniaci ſunt motus intra vos, nec à Spiritu ſancto proficiſcuntur.

Verſ.17. *Quæ autem è ſupernis eſt.*

Iam alteram ſpeciem ſapientiæ illuſtrat, vt vel hinc conſtet, fucatos illos Chriſtianos, non habere veram Chriſti ſapientiam. Argumentũ habet enumerationẽ proprietatum verarum: ex quibus fit argumentum ad ipſam verã ſpeciem. Prima eſt ἁγνὴ, caſta, hoc eſt, innocentiam vitæ in primis tuetur, vt caſtus homo ſit corpore & animo: hoc eſt, nihil vel faciat, vel loquatur quo lædi poſſit caſtitas, vel in ipſo, vel in alio. Videat Veræ ſapientiæ proprietates.

hoc qui impudicè loquuntur coram iuuentute, interim de magna sapientia gloriantes. Deinde est εἰρηνικὴ, h.e. pacis studiosa. Sic Christus Mat.5.v.5. pacificos beatos prædicat. Sapientia autem in eo est, quòd cum piis & impiis etiam quoad fieri potest pacem colit, salua interim semper pietatis formula. Tertiò est ἐπιεικὴς, moderationis studiosa, & mitigationis in ferẽdis sententiis de aliorũ vitiis. Sic Deus ingenti ἐπιεικείᾳ mitigat iustitiæ rigorem in puniendis nostris vitiis. Quartò est εὐπειθὴς, facilis & tractabilis, credula, vt Paulus loquitur de charitate Christiana, libenter meliora credit. Quintò, plena misericordiæ operibus, qualia sunt beneficentia in pauperes, peregrinos, ægros, orphanos, & similia. Sextò plena bonis operibus: & extra beneficẽtiæ studium, patientia sub cruce, constantia in cõfessione, prudentia in declinandis periculis non necessariis, in docendi labore, vigilantia oratione, ieiunio, &c. Septimò est ἀδιάκριτος, hoc est, caret dubitatione in adoratione, in veri defensione non titubat, in amando proximo non hęsitat. Octauò est quoque ἀνυπόκριτος, h.e. nihil ficto & simulato animo facit, candida & aperta est, non aliud stans aliud sedens loquitur, non aliud in ore, & aliud gerit pectore clausum. Hæ notę sunt veræ sapientiæ cælestis.

Pacifici. Vers.18. *Fructus autem iustitiæ.*

Assumptio videtur esse generalis, qua applicat personis ea quæ hactenus de abstracto dixit. Pacifici autem hic accipiantur pro verę & cælestis sapientię studiosis, quæ nota fuit ordine secunda. His seminatur, hoc est, testimonium pietatis in hac vita, & post hanc, æterna vita, præmium compensatio omnium ærumnarum.

CAPVT IIII.

Ὑπόθεσις cap.4.



Pergit corrigere vitia alia qua in cœtus fidelium irrepserant, quales sunt contentiones, lites, obtrectationes, temeritas statuendi in futurum de rebus suscipiendis. In quibus omnibus reuocatos ad considerationem veram veræ causæ: scilicet quòd oriantur hæc omnia ex desideriis corruptis, quæ ipsa fluunt ex desidia & orandi negligentia. Cohærent illa superioribus, in quibus disseruit de linguæ proteruia, cui opposuit linguæ moderationem quæ summa est & cælestis sapientia. Itaque mala linguæ lasciuæ hoc etiam capite persequitur.

Propositio I. loci. Loci tres sunt. Primus de causa & origine contentionum, alter de obtrectationibus, tertius de sermonis præsumptione. Primi loci propositio est, appetitum immoderatum, & omnium contentionum fontem esse quàm studiosissimè vitandum omnibus piis. Partes sunt, πρότασις, ἐπεξεργασία, ἐπιτίμησις, συμπέρασμα. De his igitur iam ordine nobis est agendum.

Partes.

Vers.1. *Vnde bella & lites.*

Orditur à propositione quam instituit κατ᾽ ἐρώτημα: magis enim eos vrget, quasi rei notariæ confessio. Sensus enim est, Monstrabo vobis veram causam contentionum inter vos, quam ipsi probè scire debuistis. Quæstio igitur est de vera litium causa. Hãc promittit, & eam quidem minimè obscuram, sed ipsis probè quoque cognitam. Πόλεμοι & μάχαι sunt effectus hoc loco, ἐπιθυμίας, seu ἡδονῶν vt Apostolus loquitur. Ac rectè dicuntur πόλεμοι, quia τὰς πόλεις μὲ[illegible], hoc est, totas ciuitates ac cœtus vastant. Itaque hîc memineris damnari cõtentionum studium inter fideles, qualia sunt theologorum bella, quæ certè ad hanc ipsam causam rectè accõmodari possunt. ἡδονὴ, voluptas, est causa contentionum: ac dicitur ἡδονὴ, pro ἐπιθυμίᾳ vago appetitu pugnante cum recta ratione, quemadmodum dixit Plato, ἡδονὴ μέγιστον τῶν κακῶν δέλεαρ, voluptas malorum maxima inescatio.

Propositio simplex. Simplex igitur propositio est: Appetitus vagus quàm diligentissimè cauendus est omnibus piis. Ratio est ab effectis, quia est causa bellorum & litium, quæ per se piis sunt cauenda: ergo magis illorum causa est cauenda.

Altera est, quia vt malus dux, omnia nostra membra in seruitutem redigit. Id dixit Apostolus, quæ militant in membris nostris. Metaphora est ducta à re militari. Dicũtur duces militare, hoc est imperium tenere in suis militibus, quod nos propriè dicimus *kriegen*. Sic Apostolus hîc dixit, voluptatem militare in membris nostris, hoc est, illorum opera vt dux militum vtitur ad suum arbitrium. Itaque appetitus est dux, membra nostra sunt milites, quorum opera vtitur, imò abutitur ad suum arbitrium.

Militia est mala, legis membrorum contra Deum creatorem. De quo. Rom. 6. v. 13. & 7. vers. 23.

Vers. 2. *Concupiscitis.*

Ἐπεξεργασία est propositionis. Nam superiora verba illustrat perspicua enarratione. Recitat autem quid illi faciant, & quid contrà patiantur, quasi dicat, Magna quædam conamini & tentatis, sed mirificè vestro proposito frustramini Ex quo stultitia vestra detegitur ab ipso domino. Ἐπιθυμία hic pro voluptatum quouis illicito desiderio capitur. Argumentatur autem à confessis: *Desideratis & non habetis*, quasi dicat, Hoc ipso vos miseros & egentes, fatemini, quia semper desideratis alia. Est enim ἐπιθυμία absentium quodammodo appetitus, cùm vsus ac fruitio sit præsentium. Est igitur argumentum, Impares sunt facultates: ergo cauendus est appetitus: vel, appetitus indigentiæ ac paupertatis est argumentum, ergo cauendus. Hæc per æquipollentia repetit: *Inuidetis ac æmulamini, & non potestis assequi.* Argumentum est à fine frustraneo. Conatus qui ad finem optatum nō possunt perduci, irriti sunt, nec suscipiendi à vero sapiente. Tales vestri sunt, ergo, &c.

Ἐπιτυχεῖν est ad scopū pertingere, à quo errat iste vagus appetitus. His additur vera causa, *Quia non petitis*, hoc est, segniter oratis, non in nomine Christi, nec consentientes. De quo vide Matth. 7. Marc. 11. & Ioan. 15. Obseruetur igitur hic quoque causarum ordo. Primùm est libido malus dux. Nascitur illa ex incuria orādi. Hinc illi tam monstrosi effectus inter fideles, lites, & dissidiorum studia.

Vers. 3. *Petitis & non accipitis.*

Necessaria est præoccupatio: nam statim superius membrum poterant reprehendere: Non petimus? Imò studiosè oramus omnes: respondet ergo, Hoc ita quidem vobis in genere concedo, sed non vt oportebat, oratis. 1. Ioan. 5. v. 14. Itaque causa efficiens manet, ignorantia scil. rectè orandi. Hinc attexit etiam τελικὸν αἴτιον, cuius respectu ipsi petebant, & ob id, non rectè: vt scilicet possint luxuriari. Significat igitur eos quidem orare, sed singulos pro sceleribus suis Deo facere vota. Impudēria autem est summa, Deum fatigare precibus, quas ne coram homine ausis effundere: vt dum auarus Deum orat, vt fortunet illi suas vsuras, scortator Deum orat, vt potiatur sua amasia, sic per consequens alij scelerati Deo sua flagitia commendant, vt horum sit patronus ac fautor. Nō ea esse à Deo petenda quæ ad eius gloriam nō faciunt.

Vers. 4. *Adulteri & adulteræ.*

Hactenus proposuit, & seipsum dilucidè explicuit: nunc tertio loco sequitur grauissima increpatio, quam diximus ἐπιτίμησιν. Videtur autem instructa καθ' ἐκφώνησιν, quia improbitate illorum & crassa ignorantia commouetur Apostolus, vt Apostolica authoritate in illos inuehatur. Adulteri & adulteræ dicuntur more Scripturæ, omnes vtriusque sexus qui externa amori Dei preferūt. Sic Dominus Christus adulteram generationem vocat, Matth. 12. quo sensu & auari dicuntur idololatræ, Ephes. 5. Hinc eos iterum vrget confessis.

Sed petatur argumentū ex superioribus. Libido illa vagabunda, hoc est, appetitus ille efficit adulteros, hoc est, vt deserto Dei amore, rebus caducis inhæreamus: ergo & ille studiosè est vitandus.

Deinde nouum efficitur à pugnantibus. Mundi amicitia non potest consistere cum Dei amicitia. Igitur alterutra est deserenda: aut deserendus Deus vt sequaris mundum, vel mundus, vt sequaris Deum: nulla enim hìc communio potest institui, nullum consortium est Christi cùm Belial, nec potest quis duobus his dominis simul seruire. Atque id notorium debuit inter ipsos esse.

Vers. 5. *An putatis.*

Vrget eos etiam authoritate Scripturæ. Ac Scripturam accipio hìc pro veteris Testamēti aliquo loco, quisquis ille sit. Deinde πνεῦμα accipio pro corrupta naturæ nostræ affectione, quæ nos semper ad mala inuitat, quod dixit, πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ, ad irritationem inclinat: quò facit locus Gen. 8. figmentum cordis malum est à pueritia. Hunc sensum adhuc retineo in huius loci explicatione: ac sumo inde nouum argumentum à naturæ corruptione, quæ per se nos semper ad deteriora deducit, imò rapit. Igitur appetitus studiosè est vtiandus argumentum illustro ex loco Gen. 8. Scriptura veteris Test. Rom. 25.

Vers. 6. *Maiorem autem dat.*

Superius argumentum habuit metum à natutali corruptione: hoc iam habet con-

ſolationem à Dei clementia iuuentis noſtram infirmitatem in propoſito bono. Citat locum Prouerb.cap. 3. verſ. 34. quem citauit infrà Petrus quoque, 1.Pet 5.v.5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam:& Maria Luc.1. fatetur: Detraxit Dominus potẽtes de ſolio, & extulit humiles. Argumentum igitur hinc etiam ſumatur: Deus conatus noſtros bonos promouet & adiuuat: Igitur ſtudioſè his cupiditatibus eſt reſiſtendum.

Verſ.7. *Subiicite igitur vos Deo.*

Sequitur quartum propoſiti noſtri membrum, quod habet concluſionem. Vtitur autem oppoſitis membris, Deo obedite, & cõtrà reſiſtite Satanæ. Poſterius membrum habes etiam Epheſ.4. Addit argumentum à ſpe ſucceſſus. Eſt autem diabolus hic omnis illicitus appetitus, quem non Domini Spiritus, ſed caro dictat: hunc pellimus reſiſtendo.

Verſ.8. *Appropinquate Deo.*

Expoſitio eiuſdem ſententiæ mutatis verbis. Loquitur autem de vera pœnitentia, per quam ad eum redimus, & qua Deus dicitur ad nos quoque redire, quoties nos noſtra ſcelera corrigimus. δίψυχοι qui ſint, vide ſuprà cap.1.

Verſ.9. *Affligimini.*

Cõminatio eſt, qua nos ad ſeriam pœnitẽtiam vult incitare. Talis eſt Luc.6. Væ vobis diuitibus,&c.& paſſim apud Prophetas.

Verſ.10. *Submittite vos.*

Concludit tandem addito argumento conſolatorio, quale ferè fuit illud ver.6. Humilibus dat gratiam, niſi quod hic dicit exaltandos. Talis phraſis eſt, 1.Pet.5.v.5.

Verſ.11. *Ne obloquamini inuicem.*

Secũda pas huius cap. de obtrectandi ſtudio, quod à piis procul debet exulare. Propoſitio eſt. Pij ſummopere cauere debent obtrectationẽ. Id Apoſtolus dixit, *Ne obtrectatores ſitis mutui.* καταλαλεῖν eſt διαβάλλειν, κακολογεῖν. hinc καταλαλία, idẽ quod διαβολὴ, φιλοψογία, κακολογία, calumnia: qua alterius fama & innocẽtia lęditur. Sẽper hoc vitium extremè exoſum fuit apud ethnicos: ideo Chriſtiani idem procul eliminare debent.

Rationes contra καταλαλίαν.

Rationes cõtra hoc vitium ſunt, primò, quòd tollit fraternam vnionẽ: fratres ſanè decet cãdor & ſynceritas: hanc tollit καταλαλία: igitur vt peſtis fraternitatis cauenda eſt piis. Deinde quia hoc crimen pertingit ad ipſam legẽ, q.d. Calumniando proximum, calumniaris ipſam Dei legem de diligendo proximo: ſic quoque iudicãdo proximum, iudicas ipſam legem, h.e. damnas illam, κρίνεις, h.e. κατακρίνεις, dãnas quãtum in te eſt:& νόμος accipiatur pro regia illa lege, cui principatus debetur, h. e. lex dilectionis. hanc violas. Nam quod philoſophi de iuſtitia dixerunt, idem de charitate dici poteſt, Ἐν δ' ἀγαπεσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. Dilectio in ſeſe virtutes continet omnes.

Tertiò non ſumus conſtituti iudices legum Dei, ſed effectores: ergo incumbẽdum magis in praxim, non in calumnias. Sic dixerat ſup.cap.1. Non ſitis auditores ſermonis, ſed factores. Ita hîc prohibet iudicium de mente legis: ſed vult nos potiùs eſſe practicos.

Verſ.12. *Vnus eſt Legiſlator.*

Quarto loco à Legiſlatoris natura, quæ eſt ſeruare & perdere, hoc eſt, Cenſura de ſingulis nobis, non ad te & me ſpectat, ſed ad ipſum Deum authorem præcepti huius: Igitur noli calumniari. q.d. Tu Deus nõ es, ſeruare etiam non potes, ideo ne perdas quoque, quod facis calumniando. Quintò à natura hominis. Tu quis es qui iudicas alium? q.d. Tu perinde cẽſuris ſubiici potes, perinde miſer es: noli igitur aliena peccata ſolicitè nimium explorare, & tua celare. Apoſtolus ad Rom.14. eodẽ vtitur argumento, ex quo loco explicandus eſt hic locus: ἕτερον enim abſolutè poſuit, intelligens ἕτερον δοῦλον, qui ſtat, aut cadit ſuo domino, Has rationes ex Apoſtolo depromere licet hoc loco: quibus addantur ex Philoſophis, & natura conſimiles. Sed pertinet id ad locos communes.

Verſ.13. *Age nunc qui dicitis.*

Non eſſe temerè pronunciandum de futuris.

Tertius locus capitis, de præſumptione & temeritate loquentium de futuris conatibus. Propoſitio eſt, Pietatis eſt Chriſtianæ de futuris ſic loqui, vt ſemper adhibeatur Diuinæ voluntatis honorifica mentio. Hãc Apoſtolus proponit κατὰ μίμησιν: nam imitatur mores & genus dicendi, quo ſuperbi & arrogantes diuites vti ſolent, ac totum accommodat ad mores mercatorum, ac ſimilium diuitum. Illi enim ſic loqui ſolent, Proficiſcemur in hanc vel illam vrbem, degemus illic anno toto, mercabimur, ac rem faciemus. Hic mos eſt diuitum ac mercatorum: ſed intelligamus ad nos omnes pertinere, ne quid præſumptuoſè hîc loquamur.

Verſ.14.

Verſ.14. *Qui non nouiſtis.*

Rationes ſequuntur, quibus nos ab illa temeritate dehortatur: ac primum ab incertitudine craſtini temporis, quod omnem noſtram notitiam ſubterfugit: ergo non oportet de eò præſumptuosè pronunciare. τὸ τῆς αὔριον dicitur ἀσύστατον, hoc eſt, temporis illius incertitudo, natura fluxa.

Deinde à vitæ noſtræ vanitate addit argumentum, quaſi dicat, non ſolùm noſtra notitia non capit temporis illius incertitudinem in futurum: ſed natura ipſi quoque tales ſumus, vt vanitati mille modis ſubiecti ſimus: ideo ſimilitudinem valde aptam adhibet.

Vapor eſt vita noſtra. Dicitur ἀτμὸς vaporè terra exhalans, qui interdum euaneſcit in ipſo exortu, adeo vt tempeſtatum metum totum deleat: Hanc miſeriam humanæ naturæ, paſſim ethnici ſcriptores agnoſcunt & deplorant. Pindarus in Pyth. emphaticè hanc exprimit, Ἐφήμεροι τί δέ τις; τί δ᾽ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι, hoc eſt, Diei vnius homines: quid eſt aliquis? & quid eſt nullus? vmbræ ſomniū homines: & in Olymp. inde nos vocat ταχύτολμον ἀνέρων ἔθνος, h. e. virorum genus obnoxium morti veloci. Apud Ariſtoph. aues noſtram miſeriā depingunt, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι, perſimiles, inquiunt, ſunt foliorū generationi: πλάσματα πηλοῦ, figmenta luti σκιοειδέα φῦλα, vmbratiles cœtus, ἐφήμεροι, vnius diei res, ταλαίπωροι βροτοὶ, miſeri homines, ἀνέρες εἰκελόνειροι, viri ſomniis ſimiles. Hanc miſeriā & vitę incertitudinē deplorant alij quoq;, vt Plinius libro 7. in præfatione, & c.7. eiuſdē libri Anacreonti tribuitur illud, πόθεν εἰδῆς ὅμως τὸ μέλλον, ὁ βίος βροτοῖς ἄδηλος. Vnde ſciemus futura? vita hominibus incerta eſt. In his igitur cogitationibus ſępe occupemur & ſupercilium ſupprimatur in natura noſtra ſatis arrogans. Apud Euripidem, inquit Pheres, τὸ δὲ ζῆν σμικρὸν, ἀλλ᾽ ὅμως γλυκύ: ſignificans dulcedinem vitæ nobis amicam, cui ſemper opponi debet breuitas, & illa quidem ſemper incerta.

Verſ.15. *Pro eo quod dicere.*

Corrigit præſumptionem ſermonis, addita clauſula pietatis, *Si Dominus voluerit.* Conditionaliter igitur loquendum eſt. Sic Act.18. Reuertar ad vos, ſi Dominus voluerit, loquitur Paulus, & 1.Cor. 4. Veniam ſi Deus voluerit: & Rom.1. Si mihi proſperum iter contingat ad vos per voluntatem Dei. Hæc moderatio pietatem decet, & dictat hanc quoque recta ratio. Inde Socraticum illud, ἀπὸ τῶν θεῶν ἄρχεσθαι καὶ ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ, καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος. Quod ipſum facit in ordinanda Repub. & Alcibiadem iubet dicere, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, ſi Deus voluerit. Potemus igitur Chriſtianam pietatem hoc in primis exornare, vt lingua caſtè & modeſtè ſtatuamus in futuris conſiliis noſtris. Turpe certè eſt Socratem in hac re plus ſapere ſine Chriſto, quàm nos Chriſto conſecratos & initiatos.

Verſ.16. *Nunc autem gloriamini.*

Opponit honeſtæ & pię formulæ illorum corruptam & præſumptuoſam loquendi formam. Inſunt autem hîc duo argumenta. Ordine tertium eſt, Forma veſtra in loquendo eſt ἀλαζονεία, hoc eſt, arrogantia minimè ferenda. Ergo erit deinceps vobis illa cauenda. Eſt enim ſua natura vitium intolerabile inter bonos ἀλαζονεία. Quartum eſt, Arrogantia iactabunda. Καυχᾶν in ſcelere, vitium eſt vitio addere: At vos gloriamini in veſtra formula: vitioſiùs igitur erratis. Aſſumit mox maiorem, *Omnis talis gloriatio eſt vitioſa*, hoc eſt, in peccato gloriari, hoc demum eſt peſſimum gloriandi genus.

Verſ.17. *Igitur qui nouerit.*

Illatio habens expreſſionem tacitæ obiectionis. Dicere enim poterant: Scimus Dei voluntatem præponendam eſſe, ideo in ſermonibus noſtris hanc ipſam intelligimus præſupponendam. Reſpondet Apoſtolus: At hoc cauſæ non ſatisfacit: nam ſcientia maius efficit peccatum, niſi ſecundum id quod ſcimus vixerimus & loquamur. Peccatum igitur erit tum apud auditorem, qui nos temeritatis arguet ex ipſo ſermone, cùm neſciat quid tu in pectore clauſum habeas, tum apud Deum qui requirit factores ſuæ voluntatis, non ſolùm cognitores. Sic ille ſeruus qui nouerat voluntatem Domini, nec opere complebat, pluribus plagis dignus iudicatus eſt.

CAPVT IIII.

Argu. 5. cap.



Diuitibus reprobis hîc sua canit fata, quemadmodum D. Christus Luc. 6.v. 24. Væ vobis diuitibus,quia habetis consolationem vestram: væ vobis saturis,quia esurietis: væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Talis fuit diues iste Luc. 16.qui Lazarum pauperem pro foribus suis famelicum reliquit,adeo vt clemẽtiores haberet canes,quàm ipsum epulonem diuitem.Dehorum euentu hîc scribitur, fore vt pessima morte, pessimi pessimè pereant.

Contrà differit de sorte piorum sub cruce gementium: quorum propria virtus est constantia & tolerantia ad vltimum vsque spiritum. Hinc de curandis ægris differit,vbi plures concurrunt loci, vt de oratione,confessione, vnctione, intercessione, conuersione. De quibus suo ordine & loco dicetur. Primi loci propositio est: Opes malis potiùs materia sunt mœroris quam gaudij. Simile est argumentum apud Matth.19. vbi Christus difficile esse docet diuitem ingredi in regnum cœlorum. Itaque sermo totus dirigitur contra reprobos diuites: in quibus opes confidentiam, tenacitatem, & fraudem pepererunt.

Vers.1. *Agite nunc diuites.*

Propositio. Πρόϑεσις est κατ' ἀποστροφήν. Nam orationem nunc conuertit ad diuites auaros & Euclìones. Hos flere iubet, hoc est, in opibus suis potius agnoscere iustæ damnationis materiam,&mœroris quàm lætitiæ.Fletus ac eiulatus à consequentibus significant dolorem, iustámque dolendi causam.Sic Dominus Christus fletum ac stridorem dentium coniungit, quoties de æterna damnatione impiorum loquitur, vt Matth.13.8.22. 24.25.& locis similibus.

Ratio propositionis est, *Super miseriis vestris superuenturis*, hoc est, Ideo dolendum est vobis,quia miserè peribitis.Ταλαιπωρία,tragica est calamitas, qualis est Aiacis, OEdipi,Herculis,ac similium. Significat igitur impiorum diuitum calamitosum fore euentum:ac habẽt isti quidem suas etiam ærumnas in hac vita, sed nihil istæ sunt respectu futurorum malorum, quæ propriè sunt ταλαιπωρίαι, hoc est, miseriæ ærumnosæ, ac de pœnis æternis illum loqui,manifestè declarat dictio ἐπερχομέναις.

Vers.2.*Opes vestræ.*

Contra vanã diuitum iactantia. Vanam confidentiam taxat diuitum:quæ causa est altera, cur illis meritò sit dolendum, quia irrita est illorum confidentia quam opibus tribuerunt.Debent enim homines prudentes rebus solidis inniti ac confidere:stulti contrà est caducis fidere. Talis est tota diuitũ spes. Fragilitatem igitur opum persequitur enumeratione. Orditur autem à toto, Plutus ipse Deus opũ putrescit, h. e. inconstans, varius, & caducus est: igitur stulta est eius confidentia. Hinc ad partes præcipuas transit,vt est vestitus,quo diuites quidã in primis delectantur,adeò vt plus in vestitum insumant, quàm in victũ: malunt enim lautiùs vestiri, quàm cibari.Sed hęc quoque spes vana& irrita, imò stolida est. Vestitus enim omnis à tineis arroditur, quod Græcè eleganter dicitur. Σητόβρωτα enim dicuntur quę à tineis comeduntur,q.d.σητόκοπτα à tineis perforata. Similem dictionem habuimus in Act.12. de Herode,de quo dicebatur quòd factus esset σκωλήκόβρωτος, à vermibus comesus. Ita vestes à tineis perduntur. Dictio composita est à τὸς σητὸς,tinea,& βρώσκω,edo. Ac obseruandum obiter, res ferè singulas sua habere hostilia quædam φθαρτικά, vt ἰὸς perdit ferrum ac metalla alia:θρὶψ,ligna, vermiculus qui ligna perterebrat: ἴψ, cornua solidissima arrodit,ἴξ,vites,πρὸξ,poma & alia ὀπώρα,ψὴν,ficus, σὴς,vestes, lanam,pannum, hæc Græcis dicuntur λυμαινόμενα.

Vers.3. *Aurum & argentum vestrum.*

Pergit in cœpta partium præcipuarum enumeratione. Post vestitum sequitur aurum & argentum,h.e. rude metallum vel signatum quod olim à pecude pecunia dicebatur,continétque nummum signatum.

Ac sanè valida est hæc secunda ratio, quia à partium præcipuarum vanitate, demonstrat quàm vanum sit opibus fidere. Si enim præcipuæ opum partes,quales sunt aurum, argentum,&vestitus,vanæ sunt:quid de reliquis dicemus?

Tertia ratio hoc versu quoque addita est,*quia rubigo pecuniarum contra ipsos stat in testimonium:*scilicet quia rubigo argumentum est, non in vsu crebro fuisse nummum, sed otiosè conseruatum fuisse:vsu enim nitescit nummus, contrà, otio in thesauris repositus,rubigine obsoletus redditur.

Quartò non solùm rubigo prodit tenacitatem vestram, cùm nummus vsu valere debuerit,

debuerit: *sed excedet carnem vestram tāquam ignis:* Alludit ad ignis infernalis cruciatus, vbi vermis non morietur. Hæc tormenta augebuntur rubigine nummorum.

Quinto, vanitas etiam in eo est, quòd hoc studium coacervandi opes inciderit in vltima tempora, quando per se non diuturna erit possessio: sed ipsa dierum vltimorum appellatio admonere eos debuerat, colligēdas esse maturè sarcinas, & cogitandum de emigrando potiùs, quàm permanendo. Quod enim in vltima tempora solet incidere, per se non diu durare potest.

Vers.4. *Ecce merces.*

Pergit taxare fraudem diuitum. Hactenus confidentiam & tenacitatem perstrinxit: nunc ex fraudibus ipsorum argumentatur, quod illis meritò doloris esse argumenta debeant opes. Sextum est igitur, *Clamores pauperum quos defraudastis in conspectu Domini, vos accusant & damnant.* Ergo vobis non immeritò dolēdum est. Antecedens sumit καθ' ὑπόθεσιν ex moribus auarorum, qui sic agere solent. At his opponit legem Domini, Deu.24. qua cautum erat, ne sol occumberet super eum, quin solueretur mercenario sua merces. Hanc legem illi violarunt: ac potentiæ diuitum opponit Domini potentiam longe maiorem: est enim Dominus Zebaoth.h.e. exercituum. Omnia Deo militant, & quot sunt creaturarum species, tot Deus habet exercitus: non igitur credant auari illi se Domini iram posse effugere.

Vers.5. *Lasciuistis & petulanter egistis.*

Commemorat mores diuitum quos trahit in argumentum luctus futuri. Par enim est vt qui hîc bene habent cum aliorum iniuria, vt aliquādo dent pœnas, ac miseris fiat cōpensatio. Sed vos diuites hîc habetis consolationem vestram: saturamini semper, ridetis perpetuò: par igitur est vt aliquando fiat conuersio, qua vos ærumnosi reddamini, ac boni à vobis oppressi bene habeant. Hoc argumento vtitur Christus Luc. 6. & alicubi Cicero. Porro τρυφᾶν & σπαταλᾶν verba duo hîc ponuntur per auxesin: posterius etiam declarat prius. Aliâs, diximus de verbo σπαταλᾶν: cor nutrire est, concupiscentiam cordis alere & explere. *Dies mactationis,* dies est festi, quasi dicat, vixistis vt solet fieri in nuptiis, in publico epulo, tota vita vestra nihil aliud fuit, quàm dies festus. Simul tamen ostendit illos epulones sic ali ad mactationem quasi sues obesos: porci sunt Satanæ.

Vers.6. *Condemnastis.*

Conglobationem absoluit sceleratæ vitę, ex qua necessariò sequitur iusta condemnatio. Patheticum est quod de iusto dicit, quòd is impio non restiterit: hoc est, illum nulla re læsit: deinde iniuriam diuitum patienter tulerit.

Vers.7. *Longanimes igitur estote.*

Pars capitis quæ continet illustrem consolationem oppressorum. Propositio est, Pij sub cruce in qualibet fortuna patienter perdurare debent: id Apostolus longanimem esse dixit: hoc est, constanter perdurare vsque ad aduentum Domini, Accipio vsque ad vltimum spiritum, seu vitæ terminū: aut certè ad diē Domini, significans differenda præmia & pœnas ad generale illud iudicium. Pro pressis consol. Propositio.

Ratio propositionis est à simili petita. Vtenim agricola patienter expectat messem in qualibet tempestate: sic piis patienter perferenda sunt omnia. Pluuia matutina est quæ mox sementem comitatur: serotina quæ messem præcedit: vtraque mirè prodest tritico. prima vt fœcunda terra in gremium excipiat semina: altera, vt ad maturitatem perducatur messis. Confirmatio.

Vers.8. *Patientes estote & vos.*

Applicat argumentum ad institutum suū: ac mox addit alteram rationem, quia aduentus Domini accessit: ratio est quia instat Dominus suo aduētu. Ergo patienter quicquid illud modici est, perferendū erit vobis. quod enim modicū abest, nihil esse videtur.

Vers.9. *Non ingemiscatis.*

Repetit propositionem paulò aliis verbis, ac addit tertiam rationem, quia Christus iudex pro foribus adest, hoc est, venit iudex omnium rerum. Qui impatientia fracti defecerint à veri cognitione, his damnatio horrenda imminebit, cùm solùm piis sua erit expectanda liberatio.

Verſ.10. *Exemplar ſumite afflictionis.*

Quarta ratio ab exemplo Prophetarum, quaſi dicat, Iam ab origine mundi, omnes pij fuerunt expoſiti afflictionibus variis, in quibus conſtantiam ſeruarunt: Ergo & nos ad iſta duo nos parare debemus. Duo igitur piis hic tribuuntur. Afflictio comes indiuiduus veritatis 2. Tim.3. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patienter in hoc mundo. Et Chriſtus prædixit ſuis, inquiens, In hoc mundo perſequutionem habebitis.

Ioan.16. 20.

Verſ.11. *Ecce beatos dicimus.*

Quinta ratio eſt à proprio iudicio. Laudamus patientes ſub cruce: igitur & nos tales eſſe oportet. Beatos dicimus conſtantes ex Chriſti ſermone, qui Matth.5. eos beatos dixit. Hinc omnes pij in primis commendant conſtantiam ſub cruce.

Sexta ratio additur ab exemplo Iob, qui ſingulare exemplum tolerantiæ eſt. Miror Illyricum hoc argumentum interpretari de tolerantia Iacob, cùm conſtanter omnia exemplaria Iob habeant.

Septima itidem hic obſeruetur ratio, à Domini Chriſti exemplo omnium perfectiſſimo: *vt finem Domini vidiſtis*, h.e. Domini Chriſti euentum vidiſtis. Bona enim pars fidelium viuebat, qui vel ipſi ſpectatores fuerant aliquando patientiæ Chriſti, vel ab Apoſtolis audierant qui αὐτόπται καὶ αὐτήκοοι fuerant.

Octaua *quia mitis eſt Dominus & miſericors*, h.e. Chriſtus afflictus didicit afflictis condolere. Ideo vt verus homo non feret diutius aut grauiùs nos affligi, quàm ferre poſſimus. Natura Chriſti nos in afflictionibus conſolari debet: multæ miſerationis eſt, ac commiſerator, naturæ humanæ coniunctione: fuerunt tamen hæc epitheta Dei etiam in veteri Teſtamento.

Verſ.12. *Ante omnia autem.*

De conſtantia in dictis ac ſtipulationib.

Hactenus de conſtantia ſub cruce diſſeruit: nunc ad conſtantiam in dictis & ſtipulationibus fideles hortatur. Ac commodè ſuperioribus annectitur, quia & hic ſimplicitas quædam ac candor requiritur. Deinde & hoc vitium linguæ eſt, multa promittere, quæ non ſerues candidè, qualia ſuprà vitia linguæ fuerunt concertationes, æmulationes, odium, præſumptio, obtrectatio, &c. His affine eſt iuramentum leue, nulla neſitate per magiſtratum ordinarium expreſſum. Porrò tria hic exprimuntur, quid cauere nos oporteat: deinde qualis ſermo noſter eſſe debeat per ſe: tertiò quæ ſit horum communis ratio. Ac cauẽda ſunt iuramenta per cælum, ac terram, alióue genere expreſſa, qualia ſunt Matt. 5. per caput noſtrũ, per ſanctam ciuitatem, per aram. Hodie diceres per elementa, per ſacramenta, per paſſionem, vulnera, ſanguinem Domini: etiam hæc & huius ordinis alia iuramenta ſtudioſè cauebunt pij. Huc pertinet illa clauſula, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, vt quod Dominus Chriſtus dixit Matt.5.v.34. μὴ ὀμόσαι ὅλως, h.e. in totum non iurandum eſt piis. Oratio enim de ſua ſpecie in totum eſt accipienda, nec eſt transferenda ad aliam ſpeciem, de qua hic ſermo non eſt. Itaque ſic ſentiamus: Duplex eſt iuramenti genus: vnum à Deo mandatum ac conſtitutum, quod in piorum Eccleſia ſemper locum habuit, quale eſt iuramentum quod magiſtratus à ſubditis requirit in certo caſu. Exod.22. Deut. 6. & alibi. Hoc iuramento ſinguli ordines in officio continentur. Magiſtratus fidem dat, ſe omni diligentia Rempub. curaturum: Subditi cõtrà, fidem dant pios fore: in aliis certis caſibus cauetur fraus, vt eſt ad Hebr. 6. Atque hoc genus nec à Chriſto, Matth. 5. nec hic ab Apoſtolo Iacobo damnatur. Pugnarent enim cum doctrina cæleſti & prophetica.

Duplex iuramẽti genus.

Alia ſpecies iuramentorum eſt leuis, & ſponte ſuſcepta, qua in ſermone quotidiano orationem condimus vario genere iurandi, vt Iudæi iurabant per cælum, terram, caput, vrbem ſanctam, nec in his committi peccatũ putabant. Noſtri hodie orationem popularem condiunt ſacramentis, elementis, crucibus, ſanguine, carne & vulneribus: atque hoc interdum cõduplicant, imò milliones coaceruant, nec tamen firmior eſt illorum ſermo, leuior quidem & execratior eſt. Contra hanc vanitatem loquitur hic: ne iuremus vllo alio iuramento.

Qualis eſſe debeat ſermo noſter.

Alterum eſt, qualis debeat eſſe noſter ſermo, *eſt eſt, & non non*, Hoc eſt, ſimplici affirmatione ſitis contenti, & quod ſimpliciter affirmatis vel negatis, hoc ita ſimpliciter & candidè ſeruate, nec eſt cur grauiora addatis emblemata. Ac notanter inquit, τὸ ὑμῶν ναὶ ναὶ: hoc eſt, veſtra affirmatio nuda, & veſtra negatio ſimplex, ſit talis: ſignificans talẽ noſtrum debere eſſe ſermonem, quandiu in noſtra eſt poteſtate: ſin verò ſermo meus deſinat eſſe meus, non liberum amplius mihi eſt loqui, vt cupio ego: ſed loquendum

mihi

mihi est secundum illius voluntatem, qui iubendi habet imperium & potestatem.

Ratio communis est, *ne in simulationem incidatis.* Argumentum est à finali causa ductum, quasi dicat. Non simpliciter loqui, facit hypocritas: ergo vitanda est illa loquendi formula. Hypocritas autem facit, quia multa promittunt grauissima asseueratione, quę nunquam opere complebunt, & extra stipulationes ingens est vanitas in illorum sermone. Alij tamen malunt legere, *Ne sub iudicium cadatis*, quasi dicat Graue iudicium illis imminet: ergo fugienda est illorum loquendi formula. Vterque sensus pius est, placet tamen prior vt receptior.

Vers. 13. *Affligitur aliquis.*

Μετάβασις est ad sequentem locum, qui ordine tertius est. Commodè autem concludit superiora, quasi dicat. Fortuna aduersa, vt secunda, nos debet ad Dei laudes excitare. In aduersis, Deus orandus est, vt det constantiam. Ita sup. cap. 1. hanc sapientiam à Deo petere iussit. Contrà secunda fortuna materiam præbet psallendi, hoc est, Deo agendi gratias.

Vers. 14. *Infirmatur seu affligitur quis inter vos.*

Tertius locus de cura ægrotantium in cœtibus fidelium. Docet autem modum curandi ad consolandi ægrum, oportere cum fructu etiam circunstantium fieri ad saluté ægrotantis. Primùm igitur præscribit ipsi ęgrotanti suum munus: deinde ipsis circunstantibus. Quod ad ęgrum attinet, is conuocare debet seniores Ecclesię, hoc est, sui cœtus: hodie diceret, suæ viciniæ seniores aliquos cum ministro aliquo Ecclesię, inter quos etiam locum potest habere medicus aliquis. Nec enim seniores hic accipio ipsos vnctos solùm ac risos qui sacrificuli aut monachi sunt, nec etiam senatum Ecclesiasticum quem κακοζηλίᾳ quadam hodie quidam conantur repræsentare: sed seniores Ecclesiæ accipio, graues ac pios in toto cœtu viros, quorũ mihi spectata sit pietas, siue isti laici sint, siue in ministerio, siue medici, siue secus. In summa pios ac cordatos senes vocabo. Nam in his maior est rerum vsus, maior vis consolandi, maior quoque condolendi affectus, solidiora etiam cõsilia quam in iuuenibus. De cura ægrotantium.

Ad circunstantes reliqua iam pertinent, hoc est, ad illos seniores Ecclesiæ iam conuocatos ex sententia ęgrotantis. Propositio hoc loco est: Ægri sic curandi sunt, vt initium quidẽ fiat ab oratione, reliqua autem media ad sanitatem consequendam vt illa minimè contemnantur. Itaque initium fiat à precibus, significãs hunc veterem morem fuisse apud pios, vt omnium actionum initium apud ægrotum fiat à precibus, si scilicet expediat ipsi ægroto, si sanitas illius factura sit ad gloriã nominis diuini, ad proximi vtilitatem, vt Deus hanc dignetur restituere: sin minùs, det illi constantem confessionem fidei in agone mortis. Deinde peractis precibus, vngant illum oleo, hoc est, salubria medicamenta non negligant. Itaque seniorum cœtui intersit aliquis peritus medicus, vel alius qui notitiam morbi istius habeat. Olei vsus ferè in omnib. morbis locum habet, præsertim in Orientalibus regionibus, & ad Meridiem, vbi olei est magna copia. Oleo igitur iubet vngere, quasi expedito remedio & comparatu facili. Ideo hoc symbolum D. Christus dono sanationis addiderat, vt Apostoli vngerent ægros in suo nomine, ac sanarentur: quod præstitum est ab illis, Marc. 6. Hinc vsus inualuit vt posteri liberiùs vterentur vnctione, quàm aliis remediis, ac valuit hoc diu vtiliter. Cæterùm cùm donum sanandi cessauit in Ecclesia, symbolum quoque frustra adhibetur tanquam sacramentum. Ad quid enim symbola sine rebus ipsis? Hodie igitur idem ordo teneatur: conueniant seniores ad ægrotum, orent initio, hinc salubre aliquod remedium adhibeant: idque fiat in nomine Domini. Sic puto satis factum iri huic præcepto Apost. Iacobi. Propositio. Olei vsus in Orient. frequentiss.

Vers. 15. *Et oratio fidei.*

Duo præceperat, orationem & vnctionem. Nunc prius illud nobis in primis commendat, orationem scilicet. Obserua igitur effectus orationi ascribi non vnctioni, & orationi non frigidæ, sed ei quæ ex ardenti fide proficiscatur. Illa inquã, restituet sanitati ægrotantem, & eriget illum Dominus. Idẽ sunt σώσει & ἐγερεῖ, nisi quòd ad diuersas causas applicat eũdem effectum. Dominus per se & primario loco author est sanitatis, oratio autem vt causa media, per quam Dominus sanitatem nobis donare vult. Alter effectus, est peccatorum remissio, quæ & ipsa ad Dominum Christum primitus, deinde ad orationem piorum referatur. Orationis effectus.

Confiteamini alij aliis.

Tertium est præceptum de confessione facienda coram ægroto. Pertinet hoc tum De con-

fessione qualiter hic locus accipiendus. ad ægrotum, tum ad seniores illos præsentes: primùm vt orationi addant confessionem coram Deo: deinde inter se quoque suos errores & offensas sibi mutuò libenter fateantur & condonent. Sic ægrotus à circunstantibus petet offensarum condonationem, & ipsi vicissim circunstantes singuli ab ægroto hoc ipsum petant, ac sic condonatione facta seriò recōcilientur, siquid offensarum incidisset. Quod ipsum videtur significare vox παραπτώματα, quæ significat lapsus & offensas quotidianas, quales solent accidere inter vicinos aliquando. Huic præcepto addit repetitionem de oratione, vt sciamus orationi addendam confessionem mutuam. Nihil autem hoc totum facit ad confessionem auricularem. Repetitur quoque orationis commendatio ab effectis.

Vers.17. *Helias homo fuit.*


Commendatur orationis effectus ab exemplo Heliæ. Vide locum 1.Reg.17.


Vers.19. *Fratres si quis.*

De alio morbi genere. Transit ad aliud genus morbi, & curationum genus, scilicet quo morbi animi, hoc est, errores corriguntur. Vicina enim sunt morbus corporis, & error animi: Illi sic curandi sunt, vt interim animi morbos non negligamus. Vt igitur rationē curandi corpora mōnstrauit, & in hac, primatum dedit orationi: sic iam commendat nobis, curam animorum, qui morbus longè grauior est, ideóque cura huius longè vtilissima erit. Fit illa, pia institutione, doctrina, collatione Scripturæ, interpretatione locorū pugnantium, aut interdum simplici institutione & doctrina. Huius pharmaci maximus erit fructus: primùm animam à morte, hoc est, ab interitu æterno conseruabit quasi dicat, non solùm curabit corpus: deinde *teget multitudinem peccatorum*, videlicet ipsius hominis errantis. Nam cum errore, alia multa peccata deponet: vel sui ipsius, hoc est, vna
Dan. 12. 3. cum piè instituto cōsequetur & ipse vitam æternam. vt loquitur Daniel, Qui alios erudierint ad iustitiam, fulgebūt quasi stellæ ad perpetuas æternitates.

Finis Commentarij in Epist. Iacobi.

DISPO-





DISPOSITIO PRIORIS EPISTOLÆ D. PETRI.

Argumentum.

DOcet Apoſtolus Petrus, quanta beneficia Deus conferat electis per cognitionem Euangelij, eámque ſolam habere conſenſum cum Prophetica doctrina, ideo vt antiquiſſima & certiſſima ſeriò eſt conſeruanda. Hinc deſcendit ad mores & omnes ad virtutes renati hominis prouocat, nec ſolùm in genere,ſed deſcendit ad ſpecialia,vt quid ſubditi debeāt magiſtratui, quid ſerui heris, quid vxor marito, quid maritus vxori, quid doctor gregi, & quid grex doctoribus, & ſimilia multa, quæ veram habent ethicam philoſophiam Chriſtianam.

AVTHOR EPISTOLÆ.

Autor epiſtolæ omnium conſenſu eſt Apoſtolus Petrus, qui natione fuit Galilæus, ex vico Bethſaida oriundus, patrem habuit Ioannem piſcatorem, fratrem Andream,eiuſdem profeſſionis hominem, cum quo aſcitus eſt ad Apoſtolatum dum piſcarentur ad mare Galilææ, vt eſt apud Matth.cap. 4. Nomen illi fuit ex circunciſione Simeon, quod ei mutauit Dominus, vt eſt Mar.3. & Ioan.1. Tu es Simeon filius Ionæ,vocaberis Cepha, quod interpretatur Petrus. Sonat autem Ceph aut cepha petram. Græci more Attico πέτρον verterunt. Et quia Syra eſt dictio, ideo in ſua verſione hanc clauſulam (quod interpretatur Petrus)non habent.In inſcriptione tamen huius epiſtolæ omnia tria coniunxerunt, Epiſtola Petri Simeon Cephæ, vt intelligamus indubitanter epiſtolam ad Apoſtolum Petrum pertinere. Pòrrò Petrus videtur dictus propter fidei conſtantiam & robur: præterea quòd ſingulari audacia eſſet præditus interrogandi Dominum, & reſpondendi pro aliis, vt eſt videre apud Matth. 16.& 18.capitibus.

QVIBVS DEDICETVR EPISTOLA.

Scribitur epiſtola præſens vt conſtat ex titulo aduenis & peregrinis, quam vocem fermè omnes intelligunt de Iudæis,qui tum propriè dicti ſunt aduenæ & diſperſi in toto imperio Romano,quo ſenſu ſolis Iudæis ſcriberetur. Cæterùm ſi expendamus conſequentia, videtur totius Eccleſiæ habita eſſe ratio,non ſolùm Iudæorum. Nam infra cap. 2. verſ.10, loquitur etiam de Gentibus conuerſis, qui olim non fuiſtis populus, nunc populus Dei, qui non eratis miſericordiam conſequuti, nunc eam conſecuti eſtis, dilecti oro vos quaſi aduenas & peregrinos, &c. Quæ certè de Iudæis nō poſſunt ſolùm intelligi. Sic cap.4.ver.3. loquitur cū fidelibus tanquam ex Gentibus conuerſis. Itaque ſic ſtatuendum eſt, principem Apoſtolorum Petrum nō tam Iudæorum quàm omnium conuerſorum habuiſſe rationem, quandoquidem ſancti propriè ſunt aduenæ & peregrini in hoc mundo.

OCCASIO.

Occaſio, vt apparet, oblata eſt ex aduentu Syluani, qui priùs cum Paulo in diuerſis locis docuerat & inſtituerat Eccleſias, ad quas nunc rediturus Babylonem tranſiuit, & iſtic vt videtur, conuenit Petrum à quo hanc epiſtolam ad omnes electos accepit, vt partim amarentur contra aperta pericula, partim inſtruerentur contra falſos fratres, qui paſſim ſanam doctrinam variis modis corrumpebant,quemadmodum Satan verſutus eſt interpres religionis.

GENVS.

Genus principale προτρεπτικόν eſt quia bene & rectè inſtitutos hortatur ad conſtantiam in doctrina Euangelica, Antecedunt poſtea διδακτικόν quo docet doctrinam

Euangelij antiquissimam esse & consentire cum doctrina Prophetarum. Sic quædam sunt Ἐπαινετικά, quibus laudat bene currentes. Quædam παιδευτικά, quibus instituit omnes ordines, quod sit singulorum officium, & quædam ψεκτικά, quibus inuehitur in corruptores sanæ doctrinæ.

PROPOSITIO.


Propositionem sumimus ex 13. vers. 1. capitis, vbi inquit, perfectè sperate in gratiam vobis oblatam in reuelatione Iesu Christi. Item ex ver. 12. 5. cap. vbi inquit, scripsi vobis breuiter vt exhortarer & testarer hanc esse veram gratiam Dei, in quam collocati estis. Itaque hæc est sententia Apostoli, In hac religione de Christo quam iam didicistis debetis esse constantes, eámque vita & moribus quàm decentissimè ornare, quod indubiè est perfectè sperare in gratiam Dei, & agnoscere hāc vnam esse veram religionem, quæ Deo placeat. Propositionis capita duo sunt, prius de constantia præstanda in suscepta religione, hanc partem absoluit primo cap. & habet fermè duo eius fundamenta. Prius quod per hanc doctrinam nobis summa Dei beneficia offerantur. Alterum, quòd hæc doctrina consentiat cum Prophetis. Nam ex his duobus sequitur: ergo oportet esse constantes in hac doctrina & eam summopere exosculari. Posterius membrum propositionis agit de bonis moribus & officiis renati hominis, quæ omnia pertinent ad τελειότητα spei, quam requirit ab electis.

PARTES.

Partes ita connecto. Initio est titulus, qui continet personam scribentis & personam eorum ad quos scribitur, & demum piam comprecationem. Secundo loco ponitur exordium, quod ducitur à rerum magnitudine. Orditur enim à commemoratione summorum beneficiorum Dei, quæ piis offeruntur in hac professione, qualia sunt regeneratio, conseruatio in omni fortuna, consolatio in aduersis, probatio fidei, & similia. Quæ eò faciunt, vt animum legentis excitent, & rapiant in admirationem diuinæ gratiæ. Istis mox addit consensum Propheticum cui innititur Euangelica professio. Atque hactenus exordium, quod planè facit ad attentionē. Tertio loco sequitur πρόθεσις principalis, in hac doctrina perfectè consistendum esse, hoc est, constanter inhærendum illi. Constantiam iam probauit ex tractatione exordij, ideo mox transit ad alterum membrum propositionis de innocentia vitæ. Cui annectitur quarto loco κατασκευὴ cōfirmatio, vsque ad finem 1. capitis. Initio 2. capitis est renouatio propositionis, de vitæ innocentia seruanda, quam tanquam πόρισμα ex superioribus infert, & mox nouis rationibus & argumentis propositū suū munit. In quo versatur vsq; ad vers. 13, quo loco θέσιν quodammodo deducit ad speciem, & ostēdit quibus officiis obedientia sit declaranda erga magistratum. Deinde quomodo serui colere debeant suos heros. Capite 3. hanc eandem rem persequitur, Nam commemorat œconomica officia vxoris & mariti, à quibus iterum se recipit ad generalia, commemorans talia, quæ ad omnem sexum & ordinem spectant, vsque ad finem illius capitis. Capite 4. iterum est renouatio propositionis, ab initio capitis, cui nouæ adduntur rationes vsque ad v. 8. à quo specialia iterum commendat, dilectionem, hospitalitatem, in docendo vigilantiam, in afflictionibus constantiam, innocentiam in persecutionibus, & similes virtutes. Cap. 5. specialia persequitur. Nam ostendit quid doctores gregi debeant, & vicissim grex suis doctoribus. Item qua reuerentia iuuenes senioribus obedire debeant. Mox ad generales virtutes iterum conuertitur, vsque ad vers. 10. quo loco statuatur 5. pars epistolæ quæ continet epilogum, qui complectitur ferme illa: Comprecationem, propositionis renouationem, & mutuas salutationes, &c.

IN PRIMAM EPISTOLAM D. PETRI.

Προλεγόμενα.



AB authoribus rectè distinguuntur Epistolica scripta. Sunt enim alia Paulina, alia Iacobi, alia Petri, alia Ioannis, alia denique Iudæ. Hanc sequentes partitionem, ordine nunc ingredimur, tertiam classem, Epistolas scilicet D. Petri, quas explicaturi priùs dicemus de his quæ ad generalem faciunt dispositionem, mox verba ipsa audituri.

Quis fuerit author huius Epistolæ.

Petrus huius Epistolæ author est indubitatus apud omnes interpretes. Is inquam, Petrus qui ex discipulis & Apostolis Iesu Christi fuit. Natione fuit Galilæus, ex vico Betzaida oriundus: patrem habuit Ioannem piscatorem, fratrem Andræam eiusdem professionis hominem, cum quo ascitus fuit à Christo in Apostolatum, dum piscarentur ad mare Galileæ, vt est Matt. 4. vers. 15. — Author.

Nomen ex circuncisione fuerat Simeon, quod sonat auditorem. Id Dominus Christus illi mutauit in vocatione, vt est Marc. 3. vt & aliis quibusdam. Pro Simeone igitur Cephas dictus fuit, quod Latinis & Grecis sonat Petrus. Hinc Syriaca versio omnia hæc tria nomina retinuit in Epistolæ huius inscriptione, *Igarthod Petrus Schimeon, Cepha*, Epistola Petri Simeonis Cephæ: quæ ideo seruanda sunt, vt intelligamus eundem esse Petrum & Cepham, eundémque cui Apostolus Paulus ad Galat. 2. restitit in faciem. — De nomine authoris. Ioa. 1. 43.

Porrò Cephas dicitur Petrus à fidei constantia ac robore: & quia idem audacia respondendi, interrogandi, agendíque omniũ nomine, reliquos antecelluit, hinc fortè rectè dicetur princeps Apostolorum. Sic enim Matth. 16. ver. 18. primus respondet, & Dominum etiam conatur primus auertere à via, Hierosolymam instituta: & capite 18. vers. 21. primus interrogat, quoties fratri peccanti condonandum sit. — Cephas.

Cæterùm dictio Chaldaica est, quibus *Ceph* dicitur saxum, idem *cepha*. Hinc apud Ioannem cap. 1. vers. 43. vox vertitur Græcè Πέτρος, quæ dictio in communi lingua scriberetur πέτρα: Atticè tamen dicitur πέτρος, hoc est, petra, hinc πετραῖος Neptuni cognomen à petris. Apud Syros scribitur *Cepho*, vt apud Ioan. 1. Syri hanc clausulam nõ habent ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος: sed simpliciter, Tu es Simeon filius Ionæ, tu vocaberis Cepha.

Quibus sit scripta.

Scribitur pręsens Epistola quasi ad exules in toto orbe dispersos: quod ex titulo perspici potest, in quo fatetur se scribere παρεπιδήμοις: quam tamen vocem quidam ad solos Iudęos transferunt, quibus propriè competat aduenarum & contribulium nomen. Acillorum quidẽ sententia D. Petrus scribit ad Iudæos conuersos, quemadmodũ idem fecit D. Iacobus scribens ad duodecim tribus in dispersione. Horũ quidem sententia pia & bona est, præsertim cùm Petrus Apostolus sit Iudæorum, vt Paulus gentium: deinde Iudæa vt plurimùm docuerit. Interim tamẽ negari non potest, quin in scribendo totius Ecclesiæ habuerit rationẽ, vt vox παρεπιδήμοις in genere omniũ fideliũ sit compellatio. Verè enim isti peregrini sunt & aduenæ in hoc mundo, & magno cũ periculo in tanto impiorum cœtu degunt. Deinde si penitiùs expendas locũ infra c. 2. omnino de cõuersis ex gentibus loquitur. Vos qui olim non fuistis populus, nunc estis populus, & qui sine misericordia vixistis, iam misericordiam estis consequuti: quæ de Iudæis nulla ratione scribi poterãt, vt qui semper fuerint Dei populus. Similiter etiã c. 4. v. 3. loquitur. Ex quibus non absurdè colligi potest epistolam ad omnes fideles, tam ex gentibus quàm ex Iudæis conuersos, scriptam esse. In qua tamen re nolim contentiosiùs versari: singulis sua libenter permitto iudicia, vt quisq; id quod vero est proximum, sequatur. — Quibus. Inf. 2. 10.

Argumentum.

Ostendit in hac epistola quanta beneficia Deus conferat electis per Euangelij cognitionem, & hanc ipsam doctrinam solam, habere consensum Propheticæ doctrinæ, ideo vt antiquissimam & verissimam serio conseruandam esse. Hinc ad mores — Huius Ep. argũ.

conuertitur, omnes ad virtutes renati hominis prouocans: nec solùm in genere, sed ad speciem descendit, quid magistratui debeamus, quid serui suis heris, quid vxor marito, quid contrà, maritus vxori, quid doctor gregi Dominico, quid contra grex doctoribus. Ex his specialibus locis, sæpe ad generales iterum recurrit.

Occasio.

Apparet oblatam illi fuisse occasionem. Nam cùm in his locis priùs iam docuisset Apostolus Paulus comite Syluano, idémq; Syluanus postliminio ad has Ecclesias esset rediturus, Babylonem transiuit, vbi Apostolū Petrum reperit: is igitur tam opportuno nuncio oblato, hanc ad illas Ecclesias epistolam misit, partim vt contra aperta pericula illos animaret, constantésque redderet, partim verò contra falsos fratres instrueret, qui doctrinam veritatis variis modis corrumpebant, tum addendo, tum sub trahendo immutando & interpretando, aliísque modis, vt Satan versutus est religionis interpres. Ac fieri potest in his regibus plurimos illi notos fuisse, &c.

Propositio. ca. 1. inf. d. 13. & 5.12. Propositionem sumimus ex ipso Apostolo, qui ait cap. 1. Succincti lumbis mentis vestræ, integrè sperate in gratiam quæ vobis offertur, & cap. 5. Scripsi hæc, testificans hanc veram esse Dei gratiam, in qua vos statis. Ex quibus colligo, hanc summam esse,

Status. Christianam religionem in qua iam erant instituti, veram (quæ vna Deo placeat) pietatis esse regulam.

Στάσις igitur sit specialis. Pij in suscepta semel religione Christi, constantes esse debent, eámque vita & moribus quam decentissimè ornare.

Complectitur hæc sententia duas partes. Prior loquitur de constantia præstanda sub cruce, atque hanc primo cap. absoluit. Fundamenta huius loci duo habet. Primum quia in hac religione summa Dei beneficia conferuntur electis: alterum quia hæc religio consensum habet Prophetarum. Ex his enim sequitur: Igitur constantes in hac esse debemus.

Posterior pars propositionis agit de bonis moribus, éstque tota ethica, in qua vesatur à versu 14. cap. primi, ad finem vsque: ideo in diuisione, distinguendum erit diligentiùs hoc membrum.

Genus. Genus prædominans est προτρεπτικόν. Nā ad constantiam in fide & bonorum operum studium cohortari voluit iam bene institutos. Accedūt huic alia, vt διδασκαλικόν, vt quòd hæc doctrina iam inde à primis patribus fluxerit, ac Prophetæ ipsi in hac fuerint occupati. Νουθετικόν, quo omnium in bonis moribus erudit, vt pij regulam habeant in quolibet statu piè viuendi.


Partes. Partes sic connecto. Primùm pro more Epistolari præfigitur titulus complectens nomen authoris, personam eorum ad quos scribitur, ac piam comprecationem. Atque id totum ad beneuolentiam facit.

Exordiū. Exordium à congratulatione sumptum. Facit hoc ad προσοχήν, h. e. ad attentionem. Nam à rerum magnitudine orditur, commemorans Dei summa beneficia, quæ in Euangelica professione piis offeruntur: accedit Propheticus consensus. Quibus omnibus amoris affectum in auditoribus excitat: nam talem doctrinam decet amare.

His ita præparatis infert propositionem, In hac doctrina perfectè consistendum esse, hoc est, huic constanter adhærendum, & eandem bonis moribus ornandam esse: ac ad constantiam pertinent illa argumenta quæ in exordio ponuntur. Est enim totum exordium παρασκευαστικόν. Ideo propositioni positæ adduntur argumenta quę innocentiam & studium bonorum operum vrgent. Durant ista ad finem vsque primi cap. Secundo capite repetitur propositio de vitæ innocentia retinēda, adduntúrque nouæ rationes, vsque ad versum 13.

Hinc sequuntur specialia officia piorum: politica, vt subditorum erga Magistratum: œconomica, seruorum erga dominos suos, vsque ad finem capitis. Capite tertio pergit in œconomicis, præscribens vxori, ac marito suum decorum. Hinc ad generalia redit, ac aceruum virtutum proponit, in quibus nos oporteat exerceri. Specialia tamen mox subiungit, vt de frænanda lingua, deferenda cruce, de præstanda confessione, ac de seruanda innocentia. Capite quarto iterum reuocat πρόθεσιν de morum innocentia, ac sensum ad specialia declinat, de dilectione, hospitalitate, doctrina, ministerio, patientia, &c. Cap. 5. instruit ministros sui officij, iuuenturem, tandem omnes ad vigilantiam hortatur, quę aliarum virtutum est custos, vsque ad versum 10. Epilogus sequitur à versu 10. comprecationem, propositionis repetitionem, ac mutuam salutationem continens.

CAPVT I.


PRimum caput fundamentum est totius Epistolæ. Complectitur enim præter titulum & exordium, propositionem quoque, ac bonam partem confirmationis de moribus renati hominis. Ac propositio coniuncta est de præstanda constantia in semel suscepta religione: posterior de innocentia vitæ. De his igitur ordine nunc nobis est agendum. Cap. 1. argum.

Ἐπιγραφή.

Vers. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi.*

Titulus pro more habet tria membra: quorum propositio est, Petrus electis precatur gratiam, ac pacem. Reliqua ad expositionem & tractationem faciunt. Titulus.

De Petro, h. e. authore Epistolę, iam diximus in prolegomenis. Hic obserua solo Apostoli titulo se ornare, in quo modestia obseruāda est. Si principatū & primatum & in Ecclesia quæ siuisset, lōgè alio stylo vtendum fuerat. Ac Apostoli titulus faciebat ad authoritatē sibi conciliandam ac retinendam: deinde ad consensum declarandum in doctrina. Cùm enim illi fideles iam fuissent Paulo instituti, ostendit se eandem profiteri doctrinam, eiusdémque se fatetur legatum. Ideo non docebit eos aliquid noui, sed solùm vt in suscepta doctrina perseuerent, hortabitur. Atque id ad personam scribentis pertinet. Ad auditoris verò personā, h. e. ad eos, ad quos scribitur, sequentia multa referuntur. Hos primùm ornat titulo electorum, h. e. qui singulari Dei consilio, de fæce hominum segregati sint, nullo suo merito, ad meliorem quandam sortē. Hinc ἐκλογή est electio, seu segregatio cuiusdam è turba ad peculiarem quendam vsum. Petri modestia obseruāda.

Deinde huic sorti tam augustæ, opponitur sortis conditio in hoc mundo. Παρεπίδημοι enim sunt qui aduenæ sunt, ac domicilia habēt in alieno solo. Tales re vera sancti sunt in hac terra, non habentes hîc manentem ciuitatem: sed patriam inquirunt cęlestem, vbi illorum quoque est πολίτευμα. Sic Dauid inquit, Peregrinus sum in terra, verbum tuum ne remoueas à me Domine. Qua ratione iam diximus hanc vocem meliùs competere Ecclesię militanti, quàm Iudæis secundum carnem dispersis. 3. Additur διασπορᾶς quæ & ipsa huius vitæ sors est. Significat autem Ecclesiam Christi in his terris nulli loco alligatā esse. sed dispersam in toto orbe. vt vbi duo vel tres sint congregati in nomine Christi, illic sit aliqua portio Ecclesiæ. Deinde significat hæc vox quandam raritatem. Apparent enim fideles in hoc mundo rari tanquam in gurgite vasto natātes: nam collati impiis, valde modica turba est piorum. Hic additur locorum notatio, per quæ loca tum in primis dispersi erant. Horum explicatio proposita est in Actis, excepta Cappadocia & Bithynia, de quibus consule Strabonem. Sancti aduenæ. Psal. 119.

Vers. 2. *Secundum præcognitionem Dei Patris.*

Persequitur ornamenta electorum. ac quartū est ordine, quòd electi sint non hominis alicuius arbitrio, sed Dei Patris consilio. Non enim est volētis, sed Dei miserentis. Sic ad Philip. 2. dixit Apostolus, Deus operatur in nobis & velle & operari. Itaque ingens hîc oboritur consolatio, quòd sciamus electionem nostram, Dei iudicio factam esse, nam hic constans esse potest. Hominum enim electiones sæpe fallunt, & toties interrumpuntur quoties peccamus. His dubitationibus opponitur hoc Dei æternum consilium, eligentis nos ante iacta mundi fundamenta. Rom. 9. 16.

Quintò modus additur, seu causa media, *In sanctificatione Spiritus*, hoc est, illuminatione & regeneratione, quæ fit suo tempore, vocatis nobis ad veritatis cognitionem. Nam electio longè præcessit, patefit autem suo tempore in conuersione nostra: tum enim dictat Spiritus sanctus nouos motus, nouam voluntatem, &c. Modus.

Sextò, *In obedientiam sanguinis Iesu Christi.* Id si de Christo accipias, perfecta nobis commendabitur eius obedientia, qua Patri paruit ad mortem vsq; crucis. Sic loquitur Apostolus ad Rom. 5. vers. 19. Per vnius obedientiam, iustos multos esse constitutos. Si ad nos referas, ostendit electionem & sanctificationem Spiritus cognosci in eo, si obediamus fidei h. e. vita & moribus ornauerimus professionem nostram. Sic 2. Cor. 10. de obedientia fidei loquitur Apostolus.

Septimò, *Aspersionem sanguinis Christi* addit, tāquam verum salutis organum. Alludit ad morem sacrificiorum, quorum sanguis aspergebatur aræ vel postibus. vt in exitu agni Paschalis sanguis postibus aspergebatur, & auertebatur angelus occisor. Sic Christi sanguis nobis applicatur contra occisorem Satanam & peccatum. Vide Hebr. 9. vers. 18. Rom. 3. vers. 24. & similem aspersionem Num. 19. Christus verū salutis nostræ organum.

Habes in hac deſcriptione cauſas,& ordinem ſalutis noſtræ. Efficientem ac veram primam cauſam,Dei patris electionem:cauſam organicam, Chriſti mediatoris ſanguinē: cauſam formalem,Spiritus ſancti illuminationē : cauſam finalem,ac fructum,noſtram obedientiam.

Comprecatio ſequitur.*Gratia & pax multiplicetur vobis*,Conciſè & perſpicuè loquitur.Paulus omiſſo verbo,*gratia & pax*, dicit. Petrus abſolutè addit verbum. Auctionem autem precatur, quia initia tanti boni iam habent electi gratiam,quia electi ſunt: pacem, quia conſcientia agnoſcit Deum placatum. Interim tanta bona nunquam perfectè hic poſſidentur : ideo cautè etiam eſt nobis ambulãdum,& precibus ſemper obtinenda auctio illa.

Verſ. 3. *Benedictus Deus Pater D. noſtri Ieſu Chriſti.*

Exordiũ ad προσεξιν. Exordium Epiſtolæ eſt : ac quemadmodum titulus ad beneuolentiam fuit accommodatus : ſic exordium ad attentionem facit , quam comparat à rerum amplitudine. Ingreditur enim diuinos theſauros,ac inde profert inſignia quædã beneficia, quæ Deus Pater mundo offert per Euangelij cognitionem , qualia ſunt, regeneratio, conſeruatio,conſolatio, probatio,vita æterna : quæ beneficia ſolùm conferuntur piis Chriſtum agnoſcentibus. Hinc adhibet aliud fundamentum, propheticum conſenſum , cui noſtra hæc profeſſio innititur. Atq; hinc mox ſubinfert principalem propoſitionē, quòd ſcilicet in ſuſcepta religione oporteat eſſe conſtantes. Itaque exordium totum ad illa duo κεφάλαια γ{ενι}κώτατα, vt vocant,referamus , ad amplitudinem diuinorum beneficiorum & ad conſenſum propheticum. Quibus conſtitutis ſequitur propoſitio.

Qualiter dicatur Deus à nobis benedici. Incipit autem à δοξολογία. quæ habet ſpecialem propoſitionem , *Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti:* quia pios omnes ad laudes diuini nominis inuitat. Ac eſt εὐλογία εὐχαριστία , niſi quod latiùs pateat εὐλογία. Fit enim & verbis & reipſa.Benedicunt Deum qui verbis celebrant nomen eius, quò pertinet ſacrificium laudis Pſal. 50. Benedicunt quoque qui vitæ rationem ſic inſtituunt, vt cedat ad laudem diuini nominis, ne propter ipſos nomen Domini malè audiat inter gentes : ſed potiùs videant homines bona illorum opera , vt glorificent Patrem qui in cælis eſt. Ad vtrunq; genus

Matth.5. εὐλογίαν pios hîc prouocat : ac locũ accipio relatiuè, Deus eſt εὐλογητός, h.e. εὐλογητέος: nam per ſe & abſolutè Deus ſemper eſt εὐλογητός : eſt enim ſummè bonus, potens, ſanctus, habétq; εὐλογίαν omnē ad plenũ in ſe, ex quo theſauro,rebus creatis communicat

Geneſ.1. eius aliquam vim & portionem. Sic benedixit rebus à ſe conditis , & quotidie benedicit prouẽtibus terræ, & omni animantiũ generi,Eccleſię & eius propagationi mirificè benedicit,vt creſcat in mediis afflictionibus:quæ omnia fluunt ex illa immenſa abyſſo diuinæ benedictionis , qua ipſe ab æterno benedictus à ſeipſo fuit. Verùm piis eſt εὐλογητέος, hoc eſt, benedicendus , propter veritatis communicationem , in qua ampliſſimæ aliæ continentur virtutes, vt ſequitur in confirmatione. Atque hæc pertinent ad πρότασιν:ſequitur ratio.

Qui ſecundum multam illius miſericordiam regenuit nos in ſpem viuam. Propoſuit Deum piis omnibus eſſe celebrandum. Nunc ingreditur beneficiorum diuinorum catalogum , ex quo id luculenter probari poteſt. Ac ſunt ſanè iam argumenta referenda ad principalem propoſitionem de conſtantia ſeruanda in ſuſcepta ſemel profeſſione. Ac propoſitio hortatoria eius generis vnum præſtare poteſt. Si enim piis omnibus eſt celebrandus, vtique in hac ipſa profeſſione debent eſſe conſtantes. Sed luculentius eſt, quod ſumitur nunc à primo beneficio Dei quod cõfert piis per Filij ſui cognitionem. Illud eſt regeneratio , quæ eſt renouatio mentis ac voluntatis ad primam Dei conditoris imaginem. Deus Pater regenerat nos in hac profeſſione. Oportet igitur in illa conſtantes eſſe.Hoc beneficium non nudè proponit , ſed magna grauitate à veris cauſis illuſtrat. Primùm vera cauſa efficiente , quæ eſt miſericordia eius.Itaque hîc tollitur ex cauſarum ordine meritũ. Eſt enim regeneratio opus diuinæ miſericordiæ,

Vera cauſa efficiens. ac illius quidē ampliſſimæ. Ideò addidit πολύ , ſignificans præceſſiſſe maximam peccati fœditatem,quæ nulla ratione , vllóve ingenio humano deleri poterat. Sola Dei miſericordia mederi his tot malis potuit. Sic Rom.5.vbi abundauit delictum, abundauit & gratia,& ad Eph.2. diues dicitur Deus in miſericordia,& Iacob.2.dicit miſericordiam gloriari contra iudicium. Deinde addit vſum regenerationis , *In ſpem viuam.* Dicitur viua , hoc eſt, ſolida , ac ſpes pro rebus quæ ſpei ſubiectæ ſunt , accipitur, h.e.vita

Spes viua. æterna , de qua minimè dubiam concipit ſpem. Ac diſiungit hoc commate piorum ſpem à mundana ſpe,quæ rectè dicitur ſtultorum theſaurus : nihil enim eſt vanius ſpe

huius

huius mundi. Hinc Pindarus inquit, κενεᾶν ἐλπίδων χαῦνον τέλος: vanæ ſpei inanis eſt finis. Alibi dicitur ab eodem ἀναιδὴς, impudens. Nihil enim tam abſurdum eſt, quin ſtulti hoc ſperare auſint. In Olympiis dicuntur ψευδεῖς ἐλπίδες, mẽdaces ſpes, qualis re vera mundi omnis eſt ſpes & confidentia quàm habent vel in amicos, vel in opes, vel robur, vel alia quæcunque tandem ſint pręſidia. Sanctorũ ſpes non talis eſt: ſed eſt ſolida, ac viuida. De qua rectiſſimè dicitur illud ex eodem poëta, χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδα ἀνδρὶ μένειν, Oportet bonam ſpem viro manere.

Tertiò addit cauſam mediam, *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti à mortuis.* Quia enim reſurrectione Chriſti obſignata ſunt nobis omnia eius merita: ideo eius præcipuè facit mentionem. Quartò vltimum finem annectit, hoc eſt, vitam æternam. Vocat hæreditatem, quia prius ſpem viuam, hoc eſt, rem quæ ſub ſpem cadit, eſtque quiddam ſolidi. Hæreditas autem dicitur, quia iure quodam ad nos pertinet. Ius autem hoc cœpit in regeneratione, quæ ipſa fluit ex miſericordia: ideo nec in iure illo quicquam gloriari poſſumus. Hæreditas.

Tribus autem ornat epithetis hanc hæreditatem, quæ æternitate & ſynceritatem demonſtrant. Ἄφθαρτον enim eſt quod corruptioni non eſt ſubiectum. Oportet igitur rem eſſe mirabilem. Luna enim & ſol, aliáque ſydera cùm ſint ſpecioſiſſima, tamẽ corruptibilia ſunt, non enim pura ſunt in conſpectu Domini: ideo innouabuntur. Quantus igitur erit vitæ æternæ decor? quanta gloria? Secundò ἀμίαντον dicitur tale, quod eſt ſyncerum, & non commixtum aſperſis partibus adulterinis, defæcatũ probè. Hinc Amiantus lapis ſciſſilis qui filatur in telas, quæ coniectæ in ignem flammam quidem admittunt, ſed nulla ſui parte amiſſa, nitidiores euadũt. Tertiò ἀμάραντον, immarceſſibile, quod putredinem nõ ſentit ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι. Hinc amarantus flos qui idem eſt helichryſus, quod non mareſcat.

Verſ. 5. *Nos inquam qui virtute Dei cuſtodimur.*

Primum beneficium hactenus illuſtrauit magnifica oratione, cauſa efficiente, vero vſu, cauſa media, ac finali: ex quibus totidem argumenta duci poterant, ad probandam conſtantiã in ſuſcepta religione. Nunc ſecundum beneficiũ pergit nobis deſcribere, quod eſt cõſeruatio diuina inter tot huius mundi pericula. Applicat autem ipſis fidelibus hanc deſcriptionem, vt cõſtet ipſis, ſeriò eos eſſe curæ Deo. Ac orationem obſcuram facit periodicum genus dicendi. Repetatur igitur ἀπὸ κοινοῦ ὁ ἀναγεννήσας ἡμᾶς τοῖς ἐν δυνάμει θεοῦ φρουρουμένοις: Deus, inquam, nos, quos regenuit, cuſtodit ſua potentia. Sententia igitur eſt, pios ſingulari Dei beneficio conſeruari in hoc mundo ad vitã æternã. Ideóq; in hac profeſſione, oportet ipſos eſſe conſtantes. Primùm conſidera vocem φρουρουμένοις. Militare eſt vocabulum φρουρά, præſidiũ dicitur, quod ſolet locari, qua parte irruptio hoſtilis metuitur. Pij igitur dum ſunt in periculis, ſciant totidem eis diuinitus parata eſſe præſidia: millia millium cuſtodiunt eos. Hinc Angeli ſunt miniſtratorij Spiritus, qui ad ſalutẽ piorũ mittuntur. Sic Daniel inter leones, præſidia habuit diuina: ſocij Danielis contra flãmas ignis: Iacob contra fratrem Eſau: Iſraëlitæ contra Pharaonem. Secundũ beneficium. Heb. 1. 1.

Deinde potentia Dei munita ſunt illa pręſidia, quę opponi debent omnibus mundi perſecutionibus. Quanto autem Deus eſt potentior mũdo, tanto pij firmiora habent præſidia.

Tertiò medium apprehendens præſidia illa, eſt fides: hoc eſt, firma illa ſpes viua, quę eſt donum Dei ſeriò apprehendens promiſſiones diuinas. Quartò finis eſt ſalus: non igitur ad malum cedent perſecutiones: ſed cooperabuntur ad vitam æternam, quæ ſuo tempore reuelabitur.

Verſ. 6. *In quo exultatis.*

Tertium beneficium Dei quod ſuis confert per Euangelij cognitionem. Sententia eſt, Pij in profeſſione Chriſtiana ſentiunt etiam euidentem Dei cõſolationem in aduerſis: Ergo in hoc debent eſſe conſtantes. Cõſolationem voce exultationis ornat, ab *effectu* rem denotans. Eſt enim exultatio fructus diuinæ conſolationis, ac quiddam amplius, quàm ſit gaudium, quod eſt animi lætitia ob præſens aliquod bonum: ſed foris apparet, vultu, voce, & geſtu ſeſe prodit. Exclamant præ gaudio pij, exiliunt, hilares ſunt vultu & voce: tanta vis eſt conſolationum Dei. His affectibus opponit perſecutionum molem, ſed per imminutionem, ὀλίγον λυπηθέντες, quaſi dicat. Modicum eſt quicquid illud eſt afflictionum, multiſque partibus illuſtrior eſt conſolatio. Addit tamen perſecutionum congeriem varijs tentationibus, hoc eſt, quæ ſpecie variant. Inedia, fame, infamia, exilio, tormentis explorantur, alij Tertium beneficium.

aduersis, alij secundis tentantur: sed victores sunt pij per Dei consolationem. Denuum obserua crucis differentiam. Pij non sibi fabricantur crucem, nec sponte accersunt, sed à Deo impositam demum subeunt. Quod Apostolus Petrus dixit εἰ δέον ἐστὶ, si opus sit, q.d. Non est opus vt pericula non necessaria accersatis: quemadmodum boni ciuis est, bella non necessaria minimè ciere: sic pij non accersunt sibi sponte pericula: ac quemadmodum Græci dicunt, μὴ προσάγον τῷ πράγματι χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε. Itaque caueri sæpe possunt pericula. Hinc est quod Christus in suis non solum simplicitatem columbinam, sed prudentiam serpentinam requirit.

Quartũ benefi-cium.

Vers.7. *Vt probatio fidei.*

Quartum beneficium, probatio sub cruce, quasi dicat. Illustris est probationis vsus & gloriosus fructus. Igitur perdurandum est diligenter in hac professione. Probationem fidei dicit, vt sup. Iacobus c.1. Reliqua collationẽ habent. Nam aurum igni cómittitur, non ad interitum, sed ad gloriam. Sic fides cruci ad gloriam subiicitur. Sic Iob.23. Ipse nouit viam circa me, ipse probat me, vt quasi aurum egrediar: & Prou. 17. Vt conflator probat argentum, & fornax aurum: sic Dominus probat corda. Argumentum valet à consimili fine. Vt enim aurum igni committitur ad purificationem ac probationẽ suæ bonitatis: sic pij eodem fine subiiciuntur cruci. Ἔπαινον, τιμὴν, δόξαν refero ad piorum gloriam. Nam spes laudis & gloriæ, eos excitat ad constantiam. Ac ἔπαινος fieri solet verbis, τιμὴ gestu, ac rebus, δόξα verò sanum est iudicium de alicuius virtute.

Quintũ benefi-cium.

Vers.8. *Quem non videntes.*

Quinta virtus seu beneficium, quod Deus confert per Euangelij doctrinam: fides scilicet illa à rebus subiectis depingitur, quòd scilicet absentium sit apprehensio: vt ad Heb.11. dicitur ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων. Ideo Christus beatos prædicat eos qui credunt, & non vident. Ioan.20. Atque hanc laudem piis hîc tribuit.

Vers.9. *Reportantes finem.*

Sextum beneficium.

Sextum beneficium, vita scilicet æterna. Finis fidei est salus animarum, quæ per Euangelij cognitionem confertur. Igitur in hac professione Euangelica, oportet constantes manere. Via autem est per afflictiones.

Vers.10. *De qua salute.*

Hactenus protulit ex Dei thesauris beneficia specialia quæ Deus suis confert professoribus Euangelij, atque hinc ad constantiam animauit. Nunc alio fundamento vtitur, consensu scilicet prophetico, cui innititur professio nostra. Igitur in hac oportet esse constantes. Primùm hinc constat de antiquitate religionis nostræ, quòd à Prophetis ortum habeat: & ob id consensus est in nouo & veteri Testamento. *Locuti sunt de hac ipsa gratia in vos effusa.* Nó igitur est noua doctrina, sed vetustissima. Deinde hunc ipsum finem propositum habuerunt, scilicet quonam pacto ad vitam æternam peruenire possent homines. Tertiò summo desiderio huic inquisitioni incubuerunt, quod duobus verbis exprimit, ἐκζητεῖν & ἐξερευνᾶν. Vtrumque enim cum studio desiderium singulare refert: quemadmodum Christus dixit Luc. 10. Multi Prophetæ & reges desiderarunt videre quæ vos videtis, & non potuerunt.

Vers.11. *Scrutantes in quem, aut.*

Christi Spiritus.

Persequitur Prophetarum diligentiam in perquirendo mysterio noui Testamenti. Primùm hoc expẽde, Spiritum Christi fuisse hunc ipsum qui in Prophetis egit, ideóque à Christo illis datus fuit: procedit enim tam à Filio quàm à Patre. Deinde à Christo impetratur fidelibus à Deo Patre. Deinde is Spiritus prædixit res de Christo euenturas interdum obscurè, vt ne ipsi Prophetæ mox intelligerent, nisi longa & diligenti inquisitione adhibita, vt temporum circũstantiam, quando singula essent euẽtura.

Quid prędixerit Spiritus.

Tertiò quid in primis prædixerint. Duo scil. Passiones, h.e. humilitatem Christi, & gloriosam exaltationem, quorum testimonia in Scripturis Propheticis obsunt diligenti lectori, vt Genes. 49. tempus aduentus describitur: sic in Daniele cap.9. passio ab Esaia, 53. natiuitas, Esaiæ 9. Zach.9. exaltatio, Esa.42.53. & alibi. Quæ omnia faciunt ad confirmationem fidei nostræ, quòd & antiquissima sit, & in hac nihil casu euenerit, sed certo Dei consilio, adeò vt de omnibus, priùs omnia Prophetæ nos luculenter monuerint.

Vers.12. *Quibus patefactum est.*

Vsus Prophe. lab.

Vsum ostendit Propheticorum laborum, quòd scilicet non tam sibi quàm nobis desuda-

desudarint. Sic Rom.15. dicit, ad nostram vtilitatem scripsisse: & 1. Cor. 10. ad nostri admonitionem, in quos, fines seculorum inciderint. Alludit autẽ hic ad historiam Spiritus sancti effusi in die Pentecostes, Act.2. Demum dignitatem religionis Christianæ proponit Angelorum desiderio, quòd & ipsi hæc mysteria non solùm admirẽtur, sed plene illis satiari non possint. Verbum παρακύψαι habuimus etiam Iacob.1. cap. significat omnia summa diligentia explorare ac contueri diligenter.

Hactenus exordium, principe Apostolorum planè dignum. Graue enim ac illustre est, continens seminaria confirmationis. Nam quæ iam sequuntur, hinc robur habent, adeóque his tanquam fundamento infallibili nituntur. Ideóque huc tanquam ad scopum & ad ipsam propositionem, quæ hactenus dicta sunt omnino erunt referenda.

Propositio principalis.

Exordium D. Petri facilè certat cum quouis D. Pauli exordio. Constat enim rerum amplitudine, verborum proprietate, ac compositionis grauitate. In rebus sanè inest σεμνότης καὶ λαμπρότης. De nostri enim regeneratione disserit, de cõseruatione sub cruce, de consolatione in aduersis, de probatione, de fide ac vita æterna: ac in his omnibus ostendit consensum veteris Testamenti cũ nouo, quę omnia maiestatẽ scripto addunt. In verbis verò expressit veras rerum causas, proprios effectus, causas medias, ac finem tandem vltimum, vt tot beneficiorum Dei, vna & plena causa est diuina misericordia: materia, Christi passio, quæ & causa organica est salutis: finis vltimus, vita æterna: via media per crucem & afflictiones, in quibus fide & spe conseruamur.

Compositio quoque grauitatem habet: est enim tota περιοδολικὴ καὶ περιοδικὴ, quòd sentẽtiam quidem in speciem facit obscuram, sed dignitatem affert compositioni, & ad vnum relata verbum facilè admittit lumen, ac perspicuitatem.

Huic exordio iam attexenda est propositio, quæ sequitur vers. 13. *Quare succincti lumbis mentis vestræ, sobrij, integrè sperate in gratiam quæ vobis offertur in reuelatione Iesu Christi.*

Verba hæc propositionem principalem continent totius Epistolæ, ideóque diligentius explicanda erunt. Nam superiora & consequentia omnia hinc pendent, tanquam scopo & cardine. Sententia est, Professi Christianismum, omnibus impedimentis reiectis, constanti fiducia Euangelio adhærere debent. Hæc Apostolus Petrus verbis appositis exprimit, vt non solùm fiduciam requirat, sed eius quendam modum exprimat, quasi formam & natiuam animam, causis etiam certis hoc mandatum niti subiudicat.

Partes propositionis sunt quatuor. Primùm enim mandatum habetur constantiæ in his verbis. Propositionis partes 4.

II. Forma constantiæ, qua prædicatum illustratur certis circunstantiis.

III. Addita est prædicati determinatio, hoc est, gratiæ in quam constanter credere debemus, quæ sumitur à tempore, quando scilicet nobis offeratur.

IIII. Mandati ratio: nam illatione quadam hæc constant, quæ nisi firmas habeat rationes, frustra proponetur. De his igitur iam ordine agemus.

Mandatum cõstantiæ. *Sperate in gratiam quæ vobis offertur.* Sperate accipio pro credere, & firmiter adhærere. Sunt enim cognati effectus, Spes & Fides: sic sperare & confidere. Fides quidem causa est spei: sed eadem spes pro fiducia accipi solet: quod ipsum quoque significat fides, fiduciam scil. constanter innitentem rebus obiectis. Sic loquitur vetus Testamentum: In Domino habe fiduciam tuam, Prou.3. & Ierem.39. Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam: hoc est constanter mihi adhæsisti. Sic in nouo quoque Testamento sic loquitur Scriptura de fiducia innitẽte promissionibus de Christo, vt Philip. 3. Nos sumus vera circuncisio, qui gloriamur in Christo, & nõ debemus fiduciam in carne. Rom.5. Accessum habemus ad gratiam per fidem, h.e. certa fiducia. 1. Ioan. 3. Si cor nostrum nos non accusat, fiduciam habemus apud Deum. Ephes.3. Accessum habemus in fiducia per fidem eius. Itaque quod hîc dicit sperare, idem est, ac firmum esse, confidenter perseuerare in suscepta professione 2. Cor.1. idem dicit, fide statis.

Χάειν accipio pro beneuolentia Dei vltronea, qua nos amplectitur in Filio, nihil tale merentes. Sperare in hanc gratiam est firmiter credere, nos omnia in Christo consequi, quæ ad salutem sunt necessaria. Sic dicitur Ephes.2. Gratia saluati estis per fidẽ, idque non ex vobis. Rom. 3. Gratis iustificati ipsius gratia. Huius gratiæ efficientis nos gratos Deo, propria actio est, delere peccata nostra, & nos iustos efficere, adeóq; ha- Sperare in Dei gratiam.

biles ad vitam æternam consequendam. Hinc toties commendatur nobis illa gratia in Scripturis, quia omnia sic misericordiæ Dei debentur. 2. Cor. 9. Hinc dicitur omnes gratia, hoc est copiosa. Offertur autem nobis, inquit, significãs nihil hic de nostro afferri: sed totum deferri ad nos: offertur autem in Christo. Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus. Colos. 1. Placuit Deo in illo habitare omnem plenitudinem. Itaque sperare in oblatam gratiam, est hanc ipsam grato animo amplecti, eadémque digne viuere. Ephes. 4. Ambulare dignè vocatione vestra. Philip. 3. Ad supernæ vocationis brabium aspirate.

Quid lũborũ nomine significetur.

Forma spei. Huc refero quæ addit de modo confidendi: qualia sunt, primùm, *Succincti lumbis mentis vestræ sperate.* Metaphora manifesta est in succinctu. Deinde quia lumbos tribuit menti. Significant autem lumbi solidiores partes circa præcinctum, in quibus robur est hominis, quod cõstat ex Iob. 40. In lumbis robur eius. Hinc Dauid orat, Psal. 69. Domine lumbos illorũ fac semper mutare, h. e. debiles effice illos. Lumbi igitur mentis sunt, ipsa recta ratio renati hominis rectè iudicans de negotio pietatis. Ad hanc succingere debemus omnia impedimenta quę nos à Christo auocant. Vt enim iter facturi, aut cursuri, vel alias grauiores occupationes subituri, dicuntur sese accingere, h. e. impedimenta vestimentorum deponere: sic in constantia seruanda, debent omnia impedimẽta deponi quales sunt affectus carnis, timor, libido, & omnis fructus carnis. Subiici debent rationi renati hominis. Ideo Christus apud Luc. 12. addit oportere non solùm succinctos esse, sed habere simul lucernas ardentes.

Τȣ̃ νήφειν signif.

2. Addit νήφοντες, *sperate.* Significat νήφειν sobrium esse castum ac vigilantem. Sententia igitur est, Ne speretis sine sobrietate vos rectè speraturos. Requirit igitur virtutes, sobrietatis, vt corpus sit castum, victus sobrius, oratio pudica. Hinc rectè dicitur τῆς εὐσεβείας γείτων σωφροσύνη: vicina pietatis est sobrietas. Pius enim non erit ebrius, non scortator, non sermone petulans.

Perfectè sperare dupliciter intelligi posse.

3. Τελείως sperate. Et hæc non est contemnenda spei conditio. Perfectè sperare, id duplici modo contingit. Primò ratione temporis: deinde qualitate vitæ & morum. Temporis ratione dicitur perfectè sperare qui non deficit cõstanter semper perdurãs. Sic Christus inquit, Mat. 10. Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Respectu igitur temporis continuati, dicuntur perfectè sperare, qui à fide semel suscepta nunquam deficiunt. Sic Act. 2. de piis dicitur quòd perseuerauerint in doctrina Apostolorum: ac illo sensu constantiam nobis commendat. Deinde dicuntur perfectè sperare, respectu vitæ ac morum, h. e. cãdidè & synceriter, vt absit omnis fucus & hypocrisis, Ne velitis duobus seruire dominis, mundo & Christo. Sic 1. Corin. 14. præcipitur vt sensibus simus perfecti, & Eph. 6. vt in omnibus stemus perfecti, & Philip. 3. Nos qui perfecti sumus, ita sentiamus. Hęc perfectio in hac professione nobis præcipitur, & est necessaria in confessione. Hoc sensu præcipitur nobis, vt vita ac moribus professionẽ Christi ornemus. Hinc duæ propositionis emergunt. Prior de constantia in suscepta professione, cuius argumenta in exordio posita sunt: posterior de vitę ac morum innocentia, ad quam sequentia ferè omnia in hac epistola referuntur.

Sequitur in propositione, gratiæ oblatæ declaratio: *In reuelatione Iesu Christi.* Hæc verba aliqui referunt ad nouissimum iudicium, q. d. Oportet cõstanter adhęrere huic gratiæ, propter vltimi temporis metum. Sic erit argumentum à metu nouissimi iudicij, vt Rom. 2. dicitur dies reuelationis iusti iudicij. 1. Cor. 3. Dies Domini declarabit, qui in igne reuelabitur. Sic frequenter loquitur Scriptura de vltimo iudicio, ac dicitur reuelatio Iesu Christi, quia filius Dei secundum hominem tum toti mundo reuelabitur. De facie paucis visus est sui seculi hominibus, & quibusdam post resurrectionem: sed quot myriades hinc ad finem mundi crediderunt in Christum, qui Christum hominem non viderunt? His omnibus reuelabitur, vt Filium Dei in carne humana videant, qui iam in abdito est, & tanquam in sancto sanctorum: tunc vt summus Pontifex procedit ad populum suum, eidem benedicturus.

Christũ nobis in Euãg. reuelari.

Sed non satis mẽtem propositionis seruãt isti. Loquitur enim de gratia oblata nobis per Euãgelij prædicationem, in qua nos omnino vult esse constantes. Itaque hic sensus est, Cõstanter adhærete gratiæ vobis oblatæ in reuelatione Iesu Christi, h. e. per reuelationem Euangelij. Euangelium nobis reuelat Christum: hoc est, omnia illius beneficia perspicuè nobis proponit. Hinc rectè dicitur reuelatio D. Iesu Christi. Sic ipse Saluator inquit, Ioan. 17. Pater reuela nomen tuum mundo, hoc est, me illis cognitum facito, vt agnoscant tuam voluntatem in me. De hac reuelatione prædixerat Esa. 49. His qui in tenebris erant, reuelata est lux magna, hoc est, gẽtibus, videlicet toti mundo in ignorantia & cæcitate versanti. Hæc reuelatio facta est nato Christo in carnem.

carnem. Hinc ad Tit.2. Apparuit gratia Dei, & Rom.1. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Tota hęc reuelatio donum Dei est, Matth.16. Caro & sanguis tibi non reuelauit. & Matth.11. Filium nemo nouit nisi Pater, & Patrem nemo, nisi cui Filius reuelarit. Atque hæc est reuelatio nobis offerens gratiam Dei per prædicationem Euangelij.

IIII. Ratio mandati est repetenda ex superioribus, quibus propositio, tanquam iusta illatio est annexa, quod indicat particula διὸ. At hoc loco diligenter sunt repetenda argumenta exordij, quæ vim confirmationis habent, quòd oporteat nos esse constantes in suscepta professione. Nos illa retulimus ad duo summaria capita, Beneficiorum dominorum, & Consensus Propheticæ doctrinæ. Ex his colliguntur iam speciales rationes ad hanc propositionis partem. Nos vt parcamus tempori, lectoris diligentiæ hoc totum committimus, adeóque nos ad sequentem confirmationem referemus, quæ de vitæ moru innocētia loquitur.

Confirmatio altera.

Vers.14. *Vt filij obedientes.*

Propositionem sequitur confirmatio argumentosa. Ac obserua ex superiori propositione generali, duas speciales fluere: prior de constantia seruanda in professione quæ confirmatur in exordio: ideo illinc primaest petenda confirmatio: altera de vita & moribus, quibus ornanda est professio nostra. Atque ista hic confirmatur. Ideo alteram hanc voco confirmationem. Argumenta igitur colligentur ordine.

Primum est à relatiuis: filij debent se ad voluntatem parentum accommodare: Vos estis filij Dei: Ergo vita ac moribus eius voluntati vos accommodate. Filij obedientiæ dicuntur, h.e. renati, vt dicuntur ad Ephes.5. filij lucis: contrà filij carnis, Rom. 6. & filij diffidentiæ, Ephes.2. & 2. Thess. 2. filij perditionis de Antichristo & omnibus non renatis. Filij igitur obedientiæ sunt renati, qui in primis, moribus ac vita debent declarare obedientiam suam.

2. A priori genere vitæ, quod fuit in ignorantia positum, & ob id, in variis cupiditatibus ad quas non decet redire. Cur enim desertum est hoc vitæ genus? nisi quòd turpe esset & displiceret Deo? Id dicit Apostolus, Ne συσχηματιζόμενοι, hoc est, ne fiatis conformes. Sic Rom.12.v.2. Ne conformes reddamini huic seculo. In bonam partem sic loquitur ad Rom.8. Quos præsciuit prædordinauit, vt conformes fiant imagini filij sui. Sic Philipp.3. vers. 10. συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, & vers.21. σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ.

Damnantur hoc argumento scientia & sapientia humana, quantacunque tandem sit sine Christo. Tota philosophia hîc versatur in ignorantia, cuius damāntur gentes ad Rom.1. & Iudæi ibid. cap.2. & 11. vbi scribit obdurationem Israëli accidisse partim, vt plenitudo gentium ingrediatur.

Dicitur ista ignorantia aliàs cæcitas in Scriptura. Ioan.9. Hinc Pharisæi cæci, & duces cæcorum, h.e. in rebus ad salutem necessariis, planè stupidi & inepti. Est illa aliquando affectata, vt in multis Iudæis: aliàs non affectata, vt in Paulo, Petro, &c.

Vers.15. *Sed secundum illũ qui vocauit vos.*

Tertia ratio est ab exemplo Dei vocantis nos ad Filij sui cognitionem. Is est sanctus, h.e. purus ab omni iniquitate: Ergo nos eiusdem puritatis oportet esse studiosos. Sic argumentatur Christus Matt.5. Estote perfecti, vt Pater vester qui in cælis est. Ac addit, *in omni conuersatione:* hoc est, nulla pars vitæ vestræ debet carere innocentia. Dicta & facta resipiant pietatem. 3. arg. ab exemplo.

Vers.16. *Ideo scriptum est.*

Quarta ratio à Dei mandato, vim habet à pronunciatis diuinis. Prius argumentum habet pronunciatũ Apostolicũ: sed hoc, Dei mandatum est. Ideo superiori annectitur vt confirmatio. Vide Deuter.10. Leuit.19. 4. argu. à Dei mandato.

Vers.17. *Et si patrem vocatis.*

Quinta ratio à consequentibus. Vis est argumento ab integritate iudicij diuini: in quo nos nõ excusabit professionis nudus titulus, sed fiet illud secundũ iuris Euangelici rigorem: h. e. vt secundum opera fiat cuique. Curandum est igitur cuique vt innocenter viuas. Deus iudicat sine respectu personarum. Idē dicit Apostolus Paulus Rom. 2. Non est personarum acceptio apud Deum, & Gal.2. Personam hominis Deus 5. argu. à conseq.

non accipit. Porrò tempus vitæ præsentis vocat, tempus παροικίας. Est παροικία vicinia multorum inquilinorum. Hinc videtur dicta parochia, ad vnum sacellū pertinentium cœtus. Significat tamen propriè aduenas, qui alibi nati, alibi verò habitant. Ei opponitur κατοικία, communitas eorum qui loci sunt indigenæ, vt Attici in Attica dicebantur Autochthones, quasi illic nati. Itaque tempus παροικίας est peregrinationis, dum hîc à Domino peregrinamur, vt loquitur Apostolus 2.Cor.5.v.6.

Vers.18. *Scientes quòd non corruptibilibus.*

Sexta ratio à pretio redemptionis nostrę, quod est longè dignissimum: Ergo eodem dignos nos exhibeamus. Porrò suauis antithesis τῶν λύτρων, quæ vel sunt φθαρτά, qualia sunt etiam in mūdo pretiosissima, vt aurum & argentum, quibus Reges sæpe redempti sunt, alia ἄφθαρτα, quale est humani generis λύτρον. Vide 1.Cor.6.v.20. vbi simpliciter ait, nos pretio redemptos. Similia cap.7. sed Apostolus Petrus pretij dignitatem expressit. Deinde vnde simus redempti: *Ex stulta seu vana conuersatione nostra*: Iterum vanitatē prioris vitæ exprobrans. Sup.v.4. ignorantiam in ea vita taxauit, iam vanitatem, ac addit à patribus acceptam, h.e. innatam nobis natura. Tales erant apud Iudæos multæ superstitiosæ traditiones seniorum, vt est videre Matth.15. Mar.7. De his violatis accusant etiam Stephanum, Act.6. Paulus harum se fatetur defensorem ante vocationem Gal.1. Eas hîc damnat Petrus, vt idem fecit Dominus. Ezech.20. In traditionibus patrum vestrorum nolite ambulare, &c. Sunt aliæ bonæ traditiones, quæ consentiunt cum sacris literis quales dicuntur Apostolicæ, & sanæ quædam Paulinæ 2. Thess.2.ver.15.

Vers.19. *Sed pretioso sanguine.*

Thesis est argumēti sexti, exprimens pretium redemptionis nostræ. Apocalypseos 1. v.5. Lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum. 1. Ioan.1.v.7. Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Vide Heb.9.vers.14.

Vers.20. *Præordinati ante iacta.*

Et hæc ad explicationem argumenti sexti pertinent. Ostendit autem non esse nuperum hoc consilium de redimendis nobis, sed vetustum, hinc ab origine mundi, & suprà sic conclusum in arcano Dei consilio. Sic Apocalyp.13. scribitur, occisum hunc agnum ab origine mundi. Sic de Christo iudice futurum loquitur Scriptura quoque quòd negotium hoc ad Dei arcanum consilium pertineat. Act.10.vers.42. & 17.ver.31. Ac de Euāgelio in genere ad Rom.16.v.26. Ephes.3.v.11. de nostra electione, Eph.1.v.9.11.

Septimum hinc deducatur argumentum ab antiquitate consilij huius, quia maiori diligentia debemus consilio tam maturo respondere.

Octauum quoque sumatur ex fine versus, vbi inquit, διὰ ὑμᾶς, propter vos: quæ verba cum sequentibus connecto, vsque ad illa verba, ὥστε. *Sic propter vos qui per ipsum creditis in Deum, qui excitauit illum à mortuis, & dedit ei gloriam.* Vis argumenti est: quia beneficium redemptionis huius pertinet ad solos pios, qui vita ac moribus Christianissimum exprimunt. Nam isti dicuntur Deo propter Christum credere.

In versu 21. ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν. Epilogus est argumentationis, quo infert bonæ consequentiæ illationem. Ac respondet ista illatio propositionis duabus partibus, de constantia scil. seruanda, & de studio bonorum operum. ὥστε, itaque, vertendum erat: est enim μόριον συμπερασματικόν, id est, particula illatiua. πίστιν καὶ ἐλπίδα εἶναι supple δεῖ, vel χρή, oportet. Itaque fidē & spem in Deū esse oportet, hoc est, constantiam seruare debemus in suscepta professione. Fidem & spem coniungit, quia sunt vicini affectus, & fides spei causa est: in vtraque est fiducia. Sic dixerat in propositione, Oportet perfectè sperare. Hoc constantiæ præceptū hîc repetit.

Vers.22. *Animas vestras purgantes.*

Altera pars illationis, qua repetit præceptum de studio virtutum ac bonorum operum. Recitat autem primarias virtutes renati hominis.

Virtutes renati hominis primariæ.

I. Animarum purificatio, quod Christus dixit, mundiciem cordis. Continet illa testimonium bonæ conscientiæ, carétque affectata malitia, quæ virtus propriè est innatis hominibus.

Altera est obedientia veritatis: Iacobus vocat λόγον ἀληθείας, sermonem veritatis: sic Petrus obedientiam veritatis, quæ est Euangelij obedientia, seruans vitæ innocentiam,

& studium bonorum morum: ac fructus illi sunt puritatis animarum. Apostolus hîc monstrat veram causam efficientem Spiritum sanctum. Christus Ioan. 15. dicit mundos propter sermonem suum, Petrus per Spiritum sanctum id fieri dicit eodem sensu.

Tertia est dilectio fraterna. Hæc virtus & aliarum fructus est, & incurrit magis in oculos spectatorum. Largitur ac dat continuè fratribus: ex quo cognosci potest obedientia veritatis, & puritas animarum. Huius laudes vide alibi, vt 1. Tim. 1. Finis mandati charitas. Rom. 12. vers. 10. Ephes. 4. v. 2. ἀνυπόκριτον. distinguit dilectionem in verã & falsam: significans dominari in mundo vt plurimum fictam dilectionem. Deinde monstrat veræ dilectionis verum fontem, cor scilicet purum. Est enim fons & scaturigo affectuum, sic etiam dilectionis. Vt igitur limpida hinc hauriatur aqua, fontem purum esse oportet. Tertiò continuationem requirit voce ἐκτενῶς, vt sit non interrupta & liberali affectu.

Vers. 23. *Renati non ex semine.*

Redit ad argumentationem: ac ducit hîc argumentum à præstantia ortus nostri. Loquitur autem ad renatos: ideo ab illius præstantia valet argumentum. Porrò cum dignitate proponit argumentũ per antitheta qualia sunt semen corruptibile, & semen incorruptibile. Σπορὰ ἄφθαρτος satio est incorrupta, hoc est, regeneratio ad vitam æternam, quę corruptioni nõ est amplius subiecta. Illius causa efficiẽs est media, λόγος Θεοῦ, verbum Dei, per quod vocamur ad sui cognitionem: apud Mat. 13. Semen est verbum Dei quod cadit in bonam seu malam terram: nec pugnat ab hac sententia. Nam organum est, quo ad salutem trahimur, externa verbi prædicatio: quæ si radices agat in cordibus nostris, λόγος ille semen est & edit multiplicem fructũ. Ideo hoc loco ζῶντος καὶ μένοντος malo cum λόγου construere: nam sic maior vis accedit argumento quàm si cùm Θεοῦ construas. Debet enim sermo ille viuus & in nobis manere dum fructum in nobis edit bonorum operum: nec excludit Deum, quin simul in nobis maneat ac viuat. Semen corruptibile.

Vers. 24. *Quia omnis caro.*

Explicatio est argumenti præcedentis. Ostendit enim quæ sit φθαρτὴ σπορά: satio corrupta est quam omnes habemus ex Adamo, ex sanguine & carne nati ad mortem, itáque filij. φθαρτὴ dicitur, quia non solùm corpus est obnoxium corruptioni: sed secum trahit perniciem animarum. Caro fragilitatem naturæ humanæ indicat, sub qua comprehenditur iudicij ac rationis etiam malitia. Hanc fragilitatem illustri comparatione fœni & floris proponit. Vide locum apud Esa. 40. v. 7. & 7.

Vers. 25. *Verbum autem Domini.*

Contrarij membri est explicatio: in quo loquitur de immortali semine, ex quo ortum suum habent pij. Σπορὰ ἄφθαρτος, regeneratio, est testimonium conciliati Dei: ea fit per verbum quod manet in æternum. Sic dixerat vers. 23. λόγου μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα. Quò respiciens citauit simile dictum ex Esaia: ῥῆμα Θεοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα. Itaque λόγος & ῥῆμα idem sunt: ac significant prædicationem Euangelij per quam conuertimur. Illa in æternum manet, non quatenus est litera scripta, aut vox auribus percepta, sed vsu durãte & fructu, quem inde accipimus, hoc est vita æterna.

Hunc sensum probamus ex verbis Apostoli, Petri quæ subiicit ἐπεξηγητικῶς: hoc autem est ῥῆμα, quod prædicatum est vobis: significans ῥῆμα esse Euangelij doctrinam illis propositam, aut certè ῥῆμα est ipse Christus, qui & λόγος apud Ioannem dicitur, & ῥῆμα in Prophetis, hoc est, *dabhar*, vt Hebræi loquuntur. Hoc ῥῆμα illis prædicatum manet verè in æternum: & nos sua membra aliquando sibi conformia reddet, gloria & maiestate: atque ex eo trahimus ortus nostri dignitatem, cuius respectu debemus in primis bonorum operum studio flagrare, &c.

CAPVT II.



PErgit vitam piorum instituere, vt suprà cœperat: ideóque repetit propositionem mutato genere sermonis, eámque nouis rationibus munit. Hinc descendit ad locos personales de officio subditorum erga magistratum disserens: item de officio seruorum erga heros. Ὑπόθεσις 2. cap.

Tres igitur loci sunt in hoc capite. Primus ex superiori capite repeti- Partes.

tus est, noua adhibita tractatione: secundus & tertius vt species, primū respiciunt tanquam genus. Ille θέσιν habet, hi verò ὑποθέσεις.

Primus propositionem habet, confirmationem & epilogum: Quibus partibus in primo capite iam eadem res est explicata. Verùm hîc omnia nouis rationibus tractantur, & ipsa quoque propositio vehementiùs & dilucidiùs proponitur. Cuius sententia illa est, Christiana pietas sic est addiscenda, vt in illa ordinanda quotidie magis ac magis bonis moribus proficiamus.

Vers.1. *Proinde deposita omni malitia.*

Primi duo versus habent ἀνακαίνωσιν προτάσεως: hoc est, propositionis repetitionem quod commodè fit, quia superioribus connectuntur tanquam πόρισμα. Dixerat enim, Verbū per quod regeneramur, illud ipsum quod nobis per Euangelij prædicationem offertur, quódque in nobis, vsu æternum est: ex quo infert: Oportet igitur hoc Euangelium diligenter addiscere, & ea addere quæ ad bonos mores spectant. Verùm Apostolus eruditam adhibet tractationē. Nam propositionem illustrat contrariis locis fugiendorum & sequendorum. In illo est ἀποτροπή: in hoc verò προτροπή ac vis ipsius propositionis.

Fugienda est pio homini malitia omnis, ideo deponenda etiam ea, quæ inest. Hoc phrasi vtitur Paulus Ephes.4. v.22. ἀποθέσθαι κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον. Et Coloss.3. v.8. Nunc autem deponite vos ista omnia, iram, &c. & ad Hebr.12.v.1. ἀποθέμενοι πάντα ὄγκον καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. Idem igitur sunt, Deponere malitiā, deponere veterem hominem, deponere onus pecccati, quod nos circunstat: nec significant aliud quàm in nouitate vitæ ambulare, Rom. 6. v.4. aut non ampliùs seruire peccato. Ex quo constat hîc repeti doctrinam de studio bonorum operum, quam primo capite iam proposuerat. Porrò κακία hîc vt genus ponitur omnium vitiorum, quę pietatem Christianam deformant, vt sit sensus, Quicquid professionem nostram deformem reddit, hoc omnibus modis est fugiendum. Ideo vniuersalem addidit, πᾶσαν. Ac quanquam sint etiam errata quædam in dogmatibus, tamen hîc præcipuè agit contrà morum vitia, quia scribit ad eos quos sciebat rectè esse institutos, non tamen perinde rectè viuere. Nihil tamen obest sub κακία accipere quoque vitia quę in dogmatibus irrepunt. Generi subiicit species aliquas primarias, vt est dolus, hypocrisis, inuidia, obtrectatio, fortè quia iam tum Christiani his vitiis in primis laborarent, vt nostrum seculum in primis hac parte laborat sed illorum explicatio pertinet ad locos communes.

Vers.2. *Vt modò nati infantes.*

Altera pars propositionis iam sequitur, de sequendis seu appetendis: atque hîc propriè latet propositio, quòd oportet & discere & crescere in doctrina Euangelica, quasi dicat, In studio pietatis oportet quotidie magis atque magis proficere. Ad hanc rem illustrandam adhibet aptissimam tractationem. Nam pios vocat infantes, in quibus commendabilis est simplicitas & innocentia, ac insuper mira vis naturæ ad crescendum. Tales oportet esse pios. Βρέφος dicitur παιδάριον ἄρτι γεγονὸς puer recèns natus: seu ἀπὸ τοῦ φέβρω, quod est στρέφω, quia in vtero materno pro certa interualla moueatur, seu ἀπὸ τοῦ τρέφω, quod est nutrio, quia alimento in primis indigeat idoneo.

Cur fideles dicantur βρέφη. Mat.18.3.

Pij rectè dicuntur βρέφη, quia recenter per Christum renati sunt, quia simplices esse debent, & vitæ innocentiam in primis debent tueri, & denique quia ad similitudinem infantum debent ingredi in regnum cælorum.

Deinde ἀρτιγέννητα vocat, quo noua professio commendatur. Nam infantiæ similitudo magis simplicitatem commendat, cui accedit noua professio, & in vtroque studium proficiendi requirit. Admonemur primam natiuitatem quam ab Adamo trahimus, totam esse vitiosam: ideóque quicquid ex illa habemus, deponendū esse apud Christum: nouam verò natiuitatem, quæ ex Christo est, solam esse Deo gratam.

Tertiò addit verba προτάσεως, *Desiderate & crescite*: ἐπιποθεῖν, desiderij est, & studiū exprimit discendi veram doctrinam pietatis: αὐξηθῆναι verò progressum significat, vt vera sit sententia priùs à nobis expressa.

Confer hanc propositionem cum illa in primo cap.v.13. illic dixerat oportet τελείως ἐλπίζειν, perfectè sperare. Hîc illud explicat, Oportet seriò ac ardenter pietatem discere, & hanc doctrinam vita & moribus ornare. Hoc est quod dicit hîc, Desiderare & crescere. Distinctè tamen de vtroque loquitur, appetimus enim rem, vt in illa crescamus: ideo τελικῶς posterius posuit & prius ποιητικῶς.

Quartò quid appetere, & in quo crescere oporteat, exprimit: γάλα, lac, suaui metaphora

phora hic appellans doctrinam pietatis in primis de bonis moribus & officiis hominum renatorum, quæ tota sic discenda est, vt in illa laudabiles progressus faciamus. Ac significat alias hæc metaphora initia pietatis, vt ad Heb.5. v. 12. Facti estis ij, quib. lacte sit opus, non solido cibo: exprobrans illis tarditatem in discendo negotio pietatis, quod in hac re, nullos facerēt laudabiles progressus. Vt enim laudabile est renasci, h.e. in Christo fieri puerum, sic illaudabile est, semper velle puerum esse, & lacte delectari. Similia vide 1. Cor.3.

Deinde γάλα λογικὸν vocat, quia metaphoram attulit in lacte: ideo distinctè quoque vocat lac illud λογικὸν, quasi dicat, non esse σαρκικὸν, nō alere corpus sed mentem, non esse externū, sed in doctrina consistere & spiritu. Ἄδολον autē quia hęc doctrina sua natura est casta, salutaris ac syncera, ideóq; tutò imbibitur. Deinde quòd oportet hanc synceriter proponere: & ob id discentibus non mox credendum est omni spiritui, sed probādi sunt, sintne ex Deo. Præterea candidè imbibenda est, non malo fine, vt Simon Magus voluit fieri Christianus, vt sub illo titulo ditesceret. Illud est cauponari verbum Dei. Videant igitur & doctores & auditores vt lac istud Christianæ pietatis purum retineant: doctores de suo nihil affingant, nominatim in doctrina bonorum operum. Auditores quoque bono fine discant, & proficiant ad gloriam Dei ac proximi commodum, ne lac aquosum aut serosum illi vendant, aut hi efficiant. Atque hactenus propositio. Ἄδολον. 2.Cor.17.

Vers.3. *Siquidem gustauistis.*

Confirmatio sequitur: ac sumit argumentum à notitia iam acquisita, cuius dulcedine hortatur ad studium proficiendi. Solent enim initia doctrinarum nos ad cursum prouocare, si dulcia sint, si aliqua iam sentiatur vtilitas: contrà si dura, tristia ac inutilia sint, facilè nos deterrent. Sensus igitur argumēti est: Iam bene cœpistis, iam sentitis vtilitatē & dulcedinem Christianæ pietatis: Igitur debetis diligenter in hac proficere & crescere. Argumentum nititur ipsorum conscientia: nam verè pij hanc dulcedinem negare non possunt. χρηστὸς dicitur εὐγνώμων beneficus, facilis, vtilis: sic pij sentiunt Dominum esse χρηστὸν, hoc est, illis vtilem & facilem, vt Dauid etiam loquitur Psal.34. Ac Dominum hic accipio ipsum Christum Dominum, nō Deum in genere, aut Patrem, sed Filium. Validius igitur est argumentum. Pij Christum sentiunt esse re & nomine χρηστὸν, hoc est beneficium: Igitur in illius disciplina debent proficere. Ac suauis est nominum allusio inter χρηστὸν καὶ Χριστὸν. Sic ipse Dominus Christus ait, iugum suum esse facilè & suaue. Quomodo autem χρηστὸς est Christus? in vocandis nobis, in recipiendis, in reconciliando, pacando conscientias, remittendo peccatum, defendendo, consolando, & illuminando: hāc consolationum dulcedinem soli percipiunt electi: Ideo isti soli vim huius argumenti intelligunt. Reliqui facilè ridebunt. Matt.11.30.

Vers.4. *Ad quem accedentes.*

Consequens est argumenti. Nam versu tertio, solùm antecedens posuit, continens καθ' ὑπόθεσιν dulcedinem quam fatebantur. Hinc igitur infert, Experti iam estis Christum benignum, Igitur eius benignitati vos accommodate. Hoc dixit Apostolus Petrus ad Christum Dominum accedere, & in illo ædificari, sed antequam absoluatur totum consequens, priùs digreditur in laudes Domini nostri Iesu Christi, vt scirent quid in illo præsidij habituri sint, si ad illum seriò accesserint. Petuntur illa ornamenta Christi ferè ex Psal. 118. Lapidem reprobarunt ædificantes, hic factus est, in caput anguli, à Domino factum est hoc, & est admirabile in oculis nostris. Citatur idem à Christo de se Mat.21. ver.42. Marc.12.10. Luc.20. v.17. & in Actis à Petro. Lapis dicitur propter robur & soliditatem. Viuus autem dicitur quia lapis est κατὰ μεταφορὰν, vt via, ostiū, leo. Reliqui lapides insensibiles sunt & mortui, hoc est, vita carentes: Christus autem viuus est lapis, hoc est, res robustissima & solidissima instar lapidis, *Ab hominibus reprobatus*, hoc est, ab ædificantibus, qui in Scriptura Doctores dicuntur, & à Christo duces cæcorum, qui clauem scientię habent. Ipsi non ingrediuntur nec sinunt vt alij ingrediantur, quales erant Christi seculo, Scribæ & Pharisæi qui Christum reprobarunt. Hos sequuta reliqua turba, dixit, Non habemus regem nisi Cæsarem, tolle hunc & crucifige, dimitte nobis Barrabam. Hæc reprobatio adhuc Iudæis obest, quibus Christi crux offendiculo est, & ethnicis stultitia. Nos hodie vita ac moribus reprobamus. Interim à Deo est electus lapis, quia organum est salutis, & nobis datus ad sanctificationem & iustitiam: pretiosus quoque, hoc est, honor dignus, cui Deus Pater dedit omnia in manus eius, & dedit illi nomen super Act.4.11.

Philip.2. omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu. Hæc antithesis iudicij humani & iudicij diuini, diligenter debet expendi. Sic enim constabit nobis de præstantia Domini Christi viui lapidis.

Vers.5. *Et ipsi, vt lapides viui.*

Absoluitur hic demum redditio totius consequentis. Accedere dixi esse, serio ad Christum conuerti: nunc quid ab his post accessionẽ requiratur, patefacit. Non enim oportet apud Christũ otiosum & desidem esse: itaque oportet apud illum ædificari, οἰκοδομεῖσθε. Ab ædificantibus sumpta vox significat crescere more ædificij, quod προσθέσει crescit. Nam accessione lapidum surgit in altum ædificij moles. Ita singuli in Christo accessione virtutum, & fidei incremento absolutiores fieri debent. Ideo lapides nos facit viuos, quia vitã in Christo habemus, & in totius Ecclesiæ corpore impacti, eodem Spiritu vegetamur, quo regitur & gubernatur tota Ecclesia. Sumus illius lapides, hoc est, membra. Ideo κατὰ μεταφορὰν domum vocat: ac proriè domum spiritualem alludens ad templum Dei, quod domus Dei dicitur passim. Hinc Ecclesia domus Dei dicitur translatiuè vt 1.Pet.3. v.17. Iudicium à domo Dei incipit, hoc est, à piis. Et 1.Tim. 3.15. Vt scias quomodo oporteat te versari in domo Dei quæ est Ecclesia. Huius domus, hoc est templi, Pontifex est Christus Heb.10.v.21. Quod clariùs dicitur ad Hebr. 3.v.6. Christus vt filius domui præest, cuius domus nos sumus. Eadem ratione dicimur templum Dei 1.Cor.3.& 2.Cor.6.

Domus spiritualis.

Secundò in hoc ipso templo, non solùm sumus lapides viui, cuius respectu oporteat crescere: sed etiam alio respectu sumus sacerdotes. Apostolus vocat sacerdotium sanctum, cuius respectu debemus offerre Deo hostias viuas spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hostiæ hæ sunt laudum & gratiarum actiones. Sic Rom.13. explicatur λογικὴ λατρεία. Atque hæc duo officia piorum illustrant propositionem, Oportet in Christo ædificari, & per illum offerre hostias Deo acceptas: Ergo oportet in professione pietatis, magis magísque proficere studio bonorum operum.

Sacerdotium sanctum.

Vers.6. *Quare etiam, &c.*

Duo in argumento superiori fuerunt membra: prius de laudibus Christi ad quem nos vocat: posterius de piorum officio & dignitate iam Christum profitentium. Vtrumque deinceps illustrat, ac probat. Itaque probatio hæc pertinet ad dignitatem Domini confirmandam, de qua dixit versu 4. Ac profert locum ex Esaia, vbi Propheta Christum vocat lapidem angularem, ἀκρογωνιαῖον. Apud Heb. est *ebhen pinnath*, lapidem anguli. Sic Ephes.2. ver.20. dicit nos superstructos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ὄντος ἀκρογωνιαίου Iesu Christo: vbi diximus qua ratione dicatur ἀκρογωνιαῖος. Quod hîc habetur, *Qui crediderit ipsi non confundetur*, apud Heb. est *lo iachisch* non tardabit: sed Apostolus Paulus Rom.9. vers.33. & Rom.10. vers.11. vertit vt hoc loco Petrus.

Esa.28.16

Vers.7. *Vobis igitur est honor.*

Applicat vsum lapidis angularis per distributionem. Bonis est lapis ille τιμή, hoc est, ἔντιμος, vt dixerat vers.4.& 6. hoc est, Illis est salutaris & ob id, illi non confundentur, quia huius fundamento innituntur. Reprobis verò lapis est offensionis, & petra scandali. Allusit ad locum Esaiæ. Sic Rom.9. ver. 33. quoque citatur. Luc.2. vers.34. dicitur εἰς πτῶσιν, item εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Cogitent hoc pij, & sese erigãt firma spe in omni fortuna. Non potest illos fallere hic lapis fundamentalis. At contrà impij contremiscunt metu scandali & offensionis istius. Sic Christus Iudæis offendiculo est, ethnicis stultitia. Galenus scholam Christi dixit carere demõstratione, & ob id eam contemnit, sed illidunt sua capita, & conteruntur casu illius lapidis.

Esa.8.14.

1.Cor.1. 23.

Vers.8 *Qui impingunt.*

Explicat causam tãti mali, cui bona pars offendatur illo lapide, quia doctrinam illius contemnunt. λόγος Christi est doctrina, ac vt ait Galenus, schola Christi: huius contemptus causa est incredulitas, quam natura habent homines reprobi, vnde dicit eos ad hoc esse positos, quasi dicat, sunt vasa iræ, & vasa ad ignominiam. Quis autem illos sic posuit? Respondes, Non Deus certè, qui boni author est & ordinis, non mali ac ἀταξίας: sed Satan tales posuit, & innata malitia: nec est opus in causarum peccati inquisitione, aliò progredi, quàm ad nostram naturam. Latent enim in nobis, non in Deo eius causæ.

Rom.9. 22. 1.Tim.2 20.

Vers.9.

Vers.9. *Vos autem genus electum.*

Exo.19.6

Hæc iam pertinent ad probandam dignitatem piorum ac præstantiam. Locus sumitur ex Mose, cuius verba ferè hic repetuntur, & applicantur piis, vt in Apocal.cap.1. ver. 6. dicitur de Christo, Is fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri. Electum genus dicũtur pij ad similitudinem Israelitici populi, qui ex toto mundo selectus fuit: sic pij ad vitam æternam ex omnibus ætatibus seliguntur. Regale sacerdotium, hoc est, magnificum, & ferè diuinũ. Reges igitur sunt pij, quia à Christo, Christiani dicuntur. Dicitur enim Christus vnctus, hoc est, Messias, quo titulo, Reges ornabantur apud Iudæos, vt Saul messias Domini dictus est, h.e. rex vnctus à Domino. Vide Lactant. lib.4. de vera sapient. cap. 7. Sacerdotes quoque sunt, ob causas sup. vers.5. expressas. Gens sancta, hoc est, bonis operibus destinata: populus acquisitionis. Apud Hebr. est *segulla*, quod Græcis est περιούσιον, Apostolus hic vertit περιποίησιν. Et Paulus quoque Ephes.1. vers.14. in redemptionem περιποιήσεως. Et 1. Thes.5.9. in περιποίησιν salutis. Ad Tit.2. vers.14. vertit περιούσιον. Nos hinc discamus agnoscere præstantiam nostram, quã nisi vita & moribus ornauerimus, nihil nos titulus nudus Christianismi iuuabit. Ideo subiicit, *vt virtutes eius prædicetis*. Virtutes accipio Christi beneficia nobis exhibita. Prædicant virtutes eius qui gratias agunt pro beneficiis eius: & eadem aliis commẽdant, in primis qui vita & moribus professionem ornant. Ἀρετὴ philosophica dictio est. Sic 2.Pet.1.vers.5. ponitur: de Christi virtutibus loquens hic & illic, quas nos per Christũ habemus in hac vita, quia in Christo perfectæ sunt, quas magnis sudoribus hic quærunt philosophi. Vera sapientia, temperantia, iustitia, fortitudo, &c. in Christo habentur: officium igitur est piorum Christum prædicare. Ratio est, quia vocauit nos ex tenebris ad lucem suam admirabilem. Antithesis est vitæ, admonens nos quales olim fuerimus sine Christo, & quales nunc sub Christo. Illic sunt tenebræ, hoc est, ignorantia veri Dei, ac cæcitas rerum diuinarum. Sic argumentatur Paulus Ephes.5. vers.8. Eratis olim tenebrę. Quę detestamur diligenter fugienda sunt: tenebras, hoc est, prius vitæ genus detestamur, Ergo, &c. Sic contrà, Quæ appetimus & admiramur, hæc diligenter sunt excolenda: Christi cognitionem admiramur, ergo excolenda. Admiramur autem quia lux est: hanc rationem soli pij agnoscunt, qui radios lucis illius perceperunt.

Electũ genus.

Regale sacerd.

Vers.10. *Qui olim non populus.*

Oseæ 2. 23.
Rom 9. 25.

Longiùs digreditur in priorisvitæ conditionem. Plurimùm enim refert, probè nos de miseria illius admoneri. Respexit ad locum Oseæ, qui idem citatur ad Romanos. Ac apparet hic euidenter Epistolam hanc non ad solos Iudæos scriptam esse: sed ad omnes fideles promiscuè: quia hic citat testimonium, quod loquitur de gentibus conuersis non de Iudæis.

Vers.11. *Dilecti hortor vos.*

Col.3.5.

Hactenus de propositione & confirmatione est actum. Quæ sequuntur, ad epilogum argumentationis pertinent. Et quia in propositione duo posita erant, scilicet fugiendorum locus, & contrà appetendorum: ideo in epilogo eadem duo membra refricat. Ac initiò dehortatur ab his quę piis fugienda sunt, addito argumento ab illorum conditione sumpto. Estis peregrini & aduenæ: non oportet igitur vos in hoc mundo esse curiosos, vtpote in Repub. ad vos nihil attinẽre, sed ad cælos vobis respiciendum est, vbi vestrum est πολίτευμα. Huic argumento additur mox propositio, Abstinere oportet à carnalibus desideriis. In propositione initio capitis huius, dixerat, Deponite omnem malitiam: hic specialiùs vocat ἐπιθυμίαν carnis Rom.13.v.14. dicit Paulus τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε. Eadem igitur illa sunt. Addit aliud iterum argumentum: militant contra animam cupiditates carnis: Ergo oportet pios illas fugere, vt quibus solius animæ cura sit cordi. Militandi verbum etiam Apostolo Paulo familiare est. Legem membrorum vocat ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός. Et 2.Cor.10.v.3. Non secundum carnem militamus, &c. ad Gal.5.v.17. vocat, concupiscere carnem contra Spiritum. & Iacob.4.v.1. concupiscentiam dicit militare in membris nostris. Similis argumentatio est hoc loco, qua ostendit corruptos mores in primis euertere salutem animarum. Sunt autem contraria impedimenta diligenter vitanda, &c.

Rom. 7. 23.

Vers.12. *Conuersationem vestram.*

Propositio huius loci.

Altera pars epilogi, de loco appetendorum. Propositio est, Piis sic viuendum, vt moribus sint inculpabiles. Hoc dixit ἀναστροφὴν, conuersationem, hoc est, vitæ ac

morum integritatem. Viuebant tum pij inter gentes sparsim: ideo in primis voluit eos prælucere his innocentia vitæ.

Deinde difficilem fuisse piorum sortem, inter impios ostendit: quia dicit eos vt maleficos pati calumnias. Ostendit id copiosè Tertul. in Apologetico, quibus probris & conuitiis onusti fuerint pij ab impiis. Has calumnias maturè incepisse hinc patet. Similia vide apud Iustinum Martyrem.

Vera fidelium apologia quibus constet.

Tertiò docet rationem conuincendi calumniatores. Apologia non debet constare tam oratione, quàm vita ac moribus. Disce stolidum mundum, non tam disputando, quàm piè viuendo conuincendum esse. Id docuit Saluator Christus Matt.5. & Pet.inf. cap.3.v.16. Hęc apologia quãdiu inter Christianos viguit, superiores fuerunt omnibus suis aduersariis: at postquam neglecta vitæ innocentia, cœperunt verbis agere, verba verbis, & solui & opponi potuerunt ab impiis, fractique boni mores, ludibrio Christianorum apologias exposuerunt. Vtinam igitur resipiscat aliquando orbis Christianus, vt resumat tandem solidam defensionem practicam, sciátque vanissimam esse voluptatem quæ percipitur ex religione, si vita ab oratione discrepet. Vide Lactant. lib.3. de falsa sap.c.15. & 16. Eruditè in hanc sententiam dixit ethnicus, Cic. Malè mecum agitur, si me oratio magis quàm vita purgat. Dicant pij omnes, pessimè nobiscum agitur, si nos oratio magis quàm vitæ innocentia purgat.

Vers.13. *Subditi igitur sitis.*

Secunda huius ca. pars.

Secunda pars huius capitis, in qua descendit ad speciales locos vitæ Christianæ. Nam quæ hactenus dixit, ad θέσιν pertinẽt: hoc est, ad locum generalem, de professione ornanda vita ac moribus. Ad quam rem pertinent & ex primo cap. propositio, confirmatio, & epilogus, & ex secundo cap. quę hactenus repetitam habuerunt propositionem. Nunc ad locos hypotheticos descendit, quò pertinet hic locus de obedientia quam pij debent magistratibus. Tractatio superioribus non est dissimilis. Nam habet πρότασιν, αἴτιον, & συμπέρασμα.

Propositio.

Propositio igitur est: Pij, magistratus cuiuscunque tandem ordinis seu gradus sint, reuerenter colere debent summa obedientia exhibita. Hãc sententiam Apostolus ponit καθ' ἑπόμενον, quia fluit vt pars ex suo toto, ex superiori θέσει. Ac poterat hoc satis esse argumenti ad huius propositionis confirmationẽ. Porrò magistratum hîc appellat κτίσιν ἀνθρωπίνην, hoc est, ordinationem humanam, quia ad conseruationem societatis humanæ introductus est magistratus: deinde quia Deus per homines sapientes, varias has magistratuũ species induxit, qui vt suis singuli legibus authoritatem facerent, Dei præsentiam aut numinis reuelationem commenti sunt, vt constat de Lycurgo, Romulo, Numa, aliísque. Humanum interim inuentum, diuinitus concessum est, ad vtilitatem vitæ huius. Inde Plato legũlatores deorũ ἀκουστὰς esse dicit, non alia ratione, quàm quòd authoritate diuina, magistratus est introductus. Deinde considera quid præcipiat Petrus, non vni aut alteri formæ parere iubet, sed omnibus: ideo addit πάσῃ, &

Variæ magistratuũ species. quibus parendum.

per diuisionẽ id digerit, siue Regi, siue præsidibus. βασιλέα dixit μοναρχίαν, vbi vnus præest rebus, siue is sit rex, siue tyrãnus, nihil refert. Regiũ imperiũ dicuntur Ægyptij primùm instituisse, vt est apud Plin. lib. 7. c. 56. Romæ monarcha dicebatur dictator, Imperator, Cęsar: nam regium nomen inuidiosum erat propter Tarquinios exactos. Asiaticis tamen nomen βασιλέως suaue erat. Ideo Petrus illorum habita ratione, Regem vocat. ἡγεμόνες præsides vocat, oppositum monarchiæ membrum, hoc est, vt complectatur reliquas species dominij, vt politicũ ordinem quem Attici primum dicuntur instituisse: ei opposita est Democratia. Aristocratia vbi optimi præsunt, cui opponitur oligarchia, vbi pauci dominantur. His igitur omnibus singuli in sua Repub. parere debent. De his vide Arist. Ethic. lib. 8. cap. 10. Polit. cap. 5. & lib. 1. Rhet. cap. 8. & in Platon. dialogo cui titulus est πολιτικός. Alij præsides imperij intelligunt, hoc est, inferiores magistratus, sensu non malo sed nimis angusto.

II. Confirmatio propositionis satis euidens est, ac complectitur illa ferè argumenta. Primùm hæc obedientia præstanda est propter Dominum, quod Apostolus Petrus dixit διὰ τὸν Κύριον, quod alij sic accipiunt, Quia Deus author est huius ordinis, ideo ipsi tanquam Deo parendũ est. Sic Rom.13. argumẽtatur nõ esse potestatem nisi à Deo: ideo parendũ est. Sed potest Κύριος intelligi ipse Christus, q.d. Quia Christum agnoscis, ideo parendum est magistratui. Si enim ab illo alienus esses, forte ratio esset, cur te cimeres impio magistratui: at iam nulla est excusatio satis idonea. Quemadmodum

Mar.5. & 10.

igitur crux vobis commendatur propter Dominũ, & nomine Domini: sic hoc loco obe-

obedientia magistratui debita. Sed sequatur quisque quod veritati maximè affine videbitur. Prior sensus omnium ferè interpretum consensu constat: posterior mihi verbis & rebus idoneus apparet.

Altera ratio est à potestate magistratuum sumpta. Excellit, ergo metuendus est, & illi parendum: ὑπερέχει, hoc est, habet gladium in sua potestate. Habet carceres, vincula, lictores, ius mandandi, ius imperandi: Ergo pareas oportet. Stultus enim est quisquis potentiori sese opponit. Hesiodus ἄφρων ὅς τις πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζει: non oportet θεομαχεῖν.

Tertia à fine inducti magistratus. *Mittuntur à Deo ad vltionem sceleratorum, & laudem bonorum*, quasi dicat, Vtili fine introductus est: Ergo reuerenter est colendus. In argumento, authorem Deum exprimit. Nam vocem δι' αὐτοῦ ad Deum refero, vel κύριον non ad βασιλέα. ἐκδίκησις & ἔπαινος, fines sunt legum, tueri bonos & punire malos. Vide Rom.13.

Quarta à diuina regula, quam Deus suis constanter præscribit Dei voluntas est nobis regula credendorum & faciendorum: sed in tuenda piorum innocētia, illam præscripsit hoc modo, vt bene viuendo potiùs obstruant maledicis ora, quàm disputando: & bonæ vitæ species est obedientia. Ergo est præstanda. Obserua piorum apologiam certissimam & speciosissimam esse, si vita illos purget non oratio: & ea necessaria est propter mundi stultitiam. Similia dixit priùs vers.12.

Quinta, quia pij sine prætextu, candidè debent agere. Occurrit hac ratione hypocritarum morbis, qui solebant Christianismum rapere in defensionem seditionum, imprimis autem locum de libertate Christiana. Quo argumento vsi sunt Rustici per Germaniam, & adhuc Anabaptistæ. Sed Petrus eruditè distinguit, libertatem nostram esse talem, quæ non tollat iura seruitutis. Itaque præcipit vt obediamus magistratui, tanquam verè liberi. Seditiosi contrà ἐπικάλυμμα adhibent, hoc est, prætextu religionis palliant sua scelera. Hoc alienum debet esse à piis. De libertate nostra, vide ad Galat.5.v.1.

Vers.17. *Omnes honorate.*

Συμπέρασμα est, locum hunc concludens. Colligit autem cohærentes propositiones, quæ in speciem videbantur pugnare: & hodie Anabaptistis sunt adhuc contradictoriæ, sed re vera coniunctæ sunt, ita vt nulla sine altera subsistere possit. Fraterna charitas, Dei timor, & obseruantia magistratus indiuisa sunt, quasi dicat, Deum nunquam rectè timebitis sine obedientia ciuilis magistratus: nec sine his duobus, vera erit dilectio proximi: consequentia igitur sunt. Ne igitur dirimantur ista, tanquam pugnantia.

Charitatem, Dei timorē, & magistratuum obedientiam res esse coniunctas nec separandas.

Vers.18. *Famuli subditi sitis.*

Tertius locus huius capitis, continens alteram specialem propositionem, de officio seruorum erga suos heros. Continet locus hic duo membra, πρότασιν & κατασκευήν. Vide eundem locum explicatum Tit. 2.vers.9. 1. Cor. 7. vers. 21. Ephes. 6. vers.5. Coloss.3.&c.

Πρότασις est, Pij serui qualemcunque Dominum boni debent consulere, eíque omni diligentia, candidè seruire. Οἰκέτας vocat proprio vocabulo, quos Paulus δούλους appellat: quanquam sit interdictiones discrimen, tamen hîc indifferenter accipio. Δοῦλοι possunt etiam esse ἀπελεύθεροι, h. e. libertate donati: sed οἰκέται mancipia semper sunt: tamen à domo nomen habent, ac si domesticos dicas. Isti onus seruitutis patienter ferre debent etiam sub morosioribus dominis. Id Apostolus diuisione exprimit. Nam Domini vel sunt clementes erga mancipia qui dicuntur ἀγαθοὶ, quasi naturæ bona indole præditi, & ἐπιεικεῖς, h.e. clementes, & ad ignoscendum faciles. Contrà his alij oppositi sunt σκολιοὶ difficiles, morosi, curui, obliqui, qui duri sunt famulis, in cōuictu difficiles, in laboribus rigidi exactores, non condolent miseris seruis, non ignoscunt lapsibus, qualis est Chremylus Aristophanicus, de quo conqueritur Carion statim ab initio: ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστιν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ, δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου, &c.

His etiam parendum est Christianis mancipiis. Ideo Apostolus Paulus, Philemoni remisit Onesimum. Hinc constat propositio, quòd boni consulendi sint, qualescunq; Deus nobis dederit heros in seruili conditione. Obseruauit Athenæus κόλον Græcis olim fuisse idē quod τροφὴ, h.e. victus. Hinc δύσκολοι difficiles in conuictu, morosi: sed σκολιὸς obliquus est, deprauatis moribus.

Vers.19. *Hoc enim gratia est.*

Loci propositi sequitur κατασκευή: ac accommodantur argumenta magis ad alteram

partem propositionis, quæ mandat obedientiam præstare Dominis σκολιοῖς. Fortè enim pius facile parcebit pio & mãsueto hero, sed moroso demum & impio quis parebit? At hoc Apostolus Petrus etiam mandat. Expende igitur argumenta.

Morosis etiã esse parendũ. Hæc demum obedientia laudem meretur, quæ molestias fert iniquissimas: tamen propter Dei timorem in seruitute persistit seruus pius. Obserua molestias comites esse seruilis conditionis. Exempla habes passim apud comicos: deinde pietatem domini postulare fidem in seruis, adeò vt summa cum reuerentia patiantur si quid morosi heri in eos decernant. Tertiò constantiam oportere adesse, ne propter iniurias deserant statum suum. Id Apostolus dixit, *Conscientiam Dei*: hoc est, Dei timore retineatur in ordine conscientia quam ratio sequatur. Quartò vnam hanc seruitutem in primis Deo placere: τοῦτο γὰρ χάρις, hoc gratia est, h. e. In eo seruitutis genere in primis elucet gratia Dei. Aut, hoc demum laudabile est apud Deum, vt χάρις pro κλέος sumatur, vt mox in sequenti argumento à contrario sumpto.

Vers. 20. *Quæ enim est gloria.*

Argumentum à contrario. Herus habet ius animaduertendi in peccata suorum mãcipiorum: Ergo pij non possunt conqueri de austeritate dominorum, si ob scelera affligantur. Obserua seruile ingenium, vt plurimùm esse malitiosum & fraudulentum.

Hoc ingenium religio debuit corrigere & mutare: non tamen factum est, quin Petrus in seruis iam Christianis factis, hoc ipsum adhuc deprehendat. Deinde ius herile in seruum, quod non solùm ciuiles sed diuinæ quoque leges permittunt. Clementiùs tamen seruos tractat Moses quàm leges ciuiles. (Exod. 21 Deut. 15.)

Tertiò post pœnas sumptas ne sic licet deserere dominũ: imò fugitiui retrahebantur & duriùs tractabantur: ratio est, quia non erant sui iuris. Inde Carion apud Aristophanem rectè dicit, τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον Deus non permittit seruo ius in se, sed hero ordinario hoc dedit. Ex quo efficitur, pios seruos debere etiam improbos dominos omni reuerentia colere, ijsque piè seruire, vt si quid mali hinc patiantur, de innocentia sua gloriari possint, cùm in sceleribus nulla sit laus.

Vers. 21. *In hoc enim vocati estis.*

Tertia ratio à genere vocationis. In hoc enim estis vocati, hoc est, vocatio nostra in genere crucis est. Ergo seruis non mirum videatur si in cõditione seruili aliquid præter meritum patiendum sit. Vide Matth. 10. vers. 17. 18, & 5. vers. 10. 11. Ioan. 16. vers. 33. In mundo pressuram habebitis.

Quarta ab exemplo Christi: *Qui pro nobis passus.* Exemplum patientiæ & constantiæ sub cruce omnibus dedit: exemplum hoc ad omnes Christianos pertinet tẽpore crucis sed simpliciter applicat hîc ad seruilem conditionem, vt sciant ipsos quoq; Deo esse curæ. Sic Ioan. 13. dicit se dedisse nobis exemplum imitationis. Christus vocat ὑπόδειγμα: Apostolus Petrus hîc vocat ὑπογραμμὸν, h. e. specimen quod imitentur, vt pictores nouitiis exemplaria dant ad quæ interpingendum respiciant. Sic Christi vita, nostra est instructio. Id explicat Dominus Christus planiùs Matth. 16. v. 24. Si quis vult me sequi, tollat crucem suam, ac sequatur me. Ideo imitatio hæc ad vitæ innocentiam pertinet sub cruce: non spectat ad miracula Christi, quæ imitari velle summa est stultitia & insania.

Vers. 22. *Qui peccatum non fecit.*

Amplificat argumentum quod à Christi exemplo duxerat: Christus innocens passus est omnia: Ergo nobis eadem via est ingredienda. Quid enim indignius quàm Dei Filium tot malis affici à sceleratissimis hominibus? Contrà serui nunquam sic viuunt, vt semper in omnibus culpa vacent: itaque ferant patienter iugum seruitutis. Locum desumpsit Apostolus ex Esa. 53. vers. 9. vbi passio Domini Christi graphicè depingitur. Duas autem sententias inde sumpsit: Peccatum non fecit, & non est repertus dolus in ore eius, quæ citatur etiam 1. Ioan. 3. vers. 6. Apud Esaiam est, *velo mirema bepiu*, & non dolus in ore eius. Ad hoc innocentiæ studium nos omnes inuitat, vt hoc pacto conformes reddamur imagini Filij ipsius. (Rom. 8. 29.)

Vers. 23. *Qui conuitiis affectus.*

Dixerat iam de innocentia Christi, nunc eiusdem proponit patientiam sub cruce. Respexisse videtur ad historiã passionis, in qua summa conuitia proferuntur à Iudæis, Scribis

Scribis, Pharisæis, totáque turba, à quibus non abstinuit alter quoq; latro. Vide Matt. 27. Ioan 18. Matt. 15. Luc. 22. *Tradidit iustè iudicandi vindictam*, sumpsit ex Deut. 22. quod habuimus Rom. 12. vers. 9. & Heb. 10. v. 30.

Vers. 24. *Qui peccata nostra peccata tulit*

Seruorum impatientiæ opposuit exemplum Christi, hoc est, eius innocentiam, & patientiam, quibus virtutibus sese spoliant serui per impatientiam seruitutis. Nunc tertio loco, vsum virtutum illarum in Christo explicat, vt eo magis damnetur seruilis impatientia vt res nocens proximo & religioni Christianæ. Nam oratio Apostoli perpetua habet ἀντίθεσ. Christus innocentiam nos docet, contrà serui fugitiui ob scelera affliguntur: Christus patientiam commendat nobis, à qua alieni sunt serui qui non possunt ferre σκολιὸς dominos. Christi patientia nobis omnibus plurimùm profuit: contrà nocens est seruilis impatientia. Vsum afflictonum Christi describit, ex eodem ca. 53. vers. 5. Esaiæ, Peccata nostra tulit in corpore suo, hoc est, factus est λύτρον pro nobis, & tulit peccata in lignū, quasi dicat, è medio deleuit, vt Apostolus Paulus loquitur. Chirographum quod erat contra nos affixum cruci, sustulit è medio. Finis autem huius tanti commodi est, vt & nos semoti à peccato, deinceps iustitiæ viueremus, quod etiam ad seruilem pertinet conditionem. Discant igitur & isti iustitiæ partem esse, iugum seruitutis non excutere per impatientiam. Et ex eodem loco adducit, *Ipsius cicatrice sanati sumus, vbhachabhurat ho nirepa lanu,* & in cicatrice eius sanitas nobis est. Quæ opponuntur seruorum querelis, quasi dicat. Nihil oberit etiam durissima seruitus: In Christo salus est nobis reposita non in carnali libertate. Igitur in vocatione tua patienter perdurato. Col. 2. 14.

Vers. 25. *Eratis enim vt oues.*

Admonet nos omnes antiquę nostræ miseriæ, in qua & nascimur, & adolescimus, adeóque tandem perimus, nisi conuertamur ad Christum. Ouium similitudo sumpta est ex eodem cap. 53 v. 6. Omnes nos vt oues errauimus quisque in viam suam. Eadem vtitur similitudine Christus Luc. 15. v. 4. Addit autem hoc loco Apostolus Petrus consolationem contra has naturæ humanæ miserias: *Sed conuersi estis nunc ad Pastorem & curatorem animarum vestrarum*, quasi dicat, Ouis perdita reperta est, & curata à vero Pastore, D. Christo, cui singuli gratitudinis causa piè ac patienter debent seruire in sua vocatione: quæ etiam ad seruos pertinent. Sic Iacob fideliter seruiuit Labano. Ioseph, Ægyptio hero, seruus Abrahami, &c. Gen. 24. & 31. & 32.

CAPVT III.



Argum. cap. 3.

APostolus Petrus à generali doctrina descendit ad speciales locos vitæ Christianæ. Ac initio pręscripsit subditis suas partes, obedientiæ præstandæ magistratibus nondum conuersis: dein de seruis, itidem præcepit, vt obedirent dominis etiam prauis, σκολιοῖς, hoc est, quia ad fidem nondum conuersi erant, ideóque moribus adhuc ferrociores. Tertiò iam descendit ad locos œconomicos, ac vxoribus pæscribit honestæ & piæ vitæ regulam: deindè transit ad maritorum officia, quibus in conuictu erga legitimas suas vxores, Christi professionem ornare debeant. Hinc à specialibus locis iterum sese conuertit ad generalia præcepta, quæ ad omnem sexum & conditionem hominum pertinent: cui annectitur grauissima disputatio de descensu Christi ad inferos. Atque hæc sunt quæ in hoc capite explicantur ab Apostolo Petro. Singula suo ordine expendemus.

Vers. 1. *Similiter vxores.*

Primus locus huius cap. qua fide ac obsequentia piæ matronæ infidelibus maritis debeant cohabitare. Similia habuimus in Paulo, Ep. 5 22. 1. Tim. 5. 14. Col. 3. 18. 1. Tim. 2. & 4. 5.

Propositio est: vxores etiam maritis nondum conuersis debent summam obedientiam cum conuersatione castissima. Hanc sententiam Apostolus affert κατὰ σύγκρισιν. *Similiter obedite*, quasi dicat, Quemadmodum præcepi subditis vt infideli magistratui obediant, & seruis vt Dominis σκολιοῖς pareant: sic vobis vxoribus mando, vt obsequentes sitis maritis etiam ethnicis adhuc, aut Iudæis. Sic de impari matrimonio docet Apostolus Paulus, 1. Cor. 7. Ac eruditè eripit eis quod in defensionem venire poterat. Obserua autem virtutes muliebres, quibus matrimonium ornare debent. Prima Virtutes muliebres.

1 Obedientia. est obedientia ὑποταγὴ h.e. in dictis & factis ne opponat se iudicio mariti, sed dominium tanquam capiti permittat: quo retunditur studium dominandi, quo alioquin muliebris sexus stimulari solet.

2. Conuersatio. Altera est ἀναστροφὴ, h.e. pia conuersatio, in qua moribus, dictis, ac factis, nec non vestitu, ac vultu, maritum infidelem meliorem conabitur reddere. Hoc modo cap. 2. ver. 12. honestam conuersationem iussit omnes retinere inter gentes: eam iam in matrimonio priuatim requirit à coniuge fideli.

Huic propositioni est annexa quædam ratio à fine vtili. Cedet hoc ad emendationem mariti infidelis, cuius saltem rebus omnibus meritò anteferre debet pia vxor. Obserua hîc λόγον priore loco accipi pro doctrina Euangelica: posteriori verò loco pro concione. Hic enim sensus est: morum pietate conuerti posse aliquando impiũ maritum, etiamsi non audiat prædicationem Euangelij. Multum enim possunt in hac re exempla domestica. Interim non hoc vult, vt fides sic detur impiis: sed quòd ei occasiones subministrantur cogitandi aliquando de doctrina Euangelij, quam sensim tandem etiam audient. Ac quia occasio & initium melioris mentis datur per vxorem pia conuersatione, ideo totum ei tribuit.

Vers. 2. *Spectantes in timore.*

3. Timor Dei. Repetitio est causæ organicæ, qua Deus aliquando vtitur in conuertendis impiis meritis. Ac obseruetur hic tertia virtus matronalis, qua ornare debet suum matrimonium. Timorem Dei hunc declarabit post conuersionem, nõ solùm oratione, sed vultu, habitu, gestibus, in primis si nefanda iubeat maritus, Deum præ oculis habebit, cùmq; plus metuet quàm iram mariti: per cætera, summa pietate colet maritum suum.

Vers. 3. *Quarum ornatus sit.*

4. Cultus corporis sobrius. Honestam conuersationem applicat ad precipuum vxorum vitium, scilicet pompã in vestitu: ac docet conuersos ad Christum, debere etiam luxum istum vestimentorum & totius cultus muliebris emendare. Est igitur hæc quarta virtus piæ matronæ, sobriè sese ornare. Locum persequitur remotione & positione. Prius enim ostendit quid dedeceat conditionem Christianam: deinde quid deceat. Prioris membri illa est sententia, Quicquid maritum reddit deteriorem in cultu corporis, & ipsam pietatem lædit, hoc debet seriò cauere. Sed luxus ille, &c. Ergo ornatus capillorum & vestimentorum, &c. Complectitur omnem luxum & scurrilem adeóque meretricium cultum, qualia sunt fucare faciem cerusa, minio, aliáque infinita. Apud Xenophontem vxor dicitur, ὦ γύναι, μήτε ψιμμυθίῳ μήτε ἀγχούσης χρώματι ἥδεσθαι μᾶλλον ἢ τῷ σῷ, id est, ô mulier nec cerusæ, nec anchusæ radicis colore, magis delectari me scias, quàm tuo natiuo. Vide 1. Timoth 2 vers. 9.

Vers. 4. *Sed occultus ille.*

Thesis est ostendens quis sit verus ornatus, homo occultus & cordis est interior 2. Cor. 4. Ac obserua hîc duas alias virtutes, πραότητα & ἡσυχίαν. Πραότης morum est facilitas: ἡσυχία autem, taciturnitas, ne facilè obganniant mariti verbis. Hinc illud scitè dicitur, τὸ σιγᾶν τὰς γυναῖκας πρέπει.

Vers. 5. *Sic enim olim.*

Redit ad argumentum, ac profert argumentum ab exemplis. Veteris Testamenti matronæ decentem habitum cum pia subiectione semper coniunxerunt: Ergo noui Testamenti matronæ idem debent præstare. Duo nominatim exprimit, ornatum, & subiectionem.

Vers. 6. *Vt Sara obediuit.*

Ex infinito piarum matronarum cœtu, producit vnam satis illustrem, Saram scilicet. Vide Genes. 16. v. 12. & 18. Applicat idem mox noui Testamenti matronis, ostendens quomodo Saræ tam laudato exemplo possint esse similes, benefaciendo, & excutiendo seruilem timorem. Hilaris enim debet esse vera pietas. Πτόησις etiam libidinem significat, quæ significatio an huic loco conueniat, necne, expendet diligens æstimator verborum.

Vers. 7. *Viri similiter.*

Altera pars capitis de maritorum officio. Propositio est, viri conuersi si ad Christum quàm religiosissimè necnon prudentissimè cum nondum conuersis vxoribus cohabitare debēt. Ac sermonem esse de matrimonio impari colligi inde potest, quòd phrasim loquendi adhuc retinet: acsi dicat, Quẽadmodum vxoribus, seruis, ac subditis præscripsit

scripsi, sic maritis quoq; do præcepta, quomodo cum coniugibus nondum conuersis in primis viuere debeant. Tria autem in maritis requirit: cohabitationem, ne quouis prætextu foris pernoctent: prudétiam, quæ in viro maior esse debet, quàm in muliere. Inde illud Aristotelicum fluxit, Sapientissimum virum sapientissima muliere esse sapientiorem. Debet autem illa elucere in cohabitatione. Tertium est quod in maritis requirit, vt honore præueniant vxores, hoc est, non sordidè tractent, sed sibi coæquent, vt sit imperium Aristocraticum in œconomia. Tria in maritis requirit.

Rationes propositionis sunt. Prima à natura muliebris sexus, *quia est vas debilius*: Igitur prudenter curandum est. Fieri enim solet vt vasa debiliora sint elegantiora, vt Veneta vitra, & ex crystallo, quæ ob debilitatem cautè tractantur. Sic ferè loquitur Paulus de membris in corpore humano. Altera ratio à coæquatione, qua Deus viris illas pares fecit. *Sunt cohæredes vitæ æternæ*, Igitur honestè tractandæ. Tertia est à fine, *Ne impediantur preces vestræ*, h.e. vxor honesto loco habita, faciliùs simul orat, & virum non impedit iurgiis suis. Quicquid enim studium & ardorem orandi impedit, id sedulò est cauendum: sed lites & iurgia domestica id faciunt: Ergo, &c. 1. Cor. 12 ver. 22.

Vers. 8. *Ad finem.*

Tertius locus capitis, in quo iterũ à specialibus ad generalia præcepta transit. Tradit enim iterum quæ ad omnem sexum, & conditionem hominum pertinent.

Propositio est, Pij omni genere virtutum, suam professionem ornare debent. Hæc sententia explicatione virtutum constat. Considerandæ igitur sunt, quæ in eis requiruntur.

Prima est consensus, ὁμοφρόνησις. Est necessaria propter doctrinam, in qua concordia requiritur, quod præcipuos articulos fidei attinet: deinde ad vitanda scandala infirmorum. 1. consensus

Altera est συμπάθεια, compassio, qua vnus alterius incommodo, vel commodo tangitur, tanquam in causa propria, qualis sympatheia describitur in membris humanis 1. Cor. 15. v. 26. 2. compassio.

Tertia, φιλαδελφία, fraternus amor, quo proximum nomine Dei amanter complectimur, ac studio iuuamus. 3. amor fraternus.

Quarta, εὐσπλαγχνία, condolentia. Misericordiæ proprius est effectus, ac specialior affectus quàm συμπάθεια. 4. condolentia.

Quinta, φιλοφρόνησις, comitas, suauitas morum in communi vita ac conuictu, adeo vt cura quædam pro amicis communibus animaduertatur. Atque istæ quinque virtutes congerie quadam conglobantur κατὰ σωρόν. Reliquæ deinceps seorsim expoliuntur, sed illis adnumerantur per ordinem. 5. Comitas.

Sexta est εὐλογία, studium precandi bene etiam aduersariis, & palàm hostibus. Complectitur in hac virtute & rem & sermonem, h.e. vt re & verbis benè faciamus etiam ingratissimis aduersariis. Ad prius pertinet, *Ne reddamus malum pro malo.* Prouerb. 20. v. 22. Ne dicas, Reddam malum pro malo, expecta Dominum, is liberabit te. Idem præcepit Apost. ad Rom. 12. ver. 17. Nemini malum pro malo reddentes. 1. Thess. 5. vers. 15. Videte ne quis malum pro malo reddat. Similia docet Christus Matth. 5. ver. 39. Ad posterius pertinet moderatio linguæ, cui hîc opponit λοιδορίαν. Huic virtuti adiecta est ratio, quæ ducitur à genere vocationis, *Vocati estis ad maiora bona*, quæ in voce εὐλογίας exprimuntur: ergo oportet vos in primis εὐλογίας esse studiosos: decet enim quemque in hac re esse occupatissimum & versatissimum, ad quam singulariter est vocatus. Atqui illa est εὐλογία. Porrò hæc benedictio explicatur ab Apostolo ad Ephes. 1. Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælestibus, &c. 6. εὐλογία.

Vers. 10. *Qui enim vult.*

Confirmatio est ex Scriptura prolata. Habet autem hoc testimonium commendationem linguæ castæ, & proposita præmia in studio bonorum operum. Vide locum Psal. 34. *Quis est vir qui delectatur vita, diligens dies, vt videat bonum: obserua linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. recede à malo, ac fac bonum inquire pacme & persequere eam. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad desiderium eorum. Facies Domini in facientes malum, vt exscindat de terra memoriam eorum.* Hactenus Apostolus Petrus citauit locum.

Vers. 13. *Et quis est qui affligat.* 7. Crucis tolerantia.

Septima virtus, crucis tolerantia, in qua consolatur pios, beatitudinis compensatio-

Initio rem proponit interrogatione,significans summam securitatem fidelium. *Bonimitatores si fueritis nemo lædet vos.* Ἀγαθὸν absolutè Deum accipio, qui propriè bonus est: vt sit argumentum ab exemplo Dei sinentis solem suum oriri super bonos & malos: Aut certè Christus ille est ἀγαθός, cuius constantiam & innocentiam sub cruce nos oportet imitari.

Vers.14. *Sed etiamsi quid patiamini.*

Respondet obiectioni tacitæ. Dixerat, Nemo vos affliget. Respondent pij, Quomodo nemo vos affliget, cùm nemo affligatur & atrocius & sæpius? Excipit igitur Apostolus Petrus hoc:& Christi verbis consolatur à consequentibus: Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, Mat.5. ac mox simile dictum ex Esaia 8. vers.12. applicat: Timorem autem illius, scilicet populi reprobi, nolite timere, neque paueatis: Dominum exercituum ipsum sanctificate. Ipse sit pauor vester, & ipse sit terror vester.

8.confessio sub cruce.

Vers.15. *Estote autem semper parati.*

Octaua virtus, confessio sub cruce veræ pietatis. Obserua pios omni tẽpore debere paratos esse ad confessionem: deinde omnibus hominibus, impiis etiam, magistratui, & his qui iure de nobis requirunt, aut certè certa occasione ad nos perducti. Tertiò qualis debeat esse confessio,lenis & grauis. Illud vult πραότης,quo indicat confessiones non oportere esse mordaces, aut alio modo acerbas in personas, aut dogmata nondum satis percepta & intellecta ab his qui nondum conuersi erant. Φόβος autem reuerentia est, & timor numinis, ne proteruè & petulanter in causa religionis versemur. Quod minimè obseruant, qui de maximis hodie mysteriis loquentes in confessionibus insultant malitiosè, præsertim in Trinitatis negotio, quod mysterium satis constat, excellere omnem humanam sapientiam, vt & alia infinita. Certum enim est quod dixit Apostolus 1.Cor.13. Nos hic ex parte tantùm cognoscere. Sic Augustinus ait, Christianum ad multa dicere posse, se ignorare: & Varro boni grammatici ait esse,quædam ignorare. Nostros nisi puderet fateri ignorantiam, seruarent etiam hunc timorem quẽ hîc Petrus requirit. Sed cùm omnia scire velint, aut saltem videri nihil ignorare, fœdè prærumpunt in conuitia minimè necessaria.

9.Conscientia bona.

Vers.16. *Conscientiam bonam.*

Nona virtus, quæ in sanctis requiritur, innocentia vitę,quam approbat bona conscientia. Opponit autem iterum maledicta & conuitia quæ piis imponebantur ab infidelibus. Sup.cap.2. vers.12. & 19.& ipsam honestam piorum conuersationem, καλὴν ἀναστροφὴν,iam vocat, ἀγαθὴν. In loco de matronarum decoro, vocauit ἁγνὴν castam. Atque hæc vera est apologia Christiana, qua stolidum mundum vita ac moribus, magis quàm disputando conuincimus.

Vers.17. *Melius enim est,vt.*

Iterum reuocat omnibus in mentem, quòd suprà seruis inculcauit cap.2. Obserua crucem semper esse comitem pietatis: deinde non immiti casu,sed sic ordinante Deo. Tertio magnam esse consolationem in ipsa innocentia in bona causa pati. Sic Socrates hilaris bibit etiam venenum, obiurgans vxorem conquerentem quòd innocenter pateretur, quasi verò meliùs foret, nocentem bibere. Sic Christiani semper viuunt,vt omnia aduersa,sua innocentia excipiant.

Vers.18. *Quia & Christus semel.*

Confirmatio est ducta ab exemplo Christi. Loquitur autem de morte Christi,& eiusdem consequentibus fructibus. Ac pertinet argumentum ad superiorem propositionem, quod scilicet pij debeant innocenter ferre aduersa.Ratio hæc est, Quia Christus innocenter passus est: Ergo & nos sic pati omnia debemus. Valet argumentum, quia membra Christi sunt capitis sui ac Regis: ad cuius similitudinem per innocentiam confirmari sub cruce debent.

Hoc argumentum illustrat variis circunstantiis. Primùm inquit semel eum passum esse. Quo ostendit perfectionem mortis Christi: ac opponit hanc omnibus sacrificiis legalibus, quæ in dies repetenda erant,quædam quotidie, alia per menses, alia singulis diebus sabbathis,alia annuatim: quo significabant perfectionem suam. At Christi sacrificium hoc ipso perfectum demonstratur, quia nunquam repetitur, sed semel oblatum satisfecit. Sic ad Heb. Semel, inquit, seipsum obtulit: & cap. 9. per proprium sanguinem semel ingressus est in sancta,æternam redemptionem inueniens.

Heb.7. vers.27.

Deinde addit pro quibus passus sit,& qualis ipse patiens fuerit, *Iustus pro iniustis.* Ergo Christus innocens est passus,nos autem peccatores,h. e.nocentes omnes fuimus.Hoc dixit, *pro peccatis.* Ἁμαρτίαν accipio pro ἁμαρτωλῶν: passus enim est pro peccatoribus, quos redemit,non peccatum redemit.Id consequens comma mox explicat ὑπὲρ ἀδίκων.

Idem

Idè igitur quo ad ſenſum ſunt, περὶ ἁμαρτιῶν, & ὑπὲρ ἀδίκων. Dicitur autem rectè ἁμαρτία, ad ſignificandum naturæ plenariam corruptionem. Toti enim quanti quanti ſumus, peccatum ſumus. Ideo peccatum dixit Petrus & non peccatores, quemadmodum hominem improbum dicis ſcelus, non ſceleratum. Sic Paulus dixit nos natura filios iræ eſſe, & Moſes, cor hominis à iuuentute malum eſſe. Eph.2. Gen.6.8.

Tertiò idem argumentum exornat cauſa finali. Oſtendit enim ad quid Chriſtus paſſus ſit: *vt nos* ſcilicet *ad Deum adduceret*: ſignificans nos omnes declinaſſe à vera Dei cognitione & legitimo cultu: reſtitui autem per Chriſti meritum. Reſtitutio hæc duos habet gradus. Nam primùm reconciliat nos Deo Patri, & facit ex filiis iræ, filios gratiæ: deinde reſtitutos in gratiam illuminat ſuo Spiritu, vt Deum piè colamus, & ita adoremus, quemadmodum ipſe coli & adorari vult. Hæc eleganter illuſtrant mortem Chriſti, & beneficium eius nobis commendant: contra depingunt naturam hominis, qualis ſit. Noſtra eſt declinatio, &, vt dicit Propheta, Perditio tua ex te eſt ô Iſraël: contrà reſtitutio Chriſti eſt. Atque hic finis eſt paſſionis Chriſti. Quartò addit etiam modum, ſeu formam paſſionis. Hanc exprimit ſuaui ac vtiliſſima diuiſione: *Mortificatus eſt per carnem*, hoc eſt, ſecundum carnem, vel humanam naturam ſecundum quam ſolùm mori potuit. Ideo carnem libenter accipio pro tota natura humana, quam Chriſtus aſſumpſit in vnitatem perſonæ. Contrà *viuificatus eſt ſpiritus*: h. e. ſecundum diuinam naturam non eſt mortuus. Πνεῦμα igitur eſt diuina natura, vt conſtet ſibi antitheſis. Secundum hanc mori non potuit. Dicit autem viuificatum quia reſpicit totam Chriſti perſonam, in qua vnius naturæ proprietas toti tribuitur, quamuis de altera non dicatur propriè. Humanæ proprium eſt viuificari, hoc eſt, vitæ reſtitui, quia hæc propriè moritur: diuinæ non item: ſed hæc reſtituit. Itaque Chriſtus per diuinam naturam reſtitutus eſt vitæ, quamuis ſecundum diuinam nunquam ſit mortuus. Sic loquitur Paulus. Quamuis crucifixus ſit ex infirmitate, vixit tamen ex potentia Dei. Duo igitur oſtendit hoc loco Petrus: Chriſtum ſecundum diuinitatem nunquam mortuum eſſe, ſed in vita ſemper manſiſſe: deinde ſecundum humanitatem, vitæ quoque reſtitutum propria potentia, quia idem Deus fuit: ideóque habuit poteſtatem ſumendi & ponendi animam ſuam.

Verſ.19. *In quo & ſpiritibus in carcere detentis profectus prædicauit.*

Ab argumento iam longiùs digreditur ad conſequentium mortis declarationem. Cohærent autem hæc pulchrè ſuperioribus. Nam poſterioris membri hæc quædam eſt explicatio ſumpta ab effectis mortis Chriſti. Dixerat de Spiritu ſecundum quem non ſit mortuus, aut ſecundum quem ſit ad vitam reuocatus: nunc alia effecta huius eiuſdem Spiritus attexit, ac in genere tria recenſet ſi rem probè expendas. Primus effectus ad impios & damnatos ſpectat: ſecundus ad pios & electos: Tertius ad ipſam Chriſti perſonam. Ac primus ille declaratus eſt in deſcenſu ad inferos: ſecundus per Reſurrectionem, tertius in Aſcenſione ad cælos. Inde totidem articuli in ſymbolo habentur de hoc negotio. Hæc vera & natiua huius loci eſt ſententia, quam ſequemur, neglectis interpretationum aliarum ſpinetis. Fateor libenter locum hunc eſſe perdifficilem, adeo vt Auguſtinus in illo aliquando hæreat: & Lutherus in cap.7. Geneſeos, fatetur ſe dubitare quomodo hic locus ſit intelligendus: ſed tota hęc obſcuritas, non tam loci vitio, quàm interpretũ varietate inducta eſt. Loci ſimplicitatem ſi ſequaris, res facilis erit: ſed id non placet omnibus, ideo vt ſinguli ſuum ſenſum hîc ſtabiliant, verba Apoſtoli Petri ad id accommodant quod priùs conceperunt. Sed his omiſſis ſequamur id quod verba nobis ſponte dant. In quo ſi aſſequimur veritatem, bene habet: ſin minùs, tamen probabilia erunt, quia conſenſum Scripturæ habent, & τῷ ῥητῷ nituntur. Alioquin certum eſt, imperfectam eſſe cognitionem hominis in multis quæſtionibus ſacræ Scripturæ: cuius nos admonet quoque Apoſtolus 1.Cor.13. Ex parte iam cognoſcimus.

Dixi tres hîc explicari effectus mortis Chriſti, quæ tempore differunt, & in ſymbolum ſunt ordine relata. Primum effectũ eſt quòd Chriſtus mortuus impiis denunciauit æternas pœnas apud inferos. Verba Apoſtoli ſunt, *In quo*, ſcilicet Spiritu, *profectus prædicauit ſpiritibus in carcere detentis*. Locum ſimpliciter accipio de deſcenſu Chriſti ad Inferos. Nam ſic verba ipſa ſimpliciter ſonant, & Patres video omnes ſic locum interpretari. Vide Aug. Epiſt.99. Et Cyprianus manifeſtè locum hunc de deſcenſu ad Inferos interpretatur. Nec abhorret vox φυλακῆς, quæ in Apocalypſi aliquando ſic accipitur vt cap.20.v.7. Cùm expleti fuerint mille anni, ſoluetur Satan ex carcere ſuo. Carcer igitur iſte de quo Petrus hîc loquitur, eſt locus damnatis deputatus. Huc profectus eſt Chriſtus, vt fatemur in Symbolo, Deſcendit ad inferos. Vbi autem ſit, ineptum & cu- Tres mortis Chriſti effectus. Primus effectus.

riosum est inquirere, cùm nemo illa loca accedens, inde reuersus sit, solo Christo excepto. Quanquam non nesciam Tertullianum hunc locum aliquando editiorem facere Inferno. Sed credet hoc qui volet: libenter ignoro ista loca, cùm damnatis sint deputata, nec inde reditus pateat. Porrò quid illic fecerit Christus, Petrus exprimit: *Prædicauit spiritibus*, hoc est, illustriori quadam patefactione sese iam exhibitum mundo declarauit, ac impiis nominatim diram illam & lugubrem concionem proposuit, quòd suæ mortis meritum nihil ad ipsos pertineat: sed magis sua præsentia confirmarit pœnas illas, de quibus admonuerat Noach, aliique Prophetæ. Et prædicationis huius tempus non ad Noachi tépora, sed ad tempus descensionis ad inferna, refero: cui astipulatur vox πνεύμασι, spiritibus prædicauit, hoc est, mortuis non viuis hominibus.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem.

Vers. 20. *Qui olim fuerunt increduli.*

Descriptio est mũdi illius primi, qua explicat quinam sint illi spiritus, quibus prædicauit Christus descendens ad inferna. Ac primùm hic obserua hæc omnia ad impios pertinere. Ideo frustra hic quæritur patrocinium lymbi Patrum: nam ille (vt ferunt) sanctos patres habuit, quorum hîc nulla est mentio: sed omnia hic Christus peragit cum damnatis. Deinde quando illi spiritus peccarint, & commeriti sint tantas pœnas quas illis confirmauit Christus, tempore diluuij, quando Noach pœnitentiam prædicauit. Respexit enim ad maximum mundi peccatum, cuius mensura nunquam copiosiùs, quàm diluuij tempore fuit completa. Ideo ποτὲ, tempus Noe indicat, non tempus prædicationis Christi. Historiam vide Gene. 6. & 7. Sensus est, Reprobus ille mundus prior ad conciones Noachi surdus fuit, & pœnitentiam recusauit, risit etiam deliri senis quasi stultitiam in construenda arca, & hodie impij dicunt, Satanam non esse tam nigrum, ac pingitur. Ideo Christus illis attestatus est vera comminatum Noachum, & reliquos Prophetas. Nam quod de impiis loquitur diluuij tempore, hoc ad omniũ ætatum impios pertinet.

Hunc locum nihil ad lymbũ pertinere.

Vers. 21. *Quo & nunc nos respondens baptismus seruat.*

Alter sequitur effectus mortis Christi, qui iam ad pios refertur. De impiis dixit, quid consequuti sint ex morte Christi, confirmationem scilicet iustæ suæ damnationis. Cõtrà pij consequuti sunt confirmationem suæ salutis & vitæ æternæ. Et quemadmodum illi hoc perceperunt tempore descensionis Christi ad inferna: sic pij in resurrectione de sua salute in primis confirmantur. Nisi enim Christus resurrexisset, miserrimi omnium mortalium essent Christiani. Articulus igitur de resurrectione in primis ad confirmationem fidelium spectat, vt descensionis ad inferna, ad damnatorum iustum iudicium. Hoc Apostolus Petrus hîc per anagogen explicat. Nam diluuium quatenus seruauit Noachum cum suis, figura est baptismi. Ac ne elemento aquæ nimium in hoc Sacramento tribueremus, seipsum explicat: quasi dicat externam aquam non sufficere abluendis animabus nostris: sed vt illa corporis sordes abluit, sic Christi meritũ animos purgat. Purgationis autem huius sacramentum est Baptismus, in quo stipulatio bonæ conscientiæ valet, hoc est, quæ sine hypocrisi agit seriò cum Deo. Deus in Baptismo nobis promittit, quòd velit nos filiorum loco habere propter Christum. Contrà, nos promittimus nos seriò victuros piè, & vitam bonis moribus ornaturos. Hæc est mutua stipulatio, quæ coram Deo valet, si bona conscientia regatur pactum hoc, hoc est, ne simulatè agamus.

Secunda huius capitis pars.

Vers. 22. *Qui est ad dextram Dei.*

Tertius hic est effectus mortis Christi, qui ad personam ipsius Christi pertinet: ac confirmatur articulus ascensionis ad cælos. Pertinet autem locus propriè ad Christum hominem, qui hanc dignitatem consequentus est post resurrectionem. Nam quatenus Deus est, semper fuit in cælis. Homo autem Christus in Ascensione primùm cælos ingressus est, ac dignitatem hanc nactus vt Angeli ei planè subiecti sint. Locum explica per illum, qui est ad Philipp. 2. Dedit illi nomen quod est super omne nomen, &c.

Tertius effectus mortis Christi.

CAPVT IIII.



Rgumento caput hoc cum præcedente ferè idem est. Differit enim Apostolus de innocentia & constantia sub cruce, additis exhortationibus ad alias quoque Christianas virtutes.

Argum. 4. cap.

Locos speciales habet illos. Primus ad superiora pertinet de seruanda innocentia vitæ sub cruce: alter de dilectione: tertius ad hospitalitatem cohortatur: quartus de synceritate doctrinæ: quintus commendat nobis candorem inseruiendo: sextus ad constantiam simul & innocentiam vitæ hortatur. Atque his totũ ferè caput absoluitur.

Partes.

Vers.

Vers. 1. *Cum igitur Christus passus sit.*

Propositio loci huius ex superioribus repeti debet, scilicet piis curandum in primis, vt innocentiam sub cruce seruent. Ad hanc rem attulerat sub finem capitis prioris exemplum Domini Christi: sed orationis ductu recensuerat effecta mortis Christi, primum quo ad impios: deinde quo ad pios: tertiò respectu ipsius Domini Christi. Ideo iam initio capitis quarti, redit ad argumentum, & pulchra renouatione breuiter totum colligit. Christus pro nobis est passus innocenter: ergo nobis idem debet esse curæ in nostris afflictionibus. In antecedente obserua distinctionem ab Apostolo positam. Christus passus est carne, hoc est, humana natura, secundum quam solùm pati potuit. Sic cap. 3. ver. 18. dixit mortificatum carne, hoc est, secūdum humanitatem. In consequente est metaphora armandi, quæ nos admonet de firmo & fixo proposito seruandi innocentiam. *Vos eadem mente armemini*, hoc est, firmissimo proposito huc respicite: tertiò cogitate de vitæ innocentia. Hactenus exemplum Christi.

Altera ibidem additur ratio, *Quia qui patitur in carne desinit à peccato.* Duplex potest esse sensus: sed vterque argumentum habet non insuaue. Primùm enim referri potest ad pios sub cruce qui patiendo testentur se peccato valedixisse. Sic argumentum erit à natura regeneratorum. Huc facit participium ὁ παθὼν, patiens in carne: testatur enim se nomine Christi ferre crucem, & peccato renunciasse. Idem confirmat phrasis πέπαυται ἁμαρτίας, desiit à peccato, quæ propriè de ipso peccatore dicitur. Scortator enim aut vinolentus potator cùm incipit odisse scortationem & ebrietatem, tum dicitur πεπαῦσθαι ἁμαρτίας, desiisse à peccato. Sic παύομαι τῆς μάχης dicitur, hoc est, recipio me à pugna, παύομαι τῆς ἀρχῆς depono magistratum, item παύω λόγου, desino loqui, &c. Ideo hìc de ipso peccatore dicitur: Pœnituit illum peccatorum qui Christi nomine crucem fert.

Alter est sensus eorum, qui hoc de Christo accipiunt, ac per præteritum vertunt, *Qui passus est*, scilicet Christus, id peccatum aboleuit. Hoc sensu argumentum fuerit, à vi mortis Christi, q.d. Christus morte sua aboleuit peccatum: ergo noli hoc tuis moribus renouare & alere. Sed hunc sensum verba ipsa repudiant. Nam si abolendi vis esset in verbo πέπαυται, tum cum accusatiuo construeretur. Sic enim Græci loquitur παύω τὴν δυστυχίαν, tollo infœlicitatē, παύω βοήθειαν, tollo auxilium, παύω νόσων, & alia similia: sic dicerent Græci παύομαι. imò potiùs actiuo verbo παύω τὴν ἁμαρτίαν, tollo peccatum. Itaque prius argumentum mihi magis arridet.

Vers. 2. *In hoc vt non amplius.*

Est in his verbis ἔκθεσις prioris argumenti. Ostēdit enim quid pij sub cruce profiteantur, nimirum mundo eos renunciare, quod Petrus dixit, non ampliùs viuere hominum desideriis: sed contrà, Dei voluntati soli totos esse mancipatos, cui omnibus modis velint vita & moribus approbare.

Vers. 3. *Satis enim est nobis.*

Tertia ratio, cur oporteat innocentiam seruare ducitur à priori genere vitæ, vt & Apostolus Paulus Ephes. 2. Ac prodest nobis sæpe reuocasse in memoriam prius vitæ genus, vt turpitudo eius ruborem nobis incutiat, & innocētiam magis reddat gratam. Porrò θέλημα τῶν ἐθνῶν intelligo secundum hominem ambulare vt loquitur Paulus. 1. Cor. 3. secundum carnem ambulare, & Petrus paulo antè dixit ἐπιθυμίαν ἀνθρώπων. Atq; hoc genus est, & totum omnium peccatorum, cui mox addit suas species, aselgiam scilicet proteruiam in vita ac moribus, necnon sermone. Dicta est vox ἀσελγείας à Selgis populis siue admodum piis, vt α sit priuatiuum: siue admodum dissolutis, vt α augeat vim significationis. Altera species est ἐπιθυμία, quæ in cordis latebris latet, estque fons ἀσελγείας. Tertia est οἰνοφλυγία, morbus ebrietatis: quarta κῶμος petulantia ebriorū, prioris vitij hic fructus est: nam à vino surgunt ad saltationem, discursum per compita, ad obscœnas cautiones, quales ebria turba in comœdiis facere solet. Quinta πότος: studium est continuandi potum dum ad ebrietatem vsque respondetur, Græco more, & ad numerum bibere. Sexta est: Idololatria, quam lex Dei Deut. 7. grauiter prohibuit. Atque tales erant ante conuersionem ad quos scribit Petrus. Α'σελγείας etymon

Vers. 4. *In quo turbantur blasphemantes.*

Quarta ratio ab ipsorum impiorum iudicio seu affectu. Illi vestra emēdatione mirum in modum turbantur, quasi rei nouitate perculsi stupent. Sic enim hìc verbum ξενίζειν accipi debet. Ita Græci dicunt ἡ φύσις τῇ ἀμέτρῳ μεταβολῇ ξενίζεται, natura nimia mutatione perturbatur. Sic in Geoponicis Constant. ξενίζει γὰρ καὶ ταράττει ἡ ἐπὶ τὰ χείρω μεταβολή. Ita hìc loquitur Petrus, οἱ βλασφημοῦντες ξενίζονται, turbantur maledici vestri,

mirantur rei nouitatem, quòd non ampliùs delectemini compotationibus, stupris, idolorum cultu, & similibus. Idem hodie fit in mundo: sed hoc pios confirmare debet in proposito. Non potest enim non esse bonum, quod malis displiceat.

Vers. 5. *Qui dabunt rationem.*

Quinta ratio continens grauissimam diuini iudicij comminationem: contemptoribus innocentiæ grauis imminet pœna: ergo illa omnibus modis est appetenda.

Vers. 6. *In hoc enim etiam mortuis prædicatum est Euangelium.*

Sexta ratio à fine prædicationis Euangelicæ, qui est nos reddere meliores. Porrò magna hic iterum mouetur difficultas ab interpretibus, quam lubens transeo: hoc & alia multa cœlestis schola nobis aliquando liquidè spectanda proponet.

statuendos quoq; ad tribunal Christi, quia homines sunt, nec tandem in iudicium ve-

Quibus prædicatum esse Euangelium dicat.

Quia tamen aliquid est dicendum, dicam id quod mihi simillimum vero apparet. Νεκροὺς accipio vt sonat pro ipsis defunctis: his prædicatum est Euangelium, aliàs quidem sæpe dum viuerent, sed iam re vera post mortem, nec ad aliud tempus refero prædicationis momentum. Quis autem illis prædicarit, locus hic non exprimit. Nō est tamen absurdum, Christum id fecisse. Cum enim illi prædicationem factam per Noachum ausint referre ad Christum, quidni hanc à quocunque sit facta Christi fuisse dicemus? Prædicauit igitur Christus mortuis post mortem quoque. Nec tamen assero esse post mortē locū aliquem pœnitentię. Ratio mea est, quia hic propriè loquitur de piis, qui spem vitę æternæ per meritum venturi Christi in vita conceperāt & aluerant, & in hac vera pœnitentia ex hac vita migrauerant his igitur prædicatū est, Christum iam aduenisse, passum esse, satisfecisse pro ipsorum peccatis. Id quod clariori aliqua & illustriori patefactione fieri potuit, aut certè per ipsum Christum ascendentem ad cælos, hoc ad plenum præstitum est. *Iudicandos* autem *carne secundum homines,* dicit, hoc est, statuendos quoque ad tribunal Christi, quia homines sunt, nec tandem in iudicium venient, sed transibunt in vitam æternam: ideo *victuros Dei Spiritu* dicit, quia ad nouissimum vsque iudicium viuunt apud Deum nec dormiunt, vt quidam dixerunt, corporibus autem mortui in terra quiescunt, donec restituantur etiam corpora animabus suis ad nouissimi iudicij horam. Hæc simplex est, & Scripturæ conformis sententia de hoc loco. Sequantur alij meliora si possunt.

Vers. 7. *Omnium autem finis imminet.*

Septima ratio à breuitate temporis residui, vsque ad iudicium illud vltimum. Rei dum imminet hora mortis, anxij sunt de euentu: ita pios decet facere dum recordantur finis mundi. Addita est conclusio, qua ad duas primarias virtutes hortatur, sobrietatem & preces. Idem Christus facit Luc. 21. & Matth. 24.

Secunda huius ca. pars.

Vers. 8. *Ante omnia verò.*

Hactenus ad vitæ innocentiam cohortatus est: nunc ad alias speciales virtutes excitat. Itaq; secundam hic constituo partem capitis, in qua de dilectione, hospitalitate, docendi munere, & officiis aliis politicis agitur. Locus de dilectione habet propositionem & rationē. Propositio est, Dilectio quàm ardentissimè est piis conseruanda. Hic considera primùm qui dilectione digni sint censendi, deinde quàm diu, tertiò quo modo se habeat ad alias virtutes Christianas. Qui dilectione digni sunt habendi, explicat dictio, εἰς ἑαυτοὺς, in vos mutuò, hoc est, in omnes fideles. Sic Christus suis mandat dilectionem Ioan. 13. vers. 34. & 15. vers. 12. & 1. Timoth. 4. vers. 8. scribit Apostolus domesticis fidei in primis prospiciendum esse: quod qui non faciunt, infidelibus sunt deteriores. Deinde lex dilectionis latiùs etiam patet, vt cōpleamus præceptum Domini Christi Matt. 5. de diligendis inimicis: nam publicani quoque diligunt eos quos vident ipsos diligere.

Quādiu sint diligendi.

Quandiu autem sint diligendi homines, indicat vox ἐκτενῆ, quæ duo in memoriam nobis reuocat, scilicet, vt ardēs sit dilectio: id enim est, intensum esse. Arcus enim robur contrahit ex intensione: sic dilectio vsum habet ex ardore. Deinde vt constans & minimè interrupta sit.

Ad reliquas autem virtutes se habet, vt excellentissima quædam virtus, quæ vsu inter homines meritò reliquis prefertur. Ideo dixit πρὸ πάντων. Quod enim philosophi dixerunt de iustitia, quòd in sese virtutes continet omnes: id pij de dilectione rectè dixerint.

Hactenus propositio: sequitur ratio, quia tegit multitudinem peccatorum. Ratio valet ab vsu, seu effectis: quæ enim virtutes maximos habent fructus, illas in primis oportet affectare: sed tegere peccata maximus est fructus, & hunc parit dilectio: Ergo, &c.

Porrò argumentum hoc valet in cœtu hominum, in quo charitas peccata fratrum libenter

libenter tegit. Vide 1.Cor.13. verſ. 7. eodem ſenſu dixit Paulus, Coloſſ.3.quòd ſit vinculum perfectionis.

Verſ.9. *Hoſpitales in vos mutuò.*

Altera virtus quam hac parte nobis commendat. Eſt hæc dilectionis primarius fructus, ac continet in ſe omnia miſericordiæ officia. Vide Rom.12.verſ.10. Et Dominus Chriſtus in nouiſſimo iudicio, ſuos ab hac commēdabit. Alterum eſt huius loci, quod formam ac modum explicat, *ſine murmure* hoſpitales oportere eſſe.Id dixit Paulus,hilarem oportere eſſe datorem. Vide ad Heb.13.ver.2. Matt.25. 35. 2.Cor.9.

Verſ.10. *Quiſque vt accepit.*

Tertiò, iam ad generalia hortatur, cui mox ſpecies aſſignat. Itaque regula hæc ad omnes ordines omnium ſtatuum pertinet. Porrò obſeruatione dignum eſt,quod functionem in genere omnes, ac virtutes functionū inter homines, vocat χαρίσματα. Apoſtolus Paulus Rom.12.v.6.1. Cor.12. v.4.& Epheſ.4. dona cœleſtia vocat:quale erat linguarum, ſanationis, miraculorum, prophetiæ, & ſimilia: ſed hîc ad omnes virtutes Chriſtianas pertinet. Senſus enim eſt, Qua virtute,ſeu dono quiſq; excellit, hanc inprimis diligēter debet exercere ad vſum aliorum. Non deeſt ſententię huic ſua ratio, quia Dei miniſtri ſumus, ac debemus eſſe boni. Itaque dona ad vſum aliorum ſunt accommodanda, Sic enim boni & laudabiles ſunt talentorum ſerui. Contrà piger dicitur, qui ſuum talentum otioſè conſeruauit.Additur hîc *variæ gratiæ Dei*, admonens varietatem eſſe in diſtributione,quia Deus non omnia vni confert. Deinde varietas eſt etiam in amplitudine & numero,&c. Matt.25.

Verſ.11. *Siquis loquitur.*

Species duas generi ſubiicit. Prima eſt, miniſterium Eccleſiaſticum, in quo oportet loqui elogia Dei,hoc eſt,pręter verbum Dei,in Eccleſia nihil perſonare debet:deinde interpretatio congrua ſit quoque,vt illa ſpiret eloquia Dei.

Altera ſpecies eſt miniſtrationis, diaconatus: in quo facilè intelligi poſſunt omnia officia politica. Nam magiſtratus διάκονος quoque dicitur. Itaque politica officia hîc commendantur vt Dei dona. Seu accipi debet locus de aliis Eccleſiæ muniis, quale erat diaconorum munus qui præerant pauperibus. Hæc omnia adminiſtrari debent ex quo iudicium à domo Dei incipiat, Locum illuſtrat mox collatione contrariorum. Si robore quod ſubminiſtrat Deus, hoc eſt, ſanctè & piè ſine carnali affectu. Addita eſt cauſa finalis, *Ad gloriam Dei*, qui finis ad omnes actiones omnium officiorum pertinet. Locus tandem concluditur illuſtri δοξολογίᾳ,de qua aliàs ſæpe diximus. Rom.13.

Verſ.12. *Dilecti ne miremini.*

Tertia pars capitis, in qua ſpecialiter agit iterum de conſtantia & innocentia ſimul ſub cruce retinenda, qui locus præcipuus eſt in tota epiſtola. Porrò nouo vtitur exordio,ad rem longè maximam exhortaturus. Inde addit propoſitionem, cuius mens eſt, Pij ad crucem non debent,vt rem inſolitam ξενίζεσθαι: de quo diximus iam verſ.4. Deinde crucem vocat πύρωσιν,vſtionē,quia carni mala eſt, & animum quoque mille modis vrit.Ideo imperiti crucis,rē hanc vt nouam admirantur, quaſi inſolens quiddam,& minimè ſua perſona dignum illis eueniret.Hactenus propoſitio. Tertia huius capitis pars.

Ratio propoſitionis eſt à fine, quia crux bono fine immittitur, *qui eſt probatio:* ſic enim accipio hîc πειρασμὸν tentationem, hoc eſt, explorationem ac probam. Sic Iacobi 1. verſ.2. & ſup.1.Petrus de tentatione eſt loquutus. Obſeruanda eſt etiam ſuauis παρονομασία inter voces πύρωσις & πειρασμός. Argumenta.

Verſ.13. *Sed vt participatis.*

Altera ratio cur crux hilari animo ſit perferenda. Ducitur illa à conſequenti, quia inquit, aliter gloriæ Chriſti non poteſtis fieri participes, q.d. Hæc via eſt, & quidem ſola ad gloriam. Rom.6.5.

Verſ.14. *Si probris afficimini.*

Tertia ratio conſolatoria à cauſæ bonitate, per exclamationem adhibita.Pro Chriſto fertis crucem, qua re nihil poteſt eſſe beatius,vt ſup.cap.3.ver.14.idem argumentum habuimus. Matth.5. 10.11.

Quarta ratio hoc verſu quoque additur à certo & infallibili ſigno. Crux quam vir bonus fert pro Chriſto,quid indicat? Certè hoc quod Spiritus Dei in illo quieſcat,hoc eſt, domicilium ſuum hîc habeat, & gubernet hominem ſuo arbitrio: hinc fit vt illum ad omnem crucem faciat idoneum, etiam ad martyria paratum reddat, Hoc non aliunde quàm ex Dei Spiritu oritur.Patheticè autem & emphaticè ornat hunc Spiritum, repetitis articulis τὸ τῆς, & τὸ τοῦ, &c.Eundem autem Spiritum intelligo gloriæ & Dei.

Gloriæ dicitur, quia piis gloriosus est: Dei autem ab origine dicitur.

Quinta ratio itidem hinc colligatur. Aduersarij calumnias in vos putant se euomere, cùm recidant in ipsum Spiritum Dei: vos contrà eundem Spiritum constantia sub cruce glorificatis. Est igitur crux constanter perferenda, vt quę cedat ad gloriam nominis diuini: nec est hîc curanda ignominia, quæ non in vos solos, sed simul in Spiritum Dei recidit.

Vers. 15. *Non enim quis vestrûm.*

Quæ forma crucis sit laudanda.

Sexta est ratio à distinctione crucis. Ostendit autem quæ forma crucis laudanda sit: non enim mox quæuis crux commendari potest. Causa enim facit martyrem, non suppliciũ. Ideo Petrus distinguit hîc inter causas: διάκρισις hæc est diligenter seruanda. Fur, latro, maleficus ferunt crucem, sed suis sceleribus ascitam. Obserua his sceleribus adnumerari quoq; πολυπραγμοσύνην, h. e. curiositatem rerum, vel nõ necessariarum, vel ad se nihil attinentium.

Vers. 16. *Si autem vt Christianus.*

Altera species crucis quæ laudatur à Scriptura, nomine scil. iustitiæ & Christi affligi malis. In hoc non est metuenda ignominia: sed potiùs laudandus Deus, qui nos dignos iudicarit tanta gloria. Laudãdus autem est, inquit, ἐν τῷ μέρει τούτῳ, h. e. pro hoc dono, in hac parte, quæ tibi data est, quæ pars est proportionalis, & ob id laudem proportionalem acquirit.

Vers. 17. *Quia tempus est.*

Septima est ratio à Dei decreto, & temporis occasione, q. d. Iam illud tempus adest quo iudicium à domo Dei incipiat, Locum illustrat mox collatione contrariorum. Si pij ita tractantur à Deo, quæ tandem erit impiorum fortuna? quasi dicat, multò deploratior.

Vers. 18. *Et si iustus vix seruatur.*

Locum priorem illustrat Scripturæ testimonio: ac habet argumentum à minori ad maius. Pius qui minora videtur habere impedimenta ad salutem, tamen vix illam consequitur: ergo impius qui maxima habet vndequaq; impedimenta, quomodo illam assequetur? Locus est desumptus ex Prouer. 11. ad finem, vbi Græci ad verbum id legunt, vt à Petro hîc citatur. Hebræi tamen verbis aliud habent, sensu tamen prorsus eodem. *Henaph, tsadik Baarets ieschullam, aph kiki raschang vechote.* Hoc est, En iustus in terra retributionẽ accipit, quanto magis impius & peccator? Sensus est, Iustus etiam à Deo in hac vita punitur ob peccata. Ideo in cruce etiam illa causa concurrit, vt pij admoneantur, quantopere Deus offendatur peccato, & quantum illi irascatur. Quòd si igitur suis non parcit ob peccata quotidiana, quanto magis impiis non parcet propter atrociora scelera.

Vers. 19. *Itaque qui affliguntur.*

Συμπέρασμα διδακτικόν. Ostendit enim quales nos sub crucis agone esse oporteat. Primùm autem obseruandum est, afflictiones piorum, sciente & volente Deo immitti, ne somniemus Deum in aduersis esse nostri oblitum: ideóque non vltra modum sæuire mala sciamus. Deinde sub his malis euentum Deo debemus committere, quod dixit Petrus, *Animas nostras fideli conditori commendare*, ad exemplum Christi, qui in
Luc. 23. 46. agone mortis, Spiritum in manus Dei Patris commendauit.

Tertiò in his ipsis ærumnis, retinendum est semper bene faciendi studium, hoc est, vt pro hostibus, & ipsis nostris tortoribus oremus ad exemplum Christi, & aliorum piorum martyrum, &c.

CAPVT V.

Arg. 5. c.



Redit ad locos personales, quales tractauit etiam secundo & tertio capitibus, vbi subditis mandauit obedientiam erga magistratus, seruis erga heros, & cap. 3. de officio vxoris & mariti. Interim ad locos generales theticos digressus est, nunc ad hypotheticos redit, ac differit de senum ac iuuenum decoro. Hinc omnes ad vigilantiam & sobrietatem excitat. Demum epilogum totius epistolæ subnectit. De his quatuor hoc capite agendum est.

Propositio.

Propositio est, Omnes Christiani, in primis verò ministri in suo officio debent quàm vigilantissimi esse.

Vers. 1. *Senior es inter vos.*

Primus locus de ministrorũ officio, de quo cõsule plura 1. Tim. 3. & ad Tit. 1. Exordiũ hic

hic sumit à propositione, quę tamen mox interrumpitur ἐπεμβολῇ ἐπιχειρηματικῇ. Atque in hac parenthesi sunt argumenta à sua persona, quibus fidem cupit facere ministris, vt sint quàm vigilātissimi in sua vocation e. Primùm quia & ipse sit senex, imò συμπρεσβύτερος, hoc est, senio par & officio æqualis. Senile autem consilium sobrium est & maturum, quia in his experientia est maior, futurorũ prospiciẽtia maior, ac præsentium intelligentia: ideo consilium tale non est contemnendum. Simile est in Apostolo Paulo ad Philemonem, Cùm talis existam, Paulus iam senex. Deinde si ad officium referas habes argumentum euidens. Nam quis meliùs consulet ministro, quàm minister peritus, & in primis Apostolus: Deinde, *sum testis afflictionum Christi*, hoc est, oculatus testis qui præcipuis eius ærumnis interfui, & ideo certior sum testis, quàm alij auriti solùm. Sic in Apocalypsi cap. 1. v. 5. Christus ipse testis fidelis dicitur.

Tertiò, *Particeps sum eiusdem gloriæ*, h.e. præmij. Requirunt autem paria præmia parem diligentiam. In Apocal. 1. v. 9. Ioannes se fratrem & συγκοινωνὸν afflictionum & gloriæ vocat, &c.

Vers. 2. *Pascite gregem Dei.*

Hic iam absoluitur propositio, quæ sic cohæret, Presbyteros qui inter vos sunt, hortor. Pascite gregem Dei. Presbyteri vox primùm ab ætate senili est desumpta: ex qua vt plurimùm, ad ministerium verbi adhibebantur idonei homines. Sed quia iuuenes interdum apti reperiebantur, effectum est vt omnes in genere Presbyteri dicerentur, qui ministerio præcellent, vt senatores, etiam si non omnes essent senes.

Horum officium primùm est ποιμαίνειν, pascere. Metaphora frequens est sacris & prophanis scriptoribus. Hinc pastores dicuntur reges, vt Agamemnon 2. Iliad. & de Mentore dicitur ποιμένι λαῶν, in Odyss. ω. In sacris literis, Reges & prophetę pastores dicuntur. Hinc Christus se bonum vocat pastorem: & mali sunt pastores qui se pascunt, non gregem Dei, Ezechiel. 34. Metaphora igitur pascendi commendat ministris salubritatem doctrinæ, & integritatem exempli, quæ pura & sacris literis conforma esse debent. Presbyterorum officiorum. 1. Ioā. 10. 1.

Quod autem addit *gregem Dei esse*, admonet eos versari in bonis alienis, de quibus respondendũ sit, non homini alicui sed Deo. Et particula τὸ ἐν ὑμῖν reddi potest, vel *qui apud vos est*, ne scilicet alienas Ecclesias curent sibi non commissas: vel *quantum in vobis est*, vt scilicet sciant nullis parcendum esse laboribus: sed opportunè & importunè veritatem populo proponendam, adeo vt nec vitæ parcatur, nedum sanitati vel opibus.

Alterum officiũ est ἐπισκοπεῖν, h.e. prouida cura videre, quid cuique ętati, conditioni, sexui, & statui conueniat. Nam pascendi verbum laboris est: inspiciendi autem sapientiæ & circunspicientiæ. 2. officiũ.

Tertiò debent id facere non lucri causa, vt fit fere prætextu doctrinæ: alij lucrum, alij honores, alij primatum quærunt, Lucri cupiditas etiam damnatur à Paulo 1. Tim. 3. Tit. 1. Matt. 20. vers. 25.

Quartò, *non dominandi studio*, Sic Christus dicit gentile esse dominatum quærere in Ecclesiam, & Ioannes Epist. 3. ait, Diotrephes ὁ φιλοπρωτεύων non recipit nos, significans hæreticum esse, & alienum à veris Ministris. Clerum accipio Ecclesiam Christi, exemplo veteris Testamenti, in quo Israë, sors domini dicitur. Huic vitio opponit, vt sint *typi gregis*, hoc est, exemplaria quæ tutò possint imitari, vt oues pastorem tutò sequuntur.

Vers. 4. *Et manifestato.*

Argumentum est additum à dignitate præmij: Coronam accipietis immarcessibilem, hoc est, vitam æternam: Ergo vigilantes in officio oportet esse. Deinde, *accipietis illam à summo pastore.* Terror inest argumento huic, quia hinc efficitur, non habere absolutam potestatem ministros, sed prætoriam solùm vt dicitur: de omnibus autem rationem esse reddendam summo Pastori, hoc est, magistro pastorum, qui Christus est. Dominus Christus se bonum vocat pastorem: & Petrus sup. 2. pastorem simpliciter & curatorem animarum. In Epist. ad Hebr. 13. vers. 20. Magnus pastor. hîc elegantissimè summus, quia ei est reddenda ratio.

Vers. 5. *Similiter iuuenes.*

Hactenus primus locus de senum decoro: concio dignissima quæ in frequenti ministrorum cœtu habeatur ἐν τῷ γερουσίῳ, vel potiùs πρεσβυτερείῳ, vt quàm diligentissimè sui officij in tanta securitate admonerentur.

Nunc alterum ingreditur locum de iuniorum officio. Similitudinis vox parem in hac ætate requirit diligentiam in exequendo officio pij hominis. Primùm autem

subiectionem ab eis requirit, h.e. vt senibus cedant & parcant, assurgant, eosdem honorent. Sic Leuit. 19. dicitur, vt coram cano capite surgant. Sic Græci & Rmani in spectaculis quoque senioribus cedebant loco assurgentes.

Altera virtus est, vt inter se quoque humaniter viuant: alius alium honore præueniat, vt est, Rom. 12. Tertia virtus est, vt humilitatem infixam retineant: est enim radix virtutum, & fundamentum cui facilè incumbent aliæ Christianæ virtutes. *quia Deus superbis resistit.* Ratio est suasoria cur iuuentuti sit seruanda humilitas. Idem habuimus in Iacob. cap. 4. vers. 6. & Luc. 2. 52. in cantico Mariæ.

Vers. 6. *Submittite igitur vos.*

Illatio est. Similem vide Iacob. 4. v. 10. sed est argumentosa hoc loco, quia humiliando submittimus nos manui Domini, quæ fortis est, tum ad defendendum, tum deprimendum superbos. Deinde spes est futuræ exaltationis quæ fiet suo tempore: non igitur desperandum in humilitate, quasi omni præmio sit caritura.

Vers. 7. *Omnem curam.*

Quia humilibus multæ curæ molestiam pariunt, ostendit cui istæ sint committendæ vt interim hilaris sit & læta humilitas: In Deum scilicet. Sic Dauid dixit, Commenda Domino viam tuam, & ora illum, & ipse faciet. Sic Psa. 54. v. 37. Iacta in Dominum curam tuam, & ipse enutriet te. Itaque curam hîc rectè prohibet Petrus. Idem fecit priùs Christus Luc. 12. v. 30. Sed meminerimus hanc curam esse corporalem, vt de euentu rerum nostrarum, quæ meritò prohibetur. Alia est cura, seu quædam solicitudo officij commissi, quæ nos semper debet comitari. Ita priùs præcepit Presbyteris, vt sint inspectores more pastorum pro grege curiosi. Ad Rom. 12. dicitur, vt Spiritu simus ardentes. Ratio præcepti est, quia Deo cura est nostri. Idem argumentum habet Christus Luc 12.

Vers. 8. *Sobrij sitis, vigilate.*

Tertius locus pertinens ad omnes tam senes quàm iuuenes, ministros & auditores. Ideo accipi debet quasi totum cœtum alloquatur, quem ad sobrietatem & vigilantiam hortatur. Suprà cap. 4. similia habuimus. Vigilate in orationibus. & in Apostolo Paulo, 2. Tim. 4. ver. 5. Tu verò vigila in omnibus. 1. Cor. 16. v. 13. Vigilate & state in fide. & Christus Matth. 24. v. 42. Vigilate inquit, nescitis enim quando Dominus venturus sit. Eadem habemus Marc. 13. & Luc. 21. Vigilate omni tempore orantes.

Ratio propositionis est à persona hostis, *quia diabolus vester hostis est*, hoc est, astutū habetis hostem, non hominem aliquem, sed ipsum diabolum, inde dictum, quod impostor & fallax sit, adeo vt ex amicis etiam inimicos faciat, hoc est, coniunctissimos sæpe dirimat. Apud Heb. dicitur Satan, hoc est aduersarius, quod Iustinus Martyr dicit integrum esse Satanas, compositum *à Satan & nachasch*, hoc est, aduersario & serpente, vt exprimat singulare odium erga genus humanum, quod initio in serpentis persona prodidit. Altera ratio est à natura hostis, quia idem sit sanguinarius, & crudelis. Hoc expressit illustri similitudine leonis, *Obambulat vt leo quærens quem deuoret.* Leo in primis sanguine delectatur. Ita diabolus non contentus est fortunis & honoribus hominem exuisse, sanguinem ipsum appetit. Appellatio rectè congruit à naturæ proprietate. Sic Herodes dictus est vulpes, & Nero quoque leo. 2. Tim. 4. ver. 17.

Hostis humani generis naturâ. Luc. 13. 32.

Vers. 9. *Cui resistite.*

Monstrat iam tanti mali antidotum, fidem scilicet, qua sola expugnatur Satanæ astutia. Similis est armatura ad Ephes. 6. Ac fidem non solùm professionem Christi, sed orationem, vigilantiam, aliásque cognatas virtutes intelligamus. Ac sunt nostra antidota, quæ leoni huic opponamus: primùm Christus ipse leo de tribu Iuda, qui iam vicit, deinde vigilans & constans oratio, qua instar cantus Galli, leonis furor frangitur.

Apoc. 5. ver. 5.

Accedit hîc noua ratio ducta ab exemplo, quia idem patiuntur reliqui per totum mundum fideles, quos vocat *fraternitatem*, vt enim pij omnes fratres sunt, communis inter eos affectus est fraternitas. Hinc collegia & cœtus idem profitentium dicuntur hodie quoque fraternitates. Sensus igitur est, omnes per totum mundum fratres, hanc fortunam vobiscum habent communem, ergo, &c.

Vers. 10. *Deus autem omnis gratiæ.*

Epilogus est totius Epistolę constans certis mēbris, quæ ordine inspiciemus. Primum membrum est, comprecatio auxilij diuini itaque quartum sit hoc argumentum vigilantiæ, quia de auxilio Dei vobis minimè est desperandum, quod ego quoque ardentibus votis à Deo postulabo. Valet multum iusti viri intercessio apud Deum in hac viat.

Porrò

Porrò Deus dicitur gratiæ non solùm gratiosus & φιλάνθρωπος, hoc est, iam per Christum reconciliatus piis: sed etiam donorum spiritualium author. Sic Rom.1.ver.7. Per quem accepimus gratiam, & Eph.4.cuique nostrûm data est gratia, h. e. donum quoddam, vt χάρις sit χάρισμα. Hinc ad Eph.1.v.7.apud Deum dicuntur diuitiæ esse gratiæ, h.e. inexhausta donorum Dei copia, quæ effunditur liberali manu in pios. Deus gratiæ.

Quintò à præstantia vocationis, *Vocauit vos ad æternam suam gloriam*, hoc est, vitam æternam, in qua gloria Dei elucebit. Sic Christus Iudex dicet suis, Euge bone serue intra in gloriam Domini tui. Deinde vocauit nos etiam in gloriam suam, hoc est, vt illi ornamento simus in hac vita, confessiones veritatis, vitæ innocentia & similibus virtutibus, &c.

Sextò additur argumentum à breuitate temporis, ὀλίγον παθόντας, modicè vel paulisper afflictos, quasi dicat, breue est quicquid hîc patimur: quid enim sunt pauci anni ad immensam illam æternitatem? Euanescunt quęcunque hîc nobis longa videntur, si ad illa cogitationes referamus.

Vers.11. *Ipsi sit gloria.*

Alter est locus epilogi continens illustrem δοξολογίαν. Declarat autem pectus admodum ardens & promptum in confirmandis infirmis.

Vers.12. *Per Syluanum.*

Tertius est locus epilogi, per quem scilicet missa sit Epistola hæc, & quo consilio scripta: missa est per Syluanum, vel eidem dictata, vt fiat illius mentio tanquam amanuensis, non vt tabellarij. Sic Paulus vsus est amanuense, rarò sua manu integras scripsit Epistolas, satis erat subscribere.

Quo autem fine sit scripta duabus vocibus exprimit, παρακαλῶν & ἐπιμαρτυρῶν: quibus certè indicat consilium scribẽdi fuisse, primùm vt pios consolaretur, & ad constantiam prouocaret, qua in primis indigebant propter varias persequutiones. Deinde vt ostenderet eis hanc religionem vnam veram esse, qua Deus rectè coli & vellet & posset. Itaque hinc petenda est propositio generalis totius epistolæ, quemadmodum in προλεγομένοις ostendimus. Deinde hinc desumendum est etiam genus epistolæ προτρεπτικὸν & ἐπιδεικτικόν, &c. Hanc esse veram gratiam accipio pro vera religione Dei, ac fidei professione.

Vers.13. *Salutat vos, ea quæ est in Babylon.*

Quartus locus epilogi continet salutationes mutuas. Ac habet illa nobis salutatio argumentum consolatorium, quia videbant suam fortunam aliis Ecclesiis esse curæ. Porrò duæ sunt personæ salutantes: vna generalis totius cuiusdam Ecclesiæ, altera specialis vnius personæ. Ecclesiæ, est Babylonicæ, h.e. illic congregatæ & electæ ad eandem vitam æternã & easdẽ ærumnas in hac vita, ne putarent illi ad quos scribit, se solos esse adeo infœlices, vt omnium iniuriæ essent expositi. Porrò quæ sit illa Babylon, ambiguum est. Hieronymus & alij nonnulli de Roma accipiunt: nam sic exponit in vita S. Marci: figuraliter, inquit, Romam significans & in Epist. 17. eandem sequitur interpretationem, citans locum in Apoc. 18.v.4 Cecidit cecidit Babylon. Hanc sententiam sequuntur qui Epistolam hanc Romæ scriptam esse affirmant. Sed placet mihi altera sententia, Babylonem propriè scilicet accipiens. Quid enim causæ erat, cur proprium nomen subiiceret? cùm Apostolus Paulus omnibus Epistolis Romæ scriptis non dubitet addere vrbis nomen, familiarium quoque intrepidè faciat mentionem. Itaque Babylonem vel Assyriæ vel Ægypti accipio, quæ Cairum hodie dicitur: ex qua hanc Epistolam ad prædictas Ecclesias miserit, vtpote circuncisionis inter gentes minister & Apostolus. Quænã sit illa Babylon.


Altera persona salutans est Marcus, de quo in Act.12.v.12.diximus: & ad Coloss. 4. v.10. consobrinus Barnabæ dicitur. Eiusdem mentio est 2. Tim.4.v. 11. filium autem vocat ratione institutionis, quo iure Paulus Onesimum appellauit filium: & idem Apost. Timotheum vocat filium 1.Tim.1. Phil.v.10.

Vers.14. *Salutate vos mutuò.*

Confirmatio salutationis additur expresso symbolo osculi, de quo alibi diximus. Petrus vocat osculum dilectionis, quia ad eius contestationem adhiberi solet. Sed Apostolus Paulus sanctum appellauit, Rom.16.16. & 1.Cor.16.20.&2.Cor.13.12.vt significaret discrimen pij osculi & mundani. Sanctum dicitur, quia non sapit carnales affectus, non suauia venerea, sed Dei Spiritum, quo differt piorum ab impiorum osculo.

Pax sit vobis. Quintus & vltimus locus epilogi, finalem continens clausulam: est & hîc illustris comprecatio pacis.

FINIS.



COMPOSITIO POSTERIORIS EPITOLÆ D. PETRI.

Argumentum.



Apostolus Petrus in priori epistola magis voluit reddere constantes in professione Christiana, ne scil. pij metu periculorum, aut mole persecutionum deficerent à veritate. In hac autem posteriore magis hoc vrget vt pij crescant in dies in renati hominis virtutibus, quibus professio ipsa est ornanda: differit interea de aliis quoq; locis, vt de cauendis falsis doctoribus, de consensu doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, de statu nouissimi temporis, de præstantia Paulinæ doctrinæ, quo omnia magno ardore piis inculcat.

AVTOR.

D autore huius epistolæ litem semper mouerunt Orientales. Nam vnam saltem D. Petri agnoscunt, vnde Niceph. lib. 5. cap. 16. primam solùm illi tribuit, secundæ quidem facit mentionem, sed non sine suspicione: idem facit Euseb. lib. 3. ecclesiasticæ historiæ cap. 3. & hodie Syri hanc etiam reiiciunt, quamuis inter Græcos Athanasius hanc ingenuè admittat, quod vel inde constat quòd hanc etiam vt reliquas Apostolicas illustrat synopsi. Occidentales ecclesiæ semper hanc consentienter admiserunt, & sanè si locos ipsos expendas, multa habet cum prima communia, vt locum de consensu Propheticæ doctrinæ, locum de ornanda professione vita & moribus, & similes: per cætera nihil habet, quod seu spiret, aut alat hæresin. Itaque hanc accipiamus tanquàm à spiritu Petri profectam.

QVIBVS SCRIBATVR.

In scribendo Apostolus omnium sanctorum habuit rationem, quod inde colligimus, quia inquit τοῖς ἰσότιμον πίστιν λαχοῦσι, qui parem nobiscum consecuti sunt fidem. Nam hac phrasi æquat Iudæis Gentes in Christo, & Apostolorum fidem vtvt fuerit excellens gradu, submittit ad omnium credentium in Christum infirmitatem. Itaque & nobis & toti posteritati scripta est.

OCCASIO.

Vt constat cap. 1. ver. 14. & 15. vicinus iam erat morti, itaque vt fideles tum viuentes & posteritas haberent testimonium Apostolicæ doctrinæ, hanc secundam scripsit. Præterea vt firmam haberent consolationem in omni fortuna, item vt cautos redderet contra seductores. Ideo cap. 2. tam diligenter describit, quales futuri sint doctores illi: & cap. 3. illorum recenset absurda dogmata, & mores Epicuraicos, vt constaret quid doctrinæ Apostolicæ conforme esset aut minus. Quare tanquam cygnea cantio hæc secunda superiori accessit, cum iam morti esset proximus.

GENVS.

Genus principale est exhortatorium. Nam scopus est excitare ad incrementa virtutum. Sic cap. 1. hoc facit, & cap 3. ver. 1. idem indicat, & eiusdem cap. ver. 14. & similibus locis. Accedunt postea quæ hoc illustrant, vt Ἐπιδεικτικόν, quo ostendit hanc verã esse religionem quam ipsi acceperant de Christo, vt cap. 1. ver. 16. non arte confectis fabulis patefecimus vobis virtutem domini Iesu Christi, sed cum fuissemus inspectores illius maiestatis, & v. 19. habemus firmiorem sermonẽ propheticũ, cui si attendatis rectè feceritis. Et cap. 3. v. 2. iterum reuocat in mentem consensu doctrinæ apostolicę cum doctrina prophetica, quæ apud pios vim habent demonstrationis. In multis se præstat etiã vatem, vt c. 2. prædicit falsos doctores semper fore in ecclesia, & cap. 3. prædicit in ecclesia fore Epicureos qui vitã æternã & renouationẽ totius creaturæ negaturi sint, & ob id magna leuitate & petulantia vera dogmata de resurrectione sibilabunt. Sunt quædam etiam Διδακτικά vt quod c. 3. v. 5. & 9. ostendit quo cõsilio dominus differat suũ aduentũ, nimirũ quod nolit aliquos perire, sed per pœnitẽtiam ad veritatis cognitionẽ conuerti,

conuerti,id fiat vt tẽpus illis concedit. Item cap.1. cur fides sit ornanda bonis operibus. Sunt quædam etiam ἐγκωμιαστικὰ, vt cap. 1. magnificè laudat scripturas veteris testamenti, quas nobis proponit tanquam lucernam in tenebris huius mũdi lucentem, & eodem cap.1.v.12. ipsos fideles laudat vt firmos & bene fundatos in veritate. Sic cap. 3. magnifica laus est Apostoli Pauli & eius doctrinæ. Quædã etiam sunt ψεκτικὰ vt cap. 2.& 3, vbi de falsis agit doctoribus. cap.2.12. inter alia vocat ἄλογα ζῶα, h. e. bruta animantia, & ver. 13. & consequentibus variis epithetis illos insectatur. Inter alia καταράς τέκνα perditionis filios, & ἐμπαίκτας hoc est illusores appellat.


PROPOSITIO.

Propositionem sumo ex cap.1. ver.5. & 6. & cap.3. ver. 18. ex quibus locis hæc sententia eruitur. Pij confitentes Christum semper cauti esse debent contra seductores, & in cursu Christianarum virtutum in dies magis magisque crescere.

PARTES.

1. Partium ordo hic est. Primùm pro more epistolari titulus est, comprehendens duos priores versus 2. Secundo loco est exordium v.3.quod sumitur à magnitudine beneficiorum Dei, ac pertinet ad attensionem. Vult enim mentes nostra rapere in admirationem beneficiorum eius, vt mox Dei exemplo nos hilares efficiat sectatores bonorum operum. Sententia eius est, Deus valde liberaliter contulit nobis omnia quæ sunt necessaria ad vitam æternam consequendam & veram pietatem retinẽdam. Versu 5. sequitur generalis πρόθεσις, quòd oporteat bonorum operum studio in dies magis & magis crescere. Proponitur hoc eleganti gradatione, qua complectitur virtutes renati hominis, ac nititur præcedenti exemplo Dei. Ver.8. sequitur confirmatio propositionis. Ostẽdit enim cur oporteat his virtutibus incumbere. 1. quia sic non erimus otiosi auditores Christi. 2. quia sine his cæci sumus & Dei beneficiis ingrati. 3. studium harum virtutum confirmat electionem nostram. 4. hæ virtutes arcent à nobis errores & quotidiana peccata. 5. per has solas aditus nobis patet & cursus felix ad vitam æternam. 6. quia firmi in fide hac exercitatione habent opus, iudicio & autoritate Petri. 7. quia hoc requirit certitudo Apostolicæ doctrinæ, cuius ipse Petrus est & auritus & oculatus testis. Demum hoc ipsum postulat Prophetica doctrina consentiens cum Euangelio. Quinta pars c. 2. nouam proponit propositionem de vitandis falsis doctoribus, ac videtur inter hæreses præcipuè numerare illud, quod iam corresit in vita & moribus, scil. sine studio bonorum operum profiteri fidem. Initio ergo est πρόθεσις comparatione instituta, Semper erunt hæreses in Ecclesia Christi, quẽadmodum in veteri populo fuerunt. Hanc senten tiam ἐκθέσει illustrat à doctrina & moribus, comminatione quoque recenset pœnas, & consolatione agit de cõseruatione piorum in tam corrupto seculo, & hanc munit exemplo Lothi, mox digreditur in mores dissolutè viuentium, quales prorsus sunt Libertini Christianæ professionis.

Tertio cap. repetit initio propositionem, quam munit consilio scribendi, & suam doctrinam prophetico consensu iterum confirmat. Secundo loco propositionem illustrat genere doctrinæ hæreticorum, quod scilicet doctrinam Christi prauis moribus corrupturi sint. Tertio loco confutat istorum hæreticorum institutum consilio Dei & manifestis exemplis. Quarto loco opponit corruptæ huic doctrinæ sanam doctrinam de vitæ innocentia, quæ sola habebit remunerationem in aduentu domini, inde manifestè digreditur in exhortationem ad innocentiam vitæ & morum integritatem, vsque ad vers.17. Inde sexta constituatur pars & vltima, epilogus epistolæ, constans admonitione, repetita etiam propositione, ac tertiò δοξολογίᾳ.



IN SECVNDAM S. PETRI EPISTOLAM ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

An sit Apostoli Petri.



OCCIDENTALIS Ecclesia vnanimi consensu, hanc secundam vt canonicam & Petri Apostoli propriam semper admisit. Hanc sententiam ego quoque libenter amplector. Nihil enim in hac reperio à sacris literis alienum, aut quod hæreses alere possit.

Orientales videntur semper de hac dubitasse. Nam Niceph. lib. 5. cap. 16. solùm primam recenset vt indubitatam, secundam admittit, sed non sine suspicione. Idem facit Euseb. lib. 3. Eccles. histor. cap. 3. Hodie etiam Syri non admittunt. Ideo editiones nostræ, tam illa quæ Hebraicis characteribus excusa est Geneuæ, quàm prior illa Syriacis typis edita Viennæ Austriæ ante annos 16. hanc epistolam non habent, quemaddum nec duas posteriores epistolas Ioannis, & illam Iudæ, cum Apocalypsi. Vidi etiam vetustissimũ exemplar manuscriptum Heidelbergæ in bibliotheca Electoris Palatini, quod has ipsas epistolas iam dictas non habet: & Syri, quíque inde veniunt, dicunt adhuc in Ecclesiis illorum non agnosci, legi tamen priuatim, vt nos libellos apochryphos. Ex quo euidens est, veterem hanc suspicionem esse. Tamen non tantùm valuit, quin Græci quidam hanc receperint, vt Athanasius, cuius extat etiam in hanc synopsis non inerudita. Et Latini, vt iam diximus sine controuersia hac vtuntur, quod iudicium libens amplector, tum propter argumenti similitudinẽ, tum propter locos admodum pios, quos eruditè hic scriptor explicat.

(Anno 155)

Quibus scribat.

Omnibus piis toto orbe dispersis scribitur, quod facilè patebit ex epigraphe. Nam in ea Gentes Iudæis æquat in causa fidei. Ac Iudæos quidem in primis respexisse credi potest: sed cùm omnes Ecclesiæ tum mixtæ essent ex Iudæis & Gentibus, non poterat solos Iudæos ἰσοτίμους vocare in causa religionis.

Quid scribat.

Argum. epist. huius. Superior epistola magis incumbebat in hoc, vt ostenderet pios oportere constantes esse in omni fortuna, ne scilicet metu periculorum & magnitudine persequutionum deficerent à religione Christi. Sed in hac spectat magis vt crescant in renati hominis virtutibus, ac inde magis magísque proficiant. His addit alios locos, vt piam illam admonitionem de cauendis falsis doctoribus, de consensu Apostolicæ & Propheticæ doctrinæ, de nouissimi temporis statu, de præstantia Paulinæ doctrinæ, &c. Hæc & his similia magno ardore piis inculcat.

Occasio. Vicinus morti hanc scripsit, vt constat ex cap. 1. ver. 14. Ideo haberi debet tanquam cygnea cantio. Moriturus enim voluit testimonium sacræ doctrinę publicare. Deinde vt Ecclesiæ sui tẽporis haberent firmam consolationem, nec non vt eas faceret cautiores contra seductores, quos ita describit 2. cap. vt à quouis facilè possint dignosci: sic absurda quædam dogmata perstringit cap. 3. Laudatur mirificè Socrates à Platone, quòd præsentes amicos iam cicutam bibiturus, ad pietatem sit cohortatus: multo certè maiorem laudẽ meretur Petrus, qui iamiam moriturus posteritatem tam salubri doctrina confirmare voluit, ne declinarent ad impia dogmata, aut si sibi imponi patiantur, certè minùs sint habituri excusationis.

Πρόθεσις.

Propositio. In prima ad constantiam est cohortatus: in hac iam ad virtutum incrementa, vt colligi potest ex cap. 1. vers. 6. necnon cap. 3. ad finem. Sit igitur illa propositio, Pij in dies magis magísque debent in curriculo Christianarum virtutum crescere, declinantes simul falsos doctores qui impia dogmata spargunt.

Partes.

Partes secundum Lutherũ. Si ipsam materiam respicias, non malè distribuitur in tres partes, secundum tres

Ecclesiæ status. Primò enim statum perfectionis describit, declarans qualis debeat in his terris esse Domini Ecclesia, nimirum virtutum studiosissima, quæque in dies bonis moribus seipsam cupiat vincere. Deinde cap.2. corruptum describit Ecclesiæ statum, qualis est sub Antichristo, in quo regnat hypocrisis, & religio nudis constat disputationibus, sine vitæ emendatione. Tertiò qualis futura sit sub finem mundi, nimirum vt vix reperias fidem, &c.

Verùm nostro more diuidamus epistolam, vt illam priorem diuisionem includamus nostræ partitioni. Sũt igitur hæ partes. Alia diuisio.

Prima est titulus: altera Exordium: tertia Propositio prima de incremento virtutum, cui annecto suam confirmationem: quarta est cap.2. altera scilicet propositio de vitandis seductoribus: quinta cap.3. continet tertiam propositionem de statu nouissimi seculi: Vltima pars tribuitur epilogo cap. 3. v. 17. Constat is dehortatione, ne erroribus dent locum: deinde renouatione propositionis, vt conentur in dies crescere studio pietatis. Denique δοξολογία totam epistolam concludit.

Genus.

Primarium est προτρεπτικόν, ad incrementum virtutum excitant, vt cap.1. & 3. colligi potest. Accedit ἀποδεικτικόν, quòd vera sit religio quam recenter susceperint. cap.1. & idque consensu Propheticæ doctrinæ & Apostolicæ declarat. Accedit etiam προῤῥητικόν, quale est illustre illud vaticinium, cap.2. de falsis doctoribus, quos à doctrina, successu, & euentu pulchrè depingit: similiter cap.3. describit Epicureos, qui vltimis temporibus futuri sunt.

Est etiam διδακτικόν, vt cap.3. cur differat Deus tam diu iudicium nouissimum. Item cap.1. cur fides ornanda sit bonis moribus & studio virtutum.

Sunt etiam quædam ἐγκωμιαστικά, vt cap.1. iudicium de Scripturis Propheticis: & cap.3. laudes extant Apostoli Pauli & illustre iudicium de eiusdem doctrina.

Sic habes quædam ψεκτικά vt cap. 2. & 3. seductores horrẽdis ornat nominibus. ἀλογα ζῶα vocat, & κατάρας τέκνα item ἐμπαίκτας, alijsque diris epithetis quæ ad personarum dedecus ac vituperiũ spectant. Hæc si rectè expendantur, lucem aliquam afferent in lectione contextus.

CAPVT I.



COmplectitur quatuor partes, Titulum, Exordium, Propositionem, & Confirmationem. De quibus ordine nobis erit agendum.

Titulus.

Sententia colligatur, vt in epistolis Paulinis docuimus. Huic a ibetur consueta partitio, de persona scribentis agi: hinc de his ad quo scribitur: ac tertiò honestam addi comprecationem.

Personam suam ornat nominibus propriis: deinde epithetis. Propria sunt, Simonis & Petri. Illud ex circuncisione habuit ante conuersionem: éstque idem cum Simone Simeon, vt est videre Mat.4.v.18. Luc.5.v.8. Ioan.13.v.24. Mat.16.v.16. Act.15.v.8. Petri autem nomen accepit à Domino Christo, vt est Ioan.1.43. Matth.16.18. Marc.3.16. Differentiam autem hîc statuit, quia alius fuit Simon Zelotes Act.1.v.13. qui Matt.10. dicitur Cananites.

Ideo ad epistolæ certitudinem pertinet quòd se Simeonem Petrum vocat. Reliqua duo epitheta sunt. Seruus humilitatis est, ac respicit Dominum, quem hîc exprimit Iesum Christum, significans magni Domini se esse seruum: ideo à conseruis audiendum. Seruus. Apostolus autem nomen dignitatis est, significans se non ab hominibus, nec per homines vocatum ad docendi munus, sed immediatè à Domino Christo. Apostolus. Deinde non errare in dogmatibus fidei: denique habere authoritatem vbique docendi. Illa enim erant Apostolica.

Altera persona, hoc est, ad quos scribit, illis verbis proponitur, τοῖς ἰσότιμον ὑμῖν πίστιν λαχοῦσι. Ad quos. Significat autem omnibus Christianis se hanc epistolam dedicare. Hoc enim vult vox ἰσότιμον, hoc est, sine personarum respectu, siue sit Græcus, siue sit Iudæus, Rom.10. Deinde, siue pauper siue diues, nobilis vel rusticus, &c. Quæ omnia apud Deum nihil loci habent. Fides rusticum nobili æquat, sic pauperem diuiti, ethnicum Iudæo.

Interim non excluduntur gradus fidei. Sunt enim alij robusti in fide & quodammodo perfecti: alij dono miraculorum per fidẽ pollent. Contrà quidam sunt ὀλιγόπιστοι, alij

δύσπιστοι, vt Thomas & Apostoli. Illa non tollit ἰσοτιμίαν hæc, sed nuda personarum discrimina quibus plurimùm tribuebant Iudæi.

Postea hîc obseruetur hanc fidem non esse priuati meriti humani, sed gratiæ Dei, quod indicat vox λαχοῦσι. Hinc Lyranus explicat rectè, diuina electione dari, diuina quadam virgula.

Tertiò fundamentum esse iustitiam Dei seruantis promissa, quòd in semine Iacob benedicendæ sint omnes gentes. Additur organum, Christus seruator: addi potest finis etiam, salus hominis.

Vers. 2. *Gratia vobis & pax.*

Tertium est membrum continens comprecationem piam. De gratia ac pace sæpe iam diximus. Addit, *Agnitio Dei*, hoc est, vt colant Deum, quemadmodum sese patefecit in Scripturis, & vt coli vult. Est autem ἐπίγνωσις ea quæ renatis datur, & ad salutem facit. Alia est γνῶσις quam habent etiam non renati, vt quòd ex creaturis cognoscunt creatorē, Rom. 1. qualis fuit in Philosophis, & aliis multis Ethnicis, sed nihil ad salutem illis proficit, éstque naturæ impressa. Hæc verò nō naturæ est: sed mirum Dei donum. Ideo rectè dicitur ἐπίγνωσις quasi postera cognitio, h. e. cōcessa post regenerationem, quia ad solos electos spectat.

Exordium.

Vers. 3. *Vt omnia nobis diuina potentia.*

Exordium ducitur à magnitudine beneficiorum Dei, quæ nobis non solùm promptè, sed etiam copiosè contulit. Quæ qualia sint, & per quas causas sint collata, obiter indicat. Hinc mox deducit hanc narrationem ad argumentum, vt scilicet pij, Dei exemplo ipsi quoque pergāt in studio bonorum operum crescere. Hæc simplicissima est huius loci sententia. Ideo non placet illorum sententia, qui hæc superioribus connectunt. Deinde nec satis placet, hæc per admirationem interpretari: sed accipio particulam ὡς συγκριτικῶς, cuius redditio fit καὶ αὐτὸ τοῦτο. Nam Dei exemplum vim argumenti habet, quod in redditione vrget: ac sunt illa antecedens, quæ in exordio ponuntur. Sensus est, Deus liberaliter nobis omnia contulit necessaria ad vitam æternam consequendam, & pietatem retinendam in hac vita. Θεία δύναμις causa efficiens est: ac accipiatur de Deo Patre conferente per Filij cognitionem. Materia sunt πάντα, quam vocem mox diuisione deducit in duas species, ad vitam scilicet æternam consequendam, & ad pietatem, scilicet in hac vita retinendam. Ad illam pertinet cognitio meritorum Christi: ad hanc verò perseuerantia, ardens inuocatio, &c. Forma est, quia dat gratis, δεδωρημένης. Itē quòd Deus Pater ista omnia dat per cognitionem Filij sui vocantis nos. Ἐπίγνωσις, sanctorū est de Deo vera cognitio, cùm in aliis mundi sapientibus possit esse γνῶσις, hoc est, aliqua de Deo notitia, quam hauriunt ex rebus visibilibus & causis naturalibus. *Et vocātis*, hoc loco, Christi intelligo, vt suprà, δύναμις de Patre accipitur. Quartò per gloriam & virtutem Christus nos vocat, h. e. diuina quadam virtute, & gloria.
Rom. 1. 16. Non enim hominis est opus vocatio nostra, & ipsum Euangelium potentia Dei est, vt & Ioannes inquit, ex sinu Patris ad nos per filium delata. Sic ἀρετὴ de Dei virtute dixit. 1. Pet. 2. vers. 9.

Vers. 4. *Per quæ maxima.*

Ἔκθεσις est verborum exordij, ac promissiones maximas & pretiosas vocat, quæ priùs materialiter complexus fuerat per πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν. Ac illa tota iam clariùs ad Christum transfert: iterúmque gratis dari indicat voce δεδώρηται, donata sunt gratis. Itaque promissiones opponamus hîc veterū promissionibus de terra Chanaan, quas multis parasangis superant Christi promissiones de vita æterna, de clarificatione corporum nostrorum, &c.

Additur promissionum finis, vt participes reddamur diuinæ naturæ, scilicet in certis qualitatibus, vt immortalitate, perfecta Dei cognitione, conspectu Filij Dei, cōsortio sanctorū, incorruptibilitate, &c. Præter quæ Dei natura multa retinebit sibi propria. Alter finis est fuga corruptionis in mundo: φθορὰ est quicquid nos in cursu ad vitam æternam impedit, quicquid nos promouet ad interitum. Eius corruptionis causæ sunt duæ. Prior est κόσμος mundus, qui nos corrumpit pessimis propositis exemplis, quibus à Deo auocamur, in interitum ducimur, & ibidem retinemur cum mundo immundo. Posterior causa est ἐπιθυμία nostra, innata libido ad malum. Trahit illa voluntatem nostram, donec eam ad consensum propellit, vnde mox opera ipsa consequuntur, quæ

quæ nos planè corruptos testantur. Hanc igitur corruptionem Deus vult nos euitare. Id vt fiat, cauendę sunt causæ, mundus & appetitus. Atque hactenus exordium.

Vers.5. *Ad hoc ipsum verò omne studium.*

Propositio iam sequitur. Súntque ista verba propriè redditio in qua est ἀπόδοσιν totius loci, q.d. Cùm verò Deus liberaliter omnia subministrat ad salutem necessaria, ideo vos officium etiam vestrum præstate, vt studio bonorum operum crescatis quotidie. Ideo hic loquitur de fidelium officio, quæ sint illorum partes, vt priùs de ipso Deo dixit. Πρότασις.

Ac notetur hîc generalis propositio totius epistolæ quam supra constituimus ex hoc ipso loco. Obserua in verbis hoc loco Deum nobiscum agere non vt cum truncis & lapidibus, sed vt cum rationali creatura quæ suas partes ad salutis consequutionem diligenter debet præstare. Conferre autem sua dicitur, quando se Dei obsequio totum mancipat, studio bonorum operum sese excitat. Quod hoc loco exprimunt voces παρεισενέγκαντες, obiter afferentes quasi de suo, & ἐπιχορηγήσατε, suppeditate, quasi Deus non totum conferat, sed pij aliquid conferant agendo, quod in exhortationibus rectè dicitur: in docendo autem, Deo totum tribueretur. Propositio generalis.

Deinde obseruetur illustris illa gradatio, per quam pios ad studium operum inflammat. Fundamentum ponit in fide, h.e. Christi vera cognitione, & fiducia meritorum eius. Huic superstruit reliqua, vt virtutem. h.e. ἐνέργειαν, operosam fidem, & omne bonorum operum genus. Tertiò sequitur γνῶσις, h.e. iudicium & circunspecta prudentia, quam Dominus etiam in suis requirit. Docet illa quid locus, tempus, persona, modus, similésque circunstantiæ interdum requirant. Quartò temperantia sequitur: nam non nimium prudentes etiam esse oportet, ne secúdum carnem sapiat γνῶσις. Quintò, Tolerantia, vt quod suadet temperantia Christiana, in hoc præstemus constantiam. Sextò, pietas, εὐσέβεια, quasi scopus est omnium operum. Dei vera colendi ratio. Septimò, fraterna dilectio, h.e. piorum erga pios & eiusdem professionis homines. Octauò, dilectio, quam debemus etiam impiis, ratione humanitatis. Atque hic virtutum catalogus nos deducit ad veras fidei actiones, quas Christus & Apostoli passim in sanctis requirunt. Diuus Iacobus suprà singularem disputationem habuit contra mortuam fidem, quam D.Petrus hîc confirmat tot virtutibus exornando fidem sanctorum. Hactenus πρότασις generalis totius epistolæ. Quæ iam sequuntur, ad confirmationem pertinebunt. Gradatio obseruanda. Iacob 2.

Vers.8. *Hæc enim si vobis adsint.*

De titulo, exordio, ac propositione hactenus diximus. Sequitur nunc ordine confirmatio, in qua propositionem probat. Constituatur igitur propositio ex superioribus, scilicet, Pij in cursu bonorum operum crescere debent: quæ sententia poterat esse, vt est sua natura, αὐτόπιστος, vt & illa Domini Christi, Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Et Pauli, In vitæ nouitate ambulate. Attamen non piget hác ipsam sententiam rationibus munire. Volunt enim homines duci rationibus. Consideremus igitur quid argumenti afferat D.Petrus. Confirmatio. Rom.6.

I. Ratio sumatur ex superioribus à Dei exemplo, quid liberaliter contulit omnia ad salutem consequendam, necessaria: oportet igitur pios non deesse suo muneri in retinendis his occasionibus obtinendæ salutis. Vide vers.3. & 4.

II. Ratio ex hoc loco eruatur ab vsu & fructu quem ex bonorum operum studio cósequimur. Reddet nos absolutos in cognitione Dei: vel, vt ait Apostolus, fructuosos & minimè otiosos. Considera autem in antecedente duo requiri à nobis, vt scil. insint nobis illa & abundent: & ταῦτα ad enumeratas virtutes refero, quæ nobis debent ὑπάρχειν, & πλεονάζειν. ὑπάρχειν dicuntur quæ insunt ad præsens, siue natura, siue arte: ac rectè ad cognitioné hîc refertur. Scire quid pium deceat, quæ sint renati hominis opera, quę virtutes fidei, hæc cognitio vtilis est, imò necessaria piis: sed non sufficit, ideo additur πλεονάζειν, h.e. nó scire solùm, sed exercere illa oportet, q.d. Vsum habere oportet, vt in aliorum oculos incurrant virtutú effecta: nec simpliciter, sed redundás hic sit fructus, quod est propriè πλεονάζειν. Damnatur igitur hîc illa theoretica vita, qua multi plus nimio oblectantur. Petrus contrà vult suos auditores practicos esse. Sic Christus abundare iubet iustitiam nostrã, plus quàm Pharisæorum: & Paulus ad bona opera destinatos esse dicit. Idem hîc Petrus præcipit.

Consequenti additur fructus. *Non faciet vos* ἀργοὺς, hoc est, otiosos, & ventri deditos, quales sunt Epicuri porci, & Sardanapali aulici, nec ἀκάρπους, quales sunt Pharisæi, &

Mat.3.v. 8.& 7. arbor illa sterilis igni destinata. Sic Baptista iubet, vt Iudæi dignos faciant fructus pœnitentiæ:& Christus ait, Bona arbor bonos facit fructus: & bona terra laudatur è multiplici fructu, Matth. 13. Illud est quod ad Rom.7.dicit, fructificare Deo. Ac certè tum demum rectè cognoscitur Christus si studio virtutum rectè inflammati fuerimus: vt illa sit argumenti vis hoc loco, Tum demum vtiliter cognoscetis Christum. Ergo, &c. Legunt hic alij ἀπράκτους pro ἀκάρπους: sed in sensu idem est.

Vers.9. *Cui enim hæc non adsunt.*

Tertia ratio à natura contrarij. Qui studio bonorum operum carent, cæci sunt, & ingrati Dei beneficiis: Omnes autem natura fugimus cæcitatem, & ingratos odio prosequimur: Ergo studio bonorum operum flagrare oportet.

Ταῦτα iterum de virtutibus in propositione expressis accipio. τυφλοὶ propriè est corporis defectus: ideo per metaphoram mentis stupor in rebus diuinis denotatur: & ob id, genus restringit ad speciem μυωπάζων, quæ vox est desumpta à μύειν conniuere, nictare, & ὤψ oculus. Dicuntur enim μύωπες qui oculos sæpius claudunt debilitate quadam visus, quod vitium aliquando naturale est, vt illa quæ eminus sunt videnda, nó possint assequi, proxima autem commodè videant. Sic quidam non possunt legere, nisi librum oculis ferè imprimant: in aliis vitium est aliunde contractum, vt in senibus. Dicit igitur Petrus ociosos Christianos esse μύωπας, hoc est, qui proximis sese applicant, vt rebus huius mundi, quas admirantur, & in his adhęrescunt: vitam autem ęternam non assequuntur: hanc non vident, vt rem extra visum ipsorum positam. Sterilis est illa ficus à Christo damnata.

1.Cor.6. Deinde ingratus est: hoc dicit *oblitum suæ ablutionis*, h.e. ingratum redemptori Christo. Nam huius sanguine abluti sumus. Sic 1. Ioan. 1. dicitur, sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. Similia habemus Ephes.1. Col.1. Tit.2.

Mundamus quoque nos per pœnitentiam, seriò conuertendo nos ad Deum. Sic 2.Cor.7. dicitur, Vt mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus. Hæc duo igitur consequuntur ociosos speculatores, vt fiant ad vitam æternam μύωπες: deinde Christi beneficiis ingrati.

Vers.10. *Quare magis, &c.*

Illatio est, oportet igitur magis magisque in dies proficere in studio bonorum operum pios. Ac construatur hinc quarta ratio. His virtutibus confirmatur nostra electio & vocatio. Igitur his diligenter est incumbendum. Κλῆσις dicitur, dum vocamur ad Christi cognitionem per verbum auditum vel alia occasione, quam Deus nobis suppeditat: ἐκλογὴ autem tempore præcedit, imò nos ipsos & totam creaturæ machinam.

Ephes.1. Elegit enim suos Deus, ante fundamenta mundi. Ista duo autem confirmamus, aut stabilimus, dum spectatoribus nos approbamus, tanquam seriò fideles. Itaq; βεβαίωσις illa non Dei respectu intelligi debet, apud quem omnia firma & indubitata sunt, sed hominum respectu cum quibus viuimus: illi non aliunde de nobis confirmari possunt, nisi ex operum studio. Sic fides ex consequentibus fructibus bonis colligitur, vt arbor bona ex fructibus deprehenditur. Duo igitur magnifica tribuuntur operum

Phil.2.13. studio, Electionis & Vocationis confirmatio, cùm reuera Dei etiam illa sint qui dat & velle & operari.

Inserta est etiam alia ratio. *Hoc si feceritis, nunquam labemini.* Iterum spes est boni successus. Multum est posse in qualibet re, lapsus (hoc est errores) cauere, vt in Grammatica, si quis cauere possit lapsus Latini sermonis, bonus videbitur grammaticus: sic in mathesi, in moribus. In pietate igitur multum profecit, qui errores cauere potest: id solùm præstabit exercitium bonorum operum. Lapsus hîc duplices sunt, alij doctrinæ, alij morum. Vtrósque vitabit vir pius, sequendo virtutes prædictas: illud est dignè ambulare in vocatione nostra, Ephe. 4. item dignè Deo. 1. Thess. 4. & in nouitate vitæ, Rom.6.

Vers.11. *Sic enim copiosè.*

Sexto loco additur fœlix successus ad vitam æternam. Regnum æternum Christi, est vita æterna, ad quem spectat vt propria possessio, nobis hanc confert vt σωτήρ. Ex quo efficitur, Christum Deum esse, & nobis vitam dari, gratia Saluatoris, non operum merito. Ad hanc quasi vltimum finem, certa est via, εἴσοδος hic dicta, quę est nobis omnibus necessariò calcanda. Illa ducit per eas virtutes, quas cùm pauci seriò tractent, ideo Christus dixit strictam esse viam, & portam angustam. Lata tamen est, & satis capax

seriò

seriò in ea ambulantibus, quod hic dixit πλουσίως subministrari: h. e. Deus conatus bene agendi adiuuat, ac promouet, nec patitur nos à fine aberrare.

Vers.12. *Quare non negligam.*

Rationes hactenus satis firmas ad causam præsentem attulit: nunc ad sui defensionem accedit, vt reddat consilij sui rationem. Ac superioribus illa facilè addentur argumenta à persona Petri ducta, vt deinceps indicabimus. Orditur hunc locum à noua propositione, cui addit mox præoccupationem. Propositio est, Diligenter monendi estis mihi, vt in cursu bonorum operum pergatis: & περὶ τούτων accipe de instituto suo, h. e. de virtutibus fidei, ad quas prouocat. Præoccupatio autem est, nec impedit me scientia vestra, & robur in veritate præsenti. Concedit quod obiicere poterant, q. d. scio vos eruditos esse, & solidos in cognitione: sed id non sufficit. *Præsens veritas* est Euangelij agnitio. Christus enim est veritas, qui dum agnoscitur, veritas dicitur esse præsens. In hac cognitione multum profecerant Christiani. sed multis in ore erat & disputationibus, non perinde vita & moribus parati philosophari. Itaque ad posterius eos hortatur, concessa illis eruditione & cognitionis præstantia. Præsens veritas.

Vers.13. *Iustum enim puto.*

Addit iam argumentum à suo iudicio ac officio. Iustum dicitur quod personam & conditionem quanuis decet: vt, iustum est, vt Apostolus alios de faciendis bonis operibus diligenter admoneat. Sic iustum dicit Petrus, quod suum munus decet. Credendum est autem prudenti viro, & Apostolo magis quàm auditoribus ipsis. At Petrus agnoscit necessariam admonitionem de profectu: ergo talis est, vt vt sibi viderentur sapere. Illud est ἐγείρειν & διεγείρειν, id est, oscitantes ad officium prestandum suscitare. Σκήνωμα vocat corpus suum, vt 2. Cor.5. vers.1. Paulus quoque. Suauis autem est metaphora admonens nos de fragilitate corporis. Vt enim σκήνωμα facilè diruitur, ac deseritur: sic corpus nostrum debile est ædificium. Facilè morbo quouis euertitur, quod nos promptiores debet reddere, vt minùs ægrè illud deseramus.

Vers.14. *Sciens quòd breui.*

Aliud argumentum à temporis breuitate: Breui sum moriturus: ergo vobis est necessaria commonefactio. Solent enim morituri de rebus necessariis admonere.

Vers.15. *Curabo autem.*

Illatio: Igitur mihi danda est opera, vt & iam, & post mortem meam in officio persistatis. Docemur confirmandi alios studium necessarium esse in ministris. Sic hoc loco Petrus solicitus est pro posteritate: vt in Actis Paulus passim oberrat confirmans fratres ad quos non erat rediturus. Hoc ipsum comprecatur Corinthiis, vt Deus illos confirmet in finem vsque. Idem 2. Thes. 3. & ad Titum scribens præcipit ei vt alios confirmet. Christus hoc ipsum Petro Apostolo præcepit Luc. 22. vers. 32. Itaque hoc nos quoque posteritati debemus, vt viua voce, scripto quoque, omníque vita non solùm præsentes, sed posteritatem ad constantiam bonorum morum, & vitæ innocentiam prouocemus. Idem deinceps præstet pia potesteritas suis nepotibus, & eo pacto cótinuabitur veritatis cognitio in mundo. Act.14. 15.18. 1.Cor.1.

Vers.16. *Non enim arte compositas.*

S.Petrus vult sibi credendum esse: ad quam rem hactenus adhibuit tria. Primùm quia tanquam Apostolus hoc iustum iudicarit: Deinde quia vicinus morti nonnisi de maximis & summè salutaribus commonere solet, pro more morientium. Tertiò quia desiderio propagandi sanam doctrinam ad posteros hoc facit. Nunc his addit quartum à certitudine suæ doctrinæ, & argumentum ducitur à toto ad partem. Tota doctrina Apostolica indubitata & certa est: ergo etiam illa pars de studio bonorum operum. Illustris locus est de certitudine Euangelicæ doctrinæ, quæ nititur non fabulis, sed viua experientia & consensu Propheticorum oraculorum.

Porrò argumentũ hoc quartũ duo habet, factũ Apostolorũ, de quorũ cœtu erat S. Petrus, deinde causas mouentes. Factũ Apostolicũ est, ꝙ notam fecerint illis potentiam & aduentũ Domini Iesu Christi, h.e. prædicarint toti mundo Euangelium secũdum mandatum Christi, Ite in vniuersum mundũ. Hoc illud est notum facere. Nã illius ignorãtia nemo debet excusari: ideò omnibus nota fieri debuit hæc doctrina. Duo autem sunt capita huius doctrinæ: Aduentus Christi, h.e. quòd natiuitas Christi congruat cum ora- Factum Apost. 1. Aduentus.

culis de Meſſia naſcituro, in Prophetis prædictis: quale fuit Iacobi Geneſ. 49. non naſciturum niſi priùs ſceptrum de Iuda tolleretur. Item Micheæ, præceſſurum illum Eliam: & Danielis, quòd in vltima monarchia eſſet naſciturus.

2 Potentiæ. Potentia autem Chriſti non ſolùm eſt illa miraculoſa qua Dominus in terris viuens potenter edidit miracula, ſanando ægros, excitando mortuos, eiiciendo impuros ſpiritus: ſed illa quoque qua vicit mundum, expugnauit inferos, peccatum deleuit, nos Deo reconciliauit: quæ opera verè ſunt eius potentiæ. Itaque notam facere potentiam Chriſti mundo, eſt oſtendere, quantum boni & beneficij habituri ſint homines in Chriſto, ſi illi ſeriò credant. Quò pertinet tota iuſtificationis ratio, & meritorum Chriſti amplitudo. Quò facilè referri poteſt tota Euangelij doctrina. Et hæc nota facere mundo adhuc debent boni miniſtri, quod ſcilicet Meſſias iam ſit exhibitus: deinde quanta beneficia in eius meritis nobis ſint repoſita.

Causæ mouentes. Diximus de facto Apoſtolorum: reliquum eſt vt cauſas mouentes conſideremus. Huc pertinet illa, *Non arte cōpoſitas fabulas ſequuti ſumus: ſed oculis ipſis aſpeximus illius maieſtatem.* Duo ſunt expreſſa. Primùm enim falſas cauſas mouentes reprehendit: deinde veras cauſas nobis commendat.

Falſa cauſa mouens eſt fabula, μῦθος. Boni viri & prudentis non eſt ſequi fabulas. Hinc Paulus in 1. ad Tim. cap. 1. v. 4. μυθικὸν reprehendit, & idem facit cap. 4. eiuſdem verſ. 7. Porrò vocat hoc loco μῦθον σεσοφισμένον, fabulam arte quadam compoſitam, h. e. conſictā, quales ſunt in tota Gentiliū theologia, quam Theogoniā vocant, vt eſt videre apud Heſiodum & ſimiles ſcriptores. Perſeum fingunt natum ex virgine Danæ, Æſculapium mortuos excitauiſſe, Herculem inferos expugnauiſſe, & liberaſſe inde captiuos quoſdam, imò Cerberum ipſum catena ligatum ad ſuperos pertraxiſſe, quæ omnia ſophiſmata ſunt & fabulæ σεσοφισμένοι. Tales habebant etiam Iudæi, vt de regno Chriſti temporali, de victoria mūdana, de magno quodam conuiuio, de Iudæorum ſatrapiis inter gentes ſub Meſſia: quæ omnia nugæ ſunt. Aut μῦθος σεσοφισμένος eſt hoc loco, ſermo eruditus: nam μῦθος ſimpliciter λόγον etiam ſignificat. Hinc Æſopus fabulator dicitur λογοποιός, h. e. μυθοποιός: tū ſenſus erit, quòd Apoſtoli nōn ſint excitati aliqua mundana eloquentia. Quò pertinent loca Pauli 1. Cor. 1. 17. Non in ſapientia ſermonis prædicauimus vobis, ne inanis redderetur crux Chriſti. 2. Cor. 1. verſ. 12. In ſimplicitate & ſynceritate, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei. Sic Petrus hîc ait, ipſos non ſequutos fabulas eloquentes, ſophiſticas ſtrophas.

Fabuloſum quid dicat Petrus.

Vera cauſa mouēs eſt, *quia fuimus ἐπόπται*, h. e. coram oculis noſtris inſpeximus: idem quod αὐτόπται. Oculatus teſtis vnus pluris eſt, quàm decē auriti, vt dici ſolet. Credendum igitur eſt Petro tanquam oculato teſti, & reliquis Apoſtolis.

Verſ. 17. *Accipiens enim à Deo.*

Τροπὴ eſt, hoc eſt, ſubiecta narratio, qua declaratur ſuperius membrum breuiter. Et quia bis patefactum eſt illud teſtimonium Patris de Chriſto: ſemel in Baptiſmo, Marc. 1. v. 17. Matth. 3. poſtea in transfiguratione, Matt. 17. v. 5. Luc. 9. v. 35, ideo citat poſteriorem hiſtoriam, cui ipſe interfuerat cum Iacobo & Ioanne. Priori interfuit Ioannes Baptiſta, & turbæ.

Verſ. 18. *Et hanc vocem.*

Applicat priuatim ad tres Apoſtolos (inter quos erat ipſe Petrus) experientiam rei, vt conſtet de veritate Euangelica: & à loci circunſtantia non parum fidei addit cauſæ. Quod enim montis ſacri facit mentionem, multùm fidei rei addit: hunc autem excelſum vocat hiſtoria: Petrus hîc ſanctum appellat, quia Chriſti ſanctitas hîc declarata eſt. Quidam nomen Itabirij prodiderunt.

Verſ. 19. *Et habemus firmiorem.*

Hactenus certitudinem doctrinæ Euangelicæ propoſuit à ſua experientia & teſtimonio cœleſtis Patris. Nunc eandem aſtruit à conſenſu Propheticorum oraculorum. Senſus enim eſt, doctrina Euangelica nititur Prophetico cōſenſu: ergo veriſſimus eſt hic cultus, quo Deus vnicè coli poteſt & debet. Porrò firmiorē vocat ſermonē, non reſpectu oraculi Dei Patris, aut etiam doctrinæ Euāgelicæ: ſed propter teſtimonium priuatum, quod in cauſa propria videri poterat ad gratiam accommodatum, q. d. Si mihi diffiditis in commendādo doctrinam Euangelicā, remitto vos ad Prophetas, quos ſine omni exceptione, ſanctos agnoſcitis. Hi teſtantur de Euangelij veritate: ergo conſen-

Cur firmior ſermo Propheticus

consensus hic est magni faciendus. Ideo comparatiuum retineo vt est simpliciter, & submittit se Apostolus Petrus Prophetis, non quòd inferius esset suum testimonium: sed vt consensus intelligeretur. Sic Christus Iudæos remisit ad Scripturas, Scrutamini Scri- Ioan. 5.
pturas, hæ enim testantur de me.

Deinde lectionem Prophetarum nobis commendat. *Rectè facietis his attendentes*, h.e. honesta & vtilis est lectio Propheticæ doctrinę. Ex quo confutatur dogma eorum qui ex Ecclesia Christi conati sunt lectionem veteris Testamenti tollere. Deinde *est vt lucerna in obscuro loco*, hoc est, necessaria rebus humanis. Obscurus locus est tota vita hominis, præsertim ante conuersionem. In hac, est loco lucernæ Prophetica doctrina. Ducit enim ad Christum, & illum in tenebris monstrat. Dies autem, vel cognitio Christi, vel vita illa beata post hanc. Lucifer plena Christi cognitio, postquam desinet vsus Propheticæ Scripturæ & alia multa. Quandiu igitur hic viuimus, summæ est vtilitatis. Malè igitur obscurum locum referunt ad tempus ante Christum natum, cùm semper durent in hac vita istæ tenebræ.

Vers. 20. *Hoc priùs scientes.*

Commendauit lectionem Propheticam ab vtilitate: iam de difficultate admonet. Non est priuatæ interpretationis, hoc est, non est in hominis arbitrio positum, vt re- Act. 8.
ctè intelligat Prophetas, vt testatur Reginę Candaces Eunuchus. Difficultas stimulus 27.
debet esse diligentiæ.

Vers. 21. *Non enim voluntate.*

Probat interpretationẽ veram non pendere ab hominis voluntate. Ratio est, quia voluntas hominis nõ est author Prophetię: ergo nec est author interpretationis quoque. Antecedens constat, quia inuiti sæpe rapti sunt in hunc ordinẽ. Sic Moses, Esaias, Ionas, & alij, qui fuga potiùs hoc munus maluissent declinare. Consequens quoque verum est, quia interpretatio & Prophetia pendet ab eadem causa originali. Vt igitur Spiritus sanctus est author Prophetici oraculi: sic idem est author veræ interpretationis. Scriptura Prophetica solùm rectè interpretari potest à piis qui Dei Spiritu præditi sunt, ab aliis vtut docti sint, nunquam rectè tractabitur.

CAPVT II.

SEcunda pars materiæ præsentis Epistolæ, hoc capite explicatur. Ac vt in prima depinxit nobis ideam optimi status in Ecclesia, in quo filij Ecclesiæ, studio bonorum operum flagrent, adeo vt in dies in eo cupiant magis re: sic in hac parte describitur status defectionis, in quo plurimi sunt seductores, & errorum quoque sectatores. Locus igitur communis est de sectatoribus, eorúmque in docendo successu. Ὑπόθεσις.

Πρόθεσις est, Ecclesia Christi in his terris semper habebit seductores, quos tamen Dominus non impunitos dimittet, & contrà pios seruabit eo modo quo ipsi visum est, & illis futurum est salutare. Hæc propositio præcipua membra complectitur huius capitis, scilicet de erroribus falsorum doctorum, de illorum pœnis, ac conseruatione electorum. Addamus tamen his pleniorem distributionem: nam faciet ad rei euidentiam, & ad Apostoli methodum pleniùs intelligendam, & fortasse nonnihil legentium memoriæ proderit. Propositio.

Initiò igitur indicat S. Petrus τὸ ὅτι, quòd futuri sint mali doctores in Ecclesia Christi semper. Atque hoc ipsum confirmat argumento à comparatis. Deinde quales futuri sint, monet. Cùm enim cauẽdi sint, cognoscendi erunt: vt cognoscantur, opus est notis quibusdã à quibus deprehensi & cogniti vitari possint. Itaque membrum hoc διδακτικὸν est. Tertio loco, de pœnis illorum diligenter admonet. Quartò has ipsas pœnas longiori inductione probat, ac has non tantùm ad doctores, sed etiam ad sectatores illorum deriuat. Quintò doctrinam illorum pleniùs describit, studium nocendi, ac ingenia natura sordida, qualia in canibus & porcis esse solent.

Vers. 1. *Fuerunt autem & falsi.*

Τὸ ὅτι indicat, éstque pars propositionis prior, semper fore falsos doctores in Ecclesia Christi, (alloquitur enim totam Ecclesiam Christi) vt & inter vos erunt: h.e. Ad finẽ vsque mundi, hæc sors erit Ecclesiæ Christi. Sic præmonuit nos Dominus Christus Marc. 13. Matth. 24. Idem habemus in Apostolo Paulo 2. Thes. 2. & 1. Tim. 4. 2. Timot. 3.

2.Cor.11. & infrà in Epiſtola Iudæ. Quæ omnia vim habent probationis, & confutant opinionem illorum qui in his terris quærunt cœtus puros, in quibus ſoli ſint iuſti. Nos vtcunque feramus has miſerias, & boni conſulamus fortunam communem, cœtus tamen amemus in quibus locum habet doctrina Apoſtolica & Prophetica.

Porrò Apoſtolus Petrus probat ſententiam ſuam de malis doctoribus, argumẽto à pari ducto. In veteri populo ſemper fuerunt falſi Prophetæ: Ergo in Eccleſia Chriſti noua, ſemper erunt falſi doctores. Illud verum eſt, publica experientia teſte, & Moſe admonente Deut.13. Conſequens quoq; verum eſt, ex authoritate Domini Chriſti, Pauli, Iudæ, & conſenſu ſancti Petri in hoc loco. Sed idem valet ex pari analogia. Si enim vetus Eccleſia ſemper huic malo fuit ſubiecta: cur in Chriſti Eccleſia meliorem ſperabis fortunam? Certè nulla eſt probabilis ratio. Omnia enim Domini crucem ſonant, perſequutiones, oppreſſiones, ſeductiones. Inepti igitur ſunt bis térq; ſtolidi, qui puram Eccleſiam requirunt hîc.

In argumento à pari ſumpto, obſeruanda eſt quoque elegans rerum proprietas. Nam veteri Teſtamento eiúſque populo tribuit Prophetas, inter quos ſemper fuerunt aliqui falſi: nouo verò tribuit doctores, inter quos ſimiliter fuerint multi falſi, ſintque futuri ad finem vſque mundi. Nam in illo, omnia de Chriſto tanquam aliquando naſcituro prædicebãt, quod eſt Prophetis propriũ: in nouo verò de exhibito Meſſia ſunt omnia propoſita, quod doctores requirit. Interim multa habet & nouum Teſtamentum Prophetica, vt hic ipſe locus Propheticus eſt: præmonet enim qualis ſemper futura ſit Eccleſia Chriſti.

Prima nota falſoaum doctorũ. *Qui introducent hæreſes.* Secundo loco ſequitur ἔκθεσις continens deſcriptionem falſorum doctorum. Prima igitur nota eſt, *Inducent hæreſes perditionis,* hoc eſt pernicioſa dogmata, ſectas, opiniones ſuas tanquam Scripturam ſacram aliis obtrudent. αἵρεσις ἀπωλείας dicitur, primùm quæ dãnata eſt ab ipſo Deo, vt filius perditionis, q̃a diſpliceat Deo, & ab omni gratia Dei eſt extorris.

Deinde eſt ſecta quoque perditionis, quæ ad interitum aliis viam & media ſuppeditat, quæ in perniciem præcipitat. Talia dogmata pernicioſa aſtutè inducent, quod eſt παρεισάγειν, hoc eſt, fraudulenter aliis obtrudere ſub ſpecie pietatis.

Altera nota. Altera doctrinæ nota eſt, quòd Dominũ qui ipſos redemit negaturi ſint, h.e. Chriſtum. Is enim nos redemit ſuo ſanguine. Hunc igitur negabunt, fraudeulenter ſcilicet, non vt Iudæi & Turcæ, ſed vt Chriſtiani, & tanquam rectè ſentientes. Sic Arrius fecit, negando diuinitatem, ſic eius hodie agunt ſectatores, & alij infiniti. Singuli aliquid in Chriſto reperiunt reprehenſione dignum. Idem faciunt qui negant plenaria eius merita, & iuſtificationis partem à Chriſto ad nos transferunt.

3.Nota. Tertiò ab euentu oſtendit paratas eis eſſe pœnas. *Interitum celerem* alij de temporali morte accipiunt, quæ illis ſæpe accidit inopinanter, vt Arrio: alij de æterna condemnatione, quæ ſatis velox illis erit: inquibuſdam vtraque pœna concurret. Huius mali ipſi authores ſunt, quod eſt ἑαυτοῖς ἐπάγειν. Itaque fruſtra incuſabunt Dei iudicia, cùm ipſi ſua culpa iuſtiſſimè pereant.

4.Nota. Quartò à ſucceſſu in malo. Ferax erit illorum ſeges, multos habebunt ſectatores. Sic Dominus Chriſtus Mat.13. feraciſſimum oſtendit eſſe lolium in agro dominico. Frequentia auditorum in mala doctrina, cautos debet efficere, nec eſt quod moueamur multitudine ſectatorum. Multitudo enim non facit Eccleſiam.

5.Nota. Quintò: *via veritatis* per illos blaſphemabitur. Via veritatis eſt vel ipſe Dominus Chriſtus, qui eſt via & veritas, vel Euangelij doctrina, quam calũniis opprimere conabuntur, vt ſua dogmata ſtabiliant.

6.Nota. Sextò, *auari ſimul erunt.* Auaritia non in omnibus malis doctoribus reperitur: attamen in multis, vt hodie exempla teſtantur: ſemper tamen aliquæ ſunt illuſtres notæ in ſingulis falſis doctoribus. Omnes autem concurrunt in Antichriſto.

7. Septimò, conatus fallendi πλαστοῖς λόγοις, ficta oratione & ad fallendum compoſita, quales ſuprà vocauit σεσοφισμένους μύθους. Λόγοι rationes ſunt, quæ poterant eſſe veræ, ſed dum πλαστοὺς vocat, ſophiſticas indicat, in ſpeciem veras, reipſa quidem erroneas.

8. Octauò, Negotiandi ſtudium. Pietatem ad quæſtum applicabunt, & ex ipſis auditoribus colligent ſua commoda, quos tanquam ex foro in forum ducent, quaſi ad communia emporia. Sic hodie Romam concurrunt miſeri Chriſtiani tanquam ad pietatis emporium, cùm potiùs illuc trahantur vt bruta animalia ad nundinationem: omnia enim illic venalia dicuntur eſſe.

Quibus iudicium iam olim. Iterum de pœnis loquitur quas prædeſtinatas iam olim dicit, & minimè ocioſas. Pertinet ſententia ad partem ſecundam propoſitionis, quòd

ſcilicet

ſcilicet Deus illos non impunitos ſit dimiſſurus.

Verſ.4. *Nam ſi Deus Angelis.*

Quarto iam loco confirmat illam propoſitionis partem quæ de pœnis loquitur. Conſtat probatio inductione,quę exemplis perficitur tribus.

Primùm ab exemplo Angelorum quibus non pepercit Deus: Ergo malis doctoribus quoque non parcet. Primùm obſerua locum hunc expreſsè loqui de caſu Angelorum, de quo Scriptura parcè loquitur. Chriſtus Luc. 10. verſ. 18. inquit ſe vidiſſe diabolum cadentem de cælo, vt fulgur: & Ioan.8.verſ. 44. quod in veritate non ſteterit: & infrà epiſtola Iudæ illius facit mentionem: & Iob. 4. Præter illa, vix aliud habemus teſtimonium: ideo de eo non curioſè diſputemus, quod Scriptura non latere voluit.

Deinde locum illis aſſignat,*Tartarum*, in quo detineatur. Apoſtolus Paulus, aëris interim vocat dominos. Epheſ.2. v.2.& cap.6. v.12.ἐπουράνια illis tribuit: ex quo perſpicuũ eſt in mundo vagari,& in aëre vndiquaque omnia perluſtrare ad fallendos homines. Interim archidæmon ſeruatur in illo tartaro ad publicum illum actum nouiſſimi diei, tanquam maleficus aliquis latro.

Verſ.5. *Et priſco mundo.*

Alterum exemplum. Mundo ante diluuium non pepercit quoque: Ergo malis doctoribus quomodo parceret? vide hiſtor. Geneſ. 7. Porrò Noachum vocat octauum, ſcilicet qui in arca ſit ſeruatus: vel vt conſequentibus cohæreat, Octauum iuſtitiæ præconem,vt Iudas Enochum ſeptimum vocat iuſtitiæ pręconem.Qui hanc ſequuntur interpretationem, ſic illos computant, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Enoch,Noach.Sic quidem conſtabit ſibi numerus: ſed cùm alij infiniti fuerint, placet prior ſententia in præſens.

Verſ.6. *Et ciuitates.*

Tertium exemplum de Sodomis & Gomorrhis. Geneſ. 19. De his vide Strabonem quoque lib. 16. & ſacros ſcriptores quæ hîc omnia breuitatis gratia libenter omitto.

Exempla impiè victuris. Inductionis eſt συμπέρασμα: nam hinc efficitur dominum, non impunitos dimittere impios, ſiue doctores, ſiue ſectatores fuerint: & eleganter vocat ὑποδείγματα, hoc eſt, ſpecialia exempla quibus mali admonentur ſuæ ſortis, & de Sodomis dicit καταστροφὴν, quæ vox euentum ſignificat, qui hîc plus quàm tragicus erit:cataſtrophe minimè erit comica.

Verſ.7. *Et iuſtum Loth.*

Contrarium exemplum:ac formanda eſt hîc quoque altera inductio de conſeruatione piorum in mediis impiorum pœnis. In diluuio ſeruauit Noachum: in caſu Angelorum,bonos conſeruauit ne laberentur, in Sodomis Lothum: Ergo Deus ſemper aliquos ſibi conſeruat, vtut pauci fuerint Hic ille puſillus eſt grex, cui Chriſtus ait, Ne metuas. Luc.12. v.32.

Verſ.8. *Viſu enim & auditu.*

Ἐπεμβολὴ eſt qua declarat iuſti Lothi cruciatus degentis inter impios Sodomitas. Præcipui duo ſenſus ſunt, viſus & auditus, qui offendebantur vndiquaque illorum ſceleribus, ideo rectè dixit καταπονούμενον,diuexatum.

Verſ.9. *Nouit Dominus.*

Ἐκφώνημα continens concluſionem bipartitam per membra contraria. Primùm enim oſtendit quòd Dominus ſuos ſemper liberet certo aliquo modo, quo ſcilicet ipſi viſum eſt,& eis eſt ſalutare:quod voluit dicere per verbum οἶδε nouit, hoc eſt, non deſtituitur modo certo in ſeruandis ſuis, nec patitur illos perire cum impio mundo: ſed dat quoque ſalutarem euentum. Alterum membrum concluſionis eſt, de impiorum pœna,quam iam quartò repetit. Vide verſ.1. 3. 6. quæ ſanè certitudinem declarant & atrocitatem. Eſt enim κρίμα & ἀπώλεια, ὑπόδειγμα, & κόλασις: quæ qualia ſint futura, in illo publico actu damnationis impiorum,in vltimo videbimus iudicio. 1. Cor.10 v.13.

Verſ.10. *Maximè verò eos qui.*

Αὔξησις concluſionis, qua pœnas ad certos ſeductores accommodat. Ac duas ſpecies ſeductorum in primis profert,quæ ſint nocentiores reliquis, & ob id etiam diligentiùs vitandæ, Epicureos ſcilicet, & Libertinos: Epicurei ſunt qui poſt carnis appetitum in pollutione ambulant. Id dixit Paulus, deſideria carnis facere. Eph.5.& manere in carne, ad Phil.1. Eſſe in carne, Rom.8. v.5.& 8. Contra hanc ſecuritatem vitæ carnalis hic diſſerit, quemadmodum Chriſtus quoque. Et Apoſtolus Paulus 1.Cor.15.verſ.50. Caro

& sanguis regnum Dei assequi non possunt, vt Rom. 8. vers. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Altera species Libertinorum qui magistratibus sese opponunt. κυριότης dominatus dicitur, idem mox δόξα, authoritas publica. Dominij ius à Deo habent: authoritatē verò apud subditos habere debent. Hos contemnunt Libertini qui iugū eius conātur excutere prætextu libertatis Euangelicæ. Deinde ij qui sese callidè eximūt, vt clerici hodie & monachi, separantes forum seculare vt rem prophanam à regula pietatis.

Audaces præfracti. Post enumeratas duas præcipuas seductorum pestes, iam addit suum iudicium: quod dicitur ἐπίκρισις, sententiam enim suam fert, quid de his & illorū ingenio sentiendum sit. Audaces sunt homines, quia vicario Dei, hoc est, magistratui sese opponunt, & eo audaciores quanto sunt imperitiores: audax enim solet esse inscitia. Deinde sunt præfracti, αὐθάδεις, qui propriè sunt pertinaces, capitosi, quibus sua solùm placet tibia, quasi dicat, αὐτῷ ᾄδοντες sibi canentes. Tertiò vacui sunt curæ, dum quæuis mordent, nullo timore ducuntur nec Dei nec hominum. Illa sunt encomia quibus ornantur Epicurei & Libertini, quæ in nostri temporis homines ἀθέους optimè quadrant.

Vers. 11. *Cùm Angeli robore, &c.*

Scelus Libertinorum graphicè hic amplificat à maiori. Nam confert homines Angelis, qui nos naturæ præstantia longè superant, & tamen non audent maledicere magistratui: Ergo multo minùs homines id debebunt facere. Idem habes in Epist. Iudæ. vers. 9.

Porrò videtur alludere Apostolus Petrus ad historiam Achabi, vel ad historiam Iobi
1. Reg. 22. 20. cap. 1. vbi etiam mali Angeli non erumpunt in maledicta, sed ille promittit se fore spiritum mendacem in ore Prophetarum Achab. Alter verò petit à Deo licentiam solùm vexandi pium Iobum. Sed potest etiam hic esse sensus, quòd ipsi Angeli se mutuò non vexant execrationibus & maledictis, quanquam vnus altero potentior & robustior sit. Aliqui enim præsunt prouinciis & regnis, Daniel. 10. alij certis hominibus additi sunt: inferiores tamen superiores non lædunt maledictis: ergo homo homini subiectus quoque id facere non debet.

Vers. 12. *Isti autem vt bruta animalia.*

Assumptio est, in qua scelus hominum auget, quasi dicat, Angelos ipsos malitia superant isti seductores, faciunt quod Angeli etiam mali erubescunt facere, boni autem ne quidem cogitant. Magna igitur est temeritas in erroribus, imò stupor quidam brutorum animalium, quæ feruntur ad propriam perniciem imprudenter: isti autem ad imaginem Dei conditi, eadem amissa, ἄλογον sequuntur in natura sua: ideo illorum more interibunt.

Vers. 13. *Reportaturi mercedem.*

Pœnas explicat ab euentu. Mercedem quærunt in hac vita, hanc reperient abundè. Porrò ἀδικία hìc dicitur seductorum doctrina & professio, vt est, omnes religiones ridere, vt faciunt Epicurei, negare magistratum. Id totum ἄδικον est, quia Deo iniuriam faciunt, doctrinæ Christi, & miseris auditoribus. Addita est iterū ἐπίκρισις: σπίλοι καὶ μῶμοι. Σπίλος macula est, idem quod μιασμός, quales ex vino contrahuntur in vestibus ebriosorum, & natura in facie sæpe comparent. Tales sunt isti in corpore Ecclesię Christi. Hinc Apostolus ad Ephes. 5. de Ecclesia dicit, quod σπίλον καὶ ῥυτίδα non habeat. Hāc puritatem illi contaminant: & quomodo sint σπίλοι, & vbi explicat, *In conuiuiis vestris comessantes vobiscum*, hoc est, in piorum epulis dominatum gerunt, omnia reprehendunt, quosuis carpunt, vt momus ille, cùm re vera illi maculæ sint totius Ecclesiæ. Hūc sensum elicio ex collatione Iudæ vers. 12. Non refragor interim si quis pro ἀγάπαις legat ἀπάταις, hoc est, in erroribus suis.

Vers. 14. *Oculos habentes.*

Pergit in descriptione Epicureorum sub Euangelio. Cœtibus piorum sese ingerunt, in quorum conuiuiis regnum exercent. His iam addit naturæ improbitatem, vt intelligas libidinosos esse qui etiam ex oculis deprehenduntur: habitat enim Venus in oculis & toto vultu. Ideo oculos tribuit eis plenos adulterio. Deinde pertinaciam in peccato, quod semper adlubescit. Tertiò fallendi studio ardent. Quartò scientiam comparandi opes: auari sunt, & norunt artes ditescendi. His additur ἐπίκρισις. Iterum καὶ ἐκφώνημα, κατάρας τέκνα, execrationis filij.

Vers. 15.

Verſ.15. *Relinquentes rectam viam.*

Rem illuſtrat exemplo idoneo. Auari enim doctores auaro Prophetæ conferuntur. Vide Num.22 Reprehendit illum aſina. Sic ſub Euangelio imperiti homines maximos doctores redarguunt, oues paſtoribus prudentiores ſunt.

Verſ.17. *Iſti ſunt fontes.*

De doctrina iam agit falſorum doctorum, ac qualis ſit ſua natura, idoneis proponit metaphoris, fontium ſcilicet ac nubium. Fontis metaphora admodum eſt plauſibilis ſacræ Scripturæ. Significat enim originem & ſcaturiginem omnis boni, vt Ierem. 2. de Deo dicitur, Populus meus foderunt ſibi ciſternas non habentes aquam, & me fontem aquæ viuæ dereliquerunt. Sic Pſal. 35. dicitur, Apud te Domine eſt fons vitæ. Sic de doctrina dicitur, vt Ioan. 4. Fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Similia habes in Apocal. c.7. & 21. in Prouerb. 13. Lex ſapientiæ dicitur fons vitæ. In Eſaia 58. de liberali homine ſcribitur, Eris vt fons aquarum cuius aquæ non deficiunt. Ex quo conſtat fontis metaphoram ſuauem eſſe in ſacris literis. Cæterũ D. Petrus hoc loco malos doctores comparat non ſimpliciter fontibus, ſed inaquoſis. Ex quo conſtat fontes duplices eſſe, quoſdã perennes, quorũ aqua perpetua eſt, ideóq; melior: alij ſunt intercalares, qui non ſemper fundunt aquam. Atque ex his nonnulli miraculoſi habentur, qualis ille in Dodone, qui in meridie ſemper aquis deſtituebatur, vbertimam fundens deinceps vſque ad mediam noctem. Tales apud nos quidam ſunt verè ἀναπαυόμενοι: ſed qui cauſas inquirunt facilè deprehendunt naturales eſſe cauſas. Aut enim ex pluuia aqua colliguntur, aut vicinis niuoſis montibus, aut glacialibus, qui montes interdiu ardore ſolis liqueſcunt. Hinc ſub veſperam aut mediam noctem, vel ad ſolis ortum fontes quidam aquam fundunt, atque horum fontium aqua minùs ſalutaris eſt. Tales quidam fontes ſunt ἄνυδροι, falſi doctores: aliquid aquæ habent, hoc eſt, aliquem ex Scriptura S. prætextum: ſed paſſim ἄνυδροι apparent vt nihil præter lacunas & lutum ibi reperias. Hypocriſis & incommodum per hanc metaphoram detegitur in falſorum doctorum doctrina.

Altera metaphora nubium ſcilicet, inconſtantiam in eis arguit: deinde ſterilitatem doctrinæ: quemadmodum in Prou. 25. v.14. dicitur de liberali ſolùm verbis, re vera autem nihil dante. Itaque doctores illi re vera produnt ſe eſſe qui ſpeciem pietatis habẽt, vim autem illius abnegarunt 2.Theſſ.3. Quid per nubium metaphoram intelligendum.

Quod addit ad finem de caligine tenebrarum ad nubium quoque naturam pertinet: nam illæ ſæpe condenſantur in ζόφον, adeò vt diem mundo videantur eripere, quod præſtando iſti doctores, idipſum in pœnis ſuis demum conſequentur.

Verſ. 18. *Nam prætumidam vanitatem.*

Reddit rationem metaphoræ nubium. Nam vt in nubibus eſt ὄγκος, hoc eſt, amplitudo diffuſa. Sic in illorum doctrina eſt arrogantia mirabilis, in verbis ſupercilium, ac videas ſæpe tales ſeſquipedalia crepitare verba. Deinde obſerua quos lædant, recenter conuerſos ad fidem. Hos enim accipio qui effugerunt re vera eos qui verſantur in errore, hoc eſt, ex Gentiliſmo & Iudaiſmo ad Chriſtum conuerſi erant, & hodie qui pœnitentiam ſeriò profitentur, ac malo quodam fato in tales doctores incidunt, ab his ineſcantur rationibus ad ventrem & ſecuritatem voluptatum facientibus. Loquitur enim hic de Epicureis atheis, quibus religio iocus eſt, vt poſſint genialiter viuere.

Verſ.19. *Libertatem eis promittentes.*

Altera eſt ſpecies: ſeductorum Libertinorum, qui ferè triplices ſunt. Aut enim legem repudiant, vnde ἀντίνομοι dicti ſunt, aut ſpecie libertatis politicos magiſtratus tollunt. Aut denique hanc ad omne genus ſcelerum trahunt. Talia illi ſuis auditoribus promittunt: cùm illi ſint δοῦλοι corruptionis, hoc eſt, organa & artifices corruptionis. Vt enim ſeruus hero inſeruit: ſic illi corruptioni ſubſeruiunt. Deinde valet argumentum contra illorum profeſſionem. Fieri enim non poteſt, vt ſeruus det tibi libertatem quam non habet, imò ſibi te ſimilem reddet, hoc eſt, ſeruum quoque & mancipium corruptionis, hoc eſt extremi interitus, vt ſis mancipium Satanæ, vt ipſe eſt.

Quòd autem ſint ſerui peccati, aut corruptionis probat generali gnomologia, quam habet ex ore Domini Chriſti Ioan. 8. ver.34. Similem habes ad Rom.6. verſ.16. An ignoratis quod cui præbetis vos ſeruos ad obedientiam, eius ſerui eſtis, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam?

Verſ.20. *Si enim effugientes.*

Rei narratæ & probatæ epexegeſis. Oſtendit autem ſe loqui de conuerſis ſemel, qui mox doctorum malorum opera relabuntur in prius vitę genus, etiam ſub Chriſtianiſmo. Vide Matth.12. & ad Heb.6.

Verſ.21. *Melius enim erat.*

Αἴτιον explicationis à comparatis. Si non conuerſi malè viuerent, eſſe poterat quædam excuſatio ab ignorantia. At iam ſciunt Dei voluntatem, & tamen eam non faciunt: Supereſt igitur vt durius vapulent. Sanctum præceptum accipio pœnitentiæ legem, ne amplius peccaueris.

Verſ.22. *Accidit autem eis.*

Concludit per ἐκφώνημα deplorans miſeriam relapſorum duplici parœmia. Prior animi inquinationem exprimit. Canis relambit quæ vomuit: ſic ſtultus peccator, Prou. 26. verſ.11. iterans ſtultitiam ſuam: poſterior externam conuerſationem, vt ſus maculat etiam circunſtantes.

CAPVT III.

Ὑπόθεσις.



NEceſſariam quæſtionem hîc nobis ſoluit D. Petrus, eandémque perdifficilem. Neceſſariam dico, quia pertinet ad fidei certitudinem de fine mundi, de præmiis piorum, ac pœnis impiorum. Difficilis autē eſt, quia in hac quæſtione veritatē abnegarunt ferè omnes Philoſophi & ſapientes huius mundi, qui extra Eccleſiam Chriſti fuere, & in eadem Eccleſia multi circa hanc ipſam exorbitarunt. Ideo Apoſtolus nos diligenter præmonet, vt tales caueamus reuocans nos ad teſtimonia Scripturæ Propheticæ. Reſpondet ſimul ad illorum obiectiones, ac locum totum ad vtilem doctrinam accommodat, cui adſpergit laudes Apoſtoli Pauli. Tandem idoneo epilogo, epiſtolam totam concludit.

Propoſitio ex cõnexis. Πρόθεσις, Cauendum piis in primis, ne articulus de aduentu Chriſti ad nouiſſimum iudicium, de interitu mundi, de præmiis piorum, de impiorū pœnis in dubium vocetur. Vocabant autem in dubium ἐμπαῖκται in Eccleſia Chriſti: quare diligenter obſeruandi & cauendi ſunt tales deriſores.

Diuiſio. Partes iſtæ ſunt: initiò, nouo vtitur exordio pro rei magnitudine & difficultate. Deinde proponit aduerſarij ſententiam bona fide, addito etiam primario eius fundamento, quo in hac quæſtione nititur. Tertiò annectit eiuſdem ſententiæ confutationem ex Scripturæ fontibus deductam & manifeſto exemplo. Quartò ἀντιπρόθεσις ſequitur, quæ continet veram ſententiam de fine mundi addita forma & genere purgationis per ignem. Quintò locum totum ad doctrinam poſteris vtilem accommodat, quem confirmat authoritate quoque D. Pauli, qua occaſione, doctrinam Apoſtolicam commendat.

Sextò additur epilogus totius epiſtolæ: quæ omnia commoda conſequentia ſuperioribus cõnectit. Locum enim generalem de ſeductoribus ad certam ſpeciem applicat, ponens errorum certum exemplum, quod hodie multa idonea habet argumenta.

Verſ.1. *Hanc iam dilecti alteram.*

Exordium eſt, quo ad nouam accedit quæſtionem. Sumptum autem eſt à cauſis finalibus, quibus ad ſcribendum eſt inductus. Primùm autem dicit, hanc ſecundam eſſe epiſtolam. Ex quo conſtat priorem & hanc eſſe eiuſdem authoris, h.e. à diuo Petro vtráque ſcriptam. Sic enim receptum eſt in Latinis Eccleſiis. Syri hanc reiiciunt, & ad alium authorem referunt, vt initio dixi. Deinde cauſæ finales obſeruantur: primùm renouare eam doctrinam, quam iam acceperant, cui nihil noui addit, ſed ad illius obſeruationē incitat. Quo docemur, in Eccleſia Chriſti doctrinam Apoſtolicam ſonare debere, cui nihil affingatur alienum. Altera eſt, docere, veram doctrinam conſtare conſenſu Prophetico & Apoſtolico, cui omnes Eccleſiæ debent inniti tanquam certiſſimo fundamento. Idem dixit, ſup. cap.1. verſ.19.

Verſ.. 3. *Illud primùm.*

Sequitur πρόθεσις quæſtionis. In Eccleſia Chriſti erunt qui aduentum Domini in dubium vocabunt. Hos notat ſuo titulo: Erūt ἐμπαῖκται, h.e. vt diximus, illuſores, qui non tam accuratè diſputando, quàm ſecuriter irridendo aduentum hunc eludent. Deinde vim cauſæ habet, quòd ambulabunt ſecundum proprias concupiſcentias, h.e. moribus malignis erunt prẹditi. Sequentur enim ventrem & compotationes Epicuraicas. Deinde in dogmatibus, pro libidine inuocabunt pernicioſa dogmata. Hos in primis obſeruare decet. Atque hæc mala ſub finem mundi inuadent Eccleſiam Chriſti. Similia prædicit Apoſt. Paulus 1. Tim.4. 2. Timoth.3 Tales fuerunt ſub finem Iudaicæ Eccleſiæ Sadducæi negantes reſurrectionem animarum.

Verſ.4. *Et dicentes, Vbi eſt.*

Μίμησις eſt Epicureorum illorum. Habet enim ſententiam illorum, irriſione quadam expreſ-

expressum. Ἐρώτημα est γελαστικὸν, ex quo statui debet illorum propositio. Mundus non interibit, nec alius Christi aduentus ad iudicium debet expectari. Quæ propositio falsa est, & sumpta ex Epicuri dogmatibus, in qua omnes ferè philosophi exorbitarunt. Ideóque minùs est mirandum, si in aliis cæci fuerint. Deinde addita est breuis confirmatio, itidem sumpta ex ore aduersarij. Nititur tota illius ratio experientiæ satis debili & lubrico fundamento. Hactenus mundus ita stetit: ergo deinceps semper ita durabit. Eadem ratione vtitur Galenus medicus in historia philosophica, de mundo statuendum esse secundum experientiam: quia enim hactenus ita durauit, non aliud de eo præsumendum esse. Eadem Plinij, Aristotelis, aliorúmque sententia est, quorum rationibus alibi est satisfactum. Illud hic consideretur, ab experientia malè duci argumentum in rei durationem in futurum: cum de duratione sit iudicandum ex voluntate causæ conseruatricis, quæ rem conseruat sua potestate: ea inquam causa, Deus est, suámq; voluntatem patefecit mundo per Prophetas & Apostolos viros sanctos: in primis per Filium Christum, qui testatur mundum aliquando interiturum. Nihil igitur prodest ei præscriptio durationis longi temporis. Deinde in aliis quoque professionibus omnibus argumentum ab experientia ductum, lubricum & periculosum habetur. Non enim consequens est, Hoc remedium semper valuit in illo morbo, Ergo deinceps valebit semper, quia manus medici in his variare potest. Sic, Insula hæc semper à continenti fuit semota: ergo semper erit. Falsum est in Pharo, quæ tempore Homeri quidem ita fuit: sed Plinij ætate iam continenti iuncta fuit per Nili limum. Item, In Olympo semper manserunt literæ inuiolatæ in cineribus scriptæ: ergo deinceps fiet. Falsum est hodie. Quare de toto mundo quoque inepta est collectio ab experientia. Propositio aduersariorum.

Vers. 5. *Latet enim illos hoc.*

Sequitur tertio loco confutatio propositionis aduersarij. Ac primùm contra personam agit, in qua requirit maiorem attentionem in legēda Scriptura. Nam agit cum his qui Christiani haberi volebant, & ob id, sacras literas nouerant, sed his non rectè acquiescebant. Sic Christus Sadducæos remittit ad Scripturas, ac in eis ignorantiam veri carpit, Erratis ignorantes Scripturas. Ita Petrus his obiicit ignorantiam, & quidem crassam & affectatam, nolētes nesciunt, quod scilicet scire ex officio debebāt. Illud est, Scripturam quidem nouisse, sed ad alium sensum detorquere.

Deinde additur confutatio πραγματικὴ quæ rationes habet firmissimas, quanquam & illa prior προσωπικὴ habet iustum argumentum. Supina & crassa est ignorātia hoc affirmare Christianos: Ergo falsum est quod ab ea affectata ignorantia dicitur, quòd scilicet mundus non sit interiturus. Interibit ergo aliquando mundus.

Nunc huic argumento adde argumenta ex reipsa deducta. Verbo Dei vt cōdita sunt omnia, sic eodem consistunt ad hunc vsque diem: ergo vi hac conseruatrice subtracta corruet tota hæc machina. Nam causa illa conseruans liberè agit, non Stoica necessitate vnde quando volet, molem hanc destruet.

Præterea euidenti exemplo res conuincitur. Diluuio enim iam semel destructus est. Ergo non est impossibile quod de mundi interitu dicitur. Mentiuntur igitur illi qui Scripturæ alium sensum affingunt, aut eandem palàm negant.

Vers. 7. *Qui verò nunc sunt cæli.*

Assumptio est propriè respiciens alterum argumentum, quòd scilicet verbo Dei contineatur mundus. Vetus mundus ante diluuium ea causa conseruabatur, eadémque subtrahēte vim suam, in diluuio periit. Sed iam cęli & terra post diluuium eadem conseruantur causa Dei scilicet λόγῳ, Ergo eâdem vim suam subducente iterum corruet. Huic assumptioni addit explicationem à causa formali: non aqua sed per ignem peritura omnia. Eadem fuit mathematicorum sententia, quæ à Beroso defluxit ad Stoicos ferè omnes & Platonicos, Seneca excepto, qui aquis interiturum dixit. Vide locos nostros de interitu mundi. In explicatione obserua coniuncta, hoc est, pœnas impiorum: nam coniuncta sunt mundi consummatio, Christi reditus, pœnæ impiorum, & liberatio sanctorum. Vide Ezec. 12. Esa. 66.

Vers. 8. *Vnum autem hoc non.*

Ἀνθυποφορὰ est, respondens obiectioni aduersariorū. Nam illi vrgent præscriptionem longi temporis, quasi verò illa nihil habeat momenti. Respondet ad hoc, non esse tempora mundi nostro respectu metienda, sed solo Dei iudicio. Huic nihil est præteritum, nihil futurum, sed omnia sunt præsentia: Ergo nihil iuuat aduersarios temporis lon-

ginquitas.Rem probat ex Psal.89. Mille anni, vt dies vnus in conspectu tuo.

Vers.9. *Non tardat Dominus.*

Altera respõsio, qua interpretatur tarditatis rationem. Distinguit autem inter βραδύτητα & μακροθυμίαν. Βραδύτης vitiosa fortè foret, quia securitatẽ quandam videtur habere, qualem Epicurus Deo affinxit, quòd sua fœlicitate delectatus nõ curaret res humanas. Sic illi impij moram hanc interpretantur. Apostolus igitur inquit potiùs esse μακροθυμίαν quæ nostro bono, tam diu differat hanc mundi euersionem. Similia habes Rom.2.Ezech.18 1.Tim.2.v.4.

Vers.10. *Veniet autem dies.*

Hactenus confutatio, in qua simul rationibus aduersariorum satisfecit. Iam sequitur ἀντιπρόθεσις, continens θέσιν veritatis. Dies Domini certo certiùs veniet, in quo mundus hic contrà quam illi dicunt, peribit. Addit ὑποτύπωσιν sumptam à forma, quam sumpsit ex Christi verbis Matth.24. Vide etiam 1.Thess. 5. Apocalyp. 3. August. de ciuitate Dei. lib.20.cap.16. vbi illa etiam habes verba, Qui ignis, cuiusmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, scire arbitror neminem, nisi fortè cui Spiritus Dei ostenderit. Itaque frustra se torquent scholastici de illo igni disputantes. Pertinent illa ad Dei arcana, quæ ex suis thesauris aliquando proferet in illa publica actione, & spectaculo totius mundi.

Vers.11. *His igitur omnibus soluendis.*

Quinta pars capitis continens salutarem doctrinam quę ex præsenti quæstione haurienda est. Duo igitur ex hoc versu colliguntur, πρόθεσις repetita, & causa impellens. Πρόθεσις est, pij debent quàm studiosissimi esse innocentiæ vitæ. Id proponit admiratione quadam, *Quales oportet nos esse?* q.d. vigilantissimos, & huius rei studiosissimos. Mox distributione digerit totum in duas classes, quæ habent partes integrales vitæ Christianæ. Prior est ἀναστροφὴ docens modum honestatis in cõuersatione ciuili. Huius partes sunt temperantia, modestia, sobrietas, vigilantia, constantia, quibus cauetur offendiculum in Ecclesia, cùm in moribus tum in sermone. Posterior est εὐσέβεια continens rationem piè & rectè colendi Deum: eius partes sunt studium orandi, legendi, audiendi verbum Dei, meditatio rerum diuinarum, ieiunium, vigilantia, &c. Ad harum virtutum incrementa hoc loco hortatur.

Causa impellens sumitur ex quæstione de interitu mundi, cùm hæc omnia soluenda sint, calcaria nobis debent addere ad studium bonorum operum. Ex hoc fonte plura mox argumenta deducet. In genere totum hîc perstringit.

Vers.12. *Expectantes.*

Resoluit ex tota quæstione argumenta. Primum illud est: Quia expectamus diem illum Dei nostri. Vis est ab expectatione sanctorum, in quorum numero omnes esse volunt: ac dies Dei dicitur Iudicis scilicet & redemptoris.

Alterum est, *Cœli incensi soluentur*, hoc est, ne purissimæ huic creaturæ parcet: non ergo parcet tibi impœnitenti, quandoquidem cœli non peccarunt, interim has diras pœnas subeunt propter hominis peccatũ. Tertiò elementa quoque æstuantia liquescent, hoc est, ne simplicibus quoque parcet elementis. Ac emphaticè loquitur de elementorum purgatione, quæ accuratissima debet esse. Nã prima repurgatio per aquam diluuij instituta non satis profecit, externa tantùm abluit, sed mundus mox ad pristina peccata relapsus est. Sic aqua adhuc inter Christianos non satis absolutam habet purgandi rationem abstergit solum sordes exteriores. Ideo Dominus instituit secundam repurgationem per ignem, quam hîc τῆξιν vocare possumus. Significat autẽ liquefactionem in purgatione, qualis est in metallorum examine, accurate purgantur adeo vt simul liquescant. Talis erit ignis nouissimi iudicij, per quem medullitus repurgabuntur omnia elementa, cælum etiam & terra, non solùm secundum superficiem.

Vers.13. *Nouos autem cælos.*

Quartò à spe melioris conditionis, & natura reparata. Noua erunt omnia: Ergo pios etiam nouos esse decet. Noua habitatio nouos requirit incolas. Vide Esa.65.

Quintò, *illic habitabit iustitia.* Curandum igitur est vt & nos iusti efficiamur. Iustitiam pro iustis accipio, abstractum pro concreto. Hîc dicimur non solùm peccatores, sed peccatum ipsum. Sic in regno Dei non solùm iusti, sed ipsa quasi iustitia dicentur pij. Vide Psalm. 15. Alij ad Christum referunt qui est iustitia nostra. Est autem obseruanda, obiter antithesis. Noua terra mansio erit iustorum: sic præsens terra est latibulum sceleratorum peccatorum: ideo cum ipsis peccatoribus Deus inuertet totum domicilium hoc, cælum quasi tectum: solem, lunã vt faces, terram vt latibulum. Omnia enim

pecca-

peccatoribus inseruierunt. Meritò igitur Dominus in ista omnia effundit iram suam, tanquam synerga ad peccatum fuerint.

Vers.14. *Quare dilecti.*

Συμπέρασμα argumentationi subiectum :& addit aliud piorum officium, vt in pace, reperiantur, h.e. in Christi pace, quam nobis reliquit. Nam in hac vita tempus est pœnitentiæ, post hanc tempus erit coronationis, & pœnarum.

Vers. 15. *Et Domini nostri.*

Iterum ostēdit moram nobis admodum esse salutarem : de quo admonuit vers.9. Idem iam confirmat Apostoli Pauli authoritate, Rom.2. vers. 4. An ignoras patientia Dei vocari te ad pœnitentiam? Consensus igitur obseruetur Apostolicus.

Vers.16. *Vt & in omnibus.*

Digreditur in laudes doctrinæ Paulinæ, ac περὶ τούτων accipe de materia præsentis quæstionis. Hoc est, Paulus quoq; de interitu mundi, de reditu D.Christi, hoc modo docet vt ego. Vide Rom. 8. v.20. 1.Cor.15. 1.Thess.4. 2.Thess. 2. In his quæstionibus multa esse dicit δυσνόητα h.e. intellectu obscura & difficilia, non quidem sua natura, sed hominum improborum malitia: nam pietas per se simplex & facilis est: obscura autem redditur hominum vitio. Idem hîc iudicat Petrus. Nā causam difficultatis reiicit in ἀμαθεῖς h.e. indociles qui Spiritui Dei non subiiciuntur, & ἀστηρίκτους h.e. qui inconstantes sunt in causa religionis, sed nunc hoc, nunc aliud probant. Ideo sunt στρεβλοὶ h. e. detortores qui cereum affigunt Scripturæ nasum, & flexilem ad suas opiniones fingunt. Sumpta est metaphora ab oculorum vitio. Dicuntur enim στρεβλοὶ, strabones, *schiler*, qui scil. non directos habent visus radios. Sic ingrediuntur Scripturæ lectionem. Sup.cap.1.v.9. aliud oculorum μυώπων vidimus, h.e. eorum qui eminus nihil liquidè cernunt, in præsentibus saltem hærent.

Deinde hoc commune est Apostolicis scriptis cum tota Scriptura. Omnes enim hereses ex Scriptura defensionem quęrunt: iam tum autem mali doctores conabantur pro se suisque dogmatibus rapere Paulina scripta. Demum quò ista faciant, ad ruinam & interitum, cùm Scriptura sit ad vtilitatem instituta: quod igitur aliis fiunt ad perniciem, hoc non per se, sed per accidens fit.

Vers.17. *Vos igitur.*


Epilogus est totius epistolæ constans tribus membris. Primum continet ἀποτροπήν, qua præmonet ne erroribus credant, maximè cùm de hoc malo iam præmoniti sint. Vocat ἀθέσμους quos priùs ἀμαθεῖς & ἀστηρίκτους dixit. Ostendit hos nullo iure, nullísve legibus posse in ordine retineri, sed perrumpunt omnia iura : quiduis enim sibi licere putant, Scripturásque sibi subiiciunt. Horum exemplum valde est perniciosum etiam piis ideo cauendum ne horum erroribus abrepti veritatem fidei amittant.

Vers.18. *Crescite autem.*

Secundum membrum epilogi. Renouatio propositionis. Hanc cap.1. posuit : hanc inculcat hîc & nominatim meminit incrementi, cui duo tribuit, χάριν & γνῶσιν. Illud ad conuersationem inter homines refero, quæ gratiosa esse debet : hoc verò ad Dei cultum qui consistit in cognitione Domini nostri Iesu Christi.

Tertium membrum Epilogi est δοξολογία, qua forma etiam sæpe suas solet claudere D.Paulus. Eius igitur explicationem alibi quæras.

Finis Comment. in 2.Epist.Petri.



DISPOSITIO PRIMÆ EPISTOLÆ IOANNIS EVANGELISTÆ ET APOSTOLI.

Argumentum.



IOANNES Euangelista & Apostolus informat præsenti epistola vitam & mores hominis Christiani, ac ostendit non satis esse quod dicamur filij Dei, aut quod habeamus communionem cum Deo, ipsum nouerimus, in ipso simus, in eo maneamus, aut in luce Euãgelij ambulemus, nisi accesserit vitę innocentia, & mandatorum eius obseruãtia, quę omnia in primis ad duo restrigit, ad regulam fidei & dilectionis. Interim alios etiam locos persequitur, vt de cognoscendis & probandis spiritibus, de vitandis malis doctoribus & similia.

AVTOR.

Omnium consensu hæc Epistola est Ioannis Euangelistæ & Apostoli, quod Syri etiam fatentur. Fuit is filius Zebedæi & frater Iacobi, & inter Apostolos in primis dilectus Domino Christo, vnde in cœna vltima in eius sinu recubuit, & transfigurationi in mõte adhibitus fuit, & sub cruce ipse solus ex Apostolis adfuit, longæuitate quoque præ reliquis donatus est. In quo cursu variam expertus est fortunam. Nam & venenum gustasse, & oleum feruens illæsum ingressum esse testantur historiæ. In Pathmo exulasse certum est ex Apocalypsi, vnde restitutus Ephesi adhuc diu vixit, & ibidem mortuus & sepultus, de quo vide copiosiùs Hieronymum in vita Ioannis Euangelistæ. Eusebium lib. 3. historiæ ecclesiasticæ cap 1.18.20.23. & 25.

QVIBVS DEDICATA SIT.

Scribitur præsens epistola ad omnis ætatis homines qui Christũ profitentur, quemadmodum constat ex 2. cap. ver. 12. in quibus format quasi à cunabulis bonos mores, vnde verè est Canonica. Est enim Canon faciendorum & omittendorum regula. Et quia inter professos pietatem duo genera erant hominũ, vt & adhuc sunt, infirmi, scil. & gloriosi, vtrosque ad medium reducit, & infirmos præmonet de lapsu, gloriosos verò dehortatur ab hypocrysi, ne se ornent titulis Christianæ professionis speciosis, sine morum & vitæ innocentia.

OCCASIO.

Occasio apparet Apostolo esse oblata quemadmodum in scribẽdo Euangelio. Nã vt illic excitatus est Cerinthi & Hebionis temeritate, sic in scribẽda hac epistola prouocatus est licentia viuendi, imprimis eorum, qui speciosa omnina Christianæ libertatis perpetuò haberent in ore, interim his nominibus non respondebat vita, ideo 1. cap. & 2. ex illorũ persona loquens, inquit: Communionem habemus cum Deo: itẽ, cognouimus ipsum: item, in ipso sumus, in ipso manemus, in luce ambulamus. Quæ omnia gloriosi professores Christiani nominis sonabant neglecta obseruantia dilectionis, ad quam eos diligenter hortatur.

GENVS.

Genus principale, vt apparet, est ὀελςικὸν, quærit enim qui sint veri filij Dei, nec in eo cõtentus est externis nominibus huius professionis, sed ex ipsis fontibus & effectis filiorum Dei & ipsius fidei de re constituit. Hoc vt commodè præstet assumpsit vicina genera, Ἐπιδεικτικὸν, quo colligit veras notas & proprietates filiorum Dei, quæ infallibiles sunt & constituunt Ἐπίδειξιν. Sic accedit Διδακτικὸν docens quid de Christo credendum sit, quomodo Christus habendus sit ἱλαστήριον quoq;, h. e. propitiatio pro peccato, quomodo distinguendi sint spiritus, vt eò commodiùs vitari possint. Sunt quædam προτρεπτικὰ, vbi expresse hortatur ad obseruantiam mandatorum Dei, ad pręstandam eleemosynam, dilectionis opera & similes virtutes. Atque hæc omnia ad materiam præsentem spectãt. Genus verò compositionis est ἀφορεςικὸν. Nam breue & sententiosum est, vt singula commata ferme totidem habeant præcepta vitæ. Eo genere olim vsi sunt medici, & postea idem assumpserunt philosophi Ethici & oratores, hinc ad pietatem quoque deuenit.


PROPOSITIO.

Propositio totius epistolæ hæc est. Filij Dei reuera isti sunt, qui sana de Christo doctrina

ctrina imbuti fidem integritate vitæ exprimunt. Nam vult Apostolus detrahere hypocritis laruam & speciosos titulos, quibus vtebantur sine fructu, quemadmodum hodie in Ecclesia Christi passim speciosa nomina circunferuntur.

PARTES.

Partes epistolæ sic cõnecto. Principio est exordium à re ipsa sumptum, & commodè refertur ad tres locos. Primus est attentio. Nam à rerum magnitudine exorditur. Alter habet docilitatem. Ostendit enim qua de re sit acturus. Propositio exordij hîc statuenda est. De filio Dei vos erudiam, & quomodo vos qui nomen illius profitemini in hac vita conuersari debeatis docebo. Tertius locus exordij ad beneuolentiam facit, ostendit enim ad quid piis profutura sit hæc doctrina. Facit ad veram sanctorum communionem, h.e. vt profitentes nomen Christi, seriò sint mẽbra ecclesiæ, deinde seriò communionem habeant cum Deo, & demum verè sint Christi filij Dei fratres & membra, demum æterno fruantur gaudio. Secundo loco sequitur declaratio filiorum Dei ver. 5. Descripturus autem veros Dei filios, colligit quasdam proprietates, per quas ab hypocritis possint discerni, cum externa professione non commodè distinguantur. Itaque intelligẽdus est Ioannes loqui ex communi professione, cùm inquit, Habemus communionẽ cum Deo, Deum cognoscimus, in Deo sumus, in Deo manemus, in luce ambulamus. Nam his vocibus etiam hypocritæ vtebantur, vt adhuc hodie. Notæ ergo veræ sunt hæ. I. Vita & moribus ambulare in luce. II. interea se fateri peccatorem, vt vt peccata cupiat cauere. III. seruare mãdata Dei. IIII. ad exemplum Christi quàm innocentissimè viuere. V. amare fratres eiusdem professionis & in eo dilectionem & fidem declarare. VI. odisse mundum & res mundanas. Et hæc perducuntur vsque ad ver. 18. secundi cap. Tertia ergo pars istic statuatur, quæ habet locum de cognoscendo Antichristo & eius doctoribus cauendis, ac videtur per ἐπεμβολὴν additus locus: quemadmodum enim veri Dei filij cognoscendi sunt ex suis notis, sic seductores & filij tenebrarũ quoque cognoscendi sunt suis proprietatibus. Tractatur hic locus vsque ad initium tertij cap. Capite 3. statuatur quarta pars epistolæ, quæ habet reditum ad veras notas filiorum Dei. Itaque iterum colligantur hîc notæ sanctorum. Initio autem magnificè extollit dignitatem filiorum Dei, & per præoccupationem diluit cur tanta dignitas in hac vita non compareat. Hinc subiicit notas hoc ordine. Prima vera filiorũ Dei nota est spem omnem vitæ in vno Christo collocare. 2. in hoc ipso Christo seipsum purgare à peccato. 3. Christũ vnicum agnoscere remedium contra peccatum. 4. cauere peccatum, ne peccent ad exemplum Christi. 5. Iustitiam quoad fieri potest exprimere. 6. re ipsa dilectionẽ fraternam declarare. 7. odio esse mundo, & vicissim odio habere mundum. 8. pro fratribus etiam velle mori, quod sic intelligo, non recusare mortem pro veritatis cognitione, in hoc ipsum vt fratres in eadem confirmentur. Nam dum fratres in ea professione robustiores fiunt, videtur martyres pro ipsis mori, & hinc digreditur in commendationem dilectionis, & eam ab effectis ornat, vt quod nos certos reddat de veritate, pacatas faciat conscientias, hilarem aditum ad Deum aperiat, certos de exauditione reddat. Ex his colligatur nona proprietas filiorum Dei, non tam verbo quàm reipsa fratribus declarare dilectionem. 10. in omni vita operam dare vt coram Deo & omnibus pacatam retineat conscientiam. Atque his finitur tertium caput. Quinta pars initio 4. capitis statuatur. Est enim noua ἐπεμβολὴ, in qua repetit locum de probandis spiritibus Antichristi, quem explicuerat cap. 2. v. 18. & easdem præscribit ferè notas, quas suprà iam vidimus. Tractantur hæc vsque ad ver. 7. Illic igitur statuatur 6. pars. Nam redit ad commendationem dilectionis. Commẽdat autẽ dilectionem ab ipsis fructibus, & in primis respondet iactabundis hominibus in quorum vita non perinde elucebat professio quemadmodum in ore. Initio cap. 5. transit ad commendationem fidei. Nam supra cap. 3. item 2. ad nouum & vetus præceptum reduxerat omnia, ad nouum præceptum intelligens doctrinam fidei: vetus autem præceptum, erat præceptum dilectionis, quod tamen Christus certa ratione etiam vocauit nouum. Rectè igitur post commendationem veteris præcepti, h.e. dilectionis, subiicit commendationem noui præcepti, h.e. fidei. Hanc ergo commendat etiam ab effectis. Nam ex ea nascitur regeneratio, verus amor Dei, amor etiam proximi, obseruantia mandatorum Dei, victoria contra mundum, &c. Hinc transit ad subiectum fidei quod est Christus, & ostendit eius doctrinam niti firmissimis testimoniis. Durant hæc vsque ad vers. 13. Ab eo loco septima pars statuatur, Epilogus: continet autem breuem repetitionem & summam totius Apostolicæ doctrinæ. Deinde exhortationem subiicit de cauenda idololatria, qua finit etiam epistolam.



IN PRIMAM EPISTOLAM S. IOANNIS.

ΠΡΟΛΕΓΟ´ΜΕΝΑ.

Author.

De Authore.



Oannes Euangelista qui Euangelium scripsit, hanc quoque epistolam composuit: fuit is filius Zebedæi, & frater diui Iacobi, & singulariter dilectus Domino Christo. Hic in sinu illius recubuit in cœna, & in monte spectator quoque fuit transfigurationis Domini. Quod ad vitam attinet omnes reliquos Apostolos superauit longæuitate. In Pathmum relegatus, illic cōposuit Apocalypsin. Vnde restitutus apud Ephesum Asiæ diu docuit, & ibidē tandem naturali morte obdormiuit, & sepultus est. Vide προλεγόμενα in Ioannem, & Hieronymum in vita Ioannis Euangelistæ, & Euseb. lib. 3. Eccle. histor. cap. 18. & 20. 23. 25. & cap. 1. eiusdem lib. 3.

Ad quos scribat. Ex cap. 2. vers. 12. colligi potest, epistolam hanc spectare ad omnem ætatem, h. e. scribi ad pueros adolescentes, patres, senes, &c. Ideo videtur quoque dici καθολικὴ, quòd non certis personis dedicetur, sed ad omnem ætatem & sexum pertineat. Quanquam & hinc καθολικὴ rectè dicatur, quòd communi consensu ab omnibus, absque disceptatione sit recepta, cùm reliquæ duæ semper habitæ sint suspectæ.

Deinde scribitur in primis ad infirmos, aut eos qui de fide gloriabantur, non autem perinde vita professionem exprimebant. De infirmis metuenda erat defectio: ideo hos confirmat: de gloriosis autem illis perniciosa erat hypocrisis: ideo admonet, non satis esse gloriari de Dei cognitione & societate, nisi addatur mandatorum Dei impletio: inter quæ præcipuum sit, diligere proximum, non verbo solùm sed re & opere. Ideo ad eos semper conuertit orationem suam tanquam filios Dei.

Argumentum.

Ὑπόθεσις. Frequens est in filiorum compellatione, quandoquidem filij Dei videri volebant, non satis huic tam specioso nomini respondentes. Ostendit igitur quæ sint veræ proprietates filiorum Dei, Innocentia vitæ, obseruantia mandatorum Dei, dilectio fraterna, benefaciendi studium, bona conscientia, fides in Christum firma: quem agnoscant non solùm & Filium Dei, sed ἱλαστήριον pro peccatis suis. Interim docet etiam cognoscere Antichristum, falsos erroris spiritus &c.

Occasio.

Rogatúsne, an instinctu Spiritus sancti scripserit, parum refert. Certum est oblatam fuisse occasionem & fortasse eandem, qua inductus Euangelicam conscripsit historiam. Nam Cerinthus, Ebion, aliǫque pestes fidei iam tum emergebant, qui Christi diuinitatem, partim etiam humanitatem negabant: contra quos errores præmunit fideles c. 2. & 4. Deinde vidit inter fideles magnam regnare licentiam viuendi, adeo vt multi in ore haberent speciosas sententias, quibus vita parum responderet. Dicunt, Habemus communionem cum Deo, cognouimus Deum, manemus in Deo, scimus veritatem, & in luce versamur. Hos igitur voluit docere quid hos titulos deceret, ne essent nuda vocabula.

Πρόθεσις.

Propositio. Summaria sententia. Hi demum veri sunt filij Dei, qui sana de Christo imbuti doctrina, fidem suam integritate vitæ exprimunt.

Genus.

Genus principale est θετικόν. Quæritur enim qui sint veri filij Dei: quod genus quæstionum ad definitiones pertinet. Hinc ἀποδεικτικὸν est. Colligit enim notas & proprietates verorum fidelium, ex ipsis fontibus fidei & fructuum eius. Interim διδακτικὸν est. Docet enim quid de Filio Dei sit credendum, quo loco mors eius habenda, quomodo distinguendi spiritus. Accedit etiam προτρεπτικόν. Hortatur enim passim ad obseruantiam mandatorum Dei, ad dilectionem, ad vitæ integritatem, benefaciendi studium, aliásque virtutes.

Compositio. Genus compositionis est ἀφοριστικόν, hoc est, compendiosum & sententiosum, commaticum. Singula enim membra singulas habent sententias quasi vitæ regulas: quale scriben-

scribendi genus olim familiare fuit medicis, qui regulas curandi morbos aphorismis breuibus comprehendebant. Idem postea imitati sunt Ethici scriptores qui regulas vitæ perscripserunt, quales sunt apud Isocratem quædam orationes, & apud alios.

Partes.

Magna est obscuritas in hac Epistola, quemadmodum omnes fatentur interpretes, quæ non aliunde nota est, quàm ex genere compositionis: quod cùm pauci obseruent, difficultatem rebus ipsis inferunt, quę commoda partitione optimè abstergetur. Itaque conabimur membra dilucidè distinguere. At quę hoc beneficium debemus methodo, quę nihil aliud est quàm quędam rerum εὐταξία quæ veritati coniunctam habeat perspicuitatem. Hanc igitur conabimur huic etiam Epistolæ inferre. Sit igitur ista partitio.

Initio expressum est exordium, quod à rei magnitudine, antiquitate, ac vtilitate percommodè ducit. Exordium.

II Sequitur quæstio de notis ac proprietatibus filiorum Dei: in qua re quędam sunt ὁμολογούμενα, hoc est, concessa, vt quod dicunt, Habemus κοινωνίαν cum Deo: item, cognouimus ipsum, in Christo iam sumus, & in illo manemus, in luce versamur, & similia. Ex his quid sequatur ostendit: ac vrget illa tanquam confessa, sed quæ per se non sufficiant nisi reipsa compleantur. Hoc loco duo sunt extrema vitanda, Peccatum & eiusdem dissimulatio. Peccatum dico, vel semper peccatis indulgere, & interim gloriari de amicitia cum Deo. Dissimulare autem est, sic de se præsumere, quasi post Christi agnitionem iam omni peccato sit exemptus. Vtrinque grauissimè hic peccatur. Ideo ad medium & regiam viam nos reuocat. Fugiamus peccatum tanquam ipsas tenebras interim infirmitatem nostram agnoscamus, vt decet miseros peccatores coram Domino.

Huic mox addit 2. cap. doctrinam de remedio contra vim peccati, Christum scilicet, eiusque meritum, & nos reuocat ad studium mandatorum Dei, in quorum obseruantia positus sit verus Dei cultus: at specialiùs ad dilectionem nos deducit, cui oppositum est odium. Inde ad ætates singulas sua scripta applicat, & addit aliam notam veræ pietatis, fugere scilicet mundum. Tres notæ hactenus expositæ sunt, odisse peccatum, & tamen hoc in sese fateri: altera, obseruare Dei mandata, inter quæ principale est dilectionis mandatum, tertia nota est, odisse mundum & studia eius. Remediũ contra peccatum.

III Digreditur à notis fidelium ad pro prietates Antichristi & doctorum eius, vt sciant pij qui doctores cauendi sint. Addit huic malo προφυλακτικὸν remedium, quod contra venenum illud præsentissimum est, χρίσμα scilicet Spiritus sancti. Atque illa à versu 18. cap. 2. tractantur, vsque ad initium 3. cap. Cap. 2.

IIII. De dignitate filiorum Dei incipit disserere, vt veras notas illorum explicet, quæ sunt spes firma in Christum, 2. eundem agnoscere ἱλαστήριον contra peccatum. 3. non peccare. 4. diligere proximum. 5. odio esse mundo. 6. pro fratribus mori. 7. eis benefacere non verbo, sed opere. 8. bona niti conscientia. 9. dilectione & fide consistere. Ex his notis verus describitur Dei filius. Cap. 3.

V. Capite 4. locus est ab initio de probandis spiritibus qui pertinet ad partem tertiam, de qua disseruit cap. 2. v. 18. Cap. 4.

VI. Eodem cap. ver. 7. locum de dilectione pleniùs persequitur. Nam inter proprietates illa fuerat vltima, dilectione & fide consistere, ideo dilectionis vim & naturam hic persequitur. Et mox c. 5. fidei naturam & ingenium excutit. Cap. 5.

VII. Capite 5. v. 13. ἐπίλογον constituo, in quo de precibus agit, de peccato, de cognitione Filij Dei de cauenda idololatria, &c.

CAPVT I.

MORE suo Diuus Ioannes grandi vtitur exordio, ostendens amplitudinem suæ doctrinæ, cui addit commendationem ab vtilitate sumptam. Et quia inter vtilitates, præcipua est κοινωνία quam cum Deo habemus, ideo mox exordio annectit locum de cognoscendis filiis Dei, qui non verbis, sed reipsa communionem habent cum Deo, ac viam regiam deducit inter duo extrema, quorum vnum est, semper in peccato velle manere, quod est σκότος: alterum prorsus negare omne peccatum, quod faciunt hypocritæ dicentes se nullum habere peccatum. Neuter horum κοινωνίαν habet cum Deo: sed is qui peccatum fugit quoad potest, & interim fatetur imbecillitatem suam, adeò vt quidquid fecerit, seruus interim sit inutilis. Argum.

Exordium.

A magnitudine rerum.

Exordium ducitur à certitudine rerum, quæ constat antiquitate, & multiplici experientia, nec non multiplici vtilitate. περιβολικὸν autem est & circunductum: ideo obscurius aliquanto apparet: sed ei facilè medebitur vera constructio, nam hæc monstrabit veram sententiam. Ideo ista tria hîc explicanda sunt. Primùm quid nobis proponat: secundò quo nomine hoc nobis commendet, ac tertiò, quæ sit eiusdem vtilitas.

I. Propositio sumenda est ex his verbis, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον: item περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. Et ἀπαγγέλλειν est docere simpliciter, prędicare, & euangelizare. Ideo Syrus interpres hinc exorsus est constructionem, ac tria ponit synonyma, annunciamus, prædicamus, & vers.3. notam facimus. Itaq; hæc est sententia: De Filio Dei vos erudiam, & quomodo vos qui nomen eius profitemini, in hac vita conuersari deceat docebo. Hęc sententia ad εὐμάθειαν spectat. Docet enim quid in tota Epistola nobis sit expectandum, nimirum vitæ Christianæ instructio. In exordio autem de ipso Dei Filio quid sentiendum sit, nos docturum pollicetur.

Porrò λόγος ζωῆς, & ζωὴ αἰώνιος periphrasis quædam sunt Filij Dei. Dicitur Christus ζωὴ vita, quia est author vitæ, vt in creatione, rebus creatis λόγος inspirauit vitam. Deinde quia medium est & organum, quo vno vitam æternam consequi possunt homines, vt dixit Ioan.14. Ego sum via, veritas, & vita & 11. Ego sum resurrectio & vita. & Ioan. 20. vt credentes habeant vitam æternam in nomine ipsius. Ioan.6. Panis quem ego do caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Itaque suorum respectu dicitur vita, quòd his vitam det: quam in sua manu habet, vt ex seipso vitam habeat quemadmodum Pater. Ideo Apostolus ad Coloss. 3. ait vitam nostram absconditam esse in Christo, quia vnicum vitæ organum est. Dicitur autem λόγος ζωῆς, sermo vitæ, h.e. medium & organum redēptionis à Deo nobis cōstitutum. Syrus habet *meleta dechaie*, verbum vitæ, quod interpretantur viuificum verbum. Habet enim λόγος ille in se & sua natura vitam, & hanc omnibus inspirat, singulariter autem electis dat vitam æternam, ideo ὀργανικῶς accipio λόγον ζωῆς quoad nos.

Hactenus de propositione, qua doctrinā certam nobis promittit. Alterum sequitur, quomodo nobis hanc doctrinam commendet. Pertinet hic locus ad προσοχὴν: nam à magnitudine rerum attentos facit, ac primùm ab antiquitate commendatur nobis doctrina de Christo, *Quia erat ab initio*, h.e. ab æterno Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, ἀρχὴ ἄναρχη, & ἄχρονος. Deducit enim nos ad omnium rerum principium, ac de λόγῳ pronunciat ἦν, h.e. iam tum erat: itaque principio caret. Nam ante illud initium infinita solùm occurrit ęternitas. Quę sententia euertit illorum interpretationem qui principium accipiunt de patefactione, quia Apostolus hîc manifestè λόγον antiquiorem facit verbo ἦν. Sic Ioan.1. In principio erat ὁ λόγος. Ex quo efficitur λόγον tum non cœpisse. Deinde multiplici experientia commēdatur eiusdem doctrinæ certitudo, *Quod audiuimus*, scil. ab ipso Christo incarnato, *quod vidimus*, in Christo, facultatem docendi, & edendi miracula, *quod spectauimus*, h.e. animo & ratione comprobauimus. Multa enim videmus oculis, quæ reuocata ad iudiciū animi, secus habent. Sed de Christo visa & audita animum quoque conuicerunt, vt negari non possint. Denique *manus nostræ contrectarunt*. Sensus tangēdi certus est in explorandis corporibus. Quatuor igitur ista ad certitudinem doctrinæ Christi pertinēt, quia visu, auditu, tactu & animo omnia comprobata sunt.

Vers.2. *Et vita manifestata est.*

Αἰτιολογικῶς connectit hæc superioribus, & habēt speciem occupationis. Nam obiici potest, vnde tibi tam multiplex de verbo vitæ experientia? Respondet ex incarnationis historia. Verbum caro factum est, ideo vidimus. Nam λόγος alioquin videri nō poterat. Sed quia assumpsit carnem, factus est visibilis. Deinde eius nos constituti sumus testes, Act.1. Et eritis mihi testes. Hinc est quòd hoc vobis annunciemus.

Vers.3. *Quod vidimus.*

Illatio est ex superioribus effecta. Quia enim λόγος incarnatus est, & nobis patefactus, ideo visa & audita, hoc est, verissima experientia vobis denunciamus hāc doctrinam. Pertinet ad certitudinem doctrinæ.

Vt & vos communionem. Locus tertius est exordij de vtilitate huius doctrinæ, ac pertinet ad εὔνοιαν. Beneuolos enim facit, id quod nobis spem facit vtilitatis, & videtur ab amico proficisci animo. Sententia igitur est, Non scribo inutilia, sed vobis summè profutura. Ideo diligenter hanc doctrinam audietis. Locum vtilitatis ad duo

duo capita refert: κοινωνίαν cum Deo docebunt: alterum, gaudium veſtrum perficient. Κοινωνία rerum eſt communio quæ poſſeſſione & vſu commodum habet. Hæc κοινωνία triplex eſt hoc loco expreſſa. Alia enim quam cum ſanctis omnibus habituri ſumus: alia quam cum Deo Patre, & tertia cum filio Dei habemus. Ad primam refero, *Vt & vos communionem nobiſcum habeatis.* Itaque vtilis erit hæc doctrina ad intelligendam communionem ſanctorum, & vt horum communioni adſcribamur. Illa eſt, corpori Eccleſiæ adſcribi, vera inuocatione, adoratione, fide, & ſpe colere Deum, eoſdem articulos fidei agnoſcere, eodem verbo Dei vti & niti, eiſdem ſacramentis initiari, eadem ſpe & fide ad vitam æternam duci. Hæc κοινωνία ſanctorum eſt. — 1. cum ſanctis.

Altera eſt cum Deo Patre, ſcilicet vt ſciamus nos in Dei fœdere eſſe comprehenſos. Hoc diſcimus ex doctrina Apoſtolica, ex inimicis factos amicos & domeſticos Dei: hoſtium enim nulla eſt communio: ſed pace facta fœdus commune multa efficit communia. — 2. cum Deo.

Tertia eſt cum Filio Dei, vt quòd ſumus illius fratres, & cohæredes eius, quòd noſtram naturam aſſumpſit, carnem & oſſa de noſtra carne & oſſibus, quòd gloriam eius communicabimus, quòd meritorum eius ſumus participes, quòd noſtra eſt iuſtitia & ſalus. Item in paſſionibus illi debemus reddi ſimiles, innocentia vitæ & benefaciendi ſtudio illum debemus imitari. — 3. cum Filio. 4. cum ſpiritu S.

His addamus quartam κοινωνίαν cum Spiritu ſancto, qui dum nos ſuo afflatu regit, & ad nouos ac pios motus incitat, dicimur illi communicare. Efficiendum igitur vt ſimus templa Spiritus ſancti, vt in nobis habitet tanquam in poſſeſſione propria. Sic cum Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto iuſtiſſima nobis fuerit κοινωνία. Atque hactenus prima commoditas.

Verſ. 4. *Et hæc ſcribimus.*

Altera eſt doctrinæ præſentis vtilitas, ſcilicet quòd hinc gaudium piorum erit perfectius. Perfectum dicitur ſolidum ac firmum, hoc eſt, quod ad res ſperatas pertingit. Gaudium igitur ſanctorum eſt, quia ſciunt ſe Deo reconciliatos, fore vitæ æternæ hæredes. Hoc quidem gaudium excitatur in multis tenui quodam ſenſu, vt & notitia veritatis: ſed perficitur in hac Ioannis doctrina, in qua pij inſtituuntur, qui ſint veri Dei filij, qui non ſint. Qui veri ſunt, vita & moribus in hac doctrina philoſophantur. Ideo gaudium illorum cõſtans & perfectum eſt: qui ficti, illi ad tempus exultant, ſed mox abrepti aliò, iſta gaudij initia amittunt. Sic dicit Chriſtus Ioan. 15. Hæc loquutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis maneat, & gaudium veſtrum impleatur. Sic Ioan. 16. Petite & dabitur vobis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.

Verſ. 5. *Et hæc eſt annunciatio.*

II. Pars epiſtolæ, in qua explicatur quæſtio quinam ſint veri Filij Dei. Ad quam rem cognoſcendam adhibet certa quædam indicia, ſeu proprietates infallibiles. Nam hinc vera à falſis dignoſci facilè poſſunt. Proponit eius rei quinq; infallibiles notas, quarum prima eſt Dei, eſſe lucem: altera impiorum, qui tamen gloriantur de Dei ſocietate, ambulare in tenebris: tertia piorum, ambulare in luce: quarta iterum hypocritarum, ſeſe puros ab omni peccato profiteri: quinta iterum piorum, ſeſe peccatores agnoſcere. De his quinque notis ad finem vſque capitis diſſerit. — Proprietates.

Ac hoc quidem verſu, initio commendat nobis hãc doctrinam, ab authore Chriſto, ex cuius ore illam profert. Ideo ἐπαγγελίαν accipio pro doctrina veræ pietatis, in qua ſummum eſt caput, vt mores noſtri reſpondeant profeſſioni: de qua re in hac epiſtola in primis agit. Deinde non ſua ſomnia proferre dicit, ſed hoc ipſum quod audiuerit, hoc ipſum adfert ad Eccleſiam. Ideo in Eccleſia, ſola Chriſti vox & authoritas valere debet. Demum notam profert ac proprietatem diuinæ naturæ quæ eſt, *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Deus lux dicitur, hoc eſt, puritas, & ſincera integritas, cui nihil admixtum eſt mali, ſeu peccati. Sunt enim in luce ſplendor, calor, & puritas, quæ in Deo ſunt abſolutiſſima. Ideo Apoſtolus 1. Tim. 6. dixit Deum habitare lucem inacceſſam, hoc eſt, humanæ rationi inexplicabilem puritatem & maieſtatem: & Eſaias 60. dicit, Dominus erit lux ſempiterna. Sic Chriſtus dicitur lux, tum propter perfectionem, quia peccatum non fecit, nec nouit: tum quia veram doctrinam reſtituit, & facem monſtrat ad Dei cognitionem, ac vitam beatam. Inde Ioan. 8. dicit, Ego ſum lux mundi. & cap. 9. quàm diu ſum in mundo, lux ſum mundi. & cap. 12. Ego lux in mundum veni. Pij quoque dicuntur lux, vt Apoſt. Matt. 5. Vos eſtis lux mundi. & Eph. 5. vt filij lucis ambulate, quia pij bono exẽplo aliis prælucent, & monſtrant verã viuendi

uendi regulam re ipsa. In primis tales sunt Apostoli, & tales esse debent omnes ministri Euangelij, vita scilicet & moribus præire suis auditoribus.

Cùm igitur Deus dicitur lux, fons omnis boni dicitur & natura perfectissima, & iustissima, omníque peccato & labe carens: quod expressit Apostolus opposito membro, *Et tenebræ non sunt in illo.*

Tenebræ. Tenebræ luci opponuntur. Ideo significant corruptionem, ἀταξίαν pugnantem cum Dei integritate: & vt lux splendore omnia discriminat: sic tenebræ omnia confundunt. In tenebris enim omnium rerum eadem est facies, quam splēdor lucis distinguit: ideo rectè dicuntur ἀταξία. Deinde in luce est calor: contrà, tenebræ frigus habēt. Ideo peccatū & illa corruptio naturæ humanæ caret Dei amore, riget stupore & æterno frigore. Denique in tenebris est impuritas, h.e. infiniti errores, & occasiones peccandi: contrà in Dei Luce, mera est integritas, sinceritas & iustitia.

Vers. 6. *Si igitur dixerimus.*

Proprietates sequitur falsorum filiorum Dei. Vbi obserua duo. Primùm quid profiteantur ore: alterum quales sint moribus. Ore profitentur κοινωνίαν cum Deo, hoc est, quòd sint filij Dei, à Christo redempti, & societati Dei incorporati, eiusdemque domestici. Hoc malum semper vexauit Ecclesiam sanctorum, vt perinde mali ac reprobi glorientur de societate Dei, atque boni. Inde fit, vt bona pars, sola hac gloria contenta sit, interim pessimè viuat, quasi Christianismus in nudis consistat verbis.

Reipsa autem ambulant in tenebris. Quid sint tenebræ iam diximus, hoc est, crassa ignorantia Dei, amor peccandi, impœnitentia vitæ. Hinc efficitur argumentum à pugnantibus, Illi tenebras amant: ergo societatem cum Deo habere non possunt: quasi dicat, Impœnitentes sunt, & semper illis lubet peccare, ergo non sunt veri Dei filij. Quæ enim est societas luci cum tenebris? certè nulla 2. Cor. 6. Hinc passim opera tenebrarum damnantur. Eph. 5. Rom. 13. & ψευδόμεθα refero ad professionem, qua gloriantur tales de societate Dei: & non facere veritatem, ad mores: quasi dicat, discrepant mores vestri à professione, quomodo igitur potestis esse veri filij Dei?

Vers. 7. *Si autem in luce ambulamus.*

Est contraria nota verorum filiorum Dei, scilicet ambulare in luce, quod est desiderio bonorum operum flagrare, seriò Deum cognoscere & colere. Ambulandi enim verbum actionem significat, vt & vox viç. Ambulant qui agunt, seu mouentur: in luce igitur ambulant, qui in bono proposito meliores redduntur: in luce autem, h.e. in Dei cognitione & societate. Hinc efficitur argumentum à consequentibus. Isti ambulant in luce, & Deus lux est, ergo cum Deo habent societatem.

Medium salutis. Addit huic argumento vsum speciosum, *Et sanguis Iesu Christi Filij eius purgat nos ab omni peccato.* Medium redemptionis est Christi meritum etiam in sanctissimis, & his qui innocentissimè viuunt. Vide Rom. 3. quem proposuit propiciatorem per sanguinem eius. Ephes. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius. 1. Pet. 1. pretioso sanguine eius.

Vers. 8. *Si dixerimus quòd peccatum.*

Quartò addit aliam proprietatem falsorum filiorum Dei, qui dicunt scilicet, se esse immunes ab omni peccato. Alter excessus est. Priores dixerunt, Peccabimus vt abundet gratia. Hi contrà dicunt, nullum prorsus habemus peccatum. Vtrique perniciosè errant. Deus simpliciter sine peccato est, summa iustitia & integritas. Deinde Filius Dei assumpta carne quoque homo est sine omni peccato, in quo dolus repertus non est. Inde dicit, Quis arguet me de peccato? Denique Angelica natura quæ seruauit statum suum & puritatem conditionis, sine peccato est. Deinceps verò natura rationalis peccato est inuoluta, mali Angeli, homines in vniuersum omnes. Rom. 3. Omnes peccarunt & egent gratia Dei. Gal. 3. Omnes conclusit sub peccatum, vt omnium misereatur. Itaque perniciosus est error dicere, se ab omni peccato mundū esse, quod olim dixere Cathari, & hodie quidam Anabaptistæ, & hîc Apostolus dicit errorem esse.

Vers. 9. *Si confiteamur.*

Quintò addit oppositam proprietatem de piorum ingenio, qui libenter fatentur suos errores seu peccata. Hæc dixit etiam Christus, Si omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, & Paulus exclamans fatetur sua peccata, miser ego homo, quis liberabit me de corpore peccati? & hoc omnium piorū est ingenium. Necessaria igitur est peccati con-

confessio. Ei additur promissio. *Fidelis est Deus*, scilicet, quia promisit pœnitentibus condonationem delictorum, & est iustus, hoc est, facilis ad misericordiam, vtens magnanitatis summi mitigatione in nobis absoluendis.

Vers.10. *Si dixerimus quod.*

Repetit proprietatem malorum, dicentes se non peccasse. Alienum enim hoc est à piis & apud Deum caret remissione. Inf.cap.3. Idem Ioannes inquit, Omnis qui in eo remanet non peccat, & Ioan.5. Christus ait, Ecce sanus factus es, vide ne pecces: quæ huic loco non obsunt, nam qui in Deo manent non peccant, data scilicet opera, volentes, nec peccant impœnitenter, sed dolent mox post lapsum: denique non peccant finaliter, sed remissionem consequuntur. Sic Christus inquit, Noli peccare, scilicet malitiosè & petulanter. Interim hi ipsi sua errata in se agnoscunt, de his dolent, & apud Deum gratiam implorant.

Deum faciunt mendacem. Hoc est, falsi arguunt. Nam Dei pronunciata sunt, Omnes aberrarunt: inutiles facti sunt ad vnum omnes, nec infans vnius diei innocens est apud Deum: sol quoque immundus est in conspectu suo. His dictis, præsumptuosi illi iustitiarij sese eximunt, & quoad ipsos, Deum mendacem facere nituntur. In verbis enim est pugnantia, Omnis homo peccator est, dixit Deus, & contrà, quidam homines peccatores non sunt, vt dicũt iustitiarij. Reipsa autem nulla est pugnantia. Nam vera est Dei propositio, Omnis homo impius est peccator, & eget gratia Dei, &c. Λόγος hîc est doctrina vt priùs ἀλήθεια vers.8. & sup. ἐπαγγελία: vicinæ sunt voces.

CAPVT II.



EXpressit suprà notas Dei, & filiorum Dei tum verorum, tum simulatorum. Dei proprietas est, esse lucem: filiorum eius, ambulare in luce, & fateri interim se peccatores esse. Contrà simulatorum est proprium, ambulare in tenebris, dicere se non esse peccatores. Nunc huic doctrinæ annectit vtilem explicationem, ostendens regiam viam inter hæc esse non peccare, & in peccatis agnoscere Christum Mediatorem. Inde persequitur alias notas verè fidelium, vt seruare mandata Dei, ad exemplum Christi quàm innocentissimè viuere, amare fratres, odisse mundum, quibus suis locis, vtiles & opportunas interserit exhortationes, vt videbimus suo loco. Ὑποτύπωσις.

Partes capitis principales sunt duæ. Prior ad superiora pertinet de notis veris filiorum Dei: posterior ad descriptionem Antichristi pertinet, & doctorum eius, in quibus, doctrinæ quosdam articulos euidenter perstringit.

Ac prior hos continet locos. Primùm αἰτιολογία est reddens rationem scripti sui. Altera proprietates habet duas, seruare mandata, & exemplũ Christi imitari. Tertia commendatio est præcepti charitatis & fidei. Quarta nouam habet proprietatem, scilicet amare fratres, & contrà odisse. Quinta doctrinam hanc singulis ætatibus applicat. Sextò additur proprietas alia, odisse mundum & res mundanas. Subdiuisio.

Vers.1. *Filioli mei hæc scribo.*

Continuatio est qua superioris doctrinæ reddit causas. Duo autem posuerat quasi in speciem pugnantia, ambulare in luce, & fateri sua peccata. Nunc addit rationem, cur hoc scribat, scilicet ne peccemus. Ideo ταῦτα refero ad duas illas fidelium proprietates, quas proposuit ne peccemus. Non peccare, est nihil facere professioni repugnans, sed ipsam pietatem in mores transfundere, quod faciunt pij dum in luce ambulant, hoc est, Deo se omnibus modis cupiunt approbare. Alter finis est, interea dum peccatum nostrum fatemur, de remedio quod in solo Christo habemus, cogitare. Hoc membrum præoccupationem nouam habere videtur. Pij enim dum suæ naturæ infirmitatem agnoscunt, mox de remedio solliciti sunt: hoc igitur monstrat extra nos esse, quia firmum & solidum debet esse remedium. In nobis ostendi poterat pœnitentia, vera contritio: sed in his pœnitentiæ actionibus, imò satisfactionibus, vt loquuntur noua semper admittuntur peccata. Ideo infirma sunt illa remedia, vt quæ semper noua requirant & ipsa pharmaca. Ideo extra nos rapit nos & ad Christum ducit, solidum remedium.

Obserua hoc loco quibus nominibus nobis Christum commendet. Primùm quòd sit παράκλητος, aduocatus fauens nobis reis, quod proprium est aduocati, quod verè Christus facit, vtpote natura humana præditus. Ideo intercedit pro cognatis & fratri-

bus suis secundum naturam humanam. Apud Ioan. 14 Spiritus sanctus dicitur Paracletus, quia is regit nos & consolatur in afflictionibus & terrore conscientiarum. Christus verò hîc dicitur παράκλητος, id est, aduocatus, reorum causam suscipiendo & transigendo.

Deinde iustus est. Ex quo efficitur intercessionem fore Deo Patri gratam. Nam iusti intercessio apud iustum iudicem plurimùm valet. Deinde quia iustus est, non negliget causam nostram, sed bona fide tuebitur cōtra accusatorem Diabolum & peccatum. Præterea quia iustus est, nobis proderit sua iustitia: hanc enim transfundit in nos, & vt portat peccata nostra, sic contrà nos illius iustitia iusti erimus, & liuore ipsius sanabimur.

Ἱλασ-μός. Tertiò de Christo prædicatur, quòd sit ἱλασμὸς pro peccatis nostris, hoc est, hostia satisfactoria. Heb. 2. vers. 17. Fidelis Pontifex apud Deum ad expianda peccata populi sui. Rom 3. ver. 25. Proposuit illum Deus ἱλαστήριον propitiatorium per fidem in sanguine eius ad declarandam iustitiam suam per remissionem præteritorum peccatorum, & infrà cap. 4. vers. 10. misit Filium suum ἱλασμὸν pro peccatis nostris. Idem hoc loco affirmat. Similia habes 1. Tim. 2. Vnus mediator Dei & hominum.

Huic membro reddit vtilem correctionem, ad declarandam perfectionem sacrificij Christi. Ac erat præoccupatio admodum necessaria: declarat igitur se, Christum sufficere pro omnium mortalium peccatis, ac totum mundum de tota specie humani generis accipe, non de omnibus eius indiuiduis. Non enim pro Iudę peccatis satisfecit, nec pro damnatorum sceleribus. Interim culpa non est Christi, nec imperfectionis argui potest, cuius gratia illis oblata sit, non autem ab eis admissa. Itaque pro omnibus omniū hominum peccatis est quidem ἱλασμός, tamen non applicatur omnibus, sed electis solùm.

Vers. 3. *Et in hoc cognoscimus.*

2. De proprietat. filiorum Dei. Alterum membrum est huius loci, quo explicat duas filiorum Dei veras notas. Obserua hîc synonyma quæstionis. Primo capite dixerat κοινωνίαν ἔχειν, societatem habere cum Deo: idem iam mutatis verbis dicit γινώσκειν αὐτὸν, nouisse ipsum, scil. Deum: item ἐν αὐτῷ εἶναι, ἐν αὐτῷ μένειν, ἐν φωτὶ εἶναι. Quæ omnia idem sunt, & desumpta ex cōmuni professione Christianorum, Hæ enim voces sunt communes tam veris Dei filiis, quàm simulatis: vt hodie omnes promiscuè dicimus, sum Christianus, sum baptizatus, agnosco Deum & Filium eius, sum reformatus. In his igitur tanquam communibus non est persistendum, sed ad certas & veras notas est procedendum. Hoc igitur est quod hîc dicit, Ex hoc nos nosse an cognouerimus ipsum, si mādata eius obseruemus. Habes infallibilē notam filiorum Dei verorū, Seruare ἐντολὰς αὐτοῦ, h. e. ex religione formare etiam mores. Itaque ἐντολὴν in genere accipio de omnibus præceptis honestæ vitæ, vt complectatur totam innocentiam Christianæ vitæ: quemadmodum dicitur 1. Corinth. 7. Circuncisio nihil est, sed obseruantia præceptorum Dei. De præcepto dilectionis paulò post sequetur proprius locus.

Vers. 4. *Qui dicit, noui illum.*

Membrum est ἀντίθετον quo exprimit veram notam simulatorum filiorum Dei. Obserua iterum quòd hypocritæ habeant commune cum verè piis præter professionem externam: sed adhuc in moribus discrepent. Ideo his tribuitur mendacium, quia aliud ore, & aliud corde, vita ac moribus loquuntur.

Vers. 5. *Qui autem seruat.*

Repetitio est per inuersionem λόγος idem est quod priùs dixit ἐντολάς, mandata, sermo. Qui mandata hæc aut sermonem seruat, in eo perfecta est dilectio Dei: hoc est, ad plenum in eo habitat. Nemo enim perfectè potest diligere Deum, quemadmodum lex requirit: interim ad plenum in suis habitat ille amor. Profert alias voces hoc loco ex communi professione: ἐν αὐτῷ ἐσμέν, quod magno supercilio hypocritæ sub Christianismo iactitant, & hodie laruati Christiani.

Vers. 6. *Qui dicit in illo.*

Secunda proprietas est filiorum Dei, ad exemplum Christi quàm innocentissimè viuere. Initio alia phrasi, θέσιν professionis repetit, ἐν αὐτῷ μένειν quod priùs dixit ἐν αὐτῷ εἶναι. Hoc omnes superbè iactitant: sed quinam rectè & seriò? illi scilicet qui ad Christi exemplum quàm innocentissimè viuunt. Videtur respexisse ad locū Ioan. 13. ver. 15. Exem-

plum dedi vobis. Lauerat autem pedes discipulis, & humilem sese illis exhibuerat: ad hoc exemplum debēt pij mores suos informare. Sic Ephe.5. ver.1.dicitur, vt simus imitatores Dei,& 1.Cor.11. v.1. Apostolus dicit vt se imitemur, quemadmodum ipse imitatur Christum. Hoc totum de benefaciendi studio, de vitæ innocentia, pij accipiunt: contrà impij vel Christi exemplum planè negligunt, vel mala quadam imitatione æmulantur quæ nunquam possunt nec debent assequi, vt ieiunare diebus 40. edere miracula,ambulare super aquas.

1. Vetus mandatum.

Vers.7. *Fratres non præceptum nouum.*

Tertium membrum huius partis, continens commendationem dilectionis & fidei. Est autem quædam ἐπιδείξωσις, qua Apostolus se declarat & aperit, quid sit ambulare ad exemplū Christi, illud scilicet, quod hinc à condito mundo semper à suis requisiuit, innocentiam scilicet vitę seruare,&morum integritatem. Obserua hunc locum diligenter. Nam duo mandata diuersa nobis hic commendat, secus quàm hactenus ferè obseruatum sit. Prius mandatum est, de innocentia vitæ seruanda etiam sub Christianismo,atque hoc vetustum est. De eo loquitur, *non nouum mandatum: sed vetus scribo vobis, quod habuistis ab initio*, hoc est, etiam nondum vocati ad Christum sub more didicistis, quòd Deus in suis requirat vitæ innocentiam. Hoc enim in Adamo requisiuit, in Noacho commendauit, in Abrahamo & reliquis piis omnibus postulauit. Deinde naturæ impressum est, pios innocenter debere viuere. Itaque & conuersi ex Gentilismo, & conuersi ex Iudaismo hoc agnoscebant verum esse quod Apostolus in Christianis requirit vitæ scilicet innocentiam.

Alterum mandatum est fidei. Hoc nouum dicitur, quia mundo est inauditum, & rationi incredibile, quòd fides in Christum sufficiat piis ad salutem. Hinc potentia Dei dicitur hæc doctrina,&à Filio ex sinu Patris allata. Atque de fidei pręcepto accipiendum satis arguit ratio Ioannis, quam hîc subiicit, *Quia tenebræ transeunt, & vera lux iam lucet.* Lux Christus est, qui iam mundo patefactus passim docebatur. Tenebræ, autem, Dei ignorantia est quam in Gentilismo & Iudaismo omnes passim sectati fuerant. Hæc ignorantia iam præterit,hoc est,in dies magis magisque aboletur, & lux vera, hoc est, Christus qui lux venit in mūdum, iam passim lucet in piorum cordibus. Hoc inquam præceptum nouum est, quia fidei est. Deinde suprà in tota vitæ innocentia ad Christum nos remisit tanquam ad verum sacrificium ἱλαςικόν, quod & ipsum nouum est mundo. Hæc est vera huius loci sententia.

Nouum mandatum.

Alij hactenus locum hunc de præcepto dilectionis acceperūt, ac correctionem addi non de alia specie,sed in eadem, alio tantùm respectu distingui. Sic quidem vetus est præceptum dilectionis, quia à Mose præceptum quoque est, Leuit.19. Exod. 20. Vnde Christus repetiit Matth.22. & Paulus Rom. 13. v. 8. Deinde quia impressum sit naturæ. Quod enim tibi fieri nolis, alteri non feceris. Hinc inter principia iuris est, neminem lædere, ius suum cuique relinquere. Idem autem præceptum dicitur nouum, quia à nouo Præceptore Christo sit aliter explicatum quàm hactenus fecerint Iudæi. Vide Matt.5. & 6. Nam Christus ad hostes amandos spectare etiam dicit. Deinde quia nouo Spiritu compleatur, nam pij aliter hoc mandatum complent: quàm non renati. Sed non satisfacit huic loco illa explicatio. Priorem igitur vt verissimam sequor.

Alia sententia.

Vers. 9. *Qui dicit in luce.*

Quartum membrum huius loci, in quo ponit aliam notam filiorum Dei,amare scilicet fratrem: contrà simulatorum nota est, odisse cōfratres. Initio obserua noua phrasi notari communem professionem ἐν τῷ φωτὶ εἶναι. Hoc dicunt promiscuè omnes Christiani. Gloriantur hac confessione, se in Christo esse, per quem habeant veram Dei cognitionem,& sint in fœdere Dei, consortes beneficiorum eius,&c.

Deinde obserua notam discrepantem ab hac professione, odisse scilicet fratrem: ac frater sit Christianus eiusdem professionis: deinde alius etiam qui tua opera opus habeat. Is in tenebris manet etiam sub Christianismo, quod Apostolus dicit, ἕως ἄρτι, quasi dicat, Non iuuat illum professio Christiana, est adhuc in tenebris. acsi non esset baptizatus, non minùs versatur in Dei ignorantia, quàm Ethnicus & Iudæus qui Christum non agnoscit.

Vers.10. *Qui diligit fratrem.*

Contraria proprietas fidelium. Qui fratrem diligit, in luce manet, quasi dicat, Hic verus est Christianus qui seriò diligit confratres. Deinde in hoc quoque non est scandalum, h. c. res nocens proximo vel exemplo vel facto aut dicto. Vide locū de scādalo.

Verſ. 11. Iterum repetit contrariam proprietatem, qua impij notantur, *In tenebris ambulat*, hoc eſt, in craſſa Dei ignorantia. Ratio eſt quia σκοτία, hoc eſt, Satan, qui Dei luci oppoſitus eſt, oculos eius excæcauit. Dementat enim Chriſtianos male viuentes, ſuis argutiis.

Verſ. 12. *Scribo vobis filioli.*

Quintum membrum, in quo doctrinam hanc omnibus ætatibus applicat. Nam oſtendere voluit hâc doctrinam de proprietatibus filiorum Dei, omnibus ętatibus vtilem eſſe: imò in hac omnes eſſe exercendos. Diſcant igitur hinc pueri, iuuenes, viri, ſenes, an veri ſint filij Dei. Nos conſideremus hîc ipſos gradus ætatis vitæ noſtræ: deinde quid ſingulis ætatis gradibus tribuat, & tertiò eandem rem hîc repetit.

Gradus vitæ 4. Gradus ſunt quatuor. Τεκνία, πατέρες νεανίσκοι, & παιδία. In quibus vocibus quanuis non anxiè ſeruet proprietatem, non tamen malè quatuor ætatibus applicantur.

Primus gradus eſt pueritiæ, cui annumeramus etiam infantiam. Durat pueritia ad annum decimum quintum, vt placet medicis: in hac ſeptem primi anni, infantiæ tribuuntur. Huc fortaſſe fecerit vox παιδία, quam vltimo loco poſuit.

Alter gradus eſt adoleſcentiæ, cui tribuitur pubertas ad annum vigeſimum quintum. In eo valet ingenium & induſtria. Tertius, iuuentutis & virilis ætatis ad annum vſque trigeſimum quintum. In hac ætate robur viget, ἡ ἀκμὴ τοῦ σώματος.

Quartus eſt ſenectutis ad finem vitę. Sunt tamen in ſenio differentiæ. Alij enim ſenes ſunt habiles ad res gerendas, πρεσβύται hinc dicti, quia legationibus adhibentur, alij iam re & nomine γέροντες, hoc eſt, ſilicernia, τὴν γῆν ὁρῶντες. Alij etiam bis iam pueri facti, qui σέμπελοι Græcis dicuntur, quaſi ablegandi iam ad defunctos. Hos gradus vitæ humanæ prudenter applicant philoſophi quatuor anni temporibus, & quatuor humoribus, quatuor quoque elementis, De quo alibi quoq; à nobis eſt dictũ. Hos gradus omnes alloquitur Ioannes: primùm τεκνίων nomine. Nam vt doctor ſenex omnes fideles filiolos vocat: deinde ſpeciatim parẽtes alloquitur, & iuuenes, deniq; pueros. Ac τεκνίοις tribuit remiſſionem peccatorum, quia hæc ætas in primis peccatis eſt ſubiecta, petulanter & libidinosè multa agunt. Ideo de remiſſione peccatorum admonendi ſunt, & remittendi ad Chriſtum mediatorem. Senibus verò tribuit prudentiam, quia hęc ætas in primis ob experientiam ornatur ſapientia. Ac *illum à principio*, Chriſtum Deum accipio, per quem filioli habent remiſſionem. Obſerua autem deſcribi non quales ſunt, ſed quales eſſe debent. Adoleſcentibus autem victoriam, quia robur ætatis in his ſeſe exerit. Ac πονηρὸν accipio, Satanam, vt in oratione Dominica. Pueris ſcientiam, ſenibus ferè æquando.

Verſ. 14. *Scripſi vobis.*

Mutato tempore, repetit priora. Placet hoc loco magis Syrorum diſtinctio, qui terna conſtituunt membra in ſuperioribus: & hîc iterum tria. Nam verſum ſuperiorem dirimunt, ac particulam vltimam ſic legunt, ſcripſi vobis pueruli, quia nouiſtis Patrem. His iam hæc cohærent, *Scripſi vobis Patres, ſcripſi vobis adoleſcentes.*

Verſ. 15. *Ne diligatis mundum.*

Sextò nouam proprietatatem filiorum Dei profert, odiſſe mundum. Πρόθεσις eſt, mundus & quicquid in eo eſt, piis non eſt amandum. Mundus accipiatur pro immundo mundo, & quæ in eo ſunt, omnia quæ nos ad peccandum ſollicitant quæcunque tandem ſint. Rationes ſunt: primùm à diſparatis, quia nõ poteſt ſimul amari Deus & mundus. Matth. 6. ver. 24. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Secundò à partibus mundi integralibus, quæ ſunt concupiſcentia carnis, voluptas venerea, concupiſcentia oculorum, deſiderium opum, & faſtus vitæ, hoc eſt, honoris & dominandi ſtudium: quæ omnia ortum ex mundo habent non ex Deo. Tertiò à momentaneo mundi tranſitu, quo incertitudo monſtratur, & fragilitas rerum mundanarum. Alludit autem ad fabulas, in quibus perpetuus eſt actus. παράγεται motum ſignificat. Ideo res humanæ non habent σύστασιν aut στάσιν, ſed παραγωγήν. Tranſitio eſt mera, *ein furzug.* Contra pij habent μονὴν, & ipſi dicuntur μένειν durare & manere: ideo voluntatis diuinæ debemus eſſe ſtudioſi.

Verſ. 18. *Pueruli vltima hora eſt.*

Secunda pars eſt primaria huius capitis de Antichriſto eiúſque doctoribus cauẽdis. Deſcribit autem ſtatum mundi in vltimis temporibus, qualia prædicta ſunt à Domino Chriſto Matt. 24. & ab Apoſtolo 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. 2. Theſſ. 2. & 2. Pet. 3. Quibus præſens

præsens Ioannis doctrina affinis est, in eo saltem differens quòd hîc nominatim Antichristi seminarium iam tum à temporibus Apostolorum sparsum esse dicit in Ecclesia Christi.

Primùm igitur admonet de tempore Antichristi, quando scilicet expectandus sit. 1.Quãdo
Vocat hoc tempus horam, q.d.præsens esse & per breue momentum. Ideo vigilantes esse conuenit. Deinde doctrinam de Antichristo venturo non esse suam, sed pridem traditam à Christo. Tertiò, multos esse, quod ministros scilicet attinet: talis erat Mat. 24
Cerinthus,Ebion,Simon,Menander,& similes. Et quia seminaria falsæ doctrinæ iam 24.
posita sunt,ex eo colligi debet, tempus esse vltimum, hoc est, totum hoc quod fluit à nato Christo,vsque ad eiusdem reditum ad iudicium.

Vers.19. *Ex nobis.*

Secundo loco docet vnde oriundus sit. Qua in re mirificè delirat mundus. Plurimi 2. Vnde.
fingunt oriturũ in Babylone ex tribu Dan, & Hierosolymis positurum regni sui thronum,pios persecuturum, signis euidentibus,tormentis,doctrina erronea,& tentatione diuitiarum.Cõtra quem pro veritate Deus sit daturus testes tres, Enochum, Eliam, & Ioannem Baptistam. Has nugas hîc confutat Ioannes. Docet enim Antichristum ex ipso sinu Ecclesiæ proditurum.Quod enim de eius organis hîc docet,de capite quoque verum est. *Ex nobis egreßi sunt*, inquit, hoc est,Christiani sunt nominis, quales tum erant Cerinthus,Ebion, & alij. Tales sunt hodie Pontificij:olim Arrius,Macedonius, & similia monstra. Admonemur non statim esse Christianos qui titulum hunc gerunt, non filios Dei, qui esse dicuntur. Latent sub his speciosis titulis tetra monstra. Vnde Christus dicit, Non omnes qui mihi dicunt, Domine Domine, intrabunt in regnum Mat.7.
cælorum.

Vers.20. *Et vos vnctionem.*

Tertio loco pios consolatur, certo remedio monstrato, quasi dicat, Ne hoc turbet 3.Remedium.
vos,attendite saltem donis vestris, quæ habetis à Spiritu S. Habetis χρίσμα à sancto, h.e.à Spiritu S. vncti estis. Est is character verus, & verè indelebilis, quem filiis Dei imprimit Spiritus sanctus.Is est donum regenerationis, veritatis agnitio, & in hac veritate constantia. Χρίσμα à Christo nomen habet, qui vnctus est Rex & sacerdos.Vnxit illum Pater qui est ὁ χρίζων, Filius autem vt Pontifex & Rex est ὁ χριστὸς, & Spiritus sanctus est χρίσμα cum omnibus suis donis: inter quæ est, nouisse omnia, scilicet ad salutem necessaria. Sic enim accipi debet particula πάντα: atque illud est verè προφυλακτικὸν remedium.

Vers.21. *Non scripsi vobis.*

Præoccupatio est excusans scribendi diligentiam. Tribuerat enim illis omnium rerum scientiam. Dici igitur poterat: cur igitur tanta cura nos admones, cùm sciamus omnia ad salutem necessaria?Respondet ideo scribi,vt quia sciunt omnia,ne ab his deficiant,q.d. Notitiam vobis concedo,sed de constantia vestra sum sollicitus. Mendacium ex veritate non est, h.e. nulla ei communio est cum illa. Veritas veritatem generat non mendacium: quæ certitudo veritatis etiam naturæ est impressa, vt ex vero non nisi verum concludatur.Contrà ex mendacio,h. e. ex falso non solùm falsum efficitur, sed etiam verum interdum.Ideo falsum est quasi scopæ quædam dissolutæ.

Vers.22. *Quis est mendax.*

Quarto loco quosdam errores Antichristi prodit, qualis est, Iesum negare Christum 4. Errores.
esse, hoc est salutarem negare, quod facit Antichristus dum profitetur nõ plenarium esse Christi sacrificium, sed in dies repetendum, & eidem alia addenda, alios etiam mediatores, alia opera satisfactoria huic esse coniungenda. Hoc pacto negatur Iesus, Christus esse. Cõsequitur ad hunc errorem alius nocentior, negare Patrem. Nam qui Filium negat, is negat simul Patrem, quia indiuisa esse debet professio articulorum,& tota copulatiua,ideo cum Filio amittitur& læditur professio Patris.

Vers.24. *Vos igitur quod audiuistis.*

Quinto loco hortatur ad constantiam in agnita veritate quam audiuerunt ab initio,ἀπ' ἀρχῆς, scilicet cõuersionis ipsorum, prædicati ipsis Euangelij. In hoc manete, q.d. In simplici veritatis cognitione constantes estote. Addit argumentum ab vtili. Sic fiet vt in Filio & Patre maneatis, quo nihil est piis augustius. Deinde hîc etiam illud consequetur, vt vitam æternam obtineatis, quæ promissa est piis si constantes permanserint.

Verſ.26. *Hæc ſcripſi.*

Concludit locum de Antichriſto, quem vocat πλάνον, erronem & ſeductorem, eiúſque organa quæ omnibus ſeculis turbant Eccleſiam Chriſti, πλάνοντες, tum quia ipſi errant in doctrina & moribus, tum quia alios etiam in errores trahūt, & mores corrumpunt ſua conuerſatione, adeo vt leuiùs homines æſtiment de peccato, quàm per ſe iudicandum ſit.

Verſ.27. *Et vos vnctionem.*

Repetitum remedium. Sexto loco redit ad remedium & exhortationem. Senſus eſt, Oportere in ſemel agnita veritate quàm conſtantiſſimos eſſe. Vnctionem accipiunt pij à Chriſto, qui alium Paracletum à Patre illis miſit, hoc eſt, Spiritum ſanctū. Deinde hoc χρίσμα in eis manere debet, h.e. in ſimplici veritatis agnitione perdurare. Hinc efficitur tertium, vt non ſit opus quòd quiſquam eos doceat. Prohibet curioſitatem in noua dogmata, q.d. In his perſiſtite, nolite noua dogmata admittere. Curioſitas prohibetur, vt quòd ſimplex veritas ſufficiat ad ſalutem.

Verſ.28. *Et nunc filioli.*

Illatio exhortatione repetita, & addit notum argumentum ab vtili: ſic fiet, ſi in recepta veritate permanſeritis, vt in aduentu Chriſti, fiduciam retineatis ſine pudore. παῤῥησία eſt libera conſcientia, & teſtimonium quòd ſis verè filius Dei, intrepida cōſcientia. Videtur reſpexiſſe ad damnandorum trepidationes ac voces dicentium Luc. 23. montibus, Cadite ſuper nos, tegite nos. Hęc confuſio faciei & trepidatio conſcientiæ aberit à piis.

Verſ.29. *Si ſcitis quòd.*

A iuſtitia iudicis hortatur ad conſtantiam. Argumentum eſt à coniugatis. Iuſtus eſt Chriſtus iudex: ergo iuſtitiæ ſtudioſi ei ſolùm placebunt, quaſi dicat, Deus eſt iuſtus: ergo iuſti erunt eius filij. Faciens iuſtitiam dicitur ſtudioſus bonorum operum & vitæ innocentiæ, quales dixit priùs eſſe qui ad exemplum Chriſti quàm innocentiſſimè vixerint.

CAPVT III.

Ὑπόθεσις.



Varta pars eſt præſentis epiſtolæ, in qua redit ad deſcribendos veros Dei filios. Nam ab eo loco, ad deſcribendos Antichriſti doctores eſt digreſſus, quem locum concluſit conſolatione graui, quòd ſcilicet contra illa mala haberent χρίσμα Spiritus ſancti certiſſimum remedium. Iam igitur ad pios ſeriò agentes redit. Ac initio extollit ipſam dignitatem filiorum Dei, vt perpenſa eius maieſtate, ad officium præſtandum fiant diligentiores. Deinde notas iterum recenſet, ex quibus dignoſci poſſint veri à falſis. Tertiò de dilectione copioſiùs agit, quando inter notas fuerat repoſita, & in hac bona pars conſiſtat vitæ Chriſtianæ. Demum notas perſequitur, inter quas fides quoque Chriſto ſolidè innitens reponitur.

Verſ.1. *Videte quantam.*

Ioan.15.13. Locus eſt de dignitate filiorum Dei. Quia enim promiſcuè omnes dici & haberi volumus filij Dei: ideo admonet quanta in hac re ſit dignitas. Primùm ampliſſimi eſt amoris argumentum. Nemo enim maiorem habet dilectionē quàm qui animam ſuam dat pro amicis ſuis. Deus autem filium ſuum dedit. Ioann.3. verſ.16 ex quo cognoſcimus exuperantiam amoris: & infr. cap.4. affirmat Ioan. Deum nos dilexiſſe priorem Ideo nullo noſtro merito contigit vt nos diligeret, vt Ioan.17. verſ.23. affirmat Chriſtus ſuos à Deo Patre dilectos non minùs quàm ipſemet Filius Dei. Magna igitur dilectio eſt. Ex quo efficitur argumentum illud propoſitioni inſeruiens: Maximus amor requirit in nobis maximam gratitudinem: ſed in eo eſt ſummus amor: ergo in nobis ſumma gratitudo requiritur, quam innocentia vitæ in primis declaremus. Huic igitur incumbendum eſt præcipuè.

Deinde quòd vocamur filij Dei, ex hoc colligi vult amplitudinem amoris diuini. Filij Dei vocamur, Ioan.1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomē eius. Hæc poteſtas nobis data eſt ex Dei ſingulari quadam φιλανθρωπία. Hinc ad Gal. 3. Apoſtolus ait nos iam eſſe filios Dei: qui autem illi ſint, explicatur ad Rom.8. ſcilicet qui ducuntur Spiritu Dei. Non igitur tenue eſt, dici filium Dei, h.e. profiteri Chriſtianiſmum, Chriſti velle diſcipulum eſſe.

Tertiò

Tertiò occurrit quæstioni. Cùm enim filij Dei dicimur, & horum ſit ampliſſima dignitas, qui fit quòd in mundo non agnoſcatur? Videmus enim pios in mundo contemptos, omnium probris eſſe obiectos. Reſpondet Ioannes, hoc fluere ex ſuperiori quadam ignorantia, quia Deum Patrem ignoret. Sic Ioan. 16. excommunicandos dicit, ſubnectens cauſam, quia ignorant Patrem. & Ioan. 15. Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui miſit me. & cap. 17. Pater iuſte, mundus te non nouit. Ex hac ignorantia Dei, fluxit odium mundi contra pios, quorum dignitatem ignorant. Hinc damnata omnis ſapientia humana, quandoquidem in rebus diuinis admodum cæca eſt.

Verſ. 2. *Dilecti iam filij Dei ſumus.*

Pergit in diluenda obiectione. Initio affirmat iudicium mundi nihil derogare filiorum Dei dignitati. Ideo dicit, nos iam eſſe Dei filios, contrà quàm ſentit mundus, q. d. Initia maieſtatis noſtræ in hac vita obtinemus. Id quomodo verum ſit, filij Dei norunt, qui intra ſe Spiritum Dei ſentiunt clamantem cum ipſorum ſpiritu, Abba, Pater, quíque illos inſtruit de vera Dei inuocatione, de vitę moribus & aliis quę mundus ſuauiter ridet. Deinde per conceſſionem iterum dat dignitatem hanc nondum patefactam, quia conſeruatur ad vitam futuram. Rom. 8. verſ. 18. Hæc gloria futura nos alacres debet reddere ad vitæ integritatem. Tertiò illuſtrat hanc gloriam à coniunctis, quia Chriſto ſimiles futuri ſumus: quę ſimilitudo primùm pertinet ad corporum noſtrorum dignitatem. Deponit enim omne peccatum poſt reſurrectionem, vt Chriſti corpus in ſolidum caret omni peccato. Deinde duratione illi ſimiles erimus, quia mors non ampliùs nos infeſtabit: tertiò agilitate & motu, cùm grauedo hæc & moles ad motum admodum tarda commutanda ſit, ſumma agilitate ac facilitate mouendi ſe de loco ad locum.

Pertinet deinde ſimilitudo iſta ad mentis perfectionem, in qua Dei imago ad plenum reſtituetur. Lucebit in nobis illa vera Dei cognitio, cuius vmbras quaſdam iam tenemus: deinde verus amor veri, vera dilectio Eccleſię ſanctorum, odium vitiorum, amor virtutũ: in his Filio Dei ſimiles erimus. Adde quòd de facie ad faciem ſimus Trinitatem contemplaturi: ideo inquit, viſuros nos ipſum quemadmodum eſt. Iam per ænigma videmus & ſpeculum. 1. Cor. 13. v. 12. q. d. ſed tum perfectior erit contemplatio. Interim in hac ſimilitudine, non obſcura erit diſſimilitudo. Quanuis enim corpora futura ſint glorificata, vt & ad Phil. 3. v. 21. dicit σύμμορφα ſuo corpori futura, tamen nemo negat quin Chriſtus homo ſua maieſtate excellat omnem ſanctorum gloriam. Nam & ipſi ſancti differentem habebunt gloriam. 1. Corinth. 15. 41. Multò ergo magis Chriſtus ipſe caput ſuæ Eccleſiæ.

Verſ. 3. *Et omnis qui habet.*

Duo hactenus expoſita ſunt. Primò quæ ſit dignitas filiorũ Dei: deinde ſatisfactum eſt quæſtioni cur in hac vita nihil tale in eis cõpareat. Iam tertio loco redit ad proprietates illorum, quas commodè ex ſuperioribus elicit.

Prima igitur eſt, ſpem fixã de vita æterna conſequenda in vno Chriſto habere. Nam ἐπ' αὐτῷ ad Chriſtum refero, cui dixerat nos fore ſimiles in illa maieſtate poſt hanc vitã. Ad Chriſtum igitur Mediatorem alligat ſpem in hac vita: nam illa continenter retinet veras de Chriſto ſententias, & expectatione non excidit. Excludit illa nota ſpem quę fiduciam transfert à Chriſto ad alia media.

Altera nota eſt, ſeipſum purgare ad exemplum Chriſti, h. e. per veram pœnitentiam ſeriò emendare mores, & deinceps ſeipſum caſtum conſeruare contra peccata contumaciæ. Αγνότης illa tum ad corpus reſpicit, tum ad mẽtes. Corpus libidinibus non debet contaminari, & mens prauis opinionibus non eſt inficienda.

Verſ. 4. *Omnis qui facit peccatum.*

Duas proprietates poſitas iam illuſtrat à contrario. Contrarium eſt puritati peccatum. Leuia autem peccata etiam prohibet, quia ἁμαρτία vtvt ſit interdũ leuis caſus ac lapſus, tamen, inquit, eſt ἀνομία, h. e. generis naturam nõ amittit: à genere igitur ad ſpeciem fluit naturę prauitas. Omnis ἀνομία eſt prohibita, Deóque diſplicet, ergo etiam ἁμαρτία Deo diſplicet, licet ſit tenuis lapſus, nedem ſi ſit πονηρία, h. e. affectata malitia. Obſeruetur hîc definitio peccati. ἁμαρτία eſt ἀνομία. Sic Plato, δίκαιος eſt νόμιμος, & τὸ δίκαιον eſt τὸ νόμιμον. Sic cõtrà priuãtia rectè deſcribuntur per ςέρησιν ἁμαρτία eſt ἀνομία, quia omne peccatum legi Dei repugnat.

Verſ. 5. *Et ſcitis quòd.*

Tertia proprietas eſt, Chriſtum agnoſcere vnicum contrà peccatum remedium:

Hoc, inquit, *scitis*. Ideo constans est filiorum Dei proprietas, non alium agnoscere satisfactorem, aut mediatorem, propitiatorémve. Apparuit autem per incarnationem factus homo. Hinc Ioan. Bapt. vocat agnum Dei tollentem peccata mundi. Id autem vt possit, peccatum inquit, in ore eius non fuit repertum. Ideo intrepidè dicit, Quis arguet me de peccato? & Ioannes hic affirmat, *Et peccatum in illo est*. Habes puram hostiam pro peccatis & verum Pontificem qui semel offerendo eluit omnia tua peccata, vt non sit opus ad alios confugere.

Ioan. 1.
Esa. 53.
Ioan. 8.

Vers. 6. *Omnis qui in ipso manet.*

Quarta proprietas. Non peccare. Qui autem profitetur se in ipso manere, debet curare etiam vt non peccet. Contrà qui peccat, sciat se Christum nec nouisse, nec illum vidisse. Porrò non peccare filios Dei accipimus de contumacia, q.d. illos non contumaciter contra conscientiam, & impœnitenter peccare. Nam sup. cap. 1. eis tribuit, libéter fateri peccata sua, hoc est, infirmitatem virium & carnis agnoscere, & simul fateri lapsus suos. Interim non peccant pertinaciter & contumaciter, quod hic illis tribuit. In diuerso igitur gradu vtrumq; verum est. Porrò simulatorum est proprium peccare contumaciter: ideo illi Christum non nouerunt, vtvt de illo glorientur, imò nec viderunt: quod videtur addi contra eos qui Christum in carne viderant, quorum aliqui adhuc fortè superstites erant, & de hoc magnificè gloriabantur: sed inanes has esse ampullas dicit, si desit vita & mores professioni respondentes. Hęc mihi videtur vera huius loci sententia. Alij alia sequuntur.

Vers. 7. *Filioli ne quis seducat vos.*

Quinta nota, iustitiam habere in vita relucentem. Hoc dicit à coniugatis, Qui facit iustitiam iustus est. Nam dici requirit inesse vt affirmant dialectici. Vis dici iustus? oportet vt tibi insit iustitia: inerit autem, si factis exprimas. Commendat ista nota studium bonorum operum. Addit huic argumento iterum exemplum Christi, quemadmodum ipse iustus est, h. e. ad exemplum Christi debet quàm studiosissimus esse innocétiæ. Huic doctrinæ contraria doctrina simul hic damnatur, quod ex eo constat quod præfando dicit, ne quis seducat vos: quasi dicat, contrarium qui docent, seductores sunt. Videant ergo quales sint, qui sic bona opera à fide separant, vt nullam inter hæc connexionem admittant. Veram sciamus doctrinam de fide & operibus, quæ illa duo connectit indiuulsa secundum præsentem regulam, Qui iustitiam facit, is iustus est.

Vers. 8. *Qui facit peccatum.*

Cótrarij est declaratio. Facere peccatum, quæ nota est filiorum simulatorum. Hi, inquit, filij Diaboli sunt, vtvt de Deo glorientur. Ex Diabolo est, corruptione & prauitate. Is à principio sui lapsus peccat, hoc est, ab eo semper peccat, nec aliud nouit post auersionem à Deo sibi propositam. Sic Christus loquitur, Ioan. 8. Vos ex patre Diabolo estis, is ab initio homicida est & in veritate non stetit. Hoc loco genus illi tribuitur, quòd nil nisi peccare nouerit: Christus species duas peccati ad illum transfert, homicidium & mendacium. Huic malo opponit Apostolus Christi meritum, vt priùs vers. 5. In hoc apparuit, hoc est, per assumptam humanam naturam, Filius Dei apparuit incarnatus, eo fine vt solueret opera Diaboli. Officium Christi magnificum est, delere opera Diaboli. Sunt illa, primùm ipsum peccatum, cuius fecit authorem Diabolum: hoc dissoluit, hoc est, irritum facit, vt nos damnare nó possit: deinde mortem, vt nos abligurire nequeat: præterea idololatriam, & ignorantiam veri Dei, qualis in primis regnauit in toto mundo ante Christi aduentum in carnem. Vnde passim Diabolus responsa dedit, quasi verus Deus, & pro vero passim adoratus est in idolis. Hæc opera dissipauit Christus natus in hunc mundum. Pertinet huc memorabilis illa quæstio, quæ philosophos etiam celebres fatigauit, & à Plutarcho malè tractatur in libro περὶ τῶν χρηστηρίων ἐκλελοιπότων, quî fiat quòd oracula desierint.

Vers. 9. *Omnis qui natus est ex Deo.*

Redit ad quartam & quintam notam, quas à veris causis efficientibus illustrat. Qui natus est ex Deo, is non peccat, scilicet eo gradu quem priùs indicauimus, contumaciter ac pertinaciter, quia ex Deo natus est. Nam omnis causa prodit effectus sibi similes. Ij ex Deo sunt, igitur in hoc illi sunt similes, quòd odio habeant peccatú: deinde quia semen Dei in se retinent. Semen Dei accipio ardorem pietatis, quem habent ex Spiritu S. post regenerationem. Hic ardor impellit eos ad honestas & pias actiones, vt non

non possit peccare aliqua contumacia, quia ex Deo natus est. Manet in eis interim infirmitas, vt peccent, sed nulla in eo peccato est pertinacia.

Vers. 10. *In hoc manifesti sunt.*

Concludit superiores proprietates, ostendens in religione Christiana contrarios latere filios, Dei, & Diaboli: qui quomodo discernendi sint, doctrina præsens indicat. Deinde repetit primariam notam, quæ respicit vitæ innocentiam, & studium bonorũ operum. Qui iustitiam vita non exprimit, ex Deo non est, h.e. qui non philosophatur Christum vita & moribus, frustra gloriatur de Deo. Demum addit nouam proprietatem quæ est ordine sexta, & in hanc deinceps copiosiùs digreditur. Illa est, amare fratrem suum, hoc est, eiusdem religionis consortem: odisse, filiorum Diaboli est proprium. Ideo filiorum Dei est, fratrem suum amare.

Vers. 11. *Quia hoc est præceptum.*

Hactenus tria ferè sunt exposita. Dignitas filiorum Dei: deinde obiectioni responsum est, de ignominia in hac vita. Tertiò additæ sunt quædã proprietates. Nũc quarto loco sequitur dilectionis mutuæ commendatio admodum illustris: de qua nobis iam est agendum. Constituatur igitur hîc propositio, ad quam tanquam scopum consequentia referantur argumenta.

Veri Dei filij in primis fraternam dilectionem reipsa conabuntur exprimere. Huic iam subiice ex Apostoli verbis κατασκευὴν, quæ ista continet argumenta. Primùm ex superioribus verbis propositionis, quia qui non diligit fratrem, is non est ex Deo. Vis est à contrariis. Nam & dilectio sequitur eos qui ex Deo sunt. Sic contrà odium fratrum sequitur eos qui ex Satana sunt. Idem est ex Deo non esse, & esse ex Diabolo. Πρόθε-σις.

Altera ratio est, quia Christus hanc nobis præcepit Filij autem Dei nihil impensiùs curant, quàm vt Dei præcepta compleant quoad fieri potest. Præceptum autem est apud Ioannem c.13. vers. 34. & 15. ver. 12. Ἀγγελία hîc est doctrina aliquid præcipiens. Ideo infra vocat ἐντολὴν, & suprà doctrinam dilectionis ἐντολὴν dixit: ideo hîc ἀγγελίαν per ἐντολὴν explico. Hoc mandatum discimus ex Christi Spiritu. Ideo Apostolus Paulus 1. Thess. 4. v. 9. θεοδιδάκτους vocat, quòd sponte viderentur pro Christi amore in hanc virtutem faciles.

Tertia à contrario exemplo, quia Cain odio fratris etiam incidit in homicidium. Igitur odium diligenter est cauendum, & sequenda dilectio. Addit odij causas irritantes, studiorum scilicet differentiam, quasi dicat, differentibus studiis fuerunt dediti: Abel simplex homo, iustitiæ fuit deditus. Contra Cain homo astutus & callidus animo suo impia cogitabat consilia. Hinc tandem fluxit externa discordia, ex qua contentio: hinc congressus, & cædes miseranda. Genes. 4.

Quarta ex superiori tertia efficitur tanquam porisma. Nam ex vno particulari exemplo constituit generalem regulam, quæ semper durauit hactenus, durabitque vsque ad finem mundi. Cain homo malus fratrem pium odio habuit: ergo in genere valet, Mali bonos odio habebunt. Hoc infert, Igitur nolite mirari si vos quoque mundus odio habeat. Sup. vers. 1. mundus non ignorat, sed iam ignorantiam pleniùs exprimit, quòd sit coniuncta cum Vatiniano quodam piorum odio. Mundus igitur fecem malorum complectitur, inter quos Coriphæus est Cain. Hinc effice iam argumentum quartum: odisse pios proprium est mundi, hoc est, impiorum: ergo filij Dei id cauebunt diligenter, & diligent fratres.

Obserua hîc proprietatem aliam piorum, scilicet odio esse mundo, quæ superioribus annexa, septima erit.

Quinta ratio continetur vers. 14. Qui fratres diligunt, cognoscunt se à morte ad vitam transiuisse. Vis est argumenti à natura signi quod vocant τεκμήριον. Ideo ait, Nos scimus hoc, quasi dicat, Infallibile est signum verè renatorum. Signum à posteriori valet. Sic spirare signum est præsentis vitæ, cùm non sit vitæ causa, sed effe[illegible]us. Sic statuendum est etiam de dilectione, prodit filios Dei, cùm eosdem non faciat: [illegible]d illorum proprius est effectus. Huc pertinet dictum Christi Ioan. 5. Qui sermonem meum audit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit: audit, hoc est, facit.

Sexta ratio ibidem continetur à contrarij consequente. Vt enim vita æterna comitabitur dilectionem fraternam: sic contrà odium fratris comitabitur mors æterna. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Vis est in argumento à metu pœnarum.

Septima sumitur ex vers. 15. à contrarij effectu quod est homicidium: odium fratres

efficit homicidas : ergo diligenter cauendum est odium, & amplectanda fraterna dilectio. Homicidas autem efficit ex sententia D. Christi Matt. 5. qui reos etiam eos iudicij & gehennæ facit, qui fratri racha & fatue, dixerint.

Octaua ibidem ab effecti consequentia: Homicidium effectus est odij. Nunc homicidij consequens proponit, quod est vita æterna priuari. Illud est quod dicit, Non habet in se manentem vitam æternam, hoc est, illo bono priuatur, vt Paulus inquit scortatores & ebrios non habere partem in regno Dei, Ephes.5.vers.5. Subest huic argumento metus ingens pœnæ maximæ.

Nona depromatur ex versu 16. Ducitur autem ab exemplo Christi, quod nobis est regula & idea perfectissima faciendorum, in quæstione de dilectione. Ac videtur occupatione respondere curiosis, quousque procedant dilectione, respondet ad sanguinem vsque. Probat hoc, Christi exemplo qui vitam suam pro nobis effudit. Vide Ephes.5.ver.2.& Rom.5.vers.8. Ioan. 15. vers.13.

Ex hoc argumento fluit alia piorum proprietas, mori scilicet pro fratribus hoc est, ad illorum confirmationem, in causa bona pro veritate mori. Sit hæc igitur octaua nota verorum filiorum Dei. Hoc facient in tuenda veritatis confessione ad exemplum Christi & piorum martyrum : quod hodie à multis completur per Galliam & Flandriam.

Decima ratio est in ver.17. quæ sumitur à contrariis effectis. Ponit enim casum diuitis alicuius qui Christianus haberi vult, & profitetur se amare Deum, quod est, manere dilectionem Dei in illo. Iam, inquit, expende illius effecta contrariæ veræ dilectionis. Diues est, quod est βιὸν ἔχειν, hoc est, τὰ βιοτικὰ, videt fratrem esuribundum, qualis miser Lazarus ad limen diuitis epulonis Luc. 16. vers. 19. claudit autem sua viscera, hoc est, immitis est, & immisericors. Ergo falsum est quod dicit se amare Deum : euertitur enim illa professio à pugnantibus effectis. Quòd si Dei caret amore, ergo & fratrum carebit amore, quod erat ostendendum. Vide Iacob. cap.2.vers.15. qui locus hunc illustrabit. Summa est, oportere nos actuosos esse non speculatitios, practicos in fide, & non theoreticos.

Vers.18. *Filioli mei ne diligamus.*

Conclusio est post varia argumenta effecta : ergo oportet dilectionem reipsa præstare, non verbis, quod fuit in propositione principali positum ver.10.& hactenus variis argumentis demonstratum. Ac fluit & hinc nouum argumentum à diuisione. Nam totam dilectionem in duas species dirimit: vnam quæ falsa est, ac hypocritica, ideo consistit ἐν τῷ λόγῳ καὶ γλώσσῃ. Eorum illa est qui splendidè de dilectione disserunt, vt alios liberales efficiant, illi nihil tale præstant, queadmodum Seneca splendidè disserit de paupertate ferenda, ipse interim ditissimus. Sic nostri de castitate, sobrietate, ieiunio, dilectione piorum disserunt inter cædes, pocula, &c. Altera eius species est laudata, Deóque approbata quæ consistit ἐν ἔργῳ & ἐν τῇ ἀληθείᾳ. Ad hanc igitur excitat nos. Vis argumenti est à contrariis membris diuisionis, in quibus valet regula, vera falsis semper anteponenda sunt, & opus ipsum disputationibus præstantius est.

Vers.19. *Et in hoc cognoscimus.*

Ratio est hæc 12. ab effectis ipsius rei, h.e. dilectionis. Nam suprà indicauit effectus & consequentia contrarij, hoc est, odij. Iam dilectionis effecta aliquot percenset. Primùm est quòd ex dilectione habemus certitudinis nostræ gnorisma, quòd simus ex veritate, hoc est, ex Deo, quod nihil aliud est, quàm filium Dei esse. Huius rei, inquit, τεκμήριον est dilectio. Alter fructus est, quòd dilectio pacatas reddit conscientias: contrà odium saucias efficit, ídque tum nostri respectu, tum fratrum. Nam dilectio nos reddit in multis securos ac tranquillos animo: deinde alios etiam facilè mitigat: contraria his efficit odium. Hinc efficit argumentum Ioannes à minori ad maius. Conscientię terrores magni sunt, ideóque studiosè cauendi : ergo Dei iudicium magis cauendum est, quasi dicat, Conscientiam mille testium rectè times: ergo Deum magis timendū scias. Ratio est, quia maior est corde nostro, h. e. conscientiam superat, & nouit omnia q. d. Conscientia quanuis multa accumulet, vt coaceruando peccata peccatis ad desperationem redigat, tamen multa illam latent, quæ Deum non latent.

Vers.21. *Dilecti, si cor.*

Tertius fructus est veræ dilectionis, scilicet παῤῥησίαν apud Deum quoq; conciliare, quod accipio de hilari accessu ad Deum per preces, quasi dicat, Non solùm reddit pacatam conscientiam inter homines, sed etiam apud Deum hilarem frontem, vt sine

pudore

pudore cum Deo agas inter orandum, confidenter illum inuoces tanquam Patrem, non tanquam seuerum iudicem ac tyrannum.

Atque hinc depromatur alia proprietas filiorum Dei verorum, cui addatur etiam alia ex vers. 18. quæ fit ordine nona, scilicet non verbis solùm sed reipsa declarare fratribus egentibus dilectionem. Decima autem hinc est depromenda, boni & excusante vti conscientia in rebus omnibus, pacata conscientia versari cum Deo & hominibus.

Vers. 22. *Et quicquid petieremus.*

Quartus fructus est verę dilectionis, quia facit nos etiam confidentiores ad orandũ, confirmat in nobis certitudinem de exauditione: minimè enim hæsitat. Sed latet hîc etiam argumentum ad propositionem mirificè subseruiens, à spe exaudiendi. Nititur argumentũ pari, quasi dicat, Si vis exaudiri à Deo in tuis deprecationibus, esto facilis etiam in audiendis fratribus egentibus, qui ad te clamant. Quò facit quod hîc affirmatiuè ait, *Accipiemus* postulata, quia facimus eius mandata: hoc est, facientes mandata Dei de dilecti one, illi faciliùs exaudiuntur à Deo. Contrà igitur non exaudiuntur, qui inopes clamantes hîc non exaudiunt.

Addatur ex eidem verbis ratio 14. quia facimus, inquit, ἀρεστὰ in conspectu eius, hoc est, hic cultus Deo gratissimus est, qui fratribus impenditur dilectione mutua. Argumentum est, dilectio non solùm præcepta est, sed est etiam res singulariter Deo placens, ergo diligenter colenda piis.

Vers. 23. *Et hoc est mandatum eius.*

Συμπέρασμα est, seu epilogus totius præsentis disputationis de dilectione, quã more epilogi reducit ad duo primaria capita, quæ complectuntur totam religionis nostræ causam. Primùm est mandatum de fide in Christum. Respexit indubiè Ioannes ad vocem Dei Patris. Matt. 17. Luc. 9. Marc. 9. Hunc audite. ἐντολὴν hoc loco pro mandato vt propriè sonat, non pro doctrina in genere sumendum est. Sciamus igitur fidem etiam ad præcepta pertinere, serióque mandari omnibus, Hunc audite: h. e. spem omnem in illo ponite, & quicquid hic vos docuerit hoc solùm credite & facite. Ideóq; nihil in dogmata fidei admittendum, nihílque in mores vitæ, quod non sit nobis à Domino Christo præceptum. Mandatum fidei.

Alterum præceptum est de dilectione fraterna. De qua iam diximus ex sententia Ioã. Vide Ioan. 13. & 15. Confer hunc locum cum illo cap. 2. sup. Vbi mandatum nouum & vetus proposuit. Ibi diximus vetus mandatum esse præceptum dilectionis, quia à Mose mandatum est, & ipsi naturæ impressum nobis. Nouum autem mandatum esse fidei, quia aliena est res à iudicio carnis, & doctrina hæc ex sinu Dei Patris profertur ab ipso Dei Filio. Hinc Apost. Euangelium potentiam Dei vocat, quam sententiam ex hoc loco Ioannis confirmamus. Mandatum dilectionis.

Vers. 24. *Et qui seruat.*

Addit nouam promissionem duobus illis mandatis, quæ habet argumentum iterum exhortatorium: ac simul addit iterum γνώρισμα certum rei. De quo etiam infrà c. 4. &c.

CAPVT IIII.



Repetit hoc capite duos primarios locos, quos in superioribus tractauit. Primus est de cauendis falsis doctoribus: secundus de stidio dilectionis retinendo. Ac primùm quidem tractat, propositione, oratione, explicatione, & consolatione, quæ ordine proponemus. Ὑπόθεσις ex partibus.

Vers. 1. *Dilecti, ne cuiuis.*

Locus est de probandis spiritibus. Confer illa cum his quæ sup. cap. 2. habuimus, & 2. Thess. 2. vers. 18.

Propositio est, Pij debent diligenter probare Spiritus, síntne ex Deo nécne. Hoc dixit, ne omni spiritui credatis. Πνεῦμα pro doctoribus posuit, ex causa impellente effectum denotans. Spiritus enim est qui ad docendum impellit. Sic 1. Corinth. 12. vbi de Spiritus sancti donis agit, tandem subiicit, Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus & 1. Thess. 5. Spiritum nolite extinguere, h. e. donum docendi ne imminuatis. Spiritui igitur credere est, doctoribus quibusuis dare locum. In qua re cùm sæpe peccetur, ait Apostolus non omnibus credendum esse. Peccant hîc homines vtrinque. Alij qui omnibus credunt, quod est simplicitatis nimiæ: alij contra nulli credunt, quod est pertinaciæ. His enim nihil satisfacit. Media via est regia, quibusdam nõ credere. Hinc Chri-

ſtus Matth. 10. ſuos vult non ſolùm ſimplices, ſed prudentes quoque vt ſerpentes. Prudentia opponitur ſeductoribus, per hanc enim mendaces illi ſpiritus deteguntur. Simplicitas autem in auditoribus excludit pertinaciam, vt veritati cedant auditores, ne fiant refractarij.

Deinde obſeruetur in propoſitione officium fidelium quod eſt δοκιμάζειν, probare Spiritus. Non credere enim per ſe, pietati non conſonum eſt, ideo probandos ait. Δοκιμάζειν eſt ad regulam veritatis examinare. Sic 1. Theſſ. 5. Omnia probare iubet, & quod bonum eſt retinere: & in miniſterio, priùs probandi ſunt, examinati deinde miniſtrãt. 1. Timoth. 3. & in vita nos ipſi à nobis probandi ſumus. 2. Cor. 13. Sic in Cœnæ actione priùs probandi ſunt à ſeipſis ſinguli priùs quàm eam ſumant 1. Cor. 11. In omni igitur pietatis negotio, neceſſaria eſt probatio: in primis verò in audiendis doctoribus Eccleſiarum neceſſaria eſt δοκιμασία, vt conſequens ratio oſtendet.

Tertiò vide quid ſit ex Deo eſſe, h.e. veritati conſonum eſſe. Nam doctrina ſuæ cauſæ efficientis naturam ſequitur. Ideo ſi ex Deo fuerit, hoc eſt à Deo authore propoſita, vtique veritati congruet. Sic Apoſtolorum doctrina paſſim habet conſenſum perpetuum veritatis, quod eſt, ex Deo eſſe.

Quia multi. Ratio eſt, quare probatio ſit neceſſaria, quia multi mendaces Prophetæ egreſſi ſunt in mundum. Primùm quia falſi quidam ſunt inter doctores, hinc conſtat neceſſariam eſſe probam. Si enim vnus & idem eſſet docentium Spiritus, nulla erat opus prudentia: at quia ſunt admixti falſi, omnes aduertunt rem non carere periculo.

Dicuntur autem falſi doctores, noui Teſtamenti miniſtri, qui profitentur doctrinam, ſed in ea errores ſpargunt inter docendum, & dicuntur ψευδεῖς propter ſimilitudinem quam habent cum veris doctoribus, quibus interdum adeò ſimiles ſunt, vt vix deprehendi diſcrimen poſſit: vt ouum ouo ſimile eſt, ita illi ſeſe veris accommodant, quæ res maiorem poſtulat & vigilantiam & prudentiam. Interim mendacij notæ ſeſe produnt vel in moribus, vel in doctrina, ſæpe etiam in vtroque. Olim mendacibus dicebantur enaſci in lingua puſtulæ, & in naribus, quæ habebantur ſigna falſitatis apud maiores, quò alluſit Theocr. Idyll. 9. ad finẽ μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς, non amplius ſumma in lingua puſtulas produces. & Idyll. 12. ἐγὼ δέ σε τὸν καλὸν αἰνῶν, ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω. Ego verò te pulcher cùm ſis, laudando, non contrahã ſupra naſum ſiccum mendacij notas. Quo loco ψεύδεα interpretantur ψυδράκια ψεύσματα, ψύσκολευκάς, h.e. *vvyſſe blaetterly*, quas Græci etiã ἰόνθους vocant, & dicunt εἶναι σημεῖον ψευδολογίας. Hæc in malis doctoribus in lingua certè deprehenduntur, hoc eſt, in doctrina & moribus, h. e. moribus illorum. Vtinam etiam lingua & naſus eis proferret etiam illa ἀναβλαστήματα falſitatis & mendaciorum notas.

Præterea probationis neceſſitas etiam hinc colligi poteſt, quòd multi ſint: multitudo enim falſorum doctorum periculoſa eſt: item quia egreſſi ſunt: intelliguntur enim iam in actu eſſe: & egreſſi ſunt, hoc eſt, Deo non vocante, nec mittente. Hinc lupi dicuntur à Chriſto, fures, latrones. Sponte igitur currunt ſine vocatione. Egreſſi autem ſunt in mundum, hoc eſt, in cœtum mixtum malis & bonis. Nam ſi inter malos ſaltem docerent, bonis non eſſent damno: at promiſcuè docent in mundo, hoc eſt, eos cœtus qui Chriſti nomen profitentur, in quibus mali multi commixti ſunt. His rationibus ſummè neceſſaria demonſtratur eſſe probatio.

Ioan. 10.

Verſ. 2. *In hoc cognoſcite.*

Sequitur ἐπίδειξις, qua proponit regulam probandorum ſpirituum, atque ea ſumitur ex illorum doctrina. Qui fatetur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem, ex Deo eſt, hoc eſt, qui incarnationem Filij Dei agnoſcit, humanitatem veram, in quam iam venerit Filius Dei, & ob id fateatur neceſſe eſt diuinitatem quæ veniſſe dicitur in carnem, hoc eſt, verè aſſumpſiſſe hominem. Peccant igitur hîc primùm Iudæi, qui Chriſtum nondum natum eſſe contendunt, & cum illis deprehendũtur omnes errare qui Chriſti humanitatem carpunt. Deinde erroris hîc conuincuntur Arriani qui diuinitatem eius vellicant. Quomodo enim veniſſet in carnem, ſi priùs non fuiſſet? Deniq; illi omnes qui ea quę Chriſtus in carne docuit non vera agnoſcunt, vt iuſtificationem, ſatisfactionem, redemptionem, &c.

Verſ. 3. *Et omnis ſpiritus.*

Ἀντιστρέφον eſt, quo accõmodat regulam ſuis temporibus. Nam tum in primis negabatur Chriſti humanitas, à Iudæis palam & quibuſdam malis Chriſtianis, tanquam

phantasma solùm suscepisset Filius Dei, non verum corpus humanum.

Et hic est Spiritus Antichristi. Accommodatio ad causam impellentem. Ostendit enim quo impulsore illi doctores acti procedant ad docendum. Antichristo scilicet impellēte. Obserua igitur omnes errores hinc ab Apostolorum temporibus, nihil aliud esse, quàm seminarium Antichristi, atque hanc sementem nimium esse fertilem.

Vers.4. *Vox ex Deo.*

Per consolationem iam addit remedium contra hanc multitudinem spirituum falsorum. Triplex autem hîc est consolatio. Primùm quòd pij ex Deo sint, nec possint illis nocere isti impostores. Ex Deo esse, est verè esse renatum, seriò Christo inniti: deinde quòd iam vicerint illos, h.e. mūdum & impostores. Significat illos prudentia illa pollere diiudicandi mēdacij à veris doctoribus. Tertiò quòd potētior causa in sanctis agat quàm in seductoribus, h.e. Deus qui habitat in electis potentior est, quàm sit Satan qui operatur in filiis diffidentiæ.

Vers.5. *Ipsi è mundo sunt.*

Ἀντιστρέφον iterum infert, vt ostēdat causam, propter quam in mundo mēdaces isti applausum consequantur. Ratio est, quia ex mundo sunt, ideo mundus, vt sui similibus delectatur his Vide Ioan.15.v.19.

Vers.6. *Nos ex Deo sumus.*

Causam ostendit quare boni ministri non ab omnibus recipiātur. Diuersitas causæ efficit hoc discrimen. Ex Deo sunt boni doctores, ideo filij Dei veri tantùm eos audiunt cum fructu: reliqui eos irrident. Vide Ioan.8.v.23.& 47.

Ex hoc cognoscimus. Συμπέρασμα loci prioris de cognoscendis spiritibus.

Vers.7. *Dilecti, diligamus nos.*

II. Pars capitis de dilectione mutua studiosè conseruanda. Πρότασις est, ἀγαπῶμεν ἀλλήλους. Rationes sunt, primùm quia est ex Deo, h.e. à causa bona orta est: deinde Deo authore introducta, nam præcepit illam. Altera quia bonæ rei signū est, h.e. quòd ex Deo sint nati. Hoc declarat dilectio apud spectatores. Debent autem omnes pij signa illa diligenter exprimere. Tertiò quia facit ad cognitionem Dei, ideóque qui caret dilectione, caret etiam Dei vera cognitione. Quartò Deus ipse charitas est, debemus autem vt filij Deo Patri in hac re esse similes. Vide inf. ver.16. Quintò quia Deus nos diligit, ergo magis homo hominem diligere debet. Valet exemplum, quia Deus nulla naturæ cōmunione ad hoc tenebatur, cùm homo homini propter naturæ communionē hunc affectum debeat. Dei autem dilectionis magnitudo inde constat, quòd Filium vnigenitum dedit pro vita nostra. Ioan. 1. Sextò, ab ordine dilectionis, quia Deus nos prior dilexit. Respondet obiectioni, non prouocatum Deum nostro affectu amoris, sed contrà ipse nos prior dilexit. Obserua notam ingratitudinis. Nam nostrum erat Deū vt creatorem amare: id cùm neglexerimus, summæ ingratitudinis rei peragimur. Contrà amplificatur Dei in nos summa charitas, qui hostes, & rebelles, & refractarios amarit. His omnibus accedit beneficium redemptionis per Filium suum vngenitum. Vide sup.ca.2. vbi etiam ἱλασμὸν vocauit. Rom.3.v.25.

Vers.11. *Dilecti.*

Illatio est, continens repetitam propositionem, amplificatam ab exemplo Dei, dicens, Deus dilexit, cùm homo non sit: ergo homo homini magis debet amorem.

Vers.12. *Deum nemo vidit.*

Trāsitio ad Dei amorem erga nos commendandum: ac commodè ipsam dilectionem fraternam inter certissima illius τεκμήρια refert. Ac principium hoc videtur querelæ opponi seu obiectioni. Quomodo enim colliges Deum nos amare, cùm sit inuisibilis: nam finis superioris argumenti est ab exemplo Dei qui nos dilexerit. His respondet, fateor, Deus est inuisibilis: sed interim non desunt diuini amoris in nos argumenta. Deum autem à nemine esse visum sumpsit ex Deut. 33. Ex quo etiam Apost. 1. Tim.6. vers.16. Deum inuisibilem esse dicit. Sed hoc non obstat causæ nostræ, quin sit nobis coniunctissimus. Vinculum ad hanc rem aptissimum est dilectio mutua. Si nos dilexerimus, Deus in nobis manet, & dilectio eius in nobis est perfecta, h.e. illa dilectio qua Deus nos amplectitur indignos. Amat enim nos perfectè, quando omnia ad salutem nobis necessaria abundè suppeditat. Atque huius perfectæ dilectionis argumentum est, fraterna dilectio, quam non minùs seueriter præcepit, quàm sui ipsius,

Verſ.13. *In hoc cognoſcimus.*

Aliud iudicium diuini in nos amoris profert, ſcilicet quia dedit nobis de Spiritu ſuo, h.e. dona Spiritus ſancti in nos effudit. Loquitur de donis qualia tempore Apoſtolorum in fideles ſæpe effundebantur, & ſancti omnibus temporibus in cordibus ſuis quędam ſentiunt, quanuis illa miraculoſa deſierunt. Nam ipſa inuocatio donũ Spiritus ſancti eſt. Vide Gal.4.v.6.& Rom.8.v.15.

Verſ.14. *Et nos vidimus.*

Tertium eſt diuini amoris argumentum, quòd ſcilicet dedit Filium ſuum pro nobis. Nam valde amare oportet eum, qui det filium vnigenitum pro aliis in mortem. Sic Chriſtus ait nõ habere amorem alium maiorem, quàm is qui ponat animam ſuam pro amicis, Ioan.15.v.13. Porrò huius dilectionis hîc teſtes producit oculatos ipſos Apoſtolos qui cum Chriſto in carne vixerunt. Inde cap.1. dixit ſe viſa ſcribere. Deinde quòd huius rei ſint ordinarij conſtituti teſtes. Act.1.Mat.18. Obſerua hîc epitheton Chriſti quem vocat σωτῆρα τοῦ κόσμου. Hunc titulum olim Thaſij tribuerunt Herculi. Hinc in veteri illorũ numiſmate, ἡρακλῆς Θασίων σωτήρ: ſed iuſtiſſimè Domino Chriſto debetur, qui ſuos redemit à peccato, morte, & iugo Diaboli: quos quia colligit ex toto orbe, ideo mundi ſeruator dicitur, q.d. Toti mundo quidem propoſitus eſt, ſed ſui illius vocem tantùm audiunt, qui per omnes nationes & linguas diſperſi ſunt.

Verſ.15. *Qui confeſſus fuerit.*

Colligit ex præcedenti argumento diuinæ dilectionis poriſma, vel regulam generalem, quæ ad confeſſionem fidei pertinet, & ad ſua tempora apprimè erat accommodata. Qui Ieſum confitetur Filium Dei, is in Deo manet, & Deus in ipſo. Diſce neceſſariam eſſe hanc confeſſionem: deinde hanc ipſam non carere ſua mercede. Merces ampla eſt quòd in Deo maneant, h.e. perpetuam cum illo retineant copulam.

Verſ.16. *Et nos cognouimus.*

Aſſumptio eſt, quæ complectitur omnes electos. Sup.verſ.14. de Apoſtolis loquutus fuit. Hîc vero omnes complectitur fideles, qui hunc Dei amorem in ipſis agentem agnoſcunt. Sup.v.8. idem habetur quod hic. Deus charitas eſt. Formula eſt definitionis ab effectu: eſt enim veri amoris author. Sic Deus dicitur lux, vita, &c. quia hæc tanta bona omnia in ſuis theſauris retinet, aliíſque communicat: aliàs præter ἀγάπην alia infinita ſunt, quæ de illo quoq; prædicantur.

Verſ.17. *In hoc perfecta eſt.*

Commendauit nobis Dei in nos amorem triplici argumento: iam eundẽ ab vſu, ſeu fine commendat. Proponit autem hîc duos illos fines, vnũ coram Dei iudicio efficacem, alterum in hac vita. Ac obſerua ſermonem eſſe de dilectione Dei in nos, non de noſtri in Deum amore. Ideo perfectionem ei tribuit noſtri reſpectu. Nam in ſe ſemper eſt perfecta: ſed in nobis effectiuè perficitur, dum vſum eius, accipimus & fructum de quo hîc agitur. Primus igitur fructus eſt quòd nobis conciliat παῤῥησίαν in die iudicij, hoc eſt libertatem, & excuſantem reddit conſcientiam, conſolatur nos & fiduciam tribuit per Chriſti meritum. Vide ſup.3. verſ.21. Syrus vertit *reuelatam faciem*, h.e. minimè erubeſcentem faciem, in qua vis conſcientiæ ſolet relucere, accuſet ne an verò excuſet. Rom.2. Sed quia in hac terra confuſione & opprobrio onerantur, ideo addit conſolationem ab exemplo Chriſti, quia vt ille fuit in hac terra, ſic nos etiam ſumus, h.e. exemplo Chriſti, malis expoſiti ſumus, quem ſenſum Syrus etiam ſequitur.

Verſ.18. *Metus non eſt.*

Alter fructus quem conſequimur ex diuina dilectione. Non ſolùm pacatas reddit conſcientias, ſed etiam timore ſeruili nos liberat. Timor, inquit nõ eſt in dilectione, h.e. ſeruilis metus, qualis eſt in facinoroſis poſt admiſſa ſcelera, qui magiſtratum & carnificem metuunt, vt Iudas poſt proditionem admiſſam. Sed eſt alius metus qui in ſanctis ſemper manet cum dilectione Dei, ſcilicet filialis. Per hunc, Deum timent antè admiſſa ſcelera ne peccent, éſtque illis repagulum vt nõ peccent pertinaciter. Verſantur enim in conſpectu Domini tanquam pij parẽtis, cuius præſentia erubeſcunt. Rectè igitur ait, Perfecta dilectio foras pellit metum. Agunt enim cum Deo pij, vt cum parente reconciliato, non vt cum irato tyranno. Rationem addit, quia metus habet κόλασιν, h.e. conſequentes, imò concomitantes pœnas, quas comminatur ille Alaſtor conſcientiarum carnifex.

Verſ.19. *Nos diligimus.*

Concluſio eſt, conſtans exemplo & iudicio rectè iudicantium, q. d. Nos qui rectè de re Chriſtiana & iudicamus, & ſecũdum illud viuimus, his de cauſis impulſi illum diligimus

ligimus,quia prior nos dilexit.Ac illatiuam esse sententiam facilè consequentia rerum declarat,& hunc sensum Syrus expressit.

Vers.20. *Si quis dixerit.*

Respódet iam iactabūdis Christianis,qui de amore Dei mirificè gloriabantur,& eos conuincit manifestis rationibus. Mens est, Dei amorem nō esse sine proximi dilectione, quam dum gloriosuli illi non habent, mentiuntur quod de Dei amore iactitant. Orditur locum à confessis, quæ laudatissima quidem essent, nisi hypocrisis in his latitaret.Amare Deum & odisse fratrem sunt affectus contrarij, qui se non ferunt simul. Ideo dicit, *mendax est*, quasi dicat, de impossibilibus gloriatur,ac si idem album & nigrum eodem respectu diceret, idē calidum & frigidum in summis gradibus. Ratio est quia fratrem videt,& non diligit eum, imò odio prosequitur: ergo Deum quem non videt,minùs amare potest. Valet argumentum, quia obiecta solent mouere sensus, & in his euidentiora magis mouent. Hinc dicere solemus *ab ougen ab hertz*, hoc est, quæ sensibus exposita sunt magis mouent: quæ subducuntur à sensibus,etiam ab animo solent euanescere. Itaque mēdacium est quod illi gloriantur.

Vers.21. *Et hanc.*

Conclusio est generalis, connectens vtranque dilectionis speciem sub eandem regulam, quasi dicat, Qui pręcepit dilectionem Dei, idem quoque præcepit proximi dilectionem. Coniuncti igiur sunt affectus: & est insigne testimonium Dei in nos amoris, quod immediatè in præcepto addidit, & proximum sicut teipsum diliges, quasi non tam de se amando fuerit sollicitus,quàm de proximo nostro diligendo. Ideo Dominus Christus vtrumque mandatum semper vrget: Diliges Dominum Deum tuum toto pectore,& proximum vt teipsum.

CAPVT V.



Llustris habetur hoc capite fidei commendatio. Ostendit enim illius veram causam positam esse in regeneratione. Hinc postea promanare veram Dei dilectionem & proximi, veram mandatorum diuinorum obseruantiam & victoriam contra omnia mala. Hinc transit ad Christi personam,quam nobis variis testibus commendat. Tres sunt in cælo & tres in terra, qui pódus debent habere non minùs quam hominum testimonia consentientia. Atque hæc vsque ad epilogum totius Epistolæ durant, vers. 13. de quo mox videbimus. Υπότε σις.

Vers.1. *Omnis qui credit.*

Primus locus in quo explicantur fidei adiuncta. Similem fere habemus ad Hebr. 11. per fidem expugnarunt regna, ora leonum, vim ignis, &c. & 2. Thess. 3. à raritate cōmendatur. Non omnium est fides.Hoc loco Ioannes ab adiunctis seu connexis eandem cōmendat:inter quę primùm est, quòd qui credit, Iesum esse Christum, sit ex Deo natus: nasci verò ex Deo est renasci, & ad Christum seriò conuerti. Itaque regeneratio est tanquam causa proxima, in qua fides datur: sunt autem causæ & sui proprij effectus,connexa.

Ac credere hoc loco est, solida spe & confidentia vni Christo inniti, non solùm historiam nati Christi tenere, sed eundem sibi vtilem facere.In quo etiam cōfessio continetur,vt ad Rom.10. dicitur, Corde creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem. Sic Christus Matt.8.confessionem sui requirit à suis fidelibus in hoc mundo. Itaq; non leue est credere Iesum esse Christum: sed significat spem in illo ponere, fateri illum coram mundo, & in eiusdem confessione constanter perdurare vsq; ad mortem. Rectè hoc vrget primo loco Ioannes, quia tum passim Iudæi hoc negabāt, Iesum hunc Nazarenum non esse Messiam illum Patribus promissum. Ideo qui hoc negant, his etiam demit ius regenerationis & filiorum Dei. Abeant igitur Iudæi & Turcæ, omnésque similes, sciántque se ex Deo non esse natos, sed ex patre Diabolo. Demum hìc expende obiectum fidei esse Christum. Credere quid sit.

Alterum connexum fidei est amor Dei, de quo ait, *Omnis qui diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo natus est*, ipsum Christum, quem fide complectūtur filij Dei. Sic Christus ait apud Ioan.cap.8. Si Deus Pater vester esset, diligeritis vtique me. Itaque indiuulsa sunt, amor Dei,ac Filij Dei, ipsáque fides.Alij de amore proximi accipiunt, quod non placet, quia mox de eo seorsim agit.

Vers.2. *In hoc cognoscimus.*

Tertia fidei commendatio: quia hanc etiam comitatur vera proximi dilectio. An

diligamus filios Dei quęritur, eius iudicium facit ex amore Dei parentis: Qui Deum diligit seriò, vtique diligit fideles tanquam Dei filios.

Quartum connexum fidei est, Obseruantia mandatorum Dei quæ & ipsa ex fide fluit. Sic Christus Ioan. 14. ait, Si diligitis me, mādata mea seruabitis, & 1. Cor. 7. Circuncisio nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Hanc obseruantiam sola docet fides.

Vers. 3. *Hæc est dilectio Dei.*

Explicat tertiam & quartam commendationem eásque definitione connectit. Dilectio Dei quid est? Respondet, est obseruatio mandatorum Dei: & contrà, Quid est obseruatio mandatorum? est amare Deum. Rectè ab vsu definitur amor Dei, nam in hos se effundit fructus, quos mandata Dei postulant. Ideo rectè dicitur, vniuersalis quędam obedientia, quia in omnibus cupit sese Deo approbare.

Addit his, præcepta Dei grauia non esse. Hoc verū est in renatis qui sese Deo approbāt: nam remedium habent in Christo, cuius Spiritus omnia illis facilia reddit. Alioquin nostri respectu certè difficilis est, imò impossibilis Lex Dei: nam iram operatur, Rom. 4. & ex operibus Legis non iustificabitur omnis viuens, Rom. 3. & ipse Paulus conqueritur se facere illa quę minimè probet, adeóq; exclamat, Miser ego homo! quis liberabit me de corpore mortis huius?

Idem tamen gloriatur, quòd his qui in Christo sunt, nulla sit metuenda condemnatio: ideóque his solis facilis est. Nam Christus bonā partem legis planè sustulit, qualis fuit tota pompa ceremoniarum & traditionum paternarum. In moralibus restrinxit omnia ad duo capita de dilectione Dei & proximi, & in his ipsis, vim Legis, hoc est mortem sustulit: & addit Spiritus Dei nouos motus, vt cupidè iam rectè agant, sponte currant ad bona opera. quæ inuiti priùs & metu pœnarum vix faciebant.

Vers. 4. *Quia omne quod natum est.*

Quintum est fidei connexum, vincere mundū. Cohæret superiori per ętiologiam, habétque argumentum à toto ad naturam vnius partis. Omne donum Dei hanc vim habet, vt vincat mundum: Ergo fides quoque est inter dona Dei non vltima. Ex Deo natum esse est, Dei donum nosse. De virtutibus & charismatis hîc dicitur, non de personis, Omne quod ex Deo natum est. Multa ergo sunt ex Deo nata? ita sanè, fides scil. vera inuocatio, constantia, spes, studium benefaciendi, & similes virtutes renati hominis. Omnes inquam, habent hanc vim insitam, vt faciant ad expurgādum mundum.

Mundus etiam est, non tam colluuies impiorum hominum, quàm omnium causarum & occasionum, quæ nos à Deo & cursu ad salutem auocant. Sic caro nostra, affectus carnis, bona pars illius mūdi sunt. Huc deinde pertinent impij homines, piorum persecutores, hæc mala omnia docet vincere fides, éstque forma definitionis. Fides quid est? Respondet, est victoria nostra. Fides igitur victoria est, h.e. organum aptissimum per quod peruenitur ad victoriam. Sic ad Heb. 11. pij celebrantur hoc organo, quòd fide expugnarint regna, vicerint ora leonum, vim ignis, &c.

Fidei def.

Vers. 5. *Quis est qui vincit.*

Accommodatio est, quia ad confessionem applicat victoriæ organum. Disce πίστιν continere præcipuum fundamentum de Iesu, quòd sit Messias & Filius Dei, quod initio dixerat.

Vers. 6. *Ille est qui venit.*

Secundus est locus in quo agit de Christo, qui fidei est obiectum. De eo quæritur an sit Filius Dei: respondet hoc constare firmis testibus, ac profert tres ex terra, & tres mox ex cælo addit. Hinc terrenos repetit eísque fidem facit ex consuetudine publica, quæ nititur Lege etiam Mosis. Quod igitur hîc dicit, Christum venisse per aquam & sanguinem, ac Spiritum, accipio comprobatum eius aduentum his symbolis. Primùm venit per aquam, hoc est, declaratus est Dei Filius per aquam Baptismi. Idem venit per sanguinem, hoc est, declaratus est Filius Dei per mortem & effusionem sanguinis, in cuius rei memoriam reliquit suis Cœnam etiam à se institutam. Denique idem testatur Spiritus, h.e. vis Spiritus sancti, qui efficax est in prædicatione Euangelij. Addit rationem, quia Spiritus est veritas, hoc est, vis illa fuco caret.

Vers. 7. *Quia tres sunt.*

Tres testes diuinitatis Christi profert ex cælo, vt monstret efficaciam Spiritus operantis per prædicationem Euangelij veram esse. Tres, inquit, sunt in cælo huius rei testes, Pater qui in Baptismo hoc testatur, Mat. 3. λόγος & ipse Filius qui idem non negat, imò affirmat, Ioan. 14. & cap. 17. & alibi frequenter. Spiritus quoque sanctus idem testatur, qui in Baptismo præsens est specie columbæ, & à Christo vt cōsolator suorum

mittitur

mittitúr à Patre in corda fidelium. Atque hi tres vnum sunt, ἕν εἰσι, non solum consensu, quod quidem verissimum est, sed etiam οὐσίᾳ, quia ὁμοούσιοι sunt, hoc est, eadem est trium personarum diuinitas, substantia & dignitas. Idē etiam sunt consensu. Nam vnū & idem docent de Christi natura, quòd sit Dei Filius. Hunc versum deleuerunt ex Syriaco testamento indubiè Ariani, qui hoc fulmine prosternuntur validè. Ideo olim quoque in multis exemplaribus Græcis & Latinis defuit. Sed habent hæc verba hodie correcta exemplaria omnia, & legit eadem Augustinus & Hieronymus. Ideo non moueat nos Syriacum exemplar.

Vers.8. *Et tres sunt in terra.*

Redit ad priores tres testes terrenos, quos proposuit vers. 6. Rectè terrenos ait, quia durant in his terris vsque ad finem mundi, cùm Patris vox & Filij ac Spiritus S. non ampliùs ita audita sit. Spiritus testis est, quia in ministerio efficax. Accipio igitur pro ministerio doctrinæ, quod durabit in mundo semper vsque ad finem, Aquam hîc iterum accipio pro Baptismo in quo Christus est declaratus Dei Filius, & eadem authoritate baptismum nobis reliquit à se institutum. Sanguis est mors Christi, cuius doctrina semper durat, & in eius memoriā instituit Cœnam tanquam verus Deus. Dei enim solius est, symbola sacra instituere & abolere. Hanc sequor sententiam hoc loco, nec puto aliam posse adduci veriorem. De his testibus dicit, quòd faciant τὸ εἰς ἕν, h.e. ad eundē finem respiciunt: quia Sacramenta & ministerium hunc consensum vrgent, vt Christum credamus Filium Dei.

Vers.9. *Si testimonium hominum.*

Testes diuinitatis Christi produxit terrenos tres, qui eundem habent effectum apud sanctos, iam illis fidem conciliat à minori ad maius. Humano testimonio credendum foret, si tres in eadem re consentientia dicerent: Ergo multo magis istis tam diuinis testibus. Simile vide Ioan.5.v.34. Nititur argumentum lege Mosis. Ac mox hîc assumit hoc totū esse Dei Patris testimonium, quod de Filio suo protulit, scilicet in Baptismo, postea in Sacramentis, & in ministerio docendi, Hoc totum nihil aliud reputari debet quàm Dei Patris vox dicentis, Hunc audite.

Vers.10. *Qui credit in Filium Dei.*

Prouocat ad piorum conscientias, in quibus illa testimonia fide dignissima sunt. Apud reliquos ἀθέους & simulatos Christianos ludibrio sunt, ideo rectè ostēdit hîc credentes non requirere alia testimonia quàm hæc ipsa quæ in pectoribus suis vera agnoscunt. Qui non credunt, Deum mendacem faciunt. Itaque probè seruandus est consensus de Christi diuinitate, sine omni exceptione, quia Deo Patri detrahitur contraria doctrina. Ac iterum respicit ad historiam Matth.3. Luc.3. Mar.1. Matt.17. vbi in transfiguratione Patris vox sonat, Hunc audite. Horrendum crimen est igitur, quod hodie Arriani committunt, Deum Patrem mendacij arguentes: quod faciunt dum sub exceptione illa testimonia solùm valere dicunt.

Vers.11. *Et hoc est testimonium.*

Quò respiciat testimoniorum illorum authoritas, iam ostendit, scilicet quòd per hunc Iesum, quem Dei Filium affirmauit, Deus Pater nobis dederit vitam æternam. Ingrati igitur sunt primùm in Deum, deinde in seipsos valde iniurij: nā dum contendunt de Christi diuinitate, sese à tanto bono excludunt. Obserua organum fœlicitatis nostræ esse Christum. Ideo apud Ioan.3. scribitur, Deum sic dilexisse mundum, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. & Ioan. 6. vers. 68. Petrus confitetur, Verba vitæ æternæ habes. & Ioan. 8. Christus profitetur se vitam æternam suis daturum. Ioan.17. Hæc est vita ęterna, vt cognoscant te Pater, & quem misisti Iesum Christum, & his similia passim testimonia occurrunt.

Vers.12. *Qui habet Filium.*

Excludit alia omnia media, quæ extra Filium Dei quæruntur ad vitam æternā consequendam. Vim exclusiuam habet propositio cōuersa. Qui habet Filium, is habet vitam æternā. Qui Filium non habet, is etiam non habet vitam æternam, h.e. per solum Filium assequenda est, & præter hunc, nulla alia media valent. Habetur autem Filius fide & solida spe meritorum illius, abiecta omni in res alias fiducia. Audiant ista qui tot sibi mediatores excogitarunt, quot ferè sunt sancti.

Vers.13. *Hæc scripsi vobis.*

Epilogus est, quo breuiter repetit doctrinam Apostolicam, in qua illos perdurare cupit. Connectit autem illa per causæ redditionem. Ostendit enim ad quid illa scripta sint. Ac primùm totius doctrinæ ἀνακεφαλαίωσιν complectitur in voce ταῦτα. Hæc scripsi vobis, scilicet de cognoscendis Dei filiis, quò à simulatis distingui possent: de dignitate filiorum Dei, de dilectionis ingenio, de natura fidei, de cognoscendis

K.j.

etiam falsis doctoribus, & ipso Antichristo. Hæc vobis omnia scripsi certo fine.

Deinde ad quos præcipuè pertineat hæc doctrina, *Vobis qui creditis in nomen Filij Dei.* Pertinet igitur ad electos, qui seriò filij Dei sunt: propter illos Christus natus est & mortuus, propter hos etiam institutum est ministerium docendi, Sacramenta & tota etiam disciplina. Et quia ex toto orbe isti colliguntur, ideo in communi proponitur doctrina, hanc soli pij seriò amplectuntur, reliquis est stultitia ac risus: quæ tamen pios doctores mouere non debent, quin & doceant & explicent Apostolicam doctrinam diligenter & constanter.

1. Certitudo salutis. Tertiò quo fine scripserit. Primùm vt sciãt se vitam habere æternam, h. e. vt de salute sint certi. Ideo ad exemplum Christi reuocauit nos in studio dilectionis, & præceptorum Dei obseruantia. Quod verò peccatum attinet, aduocatum & mediatorem monstrauit Iesum Christum, cap. 2. Hęc certitudo salutis omnibus debet esse scopus, dum legimus ipsi, & ab aliis audimus explicari Scripturam: quia hoc fine scripta est. Sic Christus eam euidenter docet apud Ioã. 3. Qui credit in Filium inquit habebit vitam æternam. Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis. Vbi excluditur omnis dubitatio. Sic 1. Cor. 1. dicitur Christus nobis factus iustitia, sanctificatio, &c. à Deo Patre. Hanc certitudinem studiosè conseruemus.

2. Constantia in professione. Alter finis est, *vt credatis in nomen Filij Dei.* Dixerat se scribere credentibus: iam idem vrget tanquam finem, h. e. vt magis magísque credant, h. e. in fide constantes sint. Itaq; perseuerantia in fidei professione ad fines etiã pertinet. Constantiã ipse Christus requirit, Qui perseuerarit vsq; ad finẽ, saluus erit. & 1. Cor. 16. Vigilate & state in fide. Coloss. 4. Perfecti state & pleni in voluntate Dei. Cogitemus igitur hoc nostri esse officij, vt Deo in perseuerantia debitum præstemus cultum.

Vers. 14. *Et hæc est fiducia.*

3. Fiducia in inuocatione. Addit alios constantiæ fructus, qui & ipsi rationem habẽt finium. Ac primus est παῤῥησία apud Deum: h. e. vt Deum intrepidè accedamus, tanquam Patrem inuocemus, non fugiamus vt tyrannum inclementem, quæ fiducia ex sola fide nascitur. Illa enim dictat nobis Deo credendum esse, illúmque veracem in suis promissionibus. Estque forma quædam definitionis, quales suprà positæ erant, fides est victoria nostra, Dilectio est obseruantia mãdatorum Dei: similis est hæc, Fides est παῤῥησία, h.e. illam dictat, & cordibus nostris persuadet. Addit huic virtuti suam materiam, preces scilicet. In precibus enim sese in primis exercet fiducia illa. Christus Luc. 18. iussit semper orare, & Apostolus 1. Thes. 5. indesinenter. Sed modũ ac formam hîc pleniùs depingit Ioannes, secundum voluntatem eius orare. Sic Christus dixit Matth. 6. ne essemus vt hypocritæ. Est autem secundum Dei voluntatem orare, eius voluntati liberè se submittere, ac illa conditione petere, si eius glorię, & saluti nostræ prosit, síntque Ecclesiæ eius vtilia. Ideo Iacobus dicit nos multa petere, nec accipere, quia malè petamus. (Iac. 4. v. 3.) Respiciamus igitur diligenter ad hanc clausulam, vt preces nostras semper dirigamus ad Dei voluntatem.

Vers. 15. *Et si scimus.*

Certitudinem exauditionis applicat ad rerum possessionem quæ fluit inde. Habemus igitur petitiones nostras, h.e. possidemus ea ipsa quæ postulamus. Id verissimum est de his quæ ad salutem pertinent: illa αἰτήματα habemus iam in spe plena, & in gustu fœlicitatis: terrena autem, quantum nobis non sunt impedimento ad salutem. Illa sine conditione petimus quæ ad salutem attinent: externa verò semper conditionibus sint subiecta.

Vers. 16. *Siquis viderit fratrem.*

Toti subiicit speciem certam de intercessione pro peccatoribus: & hac occasione distinguit peccata. Aliud enim est non mortale, quod veniale rectè dicitur: aliud mortale, h.e. non remissibile manet, & naturam finémque peccati retinet, vt eos qui illo tenentur æternis pœnis subiiciat. Hoc vocãt contra conscientiam admissum, pertinacię, contumaciæ, agnitæ veritatis abnegationem, blasphemiam in Spiritum sanctum, finalem impœnitentiam & generalem Apostasim, de quo alibi diximus.

Vers. 17. *Omnis iniquitas peccatum est.*

Occupatione subiicit alteram speciem peccati. Initio totam colligit, etiam leuia peccata Deo seriò displicere: interim quædam fieri remissibilia, h.e. quæ per gratiam Dei, finem suum non consequuntur in peccatoribus: fiunt enim hæredes vitæ æternæ, qui finis non erat peccati. Duo igitur obseruanda sunt: primùm omnia peccata vtcunque videantur nobis parua, Deo seriò displicere, & in se ęternis pœnis nos damnare. Alterum, fieri tamen vt quędam fiant remissibilia, quæ ideo dicuntur, non ad mortem,

quia

quia in electis eneruantur, vt finem suum minimè assequantur.

Vers.18. *Scimus quòd omnis qui.*

Addit superiori membro ἀντίθετον de electis, qui non peccant, hoc scilicet genere peccati, & illa specie quæ dicitur ad mortē. Estque ille etiam fructus fidei seipsum præseruare, ne in lethalia delicta irruat. Omnis ex Deo natus non peccat. Sic cap. 3. dixit, Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non committit, quia semen eius in ipso manet, nec potest peccare, quia ex Deo natus est. Quæ omnia intelligemus de eodem gradu peccati. Nam per cætera piorum est, libenter fateri etiam propria peccata, vt vidimus sup. cap. 1.

Custodit se, hoc est, cauet diligenter occasiones peccandi: vnde fit vt malus illum non attingat: hoc est, Diabolus illum circumuenire non potest lethali aliquo peccato. Interim non sunt pij extra omnem teli iactū, mirísque modis à Diabolo vexantur.

Vers.19. *Scimus quòd ex Deo sumus.*

Assumptio est minoris, Omnis ex Deo natus non peccat: Nos sumus ex Deo nati: Ergo non peccamus. Vera est collectio in eo gradu peccati, de quo dixit. Pro conclusione infert contrarij membrum, *Et mundus totus in malo iacet.* πονηρὸς priùs Diabolus erat: idem hîc non malè accipietur. *in malo iacet,* hoc est, totus Satanæ adhæret, illius consiliis regitur, vel πονηρὸν neutro genere accipiamus pro effectis Diaboli, h.e. omni genere peccatorum. Mundus totus in malo iacet, h. e. omni scelere, omnibus peccatorum gradibus ac formis oblectatur. Quò facit verbum κεῖται, iacet quasi demersus, & lutulentus porcus. Vterque sensus probè exprimit Apostoli mentem. Obseruetur hîc crimen piorū & impiorum: illi cauent omnes peccandi occasiones: hi contrà has diligenter consectantur & amplectuntur.


Vers.20. *Scimus autem quòd filij Dei.*

Tandem conclusurus, summam doctrinę Apostolicæ repetit, cuius caput est, scire Christum natum esse. Id sciendum est præ omnibus. Deinde quòd dederit nobis mentem cognoscendi Deum Patrem, hoc est, aperit animos nostros, vt capaces fiant doctrinæ cælestis. Sic Luc. 24. Christus dicitur aperuisse discipulorum duorum mentes, vt intelligerent Scripturas. Hinc factum est, vt mundus verum Deum cœperit colere reiectis idolis. 1. Ioan. 2. Cognouistis illum qui est ab initio. & Ioan. 17. Vita æterna dicitur, cognoscere Deum Patrem, & Filium Iesum Christum. Hinc nascitur confidentia & spes in vnum Christum, à quo nec mors nec vita separare nos poterit. Roman. 8.

Denique hîc obserua diligenter Christi diuinitatem: nam Patri illum æquat & ἀληθινὸν θεὸν vocat manifestè, quod sine omni exceptione admittamus. Item quid nobis sit Christus: nam sua natura, Deus verus est, sed nobis factus est vita æterna, h.e. organū aptissimum ad illam consequendam. Quæsitum diu fuit ab hominibus sapiētibus idoneum ad salutem organum: sed nullum sufficiens inuentum est, donec Deus Filium suum misit.

Vers.21. *Filioli, cauete vobis.*

Clausula finalis, in qua præmonet de cauenda idololatria: euertit enim nobis articulum de vno Deo colendo & adorando. Vide Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 5. 7. 27. eandem prohibet Apostolus 1. Cor. 10. Fugite cultū idolorū, & Gal. 5. similiter Eph. 5. inter opera carnis reputatur. & 1. Pet. 4. veteris vitæ fructus, priusquam ad Christum conuersi essent. Hactenus, Dominus Iesus Christus suo Spiritu illa omnia in pectoribus nostris salutaria efficiat, Amen.



COMPOSITIO SECVNDÆ EPISTOLÆ D. IOANNIS.

Argumentum.



Pistola hæc secunda tractat locum de dilectione mutua, ad cuius exercitationem hortatur familiam cuiusdam viduæ, & simul præmonet de cauendis seductoribus, qui passim circuibant & insinuabant se familiis præsertim viduarum vt eas seducerent, dat etiam regulam cognoscendi tales ex discrepantia morum, & ignorantia doctrinæ Christi, cum quibus nulla debet esse piis communio. Perniciosa enim est, & contagiosa vt inquit Ioannes.

AVTOR.

De autore semper variatum est, Asiatici nunquam agnouerunt canonicam, neque retulerunt ad autorem Ioannem Euangelistam, vnde nec Syri hodie illam agnoscunt sed tribuerunt cuidam Ioanni presbytero, occasione sumpta ex inscriptione, quam sententiam refert Eusebius lib. 3. cap. 39. indicans duo esse sepulchra apud Ephesios nomine Ioannis, vnum Ioannis Euangelistæ, cuius præcedens sit epistola, alterũ Ioannis presbyteri, cuius hæ duæ posteriores & Apocalypsis. Alij hinc tres constituerunt, vt tertius sit Ioannes theologus. Sed possunt posteriora duo intelligi epitheta eiusdem personæ, vt presbyter dictus sit idem Ioannes Euangelista nunc in extrema senectute & authoritate summa quæ pollebat apud Asiaticas ecclesias, & idem sit Theologus, h. e. verè habeat cognitionem Dei, & possit de Deo solidè homines instituere. Quam sententiam recitat Euseb. lib. 6. cap. 18. ex Origene, vbi indicat tres epistolas & Apocalypsin ab Origine eidem Ioanni attribui, nodum tamen de duplici sepulchro apud Ephesios non soluit. Hæc sententia hodie recepta est, cui libenter accedo, quia doctrina huius epistolæ superiori congruit, & phrasibus vtitur planè Ioannis, alioquin quod compositionem attinet magis discrepat, ac recedit ad compositionem Pauli, qui vtitur in omnibus epistolis, titulo, exordiis, propositionibus, confirmationibus, epilogo, quę in hac epistola omnino seruata sunt non perinde ab Ioanne in superiori.

CVI SIT DEDICATA.

Scribitur epistola ad quandam viduam, quæ cum liberis suis veram nunc de Christo hauserat cognitionem & hanc vita & moribus apprimè ornabant. Huic viduæ quod fuerit nomen incertum est. Lyranus Babyloniam facit, & proprio nomine dictã fuisse Electam, & eiusdem nominis sororem quoque ipsius Electam, sed mirari possis vnde Babyloniæ mulieri Romanum nomen, aut si illa Romana fuit, quomodo istuc translata. minus placet Allegoria qua nonnulli docent sub Electæ nomine subintelligi totam ecclesiam ad quam scripta sit epistola, verùm scire debemus hunc allegoriarũ vsum, tum non ita frequentem fuisse, nec aliquis pudor aut metus impediebat Ioannem quin scripturus ad ecclesiam vteretur eo nomine, præterea grauior & amplior indubiè scripta fuisset epistola, si in scribendo sibi proposuisset personam ecclesiæ. Ex consequenti ergo solùm pertinet ad totam Ecclesiam, quod hîc scribitur vni personæ. Est enim epistola planè familiaris, qualis illa ad Philemonem.

OCCASIO.

Occasio scribendi oblata est ex familiaritate & quadam priuata consuetudine cum hac familia, in qua haud dubiè hospitio fuit susceptus & deprehendit castos mores, & piam de Christo doctrinam: absens ergo ad constantiam præsenti & doctrinæ & vitæ cohortari voluit. Accessit indubiè metus futuri lapsus. Videbat enim quid immineret non solùm priuatis familiis, sed etiam integris ecclesiis, vt facili occasione sæpe mirificè corrumperentur, ne idem huic familiæ eueniret, præmonere voluit. Quod ipsum Apostolus Paulus sæpe inculcauit ecclesiis, & priuatis hominibus, vt est videre in 2. ad Tim. cap. 3.

GENVS.

Genus principale est προτρεπτικόν exhortatorium. Respexit enim præsentes mores agnitio-


agnitionem de Christo, in quibus voluit eos confirmare. Accedunt huic quædam Ἐπαινετικὰ, vt in exordio, & ipso titulo prædicat fidem illorum, vt qui digni sint amore sanctorum. Accedunt etiam quędam Διδακτικὰ, quibus docet quid sentiendum sit de dilectione, de exhibito iam Christo, de eius doctrina, de notis Antichristi, de seductoribus, de contagione peccati.

PROPOSITIO.

Propositio est, Vidua & pia illius familia in fide Christi semel suscepta & mutua dilectione constanter perdurare debet, & simul corruptelas doctrinæ vigilãter cauere. Quæ omnia proponit nõ solùm phrasibus, sed & verbis ipsius Ioannis Euangelistæ.

PARTES.

Partes epistolæ sunt ita connexæ. Prima est titulus, comprehensus 3. versibus, accõpositus more Paulino. Exprimit enim personam salutantem, personas quibus salus dicitur, & comprecationem. His interposita est ἐπεμβολὴ quæ facit ad beneuolentiam conciliandam. Comprecationis tria sunt membra etiam Apostolo Paulo familiaria, Gratia, pax, & misericordia, quemadmodũ videre est in 1. & 2. ad Timoth. & in epistola ad Titum: his verbis superius Ioannes vsus non est, nec infrà vtitur in tertia. Iacobus simpliciter dixerat χαίρειν & Petrus addiderat πληθυνθείη multiplicetur. Altera pars v. 4. constituatur Exordium scilicet, quod & ipsum ad beneuolentiam pertinet, exprimit enim bonos mores veri amici, cuius proprium est alienis virtutibus gaudere. Tertia pars est ver. 5. Propositio, cuius primum membrum est, Vidua hæc cum sua familia in exercitio Christianæ dilectionis quàm constantissimè perdurare debet. Hoc proponit etiam more Paulino, rogans vbi imperare poterat, & mox hoc ipsum quod rogat, mollit Christiana correctione, præceptum vocans Christi & quidem vetus, quod de dilectione mandauerat, respiciens ad locum Ioannis 13. 14. & 15. Quarta pars vers. 6. continens propositionis ἔκθεσιν, ostendit enim quam dilectionem suadeat. Hæc verba iterum phrasibus Ioannis explicantur, sunt enim ὁριστικὰ, qualia supra in prima epistola cap. 5. ita hoc loco definit quæ sit dilectio, scilicet quæ seruet Dei mãdata, quod illi est ambulare in illius mandato. Et mox ἀντιστρέφει, hoc est, inuertit modum definiendi, & ex eadem sententia definit mandatum. Ver. 7. continetur altera pars propositionis de falsis doctoribus diligenter cauendis. Locus pertinet ad curam sinceræ fidei & sanæ doctrinæ conseruandam, ideo notis aliquibus describit corruptores doctrinæ iam traditæ, & rei exprimit certum casum: continuatur hæc vsque ad vers. 12. Istic statuatur Epilogus, cuius membra sunt excusatio breuitatis, quę nititur reiectione in opportunius tempus, addita est promissio sui aduentus, quæ faciebat ad leniendum desiderium eius: tamen aduentus suus causa finali commendatur, demum subiiciuntur salutationes.



IN SECVNDAM EPISTOLAM D. IOANNIS. ΠΡΟΛΕΓΌΜΕΝΑ.

Qui author.

De authore



E authore huius epistolę semper quæstio fuit. Asiani ferè à canone reiecerunt. Hinc Syri adhuc illam non agnoscunt, nec extat in editionibus nostris. Tribuerunt autem illam Ioanni cuidam Presbytero, quæ opinio confirmatur in epigraphe mox, vbi se Presbyterum, non Ioannem vocat. Et Euseb. lib. 3. suæ historiæ cap. 39. refert duo apud Ephesum fuisse sepulchra, vnum Euangelistæ, alterum Ioannis Presbyteri, cuius fortè, vt ipse refert, sit Apocalypsis & posteriores duæ epistolæ, & hanc sententiam hodie nonnulli sequuntur, inter quos etiam est D. Erasmus noster.

Recepta verò publicè sententia est, scriptam esse à Ioanne Euangelista, cuius etiam prima est epistola. Hanc sententiam ex Origene refert Euseb. lib. 6. ca. 18. quo loco tres Epistolas, Apocalypsin & Euangelium, vni & eidem Ioanni adscribit. Hanc libenter quoque sequor. Primùm quia doctrina consentit cum Ioannis doctrina. Deinde quòd peculiares phrases habeat, quibus libenter vtitur Ioannes, & quòd Christum sæpe vocat Filium Patris, dilectionis libenter meminit, Christum venisse in carnem vera sit professio: contrà hoc negare sit Antichristi signum. Quæ omnia stylum Ioannis resipiunt. Interim non est dissimulandum compositionis formam nónihil hîc esse immutatam. Principium enim & titulus magis Paulinum habet stylum, sed de his nolim litigare. Nos grato animo retineamus ea quę beneficio Spiritus sancti nobis salua manserunt post tot corruptelas hæreticorum & aliorum, qui conati sunt semper è mundo & hominum memoria tollere quicquid piis foret salutare.

Compositio.

Certum est epistolam esse familiarem, & scribi ad certam familiam seu personam, qualis est inter Paulinas, illa ad Philemonē. Quæ autem illa fuerit, non certum esse arbitror, quanquam Lyranus affirmet nobilem fuisse matronam & prædiuitem nomine Electam, ac Babylonicā fuisse, quæ quàm firma sint, non ausim dicere. Tamen non placet allegoria sub qua ad totam Ecclesiam scribi quidam affirmant. Ex consequenti ad totam Ecclesiam pertinere, libenter concedo, sed propriè ad certam familiam scribi à Ioanne arbitror.

Ad quos scribatur.

Occasio.

Occasio sumpta est ex peculiari familiaritate, quam cum vidua pia & eius familia habuit: hanc cùm videret optimè institutam in fide, absens eandem ad constantiam incitare voluit. Deinde pia fuit solicitudo in futurum pro hac familia. Facit enim mentionem seductorum, qui ne hanc etiam familiam ingrederentur, falsísque opinionibus eam corrumperent, prę monere voluit. Vide 2. Timoth. 3.

Genus.

Genus principale est προτρεπτικόν. Nam ad constantiam in vera religione hortatur præcipuè. Adsunt quædam ἐπαινετικὰ, vt in exordio, in quo fidem & synceritatem familiæ commendat: quædam etiam διδακτικὰ, vt de exhibito Christo, de nota Antichristi, de contagione peccati.

Propositio.

Πρόθεσις: Piæ familiæ in fide semel suscepta & mutua dilectione constanter est perdurandum, simúlque corruptelas doctrinæ vigilanter cauere debet. Et quia hæc sententia congruit cum doctrina Apostolica, in primis phrasibus Ioanni propriis exprimitur, non inuitus Ioannem quoque Euangelistam authorem agnosco.

Partes.

Partes habet more Paulino, eleganter expressas. Initio enim habet titulū seu ἐπιγραφὴν, quæ suis membris absoluitur. Deinde est exordium ad laudem personæ accommodatum. Tertiò proponit mentem suam satis dilucidè, cui adhibita est ἔκθεσις. Quartò subiicitur Epilogus, in quo pollicetur suum aduentum, breuitatem scribendi excusat, ac familiari salutatione totam Epistolam concludit.

Titulus

Titulus.

Epigraphe ad morem Paulinarum Epistolarum composita est, habétque tres consuetas partes, personam scribentem, eam ad quam scribitur, & comprecationem. His interseritur ἐπεμβολὴ, ad captandam beneuolentiam, quod etiam D. Paulo est familiare.

Persona scribens est, ὁ πρεσβύτερος, senior, quod ἐπίθετον accipio loco proprij nominis. Probabile etiã est in ætate iam prouectiore illum scripsisse. Deinde accedit authoritas publica, quam apud omnes pios habeat, vt fortè hoc nomine etiam omnibus notior fuerit. Senior igitur ætate fuit, & dignitate presbyter, quæ vna & eadem voce est complexus.

Persona ad quam scribitur, est domina electa. ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Matronam honestã, & diuitem facit. Nõ probo autem Lyrani sententiam, qui ἐκλεκτὴν pro nomine proprio accipit, præsertim apud Babylonios. Domina igitur dicitur ob fortunæ bona, electa verò propter animi virtutes, in primis propter fidem in Christum. Liberos accipio etiam domesticos omnes fideles quales in amplioribus familiis solent esse.

Quos ego diligo. Ε᾽πεμβολὴ est, quæ ad captandam beneuolentiam facit: exprimit enim animi pium affectum erga bene meritos. *Diligo in veritate*, h.e. non simulanter, non hypocriticè: vel in veritate, Christo, qui veritas est, significans pium hunc & sanctũ amorem multùm differre à mundanis affectibus. *Nec ego solùm.* αὔξησις est affectuũ piorum, quæ facit ad πρόσεξιν. Attẽtos enim facit laudata virtus in multis. Satis videri poterat, si amaretur à tanto viro: sed maius est à multis etiam aliis amari: maximum verò ab omnibus diligi. Sed & horum pius affectus est. Laus virtutis præmium est in piis sæpe in hac vita.

Vers. 2. *Propter veritatem.*

Pertinent hæc etiã ad ἐπεμβολὴν, ac ostendunt dilectionis fontem, veritatis cognitionem. Cuius cõstans & perpetuum studium, dilectionem quoque perpetuam efficit. Veritas non malè Christus est, propter phrases ἐν ἡμῖν & μεθ᾽ ἡμῶν. Christus enim in nobis & nobiscum manere dicitur.

Vers. 3. *Erit nobiscum.*

Finita ἐπεμβολῆ iam redit ad tertiũ membrum inscriptionis. Continet enim hîc salutationem, seu comprecationem: ac more Apostoli Pauli, comprecatur tria præcipua bona, χάριν, ἔλεος, & εἰρήνην, quæ in 1. Tim. 1. vers. 2. & 2. Timoth. 1. vers. 2. & in illa ad Tit. cap. 1. vers. 4. quoque coniunguntur. In reliquis, duo saltem expressa sunt. Iacobus visus est verbo χαίρειν. D. Petrus 1. cap. his addidit πληθυνθείη. Ioannes mutauit phrasim. Ac in futuro comprecatur piis omnibus. *Erit nobiscum*, hoc est, cũ sanctis omnibus. Se coniungit piæ familiæ in bonis communibus. Alioquin comprecatio dirigenda erat ad ipsas personas salutatas, quem morem perpetuum seruat D. Paulus. Idem facit Iacobus, ac Petrus, vt non immeritò hic locus quibusdam mendosus visus sit, pro ἔσω μεθ᾽ ὑμῶν, sit vobiscum.

Deinde bona materialia sunt χάρις, hoc est, gratia Deo gratos nos efficiens, nihil tale promeritos. ἔλεος causa efficiens & cõseruans in gratia semel cõcessa, εἰρήνη omnimoda fœlicitas, vt aliâs à nobis exposita sunt.

Addit etiam causas, efficientem, *Deum Patrem*, mediam, *Iesum Christum Filium Dei Patris*, formalem, *In veritate & dilectione.* Nã prima illa tria bona in animo hærent: effundunt autem sese, vt in oculos omnium incurrant per dilectionem & synceritatem fidei. Ex quibus, de gratia, misericordia & pace hominum piorum possis statuere. Hi enim soli constanter & synceriter reliquos pios complectentur Dei amore, nihil sui quærentes.

Vers. 4. *Gauisus sum valde.*

II. Pars Epistolæ, exordium. Ducitur autem à congratulatione: ideóque ad beneuolentiã quoque pertinet. Amici enim mores exprimit, cuius est gaudere de bonis alienis: contrà simulati amici est, virtutibus alterius inuidere. Gaudium oblectationis, est argumẽtum in virtutibus alterius. Deinde bona sunt varia ob quæ gaudet, cõprehensa verbo ambulandi: hoc est, bonis moribus præditi sunt tui domestici, & pia conuersatione. Id enim vult verbum περιπατεῖν. Tertiò deprehẽdit hoc diligentia quadam, quod est εὕρηκα, ex quo apparet aliquandiu, aut sæpius per interualla in familia illa fuisse: ex quo tandem de domesticis illis potuit statuere, hoc quod hîc dicit. Est autem dili-

gentiæ singularis verbum εὕρηκα. Vnde illud de Archimede apud Plutarchum, εὕρηκα, εὕρηκα.

Quartò non omnes laudat, sed quosdam verè pios. Ideo dicit ἐκ τῶν τέκνων σου. Fuerunt igitur multi domestici, quos in genere filios dixit, & ex his alij laudabiles fuere, alij secus. Disce cœtus esse mixtos, qui tamē à melioribus laudem habent, quanuis pauciores fortè fuerint.

Quintò, virtutum moralium est commendatio, ex mandato diuino, *quemadmodū preceptum accepimus à Patre.* hoc est, pij mores renati hominis diuinitus pręcepti sunt: ideo de his non leuiter iudicare debemus. Ac peccant grauiter qui bona opera renati hominis tam probrosè traducunt, ac extenuant: his sanè fides præter idolum quoddam inane nihil videtur. Ore crepant, vana fides, operibus etiam nullas virtutes fidei referunt: sed promiscuè viuunt, vt homines qui Christum quoque non agnouerunt, ut in Socrate, Platone, Catone fortè plures conspicuas virtutes morales, quàm in illis laruatis Christianis. Meminerimus igitur præceptas esse renati hominis virtutes, quas nunquam intermittet, nec deerit occasio honestè viuendi. Interim facilè cauebit pius, vt hisce fidei ornamentis non adscribat iustitiam & vim salutis: sed omnibus etiam præstitis, dicet libenter, Seruus inutilis sum, Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo.

III. Pars.

Vers. 5. *Et nunc rogo.*

Propositio. Exordio succedit propositio, cuius sententia est, illos in fraterna dilectione constanter debere persistere, hoc est, fidem in Christum bonorum operum studio quàm diligentissimè testatam facere.

Initio instituit illam κατ' ἀντίθετον temporis & affectuum. Nam de præsentibus virtutibus dixerat, εὕρηκα, h.e. certò deprehendi. Hinc affectuum significatio, ἐχάρην λίαν: & nunc ἐρωτῶ peto dicit, hoc est, constantiam requiro ideóq; subtimeo ne vobis accidat, quod alijs & familiis & integris Ecclesiis vsu venit.

Deinde subiicit mitigationem priusquā absoluat propositionem institutā, *Non quasi nouum præceptum scribens, sed quod habuimus ab initio.* Forma est correctionis qua pręuenit cogitationes viduæ magis solicitas. Correctio est verbis interposita, quæ ἀμφιδιόρθωσις dicitur, cuius illustre est exemplū 1. Cor. 7. v. 10. Non ego, sed Christus. & Gal. 1. v. 7. In aliud Euangelium, quod non est aliud. Προδιόρθωσις dicitur, quando corrigitur antequā dixeris, quale illud est apud Cicer. Quanquam sentio, quanta cum offensione

Pro Roscio. dicturus sim, tamen dicendum est. & illud Pauli 2. Cor. 12. Gloriari mihi non expedit, veniam enim ad visiones & reuelationes. Ἐπιδιόρθωσις verò postquam dixeris. Cic. Istius fide, ac potius perfidia decepti. Item, Quæ verò conuiuia? honesta, credo in eiusmodi domo, si domus hæc habenda est potiùs, quàm officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorum omnium, &c. Sed ad rem.

Post mitigationem absoluit propositionem cœptam, *vt diligamus nos inuicem.* Dixi iam de illius sententia. Obseruentur argumenta ad πρότασιν hanc spectantia. Primùm Ioannes tantus vir hoc postulat: ergo præstandum est. Deinde rogat saltem quod iure suo imperare poterat. Ideo diligenter illi est obsequendum. Hoc genere argumenti sæpe vtitur Apostolus Paulus, vt roget, vbi imperare posset, & prætexit nomen suum ac authoritatem pro ratione. vt Gal. 5. Ecce ego Paulus dico vobis, &c.

Tertiò, quia præceptū est, ergo tenemur ad id præstandum. Quartò à circunstantia temporis: Vetus est, hoc est, natum cum homine, impressum naturæ, vel ab initio reuelati Euangelij à Domino Christo repetitum, & noua correctione emendatum à Christo. Quomodo idem præceptum sit nouum & vetus vide suprà 1. capit. 2. versic. 7. 8.

Vers. 6. *Et hæc est dilectio.*

Ἔκθεσις propositionis declarans ea in quę se effundit dilectio. Item quid Deus à nobis in ea requirat. Est autem forma definitionis Ioanni pecularis, qualis sup. 1. cap. 5. hæc est dilectio Dei vt mādata eius seruemus. Idem hic dicit: Hæc est dilectio vt ambulemus secundum præcepta eius, hoc est, est vniuersalis obedientia quā Deo in omnibus mandatis eius debemus. Id mox ἀντιστρέφει, hoc est, mandatum, vt secundum hoc viuamus. hoc est, mandatorum obseruantia est dilectio, &c. Repetit hîc verbum ambulandi, quia pręcepta Dei requirunt practicum hominem, quemadmodum ipsa quoque dilectio: & videtur dici περιπατεῖν Hebræorum more, apud quos *halac* significat morum energiam, consuetudinem agendi, & perseuerantiam in proposito.

Vers. 7.

Verſ.7. *Quia multi errones.*

Alterum eſt membrum propoſitionis de fidei ſynceritate diligenter conſeruanda: ac cohærent ſuperioribus per αἰτιολογίαν. Vnde conſtat priùs ἐντολὴν dictam præceptum Patris quoque de audiendo Filio: qui & dilectionem poſtea imperauit, & fidem in ſe poſtulauit. Ad poſterius rectè infertur hæc ætiologia. Vim habet argumentum à periculo ſummo, ac reſoluendum eſt in plura. Non enim vno modo vrget auditores. Primùm enim πλάνοι per ſe vigilanter cauendi ſunt in omni negotio: ergo magis in cauſa ſalutis. Sunt enim πλάνοι qui tranſuerſum nos abducunt à legitimis mediis & ſalutaribus: pro quibus nugas quaſdam obtrudũt, & pro auro & theſauro, meros carbones. Diligenter igitur retinenda eſt fidei ſynceritas, ne illi nobis imponant. Deinde multi ſunt: multitudo periculoſa eſt. Tertiò iam ingreſſi ſunt, hoc eſt, actu iam efficaciter docent, & decipiunt filios incredulitatis. Si in futurum eſſent ſolùm metuendi, ratio aliqua eſſet ſecuritatis: at iam in opere illos eſſe dicit, quaſi dicat, præſens eſt periculum. Matt. 17.

Quartò, *mundum ingreßi ſunt*, in quo ſcilicet etiã Eccleſia Chriſti peregrinatur, quaſi dicat, In communi loco verſamini cum deceptoribus. Mundus commune eſt hoſpitiũ bonorum & malorum, quaſi commune antrum erinacei & ſerpentis, in quo incõmodè viuitur. Viuendum tamen eſt neceſſariò: quaſi dicas viatori, Ecce in illo hoſpitio verſantur etiam fures & latrones, & tamen neceſſariò tibi quoque ibi diuertẽdum eſt: vigilans igitur ſis & ſobrius. Mundus Medæa eſt Iaſonis, hoc eſt, Satanæ ſponſa, & tamen in illius gremio, piis quoque verſandum eſt: caueant ergo ſibi.

Poſt argumẽtum addit ſignum certum, per quod illi impoſtores deprehẽdi poſſint, éſtque ſuis temporibus accommodatum: tũ enim paſſim Iudæi Chriſtum negabant in carnem veniſſe, & ex Chriſtianis quidam impoſtores negabant veram humanitatem Chriſti, alij diuinitatem. Hos omnes inquit impoſtores eſſe, & Antichriſti organa: ac ſi hodie ſigna impoſtorum proferres ex controuerſis quæſtionibus noſtro ſeculo, de vbiquitate, de ſubſtantia originalis peccati, de iuſtitia ſubſtantiali, & aliis quibus Eccleſiæ pax ſtrenuè ſcilicet reſtauratur. De eo ſigno vide ſup. cap. 4. initio & cap. 2.

Verſ.18. *Attendite igitur vobis.*

Illatio eſt per exhortationem. Ratio eſt addita à pœnarum & incommodorum metu. Amiſſio operis eſt vtrinque metuenda tam auditoribus quàm doctoribus. Auditores enim vera media ad ſalutem amittunt, veram inuocationem, veram fidem, & verbonorum operum ſtudium, dum ſe impoſtoribus permittunt. Ideo hæc omnia alij in ſecunda perſona legunt. Deinde idem incommodum ſequitur doctores qui laborũ ſuorum fructum amittunt, dum auditores ſemel rectè inſtituti aliò abripiuntur. Vtroque igitur nomine vigilantiam requirit contra impoſtores. Deinde mox opponit his incommodis, ingentem ſpem mercedis ſi in ſynceritate fidei permanſerint. Spes eſt vt mercedem plenam recipiamus. Merces datur perſeuerantibus: eſt enim duplex, vt hinc conſtat, alia plena, alia non plena. Illa ad eos pertinet qui ad finem vſque perſeuerarint: vt enim in curſu coronantur ſolùm hi qui optimè abſoluerint curſum: ſic pij poſt hanc vitam coronabuntur. Eſtque plena merces, vita æterna, hac enim nihil pleniùs dici poteſt. Non plena merces eſt, quæ in hac vita datur bene incipientibus: hi laudãtur, éſtque huius virtutis quoddam prẽmiũ. Illi audiunt de ſe dici, Dimidium facti qui bene cœpit, habet: & alia de eis dicuntur: ſed totum hoc plenum non eſt, niſi ad finem vſque conſeruarint ſanam doctrinam.

Verſ.9. *Omnis qui tranſgreditur.*

Regula generalis doctrinæ ſecundum quam debent iudicare de doctoribus, éſtque & ipſa ſuo tempori accommodata. Ponitur autem per oppoſita membra. Vide ſimile ſup. 1. cap. 2. ver. 24. Doctrina Chriſti eſt illa de ſana doctrina retinenda, de cauendis pſeudoprophetis. Addit huic regulæ argumentum à damno: Deum is non habet, qui hanc doctrinam non retinet. Contrà qui manet in Chriſti doctrina, duplex is commodum aſſequitur, quia retinet & Patrem & Filium.

Verſ.10. *Si quis venit.*

Caſum ponit vt doceat quid illis faciendum ſit. Duo autem præcipit. Primùm non recipiendi ſunt tales in familiam. Nam ſecundum Chriſti mandatum, doctores diuertebant ad fideles auditores, illícque manebant pace dicta domui, contenti etiam præſentibus familiæ cibis. Deinde, *Nec aue illis dicendum.* Prius certè inhoſpitale videba-

tur, & contra Christi regulam: posterius etiam inciuile: nam saluta libenter, præceptum est morale.

Vers.11. *Qui enim dicit illi salue.*

Αἰτιολογία est præcepti de non salutando. Tantùm abest vt impostor debeat admitti in domum: reddit autem rationem à mali contagione, quasi dicat, multis modis conuersatio talium est contagiosa: nam salutatio parit colloquium, colloquium reddit familiaritatem: ex illa concipiuntur opiniones sinistræ. Hinc fluunt corrupti mores, & eo pacto communicat illius malis operibus, hoc est, fit deterior, & malè agere discit. Vide Rom.16.vers.17. Hoc consilio ipse Ioannes Cerinthum fugit, vt nollet etiam ingredi commune balneum, in quo audiebat lauare Cerinthum, addens, fugiamus hinc, ne domus illa cum Cerintho opprimat nos.

Vers.12. *Cùm multa habeam.*

Epilogus est, in quo primùm excusat breuitatem scripti, ac multa quædam in aliud tempus cōmodius reiicit, quia non satis tutò chartę cōmitti poterāt. χάρτον idem quòd ὁ χάρτης. Inde χάρτιον, chartula. Videtur nomen habere ἀπὸ τοῦ χαράττειν, quod est insculpere, pingere. Videntur enim qui scribunt, scalpere. Hinc pingere & scribere pro eodem sumuntur, & quia charta idonea est cui aliquid inscribatur & pingatur, cōmodè inde nomen habet. Fiebat autem olim ex papyro, Nili quadam planta. Vnde Dioscor. ait, πάπυρος γνώριμος πᾶσιν ἐξ ἧς ὁ χάρτης κατασκευάζεται. Hoc est, papyrus nota est planta, ex qua charta conficitur. Nobis hodie ex veteri tela conficitur miro ingenio & vtili rebus mortalium.

Μέλαν atramentum est, sed admittit multiplicem differentiam. χάλκανθον vocant sutorium, *kupffer vvasser:* γραφικὸν autem dicitur quo vtuntur studiosi. ζωγραφικόν, quo vtūtur pictores, dilutius aliquanto. Est & ἰνδικὸν, Indicum dictum etiam nobis. Sed de his vide Dioscor.


Alterum membrum epilogi est, quo promittit suum aduentum, in quo quæ iam desunt Epistolæ, omnia abundè complebit. Prudentia est Apostolica, non importunè scribere ea quæ tutiùs viua voce docebit.

Tertium membrum epilogi τελικὸν est, vt gaudium vestrum impleatur, imò fortè nostrum: nam non solùm familia gaudebit, sed Apostolus quoque: piorum enim mutuus hic est affectus.

Vers.13. *Salutant te.*

Appendix continens salutationes filij sororis. Ergo & hæc pia erat familia. Constat autem hinc ἐκλεκτὴν non esse proprium nomen, nisi duas sorores eiusdem nominis esse velis credere. Probabilius multo est duas electas dici ob fidem, secundum quam in Christo erant electæ ad vitam æternam, quam nobis donet Christus Iesus Dei Filius. Amen.

TER-



TERTIÆ D. IOANNIS EPISTOLÆ ΟἸΚΟΝΟΜΊΑ.



IOannes familiari hac epiſtola hortatur Gaium veterem ſuum hoſpitem, vt in ſtudio hoſpitalitatis pergat, nec moueatur Diotrephis ſeu minis, ſeu contrario exemplo, interim commendat illi peregrinantes nomine Chriſti, & inter eos Demetrium nominatim pium virum & dignum ſuo hoſpitio.

AVTOR.

Statuimus autorem huius epiſtolæ Ioannem Euangeliſtam: quæ contrà adferuntur, jam ſuprà partim diſcuſſa ſunt. Vide in argumento Hieronymũ in vita Ioannis & Papiæ. Apud Syros non quidẽ eſt in Canone, ſed tamen priuatim legitur ipſorum lingua, vt ſuperior ſecunda, & conſequens Iudæ.

CVI DEDICATA SIT.

Scribitur ad quendam Gaium, qui quis fuerit non ſatis conſtat, niſi quod probabili coniectura colligi poteſt hominem fuiſſe Romanum, cui aſtipulatur nomen Gaij, aut ſi Romanus non fuit, ſaltem Rom. iure Romanum aſciuit nomen, quod ipſum quoque Paulum feciſſe diximus. Forte Corinthius fuit patria, aut ſaltem habitatione. Nã ad Rom. 16. inde ſcribens, ait, Salutat vos Gaius hoſpes meus, & totius eccleſię, & contrà in priori epiſtola ad Cor. cap. 1. gratias agit Deo, quod apud eos neminem baptiſarit excepto Chriſpo & Gaio. Fortè hic ipſe Gaius eſt bene meritus de eccleſia. Nam hoc loco Gaius ab hoſpitalitate prędicatur, & ille Gaius Paulinus, non ſolum Pauli hoſpes eſt, ſed totius eccleſiæ: quod ſi fuerit idem Gaius feliciſſimus fuit hoſpes, qui Paulum & Ioannem ſummos Apoſtolos ſuo hoſpitio exceperit.

OCCASIO.

Occaſio ſumpta eſt à crebris commendationibus fratrum, qui apud Ioannem Gaij hoſpitalitatem miris laudibus efferebant, & cùm hanc etiam ipſe Ioannes expertus eſſet, excitatus eſt vt abſens hanc ipſam in ſuo hoſpite commendaret, hortaretúrque ad eius virtutis conſtantiam: ſimul voluit patefacere eos qui tyrannidem affectabant in eccleſia, vt hoſce cauerent.

GENVS.

Genus principale eſt προτρεπτικόν. Nam omnino illi ſcopus eſt Gaium confirmare in præſenti propoſito. Accedunt quæ hoc adiuuant & exornant, Ἐπαινετικά. Nam oſtendit publicis teſtimoniis commendari ſuam virtutem, quam ſuo etiam calculo, & veritatis teſtimonio exornat. Accedit ψεκτικόν, quo hominem reprobum & tyrannidem affectantem in eccleſia perſtringit. Accedit etiam συςατικὸν quo illi commendat pios nomine Chriſti peregrinantes, & gratis docentes Euangelium inter Gentes. Nominatim autem συςατικὸν eſt, quod illi commendat Demetrium.

PROPOSITIO.

Propoſitio eſt, Gaius quemadmodum hactenus, ſic deinceps in hoſpitalitatis ſtudio perdurare debet, nec moueri contrariis exemplis, quæ ei in hac re obſiſtebant.

PARTES.

Partes 5. ſunt: Prima eſt titulus continens inſcriptionem & ſubſcriptionem. Secunda, exordium valde ἠθικὸν (id eſt moratum) Nam à comprecatione optat illi felicẽ curſum in omnibus ſuis occupationibus, quę planè faciunt ad beneuolentiam, & habent ſalutationem, quæ alioquin titulis ſolet coniungi. Tertia eſt ver. 3. breuis narratio continens occaſionem, qua ad ſcribendum eſt inductus, & ſubiicitur ſuperioribus per αἰτιολογίαν hanc illuſtrat αὐξήσει ver. 4. Quarta pars eſt v. 5. propoſitio, cuius ſentẽtia eſt: perſeuerandũ eſt tibi in ſtudio hoſpitalitatis. Rationes ipſi propoſitioni inuoluit. Primùm, quia opus eſt πιςὸν h. e. quod ornet fidelem hominem, & adeò illi ſit propriũ. Deinde, quia hi ſint fratres quibus id præſtatur. Et tertiò quia ſint peregrini, & quartò quod virtutem hanc ſequatur laus, quàm gratitudinis nomine tibi reponunt,

& 5. quia emanat illa laus ad totã ecclesiã, & 6. quia in ipsis quodãmodo Deus recipitur, & 7. pro nomine Christi peregrinantur. 8. gratis docent Euangeliũ. Hinc infert συμπέρασμα, ergo nos debemus tales promouere & iuuare. Accedit 9. quod hoc medio reddimur συνεργοὶ hoc est, qui ministri veritatis non sunt, ita efficiuntur, vt & ipsi quasi ministri Christi sint. Hinc ἀποδίωξει transit ad contrarium exemplum, & perstringit quendam, qui omnia sua ad priuatas laudes instituebat, cui comminatur grauem expostulastionem. Constat ex eo exemplo studium tyrannidis in ecclesia mature radices posuisse. Huic malo exemplo opponit Gaij exemplum, & ei commendat de nouo Demetrium, quicquid Diotrephes contra dicat. Durant hæc vsque ad vers. 13. Ibi statuatur 5. pars Epilogus, cuius loci sunt reiectio longioris argumenti, promissio sui aduentus, comprecatio, & salutationes.



IN TERTIAM EPISTOLAM D. IOANNIS, ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ.

Author. Vpra iam indicauimus de huius epistolæ autore, vt & secundæ variare scilicet sententias. Hieronymi enim sententia est, eam scriptam esse à Ioanne quodam Presbytero dicto, cuius ex Eusebio suprà mentionem fecimus. Vide Hieronymum in vita Ioan. & Papiæ. Nostra sententia est quæ hodie doctorum per Europam, à Ioanne Euangelista scriptam. Puto enim eundem Ioannem & Euangelistam & Theologum & Presbyterum dici, diuerso respectu.

Cui scribatur.

Caio cuidam dedicatur, qui quisnam fuerit, nõ satis liquet: quantum tamen probabili coniectura colligi potest, homo Romanus fuit, quod nomen Caius arguit, vel saltem Romana ciuitate donatus, vnde nomen Romanum assumpserit, vt Paulum fecisse probabile est. Et siquid probabilis coniectura valet, Corinthius fuit quod habitationem attinet. Nam Apostolus Paulus ex Corintho scribens Romam, inter alia ait, c. 16. Salutat vos Caius hospes meus & totius Ecclesiæ: ad Corinthios verò scribens, 1. epist. cap. 1. v. 14. ait, Gratias ago Deo meo, quòd neminem baptizauerim præter Chrispum & Caium. Is Caius fortè fuerit hîc noster bene meritus de Apostolo Paulo & Ioanne, aliisque sanctis, adeo vt domus eius fuerit commune hospitium piorum omnium. Nam hac epistola in primis eius laudatur hospitalitas in pios, vt ille Paulinus Caius hospes non solùm Apostoli: sed totius Ecclesiæ dicitur. Hæc valde sunt probabilia, quanuis certò & necessariò concludi non possint. Ea igitur sequamur, donec apertiora prolata fuerint.

Occasio.

Occasio oblata est: nam dum viri huius beneficentia à multis publicè commẽdaretur, Apostolus Ioannes non solùm gratanter illa testimonia virtutis audiuit: sed tandem absentem & laudare, & ad constãtiam in ea virtute excitare voluit. Ipsum igitur laudat & exhortatur certis rationibus propositis. Diotrephen autem vt improbum tyrannidis affectatorem perstringit. Caio interim fideles, in primis Demetrium commendans.

Principale & prædominans est προτρεπτικὸν: nam ad hospitalitatem in primis cohortatur. Accessoria deinde sunt, ἐπαινετικὸν, quo laudat Caium à publicis testimoniis. ψεκτικὸν, quo Diotrephen vt improbum hominem perstringit. Συστατικὸν, quo pios Christi nomine peregrinantes Caio commendat, inter quos vnus est Demetrius insignis Christi exul.

Propositio.

Sententia epistolæ est, Caio in hospitalitatis proposito perdurandum esse: nec illi respiciendum ad eorum exemplum qui ei in hac re resistebant.

Partes.

Partes quinque constituo. Nam quanuis breuis sit, tamen ad formam epistolarem cómodè est expressa. Prima est titulus constans ἐπιγραφῇ, h.e. certis personis tum scribente, tum eius ad quem scribitur. 2. Est exordium comprecatione constans & ad beneuolentiam refertur. 3. pars est διήγησις, h.e. breuis narratio, de occasione, qua ad scribendum est commotus. Quarta est πρόθεσις continens scopum epistolę. Ei adduntur rationes quædã quæ ἀναλύσει resoluendæ sunt, vt constet quibus rationibus nitatur exhortatio principalis. Quinta pars tribuitur ἐπιλόγῳ, quo longiorem scriptionem breuiter excusat, per reiectionem in aliud tempus.

Titulus.

Senior Caio. Titulus est continens nomen authoris & personæ cui dedicata est. Epistola. Πρεσβύτερος Ioannes est Euangelista qui ob ætatem iam grandæuam, & authoritatem sic vocatur: idem ob rerum diuinarum peritiam Theologus, & ob scriptam historiam Euangelicam, Euangelista dicitur. Atque hoc membrum propriè pertinet ad ὑπογραφήν.

Alterum est de persona Caij, de quo iam diximus quid probabiliter dici possit. Placet mihi Lyrani sententia, fuisse Corinthium. Vide superiora. Addit beneuolentiæ argumentum: *Quem ego diligo in veritate.* Idem in altera epistola fuit adiectum, ἐπιγραφῇ hæc est epistolæ.

Exordium.

Dilecte, inprimis opto. Altera hîc constituitur pars, exordium, scil. Habet autem comprecationem, quæ in titulo fuit omissa, ac ad beneuolentiam declarandam, adeóq; captandam facit magis perspicuè. Porrò in rebus ipsis est collatio quædam. Nam bonorum cóparatione, auctiora precatur illa, quæ externa dicuntur, vt est sanitas, & rerum in agendo successus. Confessum est, animo illum bene valere, quod est εὐοδοῦται τῇ ψυχῇ. Id habebat ex regeneratione vera in Christum fide. Sic corpori comprecatur ὑγιαίνειν, vt sanum sit. Sanitas reliquorum bonorum corporis fundamentum est: nam hinc robur floret, & forma viret. Illa autem coniuncta cum animi dotibus, pulcherrimum efficit bonorum chorum. Optandum igitur omnibus, vt sit mens sana in corpore sano. Tertiò comprecatur etiam fortunæ bona: εὐοδοῦσθαι quoque de successu in rebus agendis dicitur. Vide Rom. cap. 1. vers. 10. Discimus autem non esse à religione vera alienum, curã habere corporis, & eius prosperam valetudinem amicis comprecari. Sic bonorum fortunæ moderata cura nõ damnatur: sed potissima semper debetur menti, vt illa bene habeat & valeat quàm rectissimè in Domino. Vers. 2.

Narratio occasionis.

Vers. 3. *Gauisus enim sum valde.*

Tertia pars epistolę, qua breuiter narrat occasionem scripti. Subiicitur autem superioribus κατ' αἰτιολογίαν, qua comprecationis rationem reddit. Sententia est, Multi tuam mihi prædicarũt hospitalitatem: hinc amor in te mihi auctus, hinc voluntas ad scribendum est mota: voluntas tandem idoneam nacta occasionem, perfecit quod desiderauit.

Initio vide boni animi esse, aliena virtute delectari, & eidem fœliciter agenti congratulari. Deinde gratitudinis esse, accepti beneficij meminisse etiam apud alios, idémque prædicare & extollere. Tertiò ipsa hospitalitas veritatis nomine commendatur, quia testimonium est fidei minimè fictæ. Denique in veritate ambulare, est fidem bonorum operum studio ornare & testatam facere.

Vers. 4. *Maius enim gaudium.*

Αὔξησις est à comparatis. Auget autem affectum oblectationis quem capit ex virtutibus aliorum, dum in bonorum operum studio in dies crescunt, quod boni est animi. Deinde Ioannes cœlebs filios vocat suos, inter quos etiam Caius hîc numeratur, sed doctrinæ sunt & institutionis: quemadmodum Pauli filius erat Timotheus & Titus. Quòd si Caius hic Corinthius fuit, tum Pauli quoq; filius fuit, nã ab eo baptizatus erat. Sed non impedit illum plures habuisse præceptores in religione. Fœlicissimus fuit Caius, qui & Paulum & Ioannem summos Apostolos habuerit præceptores.

Πρόθεσις.

Vers. 5. *Dilecte, fideliter facis.*

Quarta est pars: ac constituenda est hoc loco principalis propositio, Caio in hospitalitatis studio constanter est perseuerandum, quicquid seu Diotrephes, seu alij obganniant.

Deinde adduntur propositionis rationes ex ipso contextu, primùm quia est πιστὸν, h.e. res digna fidelibus, & quæ in primis fidem ornat. Talis est hospitalitas. Argumentũ sit, Omnes πιστοὶ debēt πιστὰ facere: hospitalitas est πιστὸν, & tu Caj es πιστὸς, Ergo debes hospitalitatẽ exercere, quatenus est πιστόν.

Altera ratio à persona eorum quibus confertur illa beneficentia. Sunt fratres: ergo his nihil facilè negabis. Est enim summa coniunctio inter vxorem & maritum: deinde inter parentes & liberos: denique inter fratres. Sunt autem fratres pij omnes ratione regenerationis, postquam vnum agnoscunt & colunt Patrem. Deinde sunt etiam ξένοι, h.e. aduenæ, vt fratres sint pij in genere omnes tam domestici quàm aduenæ: ξένοι autem qui egent, etiamsi conuersi nondum sint. Videntur enim opponi hæc duo vocabula, q.d. domesticos fidei, & alienos adhuc à fide, omnes autem cõmuniter egẽtes & pauperes. Ex quo perspici potest magna laus Caij, vt qui hospitalitatẽ exercuerit in omnes pauperes, tũ conuersos, tum adhuc alienos à fide Christi. Quartò, quia hãc virtutem sequitur laus tua, quia quot excipis hospitio, tot præcones virtutis tuæ relinquis. Quintò, laus illa publica est, coram tota Ecclesia laudaris: Ergo in cursu virtutis non debes languescere. Sextò, res est digna Deo, hoc est, Deum verum colentibus, quos decet ad exemplum Dei Patris quàm plurimis benefacere, quare vnà videmur Deo pares effici.

Obserua in hoc argumento etiam modum liberalitatis in Caio. Is primùm excipit hospitio & commodè tractat: deinde, iuuat etiã viatico, quod est deducere. Crescit huius virtutis laus, vt priùs à personis: benefacit piis Christianis, & pauperibus nondum conuersis, vt his illecebris illos alliciat. Ita hoc loco domi suæ excipit, & abeuntes viatico iuuat. Septimò à qualitate peregrinationis, *Exiuerunt pro nomine eius*, hoc est, vel eiecti sunt à suis popularibus propter fidem Christi, vel sponte peregrinantur, vt longè latéque promoueant doctrinam Euangelij. In hoc argumento expende peregrinationum differentiam. Honesta est quæ suscipitur nomine Christi, vel eiusdem causa imponitur inuitis. Turpes autem sunt quæ fiunt ob scelera, vt fures, latrones, incendiarij peregrinantur vt noceant quam plurimis, vel quia vbique scelerum pœnas timent. Sic impiæ sunt peregrinationes, quas hypocrisis dictat, vt visitare hodie loca sanctorum.

Octauò quia gratis illi docent, *Nihil*, inquit, *accipientes à gentibus*, hoc est, ab Ecclesiis gentium, quas conuertebant. Fuit hoc studium frequens primis doctoribus, vt gratis docerent, non verò alia de causa, quàm vt vitarent scandalum, adeóque faciliores essent gentes ad amplectendum Christum. Sic Apostolus Paulus, gratis docuit Corinthios & alios.

Vers.8. *Nos igitur debemus.*

Συμπέρασμα est, quò rationibus subiicit propositi sui institutum. Porrò colligit vniuersale, vt probet speciale. Nos debemus, hoc est, pij omnes quoad fieri potest, debẽt promouere eos qui laborant in verbo. Obserua Ioannem se cõnumerare his qui alios iuuare debent viatico, quanquam esset pauper, vt singuli scirent pro suo modulo se posse promouere negotium religionis. Deinde cùm omnes pauperes iuuandi sint, tamen doctores qui gratis docent, in primis sunt iuuandi. Τοιούτους enim tales dicit, qui peregrinationes suas accommodent ad Ecclesiarum vtilitatẽ, & quamplurimos Christo lucrifaciant & conuertant. Addita est mox ratio, vt synergi efficiamur veritati. Illustre argumentum est. Docet enim eos qui ministros Euangelij iuuant viatico, quoque inter doctores aliquo modo recensendos, vt illi qui organa subministrant ad agendum aliquid agere quoque dicuntur. Caius igitur quanuis per se doctor non esset, tamen cùm alios docentes iuuaret hospitio & viatico, efficitur quoque συνεργὸς, hoc est, adminîster, seu cooperarius. Excitet hæc ratio diuites, qui illo modo doctores esse poterunt.

Vers.9. *Scripsi Ecclesiæ: sed qui.*

Digressio hoc loco instituitur ad exemplum contrarium, habétque illustrem descriptionem personæ vituperatæ. Depingit autem hanc pluribus notis, vt Caius intelligat minimè illi talia exempla esse imitanda. Initio obserua argumenti plenioris significationem per aposiopesim, seu ἀποσιώπησιν: hoc enim vult dicere se de hac re plenius scripsisse ad totam Ecclesiam. Porrò quænam illa sit quæri solet. Placet probabilis illa coniectura qua Corinthiaca intelligitur: nam in ea fuit Caius quidam hospes Pauli & totius Ecclesię. Pręterea quę hîc Diotrephi tribuũtur rectissimè cadunt in Ecclesiam illam Corinthi. Nam sectas aluerunt etiam Apostolo Paulo adhuc viuente, vt constat

1.Cor.

1. Corinth. 1. verſ. 12. In 5. cap. inceſtum quoque habent: 6. cap. lites illorum redarguuntur: ſic cap. 7. varias quæſtiones mouerunt: & cap. 8. litigant de cibis idolis immolatis, vt valde fiat probabile intelligi hoc loco Corinthiacam Eccleſiam.

Deinde conſidera perſonæ deſcriptionē. Primùm nominis eſt notatio, Diotrephes dicitur: ſonat à Deo nutritum, & eſt apud Homerum epithetum regium, vt ex illo cõſtat, ἔχθιςος ἦ μοί ἐςὶ διοτρεφέων βασιλήων, Inimiciſſimus eſt mihi inter reges à Ioue nutritos. Commoda autem appellatio eſt admonens præſides ſe gubernationem habere à Deo, ὅθεν ἔχει τὴν βασιλείαν. Sic in Eccleſia gubernatio Dei eſt miniſtrorum, non prætoria eſt.

Deinde admonemur ne nimium tribuamus ſplendidis nominibus & titulis: nam ſolent nos vt plurimùm fallere. Habemus enim hîc in impio & ſuperciliofo miniſtro ſplendidum nomen, ſed non ſtatim Dei eſt nutritius qui nomen illius ſibi vſurpat.

Hinc ſequuntur hominis illius epitheta. φιλοπρωτεύων dicitur, hoc eſt, amator primatus, adeo vt in ſua illa Eccleſia ſolus videri & excellere vellet. Quæſtio de primatu maturè vexauit Eccleſiam Chriſti. Nam diſcipuli hanc ipſam agitant Chriſto adhuc cum illis agente in terris. Eo ſublato ad cælos, viſa eſt res digna, pro qua certaret improbi miniſtri, ex quorum numero hic eſt Diotrephes. Poſterius ſeculum ad ſanguinem vſque de eo certauit ac tandem res in vnius peruenit poteſtatem. Secundò, *non ſuſcipit nos*, hoc eſt, me Ioannem & doctrinã meam aſpernatur, ideóque etiam alios rectè ſentientes. Proprium eſt primatui alios aſpernari, nec aliud quàm ſui pectoris iudicia admirari & magnifacere, reliquos facilè damnare, & vt ineptos exſibilare. Diſcant pij ferre patienter reproborum calumnias exemplo Ioannis, iiſdémque interim ſuo loco reſpondendum eſſe.

Verſ.10. *Propterea vbi venero.*

Aſpergit ἐπίπληξιν, quæ ad terrorem hominis reprobi debet facere. Comminatur autem reprehenſionem manifeſtè. Similem habemus 1. Corinth. 13. verſ. 3. Vbi Paulus comminatur ſe venturum ad eos in potentia Chriſti, quandoquidem multi apud eos quærebant ſigna loquentis Chriſti in Apoſtolo. Hinc continuat hoc loco φόγυ προσώπυ διαβεβλημβύυ. Tertia igitur nota eſt, λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν ἡμᾶς, hoc eſt, maledicendi ſtudio contra nos fertur. Malis maledicere vtcunque ferri poterat, ſed bonos calumniari, & Apoſtolum, id demum intolerabile eſt. Porrò vox φλυαρεῖν videtur metaphoram habere. Primitiuum enim eſt φλύω, quod de ollis propriè dicitur dum ebulliunt: hinc φλυαρῶν dicitur ὁ ἀναζέων ἐν τοῖς λόγοις, quod nos propriè dicimus, *prallen*, hoc eſt pompoſè, ſed nugaciter loqui: quod dicendi genus propriè quadrat in eum qui de primatu pugnat.

Quartò, non contentus eſt ſtudio maledicendi, hoc eſt, finem in malo non reperit, inſatiabilis eſt in calumniis. Quintò inhoſpitalis eſt. Ambitioſus enim inde ad ſui cultum omnia applicat, ſpoliat potiùs alios, vt ipſe materiam habeat ambitioſè viuendi.

Sextò alios in hoc curſu etiam impedit, q. d. Caio viro hoſpitali moleſtum fuiſſe. Inuidia enim laborant ambitioſi, ac metuunt ne alij aliis modis excellant magis quàm ipſi. Septimò, addit fulmen Pontificium, cum eiicit ex Eccleſia. Hoc prædixit D. Chriſtus Ioan. 16. & exemplum habemus eiuſdem Ioan. 9. in cæco illo pro ſe reſpondẽte. Talis excommunicator præſens Diotrephes, qui tamen titulo Chriſti & miniſterij indubiè omnia faciebat. Meminerimus igitur ornamenta quoque Eccleſiæ, qualis eſt diſciplina & ipſa ſacramenta etiam ab impiis ſæpe rapi ad ſuorum affectuum patrocinium, & muniendam tyrannidem: nec ideo mox miniſter eſt, qui ius excommunicandi ſibi vſurpat.

Verſ.11. *Dilecte, ne imiteris.*

Illatio eſt per exhortationem. Caio perniciosum exemplum non eſſe imitandum, nec illius terrore ab honeſtiſſimo hoſpitalitatis ſtudio deficiendum. Repetit autem propoſitionem per contraria. Sic eidem mox addit argumentum quoque contrariis enunciatum: Malum noli imitari, hoc eſt, exemplum Diotrephis pernicioſum, vel in genere mala ſtudia: ſed bonum, hoc eſt, hoſpitalitatis exercitium. Ratio autẽ eſt, Qui bonum facit, ex Deo eſt, hoc eſt, ſtudium bonorum operum ſignum eſt veri Filij Dei, quòd ſeriò ſis renatus: contrà malorum operum ſtudium, ſignum eſt hypocritæ in Eccleſia. Deum non vidit, ſcilicet animi oculis, quibus ſolis in hac vita Deus videtur. Iactabant illi tumidi excommunicatores contemplationes ac viſiones: ſed mentiuntur,

inquit Ioannes, nullum eis cum Deo vel eius Angelis commercium est. Duplex inest ratio à duplici & contrario signo.

Vers.21. *Demetrio.*

Exemplum iam profert boni ministri Christi, quíque dignus est hospitio Caij. Demetrium quendam habuimus in Actis cap. 19. vers. 24. sed improbi hominis ac defendentis promouentísque artificio suo idolorum cultum. Sed hoc loco lõgè alium habes. Commendatur triplici testimonio: primùm Ecclesiæ, deinde ipsius veritatis, tandem Apostoli Ioannis. Ornatissimus igitur venit ad Caium. Homines errare poterant etiam veraces, sed ipsa veritas falli non potest: denique congruit Ioannis iudicium, cui astipulantur rectè iudicantes. Similia habes in Euang. Ioan. cap. 21. ver. 24.

Vers.13. *Multa habens scribere.*


V. Pars, epilogus est, cuius partes sunt: primò abrumpit longiùs argumentum, quę pars ἀποδίωξιν habet. Non autem simpliciter tollit argumentum, sed hoc modo suprà dixi de atramento, vbi de charta quoque dictum est. Hoc loco addit κάλαμον significat autem harundinem, & in vsu scribentium erat: hinc vsus obtinuit, vt calamum pennam quoque vocemus. Dicitur κάλαμος παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι, quod accipio de loco natali, quia simul multi crescunt calami, éstque alius γραφικός, hoc est, seruit studiosis ad scribendum, alius αὐλητικός, hoc est ad tibias vtilis, quem δόνακα vocarunt & syringa. Sed de his in re herbaria disserendum fuerit.


Altera pars Epilogi est in sequenti versu, qui habet ὑπόσχεσιν sui aduentus: quo tempore cõmodiùs de omnibus differet. στόμα πρὸς στόμα Paulo est πρόσωπον πρὸς πρόσωπον.

Tertia pars est comprecatio. *Pax tecum.* More Hebræorum loquitur, qui adeundo & recedendo dicunt *Schalom leca.* Pax tibi.

Quarta est salutatio mutua. Amicos vocat, quos suprà fratres dixit ex professione Christi, κατ᾽ ὄνομα phrasis Ioannis. Vide Ioan. 10. Vt proprias oues κατ᾽ ὄνομα, nominatim. Hactenus.

COM-





COMPOSITIO EPISTOLÆ D. IVDÆ.

Argumentum.

APostolus Iudas idem vrget argumentum quod superiores Canonicæ epistolæ, nimirum pios oportere vocationi suæ quàm diligentissimè insistere. Nam Deus etiam punit vocatos si non respondeant vocationi suæ. Hanc sententiam variis exemplis probat, vt historia populi Dei in quo post liberationem ex Ægypto multa extant iræ diuinæ testimonia, ita inter Angelos exempla sunt pœnarum. Sic in Sodomitis & Gomorrhæis. Hæc & similia applicat ad statum ecclesiæ in qua similia portenta extabant, quemadmodum semper etiam adhuc extant.

AVTOR.

De autore epistolæ dubitatum olim fuit & adhuc hodie nonnulli dubitant, sed libenter admitto ipsum Apostolum Iudam hanc conscripsisse, eum, inquam, qui appellatus est Lebbæus & Thaddæus, qui fuit Alphæi filius, & (vt hic dicit) frater Iacobi Iusti, & per consequens Simonis Cananæi vocatio illius habetur apud Matth. 10. Luc. 6. Mar. 9. & repetitur Act. 1. Docuit is Euangelium in diuersis nationibus, Mesopotamia, Ponto, Ægypto & Perside, vbi à Magis, vt tradunt, interfectus est, quòd liberiùs illorum superstitiones reprehenderet. Vide Euseb. lib. 2. cap. 33. Hier. in Catalogo. Cæterùm qui illius hanc epistolam negant, istis ferme vtuntur rationibus, Primùm, quòd non vocat se Apostolum. Deinde, quòd materia ferme consarcinata videatur ex 2. epistola Petri capite secundo & tertio, quòd citet apocryphum librum Prophetę Enoch. Quæ rationes si diligentiùs examinentur non perinde vrgent. Nam prima illa parum concludit, non vocat se Apostolum: ergo Apostolus non est. Nam facilè responderi potest se in loco neglexisse maiores titulos ad declarandam modestiam & humilitatem: quibus alioquin iure vti poterat, & iniqua sit lex cogere scriptorem ad certos titulos. Nam Iacobus & Ioannes ab eodem titulo Apostoli abstinent, contenti humilioribus nominibus, vt serui & similibus. Et si valeret hoc argumentum eodem euerteres epistolas aliquot Paulinas, de quibus tamen nemo vnquam dubitauit, vt illam ad Philippenses, duas ad Thessalonicenses, & illam ad Philemonem, in quibus se non vocat Apostolum. Alterum argumentum, quod attinet ad similitudinem exemplorũ, quæ videtur sumpsisse ex 2. ca. 2. Petri. Nihil etiam efficit, nisi hoc saltẽ fortè quòd posterius scripserit & Petri epistolã legerit, quod magis ad laudem facit. Debemus enim superiorum doctorum scripta diligenter reuoluere, præsertim in eadem religione, cum videamus hoc semper fuisse in vsu piis, & hinc nostris temporibus etiam auditoribus vtiliter applicantur similia argumenta. Sic posteriores Prophetæ antecedentium Prophetarum argumenta & rationes suis inseruerunt. Cæterùm quid si hoc etiam negetur addicat aliquis, non tam ex Petro sumpsisse quàm ex ipsis Prophetis, vnde Petrus eadem habebat. Certum enim est, quòd historiam de populo Dei tam atrociter punito, nõ ex Petro habeat, sed refert illam ex Mose, idem ergo dici potest ad reliqua exempla. Nam quod infert de casu Angelorum, de pœnis Sodomorum & Gomorrhæorum, & in genere omnium reprobè viuentium communia habet quidem cum Petro, sed inde ex veteri Testamento cõportata sunt, vnde eadem desumpsit Petrus. Tertiò, quod attinet librum Enoch, imprudenter quædã hìc inferuntur. Primùm enim Enoch Prophetæ titulo spoliari non debet, cum fuerit insignis Patriarcha, qui omnes Propheticũ habuerunt Spiritum, & ipsi Iudæi fatentur Enochum quædam scripsisse. Sed dicunt librum apocryphum non rectè citari ad confirmationem. Respondemus hoc etiam incautè dici. Nam confirmatio applicari debet ad iudicium auditoris potius, & validissima est ratio quę auditorum fidem habet. Sic videmus Paulum in suis orationibus non semper vti Prophetarum testimoniis, sed habito auditorum respectu, profert interdum

Gentiles poëtas, vt in Act. 17. apud Athenienses profert testimonium Arati. Sic in 1. epist. ad Cor. 15. citat Menandrum, & in 1. c. ad Titum Epimeniden Cretensem, & ad Tim. Iannem & Iambrem profert nomina Magorum, quę tamen Moses planè non habet. Eodem iure ergo licuit Iudæ proferre testimonium à sanctissimo Patriarcha Enoch, qualecunque fuerit illius scriptum, & certum est multorum Prophetarum libros intercidisse, qui si extarent, haberentur in Canone.

CVI SCRIPTA SIT.

Scripta est hæc epistola vocatis sanctis, hoc est, omnibus fidelibus, seu omnibus profitentibus nomen Christi, quos definit eleganter esse cœtum sanctorum & redemptorũ & vocatorũ, per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qua descriptione statim admonet ecclesiam militantem non satis titulo tenus esse Christianum, sed oportere fidem semel datam omni studio bonorum operum defendere.

OCCASIO.

Oblata est illi occasio scribendi ex dissolutis moribus Christianorum, qui non solùm inualescebant tum inter auditores, sed inter ipsos doctores etiam habebant strenuos defensores. Nam illi imprimis possunt doctrinam trahere ad ἀσέλγειαν, & illi sunt qui in ἀγάπαις h. e. in publicis piorum conuiuiis dominabantur, vt videatur imprimis doctores perstringere, & hoc lolium feliciter sparsit Satan, vt non solùm iuxta, sed intra ecclesiam Christi sibi sacella conderet, & in ministerio semper haberet defensores & patronos vitæ dissolutioris.

GENVS.

Genus epistolæ principale est etiam προτρεπτικὸν vt in superioribus quibusdam: hortatur enim ad defensionem fidei, quod illi nihil aliud est quàm integritate vitæ & morum fidem confirmare, quod aliis est innocenter ambulare, dignè Deo ambulare & similia, & ipsa fides est ipsa professio externa. Accedunt alia quæ seruiunt tractationi, vt παραδειγματικόν. Nam confirmatio tota exemplaris est, & hinc inde multa sunt ἐλεγκτικά, quibus insectatur istos patronos, & excusatores vitæ dissolutioris. In fine adhibetur etiam εὐκτικὸν, quo concludit totam epistolam.

PROPOSITIO.

Propositio sumatur ex v. 3. ad finẽ, vbi Apostolus ait se ideo scripsisse, vt hortetur eos ad defensionẽm semel datæ fidei. Verba Apostoli sunt ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει, quorũ sensus est profitentes Christianismum integritate fidei omni studio conseruare debẽt cõtra corruptelas seu dogmatum seu morũ Christianæ religionis. Quæ omnia eleganter voce à re militari petita proponit.

PARTES.

Partes epistolæ statuimus. Prima titulum complectitur duobus primis versibus, ac continet illustrem definitionem ecclesiæ Christi, quòd sit cœtus à Patre sanctificatorum, à Christo conseruatorum, & per Spiritum S. vocatorum. Secunda pars ver. 3 statuatur, exordium scilicet, quod petitum est à sua persona & exprimit causas impellentes ad scribendum, curam pro ecclesiis in Apostolo Iuda, & necessariam exhortationem ad constantiam. quæ omnia faciunt ad locũ beneuolentiæ. 3. pars ad finem ver. 3. expressa est propositio, quod oporteat sanctos ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει, de qua re nunc dictum est. Obseruetur autem tot modis certamen hoc subeundum esse pro fide, quot modis fides à Satana euertitur. Quarta est initio ver. 4. continens confirmationem. Annectit enim grauissimas rationes, cur pro fide certandum sit. Quæ fermè in hunc cadunt ordinem & numerum. Primum à præsenti periculo, quia iam multi corruptores fidei grassantur in ecclesia. Deinde ab exemplo populi veteris, ex cuius historia ostendit quod Deus etiam non parcat vocatis ad sui cognitionem, nisi respondeant vocationi, ideo eductos ex Ægypto passim in deserto deleuit. Vide Exod. 16. 17. 32. Num. 11. 14 16. & passim aliis locis. Argumentum hoc terrorẽ incutit vocatis vt insistant suæ vocationi.


Tertium argumentum v. 6. ponitur ab exemplo Angelorum, qui & ipsi grauissimas domini pœnas experti sunt, & adhuc experientur hanc ipsam ob causam, quod vocationi suæ non insisterent. Quartum v. 7. ab exemplo Sodomorum & Gomorrhæ, quæ vrbes hoc ipso nomine perierunt. Octauo v. exempla posita applicantur ad statũ ecclesiæ vt ostendat quales corruptores fidei in ipsa nunc grassentur. Ver. 9. quintum argumentum à maiori ductum, quod & ipsum exemplum habet Arch. Michaelis, ei annexa est applicatio specialis v. 10. qua ostenditur corruptores sanæ fidei imprudenter agere: annexa est conclusio per exclamationem, in qua adducuntur exempla quibus seducto-

ductorum mores declarentur. Atque hactenus expressa cõfirmatio propositionis. Ver. 12. quinta pars est digressio à confirmationis loco. Nam intermissis rationibus pleniori descriptione corruptelas & corruptelæ patronos diligenter depingit: locus totus δεικτικὸν est. Durant hæc vsque ad v. 17. quo redit ad exhortationes, nec obscurè propositionis scopum repetit, cum reuocat sanctos ad Apostolicam doctrinam in hac quæstione: annectit etiam nouas quasdam rationes, quæ nituntur pronunciatis & ostendunt periculum ecclesiæ iam esse paratum addit his ἔκθεσιν, qua monstrat tanquã digito qui sint corruptores & patroni dissolutioris vitæ. Contra ostendit quibus virtutibus oporteat aduersus has corruptelas pugnare, scilicet fide, oratione ardenti, dilectione, spe firma, certo iudicio contra peccatum, & odio irremisso aduersus scelera. Versu 24. statuatur sexta pars epilogus, δοξολογία constans, & est prorsus more Paulino compositus. Confer enim verba Epilogi huius cum his quæ sunt in epilogo in epist. ad Rom. 16. cap. ver. 25. & 27. videbis aut inde hæc esse petita, aut certè quod probabilius est eundem Spiritum S. vtrique tam Paulo quàm Iudæ eandem formulam perorandi dictasse.



IN EPISTOLAM IVDÆ APOSTOLI, ΠΡΟΛΕΓΟ΄ΜΕΝΑ.

Author Epistolæ.



IVdas epistolæ author est is inquam qui Lebbæus dictus est, & Taddeus, Alphei filius, frater Iacobi Iusti, & Simonis Cananei. Cuius vocatio ad Apostolatum habetur Matth. 10. Luc. 6. Marc. 9. & Act. 1. in catalogo Apostolorum refertur.

Docuit is apud plurimas nationes Euangelium, vt in Mesopotamia, Ponto, Ægypto, Perside, vbi quoque à Magis interfectus est, quòd illorum superstitiones liberiùs carperet.

Porrò monstrat Eusebius lib. 2. cap. 23. hist. Eccles. quosdam de hac epistola addubitasse, quod & Hieronymus in catalogo suo indicat. Ideo horum rationes hic breuiter expendamus. Sunt autem tria ferè quæ contrà afferunt. Primùm quòd se nõ vocet Apostolum: deinde quod videatur epistola consarcinata ex 2. Epist. Pet. cap. 2. Demum quod citat Apocryphum librum Enoch, quod alienum videtur à Spiritu S. Hæc igitur expendamus quantum valeant.

Primùm quòd se non vocat Apostolum, nihil concludit: liberum enim in hac re est scriptoris iudicium: in primis cùm isti tituli tum temporis præcipuè à Petro & Paulo vsurparentur tanquam primariis. Iudas certè modestiam & humilitatem in Deo declarauit, abstinendo à titulo, quo iure optimo vti poterat. Sic Iacobus & Ioannes ab iisdem nominibus abstinuerunt, contenti nomine serui. Præterea seruus Iesu Christi in hac re, hoc ipsum exprimebat. Demum si valeat hæc ratio, eodem sanè argumento explodes epistolas aliquot Paulinas, de quibus tamen nemo vnquam dubitauit. Nam in epist. ad Philip. & in vtraque ad Thess. item in illa ad Philem. nomen Apostoli omisit. Quare ineptum est, hoc ad argumentum trahere. Quis enim hanc legem imponeret Apostolis, vt eodem charactere & titulis in scribendo vtantur, cùm nominis proprij expressio certius sit iudicium, quoties de authore scripti quæri solet?

Veniamus ad alterum argumentum: ex epistola D. Petri omnia videtur consarcinasse. Respondeo nihil hoc efficere. Liberum enim fuit semper piis, piorum scripta legere & suis accommodare temporibus. Sic posteriores Prophetæ superiorum Prophetarum scripta studiosè legerunt & suis scriptis quædam laudabiliter inseruerunt. Deinde facilè etiam hoc negari poterat. Quid si enim Iudas illa ex veteri Testamento proferat, quemadmodum Petrus fecit? Nam quòd de pœnis impiorum, de Sodomitis, de Gomorræis profert, non tam ex Petro quàm Mose protulit, quemadmodum de populo Dei historiam ex Mose refert, quam Petrus non habet. Et esto, maximè legerit epistolam Petri, non tamen consequitur non esse ob id Apostolicam:

sed, hoc efficitur Iudam posteriùs scripsisse & studiosè legisse, Petri scripta, vt idem vetus Testamentum studiosissimè legit. Hinc de pœnis impiorum loquitur secundum Scripturas, ex quibus exempla comportat iræ diuinæ tam inter homines, quàm Angelos. Itaque ne hæc quidem ratio satis firma est.

Tertia ratio est, quòd citat prophetiam Enoch, qui tamen in catalogo prophetarum non habetur. Cui respondeo nomen prophetæ non posse negari Enocho, cùm omnes patriarchæ Spiritu prophetico prædici fuerint, hinc Abraham Dei testimonio Propheta dicitur, & Isaac, ac Iacob multa Prophetica prędixerunt. Sic Noachus, Enoch, & reliqui. Quòd autem Enoch scripserit sua vaticinia, vel hinc potest colligi. Sed Apocryphum scriptum fuit: Esto, hoc concedam: quid tum? licuit Apostolo Paulo citare nomina Iannes & Iambres, qui nullibi in Mose leguntur, nemo tamen dubitat de secunda illa Epist. ad Timotheum: quanquam sint qui illa nomina ex Apocrypho libro desumpta esse dicant. Et quid? Idem Paulus Menandrum citat. 1. Cor. 15. Epimenidem in Epist. ad Titum. In Actis Arati versiculum. Quidni liceat igitur Apostolo Iudæ quoque citare appositè & in loco Enochi oraculum, hominis minimè gentilis. Atque hactenus de authore huius Epist.

Quibus scribatur.

Scribitur ad omnes pios, id quod mox in titulo exprimit: ideóque verè catholica est, in primis cùm sententiis & dogmatibus religionis passim consentiat ac cum doctrina Apostolica. Hos definit, cœtum esse sanctificatorum, & redemptorum ac vocatorum per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Argumentum.

Ὑπόθεσις. Ostendit autem piis curandum esse, vt vocationi suæ diligenter insistant. Nam etiam vocatos Deus solet punire si vocationi suæ non respondeant vitæ innocentia. Hinc colligit varia exempla iræ diuinæ, vt in populo Dei, in Angelis lapsis, in Sodomitis, Gomorræis, quæ exempla accommodat ad statum Ecclesiæ, quæ similia portenta semper aluit, & adhuc alit, in primis etiam inter doctores, quosdam tales suis coloribus depingit. Hinc tandem comprecatione pia, totam epistolam concludit.

Occasio.

Oblata fuit occasio. Nam experientia iam videbat inter Christianos dissolutionem morum ac vitæ mirificè inualescere: præterea vitæ dissolutioris patronos inter ipsos doctores Ecclesiæ plurimos extare, qui passim pietatem & gratiam Dei trahebant ad ἀσέλγειαν. Hoc lolium admodum fœliciter sparsit Satan, vt non solùm iuxta Ecclesiam Christi, sed intra illam sacella sibi conderet. Hanc igitur corruptelam piis voluit inuisam ac detestabilem reddere, vt synceritatem non solùm in dogmatibus fidei, sed etiam in moribus conseruarent.

Propositio.

Sumatur ex verbis Apostoli, ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει. quorum verborum sensus est, fidei integritatem omni studio confirmandam contra corruptelas morum & dogmatum religionis Christianæ.

Genus.

Principale est προτρεπτικόν. Hortatur enim ad fidei integritatem conseruandam. Accessorium est παραδειγματικὸν: exemplis enim rem totam probat. Accedit enim ψεκτικὸν, quo in dissolutos vitæ petulantis patronos inuehitur. Ad finem quoque εὐκτικὸν adhibetur: nam comprecatione epistolam concludit.

Partes.

Partes quinque sunt. Titulus, qui personas complectitur & comprecationem: Exordium, ad beneuolentiam & ad attentionem accommodatum: πρόθεσις, pro fide diligenter esse vigilandum: κατασκευή, à seductorum turba, exemplis pœnarum, ac etiam euentu, diligenter pios excitat ad vigilantiam: demum epilogus breuis totam epistolam absoluit. Hactenus generalis dispositio. Deinceps singula expendemus suo ordine.

Titulus.

Vers. 1. *Iudas Iesu Christi seruus.*

Tria complectitur titulus, personam scribentem, & eam cui dedicatur, denique salutationem

tationem. De personis iam diximus. Specialia tamen hîc expendi debent. Suam personam commendat scriptor, primùm proprio nomine: deinde conditione duplici petita à relatiuis: nam seruus & frater ad aliquid dicuntur. Et *seruus Iesu Christi*, accipio pro Apostolo: significat enim se magni Principis esse legatum, Filij scilicet Dei. Iacobi autem frater dicitur, tum propter consensum doctrinæ Apostolicæ, tum ad differentiam alterius Iudæ proditoris.

Alterum membrum loquitur de personis, quibus epistola dedicatur, quas triplici epitheto ornat, designans ordinem iustificationis. Primùm sanctificari dicuntur in Deo Patre propter electionis firmitatem, quę facta est ante iacta mundi fundamenta: atque hoc gratiæ est sanctificantis, h.e. Deo indignos commendantis. Seruati verò dicuntur in Iesu Christo, quia his mediator factus est. Demum vocati externa confessione & aggregatione in visibilem Ecclesiæ cœtum.

Vers. 2. *Misericordia vobis & pax.*

Tertium est membrum tituli. Comprecatur autem tria bona, misericordiam sci. à Deo Patre sanctificante, pacem Christi qui pacificator est, & nos Patri reconciliauit, demum dilectionem Spiritus S. quæ quanquam omnia pij habeant, tamen in his donis crescendum est in dies ne fuco pietatem simulemus.

Vers. 3. *Dilecti omne studium.*

Exordium epistolæ valde moratum est. Ostendit enim duplicem scribendi causam, quæ pium animum arguunt. Prior est ipsius Apostoli Iudæ diligentia & vigilantia pro salute Ecclesiarum. Altera est circunstans necessitas, quæ non obscurè exprimit publicam iam tum inualuisse morum corruptelam, quę non solùm viua voce, sed etiam scripto erat redarguenda & confutanda.

Altera pars in hoc versu habet propositionem, quam quidem generaliter notauerat à materia περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας. Ostendit enim communem materiam fidei Christianæ circa rationem salutis versari. Ac commodè dicitur κοινὴ σωτηρία, primùm quia in cõmuni toti mũdo proponitur, Christo dicente, Ite in vniuersum orbẽ docentes omnes gentes. Deinde dicitur κοινὴ propter electos, qui omnes communi ratione saluantur. Non enim alia ratione saluatur Paulus & alia Petrus, aut alius de grege Christianorum: sed communis est, tam auditoribus quàm doctoribus salutis ratio. Demum addatur hoc quoque, communem dici salutem propter facilitatem: κοινὰ enim dicuntur quæ facilia sunt. Et sanè ratio salutis in Christo facilis & expedita est, saltem huic constanter innitamur. Contrà difficilis & incerta est, quando deserto Christo ad iustitiam nostrorum operum respicimus. Vt enim Legis iustitia homini impossibilis est propter operum varietatem & absolutionem: sic in genere hominis iustitia propriis innitens operibus admodum lubrica & perdifficilis est. Sed ad propositionem veniamus.

Πρότασις.

Propositio statuatur ex Apostoli verbis vers. 4. ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει, pro fide decertare, hoc est, pios oportet operam dare vt fidem tam in dogmatibus quàm bonis moribus integram conseruent. Quòd autem bonos mores hîc complectatur, mox ex confirmatione patebit. Itaque certare pro fide est, dignè Deo ambulare. Coloss. 1. & dignè Euangelio incedere. Philip. 1. & vocationi nostræ respondere. Ephes. 4. Hæc sententia est propositionis, in qua singula expendamus. Ac primùm ait παρακαλῶν, hoc est, hortando se id scribere: significans genus principale esse παρακλητικὸν, exhortatorium: ideo magis in rationes exemplares incumbet, quam in doctrinam exquisitam.

Deinde ἐπαγωνίζεσθαι explicetur: significat autem certare summo studio: ἀγωνίζειν simplex erat & satis illustre, significans certamina proposita, qualia sunt inter athletas: sed compositio illustrior est, ἐπαγωνίζειν summo studio reluctari, vt Plutarch. de Fabio Max. ait ἐπαγωνιζόμενος τῷ Ἀννίβᾳ, hoc est, summo studio colluctatus est cum Hannibale.

Tertiò, πίστις cõmunis sit hoc loco, professio quæ complectitur articulos dogmaticos & disciplinam bonorũ morum. Nam in confirmatione, ad ista duo accommodat rationes.

Quartò, data est fidelibus, hoc est, tanquam thesaurus, tradita est alterius potestati. Sic Plutarch. ait de Pompeio, Ἐγκαλυψάμενος παρέδωκεν ἑαυτόν, hoc est, obuoluta fa-

cie seipsum tradidit eis. Sic Christus dicitur traditus à Iuda. 1. Cor. 11. Est igitur fides tradita sanctis, quæ pleno iure piis diuinitus donatur ad vsum. Sed est semel data, ἅπαξ: quod exprimit firmitatem & certitudinem, quo docemur Dei dona indubitata esse & firma, adeoque perfecta quoad vsum. Sic Iob.33.a.14, Deum loqui semel, nec altera vice idem respicere, h.e. perfecte & firmiter. Itaque pij de dono fidei non possunt dubitare, nec de vsu bonorum operum poterunt esse incerti.

Confirmatio.

Vers.4. *Ingressi enim sunt quidam.*

Hinc est auspicanda confirmatio. Atque prima ratio sumitur à præsenti periculo, quod meritò debet pios reddere vigilantes. In eo sunt illa.

Primùm sunt homines malitiosi, ἀσεβεῖς, qui fidem conātur euertere apud Christianos: ergo studiosè contra eos pro fide est vigilādum. Deinde, incerti sunt, quanquam sint in ipsa Ecclesia & in sinu eius alantur, tamen sunt τινές. Ac fieri potest, Apostolo fuisse cognitos nominatim: sed volens abstinet à nominibus, vt ab omnibus caueas, qui quouis modo corruptelam inducunt.

Tertiò iam in actu sunt. Longè aliud est futura metuere pericula, & præsentia cauere. Futura eo leuiora sunt quòd nondum vrgeant, vt sit spes in mora: sed præsentia & quę iam in actione sunt, vtique difficillima sunt. Pręterea verbum hoc, dolo ingressos arguit, quod est παρεισέδυσαν, hoc est, latenter & aliud agendo ingressi sunt specie religionis. Adde, malum est fatale, ad hoc deputati sunt, quasi dicat, corruptela morum Ecclesiæ perantiquum est malum, & Deo sic ordinante immissum, vt pios vel hoc modo reddat vigilantiores. Obserua causas, quare Deus velit in Ecclesia sua extare semper corruptelas, de quibus alibi. Item à genere doctrinæ malum hoc illustrat. Gratiam Dei nostri, hoc est, fidem ac religionem Christianam transferunt in lasciuiam, hoc est, prætextu libertatis Christianæ mores corruptos inducunt, vt liceat impunè libidinari, scortari, inebriari, & similia portenta alunt, quæ voce ἀσελγείας exprimuntur. Atque hinc constat certamen hoc pro fide esse suscipiendum contra morum corruptelam. Hinc addit mox alteram professionis notam ab articulis fidei, quòd Christum Dominum ac Deum negent, quę ad dogmata debet referri. Impostores illi igitur corrumpebant sanitatem doctrinæ: deinde etiam bonos mores. Ac illa continenter lego de persona Christi, vt sit sensus, Negant Christum Deum δεσπότην esse. Erat in veteri Testamento vox Dei quasi iudicis terrifici: at in nouo facta est in Christo familiaris, & piis domestica. Nam Christum hominem norunt simul esse Deum: & quia frater piorum est, ideo δεσπότην θεὸν vocant, quasi dicat, herum Deum. Est enim δεσπότης in familia paterfamilias. κύριος autem dicitur Christus homo, quia illi secundum humanitatem traditum est omne iudicium, adeo vt Christus homo etiam sit iudicaturus mundum. Hunc negant illi impostores. Obserua negari Christum ab his qui vel diuinitatem vel humanitatem negant: deinde ab his qui vita ac moribus impiè viuunt. Vide etiam 2.Pet.2.vers.1.

Vers.5. *Commonefacere autem vos volo.*

Altera est ratio ducta ab exemplo veteris populi. Sensus est, non satis esse, vocatum esse semel ad Ecclesiam Dei externam; sed oportere hanc vocationem vita & moribus ornare.

Initio dicit se velle ὑπομνῆσαι, significans illos iam priùs perdidicisse sanam doctrinam, adeo vt nō sit opus alio, nisi commonefactione, quod pertinet etiam ad genus scriptionis, quod est ὑπομνηματικόν, hoc est, succinctum & breue ad memoriam iuuandam solum institutum: cui opponitur συνταγματικόν, quod habet absoluta doctrinæ commentaria, qualia in epist. ad Rom. ad Galat. ad Ephes. habentur. In reliquis magis ὑπομνηματικά omnia. Talis etiam est præsens Iudæ epistola. Deinde subiicitur veteris populi exemplum, in quo ostendit initio omnes quidem Israëlitas eductos ex Ægypto, sed in deserto perditos eos qui nō credebant, hoc est, vita ac moribus non respondebant suæ vocationi. Ergo idem eueniet Christianis in Eccles. noua. Vide Exod.16. 17.32. Num.11.14.16.

Vers.6. *Angelos etiam qui non.*

Tertia ratio est ab exemplo Angelorum, quos non excusauit dignitas naturæ, sed

dum

dum suæ vocationi non responderet, mirificè puniti sunt. Ergo idem metuant Christiani, nisi professionem suam vita ac moribus ornauerint. Vide 2. Pet.2.v.4. & Esa.14. Ἀρχὴν accipio principium naturæ præstantis, in cuius præstantia non manserunt: οἰκητήριον autem stationem cuique assignatam, vt quòd alij prouinciis præsunt, alij orbibus cœlestibus, alij regnis, alij priuatis hominibus. Atque ex istis Angelorum gregibus aliquos cecidisse ait. Præcipitati autem sunt in tartarum ac sub caligine detinentur captiui, hoc est, facie & gratia Dei orbati sunt.

Vers.7. *Sicut Sodoma.*

Quarta ratio est ab exemplo Sodomorum & vicinarum vrbium ducta. Ac facit propriè hoc argumentum contra petulantiam morum, quam ἀσέλγειαν vocauit. Primùm vitia in eis notantur: deinde pœnæ. Vitia Christianorum vitiis istis paria videbantur: vt est scortatio quam in Sodomitis notanter arguit. Significat autem ἐκπορνεύειν, scortationi immori, & contabescere illius desiderio. Deinde aliud vitium notat, quòd abierint post carnem alienam, h.e. in speciem suam peccarint, Rom.1. vers. 27. masculi in masculos, aut in bestias, quod Platonis quoque iudicio igni & ferro passim delendum erat.

Pœnæ adduntur graues, nobis ac posteris vtiles. Felix enim qui alieno sapit exemplo: quod Apostolus ait illos fuisse δεῖγμα, hoc est, in exemplum propositos. Disce pœnarum exempla Deum certo consilio velle extare semper in Ecclesia, vt posteritas sciat Deo seriò displicere scelera hominum, suóque tempore indubitanter punienda esse.

Vers.8. *Similiter & isti.*

Applicatio est superiorum exemplorum, ac singulariter iam depingit Christianorum corruptos mores. Ac primùm, In vitiis toti demersi sunt, quod est ἐνυπνιάζειν, quasi dicat, veterno quodam stertunt in sceleribus. Simile in Sodomitis dixit ἐκπορνεύειν. Deinde specialiùs perstringit libidinem & scortationem, quòd carnem polluant, hoc est, in omni voluptatum genere volutentur. Intelligatur etiam de ebrietate, & similibus sceleribus.

Tertiò Magistratus negant, quod faciebant sub prætextu libertatis Christianæ. Quartò honorum gradus damnant, omnia sub æqualitatis regulam reducturi: quod nec in hoc mundo Deus facit, nec in vita æterna videtur admissurus, cum differens sit futura sanctorum gloria, 1.Corinth.15.

Vers.9. *Michael autem.*

Argumentum quod inserit præcedenti proximè sententiæ: ac ducitur à maiori ad minus. Quod enim Angeli non audent damnare, id ne homines quidem debent repudiare: sed Angeli gradus bonorum in suis cœtibus habent, & inter Angelos Michaël princeps Angelorum, in malis Angelis non reprehendit differentes gradus sed archidæmoni solùm dicit, Increpet te Dominus. Vide Zach.3. vers. 2. Porrò vnde sit desumpta præsens historia dubitatur. Bona pars ex cap. vltimo Deuter. petita est. Nam illic scribitur Deum sepelisse Mosem per Angelum, vt eius sepulchrum ignotum esset. Hoc fortasse Dæmon filius Israël voluit prodere, vt esset noui peccati noua occasio. In eo igitur certamine Michaël Angelus modestè inuectus est in contrarium malum Angelum. Quæ ex Apocrypho aliquo libro addita sunt. Deut.10. Apoc.12.

Vers.10. *Isti autem quæ non.*

Noua applicatio est, qua opponit patronos corruptæ vitæ inter Christianos, exemplo Michaëlis Archangeli: ac notat in eis duo vitia, impudentem imperitiam, & stuporem in peccato immorantem. Nam duo de illis predicat, ignorantiam, & scientiam, diuerso respectu. Ignorantia est, quòd nesciunt quantū boni Deus mortalibus largitus sit, dum magistratus diuersos hominum cœtibus imposuit. In quo ordine singularis Dei relucet εὐταξία, vt quamuis illi suo munere sæpe abutantur, tamen imperium Dei in eo relucet, quòd tam malos quàm bonos magistratus concedit. Hoc illi non perpendūt. Deinde quæ sciunt duce natura, vt sensum affectum in voluptatibus cibi ac veneris, aliisque similibus, in his pereunt. Obserua hîc loqui Apostolum de naturali bonorum agnitione. Deinde hæc nō esse renatorum, sed ante regenerationem hominis ingenio innata esse, vt est sensus communis. Ideo bruta animalia illis hoc loco adæquat. Tertiò, quòd in hoc sensu voluptatum cupiant immori, significans eos nihilo melio-

res esse brutis animalibus, vt quæ solùm præsenti rerum sensu afficiantur. Considera quàm apposité applicari possint ad statum Ecclesiæ Christi hoc tempore.

Vers. 11. *Væ illis.*

Conclusio est κατ' ἐκφώνησιν. Ostendit enim certas pœnas subsequi hanc doctorum corruptelam. Deinde αἰτιολογία addita est satis argumentosa, quæ constat similibus exemplis, vt similes habeant labra lactucas. Porrò tria addita sunt exempla, quæ singula vim habent argumenti. *Viam Cain sunt ingressi*, h.e. homicidæ sunt. Exemplum petitum est ex Gen. 4. Vide autem tu quãtum sit scelus corruptos mores tueri. Apostolus Iudas illos homicidas facit. Erant enim doctores qui corruptelam hanc omnibus modis debebãt reprimere: id cùm non faciant, sed potiùs patrocinium dent, & hinc animas occidant, rectè Caino conferuntur.

Deinde Balaamo similes sunt auaritia & studio munerum. Vide Num. 22. & sup. 2. Pet. 2. v. 15.

Tertiò seditiosi etiam sunt, qualis Core, Datan, & Abiran. Num. 16. quæ singula vim habent argumenti apud pios, vt tales corruptelæ patronos studiosè vitent.

Vers. 12. *Illi sunt in conuiuiis.*

Sequitur digressio à scopo confirmationis, in qua pleniùs illos describit ab ingenio, studiis ac moribus. Primùm igitur hîc expende vbi reperiantur illi corruptelæ patroni, deinde quales sint. Reperiuntur in agapis vestris, quasi dicat, non extra Ecclesiã quærendi sunt, sed in ipso sinu eius. Deinde non inter idiotas: sed inter ipsa doctorum subsellia. Deploranda est Ecclesiæ calamitas, quòd iam tum talia monstra alueritinter docentes. De agapis, hoc est, Christianorum conuiuiis publicis, vide Iustinum Martyr. in 2. Apol. & Tertull. in Apol. cap. 39. quę omnia hîc breuitatis causa intermitto. Quales autem sint, illustri oratione proponit. Primùm sunt σπιλάδες. In 2. Pet. σπῖλοι dicuntur, hoc est, maculæ, sed hoc loco, significantiore orationis genere σπιλάδες: ac si dicas scelerum colluuiem, carcinoma ac pestem Ecclesiæ. Nam σπίλας non solùm est glarea, h.e. terræ species quæ maculas facilè relinquit: sed est etiam concauum saxum in littore maris, seu lacuum ac fluminum, in quam concauitatem tanquam in commune receptaculum sordes aquarum confluunt. Itaque illos patronos scelerum omnium receptaculum & officinam dicere voluit.

Deinde συνευωχούμενοι, quo ostendit cum piis illos non recusare compotationes. Vides iam tum hoc genus hominum inualuisse, quod pietatis curam non magni faciebat: sed heluari, bibere, inebriari, non alienum à pio ducerent.

Tertiò seipsos pascunt intrepidè. Alludit ad illorum titulos. Dicebantur enim pastores gregis dominici. Pastores esse concedit: sed aliud reponit correlatiuum, seipsos pascunt: hoc lupi, latronis, ac furis est. Curam ventris illis obiicit.

Quartò, *nubes inaquosæ & à ventis actæ.* Duo illis exprobrat, sterilitatem & inconstantiam: de quibus diximus 2. Pet. 2.

Quintò, *arbores frugiperdæ.* Ostendit finem illorum pertinere ad euersionem Ecclesiæ: φθινοπωρινά dixit, quemadmodum Homerus salicem ὠλεσίκαρπον. φθίνειν ὀπώραν est ὀλλύειν τὸν καρπόν. Itaque propriè dicas frugiperdas. Sed aliud adiecit his arboribus epitheton. ἄκαρπα, quod ad ipsorum vitam & mores refero, in quibus nihil honestatis relucet, nec redit ad spectatores: quod verò alios pios attinet, hos quoque impediũt, cuius respectu sunt φθινοπωρινά. Tertiò bis mortuæ, hoc est, vel certò & indubitanter, vel duplici morbo corporis & animæ. Quartò eradicatæ coram Deo, dignæ quæ extirpentur. Nam putris arbor ad nihil est vtilis, quàm vt extirpetur & in ignem abiiciatur.

Vers. 13. *Fluctus efferati maris.*

Pergit in descriptione, éstque sexta illorum nota. Κύματα autem dicuntur illustri metaphora, tum ob inconstantiam, tum ob turbas, tum quoque ob turpitudinem. Dicuntur enim κύματα à motu. Sic Esa. 57. dicitur Impiis non est pax. Seu à κυκᾶν, quod est commiscere, turbare omnia: hinc ferini dicuntur quia nulli honestati parcunt, adeo vt propriam quoque expument ignominiam. Venus à spuma dicta est, & quanto turpior est, tanto magis spumat, vt aper videtur dici quasi ἀφρός, ore enim dispumat irritatus seu ad venerem seu ad vindictam.

Septimò, *stellæ sunt erraticæ*, hoc est, fingunt officium pium, quasi sint luminaria in Ec-

in Ecclesia Christi, sed non fixi sunt, errones potiùs, quales in cælo planetæ, qui non natura tales, sed opinione sunt. Firmas enim habent leges & metas sui motus, quas non egrediuntur: verùm videntur iudicio populi tales, quia præter morem aliarum stellarum mouentur. His addit finem & euentum miserabilem vt magis illos vitemus.

Vers.14. *Prophetauit autem.*

Illustrat descriptionem cœptam, testimonio boni & sancti viri nominatim, quod ad finem de pœnis addiderat. Testimonium hoc quidem est apocryphum, sed non minus in loco citatum quàm Menandri versus, vel Arati à Paulo. Enoch septimus est ab Adam Genes.5. Sunt Adam, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Iared & Enoch. Porrò de lib. eius vide Tertull. in lib. de habitu mulierum, vbi dicit librum à Noacho fuisse conseruatum in arca ac durasse vsque ad Apostolorum tempora. Et quia illustria hinc de Christo testimonia produci poterant, Iudæos malitia ductos librum totum suppressisse, quæ vnde habeat nescio. Certum tamen est illos plura & vidisse & legisse quàm nos. Ideo Iudæ licuit tanquam Apostolo, quod aliis non ad exemplum facit.

Vers.16. *Isti sunt murmuratores.*

Reddit ad intermissam descriptionem, ac naturam illorum pergit pleniùs expolire. Adduntur igitur illæ notæ superioribus. Sit octaua quòd hîc dicuntur γογγυςαὶ, hoc est, murmuratores, quales sunt porci saginati. γογγύζειν enim est γρυλλίζειν, h.e. suum more grunnire: *sy ligenn vvie die schovin zu grinenn, vnd grunnen.*

Nonò, sunt μεμψίμοιροι, queruli, h.e. iem per quasi de minori sorte queruntur, quasi deteriorem portionem acceperint, cùm interim lautissimè & perbellè cutem tractent. Nec in hac re dubitant ipsum Deum accusare, quasi ipsis malè prospexerit, quod sonat, μέμφεσθαι τὴν μοῖραν. Vide quomodo hæc nostris quadrent.

X. *Secundum voluptates viuunt.* Ἐπιθυμία fons est appetitus, vnde sequitur studium voluptatum, & consilia de consequendis, in quo toti sunt, quod habet verbum πορεύεσθαι.

Vndecimò, *loquitur os illorum superba*, quod refero primùm ad genus docendi quod tumidum est apud illos impostores: sonant enim sesquipedalia verba. Deinde ad materiam quæstionum: nihil enim humile suscipiunt, sed grandia.

Duodecimò, *personas admirantur*, vtilitatis causa. Significat munerum esse amatores, & à quibus aliquid habent vel sperant, his ad gratiam loquuntur, hos admirantur & prædicant. Tales hodie qui à magnatibus ac viduis suscipiunt munuscula, hásque personas postea in conuiuiis excusant, laudant, & supra alios extollunt, non alio fine quàm quem hoc loco Iudas exprimit, lucri causa.

Vers.17. *Vos autem dilecti.*

Reditus est ad exhortationes, ac pios ad contrariam à superiori doctrinam reuocat. Ideo aspersit aduersatiuam particulam δέ. Vide autem reuocari nos ad Apostolicam doctrinam: ex quo duo fluunt. Primùm in Ecclesia Christi nullam valere doctrinam, nisi quæ consentiat cum Apostolica. Ideo Augustinus etiam sua scripta nō aliter vult habere authoritatem, nisi quatenus cum S. literis consentiant. Ideo vtile est sæpe nos 2.Pet.3. remitti ad doctrinam Apostolicam. Sic Petrus citat doctrinam Apostoli Pauli, & eundem Ecclesiis commendat, & Malachias suos ad Mosen remittit. Deinde hoc etiam vers.15. hinc promanat, Apostolum Iudam vltimum posse videri scriptorem, vt & legerit & approbarit superiorum Apostolorum doctrinam, quam hîc commendat fidelibus, in eodem dum docet cauendos esse corruptores morum & patronos dissolutioris vitæ: quanquam & hæc & alia multa prædixerint, quæ singula suo loco sunt cauenda & vitanda.

Vers.18. *Quia dixerunt.*

Ratio est, cur nobis sit respiciendum ad doctrinam Apostolicam, & in quo genere cautionis, quia præmonuerunt nos de statu vltimi seculi, in quo dissolutioris vitæ sint futuri patroni. In eo igitur sequenda est præmonitio illorum. Talia habes in 2. Pet. cap.3. in 1. Timot. 4. ab initio, & in 2. ad Tim. cap.3. quoque in principio: similiter in 2. ad Tim. 4. & 2. Thes. 2. quæ loca omnia si cum hoc conferantur, videri poterit Iudas hæc ipsa legisse, & hic citare.

Verſ.19. *Hi ſunt qui ſeipſos ſeparant.*

Ἔκθεσις eſt, qua hos prædictos morum corruptores iam præſentes in Eccleſia quaſi digito demonſtrat: ac habes hic notas non obſcuras τῶν ἐμπαικτῶν, vt nominauit priori verſu. Primùm ſunt qui ſe ab aliis ſeparant, ἀποδιορίζοντες. Separant ſe primùm opinionibus ac dogmatibus. Deinde interpretatione Scripturæ, in qua ſua iudicia ſolum valere patiuntur, aliorum omnium ſententiis neglectis. Tertiò genere vitæ quoque ſeſe ſeparant. Hinc morum effecta eſt tanta varietas apud Chriſtianos, quæ ſeſe effudit quoque in veſtimentorum & inceſſus diſcrimina. Videas enim inter Chriſtianos aliter verſari Franciſcanum, aliter Dominicum, aliter Auguſtinianum, aliter Carthuſianum, & ſinguli ſuum vitæ genus non dubitant omnibus præferre, adeo vt Laicis, imò Principibus, Imperatorib' ac Regibus conati ſint perſuadere, niſi in tali habitu morerentur ac ſepelirētur, ſaluos fieri non poſſe: quæ omnia nihil aliud ſunt quam ἀποδιορισμοὶ pernicioſi in vita Chriſtiana. Ideo non immeritò hoc impingit hoc loco ſeductoribus, qui nobis ſtudioſè vitandi ſunt. Deinde ſunt ψυχικοὶ, hoc eſt, animales, h.e. Dei ſpiritu non ducuntur illi homines, ſed carnis, ideo damnantur omnes illorum διορισμοὶ, vtvt ſpeciem pietatis habeant. Sic Paulus loquitur, Animalis homo non capit illa quæ Dei ſunt & rectè animales vocat, vt qui voluptatem, honores, opes & ſimilia in re Chriſtiana ſolùm quærebant.

Tertiò, ſpiritum non habentes, hoc eſt, Dei Bono Spiritu non ducuntur, vel certè non habent χαρίσματα illa Spiritus ſancti, de quibus gloriantur, & ob id nullus eſt effectus, nulla vis, nullus fructus in eorum doctrina. Nā ſpiritus eſt vita, qui vbi deeſt, cadauer ſolùm relinquit. Itaque dum ſpiritum illis detrahit, vitam adimit, & laruam relinquit, & religionem in totum hypocriticam. Expende diligenter quouſque illa pertingant.

Verſ.20. *Vos autem dilecti.*

Redit iterum ad exhortationes, ac oppoſitas ſuperioribus vitiis virtutes piis preſcribit, quas oporteat in tota vita noſtra diligenter exprimere. Eas ordine obſeruabis. Prima eſt fides, quæ omnibus meritò præfertur vt fundamētum: deinde quia in propoſitione hanc ipſam vt ſcopum poſuit, ac oſtendit pro fide certandum eſſe bonis moribus & innocentia vitæ. Vocat autem ſanctiſſimam hanc, quæ verè nos beatos efficiat, ſeu aliis infinitis modis preferenda: Huic igitur vt fundamento noſtra omnia debent ſuperſtrui. Eſt enim organum aptiſſimum, quo diuinas promiſſiones apprehendimus.

Altera eſt, oratio ardens & indeſinens: *In ſpiritu ſancto orantes*, hoc eſt, vt fluat ex pectore ardenti, & in pietate rectè imbuto, in quo habitet Spiritus Dei tanquam in domicilio proprio.

Tertia eſt dilectio Dei, in qua nos cuſtodire debemus, Talis dicitur quia Deo authore nobis commēdata eſt & introducta. Eſt quidem inſita naturæ: ſed Dei præceptum vim naturæ illuſtrat: deinde quia potiſſima dilectionis pars debetur Deo.

Quarta eſt, *Spes firma* de vita æterna. Spē illuſtrat ab obiecto, quod eſt ἔλεος, h.e. miſericordia nos Deo commendans nihil tale promeritos. Rectè hîc excluditur opinio proprij vel meriti vel dignitatis. Confugiamus igitur ad gratiam & miſericordiam, & in eo caſu quicquid miſericordię tribuitur, hoc totum operibus noſtris & meritis adimatur. Addit etiam ſpei vltimum finem, *vitam æternam*, hæc enim meta eſt, & portus vltimus.

Verſ. 22. *Et hos quidem commiſeratione.*

Quinta virtus quæ requirenda eſt in ſanctis, διάκρισις nominetur. Oſtendit autem quod huius virtutis ſit officium, ſcilicet diligenter diſcernere inter peccatores. Alij enim aliis grauiùs peccant, ac dum omnes ſunt redarguēndi, diſcrimen tenendum eſt, vt ſingulis idoneas exhibeas vel conſolationes vel comminationes. Hanc rem diſtributione proponit. Qui ſua iam agnoſcunt peccata illi commiſeratione digni ſunt, & ob id conſolandi. Contrà qui pertinaces adhuc ſunt, peccati vim nōdum agnoſcunt, & iſti terrendi ſunt metu pœnarum. His eſt depingendus Satan, & tartarus, & carcer atrociſſimus & luctuoſus, in quo verè ſit ſtridor dentium eſt fletus. Hi fortè hoc medio ſaluari, h.e. emendari poterunt, & ob id, eripi ex ignis incendio, h.e. iudicio & damnationi æternæ.

Sexta virtus eſt, vt odio habeant omnia ſcelera tanquā carnis inquinationes. Χιτῶνα tunicā accipio pro homine veteri, qui nondum renatus eſt. Is quantus quantus eſt, veſtis po-


stis polluta est, vt suprà σπιλάδας vocauit, hoc est, lacunas & speluncas, in quas omnes sordes confluunt. Ideo hic illorum ornatum & vestitum ἐσπιλωμένον dicit: & quanquam hoc in moribus propriè sit, tamen animus & cor fons cogitationum omnium talis cogitari debet. Sed vnde nascitur illa tanta corruptela? Respondet Apostolus à carne. Caro igitur corruptela est tunicæ, hoc est veteris hominis. Inde caro pro peccato ponitur & facultate naturali ad peccãdum, quæ in homine est à primo parente relicta.

Epilogus.

Vers.24. *Ei autem qui potest.*

Epilogus est, huius Epistolæ δοξολογία constans. Confer hunc epilogũ cum Apost. Pauli epilogo Rom.16. Videbis Iudam Apostolum aut legisse illum, aut Spiritus sancti tacita suggestione ductum, planè eadem formula claudere suam Epistolã. Porrò duplex est hic sensus, quia duplex est lectio. Si legas, *Qui potest custodire ipsos*, referetur ad improbos peccatores, eo sensu, vtvt sint mali peccatores, tamen de emendatione, non esse desperandum quousque vixerint. Deus enim & illos potest conuertere suo tempore: peccant igitur grauiter qui solent mox extrema fulmina condemnationis in miseros peccatores eiaculari. Sin legas ἡμᾶς, non est obscura commendatio, qua Apostolus pios omnes diuinę gratię commendat, tanquam fideli conseruatori. Φυλάξαι in hac vita necessarium est, στῆσαι autem in iudicio vltimo fiet: & ἄπταιστον dicitur quod mortalibus casibus non obruitur: ἄμωμον autem omnibus numeris absolutum. Pij igitur in hac vita peccata habent, non autem mortalia: in iudicio vltimo demum abstergetur omnis illorum & macula & lachryma. Ideo sequitur plena ἀγαλλίασις. Reliqua habẽt diuinæ maiestatis encomia, quæ alibi iam explicata sunt, quemadmodum & illa, δόξα, μεγαλοσύνη, κράτον, ἐξυσία, &c. quæ Domino nostro confiteatur omnis lingua. Amen.

FINIS.



COMMENTARII

IN APOCALYPSIN

D. IOANNIS APOSTOLI,


FACILI, ET PERSPICVA METHODO CONSCRIPTI,

A

D. Benedicto Aretio Bernensi Theologo.

Cum Indice rerum memorabilium quæ in hisce continentur.

Posterior hæc editio superiori emendatior, longéque quàm antehac locupletior à mendis repetita est.



IN APOCALYPSIN DIVI IOANNIS APOSTOLI,

ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ.



ONstitueram lectionibus noui Testamenti finem imponere. Videntur enim hactenus à nobis explicati esse omnes libri noui fœderis: nec solum illi de quibus nemo vel pauci dubitarunt: qualia sunt Euangelia, Acta Apostolorum, & bona pars Epistolarum Apostolicarum: sed illi etiam libri, de quibus in Ecclesia Christi sæpe fuit controuersum, qualis est epistola ad Hebræos, secunda Petri, duæ posteriores Ioannis, & Iudæ epistola. De Apocalypsi verò, iusta videri poterat præteritionis ratio, quòd scriptum hoc per se difficile & perobscurum sit. Omnes enim hoc fateri debent, qui saltē obiter inspexerint plena hic esse mysteriis omnia. perpetuæ sunt visiones: quibus aliquando licet accedant interpretationes, tamen in his ipsis non obscuræ sunt obscuritates: vt rectè dixerit Augustinus, librum hunc exercere mentes legentium: vt D. Hieronymus, periculosam tradidit interpretationem esse harum visionum. Nam si ad literam interpretari omnia velis Iudaizādum fuerit cum Iudæis: sin omnia spiritualiter accipias, contradicendum sit sæpe piis sententiis, & opinionibus receptis. Huic accedit altera causa quòd libri huius, authoritas sit apud multos incerta: & sententiæ vtrinq; tàm variæ de authore libri, vt quid sequi lector debeat, vix dum liqueat. Ex quo & illa fluit, libri non esse magnū vsum. Nam quæ obscura per se sunt, & incertæ authoritatis, illa quoq; in probando minus vtilia sunt. Quomodo enim dogmata religionis cōfirmabimus, vel errores receptos, per obscura, confutabimus? Hæ rationes inter alias, me sæpe deterruerunt à libri huius lectione.

Causa præteritionis iusta.
Ciui. lib. 20. ca. 17.
In præf. in 18. cō. Esa.

Verùm in his cogitationibus mihi contigit, quod solet euenire interdum nauigantibus, qui dum per diuersa maria secundis volitant ventis, ex rerum successu redduntur audaciores: adeò vt sæpe inuias syrtes, æstuantia freta, nouos sinus superent, & loca prius inaccessa adeant, quæ initio ne cogitare quidem ausi fuissent. Et sanè hactenus feliciter cursu absoluimus vtrumq; testamētum, vsq; ad præsentem hunc librū. Vetus Testamentum intra annos vndecim: cuius lectio à facilioribus nos semper deduxit ad magis ardua: adeò vt tandem ne à Daniele, Ezechiele, Iobo, etiam abstineremus. In nouo verò Testamento, iam annis continuè decem occupamur. Huius enim lectionem ingressi sumus 1563. anno: in quo explicādo sola nobis Apocalypsis restat, hoc anno. 1573. quid igitur noui, si nautarum exemplo libeat hunc sinum quoq; perlustrare? vt vtriusque fœderis pari propè spatio, velitatio absoluatur.

Ratiōes mutati consilij.

Ac quòd rationes prædictas attinet, si penitius cōsiderentur, iam non tanti amplius momenti apparent, ac olim. Nā quòd difficultatē attinet, illam quidē libens fateor: verùm non caret suo remedio. Propheticus enim liber est: & ipse spiritus propheticus non solùm dictat oracula hæc, sed eadem in multis percōmodè interpretatur: Vt septē stellas, interpretatur septem doctores: septē candelabra, septē ecclesias: septem capita, septē reges, & vrbem septicollem, & his alia multa, quæ vsu iam, & progressu rerum facilia redduntur, quando complentur in dies de his multa. Deinde obscuritas illa, non huius libri est propria, quando passim Scriptura sacra obscurior apparet, humano ingenio. Daniele olim nihil visum est difficilius, Ezechiele nihil abtrusius, Iobo nihil argutius: tamen repererūt interpretes, & multa hodie in Daniele peruia sunt, quæ olim nodosa erant. Quare idem iudicemus de hoc præsenti scripto. Vnus hic liber in nouo fœdere propheticus est, habent quidem Euangelistæ in concionibus Christi sua quædam prophetica oracula, habet & Apostolus Paulus talia. hic tamen liber maiore sui parte talis est: quod non tam ob abrogandam fidem, quàm ad maiestatem & authoritatem facere debet, nec ad deterrendos, sed excitandos pios lectores.

Ad primā obiectionem de libri difficultate.

Idem dico de incerta authoritate. Illa fortè talis fuerit apud eos, qui tædio huius lectionis affecti, librum mox è manibus abiiciunt, sed ostendemus mox certis rationibus, cur minimè dubia nobis illa videri debeat. Ac esto, sit de authore sæpe controuersum: quid tum? idem accidit aliis bonis ac piis scriptis. Epistola ad Hebræos variè fuit exagitata: secunda itidem Petri: duæ posteriores Ioannis: etiam quæ est Iudæ, interim nemo hodie ob id eas aspernatur. Ac sæpe numerò mirari mecum soleo

Ad 1. obiectionē de authoris incertitudine.

Christianos homines adeò esse scrupulosos in inquirendo in scriptorum authores, cum nec illi, nec Iudæi hanc censurā adeò rigidè agant in libros Veteris Testamenti. Quis enim pro certo mihi dicet, quis scripserit librum Ruth, quis duos libros Regum, quis Paralipomena, & alios quosdam? interim de authoritate illorum nemo ambigit. Quod si dicas (quod Iudæi solent) singulorum librorum certos esse scriptores: hoc libenter admittam, dum modò illi quoque concedant probabiliter de his loqui Iudæos, & fieri posse, vt in his traditionibus aliquando fallantur: tamen librorum omnium Veteris Testamenti certa & firma est authoritas. Cur eadem modestia non peragitur censura in libros noui Testamenti? certè magna est ingratitudo: cur non enim in authores tam studiosè inquiritur, nisi vt hac via tollatur totum scriptum? Nos contrà sentimus: cùm de huius scripti sanctimonia constet, de authore nobis digladiandum minimè censemus. Quare Deo propitio, huius quoque libri enarrationem alacri animo suscipiamus. Interim hoc ingenuè quoq; profitemur, in his multa nos latere posse: Bonus enim quandoque dormitat Homerus. Verùm nullum vnquam scriptum enarrandum suscepi, ea præsumptione, vt putarē me nihil subterfugere posse, quantò magis abesse debet præsumptio in hoc tam lubrico scripti genere? Nota enim satis est propria tenuitas: & eò fortè diligentior sum, vt non tam meo, quàm aliorum fruar ingenio. Interea olitor fortè idonea aliquando dixerit. Interpretationes, ad orthodoxas sententias applicabo, in quibus à S. Scripturæ consensu non discedam. Non interim meum celabo interdum iudicium, in quo mihi liberum volo esse, aliquādo recedere ab aliorum iudiciis. Sed de his pridem satis. De authore scripti, more nostro agamus.

Contra præsumptionē.

DE AVTHORE APOcalypseos.

Ioānem Euāg. huius libri authorē esse 4. rationibus cōfirmatur.

1. Ratio.

AVthorem huius operis statuo Ioannem Euangelistam, sine omni hæsitantia. Ad quam sententiam comprobandam, vtor duplici argumento, ex ipso contextu de-prompto. Primùm scriptor hic versu 2. ait, se illum esse, qui testificatus est τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, & testimonium Iesu Christi. Quod nihil aliud est, quam dicere, se illum esse: qui prius iam scripserit historiam Euangelicam. Illud enim est testificari λόγον Dei, & testimonium Iesu Christi: hoc est Filij Dei naturam describere, incarnationem, vitam in his terris actam, doctrinam, mortem, resurrectionem, &c. Quæ luculenter admodùm præstitit Ioannes in historia Euangelica. Deinde idem author Cap. 1. vers. 9. scribit se illum esse Ioannem, qui in Patmo insula fuerit, propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi.

Ratio.

Quæ nō cadunt in alium, quàm Ioannem Euangelistam. Nam hic solus legitur in Patmon relegatus sub Domitiano principe. Et Irenæus author est lib. 5. sub finem eius Imperij ea euenisse: cuius verba sunt, Neque enim ante multum temporis visum est, sed penè sub nostro seculo, ad finem Domitiani imperij. &c. Proferant igitur illi alium Ioannem, qui in Patmo exularit, præter Euāgelistam, quod dum nequeunt, nos hunc authorem scripti huius retineamus. Huic addatur etiam hoc, scriptum illud, pium esse, & veritati euangelicæ, doctrinæ Christi & Apostolorum valdè cōgruens. Nam solius Christi dignitas hic quæritur. Is solus lauit nos ab omnibus peccatis: solus dignus est, aperire librum secretorum Dei: solus dictat facienda: tuetur Ecclesiam: constantiam dat in aduersis: remunerat pios: punit impios: bellum gerit cum Dracone: Sathanam iubet ligari: & his infinita alia, quæ pertinent ad Christi merita, & gloriam illustrandā. Quod verò hic causantur vmbras & visionum varietatem, meminisse nos oportet Ioannem pro doni amplitudine plura & vidisse & intellexisse, quàm nos miseri homunculi. Recumbens in sinu Domini, intellexit Iudam fore proditorem: quod nulli Apostolorum adhuc fuerat reuelatum. Ita in Patmo, his visionibus videt cursum totius Ecclesiæ, videt Antichristum: audit nomen Bestiæ, nomen vrbis, & septicollem expresè hanc fore. Quæ omnia si non assequimur, nulla est culpa Euangelistæ, sed nostram potiùs fateamur modestè ignoratiam, & fruamur his quæ Deus nobis cōcessit ad gloriam Filij eius, & ædificationem Ecclesiæ suæ. Quartò, plurimùm apud me valet iudicium vetustatis, nam antiquissimi quiq; hunc librum Euangelistæ adscripserunt: & esto, omnes non fecerint, fecerunt tamē hoc prestātiores, & apostoli seculo viciniores. Iustinus certè Martyr, qui vixit anno Domini 150. hunc librum Euangelistę adscribit, in Thryphone: cuius verba sunt, καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ χριστοῦ ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ, χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ, τοὺς τῷ ἡμετέρῳ χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσε, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν καὶ συνελόντι φάναι αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν. Et Irenæus lib 5. ca. 21 & c. 25. nō solùm huic authori tribuit, sed multa vtiliter ex Apocalypsi interpretatur: vt vero simile sit hanc ipsam esse explicationem, de qua alij loquuntur, quam Irenæus in Apocalypsin conscripserit. Iustini enim planè periit. Tertullianus

Cap. 26.

Iustinus Martyr in Trypho. 89. Iren. lib. 5. cap. 21. & 25. Tertull. contra Marc. li. 4. 158.

tullianus contra Marcionem lib.4.ex ordine successionis ad Euangelistam refert,cuius sunt verba,Nam & si Apocalypsin Marcion respuit : ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit authorem. Athanasius non solùm inter canonicas scripturas refert,sed etiam argumẽto illustrauit,vt alios libros canonicos.Hieronymus ad Dardanum,de epistola ad Hebræos loquens scribit:quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt. Et tamen nos vtraque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem sequentes. Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ, Apocalypsin Ioannis, canonicis libris coniungit. Et alibi de Alogis hæreticis refert, quòd Euangelium Ioannis & Apocalypsin negent.Idem facit Epiphanius lib.2.

Athanasius Tom.98. Hieron. ad Dardanum. August. de vnitate Ecclesię Tom. 7.546. Tom 6. 18. Epiphan. l.1. Tom.1.

Hęc de authore copiosiùs placuit referre,vt auditores de scriptore certi essent.Ac videtur mihi tota hæc controuersia nata esse,ex nominum varietate: quòd Ioannem alij Theologum,alij Presbyterum nominent,alij Apostolum,alij Euangelistam.quę tamen in hac disputatione de vna & eadem persona accipi debebant.Presbyter dicitur quia in vltima senecta hæc scripsit, & si credimus aliis post mortem Domini anno circiter 68. Post excidium vrbis,20.anno,tandem mortuus est.Theologus verò dicitur,quia abdita de Filio Dei protulit mysteria,quòd λόγος sit æternus,Patri consubstantialis & coëternus. Apostolus autem, quia de numero duodecim fuit,& pari cum aliis authoritate spiritus sancti docuit post Domini ascensionem. Euangelista quoque, quia historiam euangelicam,de doctrina,incarnatione, æternitate, morte, resurrectione, ascensione, etiam Filij Dei composuit.Quæ si rectè accipiamus,nihil interest,siue Theologum,siue Presbyterum,authorem dicas:modò Euangelistam,& Apostolum simul intelligas. Placet igitur Complutensis editio,& altera recentior,quæ ad tollendam hanc controuersiam omnem, epigraphen libri huius sic posuit : Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελίστου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου.

Controuersia de authore, nata est ex diuersis ei⁹ nominibus. Presbyter. Theol. Apost. Euangel.

QVIBVS SCRIBATVR.

DVplex hic est personarum consideratio.Nam sunt personæ quædam Ecclesiarum expressæ, ad quas singulæ scribuntur epistolæ cap. 2.& 3.atque illa omnia finitas habent personas.Deinde generalis est persona totius Ecclesiæ,ad quam scribit,eiq; depingit suum cursum,& fortunam,qua est vsura in his terris semper vsq; ad finem mundi. Ideò sic rem accipiamus,scribi hæc ad singulos & vniuersos Christianos : quandoquidem omnes membra Ecclesiæ esse cupimus:& casus fidelium(qui omnibus ætatibus Ecclesias particulares hinc inde opprimunt,vastant,& de loco ad locum hinc inde expellunt)certissima in hoc libro habent vaticinia, & consolationes firmas. Ideóque attentè,& vigilanter legi debet ab omnibus.

Persona ad quam scribitur duplex. Particularis. Generalis.

OCCASIO SCRIBENDI.

OBlata est occasio, qualis fuit Prophetarum passim in scribendo. Nam vt illi omnia iussi faciunt,sic noster Ioannes.hinc semper illi adest Angelus monitor de faciendis vel omittendis: ac quanquam omnia coràm inspiciat, tamen non omnia ausus est prodere posteritati,sed quædam planè præterit,quædam obscuriùs scribit,quædam sine omni ambiguitate refert. Dilucida sunt quæ ad septem Ecclesias scribit:in quibus sæpe reperitur illud,Scribe quæ vidisti,ca.1.v.9.ca.2.v.1. scribe Angelo Ecclesiæ Ephesinę &c.v.8.12.18.ca.3.v.1.7.14.Et ca.4.v.1.Ascende huc,& ostendam tibi euetura.Obscuriora sunt,quę deinceps iubetur facere,ca.10.v.8.ca.11.v.1.ca.14.v.13.ca.17.v.1.ca.21.v.5.9. Præterit autem res visas,& occultat,ca.10.v.4. Obsigna, nec scribas verba, quæ locuta sunt septem tonitrua. Sic cap.13. nomen bestiæ inuoluit numeris.666. Ex quibus illud constat:Ioannem de suo nihil addidisse,sed ne quidem suo arbitrio scripsisse,verùm illa saltem,& eo modo, quem illi permisit Angelus. Deinde hoc quoque hinc efficitur, Ioannem potiùs scriptorem fuisse,Christi verò Angelum authorem.Is enim omnia dictat & iubet,ille verò saltem in omnibus est amanuensis.

ARGVMENTVM SEV ὑπόθεσις.

INstituerat Ioannes Apostolus multas Ecclesias in Asia : quas absens in exilio suo,ex Patmo hîc iubetur officij admonere.ca.1.ac cap.2.& 3. dictantur ordine septem epistolæ, ad totidem Ecclesias speciales. Hinc transfertur argumentum ad vniuersalem personam totius Ecclesiæ:cuius fortuna in hoc mundo,ad finem vsque seculorum variis visionibus depingitur.Ac ca.4.mox panditur ianua cœli,& spectandus proponitur consessus quidam cœlestis. Ad Dei enim tribunal assident viginti quatuor seniores:ad-

ſunt etiam quatuor Animalia, ſeptem Lampades, Mare vitreum, & alia quæ ad maieſtatem diuinam pertinent. Capite quinto, in conſeſſu cæleſti proponitur liber clauſus: & mouetur quæſtio de libri ſolutione ſeu explicatione: ac deprehenditur hunc librum ſecretorum diuinorum à nullo ſolui poſſe, ſolo Agno Dei excepto. Ideò cap. 6. vera incipit Apocalypſis, nam Agnus Dei aperit ordine ſex ſigilla, & ad ſingulorum ſolutionem inſoliti quidam euentus accidunt. In cap. 7. docetur in his publicis malis, pios Deo curæ eſſe. Ideóque ſignantur ex Iudæis & Gentibus certi, qui Agnum ſequentur, Hinc cap. 8. redit ad Libri explicationem, ac ſoluitur ſigillum ſeptimum, ad quod producuntur mox ſeptem Angeli, quibus dantur tubæ ſeptem, ex quibus mox quatuor ordine clangunt, quibus ſui effectus annexi ſunt. ca. 9. auditur quinta tuba, ad quam inducitur caligo religionis per locuſtas ex inferno eductas, quarum rex eſt Ἀπολλύων. In eodem capite tuba ſexta clangit, & ſoluuntur quatuor Angeli ligati ad Euphraten, per quos bellum adornatur. In decimo capite pergit conſequentia ſextæ tubæ deſcribere: nam Angelus bonus opponit ſe ſuperioribus, datur libellus apertus Ioanni, quo de nouo inſtruitur ad docendum. cap. 11. deſcribitur templi dimenſio: & confirmantur pij, & diſcernuntur à ſectatoribus Antichriſti: tamen habituri ſunt crucem. Inde ſeptima tuba auditur, ad cuius clangorem omnia videntur Chriſto ſubiici. cap. 12. initium eſt certaminis, ad quod ſuperiora omnia videntur adornata. Eſt autem bellum inter Mulierem, hoc eſt Eccleſiam, & Draconem. Vincit tamen miſera mulier: quæ in mediis perſequutionibus parit Filium ac fugit in ſolitudinem: hoc eſt, incertum habet & varium in his terris hoſpitium. cap. 13. Draconi accedunt ſubſidia duo, beſtia quædam ex mari, & alia quædam beſtia ex terra bicornis. Ideò cap. 14. quoque præſidia creſcunt. Nam agnus ille in monte Zion videtur, inſtructis copiis contra Draconem & beſtias, & inſigni victoria res terminatur. cap. 15. contra victos hoſtes Eccleſiæ adornantur pœnæ: ſeptem ſunt Angeli plagarum, qui ordine effundunt plagas ſuas, cap. 16. cap. 17. proponitur damnatio Meretricis, & deſcribitur eius iumentum. Quæ graphicè Papam cum ſuo iumento nobis exprimunt, docéntque Papæ perniciem ex propriis amaſiis oriri. Hinc ſubiicitur cap. decimo octauo ruina vrbis: & adduntur excidij cauſæ, quæ videntur repeti ex cap. 14. ſecundi & tertij Angeli verbis excipiunt pij magna cum gratulatione. Deſcribitur quoque Chriſtus victor procedens contra inimicos ſuos: ac fit iudicium contra beſtias illas & earum organa. Draco autem ille cap. vigeſimo Archidæmon ligatur per annos 1000. Quibus omnibus finitur atrox certamen contra mulierem & Draconem. Quæ deinceps ſequuntur continent ἑπόμενα, hoc eſt: conſequentia, quæ ipſum iudicium vltimum comitantur: ac ad electos pertinent. Nam cap. vigeſimo primo deſcribitur noua Ieruſalem, & ſtatus in ea omnium feliciſſimus. Diuinum quoque nectar & ambroſia in cœleſti illa conuerſatione, capite vigeſimo ſecundo authoris additur grauiſſima obteſtatio ad poſteritatem, ne libro huic quicquam vel addatur vel adimatur.

ΠΡΟ'ΤΑΣΙΣ.

QVæ copioſiùs retulimus in argumento, ſic in pauca contrahamus. Chriſtus ſuæ Eccleſiæ ſemper eſt prouidus defenſor, qui & ſuorum peccata caſtigat, pœnis & cruce immiſſa: & Antichriſti regnum tandem potenter demolietur, Dracone illo ſatana cum omnibus ſuis organis, in æternas pœnas ablegato. ſuos verò in æterna gaudia ſecum transferet.

GENVS.

Genus docendi multiplex præcipuum tamẽ eſt προφητικόν. Secundum eſt προφητικόν. 3. eſt didaſcalicũ. 4. dici poteſt mixtum.

KΡυπτικόν eſt, nam genus docendi figuris & ſimilitudinibus, tectum eſt: in quibus tamen eſt quędam ὁμοίωσις, quam habent figurę ad rem ſignificatam. Agnus, cum Chriſto: mulier, cum Eccleſia: Draco, cum Satana: Beſtia cum Romano imperio: altera Beſtia, cum Papa: Babylon, cum Roma: locuſtæ, cum ſeductoribus, aliáque his ſimilia. Porrò quia collatio ſæpe eſt incerta, ideò obſcurum fit docendi genus. Sæpe autem ſatis eſt illuſtris explicatio: vt ſeptem Candelabra, ſunt ſeptem Eccleſiæ: ſeptem ſtellæ totidem ſpiritus: ſeptem Capita, ſeptem colles: beſtia, vrbs. Ideò in multis eſt perſpicuitas, hinc rectè dicitur Ἀποκάλυψις. Quæ vox ſignificat, rem tectam, & quæ habeat opus interpretatione: ſignificat etiam Rem nunc denudatam: hoc eſt, de cuius interpretatione iam conſtat. Vtriuſque in hoc libro facilè monſtrari poſſunt exempla. In rebus verò ipſis, prædictiones ſunt de curſu totius Eccleſiæ, ad finem vſque mundi, ideò προφητικόν eſt. Et quia concionatur de pœnis impiorum, & de præmiis ſanctorum, ideò διδασκαλικόν quoq; eſt. Sunt his adiũcta multa παραινετικά, προτρεπτικά ad virtutes, ἀποτρεπτικά à vi-

à vitiis, consolationes, increpationes, laudes, comminationes. Quæ omnia principale genus illustrant & ornant.

DIVISIO.

ORdinem partium hoc pacto connectamus. Initio exprimitur Titulus: in quo à rei nouitate & argumenti genere attentionem sibi præparat: addit etiam ordinem patefactionis, finalem causam, & salutationem more dedicationis. Instituitur breuis narratio vers. 9. quæ à persona, loco, tempore dociles reddit auditores, quæ omnia videntur habere aditum ac præparationem quandam ad sequentem visionem. Hinc sequuntur ordine visiones. Et prima specialis est, pertinens ad Ecclesias sui temporis. Septem Candelabra proponunt nobis totidem Ecclesias, ad quas ordine dictantur singulæ epistolæ, Cap. 2. & 3. Secunda visio explicat septem sigilla: continens generalem cursum totius Ecclesiæ ad finem vsq; mundi: ac quæstio instituitur de explicatione Libri secretorum diuinorum, ad quam rem vnicus Dei Agnus idoneus reperitur, qui ordine pandit sigilla, & declarantur diuinæ prouidētię effecta. Tractantur hæc capitibus. 4. 5. 6. 7. & initio octaui capitis. Tertia visio complectitur septem tubas, quæ adornantur à septem angelis, qui ordine mox singuli clangunt, cap. 8. 9. 10. 11. & initio duodecimi capitis. Quarta proponit certamen Ecclesiæ cum dracone septicipiti, cum veteri & noua bestia. Ecclesiæ defensor Christus monstratur in monte Zion, capitibus 12. 13. 14. Quinta explicat septem plagas, quas Christus victor decernit contra Antichristum & ipsius organa, capitibus 15. & 16. Sexta describit meretricem insidentem bestiæ septicipiti: atque non obscurè explicantur, quę sint septē capita, quę decem cornua, Hinc vrbis ruina proclamatur: piorum congratulatio: Christi iudicis descriptio: bestiarum & draconis damnatio, capit. 17. 18. 19. 20. Septima consequentium habet considerationem, quæ scilicet post iudicium Christi nouissimum sint euentura. Monstratur sponsa Agni: vrbis renouatio & dimensio: diuinum in ea nectar & ambrosia: felicissimum sanctorum omnium contubernium, cap. 21. 22. Vltima pars est ἐπίλογος, quemadmodum constituo vers. 6. vltimi capitis, & imponit hunc ipse Angelus Dei: mox Ioannes idem confirmat, & Christus filius Dei suam addit authoritatem, vt res fidem habeat in Ecclesiis. deniq; graui contestatione librum totum quasi obsignat. De his suo ordine dicemus vberiùs, Domino aspirante conatibus nostris.

Titulus vel exordium. Narratio Septem candelabra. Septē sigilla

4. Septiceps bestia. 5. Septē plagæ. 6. Meretrix insidens bestiæ septicipiti. 7. τῶν ἐπομένων Epilogus.

VTILITAS SCRIPTI, SEV LOCI præcipui.

ANtequam conuertamur ad Apostoli verba, addemus coronidis loco quædam ad vtilitatem præsentis instituti facientia: nam in quolibet opere imprimis respici solet vtilitas, quam ex illius lectione possint cōsequi auditores. Quę res in hoc libro eò magis expendi debet, quātò eius lectio rarior hactenus fuit, & minus habita vtilis. Rem omnem referamus ad illa tria, ad Christi personam, Ecclesiæ, & Antichristi descriptionem. Ad personam igitur Christi cognoscendam plurimùm nobis proderit, h. e. ad maiestatem, curam pro Ecclesia, defensionem, æternitatem, meriti amplitudinem, victoriam etiam rectè intelligendam, de quibus paucula subnotabimus. Æternitas, & diuina cum Deo Patre natura, hîc demonstratur. cap. 1. Ego sum α, & ω, primus & nouissimus, principium & finis: quæ disertè exprimuntur versu 8. 11. & 17. Maiestas autem describitur cap. 1. in visione prima. Nam illic Christus sese spectandum exhibet istis notis: Filio hominis similis est, talaris ei habitus est, Zona aurea, caput vt lana, capilli instar niuis, oculi vt flamma ignis, pedes vt æs candicans, vox vt aquarum multarum, in dextera habet 7. stellas, ex ore anceps procedit gladius, facies instar solis radias. Similis est cap. 5. vbi Agnus ille ad dextram diuinæ maiestatis sese collocat: habet cornua septem, & oculos septem, & dignus qui accipiat virtutem & diuitias, sapientiam & fortitudinem honorem, gloriam, & benedictionem &c. Cap. 10. similis pictura est glorię Christi: & Cap. 14. in nube candida sedet, similis homini, in capite coronam auream habet, in manu verò falcem acutam. Et cap. 14. in principio, Agnus ille in monte Zion bellum adornat contra Draconem. Quæ omnia maiestatem Christi nobis proponunt. Potestatem quoq; Domini Christi nobis passim depingit: vt cap. 1. v. 18. habeo claues abyssi & mortis ca. 3. v. 7. aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Et ca. 14. in prælio contra Draconem, & alios hostes Ecclesiæ, satis declarat potentiam suam. Et c. 5. v. 12. pij fortitudinem, honorem & gloriam confitentur Agno. Ca. 19. v. 20. potentiam declarat. quòd arrepta bestia, & eius pseudopropheta, viui à Christo pręcipitantur in stagnum ignis. Et principio c. 20. Draco ille quoq; ligatur. &c. Describit nobis etiam Christum omni-

Vtilitas totius libri prima est de Christi persona. Aeternitas Christi. Maiestas

Potestas.

Omniscientia.

ſcium,cap.2.verſ.23. Vt ſciant omnes Eccleſiæ,me eſſe ſcrutatorem renum & cordium. Cap.5.v.4.& 5. Agnus ſolus dignus eſt,qui aperiat mundo Librum ſecretorum diuinorum.Et cap.2. ad Eccleſias dictans epiſtolas,ſemper hoc inculcat,Noui laborem,opera, afflictionem tuam. Quæ teſtantur Chriſtum non ſic abſentem eſſe,quin omnia norit, quæ in Eccleſia fiunt,&c.Si gubernationem & adminiſtrationem,tutelam & defenſionem Eccleſiæ,Chriſto vbique tribuit.

Gubernator Eccleſiæ.

Cap.1.v.9.10.11.Ioannem in Patmo excitat,vt abſens ad Eccleſias Aſiaticas ſcribat,ad officium eos reuocando.Et ibidem,Chriſtus inter candelabra aurea (hoc eſt inter Eccleſias) præſens obambulat : ſignificans illum non otioſum eſſe ſpectatorem,ſed qui ſuorum prouidam gerat curam.Et cap.10.v.2.vno pede ſuper mare,altero ſuper terram conſiſtit, quo omnia continet , ne noceant ſuis electis. Et cap.14. Agnus in monte Zion bellum pro Eccleſia ſuſcipit , ac glorioſè vincit. Cap. 12.v.7. prælium quoque contra Draconem , pro miſera Muliere ſuſcipitur , quo Chriſti cura in ſuis defendendis eſt declarata.Et cùm Draco in terris quoque perſequatur Mulierē,datur illi hoſpitium in deſerto,& terra aperit os ſuum, & abſorbet flumē, quod Draco contra mulierem eiecerat. Eſt igitur certa defenſio Chriſti, qua ſuam Eccleſiam non ſolùm tuetur cōtra Diaboli accuſationes:ſed temporalem quoque crucem lenit & mitigat,in mediis ærumnis ſemper aliquod hoſpitium ei dat,licet in deſerto videatur eſſe.

Redemptor.

Locus de merito Chriſti hîc commodè illuſtratur. Cap.2. v.6, Abluit nos à peccatis noſtris,per ſanguinē ſuum.Et cap.5.v.9, de Agno dicitur, Redemiſti nos Deo, per ſanguinem tuum,ex omni tribu, lingua,populo, ac natione : quo docemur Chriſti merito nos redemptos eſſe, & illud vniuerſaliter ſpectare ad omnes omnium nationū pios.Cap.12.verſ.11,vincunt pij ſerpentem accuſatorem,& vincunt propter ſanguinem Agni,& propter ſermonem teſtimonij ipſorum. Quibus locis iuſtificatio noſtra, ſanguini(hoc eſt paſſioni & meritis)Chriſti adſcribitur.

Victor.

Ex quo loco Chriſti victoria quoque illuſtratur:ſed habet alia eius inſignia teſtimonia. Et cap.17,v.14. Agnus vincit,qui eſt Dominus dominorum,& Rex regum,ſic cap,14.Agnus in monte Zion vincit. Cap. 19,& 20.poſt victoriam plenam,hoſtes eius omnes pręcipitantur in ęternas pœnas.

Iudex omnium.

Eſt etiam Chriſtus iudex omnium. cap.18,v.14,cum falce adornat ſe ad iudicium vniuerſale.Cap.19,v.11,iterum vt iudex proponitur.cap.1,v.7. Ecce venit cum nubibus,& videbit illum omnis oculus,& qui eum mortificarunt. Qualia habemus etiam Eſa.3,ver.14. Matth.24,v.30.

Secunda claſſis,eſt de Eccleſiæ perſona quæ habet locos octo.

Porrò cōſideremus etiam Eccleſiæ perſonam,nam videtur hîc quædam pictura fortunæ & curſus eius,vſque ad mundi finem:quæ res ſi probè expēdatur, non carebit maximis commodis.

Electorū ſiue Eccleſiæ dignitas.

1.Pet.2.5.

Ac primitùs,dignitas electorum hîc conſideretur.cap.1.dicitur,Fecit nos reges ac ſacerdotes Deo,& Patri ſuo:quod repetitur cap.5,v.10.Hinc Apoſtolus Petrus vocauit genus ſacerdotale, & regale, gentem ſanctam. Cap.12. Mulier amicta eſt ſole, & lunam habet ſub pedibus, coronam in capite radiantem ſtellis duodecim.cap.1,v.20.Candelabra aurea dicuntur,quibus, dignitas piorum ſpeciatim,& in genere Eccleſiæ totius ornatus declaratur.

Eccleſia Cruci ſubiecta.

Verùm hanc dignitatem obſcurat Crux in hoc mundo,ideo locus is diligēter expendi debet.ſciendúmque certo Dei conſilio ſemper eccleſiam ſubiectam fuiſſe cruci,adeóque ſanguine martyrum & irrigari, & facundam reddi,igitur paucis expendamus.Cap.1,v.9.Ioannes in Patmo exul proponitur,& ſocius afflictionum omnium piorum.& cap.2.v.3.Epheſina eccleſia preſſa & afflicta dicitur.

Antipas martyr.

Eodem cap.Antipas martyr pergami celebratur.v.13.Cap.6. animæ ſub altari clamāt,Quando domine vindicabis ſanguinem noſtrum:ſed audiunt,quieſcite modicum, donec numerus fratrum veſtrorum completus fuerit. itaq; Crux in eccleſia ſemper eſt, & quidem diuturna, vt opus ſit patientia ſub illa.Cap.12. certamen mulieris cum Dracone ſatis illuſtrat hiſtoriam crucis,ſed in ærumnis ipſis mulier fœcunda eſt, ſignificās eccleſiam propagari cruce & afflictionibus.

Crux miniſtrorū.

Ac pertinet hic locus ad ipſos miniſtros quoque,nam Ioannes exul eſt in Patmo,& idem cap.10. libellum edit dulcem quidem, ſed qui reddit ei amarum ventrem,dulce iugum Chriſti,attamen trahit poſt ſe crucem. Capit. 11. teſtes veritatis tandem curſum ſuum abſoluunt , contra quos beſtia ſuſcipit bellum,vincet eos,ac occidet:quæ fortuna eſt bonorum miniſtrorum,hodie frequens, & ſemper fuit , eritque vſque ad mundi finem. Porrò Crux illa piis etiam ſolet imponi interdum vt pœna certorum delictorum:dum enim ſunt homines , imbecillitatē quoque ſuam debent agnoſcere. Dominus igitur ſuos caſtigat etiam pœnis:ſic dicitur cap. 4.v.19.quos amo caſtigo.Interdum ſunt exercitia & probæ virtutis, ſic Ioannes exulat, Antipas martyrio afficitur,vt extent exempla conſtantiæ.

Conſolatio certa.

Addatur igitur huic loco de cruce alter de conſolationibus ſub ærumnis,vt ſciant pij certam conſolationē,& quòd mala omnia præuiſa pridem ſint , notáque Deo, adeóque limitata certis metis , quas tranſgredi non poſſit Satan. Nam cap.2. Chriſtus ipſe præſens eſt Eccleſiæ ſuæ,dum inter

ter candelabra obambulat. & verſ. 2. dicit Epheſinæ eccleſiæ, Noui laborem tuum, & tollerantiam.v.9.Smyrnenſi dicitur noui opera tua,afflictionem,& paupertatem.ſimilia dicit Pergamenis. Cùm igitur Chriſtus norit noſtras ærumnas præſénſque inſpiciat noſtra omnia,magno animo præparemus nos ad crucem. Cap.5.liber ſecretorum Dei, non niſi à Chriſto panditur. Cap. 3. dicit Eccleſiæ Philadelph. ego te liberabo ex tempore tentationis.Cap.7.Deo adeò ſunt curæ electi,vt Angeli ad nocendum emiſſi,non permittantur nocere mundo, donec obſignentur ſerui Dei. Cap.12.mulier transfertur in deſertum, & illic habet tutum hoſpitium ad tempus. Contenti igitur ſimus quali quali fortuna & hoſpitio, dummodo ſemper de Dei cura erga nos paterna ſimus certi. Nouerimus autem requiri à nobis conſtantiam in aduerſis pro nomine Chriſti, nam cap.2. omnibus ferè Eccleſiis hoc inculcat: ſed addit ſimul etiam illuſtres promiſſiones ac præmia pro tantis ærumnis.v.7.& 10. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, v.11.victor non lædetur à morte ſecunda. v.17.victori dabo edere de manna abſcondita,vt calculum album,in quo eſt ſcriptum nomen nouum, quod nemo intelligit,niſi qui acceperit illud.v.1.6.Dabo ei poteſtatem in gentes. v.28.dabo ei ſtellam matutinam,&c. Quæ præmia omnes pios alacres reddent ad conſtantiam. Pertinet ad præmiorum cōſiderationem ipſa vita æterna,omnium bonorum apex,& cornu copiæ, hāc graphicè nobis depingit,cap.21.& 22.poſt plenam damnationem impiorum:oſtendit enim pios cum Chriſto in ſummam beatitudinem transferendos eſſe,ibi diuino nectare & Ambroſia in æternum ſaturabuntur.Porrò diſcat etiam hinc Eccleſia militans ſuam agnoſcere imperfectionem.Cap.2.Pergamenſis eccleſia doctrinam Balaam habet in ſuo cœtu,& Nicolaitarum hæreſin,quanquam non deſierit eſſe Eccleſia Chriſti. Sic Thyatirēſis fert apud ſe prophetiſſam Iezabel, quæ cum dogmatibus corruptis improbos mores habebat,vt ſcortationem, &c. Et cap. 3. De Laodicenſi eccleſia dicitur, nec calidus es,nec frigidus.Cap.2.Epheſina,primam charitatem amiſit, ſic aliæ alios habent næuos.Ita comparatum igitur eſſe ſciamus,vt nulla ſatis ſit perfecta, ferendæ ſunt communes infirmitates, ſingulis interim curandum, vt quoad fieri poteſt, in dies reddantur emendatiores.Imperfectio admonet nos pœnitentiam nobis ſemper eſſe neceſſariam,hanc paſſim in hoc opere ſuadet Chriſtus, Cap.2.v.5.reſipiſce, & facito priora opera tua,v.15.idem habetur,Thyatirenſibus dat tempus reſipiſcendi,ver.21.cap.3.Sardicenſi etiam dicitur, reſipiſce,hanc vocem nobis omnibus dici cogitemus, Deinde facit hoc contra eorum dogma, qui lapſis veniam negant, aut nimium ſeueri ſunt ſatiſfactionis exactores.Supereſt tertium membrum noſtri inſtituti,de perſona ſcilicet Antichriſti,& hoſtium omnium eccleſiæ.Horum ingenium hinc perquàm probè diſcitur, eſt hoc regnum multiplex & varium. Dux eſt Draco ille archidæmon: habet is ſua organa,malos ſpiritus,duas beſtias,veterem & nouam, falſum prophetam, locuſtas, meretricem Babylonicam, aſſentatores, autores, loquaces, & ſimilia, quæ hîc admodum ſcitè proferūtur.Antichriſtum autem ipſum nobis depingit cap.17. ſepticeps eſt beſtia, & Angelus non obſcurè interpretatur ſeptem capita eſſe ſeptem montes, quibus inſidet meretrix,vrbs igitur eſt ſepticollis. Cap.9. Rex eſt inter locuſtas Ἀπολλύων dictus. σύνεργα habet,h.e.ſocios & confœderatos,beſtiam geminam,ductorē ipſum draconem: organa locuſtas ex abyſſo eductas,falſos doctores,& patronos corruptelæ publicæ.doctrina eius eſt blaſphemia in agnum, Eccleſiam, & ipſum Deum. docet etiam adorare beſtiam,& in nomen eius iurare omnes cogit. Vis eius & poteſtas magna eſt.cap.9.data eſt ei clauis abyſſi.cap.13.miraculorum vi pręditus eſt,adeò vt ignem de cælo deducere poſſit, in terris tanta autoritas, vt nemo emere, vel vendere poſſit ſine eius arbitrio.Pœnæ deſcribuntur cap.13.& 18.Cecidit cecidit Babylon.Cap.19.beſtia & pſeudopropheta eius mittuntur in ſanguinem ignis. Cap.20. ligatur quoque Draco ille antiquus. In loco de pœnis expenduntur ſpeciales etiam impiorum pœnæ. vt quod cap.2. verſ.22. dicitur ſcortatores abiiciendos in afflictionem magnam, & filios prophetiſſæ falſæ morte occidendos.Cap.3.ſi non vigilaueris veniam contra te,vt fur.Hæ pœnæ limitatæ quoque ſunt,vt Satan in his terris malos non poſſit malè perdere ante tempus. Cap.9. locuſtæ non debent occidere impios, ſed tantùm cruciare malos, adeò vt mortem quærant ſtudioſè,nec poſſint illam inuenire.Interdum differunt propter pios.Cap. 7.Angeli non debent nocere terræ,donec obſignati ſint priùs electi Dei. & hæc libuit ex toto opere repetere, vt vel hinc iudicare nobis liceret de libri vtilitate & præſentia. Certè ſi ſtudioſè perquiramus omnes fidei locos, nullus eſt, quin hinc abundè confirmari & illuſtrari poſſit,quod ne diutius nos detineat, tandem ad ipſius Apoſtoli verba deſcendamus.

Conſtantia.

Vita æterna.

Imperfectio eccleſię militantis.

Pœnitentiæ neceſſitas.

Tertia claſſis eſt de hoſtibus Chriſti, Antichriſto & eius aſſeclis.

Deſcriptio Antichriſti.

Socij.

Organa

Doctrina.

Vis.

Pœnæ Antech.

Pœna impiorum

CAPVT I.

Trãſitio ad tractationem verborũ Apoſt.



VÆ hactenus diximus, habent iſtum ſcopum, vt librum per ſe difficilem, facilius, & maiori cum fructu legeremus. ad quam rem accommodauimus argumentum & partitionem noſtram, argumentum deſumpſimus ex capitum ordine, vt perſpici poſſet viſionum cohærentia, eidem mox accommodauimus diuiſionem, addito loco de vtilitate præſentis libri: quæ omnia, ſi attentè expenderimus, lucem aliquam afferent præſenti inſtituto, deinceps igitur ipſum Apoſtolum audiamus. Primo capite lectores excitat ad vigilantem libri huius lectionem ac animis præparatis attẽtione, mox ſubnectit viſionem illam de ſeptem candelabris, cuius interpretationem à Filio Dei acceptam, diligenter ac dilucidè apponit. Partes conſtituimus quatuor, Principio exordium eſt generale, quo totum opus toti commendat poſteritati, quæ librum hunc tanquam theſaurum diuinitus conceſſum, ſtudioſè debet conſeruare. Huic exordium ſpeciale, quod ad ſeptem Eccleſias ſui temporis pertinet, quandoquidem enim illarum Eccleſiarum ſtatum primitus deſcribere voluit, iuſtum erat has etiam ſpeciali exordio alloqui. Tertiò loco ſequitur narratio à loco, perſona, tempore deſumpta, qua per viſionem ſeptem candelabrorum ſtatus depingitur Eccleſiarum ſui ſeculi. Quartò annexa eſt huic viſioni illuſtris interpretatio ex ore filij Dei deprompta.

Diuiſio illius.

EXORDIVM GENERALE.

PRimis tribus verſibus comprehenſum eſt προοίμιον γνωμικὸν, & eſt illud ſua natura συστατικὸν: commendat enim nobis præſentem hunc librum velut diuinum quendam theſaurum, qui à filio Dei ex ſinu Dei Patris miniſterio Angeli ad nos ſit tranſmiſſus. Ac conſtat membris quatuor, argumenti nouitate, ordine patefactionis, fine, & vtilitate ſcripti, de quibus iam agemus.

Propoſitio exordij.
Partes eius quatuor.

Verſ. 1. *Apocalypſis Ieſu Chriſti.*

Cur Apocalypſin vocet librũ ſuũ Ioannes.

Exorditur à genere ac nouitate ſcripti, facítque locus ad attentionem. Apocalypſin vocat ſcriptum ſuum, h.e. diuinitus patefactũ prophetico more, qui ſuas viſiones quoque ad Deum retulerunt, éſtq; ἀποκάλυψις fortè Hebręis *galah*, hoc eſt reuelatio. Quanquam Prophetæ non *gelot*, ſed *chaſon* vocant ſua oracula. vt Eſaias mox primo capite. & Ezech. *Mareot Elohim*, hoc eſt viſiones Dei appellat. & Abdias, & Habacuc viſiones vocant, Nahum *Maſchah Niueueh ſepherchaſon*, h.e. onus Niniue, liber viſionum. Cæterùm noſtro Ioanni non placuit viſiones, ſed reuelationes appellare. Nam voluit prædictiones ſuas diſtinguere illuſtri differentia à viſionibus veteris teſtamenti. Quia Prophetæ veteres non habebant mox oraculorum ſuorum interpretationem, vt videre eſt in Ezechiele, Daniele, multa quidem illi intelligunt Spiritu Prophetico, ſed non illis adeſt Angelus interpres viſibili ſpecie. Ioanni verò vbique adſtat Angelus dictator & interpres rerum omnium. Ideò rectiùs reuelationes quàm viſiones dicunt. Atque eatenus perſpicuæ ſunt hæ viſiones, quod verbo ἀποκαλύψεως commodè expreſſit, eſt enim ἀποκαλύπτειν tecta proferre in lucem, nota facere, quod eſt *galah* apud Hebræos. *chaſon* autem eſt viſio ſine interpretatione quæ Græcis dicitur ὅρασις. Teſtatur Hieronymus in cap. 1. Epiſtolæ ad Galat. vocem hanc propriam eſſe ſacris literis, nam in profanis autoribus, non facilè eam reperies, voluerunt igitur hac voce diuinas viſiones à prophanis diſtinguere. Significat eadem vox etiam tegere & abſcondere, vt Pſalm. 31. beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta peccata, ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. Atque eatenus quædam habet obſcura etiam hîc preſens liber. Porrò, quia nouum eſt hoc argumentũ, ſequitur ideò maiori in pretio illud eſſe habendum. Deinde additur hoc loco, Apocalypſin eſſe Ieſu Chriſti, h.e. quæ ex ſinu Patris deprompta diuinitus inſpirata eſt. 2. Tim. 3. & non hominũ arbitrio cõpoſita 2. Pet. 1. ideò Propheticis ſcriptis æquari debet, & ſtudio ſe conſeruari. Vt enim regũ dona magni faciunt homines, ſic librũ hunc, vt Chriſti donũ amplectamur. Ordo patefactionis planè quoq; diuinus eſt, nam Deus Pater Filio dedit, Filius Angelo, Angelus Ioanni, Ioãnes tandẽ Eccleſiæ. Suauis eſt is cauſarum ordo: nã reducit nos ad fontem & primam cauſam boni. Deus Pater eſt fons & ſcaturigo omnis boni, de ſinu ſuo omnia largitur Eccleſiæ, ita hunc quoque theſaurũ. Dat autem per filium, vt hominẽ, ſecundum quam naturã Chriſtus ſe Patre minorẽ dicit, & ab eo omnia accipere. Vt mediatori dat, nam Deus hunc elegit ab æterno Chriſtum hominem, & natura ſimul Deum, per quem cum mundo ageret. eſt ille λόγος, vt & Iudæi veteres dicebant *dauar* per quod egit cum patribus, vt hodie cum Eccleſia vſque ad finem mundi. Deinde filius dedit Angelo, vt Dominus Angelorum, quorum opera vtitur in con-

Explicatio vocabuli ἀποκαλύψεως.

Hieronymus in cap. 1. ad Gal.

Patefactionis cauſarũ ordo quatuor habet mẽbra.

in conseruanda Ecclesia: sic in conceptione, natiuitate, passione, resurrectione, ascensione Angelos habuit ministros, ex quo efficitur Christum Angelis superiorem esse, & ob id Deum verum esse, vt qui Angelis imperet. Deinde vides hic Angelos esse Spiritus ministratorios ad bonum Ecclesiæ sæpe emissos. Tertiò Angelus Ioanni dat has reuelationes, vt organo idoneo, per quod commodè deriuarentur ad posteritatem. Sic vt plurimum per idonea media. Quartò Ioannes nobis reliquit illa tanquam scriptor. Christus igitur author est verus, Angelus dictat, Ioannes scribit. Series causarum, illius nos admonet, quemadmodum Angelus probè hic fungitur suo munere in dictando, Ioannes verò in conscribendo: ita nostrum esse probè conseruare hunc librum, vt secundum eum mens nostra instituatur. Quæ enim esset illa peruersitas? Christus diligenter mandat Angelo, is studiosè monstrat Ioanni, qui vigilanter rebus adest, videt vt annotet: ac fiunt hæc omnia in vsum nostrum, Interim nos ista omnia cõtemneremus? vtique ad salutem, sed cõdemnationem faciant. Sequitur in exordio proposito, rerum tantarum finis & scopus: ad quid enim tanta causarũ series facit? respondet vt ista omnia ostenderentur seruis Dei, & vt sciant quæ essent eis euentura in hoc mundo. In quibus illa ordine obserua. Primùm finem in genere, δεῖξαι, q. d. vt spectanda oculis viuida inspectione proponerentur, quod dicunt πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν: & rectè, nam si probè inspicias librum hunc, videbis quasi in tabella depictam fortunam totius ecclesiæ. Deinde ad quos pertineat præcipuè τοῖς δούλοις, h.e. veris Christi cultoribus illa scribuntur, nam electorum hic præcipua habetur ratio, discas igitur librum hunc non contemnere, ne hoc ipso demonstres, te seruum Dei non esse. Tertiò qua de re agatur: de futuris scilicet quæ sunt euentura ecclesię ad finem vsque mundi. Hinc depromenda est ὑπόθεσις totius libri, continet scilicet descriptionem cursus ecclesiæ, quę bona, quæque mala illi sint euentura in hoc mundo: sic de impiis, qui illorum sint conatus in opprimenda ecclesia quæ hinc eosdem consequantur pœnæ. Sumatur hinc etiam πρόθεσις libri. Denique faciunt illa ad descriptionem tituli. Nam ἀποκάλυψιν commodè hinc definies. Ἀποκάλυψις ἐστι πρόγνωσις τῆς τύχης τῆς ἐκκλησίας δηλωθήσης θειόθεν μέχρι συντελείας τοῦ κόσμου: h.e. Apocalypsis Ioanni est, præcognitio fortunæ ecclesiæ patefactæ diuinitus, vsque ad consummationem seculi. Ideò supra dixi hũc librum thesaurum esse ex sinu Dei, per filium nobis patefactum. Quartò additur vocatio quoque temporis, ἐν τάχει breui: primùm, quia initia harum visionum iam in actu erant, principij igitur ratione dicit breui euentura. Deinde quia totum hoc tempus durationis totius mundi breue est in conspectu Domini. 2. Pet. 3. Denique his addo, quod facit ad consolationem fieri hæc ἐν τάχει celeriter, quia crux piorũ non est æterna, sed momentanea solùm, momenta sunt afflictionum, respectu præmij æterni, quemadmodum totius durationis cursus breuis est apud Dominum, nam quòd aliud præteritum est, aliud futurum, hominum respectu dicitur, quibus inseruit hæc partitio, apud Deum omnia sunt cõprehensa ἐν τῷ νῦν. Sic afflictionum duratio breuis est, singuli ingrediuntur hunc mundum. Quasi in comœdia, vix ingressi hanc fabulam, iubentur iterum deposita persona egredi.

Causarũ istarum finis & scopus.

Vers. 2. *Qui testificatus est λόγον Dei.*

Hæc verba habẽt ἔκθεσιν vltimi membri in ordine patefactionis, ac facit certitudinem scriptoris. Nam de Ioanne dubium videri poterat, & reuera posteritas tota inconstanter sensit de quonam Ioanne hæc essent accipienda, huius scrupulum voluit nobis hîc eximere, ac hoc dicit, illũ esse scriptorem, qui priùs iam scripsit Euangelicam historiam: quod est testari sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi, hoc est, eius diuinitatem & historiam passionis accuratiùs describere, quod sine controuersia præstitit vnus ille Ioannes: nam coràm fuit rebus omnibus, vidit latus eius aperiri lancea militis, hinc effluere sanguinem & aquam, vidit sepeliri, aliáq; multa quæ studiosè etiam descripsit, hinc additur hoc loco, & quæ vidit, non tamen absurda est aliorum sententia, qui de præsentibus visionibus ista omnia accipiunt. Mihi tamen prior explicatio magis placet.

Vers. 3. *Beatus qui legit, & qui audiunt.*

Quartus est locus exordij, continens vtilitatem scripti, sensus est facere hoc scriptum ad salutem ecclesiæ, ex quo efficitur studiosè & legendũ & conseruãdum esse hunc thesaurum. Primùm autem commodè præstantiam exprimit per exclamationem, μακάριος beatus dicitur ab effectu ac fine, & dicunt μακαρίους dici defunctos iam casibus huius vitæ ὁ μὴ τῇ κῆρι ὑποκείμενος, hoc est, fatalibus his malis nõ est obnoxius amplius κὴρ enim est φθορὰ corruptio: quanquã Aristoteles deriuet ἀπὸ τοῦ χαίρειν, quia post hãc vitam summa beatitudo incredibili gaudio coniuncta piis est proposita, ad hanc, viam nobis mõstrat hic præsens liber. Deinde ad quos pertineat ille μακαρισμός, vt sciamus, qui tanta bona sperare debeant: id expressit illustri diuisione lector, auditor factor. Incipit enu-

Eth. lib. 7.

merationem ab inferiori gradu aſcendēdo ad ſupremum, lector enim infimus eſt, proximus eſt ſtudioſus auditor, ſupremus gradus eſt factoris, qui ſecundum iſta vitam & mores inſtituat. Rom.2. non auditores ſed factores iuſtificabuntur. Et dominus Ioan. 13. beatos pronūciat non doctos. ſed ſi qui fecerint illa, quæ intelligunt rectè. Ita hic liber actiuam vitam requirit, ſine qua vana eſt omnis contemplatio. Tertiò, libri qualitatem repetit, vocat ſermones prophetiæ, quod prius dixit ἀποκάλυψιν, & rectè dicitur propheticum ſcriptum, quia prædictiones habet de ſtatu Eccleſiæ. Deinde quia multa oracula Prophetarum illuſtrat, vt Danielis & Ezechielis, &c.

EXORDIVM SPECIALE AD ECCLESIAS ſui ſeculi pertinens.

Verſu 4.

Scopus prioris exordij.

DIximus nuper de exordio generali, cuius ſcopus fuit, librum hunc diuinum theſaurum toti poſteritati commendare: ad quam rem, adhibuit quatuor illa, nouitatem ſcripti, quia liber hic ſit Apocalypſis Ieſu Chriſti, deinde ordinem patefactionis, quòd mirabili ſerie ad nos vſque ſit tranſmiſſus: nam Pater Filio dedit, Filius Angelo, Angelus Ioanni Euangeliſtæ, is demum eccleſiis. Tertiò finem tanti ordinis, vt res futuræ communicarentur electis, ſciréntque, ſua fata, dum hic militant. Quartò vtilitatem, quia hiſtoria libri huius beatos efficit, lectorem, auditorem, in primis autem factorem. Ex quibus efficitur librum hunc, vt præſtantiſſimum theſaurum ſtudioſè conſeruandum eſſe à poſteritate in eccleſia Chriſti. Iam ſuperioribus alterum exordium additur, ac vt priùs pertinuit ad totam eccleſiam duraturam ad finem vſque mundi: ita hoc iam ad Eccleſias ſui temporis. Hoc facilè aduertent, qui de idea, natura orationis poſſunt iudicare: ſcire enim debemus, huic operi incorporatos duos libros, quorum prior epiſtolaris eſt ad ſeptem Eccleſias, ſeorſim ſcriptis totidem epiſtolis. ideóque totus ille familiaris eſt. Alter verò hiſtoricus eſt deſcribens fortunam totius eccleſiæ militantis. hos inquam, duos libros, in vnum corpus redigens, ſingulis ſuas etiam præfationes addidit. Ac prima præfatio iuſtè cohæret narrationibus ſequentibus à Capit.4. Altera præfatio ad viſionem primam ſolùm refertur, & eius epiſtolas capite 2. & 3. deſcriptas.

De exordio altero & eius ſcopo.

Propoſitio exordij. Partes quatuor.

Hoc igitur exordio præparat animos eccleſiarum ſui temporis, vt has epiſtolas ſtudioſè perlegant, quas ſingulis eccleſiis ſeorſim trāſmiſſas eſſe omnino credo, &c. Quatuor autem etiam hîc ſunt comprehenſa, perſona authoris. 2. Cui dedicentur hæ epiſtolæ. 3. quid comprecetur. 4. à quo tanta bona ſint ſperanda.

Verſ. 4. *Ioannes ſeptem eccleſiis.*

Sigillatim explicātur membra epiſtolarū, quas habet Apocalypſis.

More epiſtolari orditur nouum principium cuius argumentum, ordinis rationem, ac membra iam indicauimus, membra nunc ordine explicanda ſunt. Author Ioannes eſt epiſtolarum, quemadmodum hiſtoriæ ſequentis: nudo autem nomine cōtentus eſt, quia ſcribit ad notas eccleſias, in quibus nihil Ioanne notius erat, nominatim Epheſi, vbi multis annis hæſit, & paulò poſt rediturus eſt ex Patmo. ſuper addiderat ἔκθεσιν nominis, ſe illum eſſe, qui hiſtoriam euangelicam quoque compoſuerat, ea igitur etiam huc pertinent. Quibus epiſtolæ hæ familiares dedicentur, eccleſiis illis ſeptem, ad quas ſeorſim ſingulas epiſtolas tranſmiſerat ex Patmo. quæ illæ ſint mox verſ. 11. exprimet. Erant iſtæ inſtitutæ ab Apoſtolo Ioanne, & florētiſſimæ iam per totam Aſiam, vt quæ eſſent in primariis vrbibus. Nec dubium eſt, quin præter has, aliæ multæ eſſent illo ſeculo: verùm cùm Chriſtus ad has nominatim dictarit epiſtolas, harum etiam tantùm meminit in dedicatione.

De numero ſeptenario, quo hic vtitur frequenter Ioannes.

Porrò ſeptenarius numerus valde eſt familiaris Spiritui ſancto in hoc opere, dedicatur opus ſeptem eccleſiis, & mox pacem & gratiam illis comprecatur à ſeptem ſpiritibus. Infra mox verſu 12. & 20. ſeptem ſunt candelabra. vt Cap. v. 16. ſeptem ſunt ſtellæ. verſ. 20. ſeptem Angeli, quæ reperiuntur. Cap. 2. v. 1. & cap. 3. ver. 1. Cap. 4. ver. 5. lampades ſunt ſeptem, quæ ſunt ſeptem Spiritus. Cap. 5. ſeptem ſunt ſigilla, quibus clauſus eſt liber ſecretorum diuinorum, & Agnus Dei ſeptem habet oculos, & ſeptem cornua. Cap. 4. v. 6. Cap. 8. v. 2. & 6. Angeli ſeptem inducuntur, quibus ſeptem traduntur tubæ. Cap. 10. v. 3. & 4. ſeptem ſunt tonitrua, quæ loquuntur ſeptem voces. Capite 12. Draco ſeptem habet capita, ſeptem diademata. Cap. 13. beſtia ex mari quoque habet ſeptem capita, & capita ſeptem denotant montes ſeptem. Item reges ſeptem. Cap. 13. Angeli ſeptem ſunt, ſeptem plagarum, ſeptem phialæ. Hæc & ſimilia ſatis declarant ſeptenario numero

mirificè

mirificè delectatum fuisse Spiritum sanctũ in opere. Quod cur fiat suo loco videbimus.

Creationis opus sanè septenario numero absolutum fuit, & cùm Spiritus sancti septiformis sit gratia, vt est apud Esa. 11. non mirum videri debet eo numero delectari. 3. loco sequitur comprecatio, quæ propriæ est ἀσπασμὸς in epistolis: duo autem exprimuntur. gratia & pax, de quibus in epistolis Apostolicis sæpe iam diximus. Quòd autem eadem retinet Ioannes hoc loco, argumentum est publici consensus quem iam tum omnes Apostoli seruabant in scribendo, vt magnum hoc sit argumentum quoque concordiæ in doctrina & dogmatibus religionis. 4. A quo tanta bona comprecetur. triplex hîc persona exprimitur diuinitatis, à qua totum hoc sperandum est, ad personam Patris refero ὁ ὢν, ἦν, καὶ ἐρχόμενος, tria tempora cõplectuntur totam æternitatis duratione͂. sic Moses Exod. 3. dicit *ahaiah* misit me ad vos, h. e. is qui semper est sine principio & fine. quod scriptura cum hominibus agens, nostro captui applicat: quod enim aliud præsens est, aliud præteritum, aliud futurum hominum commodo & captui accommodatum est, alioquin apud Deum omnia ista τὸ νῦν sunt. æternitate͂ igitur principij & finis nesciam, hinc colligamus in diuina substantia. Ad personam Spiritus sancti refero quæ sequuntur de septem spiritibus coram Throno ipsius, quæ licet alij referant ad Angelos stipatores diuinæ maiestatis: tamen malo ad personam Spiritus sancti referre, nam per hunc operatur Deus, & exire dicitur vel procedere à Patre & Filio, ideo hîc coram Throno diuinæ maiestatis collocatur, vt inter personam Patris & Filij, vt constet cùm vtroque illum communicare. quod nunc septem dicuntur Spiritus septiformis est illa Spiritus sancti gratia, apud Esa. 11. quæ singulatim dicitur, χαρίσμα, hinc χαρίσματα Spiritus sancti, apud Apostolum Paulum. 1. Cor. 12.

Salutatio & cõprecatio epistolæ.

Triplex persona diuinitatis à qua comprecatur bona.

Spiritus sanctus.

Ad filij personam reliqua non obscurè referuntur, de eo, quia per digressionem vberius dicendum fuit, ideò ad vltimum locum reseruauit. Obseruentur igitur filij Dei elogia, quæ hic proponũtur. Primò dicitur testis fidelis. testis μάρτυς, quia more testium promissiones de hominis reparatione confirmauit verbis & doctrina, quod ei commune est cum omnibus Prophetis, qui & ipsi testes Dei dicti sunt. Sed Christus cùm non solùm verbis, verùm etiam reipsa veritatem testatus sit, fidelis dicitur testis, qui reipsa veritati dederit testimonium: nam promissiones istas omnes compleuit. sic non Moses nec alij Prophetæ. Hinc Psal. 88. dicitur testis fidelis in cœlo. Moses in domo Dei fidelis fuit, sic alij prophetæ, &c.

Filius.

Elogia filij Dei.

Testis fidelis.

Secundò primogenitus ex mortuis, quia primus ad immortalem vitam resurrexit, à mortuis, qui antè Christum è mortuis surrexerunt & post illum speciali miraculo ad nouam miseriam redeunt, cùm iterum illis mori sit necessum. Ac habet resurrectio rationem quandam natiuitatis, vt enim nascimur ex vtero materno, sic surgentes à mortuis, ex terrę visceribus quæ est communis mater, videntur nasci. hinc dicitur Christus primogenitus à mortuis, quia primus sic natus est ex corruptibili terra ad vitam immortalem, secundum naturam humanam. Eadem phrasis est apud Paulum Coloss. 1. v. 18. πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν & 1. Cor. 16. v. 20. non dissimilis ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. Tertiò Princeps regum terræ. Christi dignitatem præfert omnibus monarchis terrę, ideóq; Deum & imperiorum dispensatorem agnoscamus. sic ad Philip. 2. Paulus ait, ei datum nomen, quod est supra omne nomen, vt ad nomen Iesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, &c.

Primogenitus ex mortuis.

Princeps regum terræ.

Quartò dilexit nos, amoris argumenta sunt in incarnatione, doctrina, miraculis, passione, morte, &c. Hinc dicit nemo maiorem habet dilectionem, quàm vt ponat animam suam pro amicis suis. Ioan. 15. hæc testatus est in primis morte sua.

Dilexit humanũ genus.

Quintò lauit nos, fructus sunt mortis, nostra vita & redemptio, lauacrum illud est sanguinolentum, quod Filius Dei nobis comparauit, vtilissimo fine, sic petrus loquitur, pretioso sanguine Agni immaculati Christi. vt 1. Ioan. 2. dicitur ἱλασμὸς pro peccatis nostris. Ephes. 1. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius Colos. 1. pace facta per sanguinem crucis eius. Act. 20. acquisitam dicit ecclesiam sanguine suo: quæ testimonia hunc locum de iustificatione nostra illustrant.

Lauit sanguine.

Sexta fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo, dignitas est electorum Christi. Non solùm Christus rex est, sed suos etiam fecit reges, scilicet quia à Christo rege, Christiani dicuntur: hanc dignitatem nemo satis expendit, ex hac fluit, quòd Paulus ait sanctos iudicaturos mundum, imò ipsos Angelos. Sacerdotes autem quia ad sacrificium bonorum operum cõditi sumus, hinc ad Rom. 12. v. 1. λογικὴν λειτουργίαν requirit à sanctis. & ad Philip. 4. beneficentiam vocat hostiam Deo placentem. talium oblationum pij sunt sacerdotes, videtur respexisse ad locum Exod. 19. v. 6. Eritis mihi regale sacerdotium, & gens sancta. Hanc Christi picturam concludit illustri δοξολογίᾳ qua omnia

Fecit reges & sacerdotes Deo.

Christo vult deferre, robur sci. & gloriam in secula seculorum amen. Animus rem maiestate oppressus erumpit in eas voces, quibus sui deuotionem & gratitudinem declarat.

Vers. 7. *Ecce venit cum nubibus.*

Descriptio gloriæ Christi.

Redit ad gloriam Christi depingendam, cuius illa quoque est pars, aduentus ad iudicium: in hoc enim in primis maiestas Christi illustrabitur. Facit autem hoc more Prophetico, apud quos nubes, venti, alæ & equi Dei, ac currus nominantur, quibus inequitat. Deinde hîc obserua, quibus sit futurus terribilis, impiis. qui plagant, ac inter hos in primis hostes Christi, qui cruci affuerunt, & laceratum viderunt corpus eius vulnerib. Itaque hinc etiam hoc consequitur Christum in eo iudicio cicatrices vulnerum ostensurum tanquam trophæum infallibile contra omnes suos hostes. Illa visa dolorem impiis augebunt. videtur desumptus locus ex Esa. 3. & Zach. 12. qui locus citatur quoque apud Ioan. Cap. 19. vers. 37.

Vers 8. *Ego sum α & ω.*

Conclusio exordij, in quo Patri coessentialis ostenditur Filius.

Concludit præsens exordium, ac Filium Patri coæqualem facit coæternum: nam quę priùs Patri attribuit, eadem nunc de Filio expresse dicit, Ego sum α & ω. Dicitur prouerbiali sententia Princeps & totius perfectio: nam α & ω totum intra se complectuntur, vt extra has nulla sit litera: sic Christus perfectio est. Mox hoc interpretatur, ἀρχὴ καὶ τέλος. principium & finis, hoc est ante omnia, & post omnium finem durat, nullum igitur Principium est, nec finis in æternitate Filij. Tertiò repetit ex descriptione Patris. ὁ ὢν, ἦν, καὶ ἐρχόμενος, vt tollat omne discrimen in diuinitate, adeóque Filius ὁμοούσιος est & σύγχρονος & ἄχρονος cum Patre. Quarto tribuitur illi commune epitheton παντοκράτωρ, quod sanè Dei proprium est. ideóque communis ipse cum Filio tribuitur potestate & gloria, atque ita ab ipso Patre minimè est separandus, &c.

NARRATIO.

Vers. 9. *Ego Ioannes, qui & frater.*

Narratio & eius membra

Ab his verbis constituo narrationem, quæ visiones consequentes complectitur omnes. Ac prima quidem quæ hoc capite proponitur: absoluitur autem sequentibus adhuc duobus. In præsentia nobis explicandæ sunt περιστάσεις, quibus rem admodum facit probabilem, qualis est persona, locus & tempus. Deinde narrat res auditas. Tertiò res visas, quo loco illustris est descriptio filij Dei. Atque hæc omnia ad tertium locum primi capitis referuntur.

Quis sit cui hæc visio apparet Ioannes. Exul pro Christo.

Frater fideliũ. Cõsors.

Exorditur orationem à sua persona. ego, inquit Ioannes, supra idem nomen expressit addita descriptione, quòd is esset, qui testificatus sermonem Dei & testimonium Iesu Christi, h. e. qui descripsit historiam Euangelicam de Filio Dei. Hoc loco aliud addit notationis argumentum, quòd scilicet is sit Ioannes, qui in Patmo exularit pro nomine Christi. Ideo nominis mentio de authore nos debet certos reddere, ne de fide scripti huius dubitemus. Expende autem suæ personæ ornamenta, fratrem se nostrum vocat, hoc est eiusdem fidei, & religionis, quales in nouo testamento omnes fideles dicuntur. Deinde consortem appellat, quod Græcis est ἐμφατικώτερον: poterat enim dicere κοινωνός, quod participem sonat, verùm compositio addidit singularem emphasin. q. d. nulla est miseria piorum, nulla afflictio, cuius me non agnoscam participem. Sic contrà particeps est idem Ioannes in præmiis afflictionum: sonat enim κοινωνία communionem damni ac lucri: damni locum habent casus aduersi, vt crucis mille modi. lucri verò rationem habet vita æterna, & eius bona. Hæc omnia tribus vocibus expressit, θλίψει βασιλείᾳ & ὑπομονῇ. θλίψις damnum reputatur in mundo, βασιλεία lucrum est, ὑπομονὴ est via, per quam ad bona regni cœlestis, tendimus sub cruce gementes. sonat autem constantiam in aduersis, quam dominus Christus requirit, qui perseuerârit vsque ad finem, hic saluus erit.

Duplex consolatio in cõmunione bonorum.

Porrò subest in hac communione bonorum & malorum, gemina consolatio: prior quia pij vident in his malis se habere consortes pios Apostolos, & tot martyrum millia. Altera explicatio Filij Dei mirificè animos erigit, ideo magno consilio tolerantiam vocauit Iesu Christi, vel quia hanc in primis mandauit.

Circonstãtia loci in quo visio facta est. Solitudo loci Patmos insula.

Hactenus de suæ personæ fortuna: sequitur deinceps circunstantia loci. Fuit, inquit, in insula, quæ dicitur Patmos, propter sermonẽ Dei, & propter testimonium Iesu Christi. duo complectitur circunstantia loci, quæ ambo exilium illustrant: prius loci solitudinem exprimit, in quẽ fuit relegatus: nam Patmos inter Sporades insulas recensetur, non admodum habitata, de qua vide Plin. li. 4. Cap. 12. & Strab. lib. 10. ad quam fuit relegatus sub Domitiano Imp. circa annum imperij eius 14. postquam Ierosolyma iam vastata esset annis 24. quæ incidunt in annũ Domini ferè 96. Verùm cùm post mortem Domitiani, Acta illius rescinderentur à Senatu, ex Patmo rediit Ephesum circa annum

num Traiani 4. ibidémque postea mortuus est anno ætatis 90. circiter annum Domini 102. vt placet nonnullis. Vid. Eusebij Cronicon. Porrò πάτμος significat conculcationem à verbo πατεῖν. hinc πάτος via bene attrita, fuit igitur Apostolus re & nomine in exilio difficili & aspero. Verùm causa exilij expendi debet, quod alterum est huius loci: illa illustris est, & sancta, propter sermonem Dei, h.e. in causa Dei pro nomine veræ pietatis. pro confessione Iesu Christi, &c. Causa exilij.

Vers. 10. *Fui in Spiritu.*

Tertiò perstringit etiam circunstantiam temporis, quo hæc gesta sunt. In die dominico, h.e. die Solis, quæ iam tum feriis & rebus diuinis consecrata fuit, in memoriam gloriosæ resurrectionis. Hanc consuetudinem postea Imp. Constantinus publico edicto feriis consecrauit. Verùm, vt hinc patet, & 1. Cor. 16. maturè pij, pietati diem Solis dedicarunt. In Spiritu esse, est in deprecationibus esse, cum Deo agere, qui Spiritus est, & Spiritu coli vult. in huius igitur sinum suas ærumnas tum effundebat. Disce quæ debeant esse exercitia Christiani hominis die dominico, orare scilicet: legere, & audire ea quæ ad pietatem faciunt. Tempus quo hæc sunt gesta. Secūdus locus narrationis de rebus auditis.

Et audiui post me vocem.

Secundus locus est narrationis, continens res auditas: audit vocem magnam, tanquam tubæ, h.e. plenam & sonoram, qualis est diuinæ maiestatis. Illa vox excitat Ioannis animum ad attentionem, vt præsenti animo res consequentes & audiat, & videat. Sed post se illam audit, facies scilicet Ioannis in aliam plagam spectabat, quo admonemur Ioannem aliis rebus fuisse intentum, nec tale quid tum cogitasse, deinde hanc esse naturæ nostræ conditionem, & semper aliò spectat facies nostra, quàm ad vocem Dei loquentis. Interim nos sectatur & assequitur tandem, vt ad ipsam tandem nouitate vocis excitati conuertamur: id si non impetret, tamen pœnis tandem alloquitur, quas nulli quoque impij tandem euadunt. Vox magna. A tergo clamat.

Vers. 11. *Dicentis, ego sum, α & ω.*

Sequitur vocis illius articulata & expressa sententia. Primùm authorem suum non obscurè declarat. ego sum α & ω, h.e. is tecum loquitur, cui hic titulus iure competit, vt primus sit, & finis rerum omnium, quam sententiam sequens comma probè reddit. Primus & nouissimus, h.e. intra se omnia concludit, extra quem nihil vspiam est, fuit ante omnia, & post omnia adhuc durabit, id solius Dei est. Et quia suprà versu 8. Domino Christo idem tribuit, rectè hac circunscriptione hìc quoque intelligimus Christum. Deinde sequitur mandatum scribendi, cuius illa est ratio. quòd Dominus in exilio illum vult persistere, ecclesiis autem sui temporis & posteritati inseruire, ad quam rem scriptio faciebat. Ideò dominus Mosi etiam mandabat, vt præcepta in duas tabulas conscriberet, ex quibus eadem populo sæpe possent repeti, litera enim scripta manet, cùm vox audita pereat. locus est de commoditate scriptionis. Quis loquatur. Mādatū scribēdi, & eius ratio.

Tertiò sequitur mandatum transmittendi ad septem ecclesias: voluit enim Dominus exilij leges ab eo seruari, ne peccaret inobedientia contra imperij statuta, ideò absens per literas cum ecclesiis agere debuit, qui vnicus illi modus restabat. Expende diligenter hoc loco Deum non tollere crucem etiam sanctorum, quamuis illis arcana sua reuelet, & ecclesiis vtiliter inseruire semper velit. Ideò Ioannes debet exul manere, vsque dum iure publico, & authoritate senatus Romani ab hoc nexu liberetur. Cæterùm septem ecclesiæ sunt indubiè, quas Ioannes instituerat, illóque tempore florentes habebantur. de his ordine dicetur in sequentibus duobus Capitibus. Mādatū transmittendi.

Vers. 12. *Et conuersus sum, vt.*

Tertium membrum sequitur cœptę narrationis, de rebus à se visis: complectitur hic locus duas insignes partes, notationem ecclesiarum, & descriptionem Christi gubernantis ecclesiæ cursum. Ad ecclesias sui temporis pertinet, quòd videt septem candelabra, hoc est, totidem illustres ecclesias, quæ in mundo vt luminaria prælucebant aliis: ideo aurea dicuntur, hoc est præstantiores omnibus mundi statibus: quantùm enim inter metalla præstat aurum, tantò ecclesia Christi quælibet, aliis ordinibus hominum, ac professionibus. Cuiꝰ duę sunt partes.

Vers. 13. *Et in medio.*

Personam Christi nobis deinceps describit. Colligemus igitur hoc loco notas διαζεῦξ reliqua ad totius visionis interpretationem conseruaturi. Primum filio hominis similis est vel quia Christus ipse hic Ioanni apparuit, qui filius hominis dicitur, propter veri corporis nostræ naturæ assumptionem, solo peccato excepto, vel quia Angelus Christi personam referebat, vt non filium hominis simpliciter vellet dicere, sed similem ei. 2. inter candelabra septem illum videt. quid autem fecerit, Capitibus 2. audiemus, ambulabat inter illa, non sedet otiosus Christus in cælis, spectator rerum huma- Personæ Christi descriptio.

narum, sed inter ecclesiæ ærumnas semper adest præsens defensor. 3. *Veste talari indutus est.* ποδήρης vestis sacerdotalis est alba, vt refert Hieronymus in capite 9. Ezech 4 *Cinctus baltheo aureo circa mamillas.* Zona suspensa ad humeros victoriæ est argumentum: pugnaturi enim ad lumbos adaptant ensem per zonam: post victoriam autem ad humeros religatur. Item in pace senes ita cingebantur, quem morem nostri etiam maiores seruârunt, & vidimus etiam in quibusdam senibus hunc morem. Victori igitur Domino rectè hic ornatus tribuitur. 5. *vt caput & crines, vt lana alba, vt nix.* eodem modò in Dan. cap. 7. senili forma Deus describitur. Caput canum prouidentiæ symbolum est, & maturi consilij, ac circumspectionis. *Sexto, oculi eius rutilantes sunt vt flamma ignis:* est in igne calor & lumen: in flamma verò, motus perpetuus. 7. *Pedes similes sunt Chalcolibano,* hoc est, æri purgato & pellucido. videtur enim simpliciter accipi pro Orichalco, quod nos vocamus mosſ. Orichalcum dicitur quasi aurū natiuum ex montibus effossum: alij pro electri quadā specie accipiunt, quæ auro etiam sit præstantior: quā sententiam habent ex Suida: ac componi ex *vitro* & lapidibus: Verùm hanc compositionem electri factitij nullibi reperio. nec apparet de hac compositione loqui Plin. lib. 33. Cap. 4. (vbi electrum factitium auro præfert) sed de illa quæ habet quintam argumenti portionem in quatuor auri partibus, ex hoc electro Homerus Odyss. 4. ornat aulam Menelai. Itaque simpliciter accipio Chalcolibanon pro Orichalco, ac fieri potest in libano quoque effossum, vt à loco Ioanni notiore dicatur æs libani, vt Græci æs Cyprium commendarunt, alij ab aliis locis. de natiuo videtur loqui ære. Compositio autem vocis æs & thus habet, quæ non malè Christo competunt.

De Chalcolibano & eius significatione ac etymologia.

8. *Vox est ei, vt aquarum multarum.* In aqua humor est nutriens, & abstergens vis, impetus & violentia, omnia lōgè lateque vastans. 9. *In dextra sua manu habet, septem stellas.* Dextra symbolum est gratiæ & conseruationis. Stellæ infrà dicuntur doctores ecclesiarum, quia aliis prælucere debet.

10. *Ex ore eius prodit vtrinque secans gladius.* Os sermonis est promptuarium, ex quo loco sermonis vel cum sermone procedit gladius anceps: gladius imperij symbolum est, gladium verbum Dei interpretatur Apostolus Hebr. 4. v. 12. & ad Ephes. 6. v. 17.

Facies eius tota radiabat, vt sol cùm est in vigore, hoc est, meridiano tempore.

Non occidenti, nec orienti soli confert, quo tempore radij debiliores sunt: sed meridiano, quo perfectionem indicat. Hactenus prosopographia est absoluta, quæ quomodo in Christo locum habeat, deinceps considerabimus: nam Christus visionis totius duas solùm partes explicat stellas scilicet septem, & candelabra septem, reliqua, quæ ipsius personam concernunt, intacta reliquit.

Vers. 17. *Et cùm vidissem eum.*

Trāsitio ad interpretationem visionis.

Narrationem nuper ingressi, tria explicuimus, quæ ad primam visionem pertinent. media scilicet quibus Deus est vsus, in patefaciendis his visionibus. sumuntur hæc à circumstantiis coram mundo satis abiectis. hominem enim exulem, in loco squalido, & die non nisi à paucis Christianis culto adhibet. Habent tamen illa πειθανότητα more enim historico probabiles narrat occasiones. deinde attenuit res auditas, qui locus habet ἀξίωμα, hoc est, authoritatem. Demùm subiicit res visas, in quibus est Σεμνότης, hoc est, diuina quædam grauitas ac maiestas, nam filium Dei symbolis illustribus descripsit.

Interpretatio visionis cuius partes quatuor.

Nunc audiamus quoque visionis interpretationem. absoluitur hæc partibus quatuor: ostendit enim quo animo affectus sit Ioannes ad hanc visionem. Christi subiicitur consolatio. repetitur mandatum scribendi. Quartò demum quædam visionis membra explicantur vt septem stellæ: & septem candelabra. de his igitur in præsentia est agendum. 1. πάθος Ioannis arguit infirmitatem: cadit enim instar mortui ad visionem hanc. Causa perturbationis non obscura est, quia vidit maiestatem Christi. Obiecta enim mouent sensus, qui permoti modo insolito, ἔκςασιν facilè pariunt. hinc consecutus est casus, cùm sensus raperentur extra se. Sic Daniel quoque cadit. Daniel. 10. & Manoa cum vxore, Iud. 13. Porrò percommodum est, quòd ad pedes Christi cadit, illic enim tutiss. iacet. Sic cadit Maria ad pedes Christi. Ioan. 11. ver. 32. leprosus sanatus. Luc. 17. ver. 16. sic Iairus petiturus filiæ sanitatem. Luc. 8. vers. 14. Cadamus igitur & nos ad Christi pedes in omni fortuna. Deinde cadit vt mortuus, hoc est, vero terrore ac stupore, non simulato metu. Causa tantæ perturbationis est peccatum, quod etiam in sanctissimis hæret, vt Dei præsentiam ferre non possint: natura enim peccatrix fugit Deum iudicem, & præsentiam eius metuit, ideo contrahitur. Ante peccatum, videmus Adamum familiariter ferre Deum præsentem, & cum illo colloqui: at postquam peccasset, latebras quærit, &c.

Perturbatio Ioannis ad visionem, & illius causa. Discip. Matt. 17.

Cōsolatio Christi

Consolatio perturbationi additur. est autem Symbolica principio & fine: intermedia

media satis aperta & dilucida sunt: nam quod illi imponit manum dextram symbolum gratiæ erat: nam quibus hoc fiebat, aliis aliqua prærogatiua præferri videbantur, vt Iacob Ephraim imponit manum dextram Gen. 48. quo illum singulari benedictione ornare voluit: sic Ioanni hoc loco imponitur dextra, ad certissimum argumentum consolationis. Itaque dextera Dei est præsens & euidens auxilium. vt Psal. 137. Saluum me fac dextera tua. Psal. 43. non brachium illorum saluabit eos, sed dextera tua. Hinc mansit mos in ecclesia imponendi manus ministris, ad contestationem eos in primis in Dei patrocinio esse, siquidem officium sedulò præstiterint.

sti addit perturb. tioni.

Addit huic symbolo verba idem constantia. *ne metuas*, ac si dicat, confide, bono sis animo, non morieris: sed rerum magnarum testem te faciam, ac sunt illa quasi propositio totius consolationis. Hinc mox addit à sua persona quædam, quæ vim habent argumentorum. *Sum primus, & nouissimus*, h. e. æternus Deus, principio & fine carens: deinde ille viuens sum quem, scilicet vidisti diebus quadraginta post resurrectionem & gloriosè ascendentem ad cælos. is ipse sum. quò facit quod mox subiicitur, *Et eram mortuus, & ecce viuens sum in secula seculorum amen.* Hæc enim de solo Christo possunt accipi, eiusque humana natura. ideóque confirmanda est hinc vera Christi resurrectio, & æternitas omni fine carens, ideo addit clausulam confirmationis amen. Demùm concludit consolationem speciosa sententia. *Et habeo claues inferni & mortis.* Significans se plenam habere & absolutam potestatem vitæ ac necis. Claues instrumenta sunt, claudendi & aperiendi loca secreta, vt est videre infrà Cap. 3. Habet clauem Dauid, aperit, ac nemo claudit: claudit & nemo aperit. Et cap. 9. Clauem putei habet Angelus, ac aperit. Cap. 20. Clauem abyssi. ideóque solus aperiebat. Sic Christus hoc loco habet clauem inferni & mortis, h. e. dictatoria & absoluta potestate in hæc loca tradit quos vult, & ab his malis etiam liberat quos vult. Apud Luc. 11. Pharisæi dicuntur habere clauem scientiæ, nec ingressos esse, nec aliis etiam permisisse ingredi: ex quo colligimus alios hac potestate rectè vti, alios verò eadem abuti, &c.

Quomodo confirmetur Ioannes verbis Christi.

Christus vitæ & necis Dominus.

Vers. 19. *Scribe quæ vidisti.*

Est membrum quo repetit mandatum scribendi. quæ repetitio erat necessaria, quandoquidem ἔκστασις memoriam lędit. ideò ad officium Ioannem reuocat: tria autem scribenda dicit, quæ vidisti, & quæ sunt, hoc est, typos visionis, & interpretationem præcipuarum partium, vel quæ sunt scilicet ad candelabra, h. e. ecclesias scribenda. Tertium verò quæ futura sunt, rectè ad sequentes visiones, à Capite. 4. referuntur: nam in illis continentur τὰ μέλλοντα.

Monetur officij Ioannes sc. vt scribat.

Vers. 20. *Mysterium 7. stellarum.*

Quartum est membrum, in quo præcipuarum partium interpretatio habetur, h. e. quid significent candelabra, & quid item stellæ. Reliquas partes visionis intactas relinquit. Nos totam obiter perstringamus vt cōstet de typorū analogia ad res ipsas, quas significant. Duæ sunt primariæ partes visionis, Ecclesiæ scilicet sui seculi & Christus. Ad hac igitur omnia referantur. Ecclesiæ candelabra sunt, quia lucere debent, & vitæ innocentia in hoc corrupto seculo exempla statuere pietatis integritatis, bonorum operum, &c. Est enim hic mundus hospitium commune, in quo versantur tam boni, quàm mali. In ea igitur turba, ecclesiæ est proprium facem præferre, & illuminare mundum hunc Christianis virtutibus. Porrò candelabra aurea sunt, quæ nuper de dignitate fidelium exposuimus: sed ducit nos auri mētio in alias quoque cogitationes. Aurum solum consistit in igni, adeóque semper nitidius prodit. Itaque admonemur hac re, de afflictionibus, ac cruce, qua suos probat Deus. in eo igni constantia est opus qui enim perseuerarit vsque ad finem, hic saluus erit, Expendatur igitur hîc, tum dignitas ecclesiæ, tum officium, quod debet in afflictionibus Deo præstare per tolerantiam.

Quartū visionis mēbrum in quo de candelabrorum interpretatione.

Quid per aurea cādelabra intelligendum

Altera pars visionis pertinet ad Filium Dei: eam paucis resumamus. filio hominis similis est, h. e. verè homo, ad Heb. 2. Per omnia tentatus vt homo, h. e. verus homo declaratus est in tentationibus. pertinet locus ad astruendam veram naturam humanam in Filio Dei. Deinde *ambulat inter candelabra.* h. e. præsens omnia gubernat & tuecatur. Matth. 28. Ero vobiscum vsque ad consumationem seculi. item, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum ero. Item, Non deseram vos. *Talari veste ornatus est*, Sacerdotali dignitate est præditus. Cuius officium in humana natura obiuit. ideò vestem hanc accipio pro humanitate, qua, tanquam veste, latet diuinitas inuoluta: est autem candida, h. e. peccato caret. ideo candidus habitus etiam Angelis bonis tribuitur, quia peccatum non habent: contra impuri Spiritus nigri sunt, vt pullo colore vt plurimùm apparent. Vid. Ezech. 9.

Altera pars visionis & eius significatio repetitur.

Zona aurea.

Quartò *Zonam habet auream*, Zona, vt diximus, potentiæ est & roboris argumētum, cinctum autem esse est præparatum esse ad auxilium. hinc cincti debent esse Apostoli, hoc est, carere omnibus impedimentis. Cinctus ergo Christus est, hoc est, sine mora suis adest, nullo impedimento arcetur. Circa mamillas autem significat, cum auxilio simul nobis dari nutrimētum à Christo: sunt enim mamillę nutritionis organa. ex Christo igitur sumimus ἄδολον illud γάλα, de quo 1. Pet. 2. scribitur. Augustinus alibi zonam interpretatur chorum sanctorum, qui Christum, vt regem circunstant, cúmque inuocant & adorant, &c.

Caput cādidum.

Quinto, *Caput candidum est & crinitum.* Caput commodè interpretamur doctrinam Christi, in qua Patris sapientiā recondita est. Caput enim consilij, circunspectionis, & prudentiæ symbolum est, quæ omnia in Christi habemus doctrina. Caput autem hoc crinitum est, h.e. ornata est doctrina suis Sacramentis & ceremoniis: sed vt capilli deponi possunt sine iactura capitis, sic in ceremoniis & ritibus non consistit salus, decorū tamen in his seruetur vt in tondendo capillo. Ideo conferuntur lanæ, qua vestiuntur homines, vestitus necessarius est ad pudorem conseruandum: sic ritus ecclesiæ moribus conducant bonis. Niuis similitudo ad candorem rituum referatur, vt prosint innocentiæ, alioquin ceremoniæ humanæ vere nix sunt: diffluunt enim ad Dei iudicium instar niuis. *Et zerflusse vvie derschnee, vvaß die menschen erfind.*

Oculi rutilantes, vt flāma.

Sextò, *Oculi rutilant vt flamma ignis*, h.e. præsentes inspiciunt omnia Psalm. 34. Oculi Domini super iustos & in igne est calor & lumen, quę pulchrè ad Christum referuntur in flamma insuper est motus. Itaque & vitalem calorem, & illuminationem, & vitalem quoque motum à Christo habemus & eius oculus vigilans est, omni lynce perspicacior omni Argo vigilantior. huius oculum nihil effugit, omnia videt & nouit.

Pedes ex chalcolibano.

Septimò, *Pedes ærei sunt, vel ea chalcolibano*, de voce supra diximus: ad interpretationem autem pulchrè facit compositio ex ære & thure. nam æs robur ostendit. pedes ærei ergo potestatem, & solidi soliditatem regiam denotant: solidum enim est æs. Thus verò ad sacerdotale officium spectat: inde sacrificium bonæ fragrantiæ adoletur. quare Christum potentem regem & pium Pontificem declarauit hoc elogio, &c.

Vox aquarum multarū.

Octauò, *Vox est aquarum multarum.* In aqua vis est nutriendi, & abstergendi sordes, quæ in Christo plenissimè habemus. Deinde multarum aquarum vox impetum signat, cui non possis resistere. illa vox est Euāgelij, cui totus mundus coactus fuit cedere, Hinc Dominus dixit, Dabo vobis os & sapientiam, cui non possit resistere totus mundus. hæ aquę effusæ sunt in Apostolos die Pentecostes. Sonant adhuc illæ aquæ, nec compesci possunt vllis fulminibus & minis. Vox Euangelij est.

Stellæ septem in dextera.

Nonò. *In dextera septem habet stellas.* Hoc membrum ipse Christus interpretatur de septem Ecclesiarum doctoribus. Itaque ministri sunt stellæ. hinc Christus ab eis postulat lumen, Luceat lux vestra coram hominibus. Verùm vt sunt quædam stellæ non veræ, quales cometæ: sic in ministerio multi vmbram habent ministrorum: sunt etiam multi errones pessimo exemplo oberrantes in Ecclesia titulo ministrorum. Veri interim doctores stellæ sunt. vid. Dan. 12.

Gladius anceps ex ore manans.

Decimò, *Ex ore procedit gladius anceps.* Gladium Apostolus interpretatur verbum Dei Ephe. 6. & ad Heb. 4. penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Itaque commodè hoc tribuitur Christi verbo, h.e. doctrinæ Euangelij. Hæc vtrinque secat instar gladij: in sanctis resecat peccatum monstrando Christum: in reprobis verò resecat omnes excusationis causas: ita secat ad vitam & ad mortem. & hic sermo gladij est munitus plena potestate. quicquid enim pronunciat Christus, dictatoria fit authoritate, vt non admittat vllam exceptionem.

Esa. 11.


Facies radians, vt Sol.

Vndecimò, *Facies vt sol radiat.* Sol is est iustitiæ, de quo dixit Malach. 3. Sol iustitiæ orietur his qui diligunt nomen tuum. In Sole multæ sunt proprietates, quæ Christo aptissimè possunt applicari. In his exerceat igitur se studiosus allegoricæ interpretationis, sed modum retineat. Dan. 10. Facies fulguri confertur. Hactenus libuit aliquantò copiosiùs visionem hanc illustrare, lectoris sit iudicium, quàm commodè mentem Christi assequamur, libenter fatebor multa in his me latere. Interim nihil cum articulis fidei pugnans puto prolatum hîc.

Autoris præmonitio de sua hac interpretatione.

CAPVT

CAPVT II.



CApite hoc dictantur quatuor Epistolæ ad totidem Ecclesias, Ephesinam scilicet Smyrnensem, Pergamenam, & Thyatirenam. in quibus singulas sui officij admonet, carpit carpenda, laudat laudanda, confirmat, instituit, promittit præmia pœnitentibus, contra impœnitentibus comminatur diras pœnas. *Ὑπόθεσις cōtinens partes 4.*

Epistola ad Ephesios.

IN visione iusserat scribere visa & audita. Iam igitur accedit ad hanc partem scribendorum, ac orditur ab Ephesiis, quia prima fuit supra in catalogo, & reliquis præstantior propter hospitium diui Ioannis. Itaque vt ad proprium cœtum scripturus, rectè hinc orditur. *Ordinis ratio.*

Scopus autem est. Ephesios ad intermissum studium bonorum operum debere redire. Operum nomine intelligo omnia exercitia Christianæ pietatis, vt est amare Deum seriò, ardenter adorare, dolere de peccatis, persistere sub cruce in confessione, inuocatione. *Propos. & eius ἔκθεσις.*

Constat Epistola tribus membris. Exordio, narratione, & epilogo. de quibus ordine agemus.

Vers. 1. *Angelo Ephesinæ.*

Ἐπεξήγησις est rerum scribendarum, súntque verba Christi dictatis sequentia omnia, quibus animum Ioannis excitat ad vigilantiam, & diligentem rerum omnium considerationem. Deinde Ephesinæ ecclesiæ mittitur, hoc est, ministro eius Ecclesiæ, per quem deinceps ad totum cœtum proferetur. Ac nomen Angeli non tam dignitatem, quàm ministerium hîc adumbrat. Dignitas propriè est in Angelis ob naturæ præstantiam, quia hominis naturam excellunt puritate & immortalitate: Deo autem inferiores, tanquam creaturæ. sed ministerium significat quoque, quia ministratorij sunt Spiritus, ministri igitur tales sunt Dei ministri, quibus defensio sanæ doctrinæ est commissa. *Partes Epist. tres.*

Hæc dicit, qui tenet. Exordium est Epistolæ sumptum à persona authoris, hoc est, Filij Dei, qui hoc dicit. igitur Christus author est, Ioannes solùm scriptor & amanuensis. Facit exordium ad attentionem, vult enim animos legentium excitare ad diligentem harum admonitionum considerationem. idem fecerunt Prophetæ, hoc dicit Dominus Deus. Duo sibi tribuit, primùm quòd habeat in sua manu dextra, hoc est, tuetur & regit, deinde gubernat cursum doctrinæ, vt eum nemo possit infringere. Alterum est ambulare inter candelabra aurea, hoc est, eum præsentem esse suæ ecclesiæ gubernatorem: sic loquitur Leuit. 26. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester. Meminerimus autem Christum ambulare inter candelabra aurea, hoc est, in Ecclesiis, dum piæ sunt & seruant dignitatem suam, qua amissa, desinit etiam conuersatio Christi cum illis. Conseruanda igitur est diligenter puritas illa aurea, hoc est, innocentia vitæ ac morum, synceritas doctrinæ. sic enim Christum præsentem retinebimus. *Exordiū Epist. & illius scopus.*

Vers. 2. *Noui opera tua.*

Narratio est Epistolæ, qua describit statum illius Ecclesiæ. initio autem describit virtutes: nam in officio retinendi erant. ideò obiurgationi præmittit laudes, ne animo planè abiecto reddantur. virtutes sunt, primùm opera tua noui. ἔργα accipio in genere pro omni bonorum operum studio: laudat enim πρακτικούς, non otiosos speculatores. Deinde κόπος sit φιλοπονία: sub laboribus, aut ærumnis non abiicere animum, libenter orare, legere, audire verbum Dei, libenter ieiunare. 1. subiectum esse, benefacere pauperibus, & in his tot occupationibus animosum manere. *Narratio Epist. in cuius initio virtutes narrat.*

Tertiò, ὑπομονή sit ærumnarum tollerantia, constantia sub cruce: κόπος enim in pace est & tranquillitate publica: sed ὑπομονή rebus aduersis exercetur. est enim ὑπομένειν, manere infractum contra pericula & crucem. *Tollerantia.*

Quartò, *Non posse malos ferre.* odium est peccati & scelerum. virtus est magna seriò odisse malitiam: sic Dauid inquit, Iniquos odio habui. & Psalm. 138. Perfecto odio. eos odio habebam. hanc impatientiā laudat in Ephesiis, quòd improbè viuentes non possint ferre. Sancta est impatientia. *Odisse malos, h. e. peccatum & scelus. Psal. 119.*

Quintò, probasti eos qui dicunt se esse Apostolos, hoc est, doctores quoque & illorum doctrinas explorasti. prior virtus ad auditores se extendebat: hæc iam ad ipsos doctores. In auditoribus plus nocent mores, in doctoribus verò doctrina: ideo hanc

etiam laudem eis tribuit. Obseruatum est ab eis, quod idem Ioan. præcipit. 1. Epistola Cap. 4. ne cuiuis spiritui citò credatis. Hanc diligentiam examinandi doctrinas felix successus ornauit: deprehendisti eos esse mendaces: sic Christus fortunat labores nostros pios, vt fuci sæpe vtiliter protrahantur: videtur autem loqui de impostoribus, qui titulo Apostolorum sese ornabant iam tum, qualis erat Cerinthus, Ebion, Marcion, aliíque, qui per Asiæ Ecclesias vagabantur, corrumpendo doctrinam & vitæ innocentiam, quales etiam erant Nicolaitæ & Nazarei, &c.

Vers. 3. *Et pressus fuisti.*

Patientia & perseuerantia Ephes.

Διασάφησις, est superiorum virtutum, nominatim τῆς ὑπομονῆς. pressus fuisti onere, vel in probandis seductoribus, vel ferenda cruce, qualis tum persecutio illa Domitiani, in qua multæ Ecclesiæ pessundatæ sunt: in his malis constantiam seruauit Ephesina Ecclesia, & gratam fuisse Christo ostendit, quia nominis sui causa accidisse dicit, &c.

Vers. 4. *Sed habeo aliquid.*

Reprehẽsio vitiorum, quę est 2. locus narrat.

Secundus locus est narrationis continens ψόγον, h.e. reprehensionem ob certa quędã vitia. scilicet, quòd primam dilectionem amiserint. Prima dilectio dicitur studium ardens erga Deum & veritatis cognitionem. dilectio Dei est, qua incipiebant Deum ardenter amare ob patefactam Christi cognitionem. hunc ardorem remisere, ac videtur alludere ad nomen Ephesiorum: nam ἀφίημι idem est, quod remitto, indulgeo, laxo, hinc ἐφεῖναι τῷ θυμῷ animo indulgere, ἐφεῖναι ταῖς ἡδοναῖς, voluptatibus habenas laxare. sunt igitur Ephesij qui remissiores fiunt in cursu pietatis: tales certè hodie videas multos. principium enim vt plurimùm feruet in nobis, vltima tandem languent, &c.

Vers. 5. *Memento igitur.*

Locus est admonitio de pœnitentia. Cognitio peccati. Dolor. Emendatio. Cõminatio pœnarum.

Tertius locus narrationis est, continens admonitionem de pœnitentia. facit locus ille insignis contra Nouatianos, & Catharos, qui lapsis negabant veniam: odisse quidẽ debemus vitia, sed homines ipsos fraternè amplecti, quoties redire ad sanam mentem conantur. Initio admonet de lapsu: necessaria enim est peccati cognitio & agnitio, vt de eo possit verus dolor concipi. Deinde μετάνοιαν subsequitur, perniciosum igitur dogma est lapsis negare veniam, cùm Christus hoc non faciat, imò tanta diligentia vrgeat illud μετάνοιαν.

Tertiò, sequitur emendatio vitæ, & priora opera tua fac, hoc est, resume illum candorem, & ardorem benè & piè viuendi.

Quartus locus est narrationis de pœnarum comminatione, *sin minus, veniam tibi citò.* Id nos eleganter dicimus. *ich vvyll dir frue gnuog lzon*, quæ vox est comminantis. ideò mox exprimit pœnas, contra impœnitentes. Mouebo candelabrum tuum ex loco suo, hoc est, efficiam vt ecclesia esse desinas. Candelabri locus est mensa, aut similis locus eminentior, ex quo lumen præbeat. mouetur candelabrum de suo loco, si euertatur in terram: sic Ecclesia, si ex Christo eradicetur, fiátque sacellum Antichristi. quod sanè Asiaticis Ecclesiis tandem omnibus accidit, & in Europa iam iam multi euenit.

Horrescamus igitur ad hanc pœnarum vocem, & candelabri nostri puritatem conseruemus, ne ipsum nobis quoque de loco suo moueatur, quod Christus clementer auertat.

Vers. 6. *Sed hoc habes.*

Cõmendatio virtutis in Ephesiis. Nicola⁹, à quo Nicolaitæ, quis fuerit.

Epanodus est, redit enim ad locum commendationis, quæ initio narrationis cœperat. commendat igitur in eis aliam virtutem, quòd scilicet opera Nicolaitarum odio habeant, quæ & ipse Christus odio prosequatur.

Nicolaus ille fuit vnus è septem diaconis, qui eliguntur ab Apostolis in Actis 6. Hinc scribunt probrosè relapsum esse in carnis impuritatem, adeò vt libidines nefandas exercuerit & defenderit. Huius sectatores Nicolaitæ dicti sunt, homines venerei, vt Epicuri porci. de eo vide Iren. lib. 1. Cap. 27. & lib. 3. Cap. 11. Euseb. lib. 3. Cap. 29. qui tamen illum ex Clemente defendit. de his etiam scribit Epiph. in hæresi 25. 26. 31. locum apud Clementem, vid. lib. 3. Στρωμάτων, non procul ab initio. Repugnant sanè eius iudicio omnes veteres, & Ireneus, de quo iam dixi, & Epiphanius, Tertull. in præscript. aduersus hæreticos, aliíque.

Vers. 7. *Qui habet aures.*

Epilogus Epist. cũ exclamatione.

Epilogus est totius Epistolæ constructus κατ' ἐπιφώνημα. initio forma loquendi vtitur Christo consueta in Euangeliis. sic Luc. 8. Qui habet aures ad audiendum, audiat. requirit ὦτα ἀκουστικά, hoc est, faciles aures, per quas sermo penetret ad latebras mentis. *Quid Spiritus dicat Ecclesiis.* hoc est, quid requirat ab eis, pœnitentiam scilicet, vitę emen-

emendationem, constantiam sub cruce, in confessione, & similibus exercitiis.

Tandem locum concludit speciosa præmiorum promissione. Sed victores esse oportet, hoc est, Deum plus metuere quàm omnia aduersa, quàm omnes tyrannos. Lignum vitæ est vel ipsa vita æterna vel fructus Euangelij promissus, hoc est, suprema fœlicitas. Aspexit in præmio ad locum Mosis Gen. 2. In Paradiso peccauit Adam, ad eundem igitur emendatione vitæ eos reducit Christus. Sonat paradisus hortum omni sufficientia instructum, quales erant Cyri, vide locos nostros: alij paradisum Ecclesiam interpretantur, vt lignum vitæ Euangelij doctrinam, quòd non malè competit allegoricæ interpretationi, &c. Promissio facta perseuerantibus in fide.

Epistola. 2. ad Smyrnenses.

Smyrna nobilis Asiæ ciuitas, antiquitus Eolensiũ vrbibus annumerata, vt refert Pausa. in Achaicis. nobilitata à Smyrne vna Amazonum, quæ Ephesum quoque illustrem reddidit. hinc Ephesus olim quoque dicta fuit Smyrna: seu à Smyrne amazone, seu quòd cum illis olim habitassent Smyrnæi. Inde Ephesiorum opera recepti sunt in numerum Ioniæ vrbium. Smyrnæ descriptio.

Refert Strabo à Lydiis euersam, vt in vici modum habitata sit per annos 400. postea ab Antigono, & Sysimacho restitutam fuisse, vt sua ætate fuerit elegantissima. de hac vide plura apud Steph. de vrbibus. Plin. lib. 5. cap. 29. Strabonem libro 14. Pausan. lib. 7. Ad huius Ecclesiæ Angelum, h. e. ministrum præsens scribitur Epistola, fortè Polycarpum, aut similem magni nominis discipulum Ioannis. Et quæ illi scribuntur, ad totam Ecclesiam referre debuit, quod colligi potest ex epilogis ferè omnium Epistolarum: nam vbique ferè repetitur illa clausula, Qui aures habet, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. ex quo efficitur ministros has Epistolas ad Ecclesias suas debuisse referre: & deinceps totam posteritatem, vt doctrinam ad se pertinentem, hæc debere legere.

Propositio Epistolæ est. Smyrneos deinceps quoque, vt hactenus, in confessione veritatis debere quàm constantissimos esse, vsque ad finem etiam vitæ, &c. Propositio.

Partes complectitur tres. exordium, narrationem, & epilogum, de quibus ordine agemus. Partes.

Hæc dicit primus & vltimus.

Exordium est Epistolæ, quod sumitur à persona authoris. duo autem sunt epitheta, quæ manifestè Christum ipsum nobis exprimunt: primus enim & vltimus de Christo dictum fuit, Cap. 1. v. 11. & 17. ideò hunc sermonem quoque quo dictatur Epistola hæc, Christi esse interpretor. Confirmat autem æternitatem Christi: sic, qui fuit mortuus, & viuit. Cap. 1. v. 18. de Christo positum fuit. confirmatur mortificatio, & resurrectio Christi. Exordiũ.

Vers. 9. *Noui opera tua.*

Narratio est, quam orditur à laudibus Smyrnæorum. finis enim est constantes reddere in veritatis confessione, ad quam rem plurimùm faciebat laus. Incipit narratio à laudib. Smyrnæorũ.

Primùm autem Christo tribuitur omniscientia, vt prius quoque. nouit is opera Ecclesiæ, hoc est, præsens inspicit & coràm videt, quid in Ecclesia eueniat, id singuli sibi applicent. Nouit Christus non solùm quid agat Ecclesia, sed quid singuli homines faciant, id si diligenter expenderemus, vtique viuerent multi cautiùs. In omnibus igitur actionibus tuis memineris Christum præsentem tibi assistere, & videre actiones tuas. da igitur operam, vt videat te bona agentem, non mala.

Quid nouerit enarrat. opera inquit tua, hoc est, in genere actiones tuas, operum autẽ nomine accipe studia virtutum, occupationes, consilia quoque & animi cogitationes: nam illa omnia opera dicuntur scripturæ. Itaque totum dixit per opera. id mox digerit quasi in species tres θλῖψιν, afflictionem. opus est piorum, dum in ęrumnis persistunt cõstantes, nec abiiciunt professionem suam metu periculorum. Altera species est, πτωχεία paupertas. prior in corpus sæuit, hæc autem in bona & facultates. nam piorum facultates compilantur, dum illi rapiuntur ad supplicia. & multos habent insidiatores, non tã propter fidem quàm facultates, in quas pessimi, non secus ac Harpyiæ Inuolãt. beata est illa paupertas, quam nomine Christi ferunt. Alia est non dissimilis huic in Christo, de qua loquitur Apostolus 2. Corinth. 8. paupertate Christi diuites estis facti, paupertas Christi ignominia est Christi: quam pro nobis pertulit in hac terra: huic externæ paupertati opponitur, opulentia apud Deum. ideò ad consolationem mox hîc additur, *sed diues es*, scilicet apud Deum, &c. Opera quæ dicantur.

Tertia species est ignominia, quam ferunt nomine Christi ab improbis Iudæis blas- Ignominia ob nomen Christi.

phemia lædit famam boni nominis. Legimus in historiis Ecclesiæ, Christianos dictos fuisse incendiarios, sarcophagos, & nihil nō scelerum eis impositum. de quo vide Tertul. in Apologetico. has calumnias à Iudęis tulerunt. Dicebantur autem Iudæi, hoc est, cognitores Dei, non autem erant. Vid. Rom. 2. non qui Iudæus palam est. sed qui in oculto est: cuius laus nō est ab hominibus, sed à Deo. disce honestissima nomina tandem improbitate hominū vilescere, nō solùm apud homines, sed etiam vt apud Deum fiant abominalia. quid enim Iudaico nomine olim fuit nobilius? quid Israele augustius? hodie verò quanta est abominatio? certè Deo & hominibus facti sunt abominabiles. Idem dici potest de Christiano nomine. totam hanc infelicitatem debemus nostris peccatis. ideò hîc pompam nominis Iudaici damnat ipse dominus Christus. Iudæos se dicunt, & non sunt, Quid ergo sunt? *synagoga Satanæ*, alludit ad Iudæorum cœtus, qui synagogæ dicebantur, vt hodie inter Christianos speciosum est nomen Ecclesiæ, sed Christus ait: Vos ex patre diabolo estis, Ioan. 8. Itaque discant hoc etiam Christiani, nihil prodesse nobis titulos Ecclesiæ, quemadmodum Iudæis synagoga non prodest, quandoquidem pietate cordis carebant. dicit nobis quoque, Vox ex patre diabolo estis. vt Ioannes, Vos Ecclesia Satanæ estis.

Vers. 10. *Nihil metue.*

Consolatio & exhortatio ad perseuerentiā quæ variis argumentis confirmantur.

Alterum membrum narrationis, continens consolationem & exhortationem. summenda autem est hinc propositio, Constanter etiam in futurum perseuerandum esse in veri cognitione, contra omnem omnium periculorum metum. Rationes sunt, & sententiæ, quæ vim argumenti possunt habere. Primùm, quia hactenus laudabiliter in his exercitiis perdurârunt, debent igitur in eodem cursu perdurare: turpe enim est in honestissimo cursu deficere, quæ ex superiori laude promanant. Reliqua deinceps sequuntur. futura pericula præuisa minus lædunt, at illa talia sunt: nam in hunc finem præmonet Spiritus sanctus, vt nôrint euentura, & ad tolleranda præparent animos. dicuntur igitur in hac re officium suum diligenter præstare.

Tertiò excitat eos ad vigilantiam, ab ipso authore persecutionum, qui est Satan. significans mala externa oriri à causa mala: mitigari autem & corrigi à Deo, qui ad finem meliorem applicat omnem ærumnam sanctorum.

Quartò, quia non erit vniuersale hoc malum, sed quosdam solum opprimet. incerta persona consolationem habet, quia spes erit multos euasuros. sed caueant illi quidam sibi. Fortè Polycarpus, ac similes, qui rapti postea sunt ad supplicia, qualis Ignatius, Polycarpus & similes. De martyrio Polycarpi extat elegans Epistola apud Euseb. lib. 4. cap. 15. in qua etiam illud obseruatione dignum est, præmonitum in somnio de suo fato. hoc loco tota Ecclesia præmonetur simili fine, vt paratioribus animis ad illa accederent certamina.

Persecutionum qualitas.

Quintò, persecutionum qualitas addita est. *In carcerem mittet quosdam.* q. d. nondum ad sanguinem decertabitis, sed meta posita est à Deo, vt non in vitam liceat diabolo sæuire.

Finis tentatio. quę varia est.

Sextò à fine, vt tentemini, hoc est, fine vtili & bono, vt scilicet probetur fides vestra, & cognoscatur cōstantia vestra. Hoc Deo debetur: contra Satan tentat, vt auertat. hinc Iacobus quoque petit argumentum consolationis. Cap. 1. v. 23. & c.

Breuitas.

Septimò à temporis breuitate, habebitis afflictionem dierum decem, hoc est, non diu durabit. vt enim non fuit vniuersalis, sed in quosdam sæuiit, nec ad sanguinem, sed ad carceres solùm certabitur: ita non diuturna erit. decem dierum spatio finietur eius atrocitas. Est tamen alius hoc loco sensus obseruatus ab aliis. decem pro numero perfecto & absoluto sumunt. vt in illo Gen. 31. Iacob conqueritur de Labano, Decies commutasti mercedem meam & Num. 14. decies tentatum Dominum scribitur. Mihi prior sensus magis arridet hoc loco: nam reliqua omnia eò videntur inclinare, vt iam dixi, non erit catholica persecutio, sed contra quosdam instituetur, solùm ad carceres, non ad sanguinem, ideò breue tempus quoque voluit exprimere, quæ omnia magis sunt cōsolatoria.

Repetita propos.

Hinc repetitur propositio. *Sis fidelis vsque ad mortem*, Idem dixit priùs, nihil metue eorum, quæ passurus es. ex his duabus sententiis plena propositio construitur. Smyrnei vsque ad mortem in confessione veritatis constantes manere debent. contra omnem metum periculorum. Exhortationem totam concludit promissione splendida, *dabo tibi coronam vitæ*, ac pertinet sententia hæc ad argumentorum ordininem, in quo octauum erit. Oportet constantes esse, quare? quia maxima præmia his proposita sunt, quæ non possint sperare hi, qui metu periculorum confessionem veritatis abiiciunt. Corona vitæ, est vitæ æternæ fruitio, quæ alias dicitur corona iustitiæ, vt 2. Tim. 4. Iacobus cap. 1. coronam vitæ quoque appellauit. 1. Petr. 6. inaccessibilis dicitur, quia fruitio

Exhortatio promissione concluditur.

tio illius boni nullum habet finem. Sumpta metaphora à re militari, & exercitiis athletarum: nam militi strenuè pugnanti præter stipendium laus publica proposita erit, & corona vel muralis, vel ciuica. in exercitiis verò athleticis, maximi sudores & labores tandem post victoriam ornabantur corona, vel ex apio, oleastro, populo, quercu, aut simili genere. quæ res cùm per se tenuis esset, coniuncta tamen cum publica laude mirificè excitauit animos ad labores sustinendos: itaque magis pios excitare debet corona æternæ vitæ, cùm illi pro re tenui tantopere certarint. vnde petiit argumentum D. Apostolus 1. Cor. 9. v. 25.

Vers. 11. *Qui habet aurem.*

Epil huius Epist.

Epilogus est huius Epistolæ, ac superiori epilogo similis est. habet enim ἐπιφώνημα προσεκτικόν, quo animos auditorum excitat ad diligentem attentionem. Spiritum vocat, quod priùs in exordio Christum ipsum dixerat, Itaque Spiritus Christi est. deinde Ecclesiis dicit. priùs Angelo Ecclesiæ Smyrneorum, ex quo illa promanat doctrina, epistolas has quidem priuatis Ecclesiis scriptas, sed inde ad totam posteritatem doctrinam pertinere. Additur epiphonemati noua promissio. Qui vicerit, nō lædetur à morte secunda: obserua requiri à nobis victoriam, sine qua nihil nobis licet sperare: victoria autem in confessionis constantia posita est. qui enim negauerit Christum coram hominibus, non est illo dignus. Victor non læditur, ergo qui non vincit is læditur. Mors secunda quid sit infra Cap. 21. explicatur, vbi de pœnis impiorum loquitur, quibus pars assignata est in stagno ardenti igne & sulphure, quod est (inquit) mors secunda. Est igitur æterna damnatio, & vt Christus inquit, sunt tenebræ exteriores, vbi stridor est dentium, & fletus. vermis arrodens & nunquam moriens. Opponitur autem primæ morti, quæ communis est bonis & malis, debetúrque naturæ humanæ propter peccatum. Altera mors, quæ secunda dicitur impiorum tantùm est, & debetur pœnis æternis. Vt igitur constantes magnam hinc concipiunt spem præmiorum, sic timidi & defectores magnum metum concipiant necessum est, propter pœnas æternas, quas Christus ex contrario illis hoc loco comminatur.

Promissio victori data. Victoria in quo cōsistat. Mors secunda. Mors prima.

III. EPISTOLA AD PERGAMENSES.

Vers. 13. *Et Angelo Ecclesiæ in Pergamo.*

Pergami descriptio.

Pergamus, cui hæc Epistola dedicatur, nobilis fuit Asiæ ciuitas, ad Caicum flu. sita. sub Attalicis regibus diu fortunata, tandem iure hæreditario populi Romani facta ex testamento vltimi regis: inde in prouinciæ formam est redacta, & habuit proconsules Romanos: fuit illa patria Galeni principis Medicorum, habuítque aliquando memorabilem bibliothecam à regibus longo tempore collectam, qua occasione charta Pergamena quoque reperta est: nam cum Nilotica ex Ægypto non sufficeret, ex hædinis pellibus cœperunt præparare chartam valde vtilem scribendis libris. Hodie non ex hędinis, sed magis caninis pellibus conficitur, ac nomen vetus retinet Pergamen. ab hac vrbe origine ducta. Vide Plin. lib. 5. Cap. 30. Strab. lib. 13. Volaterranum lib. 10. & similes authores, &c.

Porrò magis ad laudem huius vrbis facit quòd hoc loco celebrem Ecclesiam illic congregatam esse legimus, quam Christus Filius Dei dignatur propria Epistola ad pœnitentiam reuocare.

Epistola compositionis genere superioribus par est, ac respicit emendationem morum. erant enim quidam dediti scortationi & ebrietati, more Nicolaitarum, quos seueriter ad pœnitentiam inuitat. hinc igitur sumatur quoque propositio.

Partes.

Partes tres sunt, vt in prioribus. habet enim exordium à persona authoris deductum, Inde sequitur narratio, commendatione, reprehensione, exhortatione, comminatione, & promissione splendida constans. Tertiò loco additur epilogus.

Exordiū Epist. 3.

His omnibus præmittitur προπαρασκευή, qua Christus Ioannem edocet, quo pertineat hæc Epistola, ad Pergamensem ministrum, per quem ad totam Ecclesiam deferenda fuit. faciebat hoc ad perspicuitatem ac docilitatem, éstque sermo Christi ad Ioannem amanuensem. *Hæc dicit, qui habet gladium.* Exordium est Epistolæ, ac sumitur iterum à persona authoris, cuius potentiam & seueritatem in iudicando exprimit gladij vox. Supra autem Cap. 1. v. 16. in visione Christo hoc fuit attributum, quòd habeat gladium acutum, & vtrinque secantem. id hîc repetit, quia in fine comminatio hinc desumenda contra asotos & impœnitentes. gladius igitur Christi, vis est sermonis ipsius, qui sermo non minus est energiticus, quàm gladius anceps. secat autem vtrinque, hoc est, ad præmia & pœnas, ad defensionem & vindictam est præparatus. caueant igitur sibi scortatores illi & ebrij commessatores, &c.

Vers. 13. *Noui opera tua.*

Narratio in laude posita.

Narratio est, ac initio persequitur laudes illius Ecclesiæ. In genere ad laudem pertinet. quòd Christus nouit opera illorum scilicet bona. nam in bonam partem ἔργα ponit. dixi autem prius operis nomine censeri non solùm facta, sed occupationes, in genere omnia dicta consilia, cogitationes, deliberationes. hoc totum hominis est. & cadit vel in laudem, vel in reprehensionem. Deinde quasi in species deducit, descendit enim ad specialia encomia, &c.

Secunda igitur laus est. quòd habitet in loco valde incommodo. *vbi thronus est Satanæ*, hoc est, in hospitio admodum hostili, inter lupos, quod Christus dixit, & in medio nationis priuatæ. vt Apostolus loquitur Philip. 2. v. 15. hinc petatur generalis doctrina, Ecclesiam semper in his terris vt plurimùm incommodo vti hospitio, vt non malè dicatur in sinu Medeæ habitare, ad nocendum enim semper paratus est mundus, vt perniciosa quędam nouerca. Est illud antrum serpentis & erinacei, incommodum quidem, attamen necessarium. quid ergo facies? boni consulenda est præsens conditio.

Quomodo Pergamus sit Thronus satanæ.

Porrò non immeritò quæri hic solet, quomodo Pergamus sit Thronus satanæ, ratio facilis est. nam magistratus adhuc erat infidelis, ideóque idolis deditus, & cum fuisset regia sedes, non dubium est, quin maior idololatria hîc floruerit, quàm in aliis locis, vt nunc proconsulem habent superstitionibus deditum, hostémque veræ pietatis. Quæ omnia cùm veritati sese opponant satanæ consilio, ita vt boni viri rapiantur ad supplicia, qualis est Antipas, rectè cathedra satanæ dicitur.

Ratio dignoscendi Thronum satanæ.

Disce igitur vbi sit Thronus satanæ. id disces ex præsenti loco, vbi boni trucidantur, vbi fit nominis Christi abiectio, vbi professio fidei deponitur & obliteratur, qualia tum Pergami fiebant, vbi crapula & scortatio libera est, Christi autem professio periculosa est.

Tertia laus est, *quòd retineant nomen Christi*, hoc est, contra vim & pericula professionem non deponunt, quod notanter significat verbum illud, κρατεῖν.

Quarta est huic similis, *& non negasti fidem meam.* Fides est tota professio pietatis, cognitione, & vitæ innocentia constans.

Quinta superioribus accedit, tanquam amplificatio, *In diebus quibus Antipas occisus est apud vos.* scilicet non deposuistis mei confessionem: vt enim laus est, versari in loco periculoso, nec deficere: sic laudis est, inter ipsa exempla pœnarum, non deponere professionem, imò his ipsis exemplis magis confirmari in proposito, quàm deterreri, &c.

Quis fuerit Antipas martyr.

Cæterùm Antipas iste, vel minister fuit in Ecclesia, vel ex auditoribus strenuus quidam Christi miles: sonat autem eum, qui omnibus sese opponit, ἀντιπᾶς. Is igitur indubiè Throno satanæ sese opposuit, ideò Pergamenis fuit intolerabilis, inde Satan consilia dedit, talem de medio tollendi. Talis Antipas fuit Paulus inter Iudæos. in primis, Ierosolymis opposuit sese omnibus cæremoniis legis, euertit omnes traditiones patrum, cum Philosophis etiam congressus damnauit omnia opera humanæ rationis, omnia ad vnum Christum retulit.

Antipas quos hodie dicimus.

Talis Antipas nostro seculo fuit Lutherus. manus illius contra omnes, tales sunt omnes boni ministri hostes throni satanici Pergameni, qui nuptias tollit, & ordinarium matrimonium damnat in suis: concedit autem scortationem, & crapulam, quod est περαν τοὺς γάμυς, ex eo collige iam vbi habitet Satan, & quæ nostra sit hodie Pergam, Roma.

Vers. 14. *Sed habeo contra te.*

Locus alter narrationis de reprehẽsione.

Alter est locus narrationis continens reprehensionem: admodum autẽ modestè tractat hunc locum. Vocat ὀλίγα, pauca vel modica, quæ sint reprehensione digna, quæ tamen si expendas atrocia erant. Scortatores erant, ebrij, Nicolaitæ. quæ vtique in se non erant ὀλίγα: sed est hæc Christi pietas erga nos, qui vt bonus medicus libenter nostra peccata extenuat, vt in officio retineat. Deinde quia idem nouit remedia contra morbos istos, itaque illi facilè est extenuare peccata nostra: nostrum verò nõ est sic quoque de illis loqui, sed seriò illa odisse debemus, & tanti facere, quanti per se facienda sunt. Vt enim æger aliter loquitur de morbo, aliter medicus: Christus suorum peccata facilè extenuat, quia simul expiat. at pij interim de peccatis seriò cohorrescunt, & magni faciunt, vt quæ iram Dei promereantur.

Exemplum Balaam.

Deinde cùm descendit ad species peccatorum, exemplo proponit illa, quadam collatione de Balaam, & Balac, Vide Num. 25. 24. 31. In illo malo Propheta, obseruatione dignum est perniciosum illud consilium, quod tandem regi dedit: id scandalum hic vocat, quia fuit occasio ruinæ, vt caderent in pœnas Dei, cùm hostium maledictiones effugissent. Duæ erant consilij partes, scortatio, & commessatio, quæ duo auidè amplexi sunt Israëlitæ.

Vers.

Verſ.15. *Sic habes etiam,qui.*

Προσαπόδωσις eſt,exemplum enim pręſens applicat,ad ſuum inſtitutum.Nicolaitarum doctrinam vocat,quæ eſt Bileam doctrina, ſcortari & commeſſari: vide igitur vbi hodie ſint Nicolaitæ,vbi impunè inebriantur.& ſcortantur.Cauendi autem ſunt diligenter ob exempli perniciem,modicum enim fermenti inficit totam maſſam. 1.Cor.5.ver. 6.ſic 2.Tim.2.ſermo illorum vt gangrenæ ſerpit.Nicolaitæ alio titulo regnant.

προσαπίδωσις qua exēplum ad ſuum inſtitutum accommodat.

Verſ.16. *Reſipiſce ſin minus.*

Tertius locus eſt narrationis continens doctrinam de pœnitentia. quæ obſeruanda eſt,contra eos,qui lapſis negant pacem,& reconciliationem vitia odiſſe debemus,non perſonas.

Tertius locus narrationis de pœnitentia.

Quartus locus eſt comminatio pœnarum, qui facit contra impœnitentes. *pugnabo contra eos gladio oris mei,*hoc eſt,indubitanter damno eos.Cogita igitur ſcortationem& crapulam nos damnare.id cogitent noſtri Nicolaitæ.

Pœnę impœnitentiæ.

Verſ.17. *Qui habet aurem.*

Epilogus eſt Epiſtolæ. oſtendit autem doctrinam pœnitentiæ generalem eſſe,verùm nó recipi ab omnibus,ratio eſt,quia non omnes habent aurem audiendi, ὦτα ἀκουστικά pauci habent.tamen in genere proponit,vt reliqui fiant inexcuſabiles: Deinde doctrinam Epiſtolæ generalem facit,*quid ſpiritus dat Eccleſiis,* hoc eſt,toti poſteritati. videant ergo omnes poſteri,vt ex his Epiſtolis diſcant pœnitentiam.

Epilogus cuius varię ſunt partes.

Tertiò,victoriam in tota cauſa poſtulat,qui enim perdurarit ad finem vſque,hic ſaluus erit.Non ſufficit hìc principium facti,vincere oportet mundum, omnia pericula,ipſam quoque mortem,ſi caſus ferat.

Quartò ſpecioſa repromiſſio eſt ſubiecta, quæ victoribus ampliſſima proponit præmia: *primum edent de manna abſcondita,* hoc eſt, cibo cæleſti. de quo Chriſtus loquitur Ioan. 6.v.49. ideò abſconditum cibum vocat, quia patres ederunt man illud viſibile & mortui ſunt: qui verò de abſcondito illo cæleſti pane edet, non morietur, ſed à morte tranſibit ad vitam. myſterium illud eſt abſconditum à ſeculis Eph.3 ver.9.Deinde *dabit in calculum album,* hoc eſt, abſolutionem pœnarum & culpæ, alludit enim ad morem veterum,de quo Ouid.Metamor.

> *Mos erat antiquis,niueis atriſque lapillis.*
> *His damnare reos,illis abſoluere culpa.*

Itaque albus calculus eſt Spiritusſanctus, cuius gratia nos imbuit nouis moribus, menteſque candidas,hoc eſt,innocentes reddit coram Deo.

Calculus albus quis dicatur.

Tertiò *nouum nomen,* hoc eſt, mundo incognitum, vt deinceps ſimus filij Dei, quod rationi & naturæ planè nouum eſt, nulla enim natiuitas hoc nomen conferre poteſt, ſed Dei ſola gratia,1.Ioan.3.ideo mundus non nouit nos,quia non nouit Deum.ignota ſunt mundo,ideò rectè noua dicuntur.

QVARTA EPISTOLA AD THYATYRENSES.

Verſ.18. *Et Angelo Eccleſiæ in Thyatiris.*

Thyatyra metropolis eſt Lydiæ,vt dictum eſt in actis ca.16.condita ad Hermum flu.à pleriſque Phrygiæ attributa. Strab. lib. 13.vltimam Myſorum fuiſſe tradit ex aliis.Sedes fuit Macedonum & Myſorum, vnde Myſomacedones dicti fuerunt. olim etiam dicta Pelopia,& Semiramis.Vid.Plin.lib.5.cap.29.& Stra.lib.13.

Deſcriptio Thyatyræ.

In hac vrbe celebris fuit Eccleſia Ioannis ſeculo,ad quam dictatur præſens Epiſtola, in qua lenitatis nimiæ arguit ipſam Eccleſiam, quia ferebat doctrinam de corruptela morum nimis leniter, ipſam autem propheticiſſam cum ſuis ſectatoribus ad pœnitentiã cohortatur,quod niſi præſtent pœnis corporalibus primitus,tandem etiam æternis perituros. Reliquos, qui nondum infecti erant, illos hic ad ſimplicitatem doctrinæ Apoſtolicæ conſeruandam hortatur.Partes tres ſunt.Exordium à perſona authoris. Narratio,quæ eſt diſtincta in certos locos,vt ſuo loco videbimus,& epilogus.

Partes.

Hæc dicit filius Dei. Exordium eſt Epiſtolæ à perſona authoris ductum: habet autem illuſtrem deſcriptionem Chriſti,hæc dicit Filius Dei,ſup.Cap.1.13. ſimilis Filio hominis dictus eſt,hic expreſſè Dei Filius.Igitur Chriſtum rectè Dei & hominis filium fatemur, & hic quoque duas in eo naturas agnoſcimus,humanam quia filius hominis,& diuinã quia idem verè Dei filius,nec alium nouit propriè Filium Dei ſcriptura. Electi quidem etiam filij Dei ſunt,ſed loco ſecundario,nec natura,ſed adoptione,&c.

Exordiũ in quo eſt deſcriptio illuſtris Chriſti.

Secundò *habet oculos,vt flammam ignis.*Idem ei tribuit Cap.1.v. 14. flamma lucida eſt & in motu ſemper: ſic Chriſti Spiritus ſuos illuminat, regitque. ignis autem edax

est,ideo est Deus ignis consumens, consumit impios,damnando:piorum etiam peccata consumit,vt non noceant.

Tertiò,*pedes vt Chalcolibanus*. Sacerdotis est thus,æs autem regia potentia, propter robur.Christus igitur potens est,& rex,& sanctissimus Pontifex.

Vers.19. *Noui opera tua.*

Narratio continés laudes Ecclesię.

Narratio est,eam orditur à laude.Libenter Christus commendat suæ ecclesiæ virtutes,vt in earum studio conseruetur.Initiò totum dicit, noui opera tua, hoc est, omne bonorum operum studium.hinc ad species descendit.dilectionem,quæ proximum nomine Christi, amplectitur, nihil sui quærendo.*diaconiam.* hoc est subministrationem pauperibus factam,quæ est fructus dilectionis.hoc sensu accipitur.2.Cor.8.v. 4. *Fidem.* hoc est,totam professione Christiani nominis,aut fidelitatem 1.Cor.4.v.2.*Tolerantiam,* quæ molem aduersitatum perfert, opponit sese ærumnis, at in his animum erigit certa spe salutis. Opera tua, Redit ad principium, exorsus erat narrationem notatione totius,in hoc etiam desinit.iam addit autem auctarium.*vltima plura prioribus,* hoc est,benefaciendi studio,& in cursu bonorũ operum teipsum vincis.Maxima laus est, seipsum vincere,secum ipse certare,sic Apelles in scriptura seipsum superauit vt opus inceptum non posset absoluere.Turpe est deficere & languescere in studio pietatis,quo damnantur Corinthij 1.Cor.3.v.2.& Iudæi.Hebr.5.ver.12.& illæ mulierculæ 2.Tim.3.v.7.semper discentes,& nunquam ad cognitionem veritatis peruenientes,&c.

Vers.20.*Sed habeo contra te.*

Locus narrationis 2. de repræhẽsione.

Secundus locus narrationis,qui continet ψόγον, repræhensionem: *pauca dicit se habere,* loquitur vt bonus medicus apud ægrum, quem vult curare, extenuat is morbum etiam deploratum, quia si æger obtemperat, viam nouit curandi, sic Christus paratam habet medicinam, sed obsequentem vult ægrum habere. aliter loquitur æger de morbo, aliter peritus medicus. Postea rem explicans in Ecclesia ipsa repræhendit nimiam lenitatem, quod ferret tantam pestem in sinu suo. videant igitur Lentuli nostri, quid ipsi quoque responsuri sint, dum quæuis impunè ferunt in Ecclesiis. Maiora autem sunt, quæ repræhendit in ipsis scelerum patronis, scortationem scilicet & commessationes,rectè coniunguntur.quia sine Baccho & Cerere friget Venus.

Hanc doctrinam prostituendæ pudicitiæ & Epicurismi tribuit mulieri *Iezabel,quæ se prophetissam nominat.* Idoneo nomine ornant illam, quando Iezabel Achabi. vxor his ipsis notis describitur à S. literis, Idolatriam inuenit. scortationem, & epulas prophanas,de qua vide 1.Regum 16. 17. 18. capite. Constat autem hinc,mulierem hanc doctrinam Nicolaitarum fuisse secutam:nam fœditate Veneris vagabundæ consentiunt. His autem malis addidit nouum commentum. ex ementitis reuelationibus. Hinc prophetissæ nomen sibi assumpsit, nimirum quod Montanus nouas reuelationes iactaret, se affirmaret Paracletum, Priscillam autem & Mammillam suas prophetissas, vid. Eusebium.lib.5.ca.14.15.16.18.19.

Vers.21. *Et dedi ei tempus.*

Pœnitentia.

Tertius est locus narrationis,de pœnitentia,quo ostenditur Dei clementia & longanimitas in ferendis hominum peccatis, hinc longus ad iram,multæ misericordiæ dicitur,vt rectè Ouidius,

Si quoties homines peccant sua fulmina mittat.
Iupiter exiguo tempore inermis erit.

Sed ne fallamur, tempus resipiscentiæ dat: quod nisi seriò amplectamur, grauitate pœnarum taditatem solet compensare, vid. Rom.2.v.4.5. Alterum igitur peccatum est Iezabelis istius,quod tempus pœnitentiæ contempsit.

Vers.22.*Ecce abiicio illam in.*

Pœna aduersus impœnitentes.

Quartus locus de pœnis impœnitentiæ.Tria ordine comminatur ipsi mulieri,morbos,quod est abiicere in lectum,hoc est,certis affligere morbis. Pœna admodum competens,nam scorta,& scortatores,vt plurimùm incipiunt sapere,corpore iam effæto,& emarcido, dum variis opprimuntur morbis. vix tandem in se redeunt,iam ab amatoribus contempti.

Scortatoribus autem afflictionem magnam,hoc est, animi cruciatum, quãdo alastorem conscientiæ suscitat ira domini, & homines illos affligit sensu & metu iræ diuinæ. accedit huic externa afflictio,vt hominibus quoque fiant exosi,&detestabiles,incidant in manus magistratuum.

Liberis hinc natis certum exitium, sæuit meritò Domini ira in tam deploratam sobolem, in tertiam & quartam generationem. Valent autem illa omnia conditionaliter, si scilicet non emendarint hos mores, ideò repetiit hanc clausulam versu 22. si

non resipuerint ab operibus suis.

Porrò harum comminationum vtilitas est, vt alij in officio retineantur, id hîc quoque innuit, *vt sciant omnes Ecclesiæ, quòd ego sim scrutator renum & cordis*, sumptæ sunt phrases ex Ierem.11.ver.20.vt 17.v.10.Psal.7.ver.10.1.Sa.16.ver.7.Vltima clausula, *& dabo vobis singulis secundum opera vestra.* Ex Cap.17.videtur sumpta, Qui do cuique secundum viam suam, & iuxta fructum inuentionum suarum.

Notatio diuinitatis Christi.

Tu hic obserua certum diuinitatis Christi argumentum, nam sermo est Christi, in eo tribuit sibi, quod solius est Dei, scrutari corda & renes, hoc est, latebras pectoris humani exploratas habere, id nec Satan nouit, vtvt sit mirus artifex, nec Angeli, siue boni siue mali. Omnium enim est limitata potestas, nec vltra progreditur illorum cognitio, quàm Deus illis permittat. Christus verò cùm sit καρδιογνώστης, Deum esse oportet.

Vers. 24. *vobis autem dico reliquis.*

Consolatio ad eos, qui se non corruperunt.

Quintus locus narrationis. habet is consolationem, quæ ad reliquos pertinet in illa Ecclesia nondum corruptos tam fęda doctrina illius prophetissæ. laudat hos, quòd non teneant hanc doctrinam, de promiscua Venere, de compotationibus. sicque obserua cætus corruptos semper habere aliquos bonos, quamuis id nobis minimè videatur interdum. quemadmodum nec Eliæ, quanquam Dominus seruasset sibi 7000. in Israële. Deinde in his laudatur quoque quòd profunditates Satanæ ignorent, hoc est, minimè sint curiosi, vel artes Satanæ nesciant, sed simplicitate quadam ducti, illa ferant. his non imponet aliud onus, hoc est, non seueriùs puniet lenitatem hanc nimiam, quòd tantam fœditatem ferant indulgentiùs, &c.

Vers. 25. *tamen id quod habetis, tenete.*

Locus de simplicitate sanæ doctrinæ.

Sextus locus narrationis, de simplicitate sanæ doctrinæ retinenda. Obserua doctrinam Euangelij per se & in se perfectam esse, vt non sit opus nouis reuelationibus, quales tum tractabant seductores illi. Deinde in hac simplicitate manere, Deo in primis gratum esse, contra omnium hominum traditiones. Ideò meritò sit anathema etiam Angelus de cælo, qui hanc simplicitatem nobis vellet euertere. Gal. 1. Deinde durabit hæc veritatis simplex doctrina vsque ad finem mundi: non igitur expectemus quid de hac statuant homines, aut quid de consensu religionis tandem actura sint concilia.

Vers. 26. *& qui vicerit.*

7. Locus promissi ob perseuerantiã in veritate.

Septimus locus, repromissionem continens constantiæ in semel suscepta veritatis simplici professione: Opera sua vocat, quæ ipse Christus præcipit. vt Matth. 28 docete illos seruare, quæ ego præcepi vobis. non igitur alligandi sunt homines ad hominum traditiones, sed Christi mandata. Promissio est. *dabo ei potestatem super gentes*, hoc est, impios, feces hominum, tanquàm iudex damnabit 1.Cor.6. sancti mundum iudicabunt vid. Psal.2.

Vers. 28. *Et dabo ei stellam matutinam.*

Præmiũ ob constantiam

Aliud est præmium, quod piis promittit ob constantiam. stella est gloria illustris inter sanctos, qualem habebunt differenter sancti, vt est in 1.Cor.15. & Dan.12. lucebunt vt stellę, qui alios ad iustitiam erudierint. Matth.13. tum iusti fulgebunt instar solis &c.

Vers. 29. *Qui habet aurem.*

Epilogus Epistolę

Epilogus est huius Epistolæ, More superiorum, applicat doctrinam specialem ad omnes Ecclesias, vsque ad finem mundi: breuior autem est, quia membrum de præmiis victoriæ separauit, & ad superiora retulit de promissionibus, &c.

CAPVT III.

Sardeis quæ & vbi.

TRes Epistolæ adhuc dictantur hoc capite, quæ ad superiores quatuor relatę septenarium illum numerum complebunt, de quo capite primo admonuit. Quinta igitur hæc ordine est, quæ ad Sardicensem scribitur Ecclesiam. Porrò Sardis, vel Sardeis plurali numero, metropolis fuit totius Lydiæ, in latere Tmoli montis, vt scribit Plin. lib. 5. cap. 29. ad Caistrum flumen, olim Crœsi regia, quam Cyrus deuicit. Herodot. in Clione, Strabo lib.13. author est suo seculo terræ motu totam ferè corruisse, ac Tyberij Imper. liberalitate restitutam. Plin. lib.15. cap.23. scribit castaneas illic primùm repertas, vnde Sardiani balani sunt dicti.

Vera autem illius laus est, quòd Ecclesiam Christi habuit Ioannis tempore, & deinceps. in qua Melito, aliique clari viri cum laude prefuerunt.

Hortatur autem Ecclesiæ illius hipochritas ad vitæ emendationem, vt & ipsi mo-

res corrigant, & alios suo exemplo corruptos rursum erigant, sanam quoque doctrinam simpliciter retineant sine omni fuco. Qui verò nondum corrupti sunt, eos ad constantiam in proposito cohortatur magnis propositis præmiis.

Partes. Partes tres sunt, vt in superioribus Epistolis, exordium, narratio, & epilogus, de quibus ordine agemus.

Vers.1. *Et Angelo.*

Aditus est ad sequentem Epistolam, spectat autem ad docilitatem, vt à superioribus Epistolis separetur, & lector sciat ad quem propriè pertineat hoc scriptum. De Sardibus iam dictum est.

Hæc dicit, qui habet Spiritus Dei.

Exordiũ 5. Epistolæ quale & vnde sumptũ. Exordium Epistolæ sumptum est à persona authoris, vt superiora, sed nouo elogio ornatur Christus, quòd repetitum est, ex cap.1.v.16. Spiritum Dei intelligo dona Spiritus sancti χαρίσματα, & cœtus Angelicos omnes, quos Christus in sua habet potestate. hinc Angeli illi, vt Domino inseruiunt. & Paracletum Spiritum sanctum à dextra Patris suis mittit. *septem stellas.* doctores sunt ecclesiarum, & perfecto numero septenario, consummata plenitudo ministerij denotatur, quam totam Christus habet in sua manu: sciant igitur ministri suum ministerium à Christo regi cælitus, non secus ac illa reguntur ab homine, quæ in sua tenet manu.

Noui opera tua.

Narratio cuius primus locus est grauis repræhensio. Narratio est, quę vt suis sit distincta locis, deinceps videbimus. Primus locus grauem habet repræhensionem: taxat enim in illa Ecclesia hypocritas, qui nomen Christi quidem habebant habitu, reipsa autem professioni huic minimè respondebant.

Opera in malam partem hîc accipit in superioribus Epistolis de operibus, tanquam bonis locutus est, iam contrà facit itaque vox est ἀμφωτερίζων tum bonas, tum malas actiones denotans. Sciamus igitur Christum nosse etiam mala opera, & ideò fore aptissimum iudicem omnium hominum & spiritum: quia non solùm bona nouit piorum opera, sed & mala impiorum, & simulata hypocritarum. ideóque aptissimus erit omnium iudex, vt singulis secundum opera sua tribuat.

Deinde, inquit, *nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Nomen titulus est, & nominis quædam professio, quod totum in nuda opinione potest consistere, sine rei ipsius solida substantia: ideóque suauis est oppositio opinionis publicæ & rei ipsius.

Quòd opinionem attinet, omnes hanc Ecclesiam iudicant viuere, hoc est, seriò Christianos habere homines: viuere enim in Christo est peccato mortuum esse, & secũdùm Christi Spiritum agere. Sic 1.Pet.2.ver.24. dicitur, vt peccatis mortui, viuamus iustitiæ. Hanc vitam illi habere videbantur, sed re ipsa perpensa, mortui erant, hoc est, non viuebant Christo & iustitiæ, sed peccato & Satanæ. Sic de vidua dicitur 1.Tim.5. vers.6. quæ petulans est, quòd viuens mortua sit. Ex quo discimus non satis esse, quid de nobis iudicent alij, non falli possunt homines, sed referre, quales nos iudicet ipse Christus, cuius iudicium nos vel absoluet, vel damnabit, vt vt de nostris actionibus alij pronuncient. Deinde ad tribunal Dei solùm valere rem ipsam, sine omni externa pompa.

Vers. 2. *esto vigilans.*

Locus exhortatorius ad vigilantiã. Secundo loco exhortatur ad vigilantiam. proximum enim est, vt post indicatam hypocrisin, suadeat pœnitentiam. Vigilare, est suæ vocationi diligenter adesse, professioni respondere, quo ad fieri potest: sic Rom.13. dicitur tempus esse, vt euigilemus à somno, hoc est, vt seriò faciamus officium Christiani hominis. Deinde iubet confirmare reliqua moribunda, scilicet Christi membra. ex quo colligitur exemplo illorum multos fuisse corruptos, adeóque in præcipitium deductos, & nisi subueniretur, præcipitarentur in præsentem mortem. quod est μέλλειν θανεῖν.

Tertiò addit rationem vtrique membro, nõ enim reperi opera tua plena coram Deo, hoc est, non talia, qualia requirit Deus: plena enim dicuntur, quæ fiunt ad regulam diuinæ voluntatis, quæ est, diliges proximum tuum sicut teipsum, & quod dixit Ioan. 1. Epist.3 operæ & veritate diligere. Ad hanc regulam si dirigantur opera nostra, perfecta dicuntur. Sic Dominus ait, Sitis perfecti, vt Pater vester, qui in cælis est, perfectus est. nec quærenda est hîc aliqua satisfactio, aut meritum. Pij semper libenter dicunt, Serui inutiles sumus: hypocritæ igitur euidens est argumẽtum, in hac imperfecta perfectione, quærere laudem alicuius meriti.

Vers. 3. *Memento igitur.*

Locus quo hortatur ad studium purę doctrinæ. Tertiò, hortatur ad studium sanæ doctrinæ retinendæ, simpliciter, sine omni fuco. *quid acceperis, & quid audieris memento,* hoc est, doctrinæ Apostolicæ simpliciter sis memor,

memor,& eam retine. Valeat ergo quicquid humanitus affertur. bona est illa simplicitas Apostolorum, ad quam nos semper remittit scriptura.

Si non vigilaris, veniam.

Quartò iam comminatur pœnas his, qui impœnitentes manserint, *veniam ad te vt fur.* phrasis est Christi, Matth. 24. & Petri in 2. Epistola ca. 3. & Pauli 1. Thess. 5. vers. 2. vide inf. cap. 16. vers. 16. Quartus locus de pœnis.

Vers. 4. *Habes pauca nomina.*

Quintò loco commendat reliquos, qui cum hypocritis hactenus non fuerunt corrupti. Pauca habes nomina, hoc est, personas honestas, phrasis sumpta est ab vsu politico nam Respub. suorum ciuium nomina solent habere inscripta in catalogis. hinc nomina pro ipsis hominibus ponuntur, vt act. 1. v. 15. non polluerunt vestimenta sua. Vestis est ipsa & vita & actiones operum. hinc polluere vestem est contaminare vitam sceleribus. Polluunt igitur vestem hypocritæ, & palam reprobi non polluunt, qui studiosè retinent innocentiam vitæ suæ. Cõmendatio verorum fidelium.

Et ambulabunt.

Commendationi addit promissionem præmiorum, quæ habituri sunt pij in sua simplicitate permanentes. Premiorum promissio.

Ambulabunt mecum in albis, inquit Christus, hoc est, studio bonorum operum perdurabunt. Albus color innocentiæ symbolum est, quia naturalis est, & plurimùm habet lucis, cùm reliqui compositi sint, & luce careant. hinc Angelis passim albæ vestes attribuuntur, & sanctis, vt Psal. 51. Dauid de se ait, supra niuem dealbabor, & Esa. 1. de piis, vt nix albi erunt. Hinc pij dicuntur ambulaturi cum Christo in albis. Vetus Ecclesia baptizandos ornabat albis vestimentis. hinc festum in albis, cuius nomen norunt, rem verò pauci in Papatu.

Vers. 5. *Qui vicerit.*

Altera est promissio piæ simplicitati facta, quòd hi vestiendi sint vestimentis albis, hoc est, vera innocentia Christi, qua induuntur tanquam veste, hæc albedo est à Christo, ad pios translata planè meritoria. Porrò aliud est dealbatum esse, hoc est, fuco infectum & tinctum, vt Matth. 23. Sepulchra dealbata, & Act. 23. Paulus ait paries dealbate. Tertia promissio hic addita est, *Non delebo nomen eius ex libro vitæ,* hoc est de numero electorum non expungentur. Liber vitæ est constans memoria Dei suorum electorum, vt enim Respub. in terris suorum ciuium nomina habet in catalogis, seu libris, ex quibus recitantur: sic ciuitas illa cælestis suos habet catalogos, hoc est certam & infallibilem Dei memoriam, secundùm quam referuntur in vitam æternam. de hoc vid. inf. 20. cap. vers. 12. & cap. 21. dicitur liber Agni. Philip. 4. vers. 3. quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Psal. 69. deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Et illo libro deleri voluit Moses, nisi Dominus ignosceret populo, Exod. 32. & Rom. 9. Paulus cupit pro fratribus fieri anathema. Christus Luc 10. vers. 20. ait, Gaudete potiùs, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Promissio facta simplicibus piis. Tertia promissio.

Quarta promissio est, quòd Christus illorum est memor futurus coram Patre suo. Vid. Mat. 10. v. 32.

Vers. 6. *Qui habet aurem.*

Epilogus, quo doctrinam specialem applicat ad vsum totius posteritatis: nam quæ vni dicit, omnibus dicit: discant igitur hinc hypocritæ emendationem, pij simplices constantiam, omnes tueri sanctam doctrinam in dogmatibus, ac moribus: impœnitentes incipiant pœnas timere, pœnitentes illa amplectantur speciosa præmia, quæ hic eis sunt proposita: hæc & similia ad vsum totius posteritatis proponuntur.

SEXTA EPISTOLA AD PHILADELphiensem Ecclesiam.

Philadelphia Lydiæ erat memorabilis ciuitas, & vt Strabo scribit lib. 12. terræmotibus crebro concussa, vnde minimè fideles parietes habere illam dicit. In hac celebris fuit Ecclesia Christi, quam dominus Christus ipsa præsenti Epistola commendat & extollit. Videtur sola hæc inter illas septem Asiæ integra fuisse, & quæ seriò & constanter Christi doctrinam profiteretur. inde ad hanc officij constantiam excitat, præmia tot laboribus dignissima promittens, in vita æterna aliquando exhibenda, interim dum persecutionibus quoque tentanda esset, præsens auxilium & liberationem promittit. De philadelphia, & Ecclesiæ illius integritate.

Partes, vt in superioribus tres sunt exordium, Narratio, & epilogus, quæ suo ordine deinceps considerabimus. aditus ad Epistolam iterum ad docilitatem pertinet, Partes.

vt constet cui dedicetur, de quo iam diximus.

Vers. 7. *Hæc dicit sanctus verax.*

Exordiũ. Exordium est Epistolæ, iterum à personis authoris dictum, nouis autem elogiis Christus seipsum ornat, quæ ex visione primi capitis partim desumpta sunt. vt vers. 18. de claue Dauid, &c.

Sanctus. Initiò, dicitur sanctus, hoc est, ab omni labe & contagione alienus, vere & absolutè iustus ac bonus sine omni peccato, nam ἄγιος videtur dici alienus à terrenis qualia sunt cœlestia, absque peccato. Terrenis adhæret corruptio, hinc à terra terreni, & ab humo humani dicimur. ab ea natura naturalem trahimus corruptionem. his malis caret Christus, sanctissimus, hinc nostra quoque defluit sanctificatio 1. Cor. 1. & ad rei veritatem apud Esa. 6. ter sanctus, sanctus, sanctus dicitur.

2. Verus, vt sanctus, dicitur propter naturæ puritatem: sic verax, propter promissionum certitudinem: nam in Christo omnes promissiones veræ sunt & amen. deinde in illo omnes concurrunt, in eo cõpleta tota lex & Prophetæ, præterea Christus in sua doctrina quoque verax deprehenditur, adeò, vt cælum & terram interire potius oporteret, quàm vnum apicem de doctrina & promissionibus eius imminui.

3. Habet clauem Dauid. de quo diximus cap. 1. v. 18. Clauis organum est aperiendi & claudendi loca adhibita. qui igitur clauem habet. ius habet & potestatem plenam intrandi, aliósque intromittendi. sic Esa. 22. v. 22. de Eliachim scribitur, quòd Dominus positurus sit clauem Dauid super humeros eius. Suprema igitur potestas Christo iure clauium assignatur.

Quartò, cum potestate coniungitur facultas & voluntas, cui refragari nemo potest. aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, hoc est, irrefragabilis est illius voluntas. ius claudendi & aperiendi verissimum est, cum rebus ipsis congruens.

Quicquid igitur claudunt, aut aperiunt homines nihil refert: modo Christum habeamus propitium, aperit ille nobis, nihil refert, si homines claudant: contra nec prodest, si homines aperiant nobis, Christo claudente.

Vers. 8. *Noui opera tua.*

Narratio cuius 1. locus est gratiæ Christi præconiũ qua suos liberat. Narratio sequitur, cuius locus primus continet gratiæ Christi præconium, & virtutum illius Ecclesiæ, quę hinc promanarunt, *dedi*, inquit, *coram te ostium apertum*, hoc est, plenas occasiones perueniendi ad salutem. nam ostium organum est & medium perueniendi ad conclauia. qui igitur aperit hostium, occasionem præbet intrandi. Sic 1. Cor. 16. & 2. Cor. 2. v. 12. in hoc sensu dicitur.

Porrò ostium Christus est Ioan. 10. Aperiet igitur nobis ostium ad salutem, qui Christum aperit. Hunc autem aperit, qui rectè secat doctrinam Euangelij: hoc faciunt boni ministri afflatu Spiritus sancti, & ipse Christus seipsum aperit, cui dat sui solidam cognitionem. Cui verò Christus sese ita aperit, nemo illi aditum potest occludere, quod pertinet ad consolationem piorum. Sæuiant igitur Tyranni, tumultuetur mundus, Christus aperit se suis, prodeat is qui claudere possit.

Drucz der vvelt allen tyrannen, vnnd dem Tibelino sy vverden nitt moegen, nochl zonnen die thur versperren.

Quia paruam habes.

Ratio est superiorum, sed commodè debet applicari. non reddit rationem, vt nemo possit claudere. quid enim hoc esset rationis, nemo claudet, quia paruam habes vim? potius contrarium sequeretur. Sed hoc dicit, Proposui coram te apertum ostium, quia tu per te paruam habes. vim. q. d. non fuit hoc tuæ sapientiæ inuentum, sed natura ad salutem fuisti inhabilis, cæcus & demens. ego autem tibi ea contuli gratis. Sic Paulus loquitur non esse volentis, sed miserentis Dei. item Deum dare & velle & posse. Itaque Ecclesiam piam reuocat ad considerationem suæ propriæ impotentiæ & inhabilitatis. Sic quòd nemo has occasiones eis admittere potest, meræ est gratiæ diuinæ, non virium humanarum, ratio est, quia habes μικρὰν δύναμιν. h. e. tota in te est ἀδυναμία.

Virtutes ecclesiæ Philadelphensis ex beneficio ortæ. Hactenus beneficium Christi, offerentis suis plenas ad salutem occasiones. mox iam subiicit virtutes Ecclesiæ illius, quæ ex illo dono natæ sunt. tanquam testimonia veræ vocationis. *seruasti sermonem meum*, hoc est, præcepta mea de vera pœnitentia verè admisisti. Deinde nomen meum non negasti, hoc est, professionem retinuisti in persecutionibus, non abiecisti professionem Christianismi metu periculorum, nec in confessionibus titubasti. Duæ igitur sunt primariæ virtutes in hac Ecclesia, vera pœnitentia, & constantia in professione.

Locus de couerten Vers. 9. *Ecce, do eos, qui sunt.*

Secundus locus est narrationis promissio de conuertendis aliquibus reprobis

cos vo-

eos vocat synagogam Satanæ. opponens eos Ecclesiæ Christi. Iudæi sunt nomine, re autem ipsa Satanæ mancipia.hoc obseruent omnes qui alieni sunt à Christo. Tales hodie Turcæ, Iudæi, aliique cœtus non profitentes Christum: sic in Christianismo cœtus sunt Satanæ, qui Christum impugnant. vt vt verbis titulum Ecclesiæ iactitent. dici quibusdam reprobis

Ex his synagogis adducit aliquos ad ipsam Ecclesiam, vt adorent ante pedes eius. Sic Paulum adduxit ex hac synagoga, & ex hoste fecit defensorem, sic omnibus temporibus aliquos sibi adducit, hodie videas tales venire raros ad Ecclesiam, ac videtur respicere ad veterem morem, quo conuersi veniebant ad limen Ecclesiæ, ac pacem petebát, his pacem dabat Ecclesia, h.e. recipiebat in numerum piorum, certa interdum irrogata exomologesi, qua Ecclesiæ probarentur & satisfacerent.

Talia exempla miraculosè conuersionis Christus exhibet certò quodam fine, quem hic exprimit, *vt sciant omnes, quòd ego te dilexi.* Hinc enim discent etiam reprobi Ecclesiam Christi inuictam esse. sic quod de Christo scribitur Psalm. 72. Reges Tharsis, &c.

Vers.10. *Quia seruasti.*

Tertius locus narrationis, quo certam liberationem promittit in futurum quoque. initio firmas præmittit rationes, quibus Dominus sit excitatus ad suppetias ferendas, scilicet ipsorum strenua virtute. Nam more boni ducis, qui videt suos milites fortiter pugnare, eis libenter succurrit in periculo: deinde ostendit mala quædam atrocia imminere mundo, in quibus hanc Ecclesiam singulariter tuebitur: demum finis malorum est expressus: *explorare homines*, est illud ventilabrum Christi, quo paleas à tritico separat. Locus narrationis deliberatione Ecclesiæ.

Vers.11. *Ecce venio citò.*

Quartus locus narrationis, quo hortatur ad retinendam sanam doctrinam traditam ipsis ab Apostolis: duo sunt addita argumenta: primum quia breui veniet iudex, alterum ab incommodo, seu damno metuendo, nequis auferat coronam tuam, de quo iam diximus. Locus de retinēda sana doctrina.

Vers.12. *Qui vicerit, faciam vt.*

Quintus locus præmia designans victoribus, primùm columnas faciet in tēplo Dei, hoc est in Ecclesia sua celebres: nam columna est ornatus, qui victoribus ponitur. alia necessitatis, quales sunt, quę onus & molem ferunt, tales columnæ sunt boni doctores, dum hic viuunt, sed post omnes labores erunt columnæ honoris & ornatus, quales heroibus poni solent, quemadmodum Thasij Herculi posuerunt columnam cum inscriptione, ηρακλῆς ὁ θασίων σωτὴρ. 5. Locus de præmio victorib. proposito.

Deinde non egredietur amplius. hoc est, durans & permanens erit illa felicitas, felicitatisque gloria. Tertiò, *columnæ huic inscribet nomen Dei sui*, hoc est, veritatis plenam communionem, diuinæque gloriæ participationem. Ierem. 1. ecce dedi te hodie in ciuitatem munitā & columnam firmam.

Quartò *nouæ Ierusalem nomen*, hoc est, vt vt sint ciues illius cælestis ciuitatis, cuius πολίτευμα, inquirimus.

Quintò, *nomen meum nouum*, hoc est, filiationis, vt verè sint filij Dei, vel veri Christiani nomen, vt de Christo Christiani dicantur.

Vers.13. *Qui habet aurem.*

Epilogus est totius Epistolæ applicans doctrinam specialem ad totam posteritatem.

SEPTIMA EPISTOLA AD LAODIcensem Ecclesiam.

Laodicę plures sunt, in Media eius nominis est ciuitas à Macedonibus condita, ideóque Græca fuit ciuitas, vt refert Strabo lib. 11. fol. 365. Fortè illa, quam Plin. lib. 6. cap. 26. ab Antiocho constructam dixit. Alia eius nominis fuit in Syria, à Seleuco Nicanore condita, & à matre Seleuci Laodice sic appellata, de qua Strabo lib. 16. fol. 510. Illa fortè est ad Libanum posita, de qua idem Strabo eodem lib. 513. paulò infra refert. De hac vide Plin. lib. 5 cap. 20. celebratur illius loci lilium rubens, quod crinon vocant, à Plin. lib. 21. cap. 5. De vrbe Laodicæ, quòd plures sint huius nominis vrbes

Nostra verò hæc Laodicea Cariæ est ciuitas, vt placet Plinio lib. 5. cap. 29. Vt Straboni autem Phrygiæ lib. 12. vterque tamen ad Lyrum flu. locat, conditam ferunt ab Antiocho, qui in gratiam vxoris Laodices Laodicæam vocauit. In hac vrbe celebris fuit Ecclesia, diu etiam post Apostolorum tempora: nam Eusebius multos celebres ministros in hac vrbe fuisse memorat lib. 7. cap. 28. & 29. qualis fuit Socrates, Eusebius, Alexandrinus, Anatolius, Stephanus, Theodorus, & alij lib. 4. cap. 26. Idem Eusebius refert celebrem illam quæstionem de Paschate celebrando, in hac Ecclesia fuisse motam. Ex Quæ sit Laodicæa, de qua hoc loco ait Ioan.

quibus colligimus hanc Christi commonefactionem in ea Ecclesia fructuosam fuisse.

Ἀπόθεσις huius septimæ Epistolę.

Reprehendit Christus in hac Ecclesia teporem, quo & Christo seruire, & mundo sese accommodare volebant, ab ea assentatione dehortatur ipsos, ac opponit ei malo salubre consilium de emēdo auro contra paupertatem, veste contra nuditatem, & collyrio contra cæcitatem: mox respondet etiam de cruce, quòd illa non sit argumentum irati Dei, sed potiùs paterna castigatio, ideo dicit se astare ad ostium, pulsare & expectare, donec aperiatur illi: id quid fecerint, amplissima habebunt præmia, conuiuam esse Christi, cum illo sedere in throno Dei, iudicare impios & similia.

Partes vt in superioribus tres sunt, exordium, Narratio & epilogus, de quibus ordine iam agemus.

Vers.14. *Angelo verò Laodicensium.*

Trāsitio ad ipsam Epistolā.

Aditus est ad sequentem Epistolam, quo docilem reddit Ioannem, & lectorem constare enim debuit, ad quem sequens Epistola propriè pertineret, per consequens autem doctrina ad omnes trahi debet. Significat Laodicea populi iusticia, quo sensu in hac Epistola depingitur ingenium mundi accommodantis sese moribus omnium in religione, vt simul affectibus inseruire possit, & nomen Christiani hominis retinere.

Hæc dicit ille Amen.

Exordij explicatio & scopus. Quid significet vocabulum. Amen.

Exordium est, quo authoritatem Epistolæ comparat à persona filij Dei, dictantis eā nouis autem encomiis sese exornat, primùm ***Amen hæc dicit***, voce Hebræa vsus, quam Iustinus in secunda Apologia γένοιτο interpretatur, significat autem Amen verè, veraciter, certò, indubitanter, vox approbantis fore. Amen autem Christus dicitur, tum naturarum veritate considerata, q.d. is est, qui & verus est Deus, & indubitanter homo, tum considerata quoque promissionum certitudine, quia omnes in Christo sunt Amen, id est, certæ & completæ.

Quomodo Christus testis fidelis & verus dicatur.

Secundò *testis fidelis*, sic dicitur Christus, quia fideliter egit in his, quæ ad Deum pertinebant, Patri factus obediens, vsque ad mortem, sine fraude & impostura omnia peregit in terris,

Tertiò, ***verus*** dicitur, vt priùs dictus fuit, Amen. Ἀληθινός autem aliquid aliud etiam significat, hoc est, eum, in quo dolus non est repertus, purus & innocens, item in quo omnium promissionum apex est consummatus.

Quo sensu Christus principium creaturę Dei nominatur.

Quartò, *principium creaturæ Dei*, quę verba hunc ferè habent sensum, vt per illum sint condita omnia, vt est Ioann.1.v.3.& ad Coloss.1.vers.15. Imago est Dei inuisibilis, & primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terra. Quo sensu principium dicitur sine principio, quod aliis dedit initium τοῦ εἶ, vt essent, cum ipse principium nullum habeat. Atque hic sensus confirmat ęternitatem filij Dei contra Arrianos. Sed potest etiam hic esse sensus, quòd scil. Christus sit principium regenerationis: nam creatura Dei dici videtur, vt Apostolus Paulus vocat nouam creaturam Col. 6. v.15. In Christo neque præputium quicquam valet, nec Circuncisio, sed noua creatura. 2. Corinth.5.ver.17. Si quis est in Christo noua creatura. Sic loquitur Iacobus cap.1. Volens progenuit nos sermone veritatis, vt essemus primitiæ quædam suarum creaturarum: nam differenter videtur hîc poni vox creaturæ de fidelibus, cùm addat Dei, q. d. renatorum principium est Christus, organum palingenesias. hunc sensum sequor igitur hîc.

Vers.15. *Noui opera tua.*

Narratio qua vitia Ecclesiæ & consilia Christi explicantur.

Narratio est explicans vitia Ecclesiæ illius, & contra saluberrima Christi consilia, ad emendationem variis argumentis eos cohortantis.

Qui sint frigidi. Feruidi.

Primus igitur locus est ψεκτικός, hoc est, habet commeritam obiurgationem, *nec frigidus, nec calidus es*, hoc est, in extremis gradibus oportebat te esse positum, vt diiudicari posses. Frigidi sunt alieni planè à Deo & Christo filio eius, quales tum erant Ethnici, & bona parte Iudæi: talis erat Paulus ante conuersionem, frigidi dilectione Dei & proximi, mancipia Satanæ: contra feruidi sunt in contrario gradu excellenti, vera Dei cognitione præditi, & quia vita & moribus hoc ipsum exprimunt, vero Dei zelo ducti, tales erant Patriarchæ, mox Prophetæ, talis fuit Helias æmulator feruentissimus, talis postea factus Paulus post cōuersionē. ζεστοὶ Deo placent, quia verè ducuntur Dei amore & certa cognitione: ψυχροὶ autē in eo laudabiles esse possunt, quòd palam profitentur quales sint, non aliud verbis, aliud pectore claudunt: deinde quòd tales vt plurimùm cæcitate naturæ laborant, edocti autem de melioribus, sæpe laudabiliter emendantur. Itaque Christus illis optat qualitatem animi in gradibus excellentibus contrariam, vt

vel

vel frigidi sunt; vel feruidi.

Inter hos duos gradus medius est gradus remissior, in quo contraria duo possunt coire, dicitur is χλιαρότης, in eo calidum & frigidum remissis gradibus concurrunt, hinc medici vocarunt χλίαρον γαλακτῶδες, h.c. quod lactis instar tepidum est, dum recenter mulsum fuerit, hinc χλίαρα ἐδέσματα cibi tepidi.

Medium inter frigidum & calidum.

Tepidi in religione sunt, qui contraria simul admittunt, Christum & mundi studia, libidinari, circumuenire proximum, & tamen Christiani dici volunt, non seriò causam pietatis agunt, quales hodie reperti sunt enteranistæ ventrales, &c.

Quinam per tepidos intelligantur.

Hos in primis odit Christus, ideo euomet eos. Euomuntur à Christo, qui ab illius gratia repudiantur, quos delet è suorum numero, quibus tandem nomen etiam Ecclesiæ adimit, quod postea factum est Asiaticis Ecclesiis. Porrò indubiè allusit ad tepidi naturam: nam aqua tepida facilè mouet vomitum, ideo cogitemus nostra scelera impellere Christum ad hunc vomitum. Mallet omnes in suo gremio conseruare, quod de Hierosolyma dixit, si mox agnosceremus tempus visitationis nostræ: id quia non facimus, nósque tepidos præbemus, non mirum est, si euomat nos.

Euomendi tepidos ratio.

Vers. 17. *Quia dicis.*

Μίμησις est exprimens vanam persuasionem hypocritarum. videtur autem iactantia illa esse diuitum in illa Ecclesia, qui sibi summam securitatem in deliciis suis promittebant sub Christianismo.

Et non scis quod scis. Iudicium Christi est contra tumidam illam iactantiam, detrahit autem illis laruam? vt commeriti erant, ac ligonem vocat ligonem: ærumnosus est, diutina calamitate exagitatus, qualis est Vlysses apud homerum & Aiax apud Sophoclem. Ἐλεεινὸς autē, cuius calamitas aliis magis est cognita, qualis est furiosorum fortuna, digna commiseratione: πτωχός, qui stipem hostiatim petit, & τυφλὸς cæcus. γυμνὸς nudus, congerie summam miseriam exprimens.

Hypocritarū vana persuasio.

De iudicio Christi aduersus hypocritarum iactantiam.

Vers. 18. *Consulo tibi.*

Secundus locus est narrationis, consilium salubre contra tam atrocia mala. Videtur emendi verbo allusisse ad locum Esa. 55. v. 1. Venite, emite à me sine pecunia vinum & lac. Christus hoc loco ad se quoque inuitat, ac tria promittit apud se venalia in nostri commoditatem, *aurum contra paupertatem, vestes contra nuditatem, collyria contra cæcitatem.*

Secūdus locus narrationis de consilio aduersus mala euētura.

Aurum igni probatum solidum & præstantissimum promittit: sic Psal. 12. Eloquia Dei eloquia munda, septies probatum argentum igni. Aurum verò præcipuam inde habet gloriam, quia nihil amittit, non atteritur quicquam de pondere. Præterea splendidius semper inde prodit hoc aurum. Hoc aurum est, fides, sub cruce semper magis, magísque nitens: vel aqua est illa viua, saliens in vitam æternam, quam Christus mulieri promittit Ioan. 4. vers. 10. & panis ille vitæ Ioann. 6. v. 35.

Aurum quid denotet. Vide Plí. lib. 33. c. 3.

Vestes albæ, sunt vitæ innocentia & integritas: vestis enim est, qua tegitur corpus illius turpitudo, sic bonorum operum studio velatur naturæ impietas, hinc nudi dicuntur in Scriptura, qui carent bonis operibus, & vitæ innocentia.

Per vestes quid intelligēdum.

Collyria autem sunt illuminatio Spiritus sancti. dicuntur κολλύρια, quasi κολλύ ντα τὸ ῥεῖν quia prohibent fluxum oculorum, ocularia remedia medicis nota. Oculus animi est mens, is oculus illuminatur Spiritu sancto, illius igitur gratia dicitur collyrion. Tria igitur sunt remedia, contra terna nostra vitia.

Collyria quid significēt.

Vers. 19. *Ego quoscunque amo.*

Obiectio, cui tacitè respondet, nam mundani illi homines crucis onus interpretantur irati Dei argumentum. Respondet igitur Christus hoc falsum esse in sanctis, sed esse potiùs amoris paterni pium consilium, locus depromptus est ex cap. 3. Prouerb. ἐλέγχειν ad verba refertur, quibus patres filiorum nequitiam interdum coràm corripiunt, & conuincunt: παιδεύειν verò ad ferulam paruorum. ζηλοῦν ad imitationem meliorum pertinet, & præcipuè eorum, quos supra ζεστοὺς vocauit, tepidis enim illis placentinis proponit imitandos feruidos in negotio religionis. Μετανοεῖν ad vitæ emendationem, vt alias dictum est.

Ratio obiectionis quòd crux sit irati Dei argumētum, cui subditus Christi respons.

Vers. 20. *Ecce sto ad ostium.*

Spem veniæ promittit, ex sua longanimitate, & paterna solicitudine. stat Christus ad ostium dum occasiones offert, ostium pectoris nostri est: hoc pulsat prædicando Euangelium, pœnas comminando impiis, pœnitentibus promittendo veniam: aperit, qui locum dat veritati, & tot admonitionibus emendatur: eo ostio aperto ingreditur Christus, vt fiat homo templum Christi, & propria possessio, illud est cognoscere tempus suæ visitationis, quod ingratæ Hierosolymæ Christus exprobrauit, Matth. 23.

De sperāda venia, quòd lōganimis sit Christus.

Quomodo cœnat nobiscū Christus.

Cœnat nobiscum Christus, dum omnia in Christi nomine facimus, pauperes illius gratia excipimus, in omnibus illis gratias agimus: contra nos cum illo cœnamus, dum fatemur liberali sua manu & benedictione nos omnia possidere: cœnabimus etiam cū illo in mansionibus illis, quas nobis parat apud Patrem. Ioan. 14. v. 3.

Reliqua ad spem præmiorum faciunt, de quibus cùm sæpiùs dixerimus. vide Luc. 12. vbi suis eosdem thronos promittit.

Vers. 22. *Qui habet aurem.*

Epilogus Epistolæ, doctrinam applicans ad totam posteritatem, &c.

Allegoria septē Ecclesiarum petita ab etymologia nominis ipsarum.

Allegoria de septem Ecclesiis superioribus.

Non dubium est, quin Epistolæ illæ ad septem Ecclesias specialiter sint scriptæ & missæ. Interim eædem Ecclesiæ typum habent specialium Ecclesiarum, quales hinc inde sint cœtus profitentium Christum, quò ipsa quoque nomina percommodè videntur alludere, quæ sic accipe.

Ephesij remissi sunt in cursu pietatis, vnde ἔφεσις est Græcis remissio.

Smyrnæ lachrymis destinati, ad noua crucis certamina: Smyrna enim est myrra arboris lachryma, Ægyptiæ spinæ non dissimilis.

Pergameni adumbrant eos, qui matrimonij sunt osores, quod est περᾷν τοὺς γάμους nuptias euertere. i. defensores cœlibatus.

Thytireni, quia impetu ruunt ad libidinem. θύω est ὁρμᾷν. vt τείρω perdo, tero.

Sardæi homines sunt carnales sub pietatis prætextu, hypocritæ libidinosi interim, quales hodie sunt in habitu religioso monachi multi, hinc σάρδιον, h. e. σαρκώδιον. i. carnalibus scribitur. σαρκικὰ δεῖ ᾄδειν carnalia meditari.

Philadelphenses sunt, in quibus nihil repræhenditur, sed in his laudatur mutua dilectio, itaque adumbrant eos, qui in professione, vita ac moribus, amorem fraternum seriò declarant.

Laodicæa, nec calida, nec frigida est, significans populare ingenium esse varium & inconstans, omnium moribus & religionibus sese applicare posse λαοῦ δεῖ δίκη, hoc sibi liberum esse volunt, &c.

CAPVT IIII.

Trāsitio à priore visione ad sequētia.



HActenus prima visio proposita est, quæ ad sui temporis certas Ecclesias pertinebat, interim doctrina salutaris ad omnem posteritatem fuit semper ad finem deducta.

Quæ deinceps iam sequuntur pertinent ad statum totius Ecclesiæ depingendum, vsq; ad finem mundi, quæ fortuna, qui casus Ecclesiam comitati sint, quæ item fata impios Ecclesiæ persecutores sint tandem oppressura. Ad hanc partem omnia refero, quæ deinceps sequuntur in hoc libro.

De secunda visione agit.

Porrò vt seruemus cœptam partitionem, de secunda nunc agamus visione. protrahitur vsque ad caput octauum, ac habet historiam libri clausi per septem sigilla, quæ tandem ab agno Dei soluuntur. Ad huius visionis explicationem commoda accedit præparatione, ad quam pertinet caput hoc quartum, & consequens quintum: nam sexto demum capite orditur veram Ἀποκάλυψιν, hoc est, reuelationem, Nam liber ille secretorum Dei probè munitus, ab agno aperitur & explicatur: ad hāc igitur rem hæc duo capita habent παρασκευὴν. Ac quartum hoc caput describit nobis Dei omnipotentis maiestatem, solio regali, senatu cælesti, ornatu decoro, & adoratione competente. In eo cœtu ac senatu, proponitur deinceps liber secretorum Dei, mouebitúrque quæstio de libri solutione capite quinto.

Partes capitis quatuor.

Partes capitis sunt, Μετάβασις continens simul sequentium ὑπόθεσιν 2. Thronus Dei describitur. 3. Senatus cælestis. 4. Spiritus sancti vis procedens à throno Dei. Quintò quatuor animalia. Sextò publica adoratio, quam Deo defert totus sanctorum cœtus.

Vers. 1. *Posthæc vidi, & ecce.*

Μετάβασις est commodè à superioribus ad sequentia lectorem deducens: ταῦτα igitur sunt illæ superiores Epistolæ dictatæ & absolutæ. post illas igitur audiuit iterum vocem Christi deducentis in nouam visionem.

Prima pars visionis ostium apertum.

1. *Ostium apertum videt in cælo*, hoc est, hiatum cæli ad similitudinem ostij, quo denotauit legitimam viam ad visiones: est enim ostium ordinarius aditus ad conclaue. aperitur illi ostium cæli, hoc est, ad cælestes visiones legitimè, Deóque autore deducitur.

Deinde monitor adest idem, qui priùs ei astitit, quod ipsum quoque pertinet ad visionum certitudinem: ne putes igitur somnia esse hominis deliri, sed Christi sunt demonstrationes.

Monitor idem qui ante.

Tertiò promittit μέλλοντα, quæ deinceps fieri oporteat. hinc petenda est ὑπόθεσις, hoc est, argumentum consequentium, de statu & cursu Ecclesiæ hic disputari, vsque ad finem mundi.

Vers. 2. *Statim igitur fui.*

Initium visionis est, quæ per partes dilucidè proponit initio thronus describitur. hoc est, solium diuinæ Maiestatis, more regum. *In throno sedens.* καθήμενος, hoc est, persona nomine non expressa, Deus est anonymus, cuius nomen admirabile est, nec vlla hominis lingua exprimi potest. absolutè igitur dicitur sedens, quasi ad audiendas causas præparatus, vel ad proponendum aliquid. Vide similes picturas Esa.6.Ezech. 1.Dan.7.

Descriptio visionis per partes.

Vers. 3. *Porrò qui sedebat.*

Personæ sedentis descriptio est, quæ & ipsa humano captui accommodatur, Iaspidi & Sardio similis est facies eius. Iaspis gemma viridi colore in primis commendatur: Sardius verò igneo rubore emicat: viriditas virtutis, hoc est, vegetationis scaturigo est in Deo, igneus rubor consumendi vim, & repurgandi declarat. Deus igitur iudex in solio suo vitæ & mortis habet ius, absoluendi & damnandi plenam autoritatem. Porrò viridis color aquæ quoque est, & Iaspis aqueus est, vt Sardius igneus: Deus igitur per aquam repurgat suos, quale est lauacrum regenerationis, per aquam etiam damnat impios, vt in diluuio, per ignem etiam regenerat, & per ignem absumit: est enim ignis consumens, & mundum per ignem iudicabit 2.Pet.3.vers.7. Solium ipsum, vt sedens in solio ambiatur Iride, cuius vnus exprimitur color Smaragdinus, Iris symbolum est gratiæ, Gen.9. Itaque solium diuinæ Maiestatis, hoc est, potestas munita est gratia. Smaragdus viridis est. viget igitur gratia perinde atque iustitia.

Personæ sedentis descriptio ab adiunctis.

Vers. 4. *Et in circuitu sedis.*

Tertiò describit senatum ac consessum cælestem ad tribunal Dei. Sunt 24. seniores in suis sedibus. more humano describit augustam Dei maiestatem, numerus, ille compositus est ex bis duodecim, quo numero libenter vtitur Scriptura in vtroque Testamento. Itaque 12. priores ab vno latere sunt imago veteris Ecclesiæ ante Christum natum: reliqui 12. noui populi cætus est. conueniunt illi in vno hoc rege Christo, conficiúntque numerum perfectum 24. totius Ecclesiæ triumphantis in cælis consortium illud beatissimum: ideo vestitus illorum est albus, hoc est, perfecti iam sunt & alieni ab omni peccato & labe, quales erunt sancti iudicaturi 1. Corinth. 6. Matth. 19. *Coronati quoque sunt aureis coronis, quia vicerunt iam omnia pericula,* victoribus debentur coronæ: has postea in adoratione deponent ad pedes sedentis, quo agnoscunt Dei præsens auxilium in omnibus. Victores olim ad aras deferebant coronas laudabili consuetudine, Deum agnoscentes virium suarum autorem.

De descriptione senatus cæstis.

Vers. 5. *Prodibant autem è.*

Quartò iam describit ex eodem solio vim Spiritus sancti procedentem. Deus Pater est ὁ καθήμενος, & mox in eodem solio agnus locabitur: de Spiritu autem sancto dicitur ἐκπορεύειν per commoda ratione, nam procedit à Patre & Filio, est igitur ἐκπορευόμενος. Eius vis ab affectis homini notis describitur, fulgur oculos perstringit, est enim splendor igneus ex nubibus emicans: tonitru verò auditum percellit. Hi duo sensus validissimè mouent hominem, & in teste fideli sani requiruntur, vt visa & audita proferat.

De vi Spiritus sancti à solio Dei promanante.

Tertiò subest his vox articulata, ratione certa constans, quæ illa sit deinceps videbitur. Quartò ante thronum sunt septem faces ardentes, quæ sunt septem Spiritus Dei, hoc est, Spiritus sancti χαρίσματα, ignis commodè Spiritum sanctum exprimit, datur per linguas ignitas in Actis, &c.

Vers. 6. *Et ante thronum.*

Quintò loco describit mare ante thronum Dei, quod alij de Angelorum agminibus, alij de cœtu Ecclesiæ triumphantis interpretantur, quæ sententia non est absurda: mare enim copiam significat & receptaculum quoddam omnium aquarum, sic ad istos cœtus tandem commigrant omnes electi. Et vt mare externam afflictionum molem denotat, sic mare illud cæleste, donorum Dei perfectionem: hinc Apostolus dixit Patres per mare transeuntes baptizatos fuisse. Itaque cæleste illud mare limpidas iam habet aquas, quibus aspera ab omnibus peccatis repurgamur: inde vtriri ei est perspicuitas, & cristalli splendor, ac puritas. Transeunt etiam pij tandem in cristalli puritatem, aquæ naturam deponentes, ac immortale corpus resumentes.

De mari, quod ante thronū stat. quid per id intelligendū.

Sextò, in eodem hoc versu describit quatuor animalia, quibus exornatum fuit solium illud: quæ pictura videtur desumpta ex capit.10.Ezech.vbi Cherubim depinguntur,& cap.6.Esa.qui seraphim eodem modo diuinæ adhibet Maiestati.

Numeri quater. significatio. Porrò numerus quaternarius videtur perfectionis esse, vel quia hoc quatuor mundi cardines,& ob id totum expressit: vel quia quatuor fuerunt insignes Monarchiæ, sub quibus hinc ab initio Ecclesia Christi militauit.

Aug. sententia de quatuor animali. Augustinus quatuor illa animalia interpretatur quatuor Euangelistas, quem alij quoque sequuntur, & hodie pictores his animalibus Euangelistas exornant. Mattheo addunt hominem, Marco Leonem, Lucæ bouem,Ioanni aquilam:quæ quomodo singulis congruant,ipsi viderint.

Alia de animalib. interpretatio. Porrò cùm hic de Christi Ecclesia agatur, & ipso Christo eius rege & sponso, non malè quatuor animalia ad quatuor mysteria fidei nostræ trahuntur. Incarnationis negotium hominis faciem habet: vituli conditionem sequitur negotium passionis & mortis Christi:leonis autem,resurrectio ad vitam immortalem in cælis denique ascensio gloriosa aquilæ volatum repræsentat.

Hæc in Christo aptissimè considerari possunt. In sanctis verò singulis hæc quatuor animalia sic locum habebunt. Leones esse oportet in periculis adeundis nomine Christi:vitulos in patientia ac laboribus,odiisque ferendis.hominem repræsentant,infirmitatis confessione, item perspicientia, consilio, ac dexteritate,qua sæpe non necessaria pericula declinant: non enim agit nobiscum Deus, vt cum stipite, & trunco: sapientes esse decet, vt serpentes, interim euentus Deo oportet committere. Denique aquilas imitantur volatu ad cælestia præsidia, vbi tutò figi potest tota salutis anchora,&c.

Qualia fuerint animalia plena sc. oculis. Cæterùm hæc *animalia plena fuisse oculis antè & retrò dicit*,sic mox ver.8.sub aliis quoque oculos habent, significans vigilantiam in officio, & perfectionem in ministrando. Argi etiam esse debent pij ministri in his terris, nequid illorum somnolentia pereat:alas habent, propter agilitatem motus & facilitatem. alacres enim esse oportet in ministeriis.

Quietem non habent:constantiæ est argumentum in obsequio,officium quoque indesinenter est cogitandum doctoribus Ecclesiæ.

Vers. 8. *Sanctus,sanctus,sanctus.*

Adoratio sanctorũ in cælis, quæ sit. Septimò describit adorationem sanctorum in cælis,verba petita sunt ex capit.6.Esa. Nos discimus eundem esse cultum noui & veteris Testamenti,idem enim hîc omnipotens, & apud Esaiam colitur: trinus autem est personis,& vnus æternus, & vnus omnipotens.æternitatis est nota,ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος,de quo supra.

Deum adorant. Vers. 9. *Et quando tribuebant.*

Ab Ecclesia quoq. Deus adorãdus. Eundem cultum ab Ecclesia exhiberi Deo describit, ideo consequenter inducit animalia & senes laudasse Deum. Δόξα maiestas est, qualis inter homines Imperatoribus & Cæsaribus attribui solet.Τιμὴ honoris rectitudo,in quo quicquid præstamus,tamen est inferius Dei maiestate. Εὐχαριστία autem animi grati confessio,omnia Deo suo deferentis.

Vers. 10. *Procidebant 24. senes.*

Senatus cælestis typus est totius Ecclesiæ in cælis, huic tria hîc tribuit, quæ ad mores pertinent, primò procumbunt ante Dei maiestatem, humilitatem suam declarantes in ministeriis suis: secundò adorant viuentem in secula, se suáque omnia vni Deo deferendo.

Ecclesia cælestis ex tribus adiũctis. describitur. Tertiò,*coronas suas deponunt*, h.e.deposita omni arrogantia, & sui admiratione, iterum Deum admirantur, & magni faciunt. Olim victores coronati post certamina, ad aras mox deponebant suas coronas, Dei præsidium & auxilium in omnibus præsens agnoscentes:sic pij depositis coronis Deum adorent & colant.

Vers. 11. *Dignus es Domine.*

Δοξολογία est cœtuum cælestium, constans propositione confessionis, & ratione. Propositio est Deo tribuendam esse gloriam,honorem, & robur, quæ quamuis semper possederit,tamen à nobis accipit, quoties illa eidem confitemur. Confessionem igitur à nobis requirit,quòd in ipso hæc propriè sint,in nobis verò per gratiam.Ratio autem est, quia solus condidit omnia, adeóque sua libera voluntate consistat hoc creationis opificium,non aliqua fatali necessitate.

CAPVT

CAPVT V.

PErgit Apostolus in describenda visione secunda, in qua duæ partes principales adhuc restant, liber scilicet obsignatus septem sigillis, & eiusdem idoneus interpres, hæc igitur capite quinto delineantur.

Quæstio principalis est de idoneo explicatore libri propositi, illa, inquam, quæstio mouetur in senatu cælesti, & per Angelum præconem prouocatur in arenam hanc tota creatura cælestis, terrestris, & subterranea, rebúsque tandem desperatis, vnus agnus monstratur his rebus par: igitur hic solus accipit librum, explicaturus nobis eius sigilla. Hinc statuatur πρότασις, solus Filius Dei potest nobis librum arcanorum diuinorum explicare. *Propositio.*

Partes tractationis hæ sunt. initio delineat nobis librum istum tribus notis: mox de eiusdem libri interprete proponitur quæstio, ac re excussa, depræhenditur rei summa impossibilitas apud omnem creaturam. Tertiò, monstratur à sene quodam idoneus interpres Agnus Dei. Quartò hinc emergens publica lætitia. *Partes reliqui tractatus 2. visionis explicantur.*

Vers. 1. *Et vidi ad dexteram sedentis.*

Librum hoc loco nobis describit, quam descriptionem mox videbimus, prius de ipso libro quisnam sit, differentes. Ac ferè omnes in eo consentiunt, librum hunc esse vetus Testamentum, cuius vera ac germana interpretatio non possit haberi ab vlla creatura, sed à solo Filio Dei, qui nobis eius verum sensum ex sinu Patris cælitus affert. Ac verum quidem est, omnem Scripturam diuinitus inspiratam esse, & non priuatæ quoque esse interpretationis, sed donum Dei: vnde in Actis Eunuchus ille Philippo fatetur, se non posse intelligere locum Esaiæ sine interprete. *De libro quem nō nulli sumūt pro veteri. Testam. Act. 8. vers. 31.*

Verùm aliquid altiùs hîc significat liber, agitur enim de gubernatione Ecclesiæ, de tutela piorum, & de impiorum suppliciis.

Itaque manifestum est librum hunc, nihil aliud esse, quàm arcanorum Dei abyssum, ex qua recta ratio scaturit consiliorum Dei, & prompta memoria actionum omnium, adeò vt in toto mundo Deum nihil lateat, omniúmque actionum & euentorum certissimas habeat, & infallibiles demonstrationes. Ex eo fonte cursus Ecclesiæ dependet, qui solus Filio Dei cognitus est, & ab eodem suis per interualla certa patefit. *Alia sententia, quid per hunc librum intelligendum.*

Supra cap. 3. liber vitæ nominatus fuit, qui pars est melior totius istius, ac vniuersalis libri, concernens solos electos. Sed totus liber ampliorem habet materiam: habet enim certas rationes cur mali pereant, item quare mundus sic conditus hoc modo administretur, quæ sit ratio durationis, aliáque infinita complectitur, quæ omnem omnium sapientiam superant, ideo obsignatus dicitur, vt etiam apud Danielem. *Quid differat liber vitę, de quo cap. 3. ab eo libro, de quo hoc loco agitur.*

Summa, omnium arcanorum Dei certæ & infallibiles rationes libri nomine accipiuntur, secundum quas omnia non secus administrat, ac si ex scripto recitarentur: *Hic liber ad dextram sedentis positus est.* Deus iterum sine nomine proponitur, sedens autem dicitur, propter fixas & solidas gubernationis causas. Ad dextram autem habet librum, hoc est, semper in promptu est certa gubernationis ratio: dextra enim roboris est, & melioris actionis symbolum, cùm motus à dextris fiat, & in illa plus roboris est, quàm in sinistra. *Quomodo Deus sedens dicatur. Liber ad dexterā positus.*

Deinde scriptus est totus, hoc est, plenè & perfectè omnia cadunt sub Dei gubernationis ius, nihil hîc exemptum est, nihil Deum latet, nec effugit eius censuram, hic liber omnia complectitur, præterea perfectus est, vt nihil ei possit addi. *Scriptus intus & retro.*

Tertiò obsignatus est sigillis septem apud Ezech. cap. 2. vers. 9. liber inuolutus est, & Dan. 12. vers. 4. 9. Obsignatus liber ad tempus. Esa. 29. liber signatus. quæ omnia significant occulta Dei mysteria, quæ rationē hominis effugiunt, imò acumen Angelorum. *Obsignatus, quòd Dei arcana rationem hominis fugiant.*

Porrò sigillatus hîc dicitur, quia arcana sunt in eo cōprehensa, quemadmodum literæ ad amicum sigillo impresso clauduntur, vt clàm sit argumentum Epistolæ, donec in amici manus, cui inscripta est Epistola perueniat.

Deinde sigillo muniuntur quoque aperta, sed quæ fidem publicè habere debent, vt testamentum, vtut probè scriptum sit, nisi appenso sigillo muniatur, non videtur vim habere. hæc igitur duo per sigilla denotantur. Septem autem, sunt numero perfecto, perfectam & solidam cæcitatem nostram arguens, quæ ad plenum & in solidum arcetur à cognitione mysteriorum Dei. Summa, totus mundus, Angelorum etiam agmina fatentur in hac quæstione suam imbecilitatem & hebetudinem: verissimè dixit Aristoteles oculos nostros in rebus diuinis non secus cæcutire, ac noctuarum oculi ad Solem meredianum. *Duplex sigilli expositio.*

Vers. 2. *Et vidi Angelum.*

II. Pars continens præcipuam quæstionem de aperiendo & soluendo libro ac pro-

Notatio secundæ partis tũ eius breuis summa.

ditur hîc cæcitas totius creaturæ, deinde mox explicatur dolor obortus ex publica imbecillitate. Angelus à quibusdam dicitur Moses, qui de lege scribens dixit, Maledictus omnis, qui non seruauerit omnia præcepta libri huius &c. sed non satisfecit quæstioni propositæ. Angelus igitur est iusta Dei sententia, damnans nostram cæcitatem in perscrutandis mysteriis Dei.

Angelus quis hic intelligendus.

Hæc sententia per Angelum, tanquam præconem proclamatur in concessu cælesti: ἰσχυρὸς autem dicitur, h.e. voce stentoria præditus: in præcone enim vox in primis respici solet, ideo stentorem suum Hom. vocalem fecit. Hic voce magna proponit quæstionem, & in arenam prouocat omnem creaturam, soluant si possint Angeli, cacodæmones, Philosophi, defuncti beati, id qui posset ἄξιος diceretur, h. e. idoneus interpres: dicitur enim ἄξιος in hoc sensu, qui sensum libri & autoris probè assequitur, qui mentem scripti retinet, & dilucida oratione explicat, quod Græcis dicitur φυλάττειν τὴν γνώμην τοῦ συγγράμματος. Ad hoc duo requirit Angelus aperire librum decenter, & soluere sigilla, &c.

Vers. 3. *Nemo autem poterat.*

Cæcitas & impotentia. omnis creaturæ in aperiẽdo sigillo.

Ex quæstione proposita sequitur declaratio cæcitatis. Altum est silentium totius creaturæ, primùm in cælo nemo reperitur idoneus interpres, hoc est, inter Angelos bonos, aut etiam sanctos iam exemptos rebus humanis, fatentur illi silentio suo ἀδυναμίαν suam. Damnatur igitur consilium eorum, qui patrocinium, & reuelationes arcanorum ab illis postulant.

Deinde in terra quoque altum est silentium, h.e. inter eos, qui adhuc in viuis sunt, quales sunt Philosophi, medici, magi, physici, astrologi, ciuilium legum periti, totus mundus stultescit in causis diuinis.

Tertiò sub terra, h.e. cacodæmones quoque tremiscunt, nec assequi possunt arcana consiliorum diuinorum: vbi igitur prædictiones, sortes, Spiritus domestici, magica vis, & incantamenta, Nec solùm cæcutiunt ad consilia diuina, vt librum hunc, ne quidem possint inspicere, tanta vis est veritatis: sic ad faciem Mosis radiantem hebetes erant Iudæorum oculi, &c.

Vers. 4. *Et flebam ego multùm.*

Declaratur cæcitas deploratione digna.

Tertiò ex quæstione, & communi totius cræaturæ cecitate sequitur fletus, hoc est, tristitiæ affectio, res digna quæ ab omnibus omni tempore deploretur. Sed vt cæcitatem hanc pauci agnoscunt, sic pauciores fortè eandem deplorant, malum priori adhuc peius: discamus igitur nostram cæcitatem agnoscere, & eandem seriò deplorare. Fletus rationem assignat ex præsenti causa, quia viderat neminem idoneum esse ad libri propositi explicationem, accrescit cum affectu oratio. Angelus præco dixerat ἀνοῖξαι καὶ λῦσαι, mox Ioannes addit neminem repertum esse, qui posset ἀνοῖξαι καὶ βλέπειν, quasi dicat, procul abfuisse à solutione, adeò vt ne aspectum ferrent: nunc tria congerit, ἀνοῖξαι, ἀναγνῶναι καὶ βλέπειν. Facultas aperiendi deest, lectionis peritia, & vis oculorum in aspiciendo: deprimunt hæc supercilium Philosophorum, Iudæorum extra Christum, astrologorum, ariolorum, addo etiam Theologorum sine Christo in Dei arcanis oberrantium, &c.

Vers. 5. *Et vnus ex senibus.*

Consolatio, quòd Christus solus libri sit interpres.

III. Pars consolationem continens. Summa est, vnicum Christum idoneum esse libri propositi interpretem.

Ratio constat ex superiori silentio totius creaturæ: si enim in cælis, h. e. inter bonos Angelos & sanctos exutos iam corporibus, nemo repertus est, nec inter homines, quales erant Philosophi, nec in creatura irrationali, nec sub terra inter cacodæmones, ergo in tota creatura nemo idoneus est: at agnus extra creaturæ ordinem reperitur idoneus, solus igitur is talis est.

Ordo huius partis.

Hæc in præsentia eo ordine narrantur, vt primùm monstret, à quo patefactus sit iste Agnus: nam Ioannes per se cum non deprehendit, firmo argumento est, hoc donum Dei esse, quòd Christum agnoscimus verum Scripturæ interpretem.

De sene qui ostẽdit Agnum. Christi cum leone comparatio.

Monstratur autem à sene, qui est in consessu cælesti, qui quisnam fuerit, dici non potest, quandoquidem aliorum omnium nomina incomperta sint. Iacobum Patriarcham quidam fuisse aiunt non alio argumento, quàm quòd ex eius verbis Gen. 49. citetur mox oraculum: sed infirmum est, eodem enim argumento Esaias dici poterit, cùm ex eodem mox addetur oraculum. Verùm incerta sunt illa, probabilius fortè accipi poterit de Ioanne Baptista. hunc Agnum digito nobis demonstrauit in Euangelio, Ecce Agnum Dei, qui tollit peccata mundi &c. sed ne hoc quidem firmum est.

Deinde

Deinde obserua, quomodo Christum nobis depingat, primùm vocat *Leonem* ex oraculo Iacobi Gen.49. Leo dicitur ob fortitudinē & robur inuictum. Quod cùm præcipuè declararit in resurrectione, meritò huius respectu leo dicitur: nam hic præcipuè vicit Satanam, hinc Rom.1. dicitur, quòd sit declaratus, Deus in virtute per resurrectionem ex mortuis. Quadrat etiam illa leonis generositas Christo, quòd parcat libenter subiectis: depellet autem feroces. Christus sanè hoc præstat, humilibus dat gratiam, superbis autem resistit, &c.

Secundò dicitur *radix Dauid*, qui locus ex Esa.11. sumptus videri potest, Christo cōpetit secundū humanitatē assumptam, quia natus est ex semine Dauid secundum Scripturas: Maria enim & Ioseph de posteritate Dauidis fuerunt, vt constat ex genealogia.

Christus homo est quandoquidem ex radice Dauid.

Vers.6. *Et vidit & ecce.*

Ioannes valde docilem se præbet seni, nam quanquam leonem appellauit, & radicem Dauid, tamen Agnum facilè intelligit, vt non vllam contradictionem hîc nectat in vocibus. Respicit igitur in eum locum, quò senex diuerterat manum, ac videt illic Agnum, quem hactenus non obseruauerat.

Docilitas Ioannis.

Tertium est cognomen Christi, dicitur Agnus propter historiam passionis in qua, morte, innocentia, verè Agnum sese præbuit: in primis verò, quia hostia pro nobis facta est perfecta, & ad amussim Deo Patri respondens. inde Baptista dixit Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan.1. Et Esaias innocentem, vt Agnum, vocauit cap.53. vers. 7.& 29 1.Pet.1. vers.19 Redempti pretioso sanguine, tanquam Agni immaculati & incontaminati Christi. Ierem.11. vers. 19. Quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Hic Agnus inter thronum, animalia & senes illos 24. stat. Infra. in throno etiam collocabitur.

Quomodo Christus dicatur Agnus.

Habet cornua septē, Robur per cornu denotatur, & plenitudo imperij, quò facit septenarius numerus, perfectionis in hoc libro semper argumentum. Et septem oculos, quos mox interpretatur totidem Spiritus Dei missos in omnem terram: hoc est, Christus habet non solùm scientiæ plenitudinem, sed etiam executionis facilitatem: nam parent ei Angeli & Spiritus Dei, quorum ministerio vtitur in gubernando hoc toto mundo. De quo dixit Esaias 11, ver.2. Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, timoris Domini, &c. Mirabilis est Agnus simul & leo.

Cornua septem Agni, roboris & imperij notæ.

Versus 7. *Et venit, & accepit.*

Describit rerū progressum, quid Agnus fecerit. nullius imperio, sed propria voluntate accepit librum è manu sedentis. Liber acceptus symbolum potestatis concessæ iudicandi & docēdi: iudicibus enim nouis traditur liber, secundū quē iudicēt. Iudex igitur est plena potestate Christus, vt statuat de vita & moribus nostris, imò totius mundi.

Deinde ius docendi habet, nam doctoribus liber solet dari in testimonium, quòd cùm libro illis cōcedatur ius docendi alios. Doctor igitur Christus est, cuius solius vox debet audiri, & interpretatio eius sola valet, à qua quicquid discrepat, alienum est à mente libri propositi, & ob id repudiandum meritò. Optimus doctor Christus, simúlque clementissimus Christus.

Potestas iudicandi & docendi, Christo cōcessa.

Vers.8. *Et cum accepisset.*

Quartus locus capitis, de publica lætitia totius creaturæ, posteaquam Agnus, verus & indubitatus libri interpres patefactus est. Ordo congratulantium quadruplex est, sunt 4. animalia, 24. senes, Angeli, & irrationalis creatura. Animalia & senes cōiunctim exultant, & celebrant Agnum, tum quòd circa thronum coniunctim sederent, tum exemplo suo concordiam & consensum docere voluerunt. Gestum autem obserua in his, deinde voces: ad gestus pertinet, quòd cadunt coram Agno adoraturi. Idem præstiterunt supra Deo sedenti in throno, ex quo efficitur Christi Agni diuinitas: nam pares honores, non nisi paribus dignitate competunt, qua in re sæpe peccatur inter homines, dum impares paribus honoribus ornant, hoc absit cogitare de hoc senatu cælesti, pares igitur dignitate sunt & Agnus & sedens in throno.

Ex quadruplici ordine congratulantiū, omnis creaturę lętitia declaratur. Diuinitatis Christi argū.

Deinde singuli habent suas citharas, cithara harmonię symbolum est, concentus igitur cælestis concordia constat, & ob id à nobis quoque seruari debet: vel est cithara vox Euangelij dulcissima, fugans ad morem Dauidicæ citharæ malignum spiritum. his citharis sancti ludunt in conspectu Domini.

Tertiò, habent etiam singuli sua thuribula, quæ interpretatur sanctorum preces, significans oblationes piorum verè esse spirituales, inde iunge illud sacrificium, quod toto vrbe Deo semper offerunt sancti. Sic Act. 10. vers.4. de Cornelij precibus, & eleemosynis scribitur, quod in conspectum Dei ascenderint, quasi thymiama.

P.ij.

Vide infra quoque 8.verſ.3.

Verſ.9. *Et canunt canticum nouum.*

Cantici qualitas, quòd à ſenibus canitur.

De moribus ac geſtibus dixit, iam etiam voces profert, canunt carmen nouum, ideo tribuerat eis citharas: ſed nouum carmen habent, hoc eſt, mundo incognitum, Filius Dei è ſinu Patris nobis attulit è cælis, ideo hîc in cælis quoque canitur. Nouum igitur dicitur, quia res eſt mundo inaudita, nec nota apud homines, vel in hominis ratione: deinde nouum, quia idem mundo videtur incredibile. Hinc 1.Corinth.1.verſ.2.dicitur Iudæos ſigna quærere, Græcos verò ſapientiam: ideo Galenus Scholam Chriſti & Moſis damnat, quaſi quæ demonſtrationibus veris careat. Et Iudæi teſtimonio Baptiſtę nō credunt, Chriſto etiam dicunt, tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum verum non eſt. Vtique nouum eſt hoc carmen, deniq; quia noua beneficia nobis exhibita celebrat, redemptionem ſcilicet, iuſtificationem, dignitatem regiam & ſacerdotalem, qua pios Chriſtus exornauit.

Agnus dignus dicitur qui librum aperiat quòd quomodo fiat hic declaratur.

In verbis poſteà cantici, Agnus dignus dicitur, h.e. idoneus ad *aperiendum librum*, nam probè ſeruat mentem libri, nec ab ea recedit, aperit autem librum variis modis. Natus in carne bonam partem aperuit, homo factus ſecundum Scripturas: deinde pro nobis moriens amouit velum templi, vt pleniùs conſpici poſſet Scripturæ nucleus: reſurgens etiam aperuit diſcipulorum mentes, vt Scripturas intelligerent, Luc.24. quod nihil aliud erat, quàm librum eis hactenus clauſum aperire: demum miſſo Spiritu ſancto edocuit eos omnem veritatem: ita quidem nobis aperit librum Biblicum. Librum autem Secretorum Dei aperit, gubernando omnia ad certos euentus, quos non rarò ſuis patefacit, vt ſancti in omnibus agnoſcant præſens Dei conſilium, vt infra videbimus.

Ratio, cur aperuiſſe dicatur. Beneficia varia, quæ à Chriſto conſequimur.

Ratio additur, *quia mactatus es.* Priùs dixit quaſi mactatum, hîc mactatum abſolutè, quaſi mactatus viſus eſt Agnus, quia habuit veſtigia vulnerum in ſuo corpore, teſtimonia mactationis, vel quòd iudicio impiorum Chriſtus verè periiſſe in morte viſus ſit, cùm diuinitas latuerit, & mox præter omnium ſpem fortiter reſurrexit. Verùm interim homo Chriſtus mortuus fuit, quod hic agnoſcunt ſancti in ſuo cantico: dein, mortis fructus additur redemptio, ſic ad Gal.3.ver.13.dicitur, Chriſtus nos redemit ab execratione legis, factus pro nobis execratio. Deo autem facta eſt, quia in hunc peccatum fuit.

Additur etiam organum redemptionis *per ſanguinem eius*, item quantum ſit hoc beneficium, vniuerſale, ſufficiens pro totius mundi peccatis. Itaque non ad ſolos Iudæos pertinet, ſecundum illud Gen.22. Gal.3.verſ.8. Benedicentur in te omnes gentes ſublatum igitur eſt interſtitium, vt in Chriſto non ſit Iudæus, nec Græcus, ſed noua creatura.

Verſ.10. *Et feciſti nos.*

Apex beneficiorum vbi refutantur Chiliaſtę qui hæc verba ad regnum carnale referant.

Apicem omnium beneficiorum annectit, reſpexit ad locum Exod.19. de quo ſupra cap.1. v.5.& 1.Pet.2.v.9. Additur clauſula, Et regnabimus ſuper terram. quam ſententiã Chiliaſtæ ſic acceperunt, quaſi poſt nouiſſimum iudicium pij in hac terra ſint manſuri cum Chriſto per annos 1000.

Verùm alius eſt ſanctorum ſenſus, nam commemoratis Chriſti beneficiis pollicetur gratitudinis ergò conſtantiam in confeſſione: intelligo enim hæc ab eis dici in perſona militantis Eccleſię, quæ regnat ſuper terram, pręſtando Deo conſtantiam ſub cruce: mortificando carnem ſuam. opprimendo peccati concupiſcentiã, præſcindẽdo peccandi occaſiones. Regnant igitur contra peccatum, cõtra impios, ſuperiores ſunt perſecutionibus & tyrannis etiam crudeliſſimis, quos conſtantia ſua vincunt.

Verſ.11. *Et vidi & audiui.*

Lætitia Angelorum.

Tertiò loco Angelorum lętitia exprimitur, ſtant illi circa thronum, tanquam ad miniſterium præparati: ſic in Dauide & Iobo ſtantes leguntur, expeditos & agiles ad miniſterium ſignificat Numerus illorum ſuperat hominis rationem, ideo ampliſſimum eis tribuit numerũ, qui apud homines verbis exprimi non poteſt, ſimilis eſt in Daniele cap.7.

Gratulatorium carmen Angelorum.

Dicentes voce magna. Carmen gratulatorium ab Angelis recitatum: nam vt ad quæſtionis promulgationem etiam Angeli obmutuerunt, ſic par erat, vt iam monſtrato agno idoneo interprete, ſimul gauderent, ne ſilentium illos ingratos argueret, aut minus affici gaudio ex tanti boni patefactione, quo damnantur mali ſpiritus.

Angeli carmine ſuo 7. Chriſto tribuunt ac 1. Poteſtatem. Mat.28.

Ordiuntur autem carmen ab exclamatione, qua ſeſe conformes ſenibus & animalibus reddunt ac Agno attribuunt ordine ſeptem, *dignum vt accipiat poteſtatem,* ex quo fonte Chriſtus etiam dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.

Poteſtas

Potestas est iudiciaria pronuntiandi & decernendi de totius mundi actionibus.

Diuitias πλοῦτον dicitur accipere à nobis, cuius confessionem ei reddidimus, tanquam pleno iure ipse solus habeat, vt tùm Christus solus sit nostra αὐτάρκεια, adeóque ipsum cornucopiæ, id dum confitemur eíque eo nomine nos exhibemus gratos, dicitur accipere diuitias, quas tamē semper habuit, latebat autem nos ante patefactionem. Diuitias.

Sapientiam. eodem modo sapientiæ confessionem & laudem à nobis requirit Coloss 2. vers. 3. dicitur in Christo nobis repositos thesauros sapientiæ & cognitionis: vna enim sapientia est, nouisse rationem salutis, & veram viam ad vitam æternam, quā summo studio persequaris omnibus postpositis. Sapientiam.

ἰσχὺν, *robur* in defendendis suis, propulsandis impiis, arcendis periculis, quæ omnia singulari fortitudine intra certas metas continet, vt non vltra quàm velit in sanctos sæuire possint. Hinc doctrina Euangelij potentia dicitur Dei ad salutem credentibus, nam potenter spargitur inuitis omnibus monarchis. Robur in periculis depellēdis. 1. Cor. 1. v. 18. Ro. 1.

Honorem. indicat hac voce nunquam satis posse pro merito coli: significat enim τιμὴν quandam adæquationem, quam dum in colendo filio Dei nunquam possumus præstare, semper durat confessio & colendi mandatum. In hominibus colendis secus habet nam illos colere possumus κατ' ἰσότητα, ideo quicquid eis vltrà tribuitur in peccatum vergit: contra autem Deus, nunquam pro merito colitur, quia semper maiora mereatur, & requirat à nobis. ideo probè consideretur, quomodo eum colamus. Honorem, qui ab hominum cultu differt

Gloriam, maiestatem, ac augustam de meritis eius opinionem, iudicium castum, & putum de dignitate Christi.

Εὐλογίαν, hoc est, grati animi testimonium publicum, & apertam confessionem, fructum labiorum nostrorum. ac potest referri ad præsentem actionem, quasi dicat, animalia & senes candidè de agno iudicasse, dignúmque esse, etiam Angelorum iudicio his encomiis.

Vers. 13. *Et omnis creatura.*

Quartus est chorus celebrantium Agni laudes. tota inquit creatura in laudes eius prorupit, hoc est, muta & irrationalis creatura, quæ hactenus enumerata non fuit, testatur illa quoque Christum verum esse arcanorum diuinorum interpretem. Nec absurdum videri debet, quòd ei tribuit voces rationis, cùm idem Dauid in Psalm. hinc inde faciat, Cæli enarrant gloriam Domini. item: Nix, grando, tonitrua laudem Dominum. Et Apostolus ad Rom. 8. v. 22. eidem tribuit sensum condolendi, quòd ingemiscat nobiscum, & expectet liberationem filiorum Dei. Eodem sensu hîc gaudium ei tribuitur & exultatio. Quartus chorus celebrantium Agni laudes.

Porrò perspicua est enumeratio totum probè explicans, in cælo solet luna, elementa, nubes, &c. huc pertinent: in terra homo, bruta animalia, volatilia, arbores, plantæ, totáque terra. Sub terra. defuncti, lapides, metalla. In mari balenæ, pisces, serpentes, dracones, aliáque infinita maris monstra. Hoc totum & vniuersum Deo creatori suo reuerentiam debitam præstitit. Sedenti autem, & Agno omnia tribuunt, par honor sine reprehensione tribuitur Agno & Deo, ideo pares esse oportet, hinc ad Philipp. 2. scribitur in nomine Iesu flecti omne genu.

Vers. 14. *Et quatuor animalia.*

Redit ad gestus animalium & sonum, postquam totius creaturæ gratulatio proposita est totum hoc confirmatur ab animalibus & senibus, tanquam officium pium & necessarium. Animalia acclamant Amen, h. e. fiat, q. d. iustissima est illa: totius naturæ congratulatio: deinde γένοιτο fiat, hoc est exemplo horum pij ad finem vsque seculi Deo & Agno hanc reuerentiam præstent. Senes autem cadunt, ita supra ceciderunt in facies deiicientes sese in summam humilitatem coram Domino. Adorant autem vnum, cùm cadunt coram tribus, quo adumbratur sanctum Trinitatis mysterium, quod vnitatem in triade, & triada in vnitate continet, &c. Quomodo ab animalib. approbetur omnium creaturarum gratulatio. Trinitatis testimonium

CAPVT VI.



HActenus aditum sibi præparauit ad veram Apocalypsin, ac quarto capite apertum fuit ostium cęleste, per quod admissus fuit ad contemplationem rerum diuinarum: quinto mox capite propositus liber arcanorum diuinorum & eiusdē quæsitus est interpres, vel solutor, ad cuius rei promulgationē altissimum totius naturæ silentium subsecutum est: tandem beneficio senis cuiusdam monstratus est Agnus ad hanc rem idoneus. Inde à tota creatura instituta est cōgratulatio, quæ omnia παρασκευὴν quandā recipiunt rerū sequentiū. Ἀνακεφαλαίωσις præcedētium, cui adiungitur transitio ad sequens caput.

Ὑπόθε-σις

Nunc igitur Agnus nobis aperiet librum, & ſingula eius ſigilla, quo facto demonſtratur curſus & propagatio Euangelicæ veritatis omnibus ſeculis, ad finem vſq; mundi, quam mox comitatur bellum, fames, peſtis, aliáque mala &c. Hæc mihi ſimpliciſſima videtur ſententia huius capitis. Alij aliis modis ſigilla hæc exponunt & applicant: quidam totidem Eccleſiæ ſtatibus, alij ſeptem fidei Chriſtianæ myſteriis, nonnulli ſeptem ætatibus, quibus Eccleſia vel bene habuit, vel afflicta, fuit in mundo. Vt primo ſigillo accommodant ætatem Apoſtolorum, vſque ad Origenem, quo tempore feliciter propagatum fuit Euangelium in mundo: atque huic etiam attribuunt primum animal, h.e. Matthæum.

Varia nõ nullorũ de his ſigilli applicatio & expoſitio.

Aetas.

Secundum ad ſequentia tempora, vſque ad Iuſtinianum principem, huic aſſignant ſecundum animal, Marcum.

Tertium extendunt ad Phocam vſque imperatorem, eíque tribuunt Lucam adumbratum per tertium animal.

Quartum ad Carolum Magnum, quibus temporibus curia in primis inualuit, & Papatus cepit potenter agere, huc referunt Ioannem quartum animal.

Quintum, ad Otthonem vſque, ſub quo cœpit apud Germanos ſeptemuiratus ille imperij.

Sextum, ad conſilium Conſtantienſe, quo tempore crux Eccleſiæ planè inualuit, durauítque potenter adeò vt Eccleſiæ deleri viderentur, obſignandíque eſſent ſancti, ne ſeducerentur.

Septimum, inde ad finem vſque mundi, quo toto tempore obſignatio fidelium perficitur, in mediis corruptelis ſanæ doctrinæ, &c.

Sentẽtia autoris de his explicat. quas non approbans ſuã adiungit

Hæ, & ſimiles explicationes, ingenioſè quidem eruuntur, & eruditè hiſtoriis inſeruiunt: verùm hoc in eis deſidero, quòd ſigillis non omnibus, ſed ſingulis accommodentur: deinde ætatum metæ & deſignationes incertæ ſunt, adeóque anguſtiores quoque, quàm ferat propoſiti libri & ſigillorum eius maieſtas, & amplitudo.

Itaque eos potiùs ſequor, qui hiſtoriam totius durationis in hoc mundo hunc referunt, h.e. vt primi ſigilli equus cœperit currere tempore propagati Euangelij, & adhuc currat, ſempérque ad finem mundi idem facturus ſit, & huc ſequantur reliqui equi, rufus, niger, pallidus, h.e. eadem ſemper vtatur fortuna veritatis doctrina, quanquam in tot malis Dominus ſemper ei præparet hoſpitium aliquod ad tempus, idque vt appa-ret ſatis incommodum. Hoc ſenſu tempora Apoſtolorum viderunt currentem album equum, ſed mox hinc inſecutus eſt rufus, h.e. belli faces, ex quibus merſit equus niger, id eſt fames, hunc pallidus, h.e. peſtis. Idem experta ſunt ſequentia tempora Martyrum, etiam ſub piis imperatoribus ſuam crucem tulit Eccleſia, communibúſque calamitatibus preſſa fuit. Idem noſtra habent tempora, ex renatæ veritatis doctrina. Germania bella habuit, habétque iam Gallia decem continuis annis, ex quibus bellis ad omnes nationes propagata eſt fames, & pretia rebus aucta ſunt ad tertiam partem. Inde tanta lues & peſtis quoque acceſſit ſuperioribus annis, qua in noſtro ſaltem agro ad 30000. hominum ſublata ſunt. Interim durat ſemper crux Eccleſiæ, bellum ſemper recrudeſcit, emergunt hæreſes, durat fames, recurrit peſtis: tamen in tot malis lætam ſperat victoriam Eccleſia, obſignatúrque ſemper omnibus ætatibus fideles, qui ad vitam æternam deputati ſunt. Ad hanc interpretationem accommodabimus igitur omnia, quæ de ſigillis deinceps dicentur.

Comparatio ad declinat. Eccleſ.

Πρότα-σις.

Propoſitio eſt. Veritatis doctrina, ſemper omnibus ætatibus, excipitur cruce & variis afflictionibus, tamen indubitata eſt eius conſeruatio, lætáque victoria tandem hæ calamitates finientur, quemadmodum Chriſtus Filius & Agnus Dei nobis patefecit.

Partes.

Partes ſex ſunt in hoc capite, pro numero ſigillorum, quæ in eodem aperiuntur, de ſingulis igitur ordine deinceps agamus.

Verſ.1. *Et vidi quando.*

1. Pars.

Primum ſigillum aperit Filius Dei, cui rei præmittit προσοχὴν, qua Ioannem excitat ad diligentem rerum omnium inſpectionem. Tribuitur autem animali primo, quod Ioannes more Hebræo dixit, Audiui vnum animalium. h.e. primum, vt dicitur vna ſabbathorum, hoc eſt prima, & hîc vnum ſigilorum, h.e. primum.

Primum animal in quo tria conſiderantur Vox ſonora.

Primum animal tribuunt Matthæo, alij Marco ex cap. 4. ver. 7. Vbi dicitur primum animal ſimile Leoni. Vtvt ſit libenter fateor, ſubeſſe hîc quædam ampliora myſteria, probabilia tamen illi dicunt.

Deinde loquitur voce tonitrui, h.e. ſonantur & potenter, talis eſt vox Euangelij excitans pios ad attentionem, impios autem proſternens.

Tertiò

Tertiò verba attentionis sequuntur, Veni & vide, significans his verbis oportere attentissimè adesse: hanc considerationem diligenter afferamus in omnes historias totius Ecclesiæ.

Excitatio ad attentationē.

Vers. 2. *Et vidi & ecce.*

Sequitur euentus ad apertionem primi sigilli, alij hoc ad tempora Apostolorum referunt, alij ad incarnationis mysterium, quæ omnia suis relinquimus locis. Nos in genere ad cursum Euangelij omnibus seculis referimus, cui adstipulantur facilè circunstantiæ in textu expressæ. Equus enim tempus adumbrat, cui eleganter respondet propter celeritatem, hinc soli tribuuntur equi à poëtis, qui voluerunt significare motum à sole per certa interualla emetiri.

Apertio sigilli in qua varij euentus considerantur.

Albus autem equus felix est cursus, hinc quæ feliciter & integriter fiunt, candidè fieri dicuntur, candidus color innocentiæ est puritatis, candidus igitur equus purus est cursus doctrinæ Euangelicæ.

Sessor illius est gubernator Christus, is regit hunc cursum, adeò vt constet certis rationibus, quamuis nobis sæpe videatur exorbitare, mundus interpretatur petulantiam, & ἀταξίαν stultorum hominum: pij quoque sæpe conquerũtur, de inæqualitate cursus, attamen certus est sessor ideóq; non potest non ordinatissimus esse equi huius cursus.

Habet autem arcum in manibus, hoc est, paratus est ad defensionem suorum, & vltionem hostium: nam arcus secum trahit sagittas, quibus ferit eminus & cominus, differenter tamen pios sauciat agnitione peccati, & vera pœnitentia, impios autem rebellione, & pertinacia, vt peiores inde discedant, quemadmodum lutum à sole tactum durius redditur, cera contra mollior redditur.

Datur eidem corona, hoc est, victoriæ testimonium, hinc per interpretationem addit, *& exiuit victor, & vt vinceret*, hoc est, eo fine immissus est hîc equus albus in mundum, vt tandem vincat, cuius rei symbolũ erat corona, organa autem ad conficiendam victoriam erant arcus & sagittæ. Hic equus cepit currere Christo docente, currítque adhuc, currétque ad finem vsque mundi, quanquam alio tempore manifestiùs conspiciatur, quàm alias. Tempore Apostolorum validissimè immissus fuit in arenam. Debiliùs visus est currere sub martyribus. in tot persecutionibus, tamen semper cucurrit, & vicit.

Notatio temporis quo currit hic equus.

In Papatu semper habuit cursum in paucis, sed illustribus exemplis, in Vvilzlepho, Hieronymo Pragensi, Ioanne Huss: tandem violentiùs irrupit Luthero docente, currit iam per Galliam admodum violenter, & irruptionem metuant Itali & Hispani.

Vers. 3. *Et cum aperuisset.*

II. Sigillum ad quod accedit, simili præparatione, attentum semper & in omnibus vult habere spectatorem. Secundum animal hîc vices monitoris obit, de Marco quidam interpretantur, alij de Luca, quibus astipulatur interpretatio capit. 4. v. 7. Vox eius eadem est, quæ superioris, *Veni, vide*, quod vt prius refero ad euẽtus consequentes, non ad sigilli apertionem, nam Agnus aperit, mox enormes illi sequuntur euentus, ad quos contemplandos excitatur Ioannes. Quo monemur, vt omnibus ętatibus attendamus diligenter, quod facit ad doctrinæ sanæ promulgationem. Attende igitur diligenter hodie album illum equum & quomodo insequatur rufus, & niger & pallidus.

Secundũ sigillum quod cõtinet expositionē 2. animalis.

Vers. 4. *Et prodiit alius equus.*

Prodit equus rufus, Martyrum tempus esse dicunt, ac continuant hæc ad Constantinum Magnum vsque, alij ad passionis Christi mysterium referunt: vtrique fortè rectè, si non limitatis metis in genere de passione & Martyribus Christi acciperent. Nam hic rufus sequitur album, hoc est, veritatis promulgationem sequitur crux omnibus ætatibus: rufus equus bellum est & facies Martis, huic insidet quoque rector Satan, Christo contrarius, *ideo huic datum est auferre pacem de terra, & vt se mutuò mactent, datúsque est ei gladius magnus.* In qua re consolationem habet, quod sessori data sint illa omnia, hoc est, non habet illa pleno iure, sed à superiori maiestate illa habet. Ex quo efficitur hinc etiam pẽdere harum calamitatum gubernationẽ, regitur igitur hic quoque equus à Deo, & ita frænatur, vt non possit semper nocere, nec omnibus. Aufert autem hic equus pacem è terra, ergo prior equus albus hoc nõ facit, quod facit ad defensionem sanæ doctrinæ, quæ per se non est causa bellorum, nec ciuiles seditiones suadet, nec abolet magistratus. sed omnibus saltem suadet salutaria. Contrà rufus equus, cuius rector est Satan, superiori recalcitrat, autórque est, ne admittatur salutaris Euangelij doctrina. Hinc initia bellorum, Pace sublata sequitur mutua laniena, qualem hodie videt Gallia, & paulò antè Germania, huius organum est gladius magnus. hoc est, validus & ad occidendum promptus. Hic equus sæuit tempore Christi in ipsum Dominum, mox eodem gladio sustulit Apostolos, hinc belli faces in tot martyres conuer-

Equus rufus, eiusque & temporis quo apparuit expositio.

Equus rufus persecutionis Euangelicæ autor.

tit, mox in totas prouincias, regna, tandem ipsum imperium Romanum cladibus illis implicuit, non alia de causa, quàm odio albi equi.

Vers. 5. *Et cùm aperuisset.*

II. Sigilla de quo hic, tum de tertio animali & eius significatione agitur.

Aditus est ad tertij sigilli apertionem, monitor est animal tertium, Lucas, siue Mattheus, siue alio mysterio idoneus monitor piorum. Hunc equum, alij hereticorum tempora interpretantur, alij resurrectionis mysterium: sed hæc quoque de perpetua fortuna Euangelij accipio, quòd cùm bellum non possit extinguere fame saltem vexatur, quæ ex bello nascitur: nec Euangelio accepta est referenda fames, vt nec bellum, sed quia ingratus mundus mauult bella, quàm Euangelium. Ideo non mirum est, si post bella quoque sentiat famem, & historiæ perpetuò docent ex bellis famem tandem consecutam, his malis quoque Ecclesia, tanquam publicis malis inuoluitur, non tam suo vitio quàm ingrati mundi.

Niger equus tristitiæ materia est. Fames orta ex bellis.

Niger equus tristitiæ materia est, hunc mox ad rerum penuriam accommodat, ac verum quidem est, sæpe rerum penuriam euenire non ex belli facibus, sed in pace publica, vt sub Elia inter Iudæos 1. reg. 17.18. Act. 11. Sub Claudio imperatore, & in Ægypto sub Traiano: tamen historiæ nostri temporis satis docent, ex bellis tandem nasci famem, bella Germanica, & mox Gallica, nobis pepererunt hanc præsentem rerum penuriam, qua premitur & Germania & Gallia in tertium iam annum, auctis rerum pretiis in tertiam partem, imò iam tandem etiam in frumento triplicatis: frumentum enim & auena legumina quoque triplo carius iam emuntur. Hoc adumbrat ille sessor equi habens in manu ζυγὸν, hoc est, iugum bilancis significans non tam mensura quàm pondere, & eo quidem exquisito omnia emenda esse. Hodie sanè apud multos farina & panis emuntur ad stateram magno pretio. Vox de medio quatuor animalium, diuina est determinatio, quæ ingratum mundum punit fame, sed certo tamen modo præfixo his malis. *Chœnix* dimensum diurnum est vnius hominis, quod emendum est denario, hoc est, insolito & magno pretio. Hodie in diem homo vnus non aliter facilè pane duorum bazenorum, qui rebus vilibus dimidio ali poterat, adeò secundum hanc visionem pretia rebus creuerunt. Deinde & hoc ad consolationem facit, quòd rectori huius equi præcipitur, ne vinum & oleum lædat. Præcipua duo sunt humanæ sanitatis vinum & oleum, his in summis malis parcitur: sic Deus attemperat plagas, vt semper aliquid conseruationi humani generis supersit. Sed & pij semper in calamitatibus publicis habent oleum & vinum, hoc est, doctrinam de agnitione peccatorum, & consolationem de gratia diuina, quibus remediis persistunt in his ærumnis.

Consolatio in miseriis quod Deus parcat oleo & vino.

Vers. 7. *Et cùm aperuisset.*

De quarto sigillo & 4. animali eorúmque adumbratione.

Ad quartum sigillum transit, eadem præparatione præstat officium monitoris quartum animal, quod de Ioanne interpretantur referúntque hoc sigillum ad ascensionem Christi ad cælos, per quam variis modis apertus sit nobis liber secretorum diuinorum. Alij ad quartum Ecclesiæ statum referunt, quando à Constantino principe pax Ecclesiæ data est. Sed ad historiam huius sigilli parum congruunt acta: nam hic producitur pallidus equus, & sessor eius dicitur mors, quod non congruit cum felicissimo Constantini seculo. Itaque ad superiora refero, post equum album mundo immittitur rufus, ex illo nascitur niger, hunc pallidus subsequitur, quæ natura ipsa & rerum experientia testatur: nam ex Euangelij doctrina mundus ad arma prouocauit hinc nata fames, inde etiam pestis nascitur omnibus seculis. Itaque hoc docet visio præsens, ex fame mundo euenire pestem, vt vel his malis tandem discat Christo & veritati dare locum.

Ex fame oritur pestis.

Equus pallidus seu subuiridis χλωρὸς est idea mortis, est enim χλωρὸς languescentium color, vt in autumno plantarum folia incipiunt ex nitido virore, transire in pallorem quendam. Hinc color χλωρὸς contrahitur inter viridem & luteum mixtus, gelgrum, qui color argumentum est languescentis naturæ. Itaque equus iste quartus, languescentis naturæ humanæ, ob rerum penuriam est argumentum, quæ initia sunt mortis, modesta periphrasi pestem declarans, vt pallida mors ex colore effectum significat.

Equus palidus mortis idea, ac proinde pestis significat.

Sessoris nomen est mors, post hanc sequitur infernus, vel sepulchrum ᾅδης, quia post mortem proxima est sepultura, vel infernus impiorum commune sepulchrum. His generis humani hostibus amplissima est data potestas, vt scilicet quartam terræ partem occidant gladio, fame, morte, & feris terræ, hoc est, ad supremum tandem Deus mundum ingratum visitat, organis pœnarum à superioribus semper repetitis. Nam bellum ab equo secundo rufo habet famem, à tertio nigro, mortem, ab hoc quarto pallido, huc accedit ferarum rabies, qualis ab Elisæo immissa est pueris ipsum deridentibus,

bus, à Iudæis ac Samaritanis sæpiùs. Ecclesia Christi truculentiores feras experitur, tyrannos implacabiles, carnifices sanguinarios, tormenta exquisita, mille mortes, id legenti historias hodie facilè patebit.

Hodie Gallia id suo exemplo nouit, in qua rabies eò vsque accreuit, vt non parcant milites ætati, sexui, prægnantibus, affinibus, sororibus, fratribus, liberis: omnia vastat summa crudelitate aper ille sæuus, nec contentæ crudeles illæ feræ morte, quin post mortem, in cadauera sæuiunt, præcidunt linguas, manus, pedes, excoriant, eximunt intestina, rimantur abditas partes, quas etiam natura celare voluit. Admiralium non satis est occidisse, & præcipitasse de fenestra, sed mutilant corpus capite, manibus, suspendunt miserum cadauer à pedibus more cruento. Ramum post morte aquis submergunt inextractum cadauer putridum virgis sæuiunt, demum in aquas iterum præcipitant. Alios canibus & auibus abiiciunt, alios inhumatos relinquunt, nec dici potest quanta rabies illa sit ferarum terræ. Rectè terræ bestiæ sunt, hoc est, immites & omnis humanitatis expertes, Turcas & aliquid crudelius dixeris. In Admiraliū ad missa crudelitas.

Vers. 9. *Et cùm aperuisset.*

Quintum sigillum indicat crucis durationem, & sub hanc sanctorum impatientiam, quæ mox tamen corrigitur diuina consolatione. Primum expende locum, sub quo animæ sunt, *subaltari*, inquit, *se vidisse animas.* Altare infrà in cap. 8. ante thronum Dei in cælo describitur, itaque in cælo sunt animæ. Ὑπόθεσις quinti sigilli.

Deinde res tota hîc in cælo geritur, cuius ostium apertum est cap. 4. & in cælo liber propositus de quo aperiendo grauissima est mota quæstio. Non igitur dubitemus animas in cælo esse, hoc est, in loco beatorum: commodè autem altare interpretabimur Christum, cui per passionem facti sunt similes, & iam post mortem, sub eiusdem alis, ac patrocinio delitescunt.

Quales autem sunt *animæ? occisorum*, inquit, hoc est, piorum martyrum, nam visiones sigillorum sibi mutuò inseruiunt. Dixerat de immisso equo albo in mundum, hoc est de Euangelij doctrina, hanc subsecutus est equus rufus, hoc est, bellum ex bello nata est fames, ex hac pestis. Piorum & Martyrumocci sorum animæ de quibus hic agitur.

His igitur malis publicis absumpti sunt multi pij, facti martyres, ideò rectè occisorum animas hîc solùm vidit, interim non excludens piorum animas in pace & lecto defunctorum ex cælitum numero, sed ad occisos propriè pertinebat illa querela præsens.

Tertiò causam mortis exprimit propter verbum Dei, hoc est, Euangelium, cuius doctrina propriè cælestis est, per Filium Dei nobis patefacta, ideò propriè dicitur λόγος θεοῦ testimonium autem, quod habebant, accipio de aperta confessione. quam requisiti dederunt, ob quam etiam facti sunt Martyres. ideo confessione sunt testes, morte insuper etiam Martyres. vide Matth. 10. Luc. 12. Martyrij piorum causa affertur verbum Dei.

Vers. 10. *Clamabant autem.*

Quærelæ exprimuntur sanctorum, ac cogitandum nobis hoc loco est, rem in cælo geri per visionem, quæ vsu & experientia in terris locum habent, ideo ex hac querela sanctorum discimus impatientiam sub cruce fidelium in hac. Nam beati cælites hanc imperfectionem non admittunt. nec clamant aliter, quàm quòd sanguis illorum nondum vindicatus est, vocibus tamen hoc non flagitant à Deo. In hac autem terra crebrò hæ voces audiuntur etiam à piis, cur Deus patitur nos ita affligi? cur non tuetur suos? cur dormit ad tot mala? Sanctorū querelæ.

Deinde suaue est, quòd ad Deum clamant, non quærunt aliunde præsidia vtili exemplo, quo doceamur ad Deum referre omnia nostra aduersa, & eius censuræ submittere, Argumentosa autem est illorum oratio, quando tandem Domine. quasi dicat sine fine durabit illa crux? sempérne sic comparatum erit? iniustus perpetuò floret, boni semper ne opprimentur? summa, tempus durationis nimis longum illis videtur. Pij ad Deū clamant, quippe, qui solus nostras preces exaudire possit: sunt autē argumēta ab adiunctis Dei.

Deinde Dominus es, hoc est, plenam in illa habes potestatem, cur ergo non impedis, cur non modum illis statuis? Præterea sanctus es, impios igitur cur fers, cur toleras hanc ἀταξίαν? *Verax quoque es*, hoc est, promisisti te fore nobiscum vsque ad finem mundi, & verax es in promissionibus, quin igitur tandem procedis ad vltionem? Sanguinem ipsorum, hoc est, mortem indignam patefacias, vt mundo tandem constet nos non errasse, non hæreticos & seductores fuisse, Pretiosa est mors sanctorum in conspectu Domini, ideo sine dubio vindicabitur tandem de habitatoribus terræ. Misericordia sua Deus pios consolatur, quod fit 1. Reipsa datis sci. stolis candidis.

Vers. 11. *Et datæ sunt singulis.*

Sequitur consolatio diuina, qua corrigitur impatientiæ vitium: primùm autem re ipsa accipiunt consolationem, dum dantur singulis stolæ candidæ, quas de gloria para-

disi interpretantur, nec malè: summa enim illa est dolorum compensatio, quam beatæ animæ iam habent exutæ corporibus, tandem eandem accepturæ in suis corporibus restitutis ad vitam. Non tamen est absurdus sensus, si stolas accipiamus vt supra cap. 3. ver. 18. de Christi merito tegente nostram nuditatem: nam sanctorum impatientia hîc narratur quæ vitio non caret, igitur hanc cum aliis peccatis tegit stola hac, hoc est, non peccant, vt reprobi ad mortem per impatientiam, sed ipsos mox tandem reuocant.

2. Verbis quibus eos Deus ad patientiam adhortatur

Deinde verbis quoque accipiunt consolationem, dum eis dicitur *requiescere modicum*. Dicitur illis à voce diuina, dum conscientia eos admonet, ecce peccas, non oportet impatientem esse in cruce, Perfer & obdura: labor hic tibi proderit olim, hæ cogitationes meræ sunt admonitiones Dei. Quiescendum igitur, hoc est, patienter perdurandum, & Deo permittendi vindicta, tempora quoque & momenta illius arbitrio relinquenda, nouit is quando oportunum sit impios delere. Modicum autem addit extenuans totam crucis durationem, 2. Pet. 3.

Confirmatio in patientia quæ fit argumento à finibus petito. Ratiocur iudiciū vltimum differatur.

A finibus addit argumentum, *donec compleantur conserui & fratres illorum*, ergo nondum plenus est ille numerus, meritò igitur quiescendum est, præterea sunt conserui, igitur expectandi sub onere communi, & sunt fratres, in illorum igitur gratiam quid non facias? Denique sunt etiam occidendi, hoc est, Martyrio coronandi: itaque multò iustiores sunt causæ differendi finem mundi, quàm accelerandi. Obserua propter electos nondum natos & consummatos differri iudicium Dei contra ingratum mundum cuius tandem dies quoque abbreuiabuntur propter eosdem, ne seducantur.

Vers. 12. *Et vidi cùm aperiret.*

Ὑπόθεσις. sexti sigilli, quod variè & à variis explicatur. Partes quarum 1. Terræmotus. Sol denigratus.

Sextum sigillum, quod de vocatione Gentium alij, alij de nouissimo iudicio explicant, quidam de vltima Antichristi persecutione, quæ omnia suo loco relinquemus, ac visionem hanc de pœnis impiorum accipimus, quas in hac vita quoque incipiunt sentire. Estque initium quoddam lætæ catastrophes. nam impij incipiunt trepidare ad Dei iudicium, & boni accipiunt consolationem, mox deinceps cap. sequenti & obsignādi, ne pereant. Partes igitur ordine breui & perspicua explicatione illustrabimus.

Terræmotus magnus factus est. hoc est. Rerump. insignes mutationes: nam terræmotus, seditiones & imperiorum mutationes significat, quales secutæ sunt ex dissidiis principum propter religionem. Hi terræmotus cœperunt in Papatu, cuius opera omnia imperia sunt immutata & translata: hinc quoque secuta est cæcitas publica in religione & bonis literis introducta doctrina scholastica. Inde hîc dicitur quòd sol sit denigratus, vt saccus cilicinus: sol iustitiæ Christus est, Christi igitur doctrina illis terræmotibus nigra reddita, id est obscurata in hominum mentibus. Nam per se non nigrescit, vt sol per se non patitur deliquium, sed nostro respectu, nobis enim sic videtur, sic Christi doctrina in hominum mentibus hoc patitur. Hoc euentus docet scholastica doctrina in illis terræmotibus Christum denigrauit, vt sit quasi saccus cilicinus, nam in monachatum transiuit tota religio, & sic dementatus est mundus, vt principes quoque tandem facti sint monachi, nec putarent se paradisum ingredi posse, nisi in hoc sacco sepelirentur: Alij pallium diuæ virginis arripuerunt, alij sub Christi pallio, alij in aliis cucullis salutem quæsiuerunt.

Luna Ecclesiam denotat. Stellæ repræsentant doctores veritatis.

Luna indubiè est Ecclesia, quæ illuminationem habet à Christo: vt illa à sole. Hæc facta est vt sanguis, hoc est, contaminata & sanguine aspersa, nam in illo Antichristi regno, eò deuentum est, vt qui purè & nudè inuocet Christum, is vt hæreticus occideretur, Atque hoc omnibus ætatibus est factum, in primis verò tandem confirmato Antichristi regno sub Papatu.

Stellæ doctores sunt veritatis, vt constat ex Dan. 12. cadunt illi in terram, hoc est, trucidantur ab impiis, & videntur hominibus cadere, dum ignominiosa morte tolluntur. sic Huss, vt Hæreticus combustus est, Lutherus, vt hæreticus damnatus.

Hæc capitis imminuto casus est, ac cadunt de cælo, nam Antichristus præcludit illis cælum, delet eos de numero sanctorum, delet ex libro viuentium, anathemate ad Tartara conatur præcipitare. Hunc casum commoda similitudine illustrat ver. 13. *vt ficus abiicit grossos suos, concussa vento magno*, significat violentam esse abiectionem. Ventus est potentia Antichristi, cuius opera etiam terræmotus est factus, hoc est, imperiorum mutationes. Hic ergo validius ventus excutit finibus ὀλύνθας. Dicuntur ὄλυνθοι, ficus immaturæ, vt est videre apud Diosc. lib. 1. cap. 146. dicuntur etiam erinæi, Latini grossos dixere. Validus ille ventus prosternit etiam stellas, hoc est, doctores illustres, & grossos, hoc est, vt immatura & indigna morte deleantur, sintque coram mundo tanquam κατικαθάρματα, & abortus, sintque monstra mundi.

Cælum indubiè est, id quod solem, lunam, & stellas continet: diximus autē iam Christum solem esse, lunam Ecclesiam, stellas doctores. quid ergo erit cælum? Hic alij aliud afferunt, mihi indubiè est cælum hoc, Biblia, hoc est, Scriptura canonica: nam in hac latet Christus, Ecclesia & veri doctores. Ideo ait, cælum recessisse, quemadmodum, recedit liber cōuolutus, significans cælum esse librum, hoc est, significare corpus biblicum. Hoc cælum recessit in regno Antichristi, tanquam liber conuolutus: non enim legebatur codex ille sacer, imò adeò ignotus fuit, & complicatus apud multos, vel episcopi & doctores, qualis liber esset Biblia, ignorarent.

Montes & insulæ loco motæ sunt, scilicet, venti illius magni violentia: montes Prophetæ sunt, quos euertit Antichristi spiritus, mala interpretatione euerterunt doctores scholastici, sensum Prophetarū, quod est loco mouere. Insulæ studia Philosophica sunt, quæ & ipsa contra mentem suam aliò transtulerunt: nam ex Propheticis scriptis & Philosophia cōsarcinatum est tertium genus doctrinæ, quod regnauit, & adhuc regnat in Antichristi imperio. Doctrina scholastica, cuius doctores, nec Scripturam sacram intelligunt, nec Philosophi verè dici possunt, insulares sunt, nihil cum Christo & Prophetis, nec cum vera Philosophia commune habentes.

Vers. 15. *Et reges terræ.*

Deinceps describit effectus hominum obortos ex tanta rerum immutatione. Effectum est inde, vt omne genus hominum, hoc est, omnium ordinum, ætatis, sexus, & conditionis homines absconderint se in speluncas, & petras montium, significans omnes Monarchas, & priuatos homines imperio Papæ subiectos: nam autoritate eius ducti tandem cesserunt, adeò vt soleas, crepidas, pedes, manus, chirothecas oscularentur. Descriptio effectuum qui ob tātam mutationem euenerunt.

Speluncæ sunt loca solitaria, significans omne genus hominum, tandem prætulisse vitæ genus monasticum, adeo vt principes etiam fierent Anachoritæ, repudiatis imperiis. Sic Carolus Quintus tandem senex factus est monachus in monasterio vita solitaria defunctus. Petræ montium sunt præsidia sanctorum, apud quæ in illo regno salus quæritur: nam diffisi de propriis viribus, bonísque operibus tandem confugiunt ad opera meritoria sanctorum, in his asylis sese abscondunt. Hinc voces illæ toties audiuntur S. Petre ora pro nobis, S. Maria ora pro nobis, &c. in his Petris tanta est confidentia, vt in cucullis illorum sepeliri salutare creditum sit.

Vers. 16. *Et dicunt.*

Sequuntur voces anxiæ conscientiæ, & trepidantis ad iudicia diuina. Homines trepidi non ad Christum confugiunt in regno Antichristi, sed ad Petras suas, & ad montes, hoc est, sanctos, illis dicunt cadite super nos, hoc est, orate pro nobis, tegite nos, delete peccata nostra intercedite pro nobis apud Deum. Ratio addita est, *quia faciem sedentis in throno, & Agni ferre non poßunt*, hoc est, iratum & immitem sibi fingunt Deum, & Christum mediatorem, quæ doctrina manifestè regnat in Papatu. Anxiarū conscientiarum voces.

Phrases desumptæ sunt ex Esa. 2. ver. 19. Os. 10. & reperiuntur in Luca cap. 23. vers. 30. Ex cuius loci occasione ferè omnes præsentem quoque totum locum de nouissimo iudicio interpretantur. Ac fateor cap. 23. Luc. & Matth. 24. magnam afferre lucem huic sigillo sexto: tamen quia infra seorsim de nouissimo iudicio agetur, & reliqua sigilla generalem habent totius Ecclesiæ cursum, ideo hæc quoque considero tanquam generalia, Nominatim autem ad regnum Antichristi refero, quia simplicissima & veritati proxima apparet sententia: alij alias sequantur rationes, quod per me liberum est, modò seruetur analogia fidei. Dies magnus impiis etiam venit, in hac vita, nominatim in agone mortis, quando illas voces conscientia exprimit de intercessione sanctorum, de seueritate iudiciorum Dei contra peccatum.

CAPVT VII.



IN sexti sigilli historia pergit, ac describit nouum euētum: nam post terræmotum illum & mirabilem rerum concussionem, quæ ex illo valido vento nata est, etiam hoc vidit euenire, scilicet quatuor Angelos in totidem mundi cardinibus positos, coronari vento imperare, ne flaret super terram, mare & arbores. Ὑπόθεσις 7. cap. cuius partes 4. facit quibus 6. sigilli historiā persequitur Ioannes.

Hos conatus impedit alius Angelus, qui priùs curat obsignandos Dei seruos magno numero ex Iudæis & Gentibus.

Hinc sequitur publica congratulatio omnium sanctorum, item Angelorum, laudantium Deum & Agnum.

Demum ſenis additur colloquium cum Ioanne, de præſenti ſanctorum cœtu, qui nam ſint exponitur Ioanni à ſene cæleſti.

Πρόϑεσις, In mediis ærumnarum incrementis Deus ſemper ſuos cõſeruat, adeóque firmiter aſſignat, vt de ſalute propria non poſſint periclitari.

Partes. Partes capitis quatuor ſunt, quemadmodum expoſitum eſt in argumento, has igitur ordine perſequamur.

Verſ. 1. *Poſtea vidi.*

De Angelis quatuor malis, qui piorum crucem aggrauant. Locus primus de Angelis malis cupientibus impedire curſum Euangelij per totum mundum. Angelos hic malos accipio Spiritus, qui crucem piorum magis aggrauant quotidie, quemad. Satan ſeſe oppoſuit Ioſuæ magno ſacerdoti in reſtitutione templi apud Zachar. cap. 3 Quatuor autem ſunt, hoc eſt, potẽtes & perfecto numero: nam quatuor angulos mundi, hoc eſt, cardines totius mundi occupãt, ab his cardinibus volunt impedire ventos, ne flarent. Ventos accipio doctrinam Euangelij in toto mundo ſparſam, in hanc ius ſibi vſurpant, mandántque ne ſpiret amplius. Qui ſunt igitur Angeli quatuor, alij aliud ſequuntur, mea ſententia eſt, organa in his cardinibus intelligi potentiſſima. Ab Orientali cardine olim fuerunt Sarraceni, Arriani, hodie Turcæ: à Meridionali cardine Afri, Donatiſtæ, hodie Papatus nobis vicinior: ab Occaſu Hiſpaniæ & Galliæ reges: à Septentrione Imp. & Septentrionales populi infeſtiſſimi Domini nomini. Habes igitur quatuor Angelos potentiſſimos. in quatuor terræ angulis, Turcam, Imper. Papam, Regem, Item in his cardinibus, hinc inde ſunt Angeli mali, Monaſteria, Academiæ, Dicaſteria Principum, populares cœtus, per quos, tanquam idonea organa Satan impedit ventos Euangelij. Ventus igitur doctrina Euangelij dicitur: ſic Act. 2. flatu irruit in Apoſtolos Spiritus ſanctus, qui doctrinam hanc protulit, & diuulgauit in omnem terram. In hunc ventum ius ſibi ſumit Imperator, Papa, Rex, curia, conantúrque flatum eius cohibere, Facit hoc Turca bellis & vaſtationibus, Imperator edictis publicis, Rex igni & ferro, Papa excommunicationibus: paſſim omnes igni & ferro tollunt eos, qui profitentur, libros ipſos & ſacros codices comburunt, conqueruntúrque corruptos eſſe à falſariis & hæreticis. Hoc vento ſublato mors ipſa ſupereſſet, ideo addit conatos prohibere, *ne flarent ſuper terram, mare, & arbores.*

Terram accipe pro his, qui in terra habitant, populos terram colentes. Mare nautas & mercatores, qui per diuerſa maria volitant mercaturæ gratia, & peregrinationum cauſa. Arbores nobiles & diuites, potentes, qui vt arbor in terra florent. Summa eſt, volunt illi reprobi Angeli apud omnes omnium ordinum homines, cognitionem veritatis delere, atque in eo conſpirant, quanquam cardinibus mundi diſſiti ſint. Hodie luce clarius hoc manifeſtum eſt. Turca, Papa, Rex Imperator nihil aliud moliuntur, & ſub his monaſteria, ſcholæ, dicaſteria, cœtus populares hoc ipſum quærunt & moliuntur.

Verſ. 2. *Et vidi alium Angelum.*

Curæ Deo ſunt pij quandoquidẽ vult eos obſignari. II. Locus de conſignatione piorum in tanta crucis continuatione & actione: diſce pios Deo ſemper eſſe curæ, etiam in mediis malis, ideóque ſignantur Dei conſilio. Deinde conſolationem illud quoque habet, quòd vnus bonus Angelus reprimit quatuor reprobos: ita ſemper vnum verbum ex ore Domini procedens infinita conſilia hoſtium frangit, & euertit. Vnde videmus ſæpe atrociſſima pericula, & maximas tempeſtates leno flatu diuinitus diſſipari. Porrò, quis ſit ille Angelorum, bonus piorum patronus dubium eſt: multi de Conſtantino Imperatore interpretantur, ſub cuius Imperio pax Eccleſiæ data eſt, ac feliciter per totum orbem ſparſa Chriſti cognitio. Verùm mihi placet magis illorum ſententia, qui de Chriſto ipſo interpretantur: is enim rectiſſimè opponitur tot malis ſpiritibus, & illorũ conatibus per omnes mundi cardines. Et Eſaias capit. 9. illum vocat magni conſilij Angelum, ſic Malach. 3. Teſtamenti Angelus dicitur. Et congruit nomen Angeli propter officium, quo miſſus eſt ad nos homines Dei Patris internuntius, per hunc quoque ſemper cum Patribus locutus eſt, condidit mundum, redemit pios, & adhuc per eundem conſeruat, & congregat ſibi Eccleſiam in toto orbe terrarum. Hic Angelus aſcendit ab ortu ſolis, hoc eſt fauſto & felici ſucceſſu rem gerit cõtra illos malos Angelos. Habet autem ſignaculum Dei viui, h. e. teſtimonium Deitatis, ſic Rom. 1. dicitur declaratus Filius Dei per potentiam, hoc ſignaculum Chriſti eſt proprium. In nobis ſignacula ſunt, S. Sancti dona, vera inuocatio, adoratio & ſimilia, de quibus 2. Cor. 1. v. 22. & ad Epheſ. 1. v. 13. quæ de Chriſto non ſatis commodè hîc dici poſſunt. Clamat voce magna, hoc eſt, Potenter eos impedit in ſuo propoſito, confundit eos & ad certum tempus interrumpit actiones illorum

tum. Hodie certè in mediis tempestatibus & furoribus publicis patienter increpat Angelus hic Papam, Regem, Imper. Turcam, vt non ex animi sententia eis succedant consilia sua, discant ipsi hostes tandem osculari Filium, ne quando iratus perdat eos de via. Psal. 2.

Vers. 3. *Dicens ne noceatis.*

Increpatio est Christi tutoris suæ Ecclesiæ, qua frænat rabiem hostium Ecclesiæ suæ, mare, terra & arbores Deo curæ sunt, hoc est, homines gregarij mercatores, nobiles, quorum opera vtitur in propaganda sua doctrina. Addita ratio est, *donec signemus seruos Dei nostri in frontibus suis*, Infra cap. 9. locustæ non possunt alios lædere, nisi qui hic signati non sunt: itaque pij de salute in cruce, certi sunt vt inter hereticos non possint periclitari. Videtur autem respexisse ad locum Ezech. cap. 9. Vbi gementes per Ierusalem signantur in frontibus suis litera Tau, ne cum reprobis mox pereant: sic Christus suos curat signari, hoc est, obsignari in cordibus suis, ne per hæreses & tot afflictiones de salute sua excidant. Tribuitur signum frontibus, quia frons hominis primò occurrit, tanquam pars omnium manifestissima.

Signat suos De⁹ ne ab impiis lædatur.

Vers. 4. *Et audiui numerum.*

Sequitur obsignatorum catalogus, prior quidem ex Israële, hoc est, ex his populis, qui palàm nomen Christi profitentur, deinde ex his quoque, qui Christi nomen publicè non profitentur. Ac numerus 144. millia infinito numero respondet, aut certè perfecto & absoluto: q. d. pleno numero constare cœtum fidelium ex his locis, qui Christum publicè profitentur, qualis est adhuc tota ferè Europa, Germania imprimis Gallia, Italia, Hispania, & populi Septentrionales. Sic 3. reg. 17. Heliæ respondetur superesse adhuc septem millia. quæ genua sua coràm Baal non flexerint, finito pro infinito, aut perfecto & absoluto posito.

Numerus signatorum.

Vers. 5. *Ex tribus Iuda.*

Catalogus est ex Israële, Iuda primo loco ponitur, propter dignitatem, ex qua Christus secundùm carnem est natus. Ruben primum locum & primogenituræ dignitatem amisit, fœdato lecto Patris sui Iacob Gen. 49. Dan omissus est, quòd cur factum sit, probabilia afferuntur multa, videtur tamen loco illo positus Manasses. Veteres quidam putarunt ex tribu Dan oriturum Antichristum, sonat Dan iudicem: nomen sanè Antichristo competens est, solus enim sumit sibi iudicium in omnes, ipse à nemine iudicandus.

Obsignati ex Iudæis.

Vers. 9. *Post hæc vidi.*

Secundo loco recitat pios obsignatos ex aliis nationibus: nam superior numerus 144. millium, quamuis magnus sit, tamen non satisfecit amplitudini regni cælorum. Itaque ostendit Dei consilio ad has nuptias inuitatos & consignatos esse adhuc infinitos ex omnibus terræ nationibus. Vt igitur per Israëlem intelligo eos, qui Christi nomen palàm profitentur, sic per hos accipio linguas, populos nationes, tribus, quę Christi nomen palàm non profitentur, quales sunt Asiæ populi, Aphricæ, Græciæ, Septentrionalium gentium, Indiæ, Antipodum & si qui alij sunt efferati populi, ex his omnibus Christus certos alios sibi conseruat. Sic in Papatu passim multi boni sunt ad regnum Dei pertinentes: inter Sarracenos & Turcas multi adhuc latitant, quos Christus conseruat, id quomodo faciat sine externa prædicatione, ipse nouerit, qui condidit omnia. Habet Deus infinitos, modos ad se conuertendi peccatorum animos, Habent isti omnes stolas nuptiales, & palmas victoriæ signum.

Obsignati ex gentibus.

Mat. 8. v. 11. idem à Christo dicitur. & Gen. 15. ait Deus Vt stellę cæli & arenæ maris sic erit nomẽ tuum.

Vers. 10. *Et clamabant voce magna.*

III. Locus, in quo publica congratulatio omnium cælitum describitur. Initio dicit voce magna eos clamasse, hoc est, sonora, & intelligibili sensu, significans preces & confessiones apud Deum oportere esse claras & sine fuco. Itaque quoque apud homines doctrina de Deo, totáque pietatem proponi debet voce magna, quæ habeat perspicuitatem in docendo, & careat ambiguitate in sensu. Atque illa doctrina vrgentissima est & fructuosissima, quemadmodum preces validæ apud Deum sunt, quæ fluunt ex eodem affectu orantium.

Congratulatio cælitum quæ fit sonora voce.

Deinde sequitur confessio, *salus Deo nostro sedenti in throno: & Agno*, quæ verba non comprecantium sunt: quid enim boni Deo comprecentur, quo prius non haberet per se abundè? sed confitentium sunt, ac deferentium Deo plenariè omnia, quasi dicant Deus salutis nostræ causa est: respiciunt enim ad consignationem suam, quæ præcessit immediatè, quàm cùm viderent beneficio & intercessione Angeli Christi sibi contigisse mox conclamant in hanc confessionem, Porrò duos coniungunt ad salutis efficientem causam, Deum in throno, & Agnum: habes manifestè Patrem salutis fon-

Confessio fidelium.

tem,& Agnum,hoc est Christum Mediatorem, ideo infra mox dicet, hos lauisse stolas suas in sanguine Agni,&c. Sic Christus loquitur Ioan. 3. Ita Deus dilexit mundum, vt daret filium suum vnigenitum, vt quisquis crederet in illum non periret, sed haberet vitam æternam,in qua expressit Patris dilectionem, vt fontē salutis Christi autem meritum,vt medium: fidem in nobis tanquam manum apprehendentem Christi merita: & vitam æternam,vt finem vltimum. Priora duo hic exprimunt etiam beati cælites, salus Deo nostro & Agno, hoc est, veram salutis causam Deum esse fatentur, qui nos consignauit,Agnum in cuius sanguine lauimus stolas nostras.

Vers. 11. *Et omnes Angeli.*

Acclamatio Angelorum cōfessionem piorum approbantium vbi de vnius Dei adoratione.

Sequitur Angelorum acclamatio approbantium confessionem piorum, ac initio mores Angelorum delineat, mox verba quoque expressurus. Ad mores pertinent, quòd *omnes stant circa thronum*, significans ministros esse Dei, paratissimósque ad obsequia eius.

Deinde procidunt in facies suas, agnoscentes Dei maiestatem protectricem, & gubernatricem,non solùm inferiorum,sed cælitum quoque, & suæ purissimæ naturæ Angelicæ Deum conditorem.Demum adorant Deum, adorationis cultus soli Deo defertur cùm standi officium circa senes & animalia,quoque præstent,stent enim circa senes & animalia,& thronum Dei procumbunt autem ad solum thronum & adorant tantùm vnum Deum,quod nobis quoque faciendum est, officia omnibus debemus hominibus adorandi autem cultum soli Deo.

Ad verba autem Angelorum sequentia pertinent,in quibus reponuntur septem Dei ornamenta,de quibus vid.supra cap. 5. v. 12. Obserua autem ante illam virtutem Dei commemorationem poni Amen, quod pertinet ad confirmationem confessionis piorum: hoc enim vult dicere Angelos audita sanctorum oratione, mirificè approbasse illorum sententiam,q.d.verissimè & sanctissimè conseruationis vestræ autorem Deum agnoscitis,non vestram vllam dignitatem sed Agnum mediatorem, qui suo nos redemit sanguine.Hoc illud est Amen cōfirmatis & approbantis superiorem confessionem.

Discamus igitur ad eundem modum, apud dominum confiteri de salutis nostræ ordine & processu:ita demum in cælis à beatis Angelis nostræ præces approbabuntur & commendabuntur.

Vers. 13. *Et respondit vnus de.*

Quid sit quod Ioannes de his visionibus plenius à sene quodam edocetur.

Quarta pars capitis de sene quodam cęlesti,qui Ioannem de his pleniùs instruit Suauissimum autem est colloquium & præsenti causæ felicissimè inseruit: initio enim senex ille typum habet boni doctoris,qui sollicitus est pro auditorum ruditate corrigenda, hanc vt possit meliùs emollire, ipsemet offert occasiones discendi. Sponte igitur quærit à Ioanne,quinam illi sint, non ignarus rerum.sed vt Ioannem edoceat pleniùs. Sic Christus aliquoties quærit à discipulis, non vt rei ignarus, sed vt docendi sit occasio.Cælestis igitur ille doctor, imago sit boni ministri, qui vt bonus pædagogus infirmitati & captiui suorum auditorum se debet attemperare.

Vers. 14. *Et dixi ei.*

Ignorantia nostra Ioannis exemplo confitenda.

Ioannis est responsum, in quo primùm obserua ignorantiæ eius nudam ac simplicem confessionem:dum enim senem scire dicit, se ignorare fatetur vtili exemplo discamus fateri ignorantiam nostram in rebus diuinis. Rectè dixit ille, non pudor est nihil scire, sed est, nihil discere velle. Deinde humiliatio quoque est in eodem laudabilis. Dominum agnoscit senem & peritiorem se:est enim tacita quædam personarum collatio,in qua se multis modis inferiorem agnoscit.

Piorum numerus augetur quotidie.

Itaque senex quò ceperat,pergit etiam enarrare.*Hi sunt inquit qui veniunt ex tribulatione illa magna*:in qua sententia magis probo ἐρχόμενοι per pręsens reddere:veniunt enim omnibus ætatibus,nec desinunt,quādiu durat hic mundus,ideoq; magnam illam tribulationem accipio pro omnium ætatum afflictionibus, qualis à temporibus Apostolorum semper fuit,erítq;, ac hodie luce clarior est per Galliam & Belgiam. Veniunt inde multa millia Martyrum, ex afflictione illa magna. Porrò tribuit eis, quòd *lauerint & dealbarint stolas suas in sanguine Agni.*hoc est meritò Agni sint redempti & conseruati ex tot malis.Alioquin stola candida non bene lauatur & dealbatur sanguine, quin potiùs pollueretur: sed dealbari & lauari κατὰ μεταφορὰν à corporalibus stolis transfert ad animæ & conscientiarum puritatem,quo sensu dicitur verbum emundandi ad Hebr. 9. v.14.de conscientiis, quantò magis Christi sanguis emundabit conscientiam vestram.

Vers. 15. *Ideo sunt coram.*

Piorum quodnā sit in cęlis officium.

Redemptos dixit sanguine Agni, quasi dicat ex omnibus nationibus omnium ætatum colligi per Christi gratiam, cælestem Ecclesiam. Iam per consequens illorum

officia

officia in cælis persequitur, primùm sunt ante thronum Dei, hoc est, Angelis beatis similes facti semper spectatores sunt maiestatis diuinæ.

Deinde non otiosi sunt, sed eidem *seruiunt die ac nocte*, quod illis commune est cum Angelis, ac sumpsit rationem ministerij ab externis templi Iudaici ministeriis, in quo per ordinem indesinens erat Dei cultus die & nocte durans, vt videre quoque est ex Luc. cap. 1. de Zacharia: alioquin in cælo nulla est nox, sed diuisione hac noctis & diei perfectum tempus expressit.

Tertiò *sedens in throno obumbrabit eos*, hoc est, in eius tutela & patrocinio erunt, adeóque nihil illis ad perfectam & plenam αὐτάρκειαν deerit, Esa. 4. Dominus erit vmbraculum vestrum contra æstum.

Piorum summa securitas & felicitas quæ omnibus infirmitatibus carebunt in cælis.

Quartò, *non sitient nec esurient amplius* plenissimam exprimit felicitatem: sic Christus suis disposuit regnum, vt edant & bibant super mensam Christi in regno suo quemadmodum iam ipsi à Patre dispositū est Luc 22. Sic in Ezec. 34. v. 14. felicissimus sanctorum status describitur, In pascuis vberrimis pascam eos, requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur in montibus Israël. Verba videtur desumpsisse ex cap. 49. v. 10. Esa. vbi Propheta inquit, Non esurient, nec sitient amplius, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

Quintò *non cadet in eos sol & æstus*, ex Esaia iam citato loco desumpta sunt: pertinet autem hoc quoque ad plenam felicitatem, non lædi à sole & æstu: Hinc in deserto huic prospexerat Dominus, vt suo populo nubem adornaret, sub qua per diem ambularent tuti ab æstu solis.

Sextò *Agnus pascet eos*, Christus ille Agnus est, & simul bonus pastor Ioan. 10. Psalm. 23. Dominus pastor meus, ideo nihil mihi deerit, reliqua ex Esaia, iam citato loco sumpta sunt.

Septimò, *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, hoc est, pleno gaudio perfundet, & plena remotione auferet omnem tristandi materiam. Vide Esa. 25. vers. Auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie & opprobrium populi sui de tota terra, quia Dominus locutus est. Infrà cap. 21. v. 4. eadem habentur.

CAPVT VIII.

Ὑπόθεσις. & breuis summa capitis octaui.



Septimum sigillum hoc capite soluitur, ac fit transitus ad tertiam visionem de septem Angelis & tubis. Ostendit autem silentium quoddam insolitum hîc contigisse, tanquam noui actus rerum mirabilium certissimum omen. In eo silentio Christus suos præparat ad noua certamina, precibus & intercessione sua: huic occasio datur per ignem cælitus in terram sparsum, ex quo incendium nouum oboritur, dum boni ad pœnitentiam excitantur, reprobi, vt hãc doctrinam iterum extinguant. Hinc ordine canunt septem Angeli tubis, de quibus suo ordine & loco dicemus.

Πρότασις.

Propositio est, Præter externa tyrannorum certamina, & quæ inde emergunt, pestis & fames mala, Ecclesia quoque semper in doctrina sana corruptelas, quibus maximi quique franguntur, experietur, ideóque omni tempore ad tubas illas cælestes quàm vigilantissimè attendere debet.

Partes quinque sunt, prima παρασκευὴν habet ad sequentem visionem, reliquæ quatuor totidem Angelis distinguuntur.

Vers. 1. *Et cum aperuisset.*

Interpretatio à silentiis facti.

Dum soluitur sigillum septimum silentium fit totius creaturæ, ac quærunt hoc loco quodnam sit hoc silentium, Quidam referunt hoc ad pios, qui dum videant Dei iudicia & vindictam contra impios adornari, stupentes admirati sint iudiciorū diuinorum seueritatem. Alij de piis quidem interpretantur, sed hoc sensu, quòd quiete quadam præparentur ad noua certamina, nam in superioribus externa fuerint bella Ecclesiæ proposita, sequentia verò certamine continebunt piorum contra religionis corruptelas, quæ omnium sunt atrocissima. Alij de externa pace, quæ Ecclesiæ est data Constantino, quod tempus quasi dimidiæ horæ fuerit, hoc est, mox in ipsa pace Ecclesiæ exortæ sint hæreses. Lyranus inter alia etiam exposuit de Iuliani persecutione, quę quia breui durauit, quasi dimidia hora via sit durasse: nam mox bello contra Persas suscepto periit, quo sensu silentium erit natum ex insigni calamitate & cruce.

Authoris sententia de silentio.

Alij aliter interpretantur, quorum sententias studiosè collegit D. Maior, quem vide. Mea sententia est, silentium hîc referri ad præsentem actionem: nam res, quæ

hic geruntur, vſque ad initium primæ tubæ clangentis, hæ ipſæ res viſæ ſunt, quaſi dimidia hora duraſſe Ioanni: eſt enim hæc narratio ſeptimi ſigilli quædam ἀσεγκτικον ad totam illam viſionem de tubis, quæ ordine tertia eſt. Quod igitur mox narrat tubas datas fuiſſe illis Angelis, & alium quendam adornaſſe ſuffitum in altari, & demum thuribulum impleſſe de igni altaris, ac proieciſſe in terram, hoc, in quam, totum durauit, quaſi dimida hora. Nec obſtat quòd in cælo viſum eſt hoc ſilentium, nam res ipſa in cælo videtur geri, quemad. in effectu ſuo in terris, & in Eccleſia deprehenditur, ideo ſilentium fuit, quaſi ad nouum actum tranſeunte hiſtoria. Silentio illo teſtatur rerum natura, attentionem & animarum præſentiam, quæ admodum eſt neceſſaria in his viſionibus, attentè ergo & nos adſtemus audituri quid hic geratur.

Verſ. 2. *Et vidi ſeptem Angelos.*

Quid tẽpore ſilentij actum ſit.

Pergit iam explicare, quid in illo ſilentio actum ſit, vidit ſeptem Angelis dari tubas, hoc eſt, eos præparari nunc ad quandam actionem. itaq; actus ſequentes horum clangorem nobis deſcribẽt. Intelligo autem per hos, eos qui ſupra. cap. 4. v. 5. coram throno Dei ſeptem Spiritus dicti ſunt, adumbrati per ſer ſeptem lampades.

Verſ. 3. *Et alius Angelus venit.*

Quomodo per octauum Angelũ Chriſtus intelligendus. qui plenè pro nobis litatus eſt.

Secundum eſt, quod vidit in illo ſilentio fieri. Angelus quidam Alius, hoc eſt, octauus acceſſit ad altare, & obtulit ſuffitum cum ſanctorum precibus. Hunc Angelum Chriſtum interpretor, vt omnes ferè faciunt, qui diuerſo reſpectu eſt & Angelus, & ara, & oblatio: is, inquam, venit aſſumpta carne humana, & ſtetit ante altare, futurus hoſtia perfecta pro expiatione peccatorum noſtrorum. Habet aureum thuribulum hoc eſt, perfectam ſatisfactionem reperit, & æternam apud Deum Patrem. Data ſunt ei thymiamata multa, hoc eſt, multa gratia & ſuauitas, apud Deum Patrem plena εὐδοκία in quo Pater ad plenum acquieuit. Hæc εὐδοκία, offertur à Filio Patri in precibus ſanctorum, & hoc modo præparantur & adornantur ad noua certamina ne de ſalute poſſint deinceps periclitari. Alluſit autẽ ad altare aureum, à Moſe deſcriptum Exod. 30. ſuper quod ſummus Pontifex ſemel offerebat hoſtiam pro peccatis populi. Itaque docemur, Chriſtum in cælis adhuc ſemper pro ſuis intercedere, próque eis orare, vt eſt Rom. 8. verſ. 34. & ad Heb. 8. & 9. Deinde nos debet excitare ad orandi diligentiam, quia noſtris precibus ſemper accedit Chriſti interceſſio, qui noſtras preces, quaſi offert Deo Patri: ad hunc igitur, vt verum mediatorem eſt nobis ſemper recurrendum, &c. vide ſupra. 5. verſu. 8.

Verſ. 4. *Aſcendit autem fumus.*

Fructus interceſſionis Chriſti.

Fructus eſt interceſſionis Chriſti pro electis, fit hinc vt gratæ ſint etiam noſtræ preces Deo, quia per Chriſtum fiunt. Fumus ille ardor eſt rectè & piè orantium, hic, inquam, ardor aſcendit ex Chriſti, hoc eſt, per hunc vnum mediatorem acceſſus nobis patet ad Deum, euidens eſt doctrina de Chriſto vno & ſolo mediatore.

Verſ. 5. *Et accepit Angelus thuribulum.*

Quid per ignẽ ab Angelo in terrã effuſo ſit intelligẽdum.

Tertium eſt, quod in illo ſilentio geri vidit, ſcilicet quòd poſt oblationem, Angelus ille octauus thuribulum impleuit de igni altaris, ac effudit eum in terram, hinc mirabiles effectus ſunt conſecuti. Thuribulum vt ſuprà vocat λιβανωτον, cùm propriè illa vox, thus ipſum ſignificet, vt λίβανον τὸ τοῦ λιβανώτου δένδρον, thuris arborem. Sententia eſt, Chriſtum poſt præparatos ſacros electos de igni altaris deiicere in terram, hoc eſt nouas ſubminiſtrare occaſiones docendi veritatem, & propagandi ignis: Indubiè ſincera eſt doctrina, cuius ſtudium & ardorem excitat ſemper omnibus ſeculis in aliquibus idoneis organis, per quæ reſſuſcitatur & quaſi poſtliminio reuocatur vera Euangelij doctrina, Has occaſiones debemus Chriſto in cælis, qui hunc ignem ſpargit de ſuo thuribulo in terram, hoc eſt, ſua gratia nos præuenit, & cùm illi oportunum videtur in mundum ſui cognitionem reducit.

Vocis auditæ interpretatio.

Deinde ad hunc ignem inſoliti motus eueniunt, quemad. legis promulgationem accidit Exod. 19. Tales motus ex Euangelij doctrina renouata ſemper eueniunt. φωναὶ voces ſunt, doctrina facili & intelligibili ſenſu ex Euangelio propoſita de Dei voluntate, de Chriſti meritò, de fide, de pœnitentia, remiſſione peccatorum, de ſtudio bonorum operum, de quibus mirabiles diſputationes paſſim mouentur. *Tonitrua* βρονταὶ ſunt terrores, qui ex doctrina Euangelij in conſcientiis hominum oboriuntur: nam peccatorem conſternit, quaſi fulmine, eundem mox erigit, monſtrato Chriſto. Tonitrua ſunt conciones Dei contra peccatum. de pœnis impœnitentium, de horrore indurationis, quæ omnia naſcuntur ex illo effuſo cæleſti igne.

Tertiò *fulgura* ἀστραπαὶ, ad mores pertinent: nam ex doctrina Euangelij rectè percepta ſequitur morum emendatio, & vitæ innocentia, quæ lucet in aliorum oculis, & impio-

impiorum oculos perstringit, tanquam fulgur, referatur igitur huc ren[illegible]i hominis virtutum studiorum & bonorum operum.

Quartò *terræ motus* σεισμός, hoc est, populares motus & Rerum. perturbationes, quæ solent doctrinæ promulgationem comitari, non per se quidem, sed per & propter aliud. Hos effectus nostro seculo luculenter in doctrinæ Euangelicæ promulgatione vidimus, & his ipsis agitatur Gallia hodie. Hactenus. παρασκευὴν, iam visionem tertiam de tubis septem ingreditur.

VISIO TERTIA.

Vers. 6. *Et septem Angeli.*

Tertia visio continet varias corruptelas in causa religionis, omnibus seculis semper renouatas. Porrò cùm de Angelis his ac tubis variæ sint interpretationes, eas breuiter hic perstringemus, ne deinceps in his nobis sit laborandum, tum in cursu explicationis nostræ, quæ verissima apparet prosequemur. — Ὑπόθεσις tertię visionis.

Primi igitur in his tubis quærunt nouissimi iudicij typum, exorsi cursum ab ipsis Apostolorum temporibus, ac Angelos nihil aliud faciunt, quàm monitores contra diuersas sectas & hæreses, vt in prima tuba tempora Apostolorum, & mox consequentia sint adumbrata, quibus Ebion, Cerinthus, mox Traianus sanam doctrinam corrupit, ex cuius doctrina Encratitæ nati sunt. & doctrina monachorum damnantium matrimonium. — Varię interpretationes de tubis. 7. & Angelis septem.

In secunda tuba contra Marcionem præparatur Ecclesia, qui sparsit perniciosum dogma de tribus diis, de Anabaptismo, de cœlibatu, vnde postea nati sunt Manichæi, Montanistæ & Cataphrygarum secta.

In tertia contra Originem conclamatur, qui omnia allegoriis euertit, & Scripturæ sacræ sensum sustulit. In quarta contra Nouatum, qui lapsis veniam negare cœpit, inde nati sunt Gathari. Ita de reliquis tubis agunt, rem ad speciales personas accommodantes.

Alij eadem via ingrediuntur, alio saltem modo historiis Ecclesiæ accommodantes, Primam tubam ad Apostolorum tempora referunt, & deinceps vsque ad Origenis ætatem. Secundæ tubæ tribuunt cursum Ecclesiæ ab Origene, vsque ad tempora Augustini, Hinc ad Gregorium illum Romanum, tertius tubæ sit clãgor. Quartæ, incrementa Mahometi. Quintæ tempora Bernardi. Sextæ, Bonifacij octaui, Septimæ, deinceps reliquum cursum ascribentes, Verùm errat hæc sententia, vt prior, quòd nimis præcisè certis temporibus applicant, vt aliis ætatibus tubas illas adimant. — 1. Interpretatio.

Tertij rem altiùs repetunt, ac describi his tubis catholica Dei iudicia, contra impios omnium ætatum. Ac primam tubam referunt ad tempora diluuij ac Sodomorum Genes. 6. & 19. ac in diluuio aiunt, Caini posteritas tota periit, cum Sodomitis verò ipsius Chami, quæ tertia pars hominum reputari potest. Secundam tubam ad Pharaonis submersionem accommodant. Tertiam ad Cananæorum per Iudæos subuersionem. Quartam ad pœnas Israelis in deserto rebellantis & murmurantis contra Dominum & Mosen, eodem genere procedunt in sequentibus. Quæ interpretatio eò remotior est à sensu Apostoli, quantò recedit altiùs in historias veteris Testamenti. cùm certum sit in hoc libro non describi superiorum temporum historias, sed fata Ecclesiæ, vsque ad finem mundi, initio facta à temporibus Apostolorum, quo posito nihil attinet huc applicare veteris populi historias. — Tertia interpretationis sentẽtia.

Itaque mea est sententia, has septem tubas à tempore Apostolorum cepisse, ac deinceps durare, vsque ad finem mundi: nam quemadmodum ignis ille cælestis à Christo semper omnibus ætatibus, per certa interualla effunditur, sic eandem effusionem semper comitantur hæ tubæ, quibus contra omnes omnium ætatum hæreses præmonemur, quare sunt querendæ in omnibus ætatibus, quibus luculenter proposita fuit sana doctrina, vt tempore Apostolorum contra Pharisæos, Ebionem, Cerinthum, tempore Augustini contra Manichæos, tempore Huss contra Pontificiam potestatem tempore Lutheri contra indulgentias & hominum merita, nostro tempore contra Anabaptistas, Atheistas, & Epicureos, & similia monstra. Hoc posito fundamento, iam ad clangorem Angelorum perueniamus. — Authoris sententia de hac interpretatione.

Vers. 7. *Et primus Angelus clanxit.*

Angelus bonus est, qui præmonet mundum ad Euangelij lucem, adesse quoque diabolum qui spargit suum ignem mixtum grandine & sanguine. Est enim satan Christi æmulus & malus imitator, quum Christus mundo immittit ignem suum cælestem, tum satam suum quoque immittit, hoc est, excitat seductores, qui perinde arden- — Angeli primi clangor.

ter spargunt errores, ideo sanguine & grandine mixta est doctrina. Grando, hæresis est & perditio boni, qualis est doctrina de traditionibus humanis, quę instar grandinis vastauit sanam Christi doctrinam. Nec ille contentus est Satan, sed addit sanguinem: nam traditiones humanas negligere capitale est in mundo: securè negligas & contemnas Dei mandata, imò Deum ipsum, sed hominum mandata & traditiones neglectas sanguine compensabis. Hinc effectum est, vt Ecclesia Christi peiori vtatur sorte, quàm Iudæi: maiora enim sunt illius onera, ab hominibus imposita.

Rabies Satanæ in Christi doctrinam.

Cadit hic ignis in terram, quemad. Christi ignis in eam proiectus fuit, hoc est Satan Christi doctrinã suis technis conatur in terra omnibus modis corrumpere, qua in re non deest illi successus: nam tertia pars arborum euertitur, & omne fœnum viride vel gramen excisum est. Arbores, doctores sunt pietatis, vnde aliis alimentum pendebat: χόρτος χλωρὸς, sunt auditores simplices, qui in doctrina sana feliciter profecerãt illi tertia sui parte debilitantur, hi toti inficiuntur, id quomodo fiat historiæ testantur Arrij hæresis tam validè creuerat in Oriente, vt tota illa Aphrica quoque fuerit infecta, & Italia quosdam habuerit Episcopos Arrianos. Sic nostro seculo eadem repullulans defensores & patronos nacta est, & scholastica doctrina, totum orbem obtinuit, tanquam dira grando vastans & Euangelium & Philosophiam.

Vers. 8. *Et secundus Angelus.*

Quomodo sua organa luci Euãgelij opponat Satan.

Quoties Christus lucem Euangelij immittit mundo, toties organa sua opponit Satan, ideo Angelus Ecclesiam præmonet de malis imminentibus. Ad clangorem secundi Angeli *cadat mons ignitus in mare*: mons ignitus est valida aliqua hæresis, quæ nititur robore carnali qualis fuit Arriana, quæ in suas partes traduxerat Valentem Imperatorem. Six Macedonij hæresis vix dum repressa synodo Constantinopolitana. Eutyches Anastasium Impe. habuit defensorem. Hi igitur montes sunt cadentes in mare, hoc est in hominum cœtus & confusionem consiliorum humanorum. Mare, mundus est, in quem sic etiam cecidit philosophia & studium sapientiæ humanæ, hinc mare redditur sanguineum, & animata pereunt, hoc est, homines seducti in præceps ruunt, & naues pereunt, cœtus hominum, vel Ecclesiæ Christi particulares corrumpuntur & vastantur.

Vers. 10. *Et tertius Angelus.*

Prædicitur defectio quorundam Christi doctorũ.

Ad clangorem huius Angeli cadit stella ex cælo, stella, vt prius mons, insignes significat doctores, qui de cælo cadunt, hoc est, à Christo excidunt. Sic Paulus Samosatenus cecidit, Pelagius, Arrius, hodie Seruetus, Gentilis aliique. Tales stellæ sunt Christi vicarij, Antichristi facti membra occupant illi flumina & fontes, hoc est, sibi solis arrogant Scripturæ interpretationem, ideóque nihil aliud admittunt nisi ex scrinio pectoris ipsorum promanarit. Illa stella vocatur ἄψινθος allusit ad nomen plantæ absinthij, quod declarat ratio nominis, ad quã hîc allusit: dicitur autem ἄψινθος ὅτι οὐδεὶς ἅπτεται αὐτοῦ, nemo enim facilè eo vescitur, cùm sit natura sua βαθύπικρον. Inde aquæ conuersæ sunt in amaritudinem, hoc est, Scripturæ sensum peruerterunt, & ex illius salubri doctrina effecerunt venenum hominibus. talis est doctrina Antichristi, Turcarum, & Iudæorum.

Vers. 12. *Et quartus Angelus.*

Augentur mala tũ Christus vilescit & eius Ecclesia affligitur.

Malorum seges crescit, nam sol, luna, & stellæ quoque vim patiuntur. Sol Christus est, qui percutitur, dum eius cognitio & dignitas apud homines vilescit, quemadmodum fit in doctrina Arrij negantis diuinitatem eius, Pelagij extenuantis peccati magnitudinem, & similium. Sic luna, hoc est, Ecclesia percutitur, dum in angustum redigitur. Orthodoxi fugantur, mali dominantur. Stellæ, doctores eodem pacto obscurantur dum vel hæresi inficiuntur, vel inconstantia veræ professionis pelluntur ab Ecclesiis, quæ omnia speciem habent deliquij. Dies & nox eadem patiuntur, dies ne luceat sui tertia parte, quia sol diem illuminans, tertia parte est debilitatus. De nocte verò mirabile est, cùm tenebrarum incrementum noctem efficiat, quantò igitur densiores sunt tenebræ, tantò noctis natura validior est. Verùm aliud dicit Ioannes hoc loco debilitatã noctem tertia sui parte, hoc est, effectum, vt nox esse non videretur, quasi dicat confusas noctis & diei naturas, dies seminox & nox semidies videtur, commodè exprimens doctrinæ confusionem, ex qua efficitur, vt error non videatur error esse. Confusio illa religionum adimit diei lucem, vt nocti caliginem tegit: sic Arrij doctrina hodie Mahometi & Euangelij religionem miscuit, doctrina Montanica miscuit Papisticam & Euangelicam.

Cõfusio doctrinæ.

Vers. 13. *Et vidi & audiui.*

Παρασκευὴ est ad quintum Angelum, significans atrocissima fata adhuc superesse, Angelus

gelus hic nouus est in hac visione introductus. Tria clamat Væ, tribus Angelis sequentibus accommodanda, quæ nos ex Græcis rectissimè vertimus, ohee, ohee, ohee

CAP. IX.

Ὑπόθεσις. Notatio Papæ filij perditionis, & Turcæ.

MAlorum seges crescit, nã quę hactenus dixit externa videntur attingere, aut saltem ordonatio esse ad internas pestes. Nunc quintus Angelus prę-monet, de ipso filio perditionis, qui ab inferis est euocaturus caliginem religionis, & simul locustas, hoc est, varia & infinita organa corrumpendi sanam doctrinam, & pios mores in Ecclesia Christi, idque adeò potenter, vt electis, nisi consignati essent, timendum foret. atque illa ad quintum Angelum pertinent, quo absoluitur prior pars capitis. Secunda pars initia habet sexti Angeli, describitque nobis Turcicam rabiem & crudelitatem, de quo suo loco. Prima pars initio describit casum stellæ: deinde sobolem fructum eius. Tertiò illustri hypotyposi vim nocendi non locustis exprimit. Quartò etiam regem agminum illorum profert, quæ omnia, quomodo accipienda sint, deinceps per ordinem exponemus, seruata serie contextus, ad quam sententiarum varietatem accommodabimus nostra etiam non intermissa.

Partes.

Vers. 1. *Et quintus Angelus.*

De Angelo quinto & varijs stellæ cadentis interpretationibus.

Quintus vt reliqui accipiatur bonus monitor Ecclesiæ qui diuinitus datur, quoties armis malis Satan Ecclesiam aggreditur. Stella de cælo in terram cadens variè explicatur, veteres ferè de Satana accipiunt, qui cadens de cælo, hoc est, de statu innocentiæ, malis omnibus implicat mundum. De hoc casu dixit D. Christus Luc. 10. Videbam Satanam cadentem de cælo, vt fulgur. Hanc sententiam ferè sequitur Lyranus in interlineari explicatione: idem tamen explicans contextum, per stellam intelligit Valentem imperatorem, qui cecidit de cælo, hoc est, Ecclesia, factus Arrianus, & mox Vandalis occupata Aphrica, petentibus Episcopos Christianos, eis dederit Arrianos Episcopos, per quos homines miserè afflicti sint, ipsíque Vandali, tanquam agmina locustarum vastarint Gallias, Italiam, Hispaniam & Aphricam.

Ex recentioribus alij simpliciter de Arrio eiúsque lapsu accipiunt, quidam verò de Turcico imperio à Mahomet & Nestorio fundato, totam hanc quinti Angeli tubam interpretatus est: fuit enim Nestorius insignis doctor, ei datam, aiunt, post lapsum, clauem abyssi, hoc est, notitiam Philosophiæ, qua Mahometi doctrinam, & legem Mosis cum Euangelio sic commiscuit, vt obscuratus sit sol Christus, & aër limpidus Ecclesiæ, enatúmque genus locustarum, hoc est, homines nec Christiani, nec Iudæi veri, sed Turcæ. Atque illi potestatem scorpionum habent, hoc est, dissipandi, & euertendi Ecclesiam Christi.

Autoris sententia de stella.

Verùm hanc interpretationem suo relinquemus loco, ac quòd Turcicam sectam attinet, totum hoc ad sextum refero Angelum. Stella igitur est insignis doctor Ecclesiæ, qui cadit de cælo, hoc est à simplicitate Euangelicæ professionis exorbitat, cadítque in terram, hoc est, terrenis studiis traditur contra Christ i doctrinam, qualis fuit Bonifacius octauus, qui tandem à Phoca obtinuit titulum supremi Episcopi, & vniuersalis omnium Ecclesiarum, & ex eo tempore omnes successores in Pontificatum Bonifacij vestigia sequentes terrena regna & impia, opes ac honores meditantur. *Data est ei clauis*, hoc est autoritas, nam imperatoris autoritate primatum obtinuit, plenámque decernendi potestatem, cuius symbolum est clauis: sed est clauis abyssi, hoc est inferni distinguit enim claues visu & obiecto. Supra ca. 3. ver. 7. Christus habuit clauem Dauid, hoc est potestatem reserandi regnum Dauid. Abyssi igitur clauis est potestas inferos aperiendi, aut quia ab inferis data est & profecta illa facultas, aut quia Deus cùm dedisset claues, impostores adulterinas hinc fabricati sunt claues. Hinc illæ voces Pontificum, quòd plena authoritate detrudunt ad inferos animas, inde quoque eximunt, vt ex purgatorio liberent cæloque locent, quos & quoties velint.

Vers. 2. *Et aperuit puteum.*

Potestas clauium, quę se in omnis generis mala exeruit.

Clauium potestas sese mox prodit, abyssum aperuit, hoc est plenam occasionem omnium malorum in Ecclesia suppeditauit: nam abyssi puteus aceruus est & congregatio omnium malorum, omnium prauarum opinionum, quem nemo liberius aperuit, quàm Pontificia potestas.

Hinc primùm natus est *fumus*, hoc est vanitas in religione, arrogantia & supercilium Theologicũ, vana persuasio monasticæ vitæ, quæ instar fumi lædit oculos, hoc est, mentes excæcat, dementat homines, tanquã ebrios reddens opinionibus vanis. Quid enim

tota Theologia ſcholaſtica, tot Pontificum decreta, tot ſententiæ, & deciſiones aliud ſunt, quàm fumus, quem turpiter toti mundo nouale obtrudunt, neglectis Euangelij margaritis?

Figmentis humanis Christus ſol obſcuratur.

Ex eo fumo aliud malum emerſit, *obſcuratus eſt ſol & aër.* Sol Chriſtus eſt, qui illuminat etiam aërem, hoc eſt, intellectum & mores ſuæ Eccleſiæ, hic ſol obſcuratus eſt à fumo. Confer ſcholaſticam doctrinam ad Chriſtum, meras videbis tenebras, obſcurat meritum Chriſti: docent enim illũ non plenè pro omnibus peccatis ſatisfeciſſe, ſed hominis eſſe ſuis operibus complere, id quod Chriſti deeſt paſsioni, ſic ad ſanctos iubent confugere, ad indulgentias Pontificum, quæ omnia ſolem Chriſtum nobis eripiunt, obſcurant. Idem dici poteſt de obnubilatione aëris, hoc eſt, de iudiciorum prauitate, & morum corruptela, & licentia.

Verſ.3. *Et ex fumo exierunt locuſtæ.*

Locuſtæ ſuperſtitiones Pontificias adũbrant.

Pergit commemorare malorum ſegetem, fumus ille peſtilens fuit, eripuit hominibus ſolem, & dedit locuſtas: naſcitur autem ex putrido aëre, ideo vult dicere ex abyſſo Pontificio prodiiſſe fumum, hoc eſt, ſuperſtitionem vanam, mixtam, & corruptam, hinc natæ ſunt locuſtæ. Locuſtas rectè dixeris agmina monachorum, cleri cœtus, qui omnes ex fumo, hoc eſt, conſarcinata & putrida doctrina nati ſunt: minus enim hodie numerari poſſunt monachorum & religioſorum cœtus, quàm locuſtarum agmina, aut arena maris.

His locuſtis data eſt poteſtas ſcorpionum terræ, hoc eſt, præſentiſſimam habent lædendi & nocendi vim: ſcorpius enim domeſticum eſt animal, & in ſpeciem pigrum, miniméque ad lædendum aptum, verùm ita lædit, vt præſentiſſima ſit mors, niſi paratum ſit præſens remedium, nullum autem præſentius ipſa ſcorpij morte. Talis eſt hypocriſis monaſticæ vitæ, mirificè blanditur, & fingit inſignem humilitatem, ſed admiſſa, non ſecus ac ſcorpius ferit. Eſt illa χρηστολογία, quam Apoſtolus Rom.16.verſ.18. eis tribuit.

Verſ.4. *Et dictum eſt eis.*

Quomodo & quouſque Locuſtarum poteſtas limitata ſit.

Conſequenter docet, in quibus efficax ſit locuſtarum illa poteſtas, nam eſt limitata, vt Satanę quoq;, ideo ad conſolationem ſanctorum addit, hîc non omnes expoſitos eſſe illorum technis & impoſturis. Ac primùm eximitur ab illarum poteſtate χόρτον, deinde χλωρὸν, tertiò arbores, quartò ſignati in frontibus ſuis. Relinquantur igitur illorum fraudibus expoſiti non ſignati, hoc eſt reprobi, & ad vitam æternam non deſtinati.

Ex quo conſtat, quare ſuprà cap. 7. ver.3. Signati ſint tot millia ex Iſraële, & omnibus nationibus, nimirum, vt tuti eſſent contra locuſtarum fraudes. Ex quo & illud ſequitur, non poſſe eos de ſalute periclitari: contra reprobos dari in reprobam mentem, vt dent locum ſeductionibus, ſempérque diſcant, nec ad veram pietatem perueniant.

Verſ.5. *Et datum eſt eis.*

Perſequitur vlteriùs limitatam hanc poteſtatem locuſtarum, q. d. in impios etiam non habent merum imperium: ſed eatenus ſaltem eis conceſſa eſt poteſtas, vt diuexent mentes eorum, vt in hiſtoria Iobi datur Satanæ poteſtas ſolùm in fortunas, & corpus Iobi, vitam autem non poterat lædere.

Qualis ſit poteſtas locuſtarum.

Diuexatio illa eſt conſcientiarum, quam accipiunt ex doctrina ſcholaſtica & monachorum, de dignitate proprij meriti, de ſanctorum ſuffragiis, de dubitatione, ſit ne homo in gratia, necne, & ſimilium quæſtionum, quibus alitur dubitatio, tegitur peccati magnitudo, accenduntur conſcientiæ terrores, vt verè dici poſſint βασανισμοὶ, & punctura ſcorpij. Hinc ſequitur conſcientiarum trepidatio ad iudicia diuina, *quærent mori, nec reperient illam:* poterat enim ipſa mors illos aliquantulum mitigare dolores, ſed ne hoc beneficij illis euenire poteſt. Et quia veniunt ad iudicium Dei, confugiunt ad ſanctos, quos inuocant pro Chriſto: hinc ſupra montibus dixerunt, Cadite ſuper nos, tegite nos, clamores ſunt anxiæ conſcientiæ, quales hæ ſunt & trepidationes.

Cap.6.

Verſ.7. *Et figuræ locuſtorum.*

Deſcribitur forma locuſtarum quæ vim nocendi oſtendit.

Tertiò loco locuſtarum formas depingit, vt conſtet quanta ſit illarum vis nocendi. Primùm ſimiles ſunt equis ad bellum paratis, ſignificans animos ad nocendum & vaſtandum paratos. Locuſtæ equeſtres referunt acies multitudine ſua & ordine: ſcribit D. Hieronymus in primum caput Ioelis, ſua ętate agmina locuſtarum volaſſe tanto ordine, vt nulla ſuo loco dimota ſit, ne ad latum quidem digitum, & tanquam teſſellæ artificis manu viſæ ſint in pauimento poſitæ. Ac quemadmodum vna per ſe locuſta facilè cõtemnitur, vt impurum inſectum, multitudine autem horribiles fiunt, ſic monacho-

rum

rum greges multitudine pugnant, & terribiles fiunt, cùm ſinguli per ſe contemptiſſimi exiſtant.

II. In capitibus habent coronas, quaſi aureas, hoc eſt autoritatem & eminentiam, gloriantur de variis contra hæreticos victoriis, hinc illis tribuuntur tituli, ſed coronæ illæ non ſunt veræ, tantum ſpeciem auri habent, Sic illi ſpecie & ſplendore doctrinæ gloriantur, cùm mera ſubſit ignorantia, tale eſt apud eos quoque nomen catholicæ Eccleſiæ mera vmbra.

III. *Facies ſunt, tanquam facies hominum,* hoc eſt, humanitatem & benefaciendi ſtudium mirificè fingunt, ſimulant etiam humilitatem, & ſimplicitatem, cùm nihil humanitatis apud eos locum habeat.

IIII. *Capillos habent quaſi mulierum*, h.e. effœminati ſunt, otio dediti & voluptatibus, deinde molles & proni in Venerem: dum enim gloriantur de cœlibatu, nihil illis impuriùs dici poteſt, nihil libidinoſiùs, nihil effœminatiùs.

V. *Dentes vt leonum*, h.e. feroces ſunt thraſones, aſini leoninam induti, dentes ad laniandum & diſcerpendum parati, cùm damis interim timidiores reperiantur.

VI. Loricas, quaſi ferreas, thoraces propriè ſunt non loricæ, ſignificat ad certamen paratos contra veritatem, & ob id induratos, vt triplex dicas habere circa præcordia æs, attamen & hoc ſimulatum eſt: ſuperabiles enim ſunt iſti Traſimachi, Symmachi, & Promachi.

VII. *Sonitus alarum, & equorum & quadrigarum ad conflictum currentium.* Mirabilis ſtridor eſt locuſtarum, tales ſunt vociferationes monachorum contendentium in ſcholis, diſputantium de veniis ſuis, orantium, publicè declamantium de Papæ poteſtate, fulminantium in hæreſes, tonantium excommunicationis fulmina, prædicantium bullas & indulgentias.

VIII. *Caudas habent ſcorpionum*, hoc eſt, nodoſas & flexiles in omnes partes, quales ſunt conſequentiæ ſcholaſticæ vitæ, & regulæ ſingularum familiarum, aliam caudam habet Dominicus, aliam Franſciſcus, aliam Auguſtinus, aliam Bernardus, omnes nodoſæ ſunt regulæ, & flexiles ad excuſanda vitia profitentium, ideóque aculeus eſt in fine caudæ, hoc eſt, morſus conſcientiæ, & publicum ſcandalum coram populo.

Quinque menſium ſpatium ſupra verſ.5. quoque fuit poſitum, de quo mihi non ſatis conſtat, certum autem eſt, durationem ſignificare hoc numero Pontificiæ poteſtatis. Deus nouit quando finiendi ſint illi quinque menſes, fortè ſub initium hyemis, quando Chriſtus iudex veniens ſpiritu oris ſui hanc ſtellam delebit.

Verſ. 11. *Et habent ſuper ſe regem.*

Quarto loco regem locuſtarum deſcribit, habent ſuper ſe regem, non à Deo datum, ſed ſibi adoptatum, & conſtitutum pleno iure, Angelum abyſſi, hoc eſt, diabolum, vel ſtellam hanc cadentem de cælo, hoc eſt, Papam. is enim rex eſt in toto clero, adeò vt nullum alium agnoſcant iudicem, vel magiſtratum, niſi Papam. Hinc viribus omnium principum ſeſe exemerunt, vt de vita & moribus, nedum de doctrina, nemo poſſit iudicare, niſi ſolus Pontifex. Hinc illum adorant Perſico more, tanquam Regem.

Deſcriptio regis locuſtarum, qui ipſe eſt diabolus.

Nomen regis duplex eſt, vtrumque ab effectis quæſitum, nam Hebræis dicitur Abadon: eſt autem eis Auad perdidit, hinc Abadon perditio, & vaſtator. Alterum Græcæ linguę eſt Hebræum exponens, ἀπολλύων, perdens. Antichriſti proprium & genuinū nomen, hinc 2. Theſſa. 2. verſ. 3. Filius perditionis dicitur, non tam quia ipſe perditus ſit, quàm quòd omnibus occaſiones pereundi præbet. Atque hunc oportet ex ſinu Eccleſiæ prodire, quandoquidem de cælo cecidit in terram, vt initio dixit, & Ioannes 1. Epiſtola 2. verſ. 19. De nobis egreſſi ſunt, ſed non erant de nobis: ſi enim de nobis fuiſſent manſiſſent nobiſcum. Quare non eſt, cur de Mahomet & Turcis illa interpretemur, cùm palàm Chriſti hoſtes ſint: ſtella autem hæc ſub titulo Chriſti ipſum Chriſtum impugnat.

De duplici regis nomine.

Verſ. 13. *Et ſextus Angelus.*

II. Pars capitis de vaſtatione Eccleſiæ, ex Mahometaniſmo oborta per Sarracenos, Turcas, Tartaros, ac ſimiles hoſtes pietatis. Sic ferè omnes hunc Angelum ſextum interpretantur. Verùm ex fine capitis apparet, hæc mala orbi immiſſa eſſe, propter impœnitentiam hominum. Itaque viſionem hanc illuc etiam accommodabimus, vt dicamus deſcribi hîc vaſtationem iuſto Dei iudicio, per malos Angelos mundo immiſſam ob impœnitentiam vitæ. Sic enim omnibus ætatibus Deus ſolet menſuram peccatorum noſtrorum, tandem ſeueritate pœnarum compenſare, vt cogatur tandem

Tractatio de Eccleſię vaſtatione per Mahometiſtas facienda.

Esa.50.v.12. mundus dicere, peccata nostra responderũt nobis, & quod dicitur apud Nehem.9 Propter peccata nostra hæc omnia euenerunt nobis. Tren. 1. v. 8. Peccauit Ierusalem peccatum, ideo omnes qui illam magnificabant, contempserunt.

Bedæ sententia de sexto Angelo. Angelus hic secundum Bedam typus est ministrorum bonorum, qui Antichristi fraudes detegunt: sed magis eorum, qui mundo annuntiant peccatum suum, monéntque homines de seueritate iudiciorum diuinorum, ni maturè errores correxerimus: solet enim semper Deus excitare aliquos, vt olim Prophetas, qui iram Domini præuideant, & de his malis maturè admoneant.

Vox vna, concors est doctrina contra peccatum, admonitio Dei de pœnitentia, de ira Domini contra scelera mundi. Illa vox vna est prophetarum & Euangelij, & hanc cogitur fateri ratio hominis. Illa proficiscitur ex quatuor cornubus altaris, hoc est, ex quatuor Euangelistis, quæ sunt cornua Christi altaris: nam altare diximus Christum esse supra cap.8. vers.3. Estque coram Deo, hoc est, valet illius autoritas in cælis apud Patrem, & per consequens doctrina Christi comprehensa quatuor cornubus, hoc est, Euangelistis, sola est authentica. Summa autem illius est, Agite pœnitentiam, imminet enim regnum cælorum.

Vers. 14. *Dicentem sexto Angelo.*

Emittit Deus organa iræ suæ ex quatuor mundi cardinibus aduersus impœnitentes. Vox est Christi ex Euangelistis contra impœnitentiam mundi: securis ad radicem arboris posita est, facite fructus dignos pœnitentia, nisi credideritis moriemini in peccatis vestris Matth.3. vers.10. Luc.3. vers.8. Angeli quatuor ligati sunt, supra cap.7. ver.1. cùm illis præciperetur, ne nocerent terræ & mari, donec consignarentur serui Dei: mandatum enim Dei ligat Angelos etiam malos. Hactenus igitur ligati fuerunt, hoc est, coacti expectare certum tempus, quo iræ diuinæ pœnas in mundo exequerentur. Quod facit ad piorum consolationem, cùm vident malis spiritibus, non permissum esse nocere mundo, nisi completa tandem peccatorum mensura, tum demum soluuntur Angeli illi mali vindices & ministri pœnarum, organa iræ, & flagella mundi. *Quatuor* autem sunt, hoc est, à quatuor mundi cardinibus euocantur: nam capit. 7. in quatuor mundi plagis positi erant, habebántque potestatem in quatuor mundi ventos. Itaque hoc dicitur, Deum vndiquaque ex omnibus mũdi cardinibus posse euocare organa iræ suæ: tales sunt omnium ætatum improbi homines, qui mundi pacem perturbant, vel armis, vel impia doctrina. Talis fuit malus Angelus Mahomet, qui sub Heraclio Imp. Arabes excitauit, hinc Sarracenos, ex quibus nati Turcæ & Tartari. Talis fuit Angelus Arrius, cuius doctrina armis quoque & sanguine pugnauit. Talis Angelus est spiritus Pontificius, armis suffragia de sede dirimens. Hoc spiritu ductus Laurentius & Symmachus Romæ pro sede sanguine Christianorum decertantes. Eodem ductus Valens Arrianos obtrudit Ecclesiæ Episcopos, eodem Anastasius Eutichianam sectam diffundendo. Hic spiritus excitat hodie toties Turcas in Christianos, quos miserè trucidat, vastat venum exponit, omnia sacra & profana comiscet. Idem Spiritus hodie ciuilia bella in orbe Christiano dictat, ferro & sanguine omnia complet. Olim quaternarius numerus probè respondebat in quatuor monarchiis, quæ solutæ sunt, adeò vt laxato fræno, vndiquaque tumultuarentur omnes per mundum. Sub Christianis principibus huic numero probè respondent Arabes, Sarraceni, Turcæ, ac Tartari, omnes in Mahometo soluti. Hodie nobis hunc numerum quaternarium proponunt ab Oriente Turcæ, ab Occasu Gallici & Hispanici furores, à Meridie Romanæ artes, quibus omnia ferè bella cuduntur, à Septentrione Imperator, & Septentrionalium barbaries plusquam immanis. In sinu autem orbis Christiani sunt monasteria, sunt Academiæ, sunt dicasteria principum, sunt cœtus populares. Angeli quatuor qui iusto Dei iudicio soluuntur in pœnas peccatorum nostrorum. Porrò ligati dicuntur ad Euphratem flu. magnum supra cap.7. non facta est mentio loci, sed in genere quòd insisterent quatuor angulis terræ, hoc est, essent prouinciales Angeli. Itaque ligati sunt ad Euphratem, quasi ad communem limitem imperiorum, datáque est pax imperiis, donec signarentur serui Dei: est enim Euphrates Babylonis fluuius Monarchiarum ferè semper communis terminus & limes.

Vers. 15. *Et soluti sunt quatuor Angeli.*

Exequuntur pœnas mali ob naturalẽ quidem maliciã. sed etiã cum permissione diuina. Ad mandatum diuinæ vocis soluuntur, hoc est, pœnas exequi possunt, vim & robur habent, & eodem mandato ligantur, hoc est, franguntur illorum vires & consilia. Soluti autem præparati sunt, significans naturali malitia ferri in mortalium perniciem, quam Dei permissio armat, & mandato successum addit. Vnde enim Mahometo tantus successus in falsa doctrina spargenda? vnde Sarracenorum tanta felicitas in bello, qui non solùm Asiam, sed Aphricam, Hispaniam, paucis annis occuparunt,

parunt, effusi etiam Italiam, Galliam? Vnde Turcica tyrannis, quę quotidie Christianorum ceruicibus imminet? qui tam breui tempore amissa Græcia, tot Insulæ, ipsa Constantinopolis Cypro, Trapez tot regni per Asiam: vnde Christianorum parti illi terrores, quibus ad mentionem Turcarum fugiant, qualis contigit anno 1469. cùm Syriam populabundus ingrederetur Turca? nónne flagella ista sunt ab irato Deo immissa? Vnde Pontificū consilia valent & hostium Christi maiores sunt successus? nónne debetur hoc peccatis nostris, & nemo tamē est qui de his seriò cogitet. Sunt igitur illi exercitus Dei parati in diem, horam, mensem, & annum, h. e. omnia momenta probè explorant, nihil intentatum relinquunt, semper vigilant, adeò vt verè dixerit Christus, prudentiores sunt filiis lucis. Finis promptitudinis est *occidere tertiam partem hominum*, h. e. infinito numero, adeóque pleno, eorum scil. qui ad lanienam deputati sunt diuinitus. Nec solùm in Christianos illa mala seruiunt, sed etiam in impios: nam sanguineus spiritus delectatur laniena omnium promiscuè hominum. (Laniena quæ fit ab impiis.)

Vers. 16. *Et numerus exercituum.*

Amplificat promptitudinem organorum irę, à copia & immensitate: numerus equestris exercitus maximus est, duæ myriades myriadum, hoc est, nobis millies centena millia. Tali multitudine Turca Dei flagellum, Christianos solet obruere, tantis copiis inuasit Græciam & obtinuit, ad obsidionem Cōstantinopoleos irruit 300000. In Varnensi clade habuit exercitum 80000. Rhodum classe & milite obsedit 20000. exceptis copiis ex Ægypto, eodem numero inuasit Vngariam. Tales innumerabiles copias loco hoc vocat Ioannes. Tales equestres copiæ sunt etiam monachorum agmina, orbem Christianum bellis fœdantia. (Copia & numerus organorum iræ Dei.)

Vers. 17. *Et sic vidi equos.*

Equorum descriptio & equitum, equites coloribus tribus ornantur, igneo hyacinthino & sulphureo, qui omnes oppositi admodum sunt. Nam igneus color ardens est, significans tyrannidem, hyacinthinus est cæruleus, quem mox per fumum interpretatur, is igitur falsa est doctrina, sulphureus autem mali odoris, est morū corruptela. Itaque hoc dicit, malos illos Angelos sua organa armare, igni hoc est, Tyrannide, contra quam, ne quidem mutire liceat, fumo, aut hyacinthino colore, hoc est, falsa doctrina, sulphure, id est, corruptis moribus. Illud iam considera in quatuor Angelis mundi, Mahomet suos Sarracenos & Turcas his armis probè muniuit: valet enim hoc volo, hoc iubeo, contra quem ignem nulla valet exceptio. Accedit fumus falsæ doctrinæ, quam consarcinauit ex lege, Euangelio & rationibus humanis, quæ duo insigni morum corruptela munita sunt, fœda libidine, scortatione, polygamia, rapinis, blasphemiis. Eadē quærere in Angelo Meridionali, in Monachis, quorum agmina, nihil non fulminant de suprema potestate Papæ cuius pectus pleno iure statuere possit de cœlo & infernis. Fumus traditionum humanarum nimis manifestus est, sulphur dant omnes illorum mores. Idem in scholis, in dicasteriis principum, in cœtibus popularibus deprehendes. Itaque in hanc venio sententim, hoc ipsum omnino voluisse Spiritum sanctum hîc proponere. (Color equorum & equitum.)

Vers. 18. *Ab his tribus.*

Ostendit veras causas interfectionis, hoc est, proxima organa, quibus mali Angeli suos ministros instruunt: non alia sunt, quàm ignis tyrannicus, fumus corruptæ doctrinæ, & sulphur morum. Ab his ergo occiditur tertia pars hominum, h. e. maxima mortalium pars, vel Christiani in primis his malis premuntur: sunt enim tres principales religiones in mundo, hinc tres hominum partes, Christiani, Turcæ, & Iudæi, duæ conspirant in tertiam, his armis, falsis opinionibus, tyrannide, & morum corruptela, & stulti Christiani hæc mala non animaduertunt. (Descriptio Organorū quibus Angeli mali suos armant.)

Vers. 19. *Nam potestas eorum.*

Repetit tyrannidem & falsam doctrinam, potestas est in ore, hoc enim volo, hoc iubeo, omnes crepant potestatem nacti. Caudæ autem serpentinæ sunt, hoc est, dolo instructi sunt, tales Iudæi in primis & Turcæ, nostri etiam monachi serpentes alunt suis consiliis, ac cauda commodè dicitur falsus doctor, Esa. 9. v. 15. Itaque morum corruptela tegitur prauis dogmatibus, vtramque vim habet ex tyrannide: caudæ enim sunt capitatæ, hoc est, ad extremum venenum & pernicies tandem proditur. sed serò tandem Christianis. (Tyrannis & falsa doctrina hostiū Dei.)

Vers. 20. *Et reliqui hominum.*

Hic vera declaratur pœnarum causa, atque vtinam non nimis vera esset, desinant igitur Christiani incusare Turcas, reges, Imperatores, Pontifices, suos incusent mores, atque hinc initia faciant reformationum. Nostra vitia merentur tales principes & pa- (Vita hominum sunt vera pœnarū causa.)

ſtores. Chriſtianorum improbitas Turcis prodidit Aſiam & Aphricam, pellexit in Europam, exponit eis omnia venalia, ô cælum, ô terra, qui mores, quæ hominum impietas! Cogitent igitur ſuperſtites, & probè expendat omnis poſteritas, quid hic dicatur, *reliqui ex tot malis & cladibus ſuperſtites, non pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum*, totum dixit, nemo ſeriò cogitat emendatione vitæ, ſinguli alios accuſant, & in alitud tempus differuntur emendationes. *Ia morn iſtz guott aber dir zuo ſpat.* Conſidera vitia, quibus Deus irritatus iubet illos Angelos malos ſoluere. *Adorant dæmonia*, id olim fecerunt Ethnici, & hodie quidam barbari, qui cacodæmonem adorant, ne noceat: ſed inter Pontifices reperti ſunt, qui cacodæmones coluerunt, deinde idola pergunt colere aurea, argentea, lapidea, lignea, ærea, quæ olim gentes ex profeſſo præſtiterunt, hodie Chriſtiani ſub titulo ſanctorum eaſdem habent imagines, & ex hac ipſa materia quæ hic damnatur. Vide Pſal. 134. verſ. 15.

Quomodo Deus aduerſus Idololatriam & alia, quæ paſſim graſſantur vitia iraſcatur

Non remittunt etiam ab homicidiis, id Chriſtianus orbis ſuo malo experitur: nam dum Turca ſæuit, graſſantur Chriſtiani in propria viſcera, ruunt in propria vulnera.

Veneficia iocus & riſus ſunt Italis, Hiſpanis & Gallis, propinare venenum aſtus & ciuilis calliditas eſt. Scortatio non habetur peccatum, in primis ſoluti cum ſoluta, ſed à fœdioribus non obſtinent, ab inceſto, ab adulterio, ſodomia &c.

Furta parua laqueo dant pœnas, magna auro & ſerico ornantur, *Die kleinen an galgen die, groſſen an ſeckel.* catenati obambulant ſacrilegi, compilatores prouinciarum, ſanguiſugæ pauperum, corraſores, aurati &c. Hæ cauſæ ſunt pœnarum, & niſi poſteritas ſapiat, lues habebit quoque Angelos malos, quos in illorum perniciem Chriſtus iubebit ſuo tempore ſoluere.

CAPVT. X.

Ὑπόθεσις cap. decimi. cuius variæ interpretationes hic ponuntur.



VAriæ ſunt huius capitis interpretationes, quę omnes probabili conſtant allegoria, alia tamen aliis probabilior eſt. Puriores ex his perſtringemus, vt de noſtra quoque ſententia magis conſtare poſſit lectori.

Lyranus de Iuſtino imperatore interpretatur, qui circa annum Domini 518. conatus eſt Arrianos per Orientem delere, impeditus tamen eſt à Ioanne Romano Epiſcopo, qui maiores hinc metuebat per Occidentem perſecutiones: nam Theodoricus rex in Italia Arrianus erat, habebátque tales etiam epiſcopos, qui Ioannem Roma, alióſque catholicos facilè hac occaſione eiecturus erat. Itaque eius precibus permotus Iuſtinus cœptum conſilium non eſt perſecutus.

2. Tamen idem Lyranus in morali explicatione de Pontifice Romano, tanquam bono Angelo & bono publico dato cælitus mortalibus, hanc eandem hiſtoriam non dubitat exponere. Ex recentioribus quidam hæc omnia ad Papam quoque referunt, ſed non eodem, quo Lyranus modo: faciunt enim Papam hîc Angelum fortem & Tyrannicum, cuius imperio, pedetentim Eccleſia terra maríque ſit oppreſſa. Nam à Bernardi temporibus ita eſt aucta illius potentia, vt reges & imperatores ad plenum ſuis pedibus ſubiecerit, nec non ſeptem ſigilla cum ſuis vocibus, hoc eſt, ſeptemuiratum imperij obſignauit, vt contra ipſum mutire nemo poſſit, patrum ſententias contra extulit, æquauit & prætulit Apoſtolis. Is Angelus natus videtur ſub quarta tuba hoc eſt, quando à Phoca impetratum eſt plenum Papæ imperium, Et in quinta tuba, quanquam à Longobardis & Sarracenis omnia vaſtarentur, tamen mox opera Caroli Magni omnia in integrum ſunt reſtituta. Sed iam in ſexta turba, patres eliguntur, vt columnæ Eccleſiæ, & magiſter ſententiarum magis citat Patres, quàm Euangelia. Itaque deſcendit Angelus de cælo in terram, h. e. ex Eccleſia Chriſti fit terrenum regnum, libellum habet in manibus, quia ius canonicum fabricatum eſt, ac ſeptem electoribus mandatur ſilentium, miſeri doctores coguntur librum Papæ, hoc eſt, ius Pontificium deuorare, & in illius ſolùm verba iurare.

Superſunt quarti, qui totum hoc de Chriſto ipſo exponunt, quos nos etiam ſequemur: nam ſuperiores ſententiæ nimis vagantur, aut nimium ſunt conciſæ, vt rectè dixeris τὸ ἀλληγορούμενον ἀσύστατον. h. e. non ſatis ſibi conſtarent allegoricæ interpretationes. Sit igitur hæc præſentis capitis hypotheſis.

Ὑπόθεσις vera.

Pergit Apoſtolus in ſexta tuba, deſcribítque Chriſtum deſcendentem de cælo ad ſuæ Eccleſiæ certam conſolationem, vt ſciant pij, in tot & tantis malis, certam tamen de illis liberationem eſſe expectandam interim dum hic ſub cruce militant, non defore ſemper vſque ad finem mundi, qui ſanam doctrinam vbique terrarū ſpargant,

gant,& doceant. Similis planè est hæc consolatio superiori cap. 7. vbi in fine sexti sigilli consignati sunt fideles. Hic in fine sextæ tubæ Filius Dei iurat in suorum redemptionem, & certam perniciem impiorum.

Partes narrationis tres sunt, prima describitur maiestas & potestas Christi descendentis de cælo. In secunda iuramentum affirmantis suorum certissimam redemptionem. In tertia voluntas conseruantis ministerium sanæ doctrinæ ad finem vsq; mundi.

Partes narrationis tres.

Vers.1. *Et vidi alium Angelum.*

In sexta tuba, vt dixi pergit, inducitque suauissimum quoddam tristissima actione ἐπεισόδιον: nam consolatur sanctos, ac confirmat de certa liberatione. Ac locus hic primus illustrem habet maiestatis, ac potentiæ Christi descriptionem, dicitur *Angelus*, quia Patris legatus est, per quem agit cum hominibus, ideo magni consilij Angelus merito dicitur. Deinde *fortis est*, nam aduersariis etiam parentes sunt, opus est igitur forti athleta, qui nos tueatur, & eripiat ex armati manibus. *Descendit autem de cælo* homo factus, & ob id visibili forma conuersatus nobiscum: deinde descendit de cælo, quoties singulis ætatibus illustri aliqua reuolutione reducit sui cognitionem in mundum, vt hoc tempore per Galliam, patrum memoria per Germaniam. *Amictus est autem nube*, hoc est, carne purissima & sine omni labe peccatorum, vel illustri cognitione, qua suorum animis illucescit. *Et habet iridem in capite*, pacis scilicet autor est, cuius symbolum est iris Gen. 9. *Facies vt sol lucet*, hoc est, suauissima est & acceptissima Christi cognitio, vt nihil in mundo amænius est sole. Ita in transfiguratione Matth. 17. videtur Christi facies instar solis, quam visionem Petrus 2. Epist. cap. 1. ver. 18. citat. *Pedes sunt vt columnæ ignis*, hoc est, robusti & vi consumendi præditi: sunt autem pedes, qui fuerunt totum corpus, ideo rectè columnis contulit, quæ & ipsæ molem ædificiorum portant. Christi igitur virtus est portantis suos, & conterentis hostes, vt fortissima columna, ex igni omnia exurens. *Habet autem in manu libellum* βιβλαρίδιον, quod idem est ac βιβλίδιον, vel, βιβλάδειον, aut βιβλιδάειον, βιβλίδριον, significans minutum fuisse libellum, doctrina enim Christi compendiosa est & breuis, vt est simplex veritatis oratio, quid enim sunt omnes Noui Testamenti libri, ad medicorum, Iurisconsultorum, canonicorum volumina? Præterea *libellus ille apertus est*, hoc est, plana est, perspicua est illius doctrina, dilucida est Euangelij sententia. Cùm alij scriptores magna obscuritate sua opera inuoluerint, imò in hac re quærant magnam laudem, vt est videre in Philosophorum scriptis, apud historicos, grammaticos, poëtas, medicos, ac iurisconsultos.

Inter hæc tria vaticinia cōsolatur Ecclesiā Christus ac primus est locus de maiestate Christi ex variis ipsius adiunctis.

Pedem vnum ponit super mare, alterum super terram, Terra verè pij sunt, solidi & firmi instar terræ, verè τετράγωνοι, qualem oportet esse virum bonum ad omnem casum. Hi atteruntur & pulsantur à fluctibus marinis huius mundi. Mare igitur omnes vbique sunt reprobi: mare enim mundus est, ideo dextrum pedem habet super mare, quia successu impij semper præualent, & videntur florere. Contrà super terram habet sinistrum, quia boni semper infeliciores videntur coram mundo, Atque hactenus maiestas Christi.

Vers.3. *Et clamauit.*

Secunda est pars pleniùs iam describens consolationem per filij Dei iuramentum. *Primum clamat Angelus magna voce*, hoc est, intelligibili, quæ totum orbem penetrat. nam in omnem terram exiuit sonus eorum. Mox rem comparatione illustrat, *vt Leo rugit*, μυκᾶν promiscuè dicitur de boue, asino, leone, chamelo, tonitru quoque dicitur μυκᾶν: hinc latini duxerunt verbum emicandi, sic ignis ex nubibus emicat. Petrus de leone dixit ὠρυόμενος λέων, sed ad rem nihil interest. Sed illud memorabile est hoc loco, quòd ad rugitum hunc *loquuntur septem tonitrua voces suas*, hoc est, intelligibili voce protulerunt secreta Dei mysteria, quæ Ioannes probè capiebat. Tonitrua autem suprà ex throno Dei prodibant, ideo nunc loquente Filio Dei, loquuntur tonitrua, hoc est, Spiritus sancti multiplex gratia, quæ in Prophetis sese exeruit, sed sub typis & vmbris. Hanc plenitudinem gratiæ Spiritus sancti, hîc sine omnibus ambagibus expresserunt. Ideo Ioannes, mox has reuelationes scripturus est, secundum mandatum, suprà cap. 1. v. 12. scribe quæ vides in libro. Exemplo est Ioannes humanæ temeritatis, mox scripturus quæuis: discant ministri, ne statim quæuis proferant, quæ intelligunt. Non statim in suggestu proferendum est, quod domi conceperis, cuius effectus eò differendi sunt, cùm hoc loco mysteria patefacta, ne ausit scribere. Vox diuina mandat, *obsigna nec scribas*, idem Dan. vlt. dicitur, ideo cautos oportet esse ministros, nec quæuis proferant. Obsignare autem est occultare, fortasse ne impij omnia intelligant, aut

Secunda pars qua plenius describitur cōsolatio per Filium Dei facta.

Ministris nihil temere scribendū & proferendum.

pij futura quoq; ignorent, sed sub spe in patientia contineantur. Quæ autem illa fuerint, impium sit inquirere, cùm expresse hic patefactio sit prohibita. Certum autem est de re præsenti quædam fuisse, vt de fine mundi, de abolendo Antichristo, de Romani imperij euersione, de mutatione aliorum Imperiorum. Hæc & similia proferre ad homines noluit Christus, tum quia Ioanni periculosa fuissent, tum piis inutilia, & impiis magna seditionum occasio: libenter igitur illa omnia ignoremus, maneant in theca, vt Iudæi inquiunt.

Vers. 5. *Et Angelus quem vidi.*

De iuramento Christi ad cōsolatiōné piorum spectāte.

Sequitur tandem filij Dei consolatio per iuramentum, primùm more iurantium *tollit manum ad cælos*, mos antiquissimus est, vt est videre Gen.14. in Abrahami historia & Dan.12. in Angeli iuramento, mos is adhuc hodie durat. Deinde *iurat per eum, qui viuit in secula seculorum*, hoc est, per maiorem, Patrem, quem dispensatione assumptæ carnis Christus maiorem se fatetur, vel iurat per seipsum, cùm idem coæqualis Patri sit, secundum diuinitatem. Vide locum de iuramento. Tertiò, quid iurat? *non erit amplius tempus*, qualia superiora fuerunt, tam diuturnis calamitatibus repleta, qualia descripta sunt c.9. Hoc igitur promittit certò, & breui adfore finem calamitatum, & certo certius occidendum Antichristum, vtvt iam tumultuetur.

Quandō & quomodo Dei mysterium finem habiturum sit.

Quartò metam ponit, *In diebus septimi Angeli finiendum mysterium Dei*, multum dixit, attamen sic, vt intellectum nostrum totum lateat. De septimo Angelo mox cap.11. v.15. dicentur, sed qui & quanti sint dies eius nemo nouit: perficietur tamen mysterium Dei in illis, h.e. de Antichristo occidendo, de abrogando hoc prauissimo mundo, & restituendis sanctis, de resurrectione corporum, de vita æterna. Hoc & quicquid Dei sapientia adhuc, ad finem vsque mundi decreuit peragere, id totum consummabitur ad plenum in illo cursu.

Quintò consensus est plausibilis, *vt patefecit seruis suis Prophetis*, h.e. piis suis discipulis, aliisque sanctis doctoribus, non solùm Veteris, sed Noui quoque Testamenti, inter quos est quoque Ioannes.

Hic obseruandus est igitur consensus nam Ioan. nihil noui affert, etiamsi quædam pleniùs proponat: eadem tamen habent Prophetæ in primis Daniel, & similia sæpe piis viris reuelantur, quæ tamen non audent mundo proferre.

Vers. 8. *Et vox quam.*

Tertia pars de propagatione & conseruatione sanæ doctrinæ quæ sub lib. deuoratione adūbratur.

Tertia pars est, quæ loquitur de propagatione & conseruatione sanæ doctrinæ, vsque ad finem mundi.

Primùm *Ioannes mittitur* ad Christum, obseruent Ioannis imitatores, ne sine certa & honesta vocatione, ad docendum irrumpant. Deinde mittitur ad Christum, vt hinc discat, h.e. ex Christi schola discat pascere gregem Domini.

Præterea certo fine, *vt libellum apertum inde accipiat*, h. e. Scripturæ sanctæ mentem non aliunde, quàm ex Christi Spiritu afferat: illud enim est accipere libellum apertum h.e. probè perdiscere Scripturam.

Quartò, obedit, modestia est certæ vocationi obtemperare: petit autem libellum, non aliud. Hæc igitur sola sit concionum natura, dilucida & compēdiaria Christi doctrina.

Quintò, *Angelus dat ei*, addito nouo mandato, *deuora illum.* Hoc non expectabat indubiè Ioannes, sed nouerat similia contigisse Ezechieli cap.2. & 3. Deuorare est ad vnguem illum nouisse, & probè intelligere. Vide igitur, qualis debeat esse, & quanta doctrina boni ministri. Sextò, addit etiam nouam promissionem de libri natura & qualitate. *In ore erit dulcis, vt mel, in ventre* autem valde amarus: contrarij sunt effectus, sed in contrariis quoque locis. Dulcedo in ore est, suauissimus enim est gustus cognitionis Christi in Scriptura, in primis cùm discentiam profectus sentitur liquidò. Sicut magna est suauitas in politioribus literis in Philosophia percipere naturæ causas, in medicina, cognoscere malorum genera & remedia, in re herbaria, virtutes & formas herbarum. illa dulcedo multò excellentior est in discendis sacris literis.

Sacrarū literarū dulcedo.

Illarum amaritudo in vētre, cum percepta doctrina Euāgelij nō facit progressus 1. Cor.9.

Contrà amaritudo est in ventre, postquam res salutis nostræ probè intellectæ & perceptæ sunt, dum destituuntur occasione docendi & promouendi pietatem. Hinc Apostolus dixit, Væ mihi, nisi Euangelizauero, hoc modo amara sæpe fuit anima Prophetarum. Deinde cùm docent oblatis occasionibus, sed auditores rident & contemnunt sanam doctrinam, nec in mores volunt admittere vehementer dolent pij ministri. His accedit quòd ob hoc ipsum mille periculis obiiciuntur, quæuis aduersa ferunt, amaritudo singularis est carni, 2.Tim.3.

Atque hæc mox reipsa completa dixit Ioannes, nam libellum accepit, edit dulcedinem sensit & mox amaritudinem in ventre.

Vers.

Vers. 11. *Et dixit mihi.*

Sequitur breuis declaratio, ad quem finem coactus sit edere libellum, eo significatum esse, munus docendi ei denuo esse impositum. *Oportet te iterum prophetare*, hoc est, docere, id re ipsa in Ioanne est completum, nam paulò post ab exilio reuersus est Ephesum, & iterum docuit Ecclesias Christi, vt priùs.

Vsus & finis dedicati libri.

Deinde pertinet ad continuationem totius ministerij vsque ad finem mundi, semper aderunt aliqui pij monitores. Docet autem adhuc idem Ioannes varios populos, gentes linguas, & reges multos, dum doctrina de Christo, secundum Ioannis Euangelium vbique docetur, in omnibus linguis loquitur Ioannes & clamat quotidie in auribus regum, in familiis principum, inter omnes nationes & populos. Tanta est Dei bonitas, Ecclesiæ suæ nunquam desint pij monitores. Det nobis Deus pias mentes, vt hanc de Christo doctrinam Ioannis seriò amplectamur, Amen.

CAPVT XI.



Varia est interpretatio huius capitis, vt aliorum ferè omnium, quot capita, tot propè sententiæ. Lyranus interpretatur de Felice Pontifice, qui dedicationes templorum instituit, quorum circuitio est quædam dimensio. Hodie nonnulli duos illos testes faciunt, Augustinum & Hieronymum, contra quos loqui capitale habitum est in Ecclesia Romana: qui tamen cùm sua copia onerarent homines, h.e. Monachos, inuentus est Longobardus, qui ex eis sententias solùm colligeret, quibus totus Papatus stabilitur: reliquum verò corpus proiectum est in planteas ciuitatis, hoc est, non lecti sunt illi patres. Tandem redit Spiritus Dei in eos, hoc est, illorum scripta integra edita & restituta sunt suo nitori, adeò vt ipsi illorum discipuli monachi mirentur & doleant. Nam ex his ipsis monachatus & Papatus euertitur à nostris, ideo à nostris extolluntur verámque laudem consequuntur, ab ipsis autem damnantur & conculcantur.

Variæ & variorũ cap. 11. sententiæ.

Has & similes sententias omnes suis relinquemus locis, nos eam sequemur, quę contextui omnium est aptissima hoc modo.

Iam dederat ad finem prioris capitis munus docendi, hîc igitur iam dat quoque regulam & normam distinguendi veram Ecclesiam à falsa, ideo iubetur templum Dei mensurare. Mox promittit satanæ doctrinæ propagationem certo aliquo tempore. Huic opponit vim aduersariam, quæ sanam doctrinam, quoad fieri potest euertet, nec infeliciter in eo laborabit. Demum quarto loco post diutinam persecutionem, sanæ doctrinæ restitutionem repetit, inuitis etiam hostibus. Atque hæc est prior pars capitis, quæ adhuc ad sextam pertinet tubam. Reliqua deinceps huius capitis verba, ad septimam spectant tubam.

Declaratio aptioris & integrioris sententiæ huius ca.

Itaque factum Ecclesiæ iterum hîc proponit, quòd in mundo semper sit habitura persecutionem, quæ tamen suas sit habitura intercalationes, adeò vt læta tristibus semper permisceantur certis periodis, vsque ad finem mundi, quando piis dicetur, ascendite vos mei serui huc, & intrare in gloriam Domini vestri.

Vers. 1. *Et datus est mihi calamus.*

Primus locus, qui continet templi dimensionem, similem habes huic apud Ezech. 40. Porrò mens est, pij doctores sanæ doctrinæ diligenter debent veram Ecclesiam ab hypocritis separare. Seperationis organum est *calamus mensorius virgæ similis*, h.e. regula sacræ Scripturæ: illa enim canonem habet, secundum quem veri cultores à falsis separandi sunt, sed non debet Lesbia esse regula, h.e. Scripturæ non est assuendus cereus nasus, ideo datur Ioanni hîc diuinitus & assistente Angelo. Cogitent igitur diligenter ministri, quem calamum adhibeant, & à quo acceperint, secundum quem Ecclesiam Christi limitant & describunt.

Admonetur pij doctores officij, vt s. veros Christianos à falsis distinguant.

Dicitur autem Ioanni, *surge & metire*, hoc est, ad officium accede. Hodie dicit Christus etiam suis ministris, surge piger ad officium, surge tu à scortatione tua, tu ab ebrietate tua, à superbia, tu à leuitate tua. doce & insta, metire templum Dei. Metiri nihil aliud est, quàm describere, & limitare ædificia, ideo est quiddam δειϛικὸν hoc loco præceptum, hoc est, vt probè depingat & ob oculos ponat veram Ecclesiam, quæ sint illius proprietates, quæ officia, quæ notæ, à quibus luculenter possit deprehendi. Eius generis duo sunt, vox sanæ doctrinæ, quæ ex sacris literis depromitur, & verus Sacramentorum vsus, vbi hæc duo intelliguntur locum habere, ibi verè dices templum Dei esse. Porrò ex his duobus fluit tertium, vitæ & morum emendatio, vt pij norint se natos esse ad exercitium bonorum operum. Templum autẽ Dei sine

Metiendi descriptio & interpretatio.

dubio est hoc loco Ecclesia Christi:sic enim de piis dicitur,vt est videre 1.Cor.3. vers.16. An nescitis,quòd templum Dei estis?vt Spiritus Dei habitet in vobis:1.Cor 6.v.19.Aut ignoratis,quòd corpus vestrum,templum est Spiritus sancti,qui est in nobis,quem habetis à Deo, neque estis vestri iuris? 2. Cor. 6.v.16. Vos templum Dei estis viuentis.Ex his manifesta est loci huius sententia, quòd scilicet Christi Ecclesiam iubet delineare suis ornamentis & proprietatibus,vt omnibus constare possit,qui sint Domini,& contra,qui Antichristi cultores.

Tria ad Ecclesiæ descriptionem spectantia.

Porrò ad hanc descriptionem tria pertinent,templum Dei,de quo iam dixi,altare & adoratores. Altare Christus est,qui est mundo depingendus ad viuum, hoc est, declaranda sunt illius beneficia,officia & satisfactio plena pro his præstita.Sic adoratores etiam sunt describendi,hoc est, veri cultores eius, qui singuli sunt pars totius ædificij,id est,templi Christi.

Vers.2. *Et atrium quod est.*

Et hæc ad templi descriptionem pertinent, sed à superioribus discrepant: nam illa propriè pertinebant ad mensurationem, ideóque identica erant: sed sequentia remotionem habent,hoc est,significant,quæ ab illa designatione sint excludenda.

Excludẽda à designatione Ecclesiæ.

Atrium,inquit,*exterius semoue*,alludit autem ad atrium templi Iudaici,in quo geminum erat atrium,interius & exterius, interius solis sacerdotibus consecratum erat, exterius autem habebat populi stationes. Nunc cùm iubeatur Apostolus eiicere atrium, iubetur docere,qui cum Christo & sua vera Ecclesia nihil habeant commune.Iam si legas atrium exterius, sensus est, impios in Ecclesia Christi non contineri, quales sunt Iudæi & Turcæ,ac similes,qui palam Christo resistunt. Deinde in Ecclesia qui improbè viuunt,vita moribus.Christi professionem non exornant, hoc eiicit hoc est, declarat ad Christi regnum non pertinere.Sin legas atrium interius eiice, hoc est, doce hypocritas & eos, qui summi in Ecclesia Dei censeri volunt, adeóque columnæ haberi Ecclesiæ, hos scilicet quoque à Christo esse alienos, quales hodie sunt ipsi sanctissimi Pontifices,consecrati monachi,qui sub Christi & Mariȩ pallio lætitare,se fingunt.Hos, inquam,ob impiam vitam,vt reprobos,videlicet iubet eiicere,vt olim Scribas & Pharisæos repudiauit. Horrenda sanè censura est diuini iudicij, qua docetur, Deum non morari externos Ecclesiæ titulos, sed postulare vitæ innocentiam & cordis puritatem.

Exponitur ratio prȩcepta Ioanni ab Angelo facti.

Ratio præcepti est,*quia datum est gentibus*,hoc est,in cœtum impiorum & possessionem Satanæ pertinent, qui Ecclesiam, quæ est nobis sancta, calcabunt. i. vastabunt quoad fieri potest, significat autem prætextu veræ & catholicæ Ecclesiæ vsuros hostes Christi & suorum,ac si dicant,nos sumus atrium interius,hoc est,sanctissimi & catholicæ Ecclesiȩ ab antiquo possidemus titulum:aut sumus atrium exterius,hoc est,numero & antiquitate præpollemus, ideóque nobis est credendum in religionis causa nonne res ipsa hoc docet? Cæterùm *menses* 42. efficiunt dies 1260. quos mox sequenti versu habes:dant autem annos tres & dimidium,singulis mensibus tribuendo dies triginta saltem. Itaque significat breui tempore duraturam hanc afflictionem,quod tempus apud Deum limitatum est: nobis autem metæ eius non liquido patent, nisi ipso rerum euentu. Ac si numerus dies Angelicos, hoc est, pro tot diebus totidem sumas annos, durauit illa conculcatio iam diebus 1260. hoc est, totidem annis ad nostra vsque tempora:nam à Constantino illo Magno cepit regnare Papatus eiectum illud & à Deo damnatum atrium, tot præcisè annis. His si addas annos ante illius imperium elapsos: accessit autem ad imperium anno Christi 312. hos (inquam) si addas incides in annum superiorem 1572. Itaque finis tandem huius tyrannidis omnino nobis est sperandus. Verùm malo in tempore illo,infinitam nobis, Deo autem soli notam, limitationem sequi.

Promissio propagãdæ sanæ doctrinæ post longam desolationem.

Vers. 3. *Et dabo duobus testibus meis.*

II. Locus est,de propagatione sanæ doctrinæ, quasi posito ædificacio & limitato, deinceps propagationem promittit sanæ doctrinæ, in templo enim sonare debet religio inter adorantes. Dabo non atrium, nec templum, sed officium docendi, & propagandi sanam doctrinam. *Duo testes* sunt veri doctores, quorum opera Deus semper promouit veritatis conseruationem: testes sunt, quia alterius causam agunt, non sua quærunt.Duo solum, hoc est, pauci numero, at sufficientes ad hanc rem, quemadmodum Christus binos & binos misit Apostolos, Et Moses veritatis contestationem commisit duobus testibus ad minimum.Sic in Zachar. 4. Zorobabel & Iosua duo sint, qui contra tot hostes templi reparationem promouent. Christus igitur semper habebit licet paucos,attamen sufficientes testes, sic habuit Martyres & confessores, Ioannem

Deut.9. Declaratur Christo semper fore testes

nem Huss & Hyeronymum Pragensem, postea Lutherum & Zuinglium, aliósque paucos, sed admodum potentes ad propagationem veritatis. Docebant igitur isti diebus 1260. totidem mensibus vt priores, scz. 42. qui efficiunt etiam 3. annos & dimidium, significans hoc curriculum quoque apud Deum determinatum esse, & præcisè sit præfinitum, vt transgredi illud nemo possit. Cursus Euangelij certa habet tempora, in quibus nullis viribus reprimi potest.

Docebunt autem induti saccis, hoc est, humili specie & habitu pœnitentium, qualis est Niniuitarum Ionæ 3. Sic docent hodie multi boni viri eiecti suis facultatibus, vt illis supersit saccus, quo se tegant. Expende igitur ex habitu quoque cognosci veritatis doctores non holoserico erunt ornati. Tenuis doctoris ornatus

Vers. 4. *Hi sunt duæ oleæ.*

Ecphrasis est duorum testium, ostendens officium & naturam veri doctoris, sunt inquit *duæ oleæ, & duo candelabra*. Oleæ propter sanam doctrinam, candelabra, autem propter vitæ integritatem: sic enim debet lucere illorum lux, vt videant homines illorum bona opera laudent Patrem, qui in cælis est. Duo autem, hoc est certo numero Deo cognito, vel duo propter vtrunq; testamentum, quia sana doctrina, vt vitæ pœnitentia hinc depromitur. vtrinque enim & oleum & lumen promanat. Duorum testium descriptio sub oleis & candelabris.

Vers. 5. *Et si quis eos velit.*

Ad propagationem sanæ doctrinæ necessaria est defensio: quomodo enim docebunt, nisi probè defensi? Ostendit igitur iam, vnde vim defensionis sint habituri, ab igne, qui egreditur ex ore illorum, ignis est veritatis vis & lumen, cui nemo potest resistere. Christus promisit suis os & sapientiam, in illa ipsa hora, cui nemo possit resistere. Ne igitur speremus arma militaria in propagatione veritatis aliquid momenti habitura, ignis hoc efficiet, procedens ex ore docentium, qui non minus erit efficax, ac Eliæ ille ignis cælitus euocatus. 2. Reg. 1. Ad finem eadem repetuntur affirmatè, ne casu excidisse sibi hæc viderentur. Iere. 23. Verbum meum ignis est consumens, & malleus dissipans petras. Quomodo pij doctores se tueri debeant & possint aduersus hostes doctrinæ.

Vers. 6. *Isti habent potestatem.*

Persequitur latiùs vim defensionis, alludens ad factum Eliæ 1. Reg. 17. qui clausit cælum, ne plueret. Ministri claudunt impiis proponendo, eos nihil in Christi gratia & meritis habere iuris pluuia enim Spiritus sancti est irroratio confirmans corda, & obsignans de remissione peccatorum. Sic alludit etiam ad factum Mosis conuertentis aquas in sanguinem, aliísque plagis percutientis Ægyptum, idem faciunt doctores dum impœnitentibus prædicunt diras pœnas.

Vers. 7. *Et quando perfecerint.*

III. Est locus, quo ostendit post propagationem constantem mox redire crucem: nam tenebrarum ille princeps non potest ferre lucem diuturnam, ideo mox suscitat aliquot antimachos, qui veritatis præcones inuadant & opprimant. Ostedit autem illos oppugnatores sanæ doctrinæ admodum fore crudeles, nam bestiæ propria est crudelitas. Supra cap. 9. vers. 11. vocauit Angelum abyssi, qui rex sit locustarum, hoc loco eadem nimirum est bestia abyssi: nam perdendi & vastandi ingenium nomē proprium Apollion exprimit, hoc facit origo, quam non de cælo ducit, sed ex abysso. Hæc bestia non malè Papam refert, nam singulari crudelitate armatus est, nec vllum ferè bellum intestinum habuit orbis Christianus, quin illud Pontificum opera sit conflatum, vt hodie bella Galliæ ex officina Romana prodeunt: ideo de bestia hic scribens, ait, *faciet bellum cum eis*. vel Pontifex per se, vel committet alios principes, & regna inter se. Nec deerit successus *vincit eos*, armis scilicet militaribus, quoniam ignem oris illorum ferre non potest, *demum occidet eos*. Hoc prædixit D. Christus Matth. 10. ideo parent se ad hoc certamen boni ministri, ore illis pugnandum esse sciant, armis & catapultis longè inferiores erunt. III. Locus quomodo post veritatis propagationem excitentur antimachi à Satana. Papæ crudelitas.

Vers. 8. *Et cadauera eorum.*

Locum de crudelitate hostium persequitur quasi dicat, non erunt contenti victoria, & morte bonorum virorum, sed addent etiam insignem ignominiam post mortem, vt Viklephi cadauer exhumatum est, sic Luzeri in Angelia, Ioannis Huss & Hieronymi Pragensis cineres in Rhenum sparsi, ita sæuitum est in Valdenses, in Boëmia & Pedemontio aliquando, superiori anno in corpus Admirallij, in Petri Rami cadauer, quod in plateas abiectum est, hinc submersum, & iterum extractum, ac virgis probè castigatum, illa belluæ istius tyrannis est. Memorabilis est historia Hieronymi Sauanerolæ, qui ab Alexandro 6. dum instanter vrgeret Ecclesiæ reformationem, publicè explicans populo hunc ipsum librum Apocalypseos, igni crema- Immanis crudelitas hostiū aduersus pios Dei seruos. Hiero Sauanerolæ martyrium.

tus est Florentiæ.his exemplis solent illi Gigantes deterrere à veritatis professione pios. Porrò vbi hęc fient dices? Respondent *in spirituali Sodoma & Ægypto*: mores Sodomæ noti sunt ex cap.19.Gen. Ægypti verò ex Exodo Mosis, & fine Geneseos. Iam imperia, quæ moribus his vtuntur spiritualiter dicuntur, hoc est, per allegoriam, Sodoma & Ægyptus. Sodomitæ sunt impuri, libidinarij, in omnem venerem effusi, simúlque bonis intolerabiles, quæ si non alibi, certè Romæ reperiri totus testatur mundus, aluntur lupanaria, impunè vagantur libidinosi per omne genus Veneris, imò laus est mœchis & scortatoribus proposita. Ægyptus dura seruitute pressit populum Dei, eundem premit tyrannide indicibili Romanus Pontifex. Allegoricè igitur, Roma est Ægyptus, & Sodoma, Babylon & similia. Addit autem *D. Christum ibi crucifixum esse*, ostendens Ierosolymam hos etiam mores induisse, de quo Ezech. 16. nam illic certum est Christum crucifixum fuisse. Ideo conspirant illa tria nomina, Sodoma & ob libidinem, Ægyptus ob tyrannidem, Ierosolyma ob carnificinam, Roma hodie.

Roma hic per Sodom. & Aegyptum notatur. Matt. 23. Luc. 13.

Vers. 9. *Et videbunt.*

Notoria impietas erit Romæ, simúlque toti orbi piorum calamitas orta ab Antichristo, Porrò *tres dies & dimidius*, idem videntur mutato genere orationis cum mensibus 42. qui efficiunt tres dies Angelicos & dimidium, h.e. tres annos & dimidium, significans etiam hanc piorum calamitatem Deo esse certis finibus inclusam, adeóque numero certo præfinitam, quam non possit impij supergredi, ac ob id breui temporis spatio consolatur pios, potiùs dies, quàm annos appellando.

Insulatio Papæ aduersus piorum casus.

Vers. 10. *Et incolæ terræ.*

Describit impiorum applausum ex victoriis contra pios doctores. *Gaudebunt incolæ terræ* scil. reprobi, qui cum bestia conspirarunt, lætabuntur editis gaudij gestibus & habitu, lugubres deponunt vestes, instituunt conuiuia, choreas, festa, pulsantur omnes campanæ, consonat totus monachorum chorus in illis triumphis, hæc est illa lætitia & bona dies. Tertiò *mittent sibi numera congratulatoria*, & præmia tyrannidis. Superiori anno, Italia, Hispania suas congratulatorias literas misit Galliæ, ob trucidatum Admirallium, omnes Episcopi, Monachi, seculares etiam & duces militiæ sibi congratulabantur, vestes dabant & accipiebant. Hic ille splendidus est triumphus contra Christum.

Applausus impiorum in calamitatib. piorum.

Ratio est, *quia illi testes duo cruciarunt terræ incolas*, h.e. habiti sunt causæ omnium malorum, iniurij toti orbi, Deo & hominibus molesti clamatores. Talis fuit Huss, Lutherus publica καθάρματα. Hoc iudicium mundi est de piis doctoribus, secus autem iudicat ipse Dominus in cælis, cuius audiemus deinceps censuram.

Vers. 11. *Sed post dies tres.*

Quartus locus est de restitutione sanæ doctrinæ, per certos & pios successores in locum interfectorum. Initio tempus annotat, *tres dies & dimidium*, h.e. totidem annos: nam dies Angelicos accipio, h.e. diem pro anno, quo sensu redimus in priora tempora propagatæ veræ doctrinæ sub cruce. Erant menses 42. qui efficiunt annos tres & dimidium, mox resoluit in dies 1260. quibus magno successu longè latéque debuit diffundi qui dies eosdem menses efficiunt. Nunc igitur de restitutione loquens, alio genere eundem numerum exprimit, nec abs re: nam ignominia sanctorum durauit etiam per tres dies & dimidium v.9. ideo restitutio eundem habet numerum, significans certas metas esse positas à Deo, tum calamitatibus, tum etiam promulgationi veritatis, quas non possit præterire. Hinc etiam illud fluit, esse in hoc mundo perpetuas vicissitudines, læta Deus admiscet aduersis, vt tristitia lætis, nunc in flore est doctrina Christi, paulò pòst exploditur & regnat Antichristi doctrina.

IIII. Locus de restauranda sana doctrina post persecutiones.

Mira huius mundi vicissitudo.

Deinde restitutionis modum exprimit, quasi annotando causas efficientes: *nam spiritus vitæ ex Deo eos ingreditur*, significans bona causa excitari, nam Dei Spiritus bonus est, sic vitæ author non potest non esse bonus. Itaque, Deo autore & impulsore reducitur veritatis propagatio, in ipsos autem interfectos ingreditur, non quod illi quadam μετεμψυχώσει ad vitam surgant: sed quia pios post se discipulos reliquerunt, qui illorum ingressi vestigia hoc idem saxum volunt in quo illi sudarunt. Sic Baptista venit in Spiritum Eliæ, hoc est, eandem doctrinam in mundo vrserunt. Sic Ioannes Huss venit eodem Spiritu, & postea Lutherus & deinceps semper aliqui. Stant igitur interfecti in pedes dum illorum causa defensa mundo commendatur: sic Huss per Lutherum in pedes est restitutus. Inde sequitur etiam alterum, quòd hostes consternantur: vident enim defendi causam martyrum, & doctrinam illorum esse Apostolicam, hoc mirificè eos angit.

Restaurationis ratio. Matt. 14. 16.

Vers. 12.

Vers. 12. *Et audierunt.*

Compensatio laborum sequitur, in hoc mundo miserè afflicti sunt, recipiunt igitur iustorum resurrectione alia præmia longè splendidiora, *Ascendite huc* eis dicitur. Allusit fortè visio ad Christi iudicis futuri verba, venite benedicti Patris mei, &c. aut ad historiam Eliæ 2. Reg. 2. qui ignoto cursu ex mundo sublatus est, aut certè ad nouissimi iudicij actionem verissimam, in qua obuiam Christo in aerem pij rapientur, 1. Thess. 4. Glorificatio pioru post martyrium.

Vers. 13. *Et in illa hora.*

Piorum martyrum & defensorum sanæ doctrinæ præmia est persecutus, iam contrà impiorum declarat pœnas, idque vocibus humanis. *Terræmotus* accipio trepidas impiorum conscientias, aut certè motus ciuiles, qui solent ex renouata sana doctrina oriri: mirificè enim perturbat imperia & Respubl. *Decimam partem ciuitatis* accipio pro infinita copia apud homines. Deo autem est certo cognita & limitata, idem dico *de septem millibus aßumptis terræmotu.* Deus hos numeros in promptu habet, apud homines infinitæ sunt copiæ. Reliqui dederunt gloriam Deo, hoc est, medij fuerant ideo impiorum pœnis correcti & emendati sunt, vt agerent vitæ pœnitentiam. Impiorũ pœnæ post mortem.

Vers. 14. *Væ secundum abiit.*

Μετάβασις est ad vltimam tubam: ostendit autem duos maximos motus in Ecclesia, seu in mundo propter Ecclesiam terminari Papatu & Turcica crudelitate, quas duas corruptelas mox nouissimi iudicij tempus subsecuturum sit. Itaque obseruetur diligenter illud ταχὺ, citò veniet Dominus, vt fur in nocte, oppressurus impios. Transitio ad 7. tubam.

Quare sequentia ad nouissimum iudicium referamus.

Vers. 15. *Et septimus Angelus.*

Altera pars huius capitis, de septima tuba, ad cuius clangorem omnia Christo subiiciuntur, magna cum sanctorum omnium congratulatione, & impiorum tristissimo interitu: quæ omnia hîc quidem initia habent, sed in nouissimi diei iudicio, ad plenum reipsa videbuntur compleri. Initio exprimitur sanctorum in cælis congratulatio, quòd *facta sint regna mundi Domini & Christi*, hoc est, ad plenum illi omnia subiecta, atque gubernatione retinebit omnia in sua potestate. Sic Apostolus dicit ad Philip. 2. In nomine Iesu omne genu flectendum esse, Sic 1. Corint. 15. Omnia subiicientur ei. Summa loquitur de Christi gloria, quæ in illa generali synodo totius mundi declarabitur, de quo Matth. 24. 1. Thess. 4. Infra 19. & 20. & in Daniel. 12. similia habentur. Expositio tubæ septimæ in qua de vltimo iudicio, & Christo iudice.

Vers. 16. & 24. *seniores.*

Secundo loco conclamant & membra Ecclesiæ, nam priores voces videntur Angelorum esse, hæ autem Ecclesiæ triumphantis in cælis. Ostendunt autem seniores isti, quid nos in terra facere oporteat, scilicet hoc ipsum ardentibus votis optare à Deo, & vt id impetremus gestum accommodandi sunt, cadere oportet in terram, hoc est, oportet nos humiliare & pœnitere, deinde adorandus est vnus ille Deus, de quo plura supra cap. 4. Canticũ de victoria Christi.

Vers. 17. *Dicentes, Gratias agimus.*

Mores expressit, nunc sermonem congratulantium subiungit, Deum describunt æternitate, quæ præcipua eius est nota, sic Exod. 3. Iehoua dicitur, & ehieh, Erit misit me ad vos. Verba & causa cãtici congratulatorij.

Deinde causa congratulationis est iustissima, *quia recepisti potestatem tuam magnam*, vel accepisti, quoniam Deus semper habet & habuit plenum & merum imperium: sic Christus quoque dicit sibi omnem datam esse potestatem, quam vtique habet, nec demum in nouissimo iudicio accipiet, Interim si cursum huius mundi inspicias, non videbitur tibi regnare Christus, imò Antichristus, nec Deus, sed Satan: tanta enim rerum omnium apparet ἀταξία, quæ dum plenè tum delenda sit, meritò dicitur accipere, quod vix est visus iam habere. Deinde potestas illa magna in hoc mundo communicata est aliis, & Dei gubernatio tradita est monarchis & magistratibus, vnde dij vocãtur, quandoquidem Dei vicarij sunt in administranda iustitia: sic administrationem Ecclesiæ suæ Christus commisit ministris & piis Rerump. præsidibus. Verùm quia hic vterque gladius malis custodibus, vt plurimùm traditur: Dei enim gubernationem inuadit Satan, Christi administrationem ad se rapit Antichristus, ideo hoc totum ius in illo die ad se plenè iterum visibiliter quoque reducet, & illos tam indignos vicarios Dei & Christi plenè vt par est malos malè perdet.

Vers. 18. *Et gentes iratæ sunt.*

Impiorum perturbationem describit ad hoc Dei iudicium, murmurant illi semper contra Deum, & in hora pœnarum. ideo hîc de malis seorsim, mox de piorum præmiis quoque loquitur, denique impiorum pœnas repetit. Ira solùm ad reprobos spe- De pœnis & præmiis impiorum.

ctat, sic perdere vastatores terræ, dare præmia seruis Dei ad solos electos. Porrò præmia non intelliguntur meritoria, vt ferè hodie solent: sed compensatoria dona diuinæ misericordiç, quam rem eleganter mihi videtur explicasse Haymon ille episcopus Alberstacensis, his verbis. Sic videntur sonare hæc verba, quasi præcessisset meritum electorum, pro quo sint mercedem recepturi: non enim redditur, nisi quod debetur, sed non ita est, quia scriptum est, Quis prior dedit illi, vt retribuat ei? & alibi Gratia saluati estis, & hoc non ex vobis, ne quis glorietur. Sciendum est itaque, quia vt aliquid Deo daremus, prius ab illo accipimus, cuius misericordia præuenit nos, vt velimus, subsequitur, vt operemur, vnde Psalmista, Misericordia eius præuenit me, & misericordia eius subsequitur me. Itaque quod accepimus & Dei est, quia ipse dedit, & nostrum, quia nos ab illos percepimus, & ideo cùm Dominus mercedem reddit, sua ipse dona in electis remunerat. Sub hac intelligentia quotidie dicimus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: si noster est, cur vt detur petimus? sed fit nostrum accipiendo, quod non erat habendo.

Reliqua plenam habent partitionem, ad quos scilicet præmiorum distributio pertineat, ad paruos vt ad magnos, quasi dicat, hic nemo etiam pusillus negligitur.

Ad pœnas etiam pertinet, *quòd Dominus perditurus sit vastatores terræ.* Vastarunt illam primùm ferro & igni, quales grassatores omnibus ætatibus plurimi fuerunt: hinc enim fames & pestis oritur vera διαφθορὰ terrç. Deinde impiis moribus pollunt, quod ipsum quoque est vastare: libidine sua & scortationibus omnia complent, ebrietate & blasphemiis omnes corrumpunt, auaritia & exactionibus exugunt etiam pauperum sanguinem. Demum etiam impiis dogmatibus, quæ vel ipsi spargunt, vel ab aliis spargi permittunt, & sparsa tuentur, qualis Arriana olim fuit corruptela, mox Antichristi regnum, meris hominum traditionibus Ecclesiam diuexans. Has corruptelas omnes seuerissimè puniet Dominus.

Expositio visionis qua subiicit oculis iudicium extremum.

Vers. 19. *Et apertum est.*

Perfectum sanctorum statum vult describere post hanc vitam, ideo his sancta sanctorum aperit, & monstrat propiciatorium. Allusit autem visio ad tabernaculum Dei, quod templi habebat ideam demum per Solomonem extructi. Templum Dei est recondita illa cælorum maiestas, lux inaccessa in hac videtur arca Dei, hoc est, Christus homo & Deus, is enim est propiciatorium nostrum, in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter Colos. 2.

Fiunt autem *fulgura, voces, tonitrua, terræmotus & grando,* vocibus, quæ res atroces & calamitates exprimunt, miseriam damnandorum proponit. Sic Psal. 11. Pluit Dominus super peccatores laqueos ignis & sulphuris, & tempestatis. Alij putant ad legislationem allusum esse, vt suprà quoque vidimus Exod. 19.

CAPVT. XII.

Ὑπόθεσις ca. 12. 13. & in quibus de quarta visione.



Varta visio describitur hoc cap. 12. 13. & 14. ac quòd rem ipsam & materiam visionis attinet, non multum à superioribus distat: nam noua describuntur certamina Ecclesiæ Christi, quæ sustinet propter Filium Dei, & propagationem sanæ doctrinæ. Saltem mutatis personis visionum, tanquam in comœdia noui actores, ac personç producuntur. Supra erant varij equi discurrentes, Angeli buccinatores, Angeli ligati, & mox soluti in perniciem mundi, Agnus Dei in senatu cælesti aperiens in ordine sigilla libri secretorum Dei. Sed iam producitur mulier parturiens, Angelus Michael eius defensor cum suis Angelis. His apponitur draco Antimachus, cui bestia ex mari, & alia bestia ex terra astipulatur, hinc Agnus in monte Zion litem omnem plena victoria dirimit. Itaque de nouo, cursus Ecclesiæ proponitur, noua visione.

Propositio generalis.

Propositio est, Ecclesia Christi quanquam incommodo vtatur in his terri hospitio tamen in mediis persecutionibus semper fœcunda est, certáque de protectione diuina, sperat tandem plenam victoriam contra Antichristum & omnia satanæ organa, quam consequitur beneficio Agni Dei delentis & abolentis opera tenebrarum plenè tandem suo vltimo aduentu.

Argumētū, ca. 12. huius. Loci prçcipui primi membri.

Ac præsenti hoc capite 12. describitur initio prima velitatio draconis contra semen mulieris, in qua defensores mulieris præualent. II. Triumphus piorum post victoriam Christi, ac congratulatio, III. Draco post acceptam cladem restaurat bello & vires igitur colligit vndique, vt mulierem cum illius semine ac posteritate planè deleat.

Primum membrum, quod iam nobis explicandum est, his constat partibus: principio

pio ponitur διαγραφὴ perſonę ſuſtinentis molem calamitatum propter filium Dei II. alia eſt diagraphe perſonæ inſidiantis mulieri, & eius ſemini, illic eſt mulier prægnans hic verò draco horrendus mulieris Antimachus. III. Additur mox draconis primus conatus lędendi ſemen mulieris quod diuina tamen ratione eripitur periculis vnà cum matre, filius in cælum, mulier verò in deſertum. IIII. prælium apertè committitur inter partes mulieris & draconis. V. Victoria melioris partis in cauſa bona & pia. in qua ſimul plenius deſcribitur draco ille, vt conſtet quis ſit.

Verſ. 1. *Et ſignum magnum.*

Nouus eſt actus quo curſus Eccleſiæ depingitur, ſuperioribus non diſſimilis, ſignum magnum vocat nouas viſionis perſonas, & atrociora certamina, quæ inter mulierem & draconem committuntur. In cælo autem viſa ſunt illius rei ludicra, ſed reipſa in terris complentur. Atque hæc particula nos ad diligentiam excitat, vt attentè ſequentia audiamus, ac tanquam in ſcæna oculis contemplemur fortunam noſtram, qui piè in Chriſto cupimus viuere.

Tranſitio ad eccleſiæ deſcriptionem ſub nomine mulieris.

Sequitur deſcriptio mulieris, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ in mediis perſecutionibus fœcunda eſt. Ac mulier indubiè Eccleſia eſt, nam propter imbecillitatem commodiſſimè mulieri confertur, deinde mulieri prima data eſt promiſſio de ſemine, à quo caput draconis conteri debet. Et Apoſtolus ad Ephe. 5. verſ. 25. Chriſtum marito Eccleſiam verò ſponſæ confert. Ita ad Gal. 4. verſ. 26. Sara & Agar duarum Eccleſiarum ſunt ſymbola.

Mulier igitur, hoc eſt, Eccleſia ſponſa Chriſti, *amicta eſt ſole*, ſol Chriſtus eſt, induta igitur ſole dicitur, ornata iuſtitia, & meritis Chriſti, defenſione & gubernatione eius ſepta, inde dicimur induere Chriſtum, hoc eſt, abnegatis nobis ipſis, Chriſto ſoli fidere, & ad illius præſcriptum viuere. Deinde in ſole eſt etiam ardor, vt ſplendor, induta igitur ſole dicitur Eccleſia, hoc eſt, in conſpicuo poſita, vt latere non poſſit, quemad. res. quę ſoli expoſitę ſunt: itaque Eccleſia in mundo, prę omnibus aliis ſectis conſpicua eſt. omnium odiis expoſita: & in ſole eſt, hoc eſt, cruci ſubiecta, & calamitatibus torretur. Tertiò *lunam habet ſub pedibus*, alias lunam perſonam Eccleſię repræſentat, ſed quia hoc loco mulier hanc perſonam refert, luna ei ſubiecta Eccleſiæ maieſtatem repræſentat: luna enim res terrenas ſua mutabilitate exprimit, varietatem etiam crucis & caſuum, quæ omnia mulier etiam illa pedibus calcat, hoc eſt, nulla ratione patitur ſeſe abduci à ſole ſuo Chriſto, calamitates facilè perfert, fortunæ illecebras, hoc eſt, opes honores, ac vires contemnit.

Quomodo Chriſto ſolet iuſtitiæ induatur Eccleſia. Gal. 3. v. 27.

Eccleſiæ maieſtas

Quarto *coronata eſt*, hoc eſt, glorioſa eſt in Chriſto & iam iam victoriæ trophæa circumfert. Duodecim ſtellæ ſunt omnes pij doctores, ſanæ doctrinæ propagatores in primis 12. Apoſtoli, qui Eccleſiam primam mirificè exornant, hinc omnes pij martyres, doctores, propagatores Apoſtolicæ doctrinæ, atque illa omnia maieſtatem mulieris deſcribunt.

Quintò *eſt prægnans*, hoc ad commiſerationem facere poterat apud homines ſanos, verum hic ad malorum atrocitatem pertinebit. Prægnans autem eſt Eccleſia, hoc eſt ſemper fœcunda etiam in mediis calamitatibus: ſemper enim pios relinquit poſteros qui ſuis ætatibus poſtliminio veram doctrinam reuocent.

Sextò *vicina partui*, ſignificat occaſiones perſecutionum ſumi ex ipſo partu Eccleſiæ, hoc eſt, dum aliquos excitat Chriſtus, qui reſtituant ſanam doctrinam. Itaque dum vicinus eſt partus, vicina etiam ſunt pericula.

Septimò *clamatur doloribus partui*, Non latet Eccleſia ſemper, in primis in partu, non abiicit veritatis confeſſionem, non deſerit doctrinam, ſed clamat voce magna.

Quomodo prægnans & parturiens eſſe dicatur Eccleſia.

Verſ. 13. *Et viſum eſt aliud ſignum.*

II. eſt locus qui habet contrariam deſcriptionem, draconis ſcilicet qui eſt mulieris Antimachus, Draco dicitur hoſtis Eccleſiæ, quia ſerpentina calliditate ſemper inſidiatus eſt humano generi, & per mulierem in ruinam pertraxit, vt eſt videre in colloquio ſerpentis & Euæ. Ideo infra ver. 9. ipſe Ioannes draconem diabolum & Satanam interpretatur. *Magnus* autem eſt, conſilio calliditate, ἀπὸ τοῦ δέρκειν Græci draconem appellarunt, mirabile eſt ei acumen in viſu, ſignificans callidum eſſe hoſtem Eccleſiæ. Deinde magnus etiam eſt copiis & authoritate in hoc mundo, magna habet organa, potentes monarchas, arma bellica, vim bellorum & neruos, ipſam pecuniam, prudētes conſiliatores, quæ omnia magnum efficiunt illum hoſtem. Tertiò *rufus eſt*, hoc eſt, ſanguinolentus, ſitit ſanguinem, quo aſperſus adhuc madeſcit, ſanguis Abelis, Prophetarum, Apoſtolorum, piorum Martyrum, illum colorem ei dedit, vt cognoſcatur homicida. Quartò, *habet capita ſeptem*, ad plenum ſibi prudens videtur aſtutus &

Deſcriptio draconis hoſtis Eccleſiæ.

callidus: caput enim, prudentiæ & rationis est sedes, septenarius autem numerus perfectionis est, infra septem colles ei tribuuntur, vnde non malè Papa idea est, quia alias septem capita, hoc est, regna tenuit, & septemuiratum Romani imperij suo iudicio subiecit. Quintò, *cornua habet decem*, hoc est, robur quoque perfectum & abundans. In Dan. cap. 7. bestia quarta, quæ adumbrat Romanum imperium quoque habet cornua decem, quæ non malè decem regna & totidem reges significant: in genere tamen cornu potentiam significat, & caput consilij, quæ in Papatu facilè monstrari possunt contra Christum. Sextò *coronata sunt capita*, hoc est, autoritatem habent sua consilia, & testimonia victoriarum contra Ecclesiam. Septimò, *cauda draconis trahit stellas de cælo*, nocendi vim significat inesse draconis caudæ. Cauda finis est temporis, vel vltima pars, quòd draco sit Romanum imperium, tum illius cauda erit Papatus, nam in hunc tandem degenerauit: sin draco sit ipse Papatus tum cauda eius est clerus, fraudibus suis post se abducens sapientes huius mundi. Sin draco sit Satan, vt est, cauda eius fuerit falsus doctor, qui trahit stellas de cælo, h. e. illustres viros eruditione, sapientia, opibus nobilitate dementat, vt de cælo, h. e. vera Christi Ecclesia excidant, & cadunt in terram, h. e. carnales efficiuntur, carnalia curant & sapiunt. Sic stellæ debebant esse in cælo, h. e. Christi Ecclesiæ lumina debebant esse Episcopi, cardinales, monachi: sed quid sit? intermissio suo officio carnalia prorsus curant, crapulæ seruiunt, venerei sunt scortatores, venatores, bellatores &c.

Mellita consilia Antichristi, quibus vna manu ostentat panem altera verò lapidem minatur.

Et draco stetit ante mulierem. Tertius locus, qui iam nobis describet primum draconis conatum lædendi mulierem. Mens est Satanam, vel Antichristum, cùm Ecclesiam Christi deleturus est, hoc ipsum, primitus illecebris & blandimentis conari facere, astu & fraude fallere, illa igitur cauda est scorpionis, & bona illa serpentis verba, quibus Euam decepit. Hodie talia consilia sunt frequentissima, vt vna manu monstretur panis, altera verò lapis: sic draco ille stat ante mulierem miseram, quasi condoleat fortunæ eius, vt bonus consultor suadet, quæ sunt in illius pacem, scilicet fingunt etiam tales sæpe lachrymas, testantur Deum & homines, ingemiscunt, fingunt se causæ fauere, agnoscere veritatem, nec ab ea alienos esse, & quid non? Sed stant, hoc est oriosi in causa ipsa sunt, præter verba nihil habebis, oratores, hoc est, impostores insignes sunt.

Describitur conatus draconis in lædenda muliere & eius semine.

Deinde, *coram muliere parturiente stat*, hoc est, probè venatur occasiones cognoscendi posteritatem Ecclesiæ, vt hanc in herba opprimat, nascentem sobolem de medio tollat, sed nihil tale fronte simulant, altissimo silentio tegunt sua consilia, interim obseruant omnia probè.

Tertiò, laruam detegit Spiritus sanctus ostendens finem consiliorum illorum esse, vt deuoret filium nascentem illud est monstrare panem & impingere lapidem, simulare amicitiam Ecclesiæ, & absumere illius seminarium: dare pacem piis, vt sub pacis specie funditus deleas, quam fraudẽ reges hodie probè didicerunt, quid enim Galliæ pax aliud est Ecclesiæ Christi, quàm ipsa laniena sanctorum, & tamen homines statuti semper excusant has artes, & stulta est Ecclesia, quæ toties periuro draconi fidem habet.

Vers. 5. *Et peperit filium masculum.*

Ecclesia dicitur parere filiũ masculum quod de Christo exponitur.

Ecclesia in mediis periculis fuit prægnans, nunc in conspectu quoque draconis parit. Hoc metuebat draco, ne dissimulauit mulier, ideo draco, simulauit amicitiam, vt partum posset perdere. Documenta sunt hæc Ecclesiam candidè agere, non aliud verbis promittit. & aliud habet in pectore clausum, non dissimulauit suum vterum, non dolores partus suppressit, imò clamoribus hos est testata, iam etiam palàm parit, hoc est, sollicita est, vt posteritas habeat pios veritatis defensores, quos instituit, format & alit, demùm etiam palàm mittit, & iubet docere. Filius autem masculus est, hoc est, animosus, & ad causæ defensionem hilaris, & alacer, In primis verò Christo competunt, qui natus ex muliere assumpta nostra carne, draconi huic sese opponit. Ideo quæ sequuntur ex Psalm. 2. de Christi imperio loquuntur, interim ad bonos veritatis defensores pertinent: nam Christus per illos regnat, & ipsa doctrina Euangelij, Christi est virga. Hic igitur masculus filius eripitur illis insidiis: Sic Christus ereptus est, gloriosè ascendens ad cælos, sedens ad dextram Dei Patris: infans ereptus per fugam in Ægyptum. Veritatis defensores quoque eripiuntur sæpe. quanquam multi in terra dent pœnas, eripiuntur tamen ad Dei thronum, hoc est, vt Satan nocere animabus non possit. Istuc igitur nobis est respiciendum, quo Christus sese contulit, hoc est, ad Cælestia, quo iam in Christo translati sumus. Ephes. 2. v. 6.

Eripitur ab insidiis filius.

Vers. 6. *Et mulier fugit.*

De sobole liberata dixit, nunc defensionem Ecclesiæ quoque persequitur. *Fugit misera*

fera mulier in desertum, hoc illius puerperium est, mundus fugam mandat parturienti Ecclesiæ: fugit igitur in desertum, sic tempore Apostolorum fugit ex Iudæa ad gentes, hodie de loco ad locum migrat. Desertum significat Ecclesiæ hospitium valde esse incommodum: nam desertum locus habitationi minimè est idoneus, habet insuper feras, tempestates, & alia mille incommoda. ad similia igitur cogitur fugere Ecclesia. Hodie res satis testatur, quantum sit hoc desertum, in Gallia habitat Ecclesia, tanquam in sinu Medeæ, non enim parcit propriis natis, igni, ferro, laqueo, aquis omnia vastat. Sic in aliis nationibus inclementer tractatur, in Hispania, Italia non tutum est profiteri nomen Euangelij, in Germania vtrũque durat. In his malis cogitemus desertum præparatum esse hospitium Ecclesiæ, incommodum quidem, at admodum necessarium. porrò Deus sic prouidet, vt Ecclesiæ subueniat locus desertus, quò erigamus animos, Deum semper Ecclesiæ præsentem esse imò præfixas esse metas temporum. Ideo commorãdi tempus est expressum hoc loco, *dies* 1260. hoc est, certum tempus est calamitatum, quod non præteribit Dominus, sed aliquando restituet Ecclesiæ, pro deserto magis commoda loca. Idem tempus est mensium 42. trium dierum & dimidij, trium annorum & dimidij: item tempus tempus tempora & dimidium temporis, breue spatium exprimit & finitum coram Domino, vt vt nobis satis diuturnum sæpe videatur: Interim Halcyonios dies expectat in deserto.

Liberatur Ecclesia ab hostibus fugiens de loco in locũ.

Deus semper tuetur ecclesiam. Sup. 11. v. 2. 3. 9.

Vers. 7. *Et factum est prælium in cælo.*

Quartus est locus, nam cùm astus draconi non successerit, iam palàm furit & ad arma concurrit. Bellum igitur est quicquid hostiliter lædit Ecclesiam & veritatem sanæ doctrinę, qualia sunt vis aperta, quando tyranni armis conantur eam opprimere, deinde dogmata perniciosa, contra sensum Scripturę introducta, hoc totum est bellum Ecclesiasticum, ac videtur in cælo geri, cùm reuera in terris ita fiat.

Deinde à quo defendatur causa mulieris. *Michael*, inquit, *& Angeli eius bellum gesserunt contra draconem*, indubiè alludit visio ad cap. 10 & 12. Danielis, vbi Angelus Michael quoque princeps est, & defensor populi Dei. Sonat autem Michael, quis vt Deus? Itaq; Dei quædam virtus est potens, cui nullum robur possit resistere, ideo Michael ille est Christus promachus suæ Ecclesiæ: Angeli autem eius symmachi sunt, ad quos etiam refero pios doctores, qui opera sua promouent causam sanæ doctrinæ.

Quomodo Michael Ecclesiæ tutelam suscipiat aduersus draconẽ & eius Angelos

Ac suauis est consolatio, quòd Christus ipse præest his prælijs: non enim deseret nos vsque ad finem mundi. Deinde quòd Angeli pro Ecclesia excubias agunt, quemadmodum Angeli circa Elisæum, & populum Dei in Babylone. Habemus igitur custodes Angelos, ne metuamus quid nobis faciat homo. Tertiò qui sunt aduersarij? *draco & sui Angeli*, h.e. ille idem hypocrita, qui mulieri priùs astitit, & astu voluit delere sobolem eius, id cùm non potuerit vim apertam minatur fugitiuæ mulieri: pugnant igitur illius organa, hoc est reprobi Angeli, & organa Satanę, impij homines, quorum caput est Antichristus, & alij mali doctores ac tyranni, qui regnum Satanæ augent suis erroribus, ac vitæ corruptela. Pugnant autẽ variis modis tentando, quemadmodum Christum in deserto tentauit magnifica spe præmiorum, hæc omnia tibi dabo incitando malos doctores, ac proditores, qualis erat Iudas, & hodie ei multi similes, ab alienando populum ac præsides Reip. sic in Christum incitauit Pharisæos, populum, Herodem, Pilatum, vt tandem occideretur. Hodie manifesta vi, proscriptione, exilio, carcere, tyrannide, bello, igni & ferro accedunt fulmina excommunicationis, sententiæ damnationis, derisiones, hæreses, & nihil non molitur archidæmon contra hanc mulierem.

Ecclesiæ hostes quinam sint.

Vers. 8. *Et non obtinuerunt.*

Quintus locus est de pleniore victoria mulieris, fraus prima malè ei cessit, nunc etiam vis aperta dæmonem fallit. Bellum commissum est, *sed nihil valuerunt*, hoc est, dæmon cum suis Christi Ecclesiam, nec sic delere potuit. Deprimit eius vires mirificè verbo *οὐκ ἴσχυσαν Sy hand nutt vermoegen*, hinc impotens dicitur dæmon, *der onmechtig*, quia in congressu cum Christo semper succumbit: Christus enim nouit artes eius, & robur Christi potentius est, ideo dicitur, In me non habet quicquam, & de potestate Christi, quod portæ inferorum non præualeant contra hanc petram. Hoc facilè probat euentus, si quis diligenter obseruet, ferit & sęuit, attamen nihil proficit: imò quantò truculentiùs facit, tantò latiùs serpit veritatis ignis.

Qupmodo Christus superior sit in defensione Christi aduersus Satanã.

Secundò *non repertus est locus eorum in cælo*, hoc est euanuit in visione pars illa victa significans turpem Satanæ fugam: sic in deserto tentans Christum, turpiter discedit: in muniendo sepulchro Christi, fœdè illusus est, Christus enim resurgit potenter, præsentibus & attonitis custodibus sepulchri. hic etiam deletur locus illorum in cælo.

Ioan. 14. Matt. 16.

Verſ.9.III. *Proſternitur in terram*, more victoris Michael hoſtem ſuum fugat : & proſternit cum omnibus ſuis copiis : in terram autem proſterni eſt planè exuere omni præſidio impotentem redire, & ignominioſè repellere.

Deſcriptio draconis eiúſque interpretatio.

Hic additur illuſtris notatio draconis, vt quiſnam ſit planè intelligatur. Draco à ſolertia nomen habet, vel vi perſpiciendi δέρκειν enim eſt videre. *Serpens* à calliditate latinis, ſinuoſus enim eſt, & ob id callidus intelligitur *antiquus* verò, quia mox primos parentes fraudibus ſuis decepit, *Diabolus* idem eſt, quia potens eſt impoſtor, calumniator argutus δυνάμενος διαβάλλειν καὶ ἐκ τῶν φίλων ἐχθροὺς ποιεῖν. Satanas ſeductor, dixi aliàs ex Iuſtino Martyre dici cõcisè, vt Iuſtino quidem videtur Satanas, pro Satana has, quò non malè Hebræis duabus dictionibus reſpondet Satan & Nacaſch, prius hoſtis eſt, poſterius ſerpentem ſignificat, ideo hîc additur hunc ipſum draconem *ſeducere totum orbem*, id quod vero verius eſt.

Diabolus eſt omnium malorũ author.

Diabolus omniũ malorũ architectus eſt, falſis opinionibus conſpurgat religionem. reprobis moribus inficit vitæ ſimplicitatẽ, licentia omnia euertit, idolatriam ſpargit & tuetur in Magiſtratibus tyrannidem alit in ſubditis ſecuritatem, in religioſis impietatem, in idiotis Epicuraiſmum, ſummam ἀταξίαν in omnibus rebus molitur hic ille draco eſt mulieris, & eius ſeminis hoſtis.

Verſ.10. *Et audiui vocem magnam.*

Summa II. partis capitis in qua de triũpho piorum poſt victoriam.

Secunda pars capitis deſcribit nobis triumphum piorum poſt victoriam : ac initio ſancti conclamantes fatentur omnia ſub Dei ac Chriſti eius poteſtatem redacta eſſe, quod habet vim propoſitionis cuius ſenſus eſt. Deus in Chriſto tandem plena victoria conteret aduerſariam vim electis ſuis ac plenum redemptis. ac loquuntur ſecundum viſionis formam, quaſi de rebus iam actu completis, quæ tamen in nouiſſimo demum iudicio hanc perfectionem conſequentur.

Tituli, Deo & Chriſto competunt.

Tria autem Deo tribuunt, *ſalutem potentiam & regnum.* quæ quidem ſemper Dei fuerunt, ſed mundo res non fuit ad plenum notoria: fiet autem in illo vniuerſali iudicio, itaq; tum verè ſic cõclamabitur. Chriſto autem vnum aſſignant ἐξουσίαν, *poteſtatem ſcz. iudiciariam*, nam omne iudicium Pater Filio dedit. & Apoſtolus teſtatur omnes ad tribunal ipſius ſtatuendos, quæ cùm quidem ſemper ſint vera, tamen in illo catholico conuentu totius mundi, reipſa vera eſſe ad ſenſum & oculum comprobabuntur:

Explicatio rationis cur plenè vicerit Chriſtus.

Reliqua verba in hoc verſu habet vim rationis. cur enim Chriſtus ad plenum vicit tandem? Reſpondent ſancti hanc cauſam eſſe, *quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* q.d. ad plenum nunc eſt debellatus, ergo Chriſtus ad plenum vicit : nam quemadmodum de Chriſti victoria locuti ſunt, ita contra iam de diaboli deiectione loquuntur.

Iob. ca.1.

Accuſator eſt Satan, quæ proprietas in hiſtoria Iobi ſatis apparet, vbi Iobum traducit coram Domino: ſic Deum quoque criminatus eſt coram Eua, idem ingenium adhuc ſernat indeſinẽter coram Deo pios defert, coram magiſtratibus & principibus cauſam Chriſti impunat, accuſat ac damnat. Deinde obſeruetur *fratres eſſe* & dici fideles accuſatos à Satana, eorum, qui iam in cælis triumphant, quod habet ſingularem conſolationem : nos in terris, quanquam accuſemur à diabolo, tamen à ſancti agnoſci pro fratribus. Tertiò indeſinens accuſandi ſtudium exprimitur, quia facit hoc *die & nocte.* hoc eſt, in deſinenter, quod nos debebat vigilantes reddere. Si enim diabolus tam ſtudioſè noſtra ſcelera defert ad Deum, oportebat nos longè eſſe vigilantiſſimos, ne dignis modis nos deferret, ne iuſta nobis eſſet metuenda damnatio. Et reuera ſocordia, vt oſcitantia noſtra infinita ſubminiſtrat diabolo argumenta criminandi, quę ſobriè & vigilanter viuendo poteramus ei adimere. Excitemus igitur nos ad vigilantiam, & accuſatori occaſiones criminandi eripiamus, in primis, cùm hîc ſcribatur, eum iam proiectum eſſe. Id quidem præſtitit Chriſtus ſua morte, vnde dicit ſaluator apud Lucam capite 10. verſicul. 18. ſe vidiſſe Satanam cadentem de cælo, tanquam fulgur. Chriſtus enim fortis eſt ille armatus, qui atrium ſuum probe cuſtodit, & Antimachum diabolum ſpoliauit omni robore. ne igitur nos noſtra armemus malitia, quam Chriſtus ſua vicit iuſtitia, turpe hoc ſit Chriſtianis.

Tria media & cauſæ, per quas pij vicerunt Satanã.

Verſ.11. *Et ipſi vicerunt eum per ſanguinem.*

Tertiò loco additur rationis confirmatio, qua cauſarum aceruum congerit, quibus pij quoque ad tantam victoriam peruenerunt. Vicit primariè Chriſtus, ſed pij omnes quoque in hoc certamine vincunt certo ordine & cauſis.

1 Sanguis & meritũ Chriſti.

Vincunt primùm *per ſanguinem Agni*, ſupra cap.5. verſ.9. ſanguis Agni redemptionis pretium fuit, itaque hic idem rectè dicitur alio dicendi genere. Sic Apoſtolus inquit, nos redemptos Chriſti ſanguine, idque gratis, ne quis glorietur, hoc ſanguine diabolum vicimus, hoc eſt, Chriſti merito, quod nobis applicatur, & in quo vno poſſumus ſeriò gloriari.

2. Piorũ officiũ.

Altera cauſa ſumitur ab officio piorum, quod eſt, *teſtimonium præbere ſermoni veritatis*, hoc eſt, conſtanter

ter & indesinenter docere Christi merita.

Sermonem testimonij ipsorum dixit, docendi perpetuum studium: nam pronomen αὐτῶν satis declarat sanctos loqui de piorum sedulitate. Vincunt igitur Satanam, docendo & propagando Euangelium: sic Apostolus, vsque ad Illyricum propagauit, vt ex multorum cordibus eiecerit diabolum. Hodie reducta sana doctrina vincitur Antichristus, & rubore suffunditur, vt vt fremat.

Tertiò, professioni accedat oportet constantia, nam abiecta professio veritatis, inutilis redditur. Itaque hoc quoque inter causas victoriæ connumeratur, quòd *animas suas non amarint, vsque ad mortem*, hoc est, præ Christo omnia contempserunt: qui enim animam suam dilexit in hoc casu, amittet illam, qui autem odio habuerit, reperiet illam, seu custodiet illam in vitam æternam. Atque hoc proprium est piorum constanter seruare confessionem veritatis, nec vllo metu periculorum illam abiicere. 3. Piorũ constantia. Ioan. 12. vers. 25.

Vers. 11. *Propter hoc lætemini.*

Quinto loco additur conclusio triumphi, habet illa apostrophe ad pios: vocat autem cælos etiam in consortium gaudij, consueta hyperbole S. Scripturæ. Et quia cælum est habitaculum sanctorum, ideo mox habitatores eius quoque prouocat, intelligimus autem omnes, ad finem vsque adhuc nascituros, quique πολίτευμα suum in cælis habent, ad hos omnes, inquam, pertinet illa congratulatio. De triũphi conclusione.

Alterum membrum conclusionis loquitur de misera damnatorum conditione: huc pertinent illa, *Væ incolis terræ & maris, quia descendit ad vos diabolus, habens furorem magnum, sciens quia tempus breue habet.* Incolas terræ & maris coniungit, opponens eos cælorum incolis: & quemad. cæli piorum sunt mansio, sic contra terra & mare impiorum est habitaculum. Terra quia terrena sapiunt, mare autem propter inconstantiam. Sic Esa. 57. Cor impij est vt mare feruens, & mox addit, Impio non est pax. Sic Iudas in Epistola sua vers. 13. Eos esse fluctus maris sæui, propriam turpitudinem despumantis. 2. Membrum cõclusionis in quo 1. est deploratio miseri status damnatorũ.

Ratio deplorationis est, *quia descendit ad vos diabolus.* Sic quidem interpretatur Satan, se descendere in sua, at priùs audiuimus victum bello, præcipitatum esse. Eiectus igitur cælis, terrena peruagatur, & eiectus ex Christi Ecclesia, impiorum cœtus sequitur. Iusta igitur est dolendi causa, præsentia enim diaboli omnium malorum habet occasiones plenas. 2. Ratio deplorationis & illius partes.

Tertiò additur, quòd non simpliciter veniet ad eos, *sed ingenti furore percitum venisse.* θυμὸς est in Satana, quia Christi virtus illum vicit, reparantem vires iterum atque iterum spoliauit, cedit igitur inuitus, & in mundo vndiquaque copias contra Christum colligit.

Quartò temporis breuitas iram conceptam acuit, videt enim paulò pòst, acie sua inclinata, restare ipsam damnationem, & finalem sententiam nouissimi iudicij. Breue igitur tempus est, quicquid superest vsque ad mundi finem, hoc totum probè nouit Satan, ideo quàm studiosissimè incumbit in hoc, vt quàm plurimos secum trahat in ruinam. Hæc breuitas & illi est occasio furoris, ita nobis sit ingens consolatio.

Vers. 13. *Et cùm vidisset draco.*

Tertia est capitis portio, in qua à victis renouatur & reparatur bellum, in qua animi pertinaciam satis declarant: victi enim modestè pacem colere debent, id non præstat draco, sed reparat vires de nouo, *persequitur* autem *mulierem*, quasi calamitatis suæ materiam. Ecclesia enim Christi semper parit aliquos masculos viros, qui Satanæ fortiter resistunt. Hanc igitur petit, hoc est, cœtus, qui palàm Christum fatentur, eos conatur dissipare & euertere, vt hodie facit in Gallia, in Belgica, Germania superioribus annis. Hinc officinas omnium malorum vocant piorum cœtus, quasi ibi regnis cudantur fatales euersiones, & fortè non malè, sed malo intellectu regna, quia veritati cedere nolunt. his cœtibus tandem euertentur, nam omnino oportet vt vincat Christus. Draco etiam victus renouat bellum idque aduersus mulierẽ.

Vers. 14. *Et datæ sunt.*

Dixit, quid de nouo moliatur Satan iam victus, nunc explicat causas conseruantes Ecclesiam. *Mulieri dantur duæ alæ aquilæ magnæ*, hoc est, certa euasionis & liberationis præsidia, dantur igitur alæ, quis det non exprimit, sed est hoc sine controuersia, Deus enim dat consilia defensionis & liberationis. Quid autem datur? *alæ duæ*, hoc est, facilis quædam ratio liberationis: nam aquilæ alæ agiles sunt, fortes, adeò vt supra nubila feratur aquila. Causa cõseruationis Ecclesiæ.

Porrò alæ duæ ab aliis accipiuntur pro duobus testamentis, ex quibus se suáque tuetur Ecclesia, quæ ratio facillima est contra sophismata disputationum, & traditionum humanarum, contra quæ ad Dei verbum semper prouocat. Alij spem & fidem Expositio alarũ quę dantur Ecclesiæ.

S. j.

ſemper interpretatur, ſpe enim conſeruatur in perſeuerantia, fide autem vtitur Chriſti beneficiis, his duabus alis in omni fortuna conſiſtit. Malim ego duas has alas interpretari preces, & ſtudium bonorum operum, nam de Eccleſia vera loquitur, cui in periculis dantur duæ alę diuinitus, hoc eſt, ſtudio orandi inflammatur, vt ad vnum Deum ſua omnia deferat, deinde induitur zelo bonorum operum, ardet, adeò vt inimicis cupiat benefacere, ſi poſſit, his ſuperat omnia pericula.

His *auolat in deſertum*, hoc eſt, præſenti eripitur periculo. Suprà diximus Eccleſiæ hoſpitium conſtitui in deſerto, hoc eſt, in loco valde incommodo, & interdum intolerabili. Itaque ſic eripitur vni periculo, vt interea alia non deſint quò facit, quod hic dicitur, in locum ſuum auolaſſe, quaſi dicat, proprium hoſpitium Eccleſię eſſe in deſerto, ac ſi dicas proprium illius eſſe iniquo habitare loco. Ne quæras igitur Eccleſiam in principum aulis, & regum familia, raræ ſunt hæ aues in regno cælorum, ſed in deſerto reperies faciliùs. Conſolatorium tamen eſt, quòd illic nutritur, hoc eſt, Domini conſilio conſeruatur: ſic Elias in deſerto paſcitur à coruis, Ioannes Baptiſta in deſerto habet locuſtas & mella, populus Dei in deſerto habet Man.

Hoſpitium Eccleſiæ quale & vbi.

Tempus tempora & dimidium temporis, ex Dan. 7. & 12. ſumptum, ac oſtendit Eccleſiæ calamitates certis deſcriptas eſſe metis, quas Satan non poſſit egredi. Quæ autem ſint, ſoli Deo notum eſt, qui fines hos conſtituit, ſibique ſoli notitiam horum reſeruauit, ac puto ſupputationem eandem eſſe cum ſuperioribus, tres dies dimidium diei, menſes 42. dies 1260. annos tres, cum dimidio. In ſumma finitæ ſunt Eccleſiæ calamitates, ac diuinitus reguntur ad piorum ſalutem.

Eccleſiæ calamitas definitū habet durationis tempus.

Verſ. 15. *Et eiecit ſerpens poſt mulierem.*

Tertio loco ſubiicit nouos draconis conatus: erepta eſt enim mulier mirabili Dei conſilio, id ad nouum furorem inſpirat draconem, itaque mole conatur miſeram obruere, quam ſenſim nō potuit debellare. *Flumen euomit ex ore ſuo*, ſeu molem & copiam perſecutionum ſignificat: non enim vno modo conatur lædere, ſed infinitis modis ſimul premit Eccleſiam, bello infamia, exilio, inedia, nuditate, tormentis, aliiſque infinitis modis in vnum congeſtis, vt copia & pondere ſubmergat. Seu flumen eſt ſententiarum varietas, diſputationū fontes aperuit, vt Eccleſiam in mille ſectas deriuaret, quod ſub Papatu accidiſſe videmus, hinc diſputationibus ingenia ſeſe fatigarunt, alius aliud reprehendendum ſumpſit, alius diuinitatem Chriſti, alius humanitatem alius Spiritus ſancti æternitatem, alius induxit purgatorium, alius ſanctorum interceſſionem alius aliud, quibus flumen efficitur immenſum, quo Eccleſia probè ſubmerſa fuit, quod eleganti metaphora expreſſit, vt illam faceret ποθαμοφορητόν, hoc eſt, flumini portabilem, hoc eſt, flumen par eſſet ad Eccleſiæ ſubmerſionem & euerſionem.

Noui draconis conatus hic declarantur.

Verſ. 16. *Et ſuccurrit tertia mulieri.*

Vt Satan ad nouas ſemper recurrit artes, ſic Eccleſiæ ſemper adſint noua remedia, prius alæ ſunt conceſſæ & locus ſolitarius, iam *terra ipſa in eius ſubſidium adeſt*, flumen emouit draco, hoc abſorbet terra, tertia igitur eſt quicquid molem perſecutionum auertit à crucibus Eccleſiæ. Sic cum Iudæi flumen perſecutionum in Apoſtolos effunderent apud gentes tuti fuêre. Sic exemplum habes de Paulo, quem ſuo flumine ſubmergere voluit Satan per Iudæos Hieroſolymis, ſed Lyſias, Felix, Feſtus, aliique Ethnici abſorbent flumen hoc, tandem cùm tradendus eſſet Iudæis. prouocat Romam ad Cæſarem, ſic Romæ tutus in aula Neronis, & frangitur Iudæorum impetus. Poſtea creſcente Eccleſia inter gentes, pij ſemper inter barbaros tutiores fuêre. Hodie flumen perſecutionum abſorbent Turcæ, vt inter illos tutiores ſint pij, quàm in ſinu Pontificis. Alij terram accipiunt pro cœtibus ex omni terra congregatis, qui ſedarunt pernicioſas diſputationes in Eccleſia Chriſti, vt Nycena ſynodus ex omni terra collecta ſedauit Arrij furorem: Conſtantinopolitana ſynodus abſorbuit flumen Macedonij & Eunomij: Epheſina, Neſtorij: Calcedonenſis, Eutychis. verum prior mihi magis arridet.

Quomodo ad noua pericula noua habeant ſubſidia Eccleſię.

Verſ. 17. *Iratus eſt igitur draco.*

Παρασκευὴ eſt ad ſequentia, oſtendit enim draconi nouum furorem obortum ex noua clade, mulier ſuis inſidiis eſt erepta, & flumen perſecutionum eſt abſortum, hinc nouus eſt illi dolor natus, inde noua conſilia noui belli.

Obſeruandus eſt furor diaboli qui ſemper creſcit ex Eccleſiæ victoriis, proprium eſt inuidiæ alieno bono dolêre, deinde *iraſcitur mulieri*, quæ illum tamen nihil læſerat.

Diaboli furor creſcit ex Eccleſiæ liberatione.

Tertiò, quòd *quod bellum moturus eſt poſteritati mulieris*, inde ἄσπονδον ſemper manet bellum inter ſerpentem & ſemen Eccleſiæ, id prædixit Dominus, Ponam inimicitiam inter ſerpentem & ſemen Eccleſiæ, id prædixit Dominus, Ponam inimicitiam inter te & ſemen eius.

Quartò, bonos imprimis odio habet, *Qui diei mandata ſeruant, & teſtimonium Ieſu*

Chriſti

Christi habent, hoc est, Deum per filium eius inuocant & colunt.

Quintò *stat super arenam maris*, nam de dracone loquitur Ioannes, non de seipso: mox enim auxilia ex mari conquiret, ideo in arena maris stat, hoc est, iuxta mare, inde præsidia sperat. Significat autem Spiritus sanctus draconis quidem præsidia multa & varia esse, attamen infirma, vt domus in arena ædificata Matth. 7. contrà mulieris præsidia robusta sunt, ideo infra 14. Agnus in monte Zion stat & vincit. Infirma sunt diaboli præsidia.

CAP. XIII.



DRaco victus & elusis artibus suis, ad noua præsidia sese præparauerat, ideo in arena maris substitit, ideo nunc ex mari bestiam adiutricem nanciscitur, mox alia ex terra ascendit, quę & ipsa draconi iuuat partes. Ὑπόστασις.

Duo sunt igitur primaria membra huius capitis, prius de marina bestia h. e. Romano imperio nondum reformato: alterum de terrena bestia, hoc est, de Papatu, quæ Romanum imperium reformatum occupauit, sub pietatis prætextu. In his duobus, quam potenter agat, acturúsque sit Satan, ad finem vsque mundi, præsens edocet caput. Diuisio capitis quæ bimembris est.

Vers. 1. *Et vidi ex mari.*

Orditur Ioannes more suo à descriptione bestiæ, nam sic constabit vtcunque de natura & ingenio eius. Porrò bestiam accipio pro Romano imperio: nam quæ hoc loco ei tribuuntur in Daniele cap. 7. ascribuntur quartæ bestiæ, quæ sine controuersia est quarta monarchia, hoc est, Romana. Illic quarta est, hoc est, ordine vltima, sed hic prima, quia potentiùs in hac sese exeruit Satan, vt deleret Euangelij veritatem. Bestia autem rectè dicitur propter diabolum, qui truculentia omnem superat bestiam, cuius mores in Romano imperio adhuc probè exprimuntur, vt rectè à lupa se ortos & nutritos ipsimet fateantur. Bestia igitur est Romanum imperium, quemadmodum Babylonicum, Persicum & Macedonicum in Daniele. *Ascendit autem ex mari*, hoc est, gentium omnium confusione. nam ex alijs imperiis concussis & confusis, natum est Romanum. Vt enim mare commune est omnium aquarum receptaculum, & sordium quædam sentina, sic in Romanum omnium nationum vitia congesta sunt, & maris dominium adepti facilè Romani alias nationes debellarunt. Bestiæ descriptio & interpretatio quod sit Romani imperij typus.

Habet autem capita septem, hoc est, consilio & prudentia singulariter pollet: caput enim domicilium est rationis, & septenarius numerus perfectionis & absolutionis est. Adiuncta bestiæ.

Et cornua decem, hoc est, robur immensum, cornu enim roboris est symbolum, & decem pro infinito ponitur, hoc est, multa finitus numerus pro infinito, sic Christus dicit regnum Dei esse simile decem virginibus Matth. 25. Quòd si quis imperij partes præcipuas hic requirat, in quibus cornua hæc sese prodiderint, facile decem inuenies. Italia tale cornu facit, alterum Gallia, tertium Hispania, quartum Germania, quintum Illyricum, VI. Græcia, septimum Africa, octauum Ægyptus, nonum Asia, decimum Syria. *In cornib. sunt singulis singula diademata*, h. e. authoritas regia & maiestas quædam imperij Particularis, quæ diademata totam bestiam exornant. Sextò, *In capitibus est nomen blasphemiæ.* suprà in draconis descriptione capitib. tribuit diademata, hic cornibus & capitibus tribuit nomen blasphemiæ, quod sic accipio, quòd inscriptus fuerit hic titulus ipsis capitibus. Blasphemia, quo titulo expressit visio blasphemiam in hoc imperio particulariter regnaturam. Nam ante reformatum imperium, certissimum est Romam fuisse colluuiem quandam omnium religionum, ideo in Capitolio omnium nationum dij visebantur. Post reformatum autem imperium, mox Satan illic erexit suum domicilium, & sub specie pietatis, mentitur se vicarium Christi, qui planè est Antichristus.

Vers. 2. *Et bestia quam vidi.*

Pergit in descriptione, & magis accedit ad Rom. Imp. proprietates, quas Dan. quoque expressit. cap. 7. Ostendit autem compositam fuisse bestiam, ex diuersis speciebus Pardali, vrso & leone, h. e. harum ferarum habere proprietates, Pardali simile est varietate & celeritate. In Dan. Maced. Imp. huic confertur, nam Alexan. Mag. Imp. incredibili celeritate creuit. Varium autem fuit, mox enim in diuersis satrapais scissum fuit, quod in Rom. quoque factum est, in quo singularis adhuc regnat hypocrisis. Forma bestiæ.

Pedes habet vrsi. In Daniele vrsus Persicum imperium designat, itaq; hoc dicit Ioannes Romanos sibi comparasse imperium deleta potentia Macedonum & Persarum. Ex illa habet pellem variam, ex hac pedes vrsinos, solet autem vrsus erectus occurrere hosti, ac pedibus prioribus pugnat percutiendo. & capit lacerando. Primi sane Romani ingenuè visi sunt bella administrasse, Mox successores integritatem illam Romanam pelle pardi texerunt. *Os leonis habet*, hoc est, crudele & insatiabile, leo Romanum imperium ex variis imperiis assumptum.

in Daniele Babylonicum significat imperium, itaque Romani ex illo quoque suum auxerunt dominatum. Obserua igitur hoc loco artes ac virtutes, quibus ad tantam potentiam peruenerunt Romani, leoninum os insatiabilis est dominandi libido fœtens simul flagitiis pedes vrsi sunt quædam species integritatis sua tuendi & repetendi, pellis pardi celebritas est in bello & singularis hypocrisis.

II. Diabolus Romani imperij. συνεργον

Et dedit illi draco, Hactenus bestiam Romanam depinxit, qui inuentum est Satanæ in oppugnanda Christi Ecclesia.

Quomodo Satanas corrumpat imperia.

Nunc Spiritum agentem in hac bestia exprimit, propositis eisdem ornamentis, quibus bestiam hanc exornauit. Draco indubiè est diabolus. is igitur dat bestiæ, hoc est, Romano imperio sua quædam ornamenta. Ac diligenter obseruandum est, draconem non condere bestiam, sed ortam saltem exornat donariis suis, quod eò facit, ne diabolum putemus autorem imperiorum. sed sciamus eorundem esse corruptorem: magistratus enim à Deo est, vitia autem magistratuum à dracone illo proficiscuntur. *Dat igitur bestiæ vim suam draco*, hoc est, ingenium inspirat malignum, quo vtitur in gubernando imperio. Ac loquitur Scriptura more Satanæ consueto, nam is solet imperia mundi omnia sibi vindicare, vnde Domino Christo dixit, hæc omnia mea sunt, & tibi dabo, si procumbens adoraueris me: sed mentitur, Dei enim sunt, quia tamen vt plurimum corrupta sunt artis satanę, eatenus eius dici possunt. Deinde dat ei quoque thronum suum, intellige sedem imperij: hanc enim sibi elegit Satan, vt illic domicilium suum conderet, vt tanquam Deus in terris coleretur. Itaque Roma hîc significari videtur, isticenim, tanquam in templo Dei se patefecit. 2. Thes. 2. ver. 9. *Dat etiam potestatem seu licentiam*, quod significat ἐξουσία: nam Romanum imperium merum ius sibi vsurpauit, & sub eo iure ingens licentia nata est, hæc mox auxit alter asinus Papatus.

Vers. I. *Et vidi vnum ex capitibus eius.*

III. Locus de fortuna varia bestiæ.

Dixit de imperij Romani ornamentis, quæ ex Satana habet, vt intelligeremus spiritum hunc malignum σύνεργον esse, & efficaciter in hoc regnare, nunc tertio loco imperij variam fortunam breuiter perstringit. *Caput vnum læthaliter vulneratur*, quod aliquid de primario capite accipiunt: sæpe enim pro primo in Scripturis solet accipi, vt in historia creationis, dies vnus dicitur, hoc est, primus. Quo sensu caput primarium dicitur vulneratum ad mortem, hoc est, imperij membrum periculosè affectum, exempli causa Oriens, vel ad personas referatur caput, h.e. vel Iulius Cæsar, vel alius, qui suis sceleribus imperium pessundare sit visus, vt Nero pestis humani generis imperium sic afflixit, vt ab ipsis patribus sit proscriptus, & sibi coactus est inferre manus. Sic vulneratum imperij caput vnum per Vandalos, Gotthos, Sarracenos aliásque pestes.

2. Curatur plaga bestiæ.

Sanatur autem plaga eius, nam occiso Iulio Cæsare Monarchia videbatur sublata, & libertatem posse restitui, sed res collopsas restituit Antonius & alij vt duraret cœpta monarchia, Sic imperio afflicto Neronis sceleribus, Vespasianus illud restituit. Eodem modo curatur imperij vulnus à Carolo magno, & aliis principibus hinc durat bestia magna hominum admiratione. *Et admirata est tota terra.*

IIII. Stultitia mundi in bestiæ adoratione ex variis effectis ostẽditur.

Quartò stultitiam mortalium describit, qui fortunam imperij admirantes, illud plus quàm par est, extollunt & adorant, *Tota terra admirata post bestiam.* hoc est, in bestiæ admirationem est rapta tota quanta quanta est. Admirationis causa pendet ex superiori fortuna, quòd mirabiliter curata est plaga tam lethalis. Illud est imperij successum & felicitatem admirari, augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud prædicantes.

Secundò, *adorarunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ*, hoc est, diabolum in illius persona colunt & adorant: draco enim diabolus est, qui sua ornamenta affingit imperio. Vide quid sit colere diabolum, hoc est, admirari nimium maiestatem & felicitatem imperij Romani.

Quomodo qui Deo debetur honor Romano imperio tribuatur.

Tertiò *bestiam adorant*, admiratio nimia hos parit fructus, vt adoretur quod adorandum non est. Adorant bestiam, qui Imperatorem Romanum superstitiosè colunt, & attribuunt ei plura, quàm reuera ei insint. Id consequentes acclamationes testantur, *quis similis est bestiæ?* vox est assentatorum & hypocritarum, nam hic titulus soli Deo competit, cui per se nemo similis est, ideo ex bestia illi Deum faciunt, hoc est, ex Romano imperio, multæ enim bestiæ huic similes deprensæ sunt, & res ipsa clamat, quàm vanus hic titulus sit in Rom. Imperium, quod tot modis iam dissipatur, talis est etiam altera acclamatio, *quis potest bellum gerere cum ipsa?* hoc illud est, quod assentatores de Romano imperio dicunt inuictum esse, hinc imperatores inuicti dicuntur: sed quis tam cæcus est, qui clades eius non animaduertat. A Gothis, à Vandalis, Hunnis, Longobardis,

bardis, totis victi sunt imperatores Romani, Roma ipsa toties capta, incensa, spoliata, diruta, tamen est bestia inuicta apud assentatores, hoc artificium est satanæ, semper sperare triumphos, semper reniti castiganti Deo, semper induratum & pertinacem esse.

Vers. 5. *Et datum est illi os.*

Quinto loco præsumptionem imperij Romani describit, successus authoritatem peperit, authoritas presumptionem parit, de hac in præsentia loquitur. Datur illi os, hoc est, loquendi libertas, ac securitas. Os dederat Deus, sed non iusserat *loqui grandia & maledicta*, ideo quoque ornamentum est draconis. Sumpta sunt illa quoque ex Dan. cap. 7. vbi cornu loquitur grandia. Magna accipio de propriis laudibus encomia, vt quod narrant multas victorias & triumphos, hinc à deuictis gentibus nomina, vt Gothici, Alemanici, Asiatici. *Blasphemias* autem, quòd ex imperatoribus multi in deorum numerum seipsos retulerint, deinde quòd Senatus Romanus ius apotheosos sibi sumpserit, adeò vt turpissimos imperatores inter numina locarint, quibusdam in vita etiam diuini sunt exhibiti honores, erectæ statuæ per nomina illorum concepta iuramenta, oblata illis tanquam diis sacrificia. Additur tempus huius licentię limitatum esse, *data est illi potestas agendi*, scilicet licenter & potenter, *mensibus* 42. Supra 11. ver. 2. eadem vidimus, & vt tum diximus finitum tempus hic declaratur, ac eundem puto, diuersis numeris exprimi mensibus 42. diebus 1260. annis tribus & dimidio, per tempus tempora & dimidium temporis, quibus omnibus ostendit metas esse certas positas istis furoribus, quas non possint egredi.

v. Dira bestiæ præsumptio quòd os etiam habeat ad loquendum maledicta & blasphemias.

Limitatur bestiæ tempus adeo effrænatæ blasphemandi licentiæ.

Vers. 6. *Et aperuit os.*

Explicatio est illustrior præsumptionis, ac declarat triplicem impietatem bestiæ, prima in *Dei nomen* committitur, altera *in tabernaculum eius*, tertia *in sanctos cælites*, id quàm verè dicatur de Romano imperio res ipsa loquitur. *In Deum blasphemi fuere* imperatores, ante Christi religionem receptam, adeò vt pro diis adorari vellent, suis statuis deferri etiam diuinos honores, spreto vno vero Deo, omnes omnium nationum Deos colebant, inde in expugnandis vrbibus, Deos prius euocabant, & in Capitolio Romæ locum promittebant, Deum Israëlis verò nullo honore dignati sunt. *In tabernaculum autem Dei blasphemi fuerunt*, dum Ecclesiam piorum persecuti sunt. Apostolos omnes malè afflixerunt, ac ferè omnes in Romani imperij finibus: occisi sunt: in reliquos verò notæ sunt crudelissimæ persecutiones, quas in Ecclesiam Christi commouerunt. inter has, decem insigniores refert etiam Eusebius. *In sanctos verò, qui in cælo habitant* maledici fuére, Mosen & Christum deridendo, Prophetas omnnes contemnendo. More Græcorum sapientiam requirunt in doctrina Christi, eius illustre est exemplum in Galeno, qui Mosis & Christi scholam damnat, quòd multa dicant sine demonstrationibus. Hoc commune est vitium Imperij nondum reformati. Post receptam autem Christi doctrinam, mox impij hypocritæ titulum Ecclesiæ ad se rapuerunt, & vera Christi mandata persecuti sunt, quam causam adhuc hodie strenuè defendunt sedis imperij possessores.

Explicatio præsumptionis bestiæ. in qua triplex eius impietas declaratur. 1. in Dei nomen. 2. in Ecclesiam quam persecuta est. 3. in sanctos iam in cęlum receptos.

Vers. 7. *Et datum est ei.*

Temeritati additur etiam successus, sed limitatus diuina clementia. Datur bestiæ potestas debellandi & vincendi sanctos, hoc est, vt hypocritarum conditio semper meliori loco sit quàm piorum, id omnium temporum historię testantur, vt hodie luce clarius verum esse deprehendatur. Quàm latè enim Romanum nomen patet, tam latè pij persecutiones patiuntur, in omnibus tribubus, linguis & gentibus.

Bestia succedit vis affligendi sanctos.

Vers. 8. *Et adorabant eam.*

Reformati imperij mores describit, bestia etiam tum adorari volet, q.d. blasphemia illa non desinet, vsque ad finem mundi, vt adorata est curata illius plaga, sic adorabitur data ei potestate debellandi sanctos Dei. Itaque eadem manet impietas ex eodem rerum successu, admirantur enim homines principum successum, hinc in eorum partes transeunt. Sed obseruanda est diligenter Apostoli distinctio: *honor enim ille adorationis tribuetur bestiæ: ab his solùm, quorum nomina non sunt scripta in libro Agni*, significans ab impiis solùm & damnandis tanti fieri bestiam: electi enim Deum omnibus principibus præferunt, eúmque solum adorant.

Corruptela morum Romani imperij etiã post reformationem.

Porro duplex hîc lectio affertur, ex diuersa constructione nata: nam clausula illa (*ab origine mundi*) referri potest ad primum membrum impiorum, *quorum nomina ab origine mundi non sunt scripta in libro Agni*, tum sensus est, hos bestiæ cultores, ab æterno vasa esse iræ, quemad. contra pij ab æterno electi sunt, vt loquitur Apostolus ad Ephe. 1. vers. 4. Elegit nos ante constructionem mundi, vt essemus sancti, immaculati co-

Duplex huius loci de corruptela Romani Imperij lectio. Prior.

ram ipso in dilectione.

Posterior. Altera est electio construentium clausulam illam sic, *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni mactati à conditione mundi*, quæ lectio mihi etiam magis placet. Significat autem Christum Agnum applicatione meriti perpetuum esse sacrificium satisfactorium, quanquam ipsa mactatio sit certi temporis. Deinde mactatus est typicè etiam in symbolis suæ mortis: sacrificia enim piorum, quæ mox condito mundo, secundum Dei mandatum oblata sunt. Deo symbolum erant Christi sacrificij aliquando offerendi. Præterea mactatus est ab origine mundi in sanctis suis trucidatis, in Abele, participatione causæ iustæ, sic cum Prophetis alijsque piis sub lege. Denique Dei Patris decreto, iam hostia illa huic expiationi destinata fuit ab origine mundi. Vt igitur Petra in deserto dicitur Christus, 1.Cor.10. Sic idem Christus dicitur Agnus mactatus ab origine mundi.

Christus æternum sacrificiũ

Vers. 9. *Siquis habet aurem.*

Declaratio cõclusionis de prima bestia. Epilogus est primæ bestiæ, quo declarat fore aliquando rerum commutationem, vt bestia illa quoque lege talionis puniatur ab aliis. Vbi sunt igitur voces assentatorum? quis similis est bestiæ? item, quis potest contra illam pugnare? legant hæc, & cum euentu res imperij conferant, ac desinant tamen vana sine rebus nomina mundo venditare.

Talionis lex. Initio Ioannes attentos facit lectores, requirit enim aurem vigilantem, quæ audiat & intelligat historiam bestiæ. Deinde persequitur fata Imperij Romani, *siquis abducit abducetur*, alluditur ad legem talionis, & est suauis verborum allusio, Συνάγει & ὑπάγει, quæ vt suauior esset, in posteriori quoque præsens retinuit verbum, & iam enim fata imperij talia erant, vt in multis prouinciis captiuitatem iam paterentur. Hanc fortunæ euersionem alia sententia illustrat, *Quid gladio occidit. hic etiam gladio occidetur.* Simile est, quod scripsit Moses Gen.9. qui effuderit sanguinem hominis eius sanguis effundi debet. Et quod Christus dixit Petro Matth.26. Qui gladio pugnat, gladio peribit. Id ad Romani imperij fata hic applicat Ioannes, significãs multas & atroces clades passuros Romanos principes, quod mox à Ioannis morte experti sunt, & deinceps in dies magis atque magis. Parthi Orientem inuasere, Sarraceni Syriam, Ægyptum, Longobardi, Gotthi, Vandali ipsam Italiam vastarunt caput imperij, & hodie Turca toto grassatur in orbe.

Notatio præoccupationis qua ostẽditur impiorum calamitatib. etiã pios cõprehensum iri vt eorũ fides & tolerantia appareat. Ad finem addit præoccupationem valde vtilem, *hic posita est tolerantia & fides sanctorum*, significans illas mundi calamitates etiam ad pios spectare, ne illi sperent impios aliquando hîc tantum esse affligendos, imò in Monarchiarum pœnis ipsi electi simul implicantur malis. Itaque docet virtutum Christianarum hæc esse exercitia, quò facit particula ὧδε, quasi dicat, in his casibus, in his calamitatibus Romani imperij vos etiam electi exercendi estis, Duæ autem primariæ virtutes sunt. ὑπομονὴ constantia sub cruce, quo facit sententia Christi, quoque Matth.10. vers.22. & Luc.21. vers.19. πίστις, quæ constantia confessionis & professionis, quæ vincendi sunt omnes tyranni, quò facit sententia 1.Ioannis, 5. vers.4. Hæc est victoria quę vincit mundum fides nostra. Consolemur igitur non in his mundi pœnis, ne fingamus nobis peculiarem fortunam. Hęc vocatio est nostra, per ærumnas & afflictiones ingredi in regnum Dei, imprimis sub hac imperij Romani senecta.

Ὑπομονὴ. id est cõstantia sub cruce. Porrò imperij præsides aliam fidem requirunt à suis & commendat in comitiis magistratum, quæ nihil ad sanctos Dei, de quibus hic loquitur Ioannes.

Vers. 11. *Et vidi aliam bestiam.*

Πίστις. seu fides. Dispositio secundę Partis capitis, in qua de altera bestia typo Romani Antichristi qui ex adiũctis quinque describitur. II. Pars est capitis, de altera bestia, quæ ex terra orta quoque vires suas cum dracone coniungit. Graphicè autem describit illam. 1. à forma corporis, 2. à potentia, 3. miraculis, 4. tyrannide, 5. denique ænigmaticam addit nominis illius declarationem numeris comprehensam, de quibus ordine nobis est agendum.

Porrò bestia hęc est Antichristus Romanus, nã vtitur potentia & authoritate primę bestię, diximus autem primam bestiam fuisse Romanum imperium, ex cuius dissipatione iam natus sit Papatus, secundum bestiam hunc esse oportet.

Bestia autem dicitur, quòd non minus crudelis sit Pontificum gubernatio, quàm fuerit Imperatorem, imò bestialitatem prioris hæc superat, quandoquidem in animas & conscientias hominum quoque sæuit.

Deinde magna pars Pontificum moribus & ingenio bestiales fuerunt scortatores insignes, cinædi, mœchi, religione impij, magni negantes Deum, immortalitatem animarum, cacodæmonis cultores, & quicquid de bestia dici potest, nonnulli ausi sunt perpetrare.

Oritur autem de terra, non de mari vt prior, in quo videtur antithesis obseruata: nam

nam vt Christus de cęlis est, regnúmque eius minimè terrenum, sic Antichristi regnum de terra est, miniméque cæleste. Hoc igitur vult Antichristi regnum terrenis artibus nasci, & consiliis malis niti.

Habet cornua duo. hoc est, geminum organum roboris: cornu enim potentia est & robur. Roboris autem Antichristi nota sunt organa, ius vtriusque gladij, vnde proclamauit Alexander ille octauus in festo corporis Christi, Ecce hîc duo gladij, plenam enim sibi autoritatem sumit in temporalibus & spiritualibus, hinc geminæ claues Petri, quibus portam cælorum & inferni claudunt & reserant, quibus volunt.

Signa duo roboris Papalis.

Agnina etiam sunt cornua, hoc est, prætextu & titulo religionis Christianæ geruntur illa cornua. Christus autem Agnus est, itaque Christi videntur esse cornua, hoc est, autoritate Christi assumpta: Christum enim dedisse Petro geminam potestatẽ dicunt, & successores Petri esse vicarios Christi, & ob id caput Ecclesiæ militantis, vt Papa sit summus Pontifex, & rex regum. Quæ duo cornua, Agni quidem sunt: est enim Christus noster verus & summus Pontifex, & Rex, ideóque verum & vnicum Ecclesiæ suæ caput, quæ duo malo titulo eripit Agno Antichristus, interim Christi nomine mundo causam suam commendat. Rectè igitur dicuntur *similia Agni*, cùm Agni sint: *loquitur enim vt draco*, hoc est, insignis est hypocrita, fingit Agnina cornua, sermo tamen est draconis, hoc est, causam suam palliat nomine Christi, cùm interim diabolicus sit in eo spiritus. Hoc ipsum dixit Christus venturos quosdam pellibus Agninis, cùm intus sint lupi rapaces.

Vox draconis hypocrysin detegit, quæ sub Agninis cornuis latet.

Bestia igitur hæc loquitur, vt draco, hoc est Deo & Filio Dei contraria docet: draconis enim sermo Deo contrarius est: draco inquit, non moriemini, sed eritis Diis similes, Deus autem dixerat, morte moriemini, quocunque die de fructu arboris huius comederitis. Draco inquit, hæc omnia mea sunt, Christus inquit, Filius hominis non habet vbi reclinet caput. Draco ait, habeo ius in temporalibus & spiritualibus: Christus contra regnum meum non est de hoc mundo. Hoc igitur dicit, bestiam hanc per omnia euertere legem Dei & Filij eius, omnia ad se violenter rapere, interim specie & titulo Agni coram mundo hæc velare & tueri.

Egregia Antithesis draconis & Christi.

Vers. 12. *Et potestatem prioris.*

Descripsit bestiam, nunc potentiam eius explicat, iam dixit titulo Agni sua omnia velare, nunc de potentia loquens, inquit, *prioris bestiæ potestatem omnem facit in conspectu eius*, hoc est, Imperij Romani iura ad se rapit violenter, vt consutum dixeris ex dissipatione Romani Imperij. Et vt res colorem habeat, dixit, hoc Petri esse patrimonium ab ipso Christo sibi traditum. Potentiam imperij exercet Papa coram ipsis Imperatoribus, hoc est, inuitis illis hæc sibi vsurpat, sic à Phoca illam extorsêre, & aliis Imperatoribus. Alexander tertius Fœdericum Barbarossam sibi subiicit. Gregorius septimus Henricum quartum patitur oberrare nudis pedibus, ipse imperatori imperans, hoc videtur hîc velle dicere, *quòd bestia potestatem faciet coram bestia.*

Descriptio potestatis Papę Imperatoriam & Eccle. potestat. sibi arrogantis.

Deinde *cogit etiam homines adorare priorem bestiam*, hoc est Romani imperij titulum, & nomen non minus vult haberi sacrosanctam, quàm olim sub Imperatoribus Augustum erat & venerabile nomen Imperij: sub Papis mansit Romæ eadem veneratio, vt sancta habeatur Romana Ecclesia, & catholica & adoranda, quæ siquis neget, hæreticus sit oportet. Deinde adoratio aucta est in ea, more gentilium inducta sanctorum adoratione, qui in hoc non aliter, ac olim dij inter gentes inuocantur & adorantur.

Vers. 13. *Et facit signa magna.*

Descendit iam ad signa Antichristi, dixit de potentia & forma, nunc addit miracula, de his vide Matth. 24. & 2. Thess. 2. Ex omnibus illis, vnum reliquis excellentius hic profert, *facit ignem descendere cælitus coram hominibus.* Sic formidabilis fuit Elias, & Sodoma igni cælitus immisso deleta est, Christus etiam Spiritum sanctum suis discipulis misit, specie ignis, Antichristus igitur simile quid præstabit. Dicunt Simonem Magum hoc imitatum fuisse, quemadmodum Magi Pharaonis signa Mosis sunt imitari conati. Ex Pontificibus multi magicis miraculis fuerunt clari, qualis fuit Anastasius, Syluester secundus prius dictus Gilbertus, Ioannes 18. 19. 20. & alij, Gregorius septimus, Hildebrandus ille magnus, quouis concuteret manicas ignis inde scintillabat.

De miraculis Antichristi ac imprimis de igne emisso.

Sed repertus est validior ignis, quem illi de cælo deducunt coram hominibus, fulmen scilicet excommunicationis, quod omni igni violentius olim fuit, hoc igni excussit Imperia & regna, prouincias & ciuitates vastauit, omnia suæ potestati subiecit.

Deinde Spiritus sancti dona ipse dispensat, dat quibus vult, & aufert à quibus vult, in pœnas detrudit purgatorij & inferni, & inde liberat pleno iure. Hic nouus sequitur effectus, publicus nimirum error, *seducit incolas terræ per signa quæ facit coram bestia*, ostendit signa illa esse ementita & impia, itaque signis non debemus nimium inhærere, quia erroris etiam sunt occasio.

Ignis ex communicationis.

Facit autem *eadem signa coram bestia & hominibus*, h. e. Imperatoribus Romanis adhuc durantibus, hanc potentiam, imò licentiam sibi arrogat, & reuera semper displicuit cordatis principibus, illa præsumptio Pontificum, legantur Epistolæ Friderici ad Adrianum Papam.

Aliud bestiæ figmentum quòd priorem bestiam h.e. Imp. confirmet. Decreto Gregorij quinti sub Othone tertio.

Aliud addit figmentum, *hæc bestia mandat incolis terræ, vt faciant imaginem bestiæ prioris*, quod nihil aliud est, quàm imperij nomen retinere vmbratile. Papa cùm omnia iura ad se rapuisset, tandem Imperatoribus reliquit nudum nomen & vmbram, quasi imaginem Imperij, & mandauit incolis terrę, vt constituerent septem electores, qui ius electionis haberent, Papa autem confirmationis, ac nisi electio Pontifici placeret irritam posset facere. Hinc ortus est ille semptemuiratus in Germania *Die siben kurfursten*, qui quidem eligunt Imperatorem, sed vmbra est, & quasi picta Imperatoris imago, nisi accedat Pontificis confirmatio. Ideo addit hoc loco Ioannes v. 15. *quòd datum sit ei bestiæ, dare spiritum imagini prioris bestiæ*, hoc est, Pontifices animant, Imperatores electos confirmant. & ius imperandi concedunt, quod nisi Romæ imperrent, nullum est illorum ius & imperium, mortua est imago: sed vbi Pontifex confirmauerit, tum vitam habet imago, & loquitur, h.e. autoritatem imperatoriam habet, & omnes, qui Imperij nomen contemnunt, iure gladij de medio tolluntur, quod non licet Imperatoribus à Pontificibus non approbatis, nam subditos eorum iuramentis liberant, & sol uuntab obedientia ciuili.

Vers. 16. *Et facit omnes.*

Character tyrannidis Antichr.

Tyrannidem bestiæ iam perstringit, initio fucauit omnia nomine Christi, insignis hypocrita hinc omnia iura ad se rapuit, imperatoribus reliquit nudum nomen, vt tamen præsidium in his aliquod esset, imaginem amauit. Nunc ad reliquos ordines, & priuatas personas propagat tyrannidem suam, his omnibus dat *χάραγμα suum*, hoc est, notam imprimit suæ professionis. χάραγμα intelligo characterem, quem Antichristus omnibus obtrudit, ac nisi accipiant hæreticos esse oportet. *Datur autem character*, ait, *vel in dextram manum vel in frontem*, frontis notus est character, chrisma episcoporum, quod nisi accipiant homines, non totus videtur Baptismus Christi nomine acceptus. In manum autem datur character voti & iuramenti, quo omnes in verba Pontificis iurare debent: hinc ne scholis licet creare doctores, vel magistros, nisi priùs Pontifici votum dent, hinc iurati Pontificis dicuntur. Videtur autem antithesis quædam esse, nam supra cap. 7. Christus suos signauit in frontibus, ne possent deleri, aut seduci, hoc loco igitur Antichristus suos quoque obsignat vt constet, cuius domini pecora illa sint, nam ex notis istis agnosci possunt mancipia & iumenta.

Chrisma episcop.

Antithesis Christi & Papæ.

Vers. 17. *Et ne quis possit exercere.*

Aliud ius papæ in concedendo rure contract.

Ad minora quoque ius Antichristi descendit, character Antichristi non solùm distinguit professionem Ecclesiæ Romanæ ab aliis, sed etiam dat iura possessionum & contractuum, adeò vt nemo facultatum suarum ius habeat vendendi, aut redimendi, nisi fidem præstet Romanæ sedi. Similem habes constitutionum Martini quinti, qui disertè prohibet his, qui nolunt Romanam sedem agnoscere, ne domicilia habeant, larem fouere, contractus inire, negotiationes & mercaturas exercere. Deinde mercatores facti sunt ipsi Pontifices, sacramenta vendunt, episcopatus, pallia, peccatorum remissiones, indulgentias, ordines, vota, cęlum, inferos, & nihil non venale est apud illam bestiam. Character symbolum est. professionis, vt qui chrismati sunt, vel votum præstitére. *Nomen bestiæ est*, esse filium Ecclesiæ, seu catholicum, seu Romanæ Ecclesiæ membrum, illi dicuntur habere nomen bestiæ. Numerum. a. habent nominis illius, qui in his cœtibus viuunt, & illis sese adiungunt, cum illis colludunt, in illorum numero videntur esse. Et fortassè hîc latet altior quidam sensus, quem ratio humana non facilè explicabit, quò sequentia etiam spectant, de computatione nominis, & numeri huius bestiæ.

Constitutio Martini. v.

Nomen bestiæ & illius numerus.

Exhortatio Ioan. ad attendendum numerũ nominis.

Vers. 18. *Hic sapientia est posita.*

Ioannes somnolentum lectorem excitat ad attentionem, promittítque recondita quædam secreta in nomine & numero bestiæ. Locus perdifficilis est, si alius in hoc libro, quique defatigauit omnium ætatum ingenia, de eo paucis agemus, vt opinor,

non à vero dissimilia, scopus est de numero sapienter computando. Ac quinque complectitur, quæ nobis aditum faciunt ad computationem, Initio notatio est *profundioris sapientiæ, hic est sapientia*, inquit, hoc est, latens sensus veritatis, sapienter inuolutus in nomine & numero bestiæ, Ac videtur exclamatione in hæc verba erupisse, nam visiones ita euidentes videbantur, vt & nomen bestiæ, & locum Imperij, & tempus durationis, aliaque multa intelligeret expresse, tamen scribere non expediebat, ideo quòd Deus non permittebat saltem attentos in hoc loco esse voluit, vt cum euentu aliquando descriptio conferretur, q.d. hîc latet verus Antichristus, ista bestia aliquãdo dissipatura, Ecclesiam Christi in terris. Deinde indicat ad quem pertineat supputatio illa, ad cordatum hominem, qui habet τὸν νοῦν, ille supputet. Νοῦν dicitur habere, qui iudicium suum ad Dei iudicium applicat, & in inquisitione ab eodem non discrepat. Itaque interpretatio ad Dei consilium applicanda est, secus si fiat impertinens erit, & nihil ad rem, vt vt acumen exerceat ingenij: oportet enim hic seruare. γνώμην τοῦ συγγράμματος.

Νοῦν habere.

Tertiò cuius sic rei ista supputatio, *bestiæ*, inquit, *est*, hoc est, Antichristi: nam sic de bestia hactenus locutus est, vt non sit obscurum, quin Antichristum depinxerit, Numerus igitur bestiæ supputandus est, hoc est, sic applicandus, vt & nomen personæ, & tempus certum cognoscatur.

Quartò mox se explicat, non esse nudam hanc bestiam, aut numerum eius, *sed hominis esse numerum*, significans, sub bestia hominem intelligi, & numerum eius tegere nomen personæ, vel certum tempus durationis: qnod enim alij dicunt numerum hominis dici, hoc est, hominis possibilem non probo, sed hominis nomen hîc reconditum puto, & certum tempus. Exempli gratia, bestia perditionis numeris Arithmeticis reddit tibi annum 1415. quo Ioannes Huss combustus est, contra quem sese bestia singulariter exeruit in concilio Constantiensi. tale ergo quoddam hic dicere videtur.

Quintò adhuc addit expressiùs *numerum 666.* videtur enim appetentissimus fuisse prodendi nobis bestiam hanc, sed spiritu prohibente, vestigia saltem aliqua relinquere voluit, quę attendentes ad rei veritatem vtcunque penetraremus. Hactenus verborum cohærentia, nunc de numeris ipsis paucula addemus. Veteres hunc numerum 666. in aliis dictionibus quæsiuerunt, quales sunt apud Lyranum ἄντεμος ἀρνεύμε, τειτᾶν, quę ad numeros reductæ, singulæ dictiones, hunc numerum reddent: sed historiis non consonant, ideo facilè reliquo suis autoribus. Haymon eundem numerum reperit in nomine γενσήελκος, sed Gensericus non fuit Christi oppugnator, sed potiùs Cæsaris: sic in dictione Dielux idem est numerus, sed historia sterilis est, nisi quòd Antichristus sese lucem profiteatur: sic qui pro χξϛ legerunt χξσ eodem ducti sunt argumento, nam Antichristus nomine Christi venit, locum illius iura, potestatem sibi arrogat.

Expositionum erorum bestiæ. Haymonis sentẽtia de his numeris bestiæ.

Lyranus ad mortem Mahometi refert, qui mortuus est, vt Lyranus suppetat, anno Domini 666. sic mortem bestiæ depingeret Ioannes. Verùm is se ab Ecclesia sponte separauit: contrà Antichristus, ex doctrina Pauli, in ipsa Ecclesia surget, ponet enim sese in templo Dei, quasi Deus. concedo tamen illum esse membrum Antichristi.

Lyranni sentẽtia.

Hodie graues viri ad incrementa Papatus referunt, sub Pipino rege. non pœnitenda supputatione: nam visio hæc contigit anno D. 97. his si addas hos numeros Ioannis 666. incides in annum Domini 763. quæ tempora sunt Pipini. Is cum esset maior domus regum Franciæ, Hildericho suo domino oppresso, regnum inuasit, & Papa inuitante Italiam ingressus est, Longobardos inde eiecit, Rauennam imperatori Greco abstulit, & Pontifici donauit. Hinc rectè Nauclerus scribit circa illa tempora, nouam quodammodo generationem incipere: facta enim est mirabilis mutatio, Longobardorum imperium deletur. Francorum innouatur, & initia ponuntur transferendi regni à Græcis Imperatoribus ad Germanos, quibus omnibus Antichristus augetur & robur acquirit, nouum etiam tutorem accipit sedes Petri, quæ omnia verè & eleganter dicuntur. His adiiciemus ex Iræneo & aliis, quæ rerum euentum magis exprimen, quemadmodum quotidie hæc omnia compleri videmus.

Bullingeri sententia. hos numeros ad Pipinum refert Anno 750.

Primùm constat bestiam hanc esse Antichristum: sic enim omnes etiam veteres & scholastici hanc bestiam interpretantur, vt videre est in Lyrano, & Thoma, Haymone ac similibus, nequid de recentioribus hîc proferam.

Deinde hunc Antichristum quærendum esse in Romano imperio, nam bestia hæc primæ bestiæ potentiam & robur exercet. Ostendimus autem ex similitudine Danielis, & Apocalypseos primam bestiam esse Romani Imperij figuram, quoniam has habet notas, quas Daniel quartæ bestiæ. hoc est, monarchiæ tribuit. Deinde hoc loco se-

Ὑπόθεσις prior. Ὑπόθεσις Posterior, de persona & loco Antichristi.

cunda bestia primæ imaginem facit,& hanc adorare cogit homines, ideo inter Turcas quæri non potest,quia isti imaginem Romani Imperij planè abolent,nec vllum ei cultum impendunt,ideo Turca magis est AntiCæsar,quàm Antichristus.

Roma sedes Antichristi. Tertiò,quærendus igitur locus Antichristi,nullus aptior est & probabilior,ipsa Roma: nam illic tantum mansit,Romano Imperio deleto à Turcis,quædam imago atque eius potestatem totam sedes Apostolica sibi sumpsit, adeóque homines cogit metu iræ diuinæ imaginem bestiæ illius colere & adorare. Huius coniecturæ habeo testem Irenæum vetustum & pium Christi ac veritatis testem, qui lib.5. contra hæreses, affirmat inter Latinos quærendam bestiam illam. Argumentum veritati quoque dat, vox ipsa λατεῖνος nam reducta ad numeros, reddit hunc præsentem numerum 666. λ.30. α,1. τ,300. ει,110. ν.50.ο,70. ς,200. Et in Hebræa lingua Romanorum nomen, eundem profert,nam *Romijt* planè eundem 666. reddit numerum. Sic Ecclesia Italica Græcis literis scripta ἐκκλησία Ιταλικὰ, omnino in eundem redit numerum. Quibus coniecturis adductus,non possum aliter statuere,quàm Romæ illam bestiam latere,præsertim cùm euentus rei cum descriptione tam probè quadret.

Iren. lib. 5.c 15.r. 35.

Duratio bestiæ per numeros notata. Quarto loco numerus hos 666. iudico significare durationem bestiæ in sua pompa, vsque ad eiusdem reuelationem: videtur enim mihi Ioannes idem dixisse hoc numero, quod priùs Daniel. cap.12. per 1335. nam si per mediationem Danielis numerum diuiseris prorsus hîc Ioannis numerus tibi resultabit, Hoc modo aufer à 1335. tria, secundum regulam mediationum, remanebunt 1332. Hunc iam media habebis 666. Rem igitur eandem tractarunt Daniel & Ioannes, accedit hoc etiam, quòd vterque de fine mundi loquatur, & eo statu Ecclesiæ Christi,qui sub Antichristi Dominatu spectandus sit.Nunc Daniel beatum prædicat,qui hos dies 1335. spectaturus sit, vt Ioannes mox capit.14. Christum Agnum victorem huic bestiæ opponit, itaque de bestiæ reuelatione numeri loquuntur: iam quærenda est illa quoque nouo principio sumpto.

Ioannis Huss vaticiniũ. Ioannes Huss damnatus ad ignem, dixit suis aduersariis, iam anserem assabitis, *sed* post annos 100. veniet cygnus, quem non poteritis assare: assatus est autem *miser ille* anno 1415.his adde centum,vaticinij sui annos,habebis 1515.tempus præcisum,*quo Antichristi* scelera pate fieri potenter ceperunt. Nam hoc ipso tempore, multi *boni viri* ceperunt & disputando & scribendo,& publicè coram populo docendo,detegere Antichristi laruam,inter quos facilè primus fuit Lutherus.

Autoris coniectura de his numeris. Eius rei habeo etiam hanc coniecturam,quòd cessatio Papatus Arithmeticè sumpta omnino reddit tibi annum 1517.quo Lutherus cepit contra indulgentias scribere.Et ab illo tempore Christus stans in monte Zion, cepit vincere & bestiam illam confundere coram electis omnibus & sanctis suis Angelis.Itaque ab eo tempore ascende per annos 666.incides in tempora Ioannis octaui Pontificis,circa annum Domini 859. Habes igitur ab illo tempore Ioannis octaui,vsque ad Leonem decimum,& principium Adriani sexti,præcisum tempus triumphantis bestiæ,in omni scelerum genere:fuit enim Ioannes ille octauus fœmina & speciosa meretrix, vnde totus Papatus scortum Babylonicum & meretrix ebria sanguine piorum dicitur,carnalis reuera inde factus est Papatus, & prostibulum abominandum. Hæc valde probabiliter dicuntur ad hunc locum, habéntque testem experientiam & historias,ideo his in presentia acquiesco,saluo semper meliore iudicio.

Papa Ioannes octauus.

CAPVT XIIII.

Ὑπόθεσις ca.14.continens eius partes.



Caput hoc ad superiorem adhuc pertinet visionem, cuius hîc, quasi vltimus est actus: inducit autem Agnum Dei consistentem in monte Zion cum suis fidelibus, qui carmen triumphale canunt, in certitudinem victoriæ futuræ, hinc procedunt ordine tres Angeli monitores, primus ad pœnitentiam hortatur & ad cultum vnius Dei. Alter vaticinatur de ruina Antichristi,quæ mox cõsequetur.Tertius dehortatur à communione infidelium, hinc ad historiam Agni redit,& eum sub imagine filij hominis producit sedentis in nube candida,cum falce in manu sua,quo ostendit præparatum esse iam ad pœnas impiorum. Ideo mox adest Angelus alius, qui ad messem hortatur, inde Angelus alius cum falce acuta procedit de templo Dei,hunc mox Angelus ab altari procedens priorem ad vindemiam cohortatur,vnde mox plenum subsequitur iudicium, per quod reprobi in lacum ignis iræ diuinæ præcipitantur.

Vers.1.

Verſ. 1. *Et vidi,& ecce.*

Orditur hunc actum ab attentione, memorabilis enim eſt antitheſis beſtiæ cum dracone videntur ſuperaſſe miſeram mulierem: at contra hic iam deſcribetur victoria mulieris,vt vt draco ſæuiat.

Agnus indubiè Chriſtus eſt, ſic enim Ioannes Baptiſta Chriſtum digito demonſtrans,ait,Ecce Agnum Dei. *Hic Agnus ſtat*, hoc eſt,præparatus ad ſuorum ſubſidium, & præſens auxilium. *Stat autem in monte Zion*,hoc eſt ſolido fundamento, quod mutari non poteſt. Suprà draco conſtitit in arena maris, quo innuebatur numeroſum quidem eſſe eius robur, attamen debile & infirmum: contrà Chriſtus Dei Agnus hîc ſtat in monte Zion,qui locus fuit ſanctitatis diuinæ ſacer,vt eſt Pſal.2.Ego autem conſtitui te regem in monte Zion ſancto meo. Chriſtus eſt ille Agnus Ioanni oſtenſus.

Cum Agno adſunt 144000. eundem numerum ſup.7. habuimus ſignatorum ex omni Iſraële, hic eundem repetens oſtendit pios infinitos adeſſe Chriſto,& finito, hoc eſt, certo numero apud Deum annotatos eſſe,vt nullus poſſit latêre memoria Dei Patris. *Et habent nomen Patris Agni ſcriptum in frontibus ſuis*,ex quo hoc primùm efficitur Chriſtum Agnum Deum eſſe,vt qui Patrem habeat Deum, loquitur enim de Patre naturali. Deinde pios latêre non poſſe, quod enim frontibus inſcribitur notorium eſt, vnde reis ſua ſcelera frontibus aliquando inſcribuntur, dum ſtatuuntur in publicum exemplum. piorum igitur confeſſio notoria eſt. Opponitur autem hoc loco obſignatio illa ſuperiori,cap.13. vbi mali nomen beſtiæ admiſerunt: contrariæ igitur ſunt obſignationes,Chriſtus ſuos obſignat nomine Dei Patris, beſtia Antichriſtus ſuos obſignat,proprio nomine & charactere, demum eos obſignat digito Dei, qui eſt Spiritus ſanctus, per quem clamant,Abba Pater. Numer' Piorum qui adſunt Chriſto.

Verſ. 2. *Et audiui vocem ex cælo.*

Pergit piorum vota deſcribere, ac hic obſeruantur notæ electorum, primùm dixit *illos ſtare cum agno in monte Zion*, hoc eſt ſolido fundamento inniti, quod eſt ipſe Chriſtus:deinde *infinitos eſſe*,quos tamen Deus certo complectitur numero. Vota piorum,& electorũ notæ.

Tertiò profeſſionem ſuam non celant, ſed in frontibus gerunt ſcriptam. Nunc hilares cultores Dei eſſe oſtendit, nam certi de victoria iam nunc incipiunt ad finem rerum omnium proſpicere. *Vox* autem *illorum eſt, vt aquarum multarum*, hoc eſt, ex diuerſis nationibus & linguis collecti ſunt, deinde *vt tonitrui magni*, eſt in eo terror & formido, nam tonitru Dei irati videtur argumentum, ideo tertia additur metaphora, *vt citharœdorum*, ſignificans impiis hoc carmen eſſe terribile, piis contra dulciſſimum concentum. Euangelium habet hanc citharæ vocem, dum peccatori promittit plenam peccatorum remiſſionem in Chriſto. Inde Dauidica cithara pellebat Spiritum immundum à Saule rege, hoc inexplicabile gaudium ſoli electi ſentiunt in doctrina Euangelij.

Verſ. 3. *Et canunt,quaſi canticum nouum.*

Canticum deſcribit ſanctorum, quæ ad quintam facere poſſunt proprietatem, ſanctorum ſcilicet nouum carmen decantare. Nouum dicitur reſpectu mundi, cui res eſt inaudita,& ob id ſtultitiam eſſe iudicat: deinde nouum,quia per interualla. ſæpe amittitur,repetitum,mox homines clamant nouam eſſe doctrinam. Expoſitio cantici piorũ & illius ratio.

Sic hodie Euangelium vocant nouam doctrinam,cùm reuera ſit antiquiſſima,vt quę primis ſit data parentibus: ſed dum repudiata Antichriſti doctrina reuocatur,mundus nouam vocat, quaſi ſuis opinionibus pugnantem. *Canitur* autem *ante thronum Dei, animalium quatuor & ſeniorum*, hoc eſt, in cœtu cæleſti, cui præeſt ſua præſentia Deus, *Hoc carmen etiam nemo poteſt diſcere exceptis illis* 144000. hoc eſt reprobi non admittunt hanc ſalutarem doctrinam, licet obganniatur illis millies, non habent donum hoc,inde tot bella & cædes, quod diſcant hoc carmen, alij repudient, & priores ob id perſequantur. Addit autem quaſi rationem, quare illi diſcant,*quia ſunt redempti de terra*,q.d.electi diuina præcedens in cauſa eſt, cur hi poſſint, illi verò non poſſint diſcere. Ex quo illud efficitur,non eſſe meritorum noſtrorum, ſi locum demus Euangelio, ſed gratiæ Dei nos præuenientis,ſic Apoſtolus ad Epheſ.2.v.8. oſtendit Dei donum eſſe, & ad Titum 3.verſ.5. Euangelium noua doctrina.

Verſ. 4. *Hi ſunt qui cum mulieribus non.*

Sexta nota, dixerat illos eſſe redemptos de terra, iam ſeptimò addit, non eſſe pollutos cum mulieribus, virgines enim ſunt, ſignificat eos caſtos mente & corpore eſſe. *Cum mulieribus polluti non ſunt* hoc eſt, alienas non admiſerunt, ideo nihil dicunt, qui hîc cœlibatum extollunt, qui enim hodie illum ſic laudant, bona illorum pars votum cœlibatus laxant, & corpora ſua polluunt vaga libidine, quos præſtaret in matrimo- Caſtitas & puritas electorum.

nio castè viuere, quàm pollui tot scortationibus, impollutum enim est matrimonij cubile, vt est ad Hebr.13. Deinde virgines in Scriptura sunt etiam maritatæ, vt vxorati, de quibus loquitur 2.Cor.11. desponsari nos vni Christo tanquam virginem castam. Contrà de virginibus externis nullum dicit se habere præceptum 1.Corint.7. sed consilium se dare affirmat. Itaque hîc nihil pro ementito illo cælibatu dicitur, sed potiùs illud subest, electos Dei non pollui idololatria: nam Moses Deut. 7. prohibet, ne populus Dei alienigenas vxores ducat, quod quidem ad literam quoque seruandum fuit, sed hoc etiam significauit, non esse polluendos Idololatria. Idem hîc videtur dicere Ioannes, sanctos esse castas virgines, quæ non alium agnoscunt sponsum, quàm Christum, nec alium mediatorem norunt, toti ab vno Deo pendent, alios nullos inuocant, nec colunt sanctos.

Electorũ constantia in sequendo Agno.

Octauò *Sequuntur Agnum quocunque ierit*, hoc est, hilares sunt Christi comites in omni fortuna, abit Agnus ille in his terris, aliquando in carceres, in exilium, in morbos, in rerum penuriam, in his casibus pij illum sequuntur. Hinc in nouissimo iudicio reprobis obiicit, quòd pauper fuerit, nudus, esuriens, nec illum vestierint, aut cibarint. Illustris igitur est nota sanctorum intrepidè sequi Agnum in omni fortuna: hunc eundem sequuntur in vitam æternam, quò prior ipse abiit.

Nonò, *hi empti sunt ex hominibus*, suprà dixerat emptos de terra, quod hîc mutatis verbis repetit: significat enim ex fæce hominum separatos esse, adeò vt iam non terrena cogitent, nec aliorum hominum more agant, sed operantur salutem suam.

Decimò *primitiæ sunt Dei & Agni*, hoc est, more primitiarum consecrati ad vitam æternam: vt enim primitiæ ab hominibus non debebant lædi, sed diuinis vsibus applicandæ, sic electi ex toto mortalium cœtu, segregati sunt ad vitam æternam, reliquis omnibus neglectis.

Innocentia & candor piorum.

Vndecimò, *in ore illorum non est repertus dolus*, hanc notam habent de Christi Agni proprietatibus: nam sic illum depingit etiam Esaias, quo ostenditur innocentia & simplex piorum candor in omni illorum vita. Ac quod Christum attinet, perfecta quidem illa fuit, & numeris omnibus absoluta innocentia, piorum quamuis imperfecta sit, tamen iisdem titulis ornatur, habetúrque apud Deum pro absoluta propter Christi meritum.

Piorum Inculpata vita coram Dei throno licet peccent nonnunquam.

Duodecimò, *immaculati sunt coram throno Dei*, hoc est iudicio Dei absoluuntur, vt vt de his statuant homines: sunt tamen coram hominibus quoque ἄμωμοι, hoc est, nullius sceleris argui possunt. Sic Christus dixit aduersariis suis, quis è vobis arguere me potest de peccato? Et Petrus monet, ne patiamur, quasi fures & facinorosi, pro Christi autem nomine & veritatis confessione patiendum est, quicquid patimur. Nec inde sequitur etiam, quod quidam voluerunt elicere, scilicet, pios omni peccato carere in hac terra: semper enim & libenter fatebuntur pij, quicquid præstiterint, se esse seruos inutiles, interim ἄμωμοι dicuntur, quia illis peccatum non imputatur. Sic Dauid canit, Beatus cui Dominus non imputat peccatum. Interim si naturæ conditio inspiciatur filij iræ quoque nati fuerunt: sed renati in Christo, ex iræ filiis facti sunt gratiæ filij, & cohæredes Christi.

Vers. 6. *Et vidi alium Angelum.*

Concio noui Angeli mũdum ad Dei cultum hortantis.

II. pars capitis continens primi Angeli concionem: hortatur autem mundum ad vnius & veri Dei cultum. Loci duæ sunt partes, aditus ad rem, & ipsa concio, quæ ordine explicamus. Alium vocat Angelum, quia hactenus plures inducti sunt: alium autem esse primum mox videbimus in tertio Angelo, bis alium dicit Angelum, inde tertium inducit, itaque illi erant primus & secundus. *Volantem* autem vidit, quo sedulum in officio & assiduum dicere voluit: volantes enim in motu sunt, & aues ad volandum natæ dicuntur in Scriptura, itaque volans Angelus significat diligentem doctorem in Ecclesia, qui mundum quàm diligentissimè admonet de sana doctrina retinenda. Per medium cæli verò volat, hoc est, palàm & intrepidè: non enim docebit hanc doctrinam in angulis, clàm aut occultè & obscurè, sed dilucida debet esse & notoria doctrina veritatis. *Habet etiam Euangelium æternum*, genus doctrinæ quo vtetur Angelus indicatur, ac significat Christi esse præconem, cuius doctrina propriè est Euangelium, & est æternum, hoc est, fine & principio carens, quia regnum Christi tale est Luc.1. Apud homines quidem principium habuit, quia illi non semper extiterunt, sed his nondum natis, Deus hoc genus doctrinæ ordinauerat, quod suis temporibus hominibus annuntiaretur. Sic Rom. 1. dicitur promissum per Prophetas. Itaque doctrina hæc verè antiquissima est, & consentiens cum Prophetis, quamuis in mundo nomine nouitatis traducatur. Ideo Apostolus ad Gala. anathema pronuntiat etiam

Sup.8.v.13.

Angelum de cælo, si quis aliud Euangelium nobis velit obtrudere, hoc Euangelium omnibus mortalibus proponet, alludens ad D. Christi mandatum, quo ad omnes misit. Docere omnes gentes, omnem creaturam, ite in vniuersum mundum.

Vers. 7. *Dicentem voce magna.*

Iam tandem Angeli concio sequitur, summa est, solus vnus ille & verus Deus colendus est. Id triplici forma exprimit, primò *timete Deum*, hoc est, omnibus rebus, vt idolis præferre, supra omnes tyrannos etiam, & pericula illum timete. Deinde, *Date illi gloriam*, quod fit, dum vitę & moribus nos ipsi reuerenter approbare nitimur, ne sola oris confessione, sed bonorum operum studio & vitę innocentia Christi loquamur doctrinam. His duobus adiecta est ratio à præsentia seuerissimi iudicij Dei, de quo Matth. 24. 2. Thes. 2. Tandem etiam adorationem addit veri Dei, vt eadem videantur timere, honorare, & adorare Deum. Porrò *Deum* illum verum describit à suis operibus, quasi ab effectis, *qui fecit cælum, terram, mare & fontes aquarum.* formula est descriptionis distinguens verum Deum ab Idolis vid. Psal. 146. vers. 6. & alibi. Expositio verborum cócionis ab Angelo factæ.

Vers. 8. *Et alius Angelus.*

III. Pars Secundus Angelus priorem mox subsequitur, primus verum Dei cultum restituit, secundus iam prædicit ruinam Antichristi: debent enim reprobi reddi inexcusabiles, ideo de malis euenturis etiam diligenter præmouendus est mundus. Babylon indubitanter Roma est, sic enim interpretatur Hieronymus in quæstionibus ad Algasiam, & Tertullianus contra Iudæos, & lib. 3. aduersus Marcionem Babylon apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis nobis figura est, proinde magnæ & regnosuperbæ, & sanctorum Dei debellatricis. D. Hieronymus certè Romam vocat conspirationem sacerdotum, institutis Christi principis reluctantem, meretricem purpuratam, & Babylonem. Idem lib. 2. contra Iouinianum. Ad te inquit, loquor, quæ scriptam in frõte blasphemiam Christi confessione deleuisti, vrbs potens, vrbs orbis Domina, vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma autem fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem, Maledictionem, quam in Apocalypsi saluator minatus est potest effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Itaque hanc sequor interpretationem. Allusio autem sumpta est ex Prophetis, qui de Babylonis interitu prius vaticinati fuerunt, vt Esaias cap. 21. vers. 9. Et Ieremias cap. 51. vers. 8. Iisdem igitur verbis ferè de secunda Babylone hîc loquitur Ioannes, ac propter rei certitudinem repetit etiam verbum, *Cecidit, cecidit,* quasi dicat indubitanter cadet, quasique iam ceciderit rem creditore certissimam. Explicatio alterius Angeli ruinam Antichristi nuntiantis. Roma Babylon secunda.

Porrò hæc secunda Babylon iam cadere cœpit, ab eo tempore, quo eius turpitudo toti mundo cępit innotescere, cadétque semper magis magísque, donec tandem aduentu Domini Christi, ad plenum euertatur & conficiatur Antichristus spiritu D. Christi. Huic interpretationi quoque astipulantur illa, quæ infra cap. 17. habentur v. 5. & 18. c. 18. v. 2. Porrò Ioannes his comminationibus, pœnarum addit quoque rationem, ne sine causa, aut saltem causa non cognita perdi se cõqueri possit. Ratio igitur pœnarum est, *quòd vino cupiditatis scortationis suæ potarit omnes gentes*, h. e. suo exemplo omnes nationes scortationem docuit Furentem autem & insanam facit libidine scortandi, ad quam rem facit vini propinatio: nam inflammat vinum in Venerem, deinde sumptum ex manu scorti, magis æstum excitat: solent enim phyltra propinare prostibula suis amatoribus, hinc θυμὸς, h. e. libido & furor in Venerem. hæc Romæ notoria esse fatētur omnes, qui illam viderunt. Deinde scortationi hunc annexa est spiritualis illa scortatio idololatria, quam omnibus nationibus obtrusit, & adhuc mordicus defendit, reclamantibus omnibus piis. Ratio cur punienda sit Roma

Vers. 9. *Et tertius Angelus.*

IIII. Pars est, Continet autem tertij Angeli concionem non minus necessariam, quàm superiores, pius est & hic monitor prohibens, ne cum impiis nos misceamus, ne cum illis etiam pereamus. Similia infrà cap. 18. vers. 4. & 5. habemus. Porrò initio quasi proponit rei summam, sententia est, *Homines non debent bestiam adorare*, hoc est, Antichristum colere: is enim bestia est & Romæ habitat. Tria autem dicit, *adorare bestiam*, deinde *adorare eius imaginem*, hoc est, Antichristi doctrinam de potestate & iure Romani Episcopi, quæ imago est veteris imperij: sed ei de nouo dedit vitam & Spiritum, summa in eius verba eam dicit iurare. Tertiò addit, *signaculum eius accipere*, *nec fronte*, *nec manu*, hoc est, nullo pacto consentire Antichristi traditionibus, *fronte accipitur*, professione externa, & quasi confessione oris: *manibus* autem, dum reipsa & opere hanc sedem tuentur homines, hoc est, armis & vi tueri Expositio tertij Angeli vbi de impiis fugiendis. Vid. sup. 13.

volunt abominationes Antichristi.

Fronte igitur admittunt, qui fuerunt eius doctrinam, & componunt leges vtrique tolerabiles: *manu* autem, qui violenter aliis obtrudunt, & pro hac parati sunt quæuis experiri. Itaque nec colludendum est cum his, nec pertinaciter diffundenda est Antichristi doctrina, qui secus fecerint illi audiant sequentia.

Vers. 10. *Et ipse bibet.*

Exposi-tio pœnarum quas sentient rebelles.

Dixit, quid faciendum non sit, iam de pœnis loquitur transgressorum, ac apponit principio propinationes, quas Meretrix illa Babylon suis amatoribus propinauit idololatriam, & corporalem scortationem, & id adeò furenter, vt in hæc scelera insanire videantur homines. Audiant igitur iam aliud propinandi genus, quod Deus propinat, *vinum illud est furoris Domini, quod merum mixtum est in poculo iræ Dei,* hoc est, rigidum & sine misericordia iudicium Dei contra peccatores illos. Phrases sunt ex Prophetis petitæ, vt Ierem. 25. v. 15. Esa. 51. v. 17. & aliis locis, quibus seueritas pœnarum declaratur, de poculi metaphora aliàs dictum est.

Pœnarū circunstantiæ.

Reliqua deinceps ad amplificationes pertinent, nam à circunstantiis, pœnarum grauitatem exprimit, *cruciabitur igni & sulphure*, hoc est, acerbissimi sunt dolores in his pœnis: ignis enim & sulphur violenter consumunt, adeóque dolores diros excitant in conuulsionibus corporis. Deinde *coram Angelis* illa patientur, hoc est, in conspectu monitorum quorum consilia pertinaciter spreuerunt, pudendum autem est in has calamitates detrudi, vt his fias spectaculum, quos olim contempseris. Tertiò etiam *coram Agno*, hoc est, Filio Dei, quem persecuti sunt, & qui natura quidem mitis est, sed in eo iudicio nullam his misericordiam declarabit. Quartò, *fumus cruciatus eorum ascendet in secula seculorum*, hoc est, æternæ erunt pœnæ, sine fine, & sine omni spe remissionis. Sic Esa. 66. dicitur, Vermis illorum non moritur, quod Christus etiam repetiit Marci 9. Et Luc. 13. Dicit illic stridorem esse dentium, & fletum, hoc est, indicibilem luctum. Quintò, *quietem non habebunt die & noctu*, itaque carebunt hæ pœnæ etiam intercalatione, vt nullo tempore non durent, Plena est & perfecta damnatio. His repetit, ad quos pertineant hæ pœnæ, *ad eos, qui adorant bestiam & imaginem eius*, & qui admittunt nominis eius obsignationem, hoc est, qui Antichristum tuentur, & profitentur quouis modo.

Vers. 12. *Hic tolerantia sanctorum est.*

Exclamatio, in qua de necessitate constantiæ in cruce.

Superioribus trium Angelorum concionibus subiicit ἐπιφώνημα, quo indicat, quæ sint in his malis sanctores partes. Significat autem in publica illa Antichristi doctrina piorum virtutes exercenda esse, tolerantiam, ne frangantur metu, néve vllo periculorum metu patiantur se abduci à veritatis confessione, sed constantia opus esse. Deinde hîc declarandam obseruantiam mandatorum Dei: nam cum Antichristus sua dogmata & traditiones, pro Dei mandatis vrgeat, sancti scient oportere plus Deo quàm hominibus obedire. Deus prohibet scortationem & idololatriam, itaque quicquid concepat Antichristus, vel probet, aliis sequendum mandet, pij ad legem Dei sese conferent. Tertio *fides in Iesum* hîc probabitur, hoc est, quàm fidi simus Christi cultores.

Quid sit fidem seruare.

Fidem Iesu seruant, qui fideles sunt Domino Christo, qui illum vnicum agnoscunt mediatorem, doctrinam illius impollutam conseruant, vita & moribus Christi innocentiam imitantur, castos sese conseruant ab idolis & tota doctrina Antichristi. Hæc exercitia erunt sanctorum sub tyrannide Antichristi, patientia sub cruce, obseruantia mandatorum Dei, & Domini Christi doctrinæ conseruatio.

Vers. 13. *Et audiui vocem ex cælo.*

Explicatio consolationis & promissionis à Deo factæ piis, qui in cruce firmi permanserint.

Ad superioriora hæc etiam refero. Sententia est pios non oportere despondere animum, propter pericula, quia salus eorum Domino sit indubitanter curæ. Ac primò consolationi autoritatem parat ab autore Deo: *vox enim ex cælo hoc dicit*, id est, Deo autore sancita est illa sententia. Deinde iubetur *scribere*, hoc est, posteritati mandare, omnibus enim ætatibus necessaria est doctrina, quòd Deo curæ sit piorum conseruatio.

Tertiò rem exprimit. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur nunc*, hoc est, qui in veri confessione constanter perdurant vsque ad finem, nec solùm illa accipiuntur de martyrio, sed in genere de omnibus piis, qui etiam in lecto placidè moriuntur, dum retinent spem ac fidem de Christi beneficiis. Sic beatus est Petrus, dum crucifigitur, sed non minùs est beatus Ioannes, dum in lecto moritur: vterque enim retinet veritatis confessionem, id quod est in Domino mori. Porrò dictio ἀπάρτι, peperit ambiguam hîc sententiam: alij enim ad morientes referunt, quasi dicat, qui iam moriuntur pro veritatis confessione, beati sunt, quemadmodum Psal. 115. dicitur. Pretiosa est in

conspectu

conspectu Domini mors sanctorum eius, nec inde colligi debet, quòd priùs tales beati non fuerint, sed quemadmodum semper, ita sub Antichristi Dominio indubitanter seruandum idem de his iudicium. Sed alius est sensus plenior, nunc beati sunt, vt ἄρτι & ἀπάρτι referatur ad dictionem beati, quasi dicat, à morte ad vitam mox transeunt. quod dixit Dominus Christus Ioan. 5. & in cruce latroni promisit felicitatem, quæ eodem die initium haberet.

Quartò, hanc sententiam confirmat spiritus approbatio, *etiam dixit Spiritus*. hoc est, sententiam de felicitate piorum Spiritus sanctus approbauit, dixit ad illam næ, plus est, quàm si Ioannes suo calculo approbasset. Promissionis cō firmatio.

Quintò illustrat illam à causa finali, *vt quiescant à laboribus suis*. h.e. eo fine beatos efficit, vt tandem his ærumnis liberentur, ac videtur subesse tacita antithesis, de impiis enim dixit, quietem non habent die & noctu, significans continuas pœnas illorum esse. Nunc contrà de piis contrarium asserit, *vt quiescant à laboribus suis*, hoc est in solidum liberabuntur illis malis, quæ pro Christo hic tulere. Illius finis, vbi est antithesis piorū & impiorū

Sextò, exprimit præmia, ne putemus omnia in morte finiri, itaque docet ærumnis hîc saltem terminari, *fructum* verò *operum eosdem comitari*. itaque opera hîc accipe loco præmium, q.d. præmia laborum illic accipiunt sine mora. Sic infrà cap. 20. ver. 12. & sup. 2. v. 13. Et Apostolus Paulus in 2. ad Cor. 11. ver. 15. de malis doctoribus, inquit, quorum finis erit secundum opera illorum, & 2. Tim. 4. vers. 14. de Alexandro fabro ærario loquens ait, Reddat illi Dominus secundum opera sua, h.e. compenset illi suas actiones, nec est tamen quod in sanctis fingamus aliqua opera meritoria, Deus enim sua dona in illis coronat.

Vers. 14. *Et vidi, & ecce.*

Quintus est locus huius capitis, in quo describit Christum iudicem venturum ad nouissimū iudicium, *Similis filio hominis*, omnino Christus est: non enim alium admittit tanta descriptio. Petita sunt ex 7. c. Danielis: & Dominus Christus Matth. ver. 30. similia de se iudice pronuntiat. Suprà dictus est Agnus mysterio redemptionis, ac immolationis, iam dicitur similis filio hominis mysterio incarnationis: repertus est enim & homo purus. itaque verus homo est. Quom. Christus iudex vē turus sit ad vltimum iudicium.

Sed idem sedet super nubem candidam, h.e. sine peccato est, & quia nubes est Dei vehiculum in Scripturis, quod cùm Christo tribuat, Deum simul facit. Itaque Filius ille hominis, etiam Deus est, quia Dei vehiculum occupat, *nubem candidam. Habet* autem *in capite coronam auream*, h.e. rex simul est solidus, & purus: nam in auro istæ quidem cedat. Tale est Christi regnum, purum, sine omni labe, & solidum, quod ne portis inferorum cedat, nec vlla diuturnitate labefactari possit. *In manus* verò *habet falcem acutam*, h.e. potestatem iudiciariam, & hanc quidem rigidam, sine omni misericordia, vide Ioel. 3. sic quidem descriptus est Christus iudex. Christus Deus & homo.

Vers. 15. *Et alius Angelus exiuit.*

VI. Locus de alio Angelo monitore, monet autem filium Dei iudicem, vt tandem iudicium hoc expediat, quo pij ad plenum liberentur ab impiorum tyrannide. Angelus alius piorum vicē subiens in mouēdo Christo iudice.

Hic Angelus personam sustinet omnium electorum, qui in dies ad Dominum suspirant, & seriò petunt liberationem. Sic Paulus testatur, quòd tota creatura cum sanctis ingemiscat, & desideret liberationem filiorum Dei, itaque illa sunt vota, & desideria sanctorum, & totius creaturæ, quæ hîc loquitur.

Angelus ideo procedit ex templo Dei, in quo ara est, sub qua latitant sanctorum animæ. Demum *clamat ad Filium Dei*, ad illum enim sanctorum vota respiciunt, *mitte falcem, & mete, quia venit tibi hora metendi*, quasi dicat, rumpe tandem moram, & veni liberator.

Ratio est, *quia aruit messis terræ*, mox infrà dicit, quia maturuerunt botri terræ, hoc est ad culmen peruenit mundi impietas, mensuram suam compleuit, desperatum est non minus, ac si humor omnis ex herba euanuit, nihil enim superest quàm vt planta in solidum pereat. Ad has voces, *iudex misit falcem in terram & demessa est*, ostendit decurtandos esse dies propter electos, ne & ipsi pereant, deinde quia adeo ardenter hoc expetunt. flexibilis est ergo iudex, sed à solis sanctis, aliis contrà est inexorabilis. Matt. 13. vers. 33.

Vers. 17. *Et alius Angelus prodit.*

VII. Locus in quo alia pictura nobis Filium Dei iudicem proponit. Angelus hic dicitur, quia Patris est legatus & internuncius, adeóque interpres suæ voluntatis, ideo *procedit ex templo cælesti*, hoc est, diuinitus est missus, & habet falcem acutam: sic priùs iudex falcem habuit, hoc est, paratus fuit ad messem, iam *paratus est ad vindemiam*, Quom. sub alio Angelo Christus iudex exhibeatur

alia parabola rem eandem proponens.

Vers.18. *Et alius Angelus exiuit de altari.*

Angelus alter monitor qui conuenit cum eo, de quo vers.15.

Locus est VIII. de alio Angelo monitore iudicis, conuenit hic Angelus cum illo primo vers.15 nam rem eandem vrget, & sustinet personam electorum, desiderantium summis votis tandem compleri eorum consummationem. *Prodit* autem *ex altari*, superior ex templo simpliciter, hic ex secretiore loco, in quo animæ sanctorum etiam reconditæ sunt. Deinde *habet potestatem ignis*, q.d. magistrum pœnarum, bonus autem est, alioqui non prodiret ex altari Dei, deinde mali talia non precantur, imò contrà, ad quid venisti torquere nos? scit enim diabolus, se cum reprobis hominibus quoque daturum pœnas: itaque iudicium illud vniuersale potiùs horrescit. Bonus igitur est hic Angelus, *habet* autem *potestatem ignis*, significans pios iudices fore impiorum: sic Paulus dicit sanctos iudicaturos mundum, adeóque ipsos Angelos. Hæc potestas est super ignem, sunt enim Angeli elementorum præsides quoque. Vox huius eadem est cum primi voce, nisi quòd hîc sub alia metaphora loquitur de impiis damnandis, prior messem, hîc vindemiam vocat, copiam significantes damnandorum, qualis est in vbere messe & vindemia. Phrasis sumpta est à Prophetis, vt Esa.66. Ioelis 3. aliísque locis. *botri* igitur hîc soli reprobi sunt, *qui ad maturitatem peruenerunt*, h.e. ad culmen impietatis, mensuram scelerum compleuerunt.

Vers.19. *Et misit Angelus falcem suam.*

Consummatio pœnarũ iudicij vltimi aduersus impios.

IX. Locus est huius capitis, de iudicij illius finali consummatione, iudex bis excitatus, tandem vota sanctorum complet. *Mittit igitur falcem in vineam*, vt priùs in messem impiorum, deinde *mittit malos illos botros, in lacum magnum iræ Dei*, h.e. tradit eos æternis pœnis: lacus enim est gehēna, locus ille impiis deputatus, in quo est fletus & stridor dentium. *Magnus* autem *est*, h.e. satis capax pro omnibus reprobis, & *est iræ lacus*, h.e. pœnarum & damnationis, ideo vltimo versu subiicit, *Et calcatus est lacus extra ciuitatem*, h.e. pœnæ initia sumpserant, & dolores inferni præualuerunt. *Calcatur autem lacus extra ciuitatem*, h.e. seorsim à cœtu sanctorum. Ciuitas Dei est, à qua separatus est ille lacus impiorum, est enim locus tenebrarum exteriorum. Deinde *exit è lacu sanguis*, h.c. effecta pœnarum apparent, dolores, cruciatus indicibiles. *Vsque ad fræna equorum*, alludit ad magnas bellorum strages, in quibus victi pereunt, & funditur sanguis, cui ferè innatare possint equi, significans maximam impiorum stragem & calamitatem. Accedit & illud *longè latéque diffundi stragem illam per stadia* 1600. latissima fit strages, in qua sanguis tãto locorum interuallo effundatur. Sed potest referri spatium hoc ad distantiam vrbis sanctorum q.d. licet maxima illa sit impiorum calamitas, tamen sanctis non potest esse molestia, ratio est, quia satis iusto abest spatio. Sic dixit Abraham pater, interesse ingens χάσμα inter illos & hos.

CAPVT. XV.

Breuis summa quintæ visionis cum hoc quæ hoc ca. 15. & 16. continetur.



QVinta visio hoc capite, & sequenti 16. proponitur, quæ explicat nobis per septem Angelos & septem phialas certas pœnas, quæ Dominus omnibus iis qui se Antichristo coniungunt propinat sub finem mundi. Atque hoc capite solùm rei habetur παρασκευή, h.e. quædam præparatio: nam effusio pœnarum hîc adornatur, sequenti demum capite ad plenum effunduntur. Quibus omnibus dominus declarat, Antichristi ruinam certo ordine perficiendam, qui hodie compleri videtur, dum illius peccata & errores sensim produntur mundo, vt intelligant omnes doctrinam & mores illius fœdis corruptelis contaminatos esse.

Arg. cap. huius 15.

Porrò hoc capite duæ habentur descriptiones, quarum prior pertinet ad Angelos diuinæ iræ executores, hanc initio mox orditur: sed priusquam perficiat, ad alteram priore intermissa, transit, in qua electorum congratulationem depingit, dum pœnas has præsentiscunt, adeóque mundo inculcant horrenda illa euentura fata. Hac demum absoluta redit ad primam & Angelorum conditionem absoluit. Itaque posterior per ἐπεμβολὴν inserta est priori, inde διέξοδος fit, & ἐπάνοδος tandem instituitur ad intermissam priùs materiam.

Vers.1. *Et vidi aliud signum.*

Ingressus ad visionem quintã.

Initium est nouæ visionis ab attentione. *Signum* vocat *aliud*. q. d. nouam visionem aut signorum aliam speciem: est enim quinta ordinis visio, specie à superioribus differens. *Magnum* autem *est signum* significatione, quia Angeli illi septem, & septem phialæ significant iræ diuinæ infallibiles & præsentissimas pœnas. *Admirabile* autem *est signum*, euentu & completione, res enim admiranda est, tantam Antichristi pompam

Qualis fuerit visio hæc nempe de impiorum pœnis.

pœnarũ qualitas. & tempus.

pam & speciem euerti & confundi à miseris Antichristi ministris, quibus nihil abiectius est in mundo, stupent ad hoc homines eruditi, principes & ipsi Angeli. Hactenus quasi πρότασις, sequitur mox διήγημα, quid viderit, *Angelos septem habentes plagas septem vltimas*, hoc est, tota visio de pœnis loquitur Antichristi, quarum ministri sunt & executores Angeli totidem, hoc est, vt finitæ & certæ sunt pœnę, sic earum ministri diuina autoritate & præsentia ad has exequendas ordinati sunt & prędestinati, adeò vt in his quoque nihil casu eueniat. *Vltimæ autem sunt pœnæ*, hoc est, in hoc mundo vltimæ, & ob id finitæ, quarum tamen finis initium est æterni cruciatus, quem sentient reprobi post hanc vitam. Huic narrationi additur κατασκευή, quas exponit, cur vltimæ dicantur plagæ, *quia*, inquit, *in his completa est ira Dei*. Dicuntur igitur vltimæ completione, quia in his pleniùs & perfectiùs conspicietur ira Dei effusa contra peccatum. Mundus ab origine semper habuit exempla pœnarum, vt in Adamo & Eua, in diluuio, in Sodomis, sed initia illa videntur malorum. Sub finem mundi proponet Deus pœnas omnium atrocissimas reproborum, quibus ita illius contra peccatum declarabitur, illius hodie non desunt exempla, si quis obseruet.

Vers. 2. *Et vidi, vt mare vitreum.*

Digressio ad nouam materiam in qua de piorum votis in victoria.

Maris vitrei interpretatio.

Digressio est, qua intermissa iam cepta descriptione ad aliam transit, hoc est, ad vota sanctorum, qui dum finem mundi præuident, adeóque de his malis mundum admonent, in laudes Dei erumpunt, certi de euentu, & sua contra reprobos victoria. *Videt* igitur *mare vitreum*, quod de Baptismo veteres explicant, cùm Apostolus 1. Cor. 10. dicat veteres baptizatos in nube & mari: deinde quòd hîc ignis addetur, per quem spiritus sanctus declaratur cui assimulatur in Actis passim. Sed ea nos suo relinquimus loco, & per mare hîc, vt aliàs quoque accipimus mundum, qui habet omnem rerum, vt apparet confusionem, & commixtionem. Illud autem est vitreum, hoc est, solidum apparet, quasi glaciale dicas mare, quod integros etiam fert exercitus: vitreum tamẽ est, hoc est, fragilè. In vitro duę sunt conditiones splendor & fragilitas: sic mundi occupationes mirificè splendent & blandiuntur sensibus, interim sunt fragiles & inconstantes: vitrum si excidat manibus, quamuis sit speciosum, facilè frangitur, sic mundi felicitas diffluit *Vvie daß ÿß zerbricht vvie ein schon glaß. Mixtus* autem *est ignis*, hoc est, insunt hinc inde scintillæ Spiritus sancti conseruantes pios, sed magis insunt varij casus afflictionum & ἀτυχήματα, quibus boni exercentur & probantur. Et hactenus locum notauit iam addit habitatores. *Vidit* igitur secundo loco *victores ibi stantes*: mundus enim commune est hospitium, in quo boni & mali diuertunt, Deo sic mandante, illo imperium exercet Antichristus cum suis complicibus: boni in angulis mussitant, interim Dei iudicia præuident & prænuntiant. de his igitur hoc loco agitur. *Victores sunt bestiæ* 3. Antichristi, quia non colludunt cum illo, imaginem eius non adorant, obsignationem. h. e. professionem non admittunt, & numerum nominis eius contemnunt, h. e. planè nõ sunt de illius numero, ideo victores. *Stant* autem *in illo mari*, vel super illud, quia in mundo cum aliis variis fortunæ casibus expositi sunt, tamen super illud sunt, quia tacitè & læto animo ferunt omnes casus. *Et habent citharas Dei*, h. e. veram consolationem ex verbo Dei, vocem Euangelij de remissione peccatorum & Christi meritis, ex qua doctrina fluit illorum etiam carmen, de quo mox.

Vers. 3. *Et canunt canticum Mosis.*

Quale sit piorũ canticũ.

Cantici verba.

Iam tandem factum explicat, canunt canticum Mosis, & Agni. De Mosis carmine vide Exo. 14. 15. videtur enim ad illud alludere, quanquam canticũ Mosis sit tota lex, nam contrà canticum Agni est doctrina Euangelij. Itaque hoc dicit, eos doctrinam legis de studio bonorum operum coniungere cum doctrina Christi de fide, remissione peccatorum, Christi meritis, quam corrupit Antichristus, totum operibus deferẽdo, nihil Christi meritis relinquẽdo. Et hactenus aditus ad carmen, iam verba eius subiicit. Exordiuntur ab operum diuinorum admiratione, in quibus inest, ὁμολογία, h. e. perspicua confessio. Magna sunt opera conseruationis & damnationis, *admirabilia* autem, quia stupenda & rationi hominum insolita: mirandis enim modis suos liberat contra spem sic tyrannos sæpe opprimit ex improuiso vt omnes admirantur. Deinde in his Domini iudiciis inest iustitia & veritas: illa, quia meritas infligit pœnas, nec peccat, veritas autem, quia hoc ipsum iam olim comminatus est, & quia mundus admonitus non fit emendatior, ideo Deus in suis promissionibus verus esse debuit.

Cantici verba.

Vers. 4. *Quis non timebit te.*

Piorum cõfessio, vbi de pœnarũ fructu.

Pergunt in confessione pij, ac ostendit pœnarum fructum: inde enim fiet, vt omnes incipiant timere Dominum, & honorare nomen eius, adorare eum ex omnibus gentibus, significans Ecclesiam Christi vltimis temporibus copiosè colligendam ex

omnibus nationibus, cui rei occasionē dabunt pœnæ tam atroces reprobis intermissæ.

Vers. 5. *Et post hæc vidi.*

Reditur ad visionem de Angelis septem.

Epanodus est, redit enim ad intermissam descriptionem Angelorum septem, qui sunt iræ diuinæ executores. *Aperitur hic templum in cælo, in quo tabernaculum testimonij Dei fuit repositum*, alludens ad Mosaicum templum & tabernaculum. Hinc *prodeunt Angeli* administri pœnarum, hoc est, certo Dei consilio, nec temerè, aut casu vagantur in mundo calamitates impiorum. *Induti* autem *sunt lino albo & puro*, significans Angelos bonos esse: nam puritas & candor argumenta sunt integræ & bonæ naturæ in Angelis. *Cincti etiam Zonis aureis*, hoc est, expediti summa virtute & integritate ad exequendas pœnas secundum Domini decretum, cui nihil addunt de suo neque etiam detrahunt, quod vult aurum, præterea nulla est vis contraria, quæ illos impedire possit.

Vers. 7. *Et vnus de quatuor animalibus.*

Potestate publica armantur Angeli.

Muniuntur etiam publica authoritate, nam ius puniendi aliunde accipiunt. Suprà c. 4. & 5. diximus de quatuor animalibus, ex his vnum *dat Angelis hîc Phialas aureas iræ Dei*, quæ simpliciter accipio de Christo, cui omne iudicium datum est, is igitur mittit illos pœnarum Angelos in mundum contra Antichristum. Est enim Christus animalium illorum summa & scopus, ac ingenio & officio omnia quatuor refert, homo est incarnatione factus, vitulus passione, leo resurrectione, aquila ascensione ad cælos.

Vers. 8. *Et impletum est.*

Alludit ad historiam Solomonis, id est, 1. Reg. 8. templum impletur fumo in dedicatione templi, quæ res erat argumentum præsentiæ Dei. Hic alia ratione etiam videtur fumo impleri, scilicet quòd pœnarum diuinarum ratio homini satis sit obscura, ideo subiicit, *Quòd nemo poterit ingredi templum, donec complerentur plagæ septem Angelorum*, hoc est, mens humana cæca est ante pœnas, nec facilè sapit, nisi damno accepto, vt piscator ille ictus hamo tandem: ita natura nostra vt plurimùm sumus Epimethei, damno demum accepto sapimus: Ac optandum erat, vt vel sic corrigeremur, multi enim nec suo, nec alieno malo ad sanam mentem perduci possunt. Et hactenus nuda visionis παρασκευὴ nunc tandem cap. 16. effunduntur pœnæ & enormes euentus, de quibus deinceps agemus.

CAPVT XVI.

Ὑπόθεσις.



Væ scripta sunt capit 15. habebant aditum ac præparationem visionis quintæ, ideo Παρασκευὴν esse diximus. Nunc visionem ipsam, h. e. pœnas septem ab Angelis effusas profert, itaque partes etiam septem in hoc capite constituemus, singulis Angelis partem assignando. Summa autem est, non iuuare homines professionem vitæ, qualemcunque tandem sequantur, si non addant veram ex animo profectam vitæ pœnitentiam, nam pœnæ istæ contra induratos, & impœnitentes solùm valent.

Partes. Propositio.

Vers. 1. *Et audiui vocem magnam.*

Quomodo Angeli mandatum à Deo accipiant.

Explicaturus pœnas reproborum, mandatum hîc præmittit: nam ministri pœnarum, hoc est, boni Angeli nihil de suo agunt, sed in omnibus certum Dei mandatum expectant, *ideo procedit de templo*, quia hoc iam mandat. Suprà instructi fuerunt ad rem futuram, nunc tempus adesse illis significatur: deinde *vox magna est*, hoc est satis potens & sufficiens, cuius viribus suffulti Angeli, omnia poterunt exequi. Alloquitur autem solos illos septem, non enim mutat Dominus consilium ministerij Angelici. Demum expressum est mandatum, *abite & effundite phialas iræ Dei in terram*, significans verum pœnarum authorem Deum, non Angelos esse. Itaque peccant homines sæpe grauiter, dum causas calamitatum in organa referunt, nec in his Deum agnoscunt agentem.

Deus pœnarum autor.

Vers. 2. *Et abiit primus & effudit.*

Angeli primi historia.

Sequitur iam primi Angeli historia. Porrò in omnibus illis septem ad duo est respiciendum, primò ad τὸ πραχθὲν hoc est, quid illi agant, deinde ad τὸ ἐκβὰν, hoc est, quid inde consequatur, factum & facti fructus est. Considera igitur, quid hic Angelus agat, *effundit phialam suam in terram*, hoc est, pœnarum symbolum, declarat iam adesse tempus vltionum. Hunc Angelum Lyranus facit Adrianum Papam, qui damnauit constitutionem Constantini Imperatoris, de abolendis imaginibus in templis Christianorum: sed errat mea quidem sententia, nam bonus hic Angelus damnat impœnitentes

Lyrani sententia de hoc Angelo.

qui

qui mordicus retinent bestiæ characterem. Contrà Adrianus Papa, vt malus Angelus damnauit piam constitutionem Imperatoris, quam vtinam Occidentales Ecclesiæ conseruassent, non haberemus tot oneribus & abusibus corruptam & fœdatam Christi Ecclesiam. Terra hic igitur non est Orientalis Ecclesia, sed potiùs Pontificia Ecclesia, nam in hac terra sunt hoc loco comprehensi isti, qui *habent characterem bestiæ*. Suprà autem bestiam diximus Papatum esse, quia eiecto domino, sedem illius occupat, omniáque sua palliat Christi nomine, cùm dignitatem eius pedibus premat. Terra autem rectè dicitur Pontificia Ecclesia, quia firma videtur, & solida, antiquitate, tanto successu, & robore singulari, sanctitatis titulo, ac persuasione ἕλκος autem est, *factum inde est vlcus malum & perniciosum.* Alludit ad plagam sextam Ægyptiacam, in qua Moses talia operatus est Exod. 9. *vlcus malum & perniciosum* est, iræ Dei effusæ fructus ideo ad literam de variis morbis accipi potest, quibus Dominus punit & affligit Antichristi promachos, qualis est scabies Gallica, quam ex Neapoli primùm nobis attulere boni illi bellorum artifices. Hac, inquam, scabie punit Dominus Clericatum, Monachos, Sacerdotes, Episcopos, Cardinales, Pontifices ipsos, aliósque sedis illius patronos, in testimonium, quo cognoscas illos esse libidinosos, mœchos, adulteros, nihilque minùs, quàm castitatem seruare, eadem lues nostros hypocritas vastat. Ita sudor Anglicus mirificè vexauit mundum anno 1530. Sed est quoque vlcus hoc malum & perniciosum, faucia conscientia, quam solent improbi circumferre mirificè onustam ex tot sceleribus. Porrò *malum hoc vexat in primis homines eos, qui habent obsignationem bestiæ*. hoc est, Antichristi χάραγμα autem Antichristi sunt ordines monasticæ vitæ, & tot vota. vide igitur quomodo illos vexet hoc malum. Idem est *adorare imaginem eius*, hoc est, religionem veram & Dei cultum ibi quærere, vbi Pontifex illam dicit quærendam.

Plaga primi Angeli.

Anno D.1494 orta est scabies Gallica.

Character Antichristi qualis.

Vers. 3. *Et secundus Angelus effudit.*

Primus Angelus Ecclesiam Pontificiam prodit, secundus iam Ecclesias Euangelicas ventillat: mare enim commodè dicuntur nostræ Ecclesiæ, quæ speciem habent reformationis, quia in his nemo excluditur, modo afferat qualemcunque speciem confessionis veræ doctrinæ. Vt enim mare omnia flumina in se recipit, & cum his infinitas sordes, sic Euangelij doctrina omnes admittit homines, & cum illis insignes & multos hypocritas.

Factum Angeli secundi.

His *efficitur sanies cadaueris*, hoc est forma sanguinis, sed deterius aliquid, cùm vitam non habeat in sanguine enim vita est, quam hypocritæ non secus habent, ac cadauer putridum. Allusit autem ad quintam plagam Ægypti, vide Exod. 7. Lyranus de Carolo magno interpretatur, debellante Saxones adhuc infideles, sed vt apparet parum facit ad rem.

Effectus veniens ex phiolæ effusione.

Vers. 4. *Et tertius Angelus.*

Accedit propius ad declarandos hypocritas, Non solùm latitant in professione Pontificiæ doctrinæ, aut Euangelicæ, sed inter eos, qui omnium sunt vtrinque doctissimi, ideo hic *Angelus effundit pœnas in flumina & frontes, qui conuertuntur in sanguinem.* Fontes sunt sliteræ, flumina illarum illustris cognitio, quæ conuertitur in sanguinem, hoc est, noxia & pestilens redditur in multorum cordibus, vt sit, non aliud quàm gladius in furiosi hominis manu. Vnde enim nobis tot disputationes, lites, dissidia, nisi ex doctorum hominum logomachiis? vnde quoque bona parte bella, nisi ex præsidum pietatis officinis? doctores, episcopi & præsides, cardinales & Pontifices, magis bella amant, quàm pacem, aptius acies militares instituunt, quàm verbum Dei secent, hinc flumina & fontes sanguinem ebulliunt. Vide primam plagam Ægypti.

Angeli tertij plaga aduersus doctos homines sua doctriua abutẽtes.

Vers. 5. *Et audiui Angelum aquarum.*

Tribus versibus subiicitur elegans epicrisis: ostendit enim æquitatem iudiciorum diuinorum testimonio duorum Angelorum. Angelus aquarum est, qui præest his rebus, vt Dan. 10. Angeli sunt prouinciarum, qui se se opponunt pro defensione singuli, sui populi. Et quia secundus & tertius Angelus aquas corruperunt, ideo iudex harum pœnarum est Angelus aquarum, qui quanquam res sibi commissas cupiat saluas & integras, tamen in his libenter agnoscit iustitiam Dei punientis. Versus hic quintus nudam habet πρότασιν, mox versus sextus eiusdem continet αἴτιον, quod sumit ab ante actis, q.d. sanguine delectati sunt, nō igitur mirum est, si sanguine potantur, lex talionis est eadem pati, quæ aliis intuleris. Sic Christus Iudæis obiecit, quòd Prophetas occiderint, ideo tandem delendos. Simile respondit Tominis regina Cyri capiti iam præfecto, & in veterem sanguinis immergẽdo, sanguinem sit isti, sanguinem bibas: sic Parthi Crasso aurum sit isti, aurum bibas. Hodie manifesta sunt exempla Episcoporum, car-

Aequitas iudiciorum diuinorum per Angelũ manifestata.

Qui sanguinem effuderit eius sanguis effundetur

dinalium, doctorum, qui sanguine Domino dederunt pœnas, quando in persequendis piis nullum facerent finem.

Vers. 7. *Et audiui alium.*

Testis alter iudiciorum Dei.

Secundus testis est æquitatis iudiciorum diuinorum, vt in ore duorum cōsistat etiam hæc veritas. Approbat autem hîc simpliciter iudicium prioris Angeli, ac clamans *vali*: prodit autem vox ex altari, sub quo latent animæ interfectorum cap. 6. Fatentur igitur & Angeli, & sanctorum animę in his iudiciis Dei æquitatem, hunc consensum quoque nos amplectamur.

Vers. 8. *Et quartus Angelus.*

Quarti Angeli plaga, quæ ad pestem & famē refertur.

Redit ad cœptam pœnarum declarationem. *Quartus Angelus effundit pœnas in solem*, ex quo redditur hominibus noxius, nam æstu nimio affligit eos. Hoc facilè ad siccitates referri potest, vnde fames & pestis oritur, quæ mala hodie mundus probè experitur. Superioribus annis Dominus afflixit nos dira peste, tribus continuis annis, iam hac finita successit dirior fames, quæ & ista in tertium iam grassatur annum. Causæ horum malorum sunt hypocritæ impœnitentes. Deinde sol est Christus, hic fit etiam multis perniciosus, nam docti multi veritatem agnouerunt, quam tamen in mores noluerunt admittere: his præstaret viam veritatis nunquam agnouisse, nam exurit hos suo ardore Christus sol, tanquam inutile lutum. Porrò huius Angelus effectus duplex est, prior enim efficit solem hominibus noxium, de quo iam diximus: posterior autem ex illo fluit, quòd homines non emendantur, *sed potius blasphemant nomen Dei*, significans pœnas has valere contra reprobos ad detegendam hominum hypocrisin, de quo etiam mox vers. 11.

Vers. 10. *Et quintus Angelus.*

Quinti Angeli plaga vbi de vltione Dei in sedem Antichristi. Regni Papistici cæcitas induratio & impatientia.

Accedit diuina indignatio etiam ad thronum bestiæ, suprà diximus *thronum bestiæ* esse locum sedis illius. Et quia consensu veterum bestia est Antichristus, idémque in Latina Ecclesia, consequens est Thronum eius esse Romam, illic enim sedet, quasi in templo Dei, vide plagam Ægypti nonam Exod. 10.

Effectus pœnarum est cæcitas in illius regno, *tenebrosum enim regnum*, sine dubio est cæcitas Apostolicæ sedis, hinc Apostolus dixit 2. Thess. 2. quod Deus efficaciam erroris illis missuris sit. Et examinetur totus Papatus in doctrina, & moribus, magnam videbis caliginem, & Cymmerias tenebras. Alter affectus est, *arrodunt linguas suas prædolore*, hoc est, irascuntur Deo, & in pœnis liuore inflammantur, ac odio veritatis, quod est edere linguam, nos dicere solemus mordere labia, cùm volumus significare hominem intra se vehementer commotum, proprium hoc vitium est induratorum. Tertius est *maledicere* Deo, crescit cum pœnis impatientia, & detegitur pleniùs hypocrisis contra Deum: secus de pœnis iudicant pij, hi Deum in his agnoscunt & interpretantur paternas castigationes, & exercitia fidei, reprobi contrà intollerātiam produnt, & interpretantur κολάσεις Dei crudelissimi. Pertinent etiam huc illud, qui in pœnarum causis separant Deum, illásque solùm ad elementorum & cæli inclementiam referunt, aut siderum in faustos positus, fortunæ casum, vel maleficarum artes: nos contrà Deum agentem agnoscamus, ac dicamus, digitus hic Dei est. Quartus est, *quod non resipuerunt ex operibus suis*, finis pœnarum est emendatio hominis agnito peccato, hunc obtinent pœnæ in sanctis, alius est prodere hypocrisin damnandorum, ac induratam mentem, quoque obtinent, sed in reprobis, quales hi sunt, de quibus hîc loquitur, non desinunt ab operibus suis. Vide hodie mores hominum, quotus quisque emendatur ex tot atrocissimis malis orbi illatis, pestis, fames, bella omnia pessundarunt, interim mores recepti manent, opera eadem sunt hominum, quæ erant ante ista mala, nulla est seria emendatio vitæ.

Vers. 12. *Et sextus Angelus.*

Sexti Angeli plaga in qua de Dei iudicio aduersus Antichristum.

Sexti Angeli pœna est aditus ad nouissimum iudicium, nam exsiccat aquas Euphratis, hoc est, omnia præsidia Antichristo adimit, vt tandem denudatus planè perdatur. Hinc illius defensores tres spiritus, noua subsidia conquirunt apud reges, quos magna spe ex toto orbe congregabunt, sed in pręsens eos tandem exitium præcipitabunt, hinc mutato & abrepto narrationis ordine, Christi vox nos ad vigilantiam excitat, vnde reuersus ad cœptam narrationem à calamitoso interitu, locum quoque insigni nomine nobilitat.

Effundit phialam suam in Euphratem, alludens ad historiam captæ Babylonis, de quo Daniel 5. & Ieremias 51. prædixerunt, re autem compleuit Cyrus Persa, de quo vide Herodotum, is cùm de capienda vrbe desperaret fermè, tandem consilio inito, Euphratis aquas per varios riuulos auertit in alia loca, vnde alueus permeabilis factus,

noctu

noctu militibus aditum in vrbem patefecit. Hoc iam transfert ad Babylonem spiritualem, cuius aquæ exsiccantur per hanc phialam, hoc est, adimuntur illi omnia præsidia & commoda, quibus hactenus res suas auxit & tutata est. Et quia Babylon sedes est Antichristi, ideo exsiccantur illius aquæ, dum sensim ab illo auertuntur populi, vt illi non credant amplius, nec illa deferant, quæ hactenus detulerunt. Euphrates Antichristo est quicquid eum tuetur & munit, quicquid commoda ei præbet & delicias, id hodie exsiccatur extrenuè, dum vrbes, nationes, regna integra ab eo deficiunt, negant obedientiam & tributa. Hinc *paratur via regibus Orientis*, scilicet ad capiendam tam fœdam ciuitatem: alludit autem ad Cyrum, cui simili medio patefacta est via ad vrbem illam capiendam. Spiritualis Babylon etiam capietur à regibus Orientis, hoc est, verè fidelibus, qui reges sunt & sacerdotes altissimi: Orientis autem, quia illa est plaga cælestis paradisi, hoc est, vitæ æternæ symbolum. His regibus iam ab annis 60. strenuè paratur via ad euertendam illam Babylonem spiritualem, passim enim traducitur Romana hypocrisis & nundinatio: ex quo exsiccantur aquæ Euphratis, vt vix tandem sit habitura, vnde sitim extinguat. Auersa est ab illius obedientia, Anglia, Bohemia, bona pars Germaniæ, Heluetiæ, & Gallia iam fluctuat, quid fiet tandem, si Euangelij lux ingrediatur ipsam Italiam & Hispaniam.

Quid per aquas Euphratis exsiccatas intelligendū.

Vers.13. *Et vidi ex ore draconis.*

Sequitur post tantam defectionem ab Antichristi regno consilium diaboli de restituendis rebus desperatis. Emittit igitur *tres spiritus immundos*, hoc est, ad fallendum instructos, erroneos & perniciosos significat: tres autem sunt, hoc est, vt apparet satis instructos pietatis specie & religionis fuco. Primus ex *ore draconis prodit*, hoc est, diaboli, is enim draco est, vt suprà Ioannes exposuit, spiritus id est, bellorum, Martius animus, dissidiorum & ciuilium bellorum artifex, qui hodie per Galliam potenter exiuit. *Alter ex ore bestiæ*, hoc est, Antichristi, subordinata sunt draco, bestia, pseudopropheta, ideo spiritus in malo concordes emittunt. Spiritus ille secundus est schismaticus falsæ doctrinæ, qui spargit nocentes opiniones in religione, vt quòd hodie renouantur dogmata Arrij, Macedonij, aliarúmque hæreseon. *Tertius ex ore Pseudoprophetæ*, hoc est, defensoris Antichristi, qualis est defensio corruptæ vitæ, petulantia in moribus. Hi tres spiritus palàm hodie emissi sunt in regno Pontificio, belli studium, corrupta doctrina, & morum petulantia, ideo similes sunt ranis, id est, fœdis moribus, & voce clamant consentienter contra pios, ranæ sunt palustres, coaxando molesti Deo & piis.

Quomodo res Antichristi desperatas restaurare conetur diabolus.

Vers.14. *Sunt enim spiritus dæmoniorum.*

Explicatio est superiorum, significans ortum & officium illorum spirituum, orti sunt mala causa, quia sunt spiritus dæmoniorum. Dæmon est archidæmon, qui his organis vtitur, hinc ab ingenio & similitudine & ipsi dæmones dicuntur. Sonat autem δαίμον astutum & peritum artificem, qualis reuera est satan mille artifex: habet enim rerum miram experientiam, quia à condito mundo, historias omnes probè obseruauit, & industrius est Physicus, nouit agentia ad patientiam eruditè applicare, permittit illi etiam multa Dominus, hinc vt miraculosa pollet. quam illi etiam tribuit Apostolus 2.Thess. Huc refer tot signa monachorum, quæ passim ad sanctorum reliquias fiunt, & alia quæ in monasteriis confingunt otiosi monachi qualia fuêre illa Dominicanorum, quæ hic Bernæ olim sunt mentiti.

Ante memoratorum dæmoniorum ortus & officium.

Officium autem illorum spirituum est, *proficisci ad reges terræ*, quos sollicitant contra pios, sunt igitur quidam legati, qui causam Antichristi iam ruinosam conantur fulcire & restituere in solidum. Videas hodie tales legatos in aulis regum valde assiduos qui bella sanctificant contra pios: considera statum Galliæ, cuius calamitates & bella ciuilia ab his oriuntur legatis. Talia Campeius procurauit Germaniæ, apud Carolum v. & Bohemiæ Iulius Cæsarinus apud Sigismundum Imperatorem, Porrò addit *illos congregari ad prælium illud magni diei omnipotentis Dei*, significans Spiritus illos impostores esse & hypocritas tuam regibus terræ hoc non dicunt, sed promittunt vitam æternam, miras indulgẽtias, veniam peccatorum. Re autem ipsa hic sequitur euentus, vt tandem appareat, eos Dei hostes esse, & ob id nouissimo iudicio tandem miserè perdẽdos, tanquam Dei Antimachos, & Antichristi promachos.

Romanorum legatorũ scelus & hypocrisis.

Vers.15. *Ecce venio.*

Επιμβολὴ est, nam intermissa historia pœnarum, recedit ad pias exhortationes, ad vigilantiam, quæ in primis est necessaria his turbulentis temporibus, quibus spiritus isti omnia complent seditionibus, sectis & morum corruptela. Vid. suprà 3. ver. 3. & Matth. 24. ver. 44. 1. Thess. 5. ver. 2. 2. Pet. & alibi, vbi similia tractantur his. *Vestem* accipio bona opera, quibus in his terris vestiri debemus, alia vestis est, quæ nos tegit in con-

Quomodo ad vigilãtiam exciten-tur pij in turbis Ecclesiæ.

ſpectu Dei, iuſtitia ſcilicet Chriſti. *Nudi* igitur *ambulant*, qui frigent ſtudio bonorum operum, inde apparet illorum turpitudo, hoc eſt, flagitioſa vita omnibus eſt notoria. Itaque cauendum eſt hoc diſſolutum viuendi genus, & exercitia bonorum operum ſuſcipienda ſunt, ſaltem metu superuenturi nouiſſimi iudicij.

Verſ.19. *Et congregarant eos in locum qui.*

Romæ interitus etiam reges illius promachos inuadet.

Redit iam ad intermiſſam narrationem, de euertenda Babylone, nominatim autem explicat regum miſerum interitum, qui illius volunt eſſe promachi. Ad rei certitudinem loquitur de re quaſi iam facta, & loci nomen commode fingitur ab euentu calamitoſo, ſeu caſu infami, qualia ſunt multa in ſacris literis. Num.11. ſepulchra concupiſcentiæ dicuntur, & cap.20. aquæ contentioſæ, cap.21. eiuſdem libri Horma dicitur locus, vbi victi ſunt Chananæi. Ita hoc loco componit loci nomen euentui reſponſurum, in quo explicando alij alias rationes proferunt: mihi placet dici nomen à *cohrem*, quod eſt anathema, & maledictio, & *gedud* quod ſanat turmam, quaſi dicat, maledictum exercitum, Deo & piis omnibus inuiſum, ideo infelix erit bellum ſuo euentu: alij alias ſequantur rationes, quod illis per me liberum eſt.

Verſ.17. *Et ſeptimus Angelus.*

Quom. depingat Angelus ſeptimus noui iudicij typum.

Septimus Angelus nouiſſimi iudicij typum nobis depingit. effundit pœnas in aërem, quaſi commune totius creaturæ elementum, ex quo intelligit, ad omnes pertinere hâc plagam. Deinde mox adeſt Angelorum & ſanctorum pia congratulatio *γέγονε, es iſt geſchechen es iſt auſs.* ſic infra 21. verſ.6. filius Dei inquit, actum eſt. Hic piorum eſt publica congratulatio. Cicero occiſis coniuratis Catilinariis procedens ad populum dicebat, vixerunt, ſignificans periiſſe, ita hic pij conclamant.

Verſ.18. *Et factæ ſunt voces.*

Explicatio ſignorum quæ in nouo iudicio fient.

Perſequitur coniuncta ſigna in nouiſſimo iudicio, talia ferè in data lege quoque viſa & audita fuerunt. Terræmotus D. Chriſtus inter antecedentia ſigna collocat, ſed non eſt abſurdum in ipſo iudicio, dum exuritur tota hæc machina, forte terræmotus, dum enim terra igni repurgabitur, non mirum eſt, ſi tota contremiſcet à tanto incendio.

Verſ.19. *Et facta eſt ciuitas illa magna in tres.*

Antichriſti & ſedis eius omniúmque aſſeclarum euerſio. Vide id Ier.25.v.15.

Applicat generales pœnas ſpecialiter ad Antichriſti ſubuerſionem, & ſedis illius. Ciuitas magna eſt Babylon, hoc eſt, ſedes & regnum Antichriſti, quantumcunque durat in orbe. Hoc regnum in tres partes tum diſtribuetur, ex quibus vna fidelium eſt, *duæ* perditionis: nam pij declarabuntur quidam, ſecundi hypocritæ ſunt, tertij palàm impij. Præterea *ciuitates gentium cadent*, hoc eſt, iſti cœtus, qui palàm Chriſti religionem non profeſſi ſunt, quales ſunt Turcarum, Sarracenorum, Iudæorum & ſimilium. Deinde *Babylonis recordatio redut apud Deum, vt bibat ſuum poculum cum fæcibus*, quaſi dicat viſa eſt Deum latêre, aut quòd ſcelera eius nulla noſſet Dominus, cùm fateatur ipſa, ſe habere ius diſponendi cauſas religionis, claudendi cælos & Tartara, & eadem aperiendi quibus vellet: ſed illa vana perſuaſio non tegit ſcelera eius coram Domino, quia iam ſit ob eandem grauiter punienda.

Verſ.20. *Et omnis inſula fugit.*

Quomodo impij præſidia in anguſtiis non ſint habituri.

Pergit in commemoratione malorum quibus impij ſunt affligendi, *inſulæ fugient ab eis, & montes non erunt*, hoc eſt, omnibus planè præſidiis deſtituentur, adeò vt nullus mons eos recipiat, nec inſula abſcondat. Solent enim talia loca in publicis bellis multos ſæpe tegere, ſed tum nulla ſatis tuta erunt latibula, item nulla ſufficiens erit excuſatio, nec ex Philoſophia, nec ex ſcripturis Propheticis: nam ratio Philoſophica non concludit contra Dei voluntatem, ſacræ autem literæ palàm deteſtantur vitam & doctrinam Antichriſti, itaque inermes prorſus erunt.

Verſ.21. *Et grando magna.*

Amplificatio pœnarum quæ in impios manent.

Patheticè amplificat pœnas & calamitates impiorum, ſignificans maximas fore, & humanę voci inexplicabiles, ideo triſtiſſima producit, qualia ſunt fulmina. terræmotus, grando. Ac de grandine loquens alludit ad hiſtoriam Ioſuę cap. 10. verſ. 11. vbi ſcribit, quod Dominus contra Amorræos cælitus immiſerit grandinem magnam, adeò vt plures lapidibus perierint, quàm gladio Iſraëlitarum. Talis grando dira vaſtabit reprobos. vocat talentariam, hoc eſt, maximam, nos diceremus, *Vvie pfundt ſtein pfundig.* Talentum conſtat 60. minis vel 600. drachmis, éſtque vel ponderale, vel numarium, de quo vide Agricolam.

Talenti æſtimatio.

Hactenus de pœnis actum eſt, ſed quid in his præſtant miſeri homines? reſipuerúntne? hoc vtique iuſtum erat, vt agnita Dei iuſta & æquiſſima animaduerſione ad ipſum redirent, vera licet ſera tandem pœnitentia: ſed nihil horum, quid ergo? *maledicunt Deo* En impietatem ſataninam in ipſis miſeriis Deo inſultant & opponunt: itaque reproborum

proborum hic ſpiritus deſcribitur, quia nulla cenſura poteſt corrigi. Addit cauſam mouentem, *propter grandinem, quia magna valde erat*, hoc eſt, pœnis & caſtigatione non emendantur, illis reuera ſunt κολάσεις, cùm piis contrà ſint παιδεύσεις. Hodie mundus planè hoc ſpiritu ebrius eſt, Deum vult ſemper ipſos proſperitate ornare, & ſi quid aduerſi infligat, peſtem, famem, morbos, bella aduerſa, ipſi Domino in cælis reprobi homines maledicunt. D. Ieſus Chriſtus hunc Spiritum ſedulo à nobis auertat, det contrà humilitatis & patientiæ Spiritum, qui de pœnis & publicis calamitatibus nos edoceat piè & reuerenter loqui, ac ſentire, ne peccatis noſtris innumeris, tam fœdum & horrẽdum addamus colophonem, quem hic tribuit reprobis.

CAPVT XVII.

SExta viſio iam ſequitur, ac complectitur capita ordine quatuor, Explicat autem fermè partes præcipuas viſionis quintæ, de quibus egit cap. 13. & 14. hoc eſt, indicat nobis, quaſi digito, quę ſit Babylon, quæ beſtia, vbi ſedeat, qui mores & habitus mox cap. 18. deſcribit eius ruinam & iuſtiſſimam damnationem. Hinc eius calamitatibus opponit iterum piorum congratulationem, & iuſtiſſimam pro tot ærumnis & laboribus compenſationem. Demum draco ille archecacos quoque ligatur per annos mille, ne amplius idolatriam in mundo ſpargat. Summa viſionis ſextæ.

Hoc capite duo primaria ſunt, repetitur enim viſio, & Ioanni manifeſtiùs repræſentatur, etiam ad miraculum vſque, inde Angelus partes præcipuas interpretatur: audiemus igitur viſionis repetitionem, interpretationem Angelo conſeruaturi.

Verſ. 1. *Et venit vnus de ſeptem.*

Propoſitio hoc verſu continetur Angelo ſcilicet interprete, Ioannem nobis deſcripturum Babylonis condemnationem. Initio commendatur ſequens interpretatio, ab interpretis perſona: Angelus enim vnus eſt de illis ſeptem plagarum executoribus, non poteſt igitur non dilucida & vera eſſe interpretatio. Deinde videmus Ioannem non de ſuo aſſumere interpretationem, ſed nobis relinquit ſolùm quantum dictauit Angelus interpres. Deinde loquitur amicè cum Ioanne, & inuitat eum benignè ad rei intellectũ ſignificans niſi Deo reuelante, non poſſe intelligi iſta meretricis fata. Tertiò propoſitioni addit breuem perſonæ damnandæ picturam, vocauit ſuprà Babylonem, hic ſcortum magnum, quaſi dicat nobile & famoſum locum habitationis exprimit ſuper aquas multas, quas infrà ver. 15. Angelus interpretatur eſſe populos multos, hoc eſt, multis illam præeſſe nationibus, adeóque habere iuratos multos. πρόθεσις

Verſ. 2. *Cum qua ſcortati ſunt.*

Pergit in cœpta meretricis metaphora, ac declarat cauſas futuræ damnationis, quæ ſunt, multiplex & inſatiabilis ſcortandi libido, quo peccato contaminauit nõ plebeios ſolùm, ſed reges & principes, vt rectè nobile intelligas ſcortum, Laidem aliquam Corinthiam. Porrò *ſcortatio* illa, præcipuè ſpiritualis eſt, illa defectio à vero & vno Deo, quàm aliàs idololatriam vocat Scriptura, vt Eſa. 1. quomodo facta eſt meretrix ciuitas illa fidelis? hoc eſt, Ieroſolyma facta eſt cultrix idolorum, cùm vera vnius Dei religio ei eſſet commiſſa. Sic Iere. 2. Sub omni ligno frondoſo proſternebaris meretrix. Ezech. 11. multiplicaſti ſcortationes tuas. Deinde hanc ſpiritualem ſcortationem comitatur externa corporum fœditas, vaga, ſcilicet libido, quibus vitiis in primis dedita fuit illa Orientalis Babylon. Hinc Iere. 51. Babylon calix aureus inebrians totam terram, & faciens inſanire gentes. Et cùm hæc eadem Antichriſti ſedes ſtudioſè ſequatur, idolorum ſcilicet cultum, & promiſcuam Venerem, rectiſſimè Babylonis nomine, & meretricis titulo illam traducit. Vide ſupra caput 14. verſ. 8. vbi ſimilia ferè de illa protulit. Cauſæ ob quas damnatur Romana meretrix

Verſ. 3. *Et abduxit me in deſertum.*

Hactenus promiſſa eſt interpretatio, ſecundo iam loco exhibetur meretrix ſpectanda propiùs ad miraculum vſque. Initio locum indicat, vbi hanc viderit in deſerto, hoc eſt, loco ad eam rem idoneo, quieto & ab omni ſtrepitu ſemoto, ſignificans viſionem huic nihil admixtum, quod animum ſpectatoris interturbaret. Præterea valde quadrat perſonæ meretricis, nam talia proſtibula quærunt loca ſolitaria, vbi fœditatem corporum exerceant, & pudicitiam proſtituant. Itaque idololatria, & ſcortatio corporalis exercetur in deſerto huius mundi, hoc eſt, in veri Dei ignorantia, vt illorum religio à gentiliſmo non multum diſcrepet. Deinde in eum locum tranſlatus eſt in ſpiritu, itaque quædam extaſi raptus Ioannes talia vidit & audiuit, nec interim Patmos carebat ſolitudine. Viſionis exhibitio, modus locus & partes.

Tertiò demum sequitur ipsa visionis exhibitio. Eius partes duæ sunt primariæ, prior personam meretricis concernit, posterior iumentum eius.

Mulier dicitur quæ prius scortum nobile & Babylon, sexus declarat mollem animum, & ad libidines pronum: infra vers. 18 mulierem interpretatur vrbem, ergo vrbs est mulier, hoc est, sedes Antichristi. *Sedet super bestiam*, iumentum meretricis copiosè mox explicabitur, quòd verò non pedes incedit nobile illud scortum, sed equitat, superbiam eius prodit & arrogantiam. Tertiò *purpura & cocco vestita est*, hoc est, regnum habitum sibi sumpsit, purpura enim regia & imperatoria vestis est, sic coccus quoque nobilium. Vterque autem *vestitus sanguineus* est, quod mox de sanguine martyrum ipse Ioannes intelligit & interpretatur. Præterea sub illo regio habitu simul latent tituli regij, quia scortum hoc regiam dignitatem & authoritatem sibi vsurpet, idque vi & gladio, adeo vt non abstineat à sanguinis effusione, nisi regios & diuinos honores tribuas: item veræ sapientiæ tituli, adeò vt nihil pium eruditum, adeóque emunctum haberi possit in mundo, nisi ab illo scorto autoritatem habuerit. Quartò *inaurata est auro, lapidibus pretiosis & margaritis ornata*, significat more meretricio mirabiliter ambitiosam esse mulierem mundiciei studiosam & ob id auaram. Et auaritia sanè notoria est in illo scorto, quia non solùm regum thesauros exhausit, sed priuatorum hominum, idiotarum, ac rusticorum loculos euacuauit. Pulchrè autem dicit inauratam esse, significans subesse hypocrisin, nam quæ inaurata sunt, his subest alia materia, puta lignea, lapidea: ita dum sibi omnia tribuit in religionis negotio, & causis ciuilibus, nihil tamen iure possidet, & ab omni vera pietate est aliena, mulieris honestæ speciem habet, cùm sit putidum prostibulum. Quintò *manu tenet poculum aureum*, significans paratam esse ad propinandum amatoribus suis, in qua re est, in speciem quædam oblectatio, vt auri fulgor est, qui in sui admirationem homines rapit, & desiderium excitat. Quare non male corpus doctrinæ Antichristi adumbratur, quod mundo proponitur tanquam aureum poculum vini meracis, *sed plenum est abominationibus*, hoc est conspurcata est tota illius doctrina, idololatria horrenda, & spurca libidine. Et apud Mosen sanè idololatria abominatio dicitur Deu. 7. sic alibi passim in prophetis: nihil enim est, quod non magis coram Domino faciat abominabiles, quàm idolorum cultus, & prostitutio pudicitiæ.

Expositio mulieris cū omnibus eius adiunctis.

Ornatus alius ambitioné meretriciam denotans.

Poculū aureum tenet denotans Antichristi doctrinam.

Sextò, fronte habet inscriptam sententiam, *Babylon magna, mater illa scortorum & abominationum terræ*. Ioannes vocat *nomen inscriptum & mysterium*, quod accipio, quasi nomen mysticum, quasi dicat tota illa sententia fronti erat inscripta, quæ habet nomen quidem, sed mysticum, hoc est Babylon, non Asiatica hîc est intelligenda, sed noua quædam Occidentalis, quæ tuetur scortationes, tanquam scortorum mater corporaliter, & abominationes in terra defendit, hoc est, idololatriam quæ homines Deo reddit abominabiles.

Titulus frontis impudentiæ signum.

Septimò *videt illam ebriam esse*, hoc est, bene saturatam, & delibutam, sed sanguine sanctorum & martyrum Iesu, hoc est, mores habebat non solùm meretricis, sed tyrannicos & sanguinarios, ideo priùs purpura & cocco fuit vestita, hoc est, sanguine martyrum maculata.

Hactenus præcipuæ partes visionis, quas Ioannes in primis notauit in muliere, his addit suum affectum, *miratus*, inquit, *sum admiratione magna, videns illam*. Admiratio locum habuit propter rei insolentiam & nouitatem, deinde propter typos insignes, quos scortum hoc futuris ætatibus præfigurabat.

Quomodo sit affectus Ioannes ex re visa.

Vers. 7. *Et dixit mihi Angelus.*

Sequitur altera pars capitis interpretationem continens rerum visarum, ac ad eam rem versus hic habet aditum seu παρασκευὴν: reuocat autem primò eum ab admiratione, rebus enim visis quasi stupens inhærebat illius animus. Deinde iterum promittit interpretationem, quam vocat mysterium initio capitis promisit κρῖμα, quod interpretati sumus per κατάκριμα, hoc est, condemnationem, hanc etiam priusquam explicet, interpretationem rerum visarum præmittit, vt sciat deinceps Ioannes, contra quam personam & vrbem pertineat illa tam horrenda diuini iudicij sententia. Deinde Angelus totam visionem distinguit in duas partes, ad quas applicabit suam interpretationem: prior est de muliere, posterior de eiusdem iumento. De muliere diximus. *Iumentum* autem eius has notas habet in visione, *bestia est coccinea*, hoc est, rubens sanguine martyrum, deinde *scatet nominibus blasphemiæ*, hoc est, omni genere idololatriæ est contaminata: iniuria est in Deum, in Christum Dei Filium, cui omnia aufert & transfert ad sanctos, cui diuinos impendit honores, quibus simul Christum spoliat. Tertiò habet capita septem, & cornua decem, quæ sunt repetita ex cap. 12. v. 3.

Trāsitio ad secundam partem capitis explicandam in qua Angelus attentū reddit Ioanné ad interpretationem visionis.

& ex ca.13.ver.1.& hoc capite v.3.eadem ei tribuit,ideoque hic versus.7.eadem propter certitudinem repetit. Hactenus visionem perstrinximus & in locos descriptionis digessimus,deinceps iam ad interpretationem Angeli eosdem abhibebimus.

Vers.8. *Bestia quam vidisti.*

Expositio secundæ partis continentis visionis interpretationem.

Secunda pars sequitur, quæ habet interpretationem totius visionis ab Angelo allatam.Et quia Angelus digessit totam hâc in duo capita, ideo hâc ipsam partitionem retinebimus,ac primùm de bestia,hoc est,de iumento mulieris eum audiemus, deinde etiam expedemus,quę nam sit ipsa mulier.Et quia interpretationes allegoricæ vt plurimùm varium habēt sensum,omnia quæ Angelus affert,ad experientiam & apertas historias referemus, in quibus manifesta sit analogia: puto enim hîc verissimum esse illud,quod dici solet, τὸ ἀνάλογον εἶον ἀπόδειξις τῆς ἀλληγορίας, hoc est, analogia historiarum ad res ipsas,qua demonstratio est allegorici sensus.Atque illa προθεραπείᾳ quoque ingrediemur duce Angelo visionis interpretationem.

Cur iumentum dicatur θηρίον.

Primùm iumentum mulieris dicitur semper hîc θηρίον,hoc est,fera:est autem θὴρ idem quod φὴς fera,quo nomine potentes seculi solent appellari,quales Heroës fuerunt, & in fabulis Centauri, vnde Chiron præceptor Achillis φὴρ dicitur à Pind. sic in præsenti descriptione Romanum imperium dicitur θηρίον, fera propter ferinos mores, vt rectè progenitores eius à lupa nutritos ipsi de se fabulati sint. Hic asinus est mulieris illius, quia reges & principes eius sunt iurati eamque quasi humeris deferunt.

Imperij Romani hodiernus status.

Deinde natura eius depingitur, eidem imperio bene quadrans, *Erat & non est*, ac mox addit,*quanquam sit*,hoc est,natura sua varium & mutabile est.Ac loquitur de imperio, quale est sub Papatu, cuius robur si conferas cum veteri imperio, rectè dixeris erat & non est,olim erat florentissimum,iam verò sub Papatu non est,hoc est,nihil superiori iam habet simile & tamen est, quia imaginem eius Roma adhuc habet, & nudos quosdam titulos.Ac videtur ad Danielem respexisse,apud quem quarta illa imago, quę est Romani imperij quoque variam habuit compositionem & ob id inconstans & mutabilis fuit. Fuit igitur semper,quia mundus imperio regendus est,fit autem debilior,quia Pontificum astu fractum est robur eius.

Ortus iumenti & eius interitus.

Tertiò ortus iumēti indicatur, *ascendit ex abysso*,loquitur de Romani Imperij statu iam sub pedibus Papæ constituto,ideo inquit, ascensurum de abysso, quia tum, dum hæc scriberentur,nondum eò fuit redactum,postea autem ortus illius hic fuit,nam Satanæ fraudibus Papæ illud oppresserunt, ideo interitus quoque calamitosus erit, vt declarat Angelus.ver.8.& 11.supra cap.9.ver.2.locustæ quoque hinc ortæ sunt.

Roma Vrbs septicolis meretricis domicilium.

Quartò quæ sit hominum futura admiratio erga hoc iumentum, magna vtique: hanc autem excitat imperij varia fortuna, quod toties affligitur, semper autem restituitur, ac tandem à Papis sacrosanctum decernitur æternum & augustum. Porrò illa esse verba assentatorum satis ostendit Angelus, quando hæc tribuit infidelibus quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ ab origine mundi, de quo vid.supra 13. v.8. Ideo paulò ante Ioannem ab harum rerum admiratione dehortatus est Angelus, & ad veram interpretationem discendam reuocauit. vers.7. Quintò *septem capita in bestia reperit septem esse montes,in quibus habitet mulier*, quæ de Roma indubitanter sunt accipienda illa est septicollis & habitaculum scorti,ac septem colles complexam tradit Liuius,ac Plin.li.3.c.5.Et illo carmine satis expressum est,Rerum pulcherrima Roma,Septémque vna sibi muro circundedit arces,hoc est,intra sua mœnia septem montes continet.Romulus quidem quatuor colles saltem est complexus,Palatinum scilicet Capitolinum, Auentinum,& Exquilinum: Seruius autem Tullius adhuc tres adiecit dilata vrbe,Cælium scil.montem,Viminalem & Quirinalem,inde septicollis est facta Roma, in qua habitat illa speciosa mulier.Sextò aliam addit allegoriam de septem capitibus, ex qua de iumento sit iudicandum. *septem capita sunt reges septem quinque fuerunt sed ceciderunt, & vnus*.h.e. sextus *iam dominatur, septimus adhuc veniet, breuique interibit*

Allegoria alia de septē capitibus.

quæ accipio de imperij Romani formis.ex quibus quinque iam elapsæ erant.Nam primum administratum fuit à regibus,quorum ordine septem sunt apud Liuium,Romulus,Numa Pompilius Tullus Hostilius,Ancus Martius, L.Tarquinius Priscus, Seruius Tullius,& L.Tarquinius Superbus. Secundò administratum fuit eiectis regibus per Consules:tertio,per Decemuiros:quarto,per dictatores:quinto per triumuiros consulari potestate,atq; hi quinq; iam ceciderunt, & hoc inquit quasi singuli reges fuerint. Sextus autem,hoc est, vnus iam est,q.d.Monarchia iam administratur imperium,quæ initium habuit à Iulio Cæsare, ac præerat tum imperio Domitianus florenti imperio. Alius autem nondum venit, hoc est,septima administratio per imperatores externos, qualis fuit Vlpius Traianus ex Hispania oriundus,& alij aliunde admissi ad imperium. Post hunc statum, inquit, octauus expectabitur modus gubernationis,qui & ipse est

de septem, hoc est, in quo imperium ad Germanos deuoluetur, qui modus & ipse durabilis non est, incidet autem in tempora dominantis illius & superbæ meretricis.

Qui sint reges decem per corona decem adumbrati.

Septimò, interpretatur *decem cornua esse decem reges, qui iam imperium nondum acceperant, sed sequentibus seculis cum bestia potestatem accipient*, hoc est, cum Romano imperio à Germanis administrato simul florebunt, & omnem potentiam suam ac vires bestiæ tradent, secundę scil. & cum imperatoribus contra Christi Ecclesiam conspirabunt pro dignitate Pontificium, quibus homagio obstricti sunt, vt potestas illius secūdæ bestiæ insuperabilis videri queat, tanto seculari robore munita. Tales fuerunt & adhuc sunt bona parte reges illi decem Neapolitanus rex, Hispaniç, Portugaliæ, Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Vngriæ, Angliæ, Daniæ, Sudiæ & similes.

Bellici conatus regum cum Papa iurantium aduersus Ecclesiā.

Octauò conatus bellicos regum & imperatorum pro dignitate Pontificia quoque profert. *Pugnabunt cum Agno*, scil. pro Ecclesia Romana contra Christum & eius Ecclesiam omnia tentabunt, quæ quid sint nostra tempora satis declarant.

Porrò *victoria interim est Agni*, ratio est, *quia rex regum, & Dominus dominorum est*, h.e. Christus Agnus Dei verè hos sibi vsurpat titulos: nam ostēdit pro qua re illi principes pugnaturi sint, scilicet vt Ecclesiæ Romanæ titulos vindicent, quæ regina & domina orbis haberi vult, hoc est, authenticos habet titulos, qui iure diuino ad Christum pertinent, & ideo mirum non est si tandem vincant. Vincunt autem cum illo sui vocati electi, & fideles, quos hîc premit crux, finaliter tamen vincunt bonitate causæ. Electi sunt etiam nondum nati, vocantur tandem suo tempore nati, si quod Christo promiserunt, seriò præstent, fideles tandem re & nomine dicuntur.

Vers. 15. *Et dixit mihi aqua.*

Descriptio mulieris.

Hactenus de iumento Pontificum dixit, hoc est, de Romano imperio, viciniśque regibus, quibus vtitur tanquam asino: iam secundo loco de ipsa muliere disserit, ac tria attingit, locum habitationis seu eius subditos: deinde à quibus ei sit expectandum fatale excidium: tertiò, quænam sit illa mulier, scilicet vrbs magna. Nos ad rei pleniorem intellectum, ex tota descriptione repetemus partes insigniores.

Varij tituli quibus Roma designatur.

Primùm igitur obseruetur, illa omnia hîc idem esse, Babylon, scortum magnum, h.e. nobile, quasi quandam Laidem Corinthiam nobis depicturus. Mulier dicitur v.3.4.6.7.9. molliciem in sexu notans. Vrbs magna dicitur v.17. quę habet imperium super reges terræ, & v.9. in septem collibus dixit habitare, quod est Romam digito monstrare: rerum.n. erant Domini sub Domitiano, cum hęc scriberentur. Secundò obseruetur locus habitationis, *super aquis multis*, quod Angelus interpretatur v.15. de populis omnib. h.e. vt dicitur v.18. imperium habet in regna terræ, quod de Roma tū verissimum erat. Deinde de Pontificib. quoq;, nam in totum mundum ius sibi arrogant, imò in viuos & mortuos, quasi in propriam possessionem, de qua re vide donationem Cōstantini dist. 96. Beato syluestro dedit, &c. Et per se vult agnosci, tanquam regina & Domina omnium imperiorum. Ad locum habitationis etiam pertinet, quod dicit v.9 mulierem sedere in septem montibus: ex quo colligimus in regno potentissimo, & cuius Metropolis habeat septem colles habitaturus est Antichristus. At tale est Romanum & quidem solum, igitur in illo quæratur illa meretrix & quidem Romæ. Tertiò genus doctrinæ, quod profitebitur eandem prodit, *docebit scortationem spiritualem*, hoc est, idololatriam, inde scortum dicitur, & eo scelere corrupit totum mundum, cui accedunt corrupti mores in tota vita, ex quo fluit illud demonstratiuum, Antichristus illic quęrendus est. vbi palàm docetur cultus idolorum, & vbi locum habet scortatio impunè: at illa in solis Pontificiis cœtibus fiunt, Turcæ enim & Iudæi idola abominantur, scortatio quoq; damnatur à reformatis vnà cum idolis. Igitur Antichristus latet in Pontificiis cœtibus. Quartò mores illam mulierem produnt, *equitat*, h.e. superba est & arrogans, pudet ad exemplum Christi sponsi Ecclesiæ incedere pedes, mulis vehitur, aut à puberibus adolescentibus humeris deportatur. Asinum Papę bestiam vocat Ioannes, & rectè de Romano imperio, omnibúsq; qui potentiam eius tuentur accipi potest. Quintò vestitus etiam quadrat *purpura & cocco ornatur*, hoc est, regum titulos sibi sumit, quos nisi concedas non abstinebit etiam à sanguine, ideo rubet sanguine martyrum. Item veræ sapientiæ persuasionem quærit, cùm interim subsit ingens hypocrisis, ideo inaurata est, h.e. aliā superbiæ suæ & naturæ habet materiam, quàm quæ exterius videtur. Gemmas etiam & margaritas, h.e. insigniter auara est, adeò vt principium thesauros, & priuatorum hominum loculos exhauriat, & in his alienis opibus mirabiliter ambitiosa est more scorti. Sextò *manu tenet poculum aureum*, quasi dicat paratam esse ad propinandum suis amasiis. Poculum aureum corpus doctrinę est, quod profitetur, quæ in speciem ad modum fulget tāquam aurum: hæc doctrina est scholastica & iuris Canonici, habet. n. sententias Christi & Apostolorū valde pias, item patrum flores selectiores, aureas sententias

Execranda mulieris doctrina.

Potentia & imperium Romanæ vrbis per locum habitationis notatum.

Arrogantia notatur sub morum audacia. Fastus & Crudelitas Romanæ sedis.

Hypocritica Papistarum doctrina

tentias, sed quid? *in poculo illo sunt abominationes*, inquit, abominatio est idololatricus cultus, qui nos Deo facit abominabiles. Deu. 7.

Septimò frontis nota, *nomen est scriptum mysterium*, hoc est, mysticum nomen quasi dicat non quærenda est illa meretrix in Babylone Asiatica, quæ pridem vastata est, sed in noua Babylone, de qua Petrus loquitur 1. Epistol. 5. ad finem, quam omnes consentienter de Roma interpretantur, quod affirmat etiam D. Hieronymus in præfatione in librum de Spiritu sancto. Cùm inquit, in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritium viuerem nolui aliquid de Spiritu sancto garrire, & cœptum opusculum eiusdem vrbis Pontifici dedicare, & ecce olla illa, quæ in Ieremia post baculum cernitur, à facie Aquilonis cœpit ardere & Pharisæorum conclamauit senatus. Ex quibus verbis satis liquet, quid iam tum D. Hieronymus de Roma senserit, nimirum hoc ipsum, quod iam tractamus, eam esse Babylonem, purpuratum hoc scortum, impudicam mulierem ac matrem scortationum.

Hieronymi sententia de vrbe Romana.

Octauò studium effundendi sanguinem illam prodit *mulier illa speciosa ebria est sanguine*, q. d. redundat illo, quemadmodum ebrius vino, Historiæ nostri seculi id explicabunt, si expendas, quæ bella, hinc inde ex officina Romana prodierint, quæ seditiones proditiones, martyrum persecutiones.

Mulieris crudelitas.

Nonò fatalis eius interitus probè obseruandus est, ac si saperet bona illa matrona, ex hoc loco cautior redderetur, *Angelus inquit, à propriis amasiis euertendam*, hoc est, ab illis ipsis qui defensores erant & tutores sedis, quoq; omnem potestatem ei prius dederunt. Loquitur autem sermone translato à scortorum amatoribus, qui licet intimè deperéant sua scortilla, tamen depræhenso illorum dolo, amorem conuertunt in odium. Idem hic dicit de regibus sedis protectorib. cognita fraude Pótificum, odisse incipient. Deinde *solam relinquent*, h. e. defensionem negabunt: tertiò reddent, negando vectigalia & reditus Ecclesiasticos, quos ad se rapient, tanquam propriam possessionem, sic misera illa cornicula tandem deprehenditur. Quartò *carnes eius comedent*, quasi dicat tanto furore illam persequentur, vt viuam si possent deuorarent: solent enim irati eo modo loqui, viuam discerpam, deuorabo. Videat ergo Roma, quomodo filios Ecclesiæ suæ benignè tractet, ne in ipsam, tanquam nouercam, hac seueritate surgant.

Quintò *illam exurent igni*, loquitur de pœna ordinaria, quæ antiquitus scortis erat proposita, nimirum vt comburerentur, hac igitur lege in Romam animaduertent sui amasij. Huius pœnæ fatalis præludia fuerunt incendia illa, quæ est experta Roma ab externis & domesticis hostibus. A Gotthis duce Alarico concremata est. quem casum deplorat D. Hieronymus in epitaphio Marcellę. Mox ab Hunnis duce Attila, à Vandalis duce Genserico, à Germanis & Gallis aliquoties, nostra ætate à Carolo V. capta, & nisi mitigati fuissent milites Germani, concremata fuisset.

Roma igni exurenda vt scortum. Vid. Gē. 38. in historia Iuda & Thamar.

Vers. 17. *Nam Deus in.*

Reddit rationem fatalium calamitatum illius vrbis. *Quod scilicet Deus corda regum flectat* in sui obsequium, vt velint & possint punire illam prostitutam mulierem. Sic Attila dicebat se flagellum Dei, Alexander diuinitus vocatur in Asiam, Principes aliquando diuinitus vocabuntur in Italiam contra Romam.

Ratio cur calamitatem passura sit Roma.

CAPVT XVIII.



Xplicauit nobis Angelus duas grauissimas quæstiones, scilicet quæ esset mulier illa speciosa, deinde quodnam illius iumentum nō tam monstrosum, in qua explicatione omnia valde probabiliter inclinant in Romam & eius imperium itaq; οἷον ἀπόδειξιν allegoriæ illa conseruamus nūc hoc capite persequitur pleniùs ruinam vrbis, ac repetitur bona parte ex c. 14. Adiuntur autem illustrationes ex Isaia & Ieremia, qui veteris Babylonis interitum graphicè depinxerant.

Translatio ad sequentē tractationem cū breui capitis argumento.

Accomplectitur ferè partes quatuor, nā principio Angeli voce denūtiatur interitus vrbis. Deinde alter Angelus præmonet sanctos de cauēdo consortio Babylonis, adeóq; hostes mox ad atroces pœnas hortatur. Tertiò sequitur post ruinam eius publica Threnodia amatorum eius, qui rationes etiam luctus sui non pœnitendas proferunt. Quartò contrà describitur sanctorū lætitia in eius ruina, quæ symbolica mox ratione cōfirmatur ab alio Angelo scil. lapide in mare præcipitato, qui inde nunquam eximendus est.

Vers. 1. *Et post hæc vidi.*

Exorditur locum à transitione, nam ab interpretatione discedit, alias visionis partes narraturus. Ac commendat nobis hoc loco sequentis doctrinæ dignitatem, à personæ conditione quæ illam proposuit, locus totus pertinet ad attentionem. Princi-

Rationes quę commendant doctrinā propositam in reliquis visionis artibus.

piò quia *Angelus* illam patefecit, deinde quia *calitus* illam affert, tertiò *simul habet magnam potestatem*, fortè magnę ciuitati & scorto oppositus: quartò, quia *gloria eius illustrat totam terram*, hoc est, doctrinam perspicuè proponit, vt sub finem mundi, totus mundus præsagia illa contra Romam pertinere facilè sit intellecturus.

Quintò *clamat* voce magna, significans doctrinam hanc, non in angulis proponendam, aut obscurè explicandam, sed publicè & perspicua sententia.

Vers. 2. *Cecidit cecidit Babylon.*

Angeli oratio ruinam Romæ enucians

Secundo loco Angeli orationem exprimit, quæ habet φρόταξιν nouam, scilicet Babylonem ad exemplum veteris illius certo certius ruituram. Ad certitudinē pertinet temporis mutatio, nam pro cadet, *cecidit* ait, quasi dicat nihil hoc casu certius est, deinde huc facit anadiplosis, *cecidit, cecidit*. Porrò totum hoc repetitum est ex cap. 14. sup. ver. 8. vbi diximus ex Esaia cap. 21. vers. 9. desumptum esse, vbi Propheta addit his verbis, cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram. Et Ierem. 51. Subitò cecidit Babylon & contrita est. Reliqua ad hypotyposim pertinent, ostendunt enim sic euertendam, vt nunquam commodè habitetur, quod veteri Babyloni contingit. Phrases ad hanc rem desumpsit ex Esa. 13. vers. 20. Non habitabitur vsque in finem, & mox requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, habitabunt ibi struchiones, & pilosi saltabunt illic. Sic cap. 14. vers. 23. ponam eam in possessionem ericij Esa. 54 Erit cubile draconum, occurrent sibi dæmonia, onocentaurus, & pilosus vnus ad alium clamabit, ibi cubabit Lamia. Similia in Ieremia leguntur cap. 50. vers. 39. & alibi. Hoc loco Angelus ait, *facta est domicilium dæmonum*, scilicet post destructionem talis erat deserta, vt illic impuri Spiritus commodè habitent vel facta est domicilium dæmonum, scilicet ante euersionem, vt sit causa præcedens calamitatem, quasi dicat facta est idololatrica. Ideo addit *& custodia omnis spiritus immundi*. hoc est, nullum in orbe terrarum tam fœdum fuit idolum, quin Romæ mansionem reperiat, quod omnino verum fuit in veteri imperio, nam ante expugnatas vrbes aut prouincias, numina euocabant, & Romæ in loco promittebant. In renouato imperio, non dissimilis ratio irrepsit, cùm Oriens idola abiiceret Roma illa studiosè collegit, & defendit, Quartò addit *& est facta custodia omnis immunda auis & odiosa*, aues immundæ sunt homines pollutis moribus prædìti. qui conspurcant suis sceleribus & libidinibus simplicitatem vitæ Christianæ, quales sunt scortatores libidinosi, mœchi, defensores scortationis prophani sermone & vita, odio digni apud Deum & homines, quos non meliùs alibi quàm Romæ deprehendi iuuat.

Hypotyposis euersionis secundæ Babylonis.

Quæ sint aues immundæ.

Vers. 3. *Quia ex vino.*

Tres euersionis futuræ desolutiones.

Si placeat superiora ad descriptionem simpliciter desolationis referre, hic saltem constituatur αἰτιολογία qui locus est tertius, repetita videntur ex cap. 14. sup. ver. 8. Triplex autem est ratio desolationis futurę, quarū prima sumitur à persona ipsius Babylonis *quia vino furoris suæ scortationis potauit omnes gētes*, h. e. suo exēplo idololatras effecit, sequitur autē morē scorti, quod amasiū furiosè deperit, ideóq; furenter illi propinat, sic Babylō orbi idola obtrusit. itaq; valet prior ratio, quod dæmonum sit facta habitatio.

Secundò à persona regum, qui & ipsi pari auiditate idola admiserunt: hoc enim est *simul scortari*, deserto vnius Dei cultu ad imagines confugere, Tertia ratio ab adulatoribus eius sumitur, quos vocat *mercatores*, hoc est, diuina & humana omnia illis sunt venalia. Hinc mundi nationes illæ cœperunt traduci nostro seculo. Hi, inquam, mercatores ditati sunt ex potentia lasciuiæ eius, de quo mox plura.

Vers. 4. *Et audiui alium.*

Secunda pars capitis describit nobis aliam concionem, quæ ad instruendos pios spectat vid. sup. cap. 14. ver. 9. Propositio est studiosè fugiendum esse commercium impiorum, qui Babylonicam religionem & mores defendunt, hoc expressit verbis Propheticis. *Exite ex illa mi popule*, desumpta sunt ex c. 51. ver. 6. Ier. Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnus quisque animam suam, Et cap 50. vers. 8. Recedite de medio Babylonis de terra Chaldæorum egredimini. Esa. 48. ver. 20. Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis in voce æmulationis annunciate auditum facite hoc, & efferte illud vsque ad extrema terræ. Esa. 52. ver. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius.

Rationes duæ cur impij fugiendi.

Adduntur duæ rationes, prior. *ne participes fiatis peccatorum eius*: commercium enim inquinat, & corrumpunt bonos mores colloquia praua: ratio igitur valet à metu quod apud pios magni est momenti. Deinde alia est, *ne de plagis eius quoque accipiatis*, h. e. ne cum Babylone puniamini: vitandum est igitur Babylonicum commercium, hoc est, doctrina & mores Romani diligenter cauendi sunt. vide 2. Corinthiorum. 6.

vers.

verſ.17.vbi Apoſtolus dehortatur ab impiorum conſortio, & rem eadem hac clauſula concludit, exite de medio ipſorum &c.

Verſ. 5. *Quia peruenerunt.*

Noua eſt αἰτιολογία, nam priores duę rationes à fine erant petitæ: oſtendit enim pium conſilium de fuga à commodo fine. Nunc magnitudine ſcelerum oſtendit iuſtum Dei contra ipſam iudicium, ſumpſit formam loquendi ex Ieremia 51. verſ.6. magis verò ex Gen.19.ver.6. de Sodomorum menſura completa. Commodè autem ait conſequentia quadam ad cælos perueniſſe, quaſi peccata peccatis ſemper addita, vt tandem mole ſua & conſequentia concatenata cælum ipſum pulſent. Ratio noua de praus cõ ſortio fu giendo.

Porrò de Deo humano more loquitur, quod ſit *recordatus iniuſtitiæ eius*, in Deum enim non propriè cadit obliuio, & ob id non recordatio, ſed illi omnia ſemper ſunt præſentia & eius memoriam nihil vnquam effugit.

Verſ.6. *Reddite ei.*

Tertio loco ad atroces pœnas inſtigat hoſtes Babylonis, vid. Ier.50. verſ. 29. & apud Luc.cap.6.lege talionis puniendam docet, hoc eſt, quia totum mundum deprædata eſt, ideo & ipſa in prædam dabitur aliis. Apoſtrophe ad Babylonis vaſtatores vt grauiter eam affligant.

Verſ.7. *Quantum glorificauit ſe.*

Antitheſi illuſtrat pœnas, quas priori gloriæ & delitiis opponit, quantò altior fuit, tantò cadat profundius, & deliciis opponantur tormenta. Verbum στρηνιάζειν ſignificat, excuſſis habenis ſuo curſu ferri, deſumpta metaphora ab equis petulantibus, qui dicuntur στρηνιάζειν h.e. στερεῖν, quod eſt ἀποσπᾶν, executere & abrumpere τὰς ἡνίας, habenas, quod probè præſtitit Romana Babylon, omnium principium iugum excuſſit & epiſcoporum autoritatem, vt ipſa ſola ius aliis præſcribendi haberet. Hoc eleganter expreſſit Angelus, *dicit in corde ſuo, Sedeo regina & vidua non ero, luctum non videbo.* Apud Eſa.47. verſ.7.8.dicit in ſempiternum ero domina, ego ſum, & præter me non eſt amplius, non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. Sic Pſal.10.dicunt impij, non mouebor in æternum. Ita in fabulis Niobe loquitur, Maior ſum, quàm tui poſſit fortuna nocere. hæc confidentia & præſumptio digna eſt confuſione.

Verſ.8. *Propter hoc in vna die.*

Opponit vacuæ perſuaſioni de æternitate imperij, velocem & inexpectatum interitum, ſimilia vide Eſa.48.v.9. Quatuor autem hîc coniungit pœnas, *mortem*, h.e. bellum, & eius miſeram lanienã, deinde *luctum* ſuperuiuẽtium ſuos occiſos deplorantium. Tertiò *famem*, quæ inde naſcitur, quartò *incendia*, atque illa omnia à *forti Domino* productura, h.e. à Chriſto cuius Spiritu illud ſcortum tandem finaliter quoque delebitur. Hactenus ipſa vaſtitas, iam deploratio ſequitur amatorum, & mercatorum Romanenſium. Velox Babylonis interitus.

Verſ.9 *Et flebunt illam, &c.*

Tertia eſt pars capitis continens luctum publicum, nam hactenus duæ ſunt expoſitæ conciones duorum Angelorum, quorum prior ruinam prædixit, poſterior cauere iuſſit Babylonis conſortium. Tertiò igitur loco iam declarat, quanto dolore & luctu publico omnium impiorum caſura ſit.

Propoſitio eſt, Romana Babylon cadet omniũ impiorũ cõmuni luctu & dolore, Hãc rem triplici ordine hominum demonſtrat: primũ enim inducit lugentes Reges, deinde mercatores qui Regibus proximi videtur, adeò vt illos ſæpe habeant tributarios, Tertiò inducit etiã nautas, & ſimilia mãcipia, quæ lucrũ aliquod ab iſta Babylone habebãt. Vaſtitas Babylonis Romanæ amplificatur à deploratione impiorum.

Ac quòd primos attinet, obſeruetur perſona lugentium, quò facit, quod, *reges terræ.* Regum nomine accipias omnes magiſtratus q.d. Magiſtratus in primis dolebunt Romæ caſum, quales ſunt monarchę, reges, imperatores, Reſp. liberę & populi ſui iuris nõ tamen omnes, ſed illi ſolùm, qui *cum illa ſcortati ſunt* & luxuriati ſignificans quoſdã magiſtratus, principes, ac Reſp. maturè deſerturas eius cõſortium, ſecundũ doctrinã ſecundi Angeli v.4. quas dominus non excitabit in excidium meretricis, vt dixit c 17.v.16 17. *hi ergo* nõ dolebunt, ſed illi ſolùm. qui in illius fide, doctrina, & morũ corruptela manſerint. Ac pertinent hæ duæ voces ad cauſas efficientes, quæ Deum ad pœnas ſumendas excitabunt, tandem ſcortatio ſcilicet, h.e. idololatria, & laſciuia, h.e. morum corruptela. Quales ſint ij qui ob ruinam Babylonis lugeant.

Secundò conſidera factum regum, *lugebunt*, inquit, & *dolebunt*, h.e. ſigna doloris edent, κόπτειν eſt pectus contundere, qualia ſolent lugentes præſtare. Ex quo vides luctum rem eſſe mediam, mali enim hîc lugent, quemadmodum fur furi condolet, quia non ſuccedit illi conatus in ſcelere: ſic ſcortator ſcorto ſuo condolet, quia conſiliis ſuis fruſtratur, malus ille luctus eſt, & damnabilis. nos in re honeſta lugeamus ſaltẽ aliorum peccata & ſimul noſtra: nã finales impiorũ pœnas, pij mox gaudio & iubilo excipient. Qualis ſit forma doloris. Cauſę ad dolorem excitantes.

Tertiò cauſa doloris cõſideretur, cũ viderint *fumũ incendij eius*. vid. Eze.28. de Tyri. vaſtatione. Porrò fumus ignis latentis eſt argumentum, hunc cùm viderint dolebunt ac ſi Primum impiorũ genus.

dicas, cùm principes & reges viderint initia defectionis à Rom. sede, quę præsagia, sunt eius ruinæ. Inde hodie multi irascuntur & cogitant de rebus collapsis restituendi in integrum. IIII. addit habitum lugentium, quale est *stare è longinquo*, & spectare vrbis ruinam. q. d. non audent illi palàm adesse & succurrere, ratio est, quia metuunt supplicium eius, h. e. ne cum illa opprimantur: cùm n. iisdem sceleribus laborent, & eadem impœnitentia ducantur, non mirum est, si conscientia illos vexet & deterreat à violenta defensione. V. accedunt voces deplorantium fata illius *he ciuitas magna*, q. d. admirabuntur adhuc titulum & maiestatem sedis illius, *vrbs potens*. i. in hominum conscientiis & oculis mundi religiosa habita est, quasi æterna & immortalis futura sit eius autoritas: sed *iudicium eius nunc in hora vna*, h. e. subitò & ex improuiso non quòd prędictum non fuerit, sed quòd ipsa Ro. & assentatores eius nullis admonitionibus corrigi potuerint, semper illi somniant de sedis æternitate & imperij eius continuatione, quicquid vel Deus, vel boni viri contra illius vitia clament. Boni. n. pridem præuident hos casus, imò sensim accedunt illa fata, incipiúntque iam compleri: nam fumus ille iam cœpit ascendere, stántque multi iam procul indignantes, verùm hoc Roma non intelliget, donec finalis actus accesserit, & clausula illa, quæ illam funditus perdet, hoc respectu dicitur, *vna hora venire eius iudicium*.

Habitus lugentium.

Voces luctus.

Vers. 11. *Et mercatores terræ.*

De secũdo hominum genere Babylonis statum deplorantium.

Secundum genus hominum est, quod deplorat Romæ interitum, considera igitur primùm, quinam hi sint. *Mercatores* dicit esse, ac quemadmodum Babylon allegoricè hîc est accipienda, sic etiam eius mercatores, & reges, reges diximus omnes in genere significare magistratus: qui in fide Romana perdurant finaliter: sic mercatores, omnes, qui aliquid lucri ex illius professione habent, qui Romani artibus ditescunt, quales sunt Episcopi, Cardinales, Monachi, sacerdotes, varij ordines, & ordinum numerosæ familiæ. Omnes isti mercatores dicuntur Romanæ sedis, quia omnia diuina & humana venalia habent, vndique faciunt quæstum, nihil gratis dant in tota Ecclesia, sacramenta omnia pro pecunia largiuntur, confessiones audiunt, sed oportet aliquid numeres, missas non celebrant, nisi certa mercede, dispensant in omnibus peccatis certo pretio, indulgentias emes pretio, beneficia similiter, sepulturam quoque & quantò plus plus numeraueris, tantò honestior dabitur sepulturæ locus. Itaque certum est ipsos nundinatores rerum diuinarum hic esse intelligendos.

Causa luctus secũdi generis lugentium.

Secundò considera causam luctus, quæ est, *quod merces illorum nemo amplius emit.* hoc est, illa nundinatio Romanæ curiæ contemnetur, quòd hodie palàm videmus compleri, quando regna & vrbes illas bullas contemnunt, viuunt & docent secundum doctrinam Christi & Apostolorum sine Romanis illis indulgentiis & dispensationibus. Hoc dolent omnes monachi, Sacerdotes, Episcopi, Cardinales, &c. & rectè vocat γόμον, *ein gum pist*, confusę enim merces dicuntur γόμος. Hinc Luherus & alij vocarunt *dess Bapsts, iarmark.* Has merces hodie contemnunt. Angli, Scoti, Dani, Germani bona parte, Heluetij, Galli quoque incipiunt repudiare, doleant igitur illi mercatores.

Vers. 12. *Merces auri & argenti.*

Quales sint Romanę opes.

Distributione illustrat Romanas illas merces, vt videat mundus imposturas & auaritiam illorum mercatorum. Ac primo gradu ponit opes, quæ ad thesauros spectant, qualia sunt *aurum, argentum, gemmæ, margaritæ*, quæ omnia splendidissima Romæ visuntur, & ex omnibus nationibus studiosè comportantur. Secundo ordine vestitus & habitus, qualia sunt, *byssus, purpura, sericum, coccus*, hęc & vendũt aliis, & ab aliis gratis accipiunt, inde pallia redimuntur & thiaræ. Tertiò supellectilia adduntur, & *vasa pretiosa ex ligno Thyino.* Thya arbor Græcis θύα & θύον. Eustathius tamen legit θεῖον. Odis. 5. explicãs versum Homeri τῆλοτε δ᾽ ὀδμὴ κέδρου τ᾽ εὐκεάτοιο θείου τ᾽ ἀνὰ νῆσον ὀδώδει, Procul autẽ odor cedri fissilis, & Thij per insulam spargebatur. Plin. lib. 13. cap. 16. legit & θεῖον & addit Latinis dici Thiiam, ac citat locum Homeri, de quo diximus, vt probet inter arbores habere locum. Theophrast. quoq; inter arbores refert, & nominatim, quæ sunt ἀείφυλλα, hoc est, quæ folium non abiiciunt, & lib. 5. cap. 5. & lib. 1. cap. 16. Fuit igitur olim nota arbor, vt & Plin. tradit in pretio, quia lignum illius æternum contra putredinem & corrosionem materiam habebat, inde ad templorum contignationes adhibebatur, inde in templis vasa & idola, & tabulæ, sic vasa eburnea, ærea, ferrea, marmorea.

Athor Thya.

Quartò illa, quæ ad suffitum, & odoramenta templorum fuerunt, *vt cinamomum, thus, vnguentum.*

Quintò quæ ad victum spectant, *vt vinum, oleum, similia, triticum.*

Sextò quæ ad possessiones, *vt iumenta, oues, equi.*

Septimò quæ ad famulitium, *vt equi, rheda, famuli, hominum animæ.* ῥέδα indubie

Germani-

Germania vox est, quam Galli suam fecerunt, inde Latini, hinc Græca etiam facta est, vt aliæ ex nostra lingua, vt carcus *Karcen*, Reda, *rad, & reder & redig*, *picare biken*, rostro ferire.

His mercibus connumerat animas hominum, quas tanquam iumenta vendit illa Romana tyrannis, nec solùm dum in his corporibus viuunt, sed in defunctorum animas sibi ius sumit, adeò vt cum his etiam mercatum exerceat, adeò dulcis est odor lucri ex re qualibet, vt quemadmodum Græci dicunt κἂν ἀπὸ νεκρῶ φέρει. alij sordidi ex turpibus rebus colligebant, vt Vespasianus ex lotio, sed illa Babylon Romana ex scortis, prostibulis, mœchis, tandem ex ipsis animabus defunctorum, adeò insatiabilis est auaritia. Tyrãnis Romana in animas.

Vers.14. *Et fructus desiderij.*

Epentesis est continens verba Angeli insultantis Romæ, ob frustratam illius spem estque apostrophe commodè ad ipsam Romam instituta, ac eò maior est & acerbior insultatio, quia irreparabile est hoc damnum, nullàque spes est ad eam gloriam redeundi. Includatur igitur hic versus parenthesi. Apostrophe Angeli aduersus Romam insultantis.

Vers.15. *Mercatores horum diuites.*

Redit ad intermissam enumerationem, eámque iam illatione quadam concludit: statuatur igitur συμπέρασμα totius distributionis, quod eleganter continet complexionem totius argumenti, quasi dicat his rebus diuites facti mercatores stabunt è longinquo, vt priùs reges, causa est metus, qui impedit etiam principes, habitus etiam illis communis, voces quoque & alia. Coclusio secundi generis lugentium.

Vers.17. *Et omnis gubernator.*

Tertium genus hominum, quod casum Romæ deplorat, mercatoribus est inferius, ac continet illorum ministros, œconomos, procuratores, legatos, emissarios, clientes omnes, gubernatores sunt *Die redly furer*, qui in fide omnes nationes conantur retinere, quales sunt legati Pontificis in aulis principum, & nationum. De tertio hominũ genere casum Romæ deplorantium.

Turba nautica sunt fautores sedis & clientes, qui vocibus & numero causam promouent, hi omnes etiam procul stant spectatores ruinæ Romanæ, causa est timor, qui & reges & mercatores impedit. Addunt autem illi nouos lugentium gestus, ***puluerem iniciunt suis capitibus***. quo testantur doloris magnitudinem. Voces illorum superioribus similes sunt, causam etiam eandem repetunt doloris, vt videas omnes hos esse de numero reproborum, & finaliter impœnitentium. Hactenus triplex genus hominum deplorantium fata Romæ.

Vers.20. ***Exulta super illam cælum.***

Quarta pars est huius capitis de piorum exultatione in hac Babylonis publica ruina: deinde symbolo quodam ruina illa de nouo confirmatur: tertiò ruinam iterum repetit, remotione rerum delectabilium: quartò eiusdem causas repetit. Ac initio voce Angeli excitantur pij ad gaudium, superioribus illa connectens per antithesin: hactenus enim dolor publicus descriptus est apud impios, iam contra piorum affectum exprimit. De piorum triumpho ob Romanæ Babylonis ruinã quod fit hortatore Angelo.

Et quia Angelus hunc affectum dictat, ideo pium esse oportet, ideóque non pugnat in piis cum Apostoli sententia iubentis dolere cum dolentibus, ratio est, quòd idem spiritus hoc iubet sanctos, qui illud iubebat in Apostolo Paulo, non enim est sibi contrarius spiritus Dei. Porrò per hyperbolem cælos prouocat ad gaudium q.d. rẽ dignam esse, quam admirentur & irrationales creaturæ, deinde duos cœtus vtriusque populi prouocat. Apostolorum cœtus est noui Testamenti, ideo complectitur omnes eos, qui nomine Christi in temporibus Apostolorum pro pura doctrina occisi sunt. Ac commodè Apostolorum facit mentionẽ, fuerunt enim illi doctores huius doctrinæ & propagatores, adeóque iam dum hæc scriberentur, omnes excepto vno Ioanne pro Christi gloria martyrio affecti. Prophetarum autem cœtus est veteris Testamenti, quos occidit Babylon illa, per Scribas & Pharisæos in Iudaico populo. Vterque autem cœtus in eadem causa lætari debet, quia vtriusque vna fuit doctrina, idem etiam hostis Babylon, in cuius ruina nunc communiter gaudere debent. Lætantium duplex cœtus.

Propositioni addita est ratio, ***quia indicauit Deus iudicium vestrum ex illa***, hoc est, vos probè est vltus, reddidit ei commeritas pœnas. Videtur respexisse ad caput 6. sup. in quo animæ sanctorum subaltari clamabant magno desiderio, Domine, quando vindicias sanguinem nostrum de habitatoribus terræ? hoc igitur hîc dicit Angelus iam factum esse. Ratio lætitiæ.

Vers.21. ***Et sustulit quidam Angelus.***

Symbolica est pœnarum confirmatio, quæ ostendit certo certius delendam esse

Quom. per symbolum Angelus testetur ruinam Babylonis.

hanc meretricem: ac videtur allusisse ad factum Ieremiæ, qui cap. 51. in describendo excidio primæ illius Babylonis, iubetur tandem librum suum iam lectum lapidi alligare & in Euphratem submergere, in signum certo peritură hanc vrbem. Verùm hoc loco Angelus secundæ Babylonis iudicium atrocius facit, quia non in Euphratem, sed in mare ipsum præcipitatur lapis, quasi nullum flumen eius supplicio sufficiat, maioríque opus sit gurgite qui illam obruat. Symbolum suum Angelus breui expositione illustrat, *sic impetu abiicietur Babylon.* hoc est indubitanter delebitur, ruétque, vt lapis semper cadit velociùs, cùm natura grauia ferantur deorsum, motus illius vehementior erit, quantò fini propior est, ac spe de restitutione carebit.

Vers. 22. *Et vox citharœdorum.*

Quæ sint ruinam consecutura.

Tertio loco repetit ruinam à commemoratione coniunctorum, qualia sunt priuari omni voluptate musica, delitiis epularum, histrionum &c. Musicam primo loco ponit, quia templa omnia eius sono perstrepunt, illic sunt organa, *tubæ, tibiæ,* cantus vocalis, illa omnia Domino displicere in causa religionis hoc loco docetur. Deinde *artifices* desinent, quos intelligo, gulæ & voluptatis repertores, quales sunt semper noui quidam Apitij. Item histriones & ludiones, qui stultas & inutiles, imò nocentes artes rebus humanis profitentur. Tertiò pressiùs stringit, *vox molæ etiam auferetur*, hoc est, fame & inedia maceraberis, vide similia apud Ezech. capit. vers. 13. & Esa. 24.

Vers. 23. *Et lux lucernæ.*

Ostenditur Romam in tenebras abiectă iri.

Pergit in depingenda calamitate: ostendit autem tenebris æternis esse obruendam, sunt indubiè illæ tenebræ exteriores, de quibus loquitur Christus, vbi fletus est & stridor dentium. Demum vox sponsi & sponsæ auferetur, quasi dicat omni re delectabili & iucunda spoliaberis, *Din Kylle vnd iubilierem sol alles ein endt nemmen.*

Qui intelligendi per mercatores.

Quia mercatores tui erant proceres terræ. Ratio est tantæ seueritatis pœnarum: triplex autem hoc loco habetur causa, prima est, *quia mercatores eius sunt facti principes terræ*, h.e. omnia inuaserunt. Mercatores indubiè sunt, qui prius, h.e. Episcopi, Cardinales, & similes, qui pro doctoribus sunt venatores, principes & mercatores, iura diuina & humana pretio prostituunt, potiùs satrapas dixeris, quàm Christi & Apostolorum successores, atque hi omnia loca occuparunt, hinc tot collegia, tot familiæ monachorum. Altera causa est *veneficium*, quo tanquam Circe quædam Homerica omnes sapientes & potentes infatuat: veneficium autem indubiè est idololatria, quam obtrusit orbi Christiano, quam qui recusarunt admittere, hæreseos nomine, fulmine excommunicationis tacti sunt.

Tertia est causa *sanguis Prophetarum, qui in illa est repertus,* h.e. occidit ipsa Prophetas Dei, quasi dicat pios sanæ doctrinæ ministros, quales erant Apostoli aliíque pij, qui omnes Romæ, vel in Romani imperij finibus occisi sunt. Ideò non solùm causa est sanguinis Romæ effusi, vt Pauli, Petri, Polycarpi: sed etiam eius, qui hinc inde in prouinciis eius est effusus. Similia Christus Ierosolymis obiecit Matth. 23.

CAPVT XIX.

Ὑπόθεσις vel argumétum.

Partes capitis.



SVperioribus illa cohærent per subdiuisioné, nam concentum illum musicum supra versu 22. expressum hîc iam distinguit in certos choros, qui singuli verbis expressis Deum laudant, eiúsque veras assignant rationes, in primis in vltimo choro. Hinc factum suum recenset Ioannes, & Angeli institutionem de adoratione soli Deo deferenda. Atque illa prior est pars capitis, de sanctorum congratulatione. Posterior est de Christi plena victoria contra scortum illud, & draconem. Ac prior tres continet Deum laudantium choros, quibus accedit quartum membrum, de ipsius Ioannis facto, & Angeli inhibitione de quibus iam ordine agemus.

Vers. 1. *Et post hæc audiui.*

Varię sanctorum cantilenæ de Babilonis ruina.

Propositio hymni.

Transitio est connectens sequentia superioribus: ac primus hic chorus inducitur martyrum iam in cælis regnantium. Hi quia innumerabiles sunt, quemad. Dominus Abrahamo promiserat semen, quod numerari non posset, quales sunt stellæ in cælo, & arena in littore maris, ideo *turbam multam*, hoc est, innumerabilem fuisse dicit. Deinde addit hymnum sanctorum, cuius exordium vna voce expressum est, Halleluia, hoc est, laudate Dominum, vox Hebræa, mansit, vt aliæ quædam in Græca & Hebræa lingua, qua hoc loco sese excitant pij ad laudes. Post exordium mox sequitur confessio, hymni quædam propositio, qua omnia vni Deo deferunt. *Salus sit*

Deo

Deo nostro, hoc est, vera est salutis causa & fons, adeò vt hic titulus malè competat hominibus. Ac quanquam salutem conferat per certa media, tamen studiosè cauent pij adeóque scriptura ipsa, ne facilè eiusmodi titulos sanctis conferant, qui vni Deo competunt: ideo Paulus se & ministros alios irrigasse & plantasse quidem dicit Deum autem dedisse incrementum. Sic cooperarij quidem Dei sunt, salutis autem ratio soli Deo ascribenda est. Secundò *gloria* est etiam solius Dei, qui verè gloriosus est, 3. *honor,* qui virtutis est præmium, quæ in solo Deo solida reperitur, quartò *potestas,* quia solus facit, quæ vult.

Tituli Deo cõpetẽtes.

Vers. 2. *Quia vera & iusta.*

Propositionis est ratio, quæ sumpta est ex præsenti visionis negotio, ac totam rationem in genere initio proponit, *iudicia eius vera & iusta sunt*: vera, quia pridem promissa, & in mundo ludibrio habita, iam euentu tandem deprehendentur verissima: iusta autem, quia scorti delictis probè respondent: iustum enim est, vt illa scelerum latrina probe defleatur. Deinde rationem mox ad speciem deducit, *iudicauit scortum illud magnum*, Babylonem Romam dicit, quæ magna est, ac si dicas nobile scortum, hoc est, famosum & publicè notorium.

Ratio propositionis cur solus laudãdus sit Deus.

Tertio explicat, quid in illo scorto sit reprehensione & castigatione dignum, duo, nimirum scortatio & tyrannis: scortatio doctrinæ est corruptela, in primis de vno Deo colendo & adorando, à quo tanquam legitimo marito homines abducit, eiúsque obedientia, ad idolorum cultum.

Quæ reprehendenda in scorto Romano.

Tyrannis autem est, quia sanguinaria fuit, cum quo alij mores corrupti concurrunt itaque hæc duo capita sunt punitione dignissima, falsa religio & morum corruptela.

Post rationem propositionis sequitur epilogus, & *iterum*, inquit, *dixerunt Halleluia*, hoc est, carmen suum laudibus diuinis iterum concluserunt, quemadmodum idem fuerant exorsi. Ad quam doxologiam pœnæ scorti aggrauatæ sunt: *fumus enim ascendit,* hoc est, argumentum irati Dei apparuit. Sup. 15. cap. ver. 8. præsentiæ diuinæ erat argumentum: at hoc loco iræ argumentum sup. 14. ver. 11. & cap. 18. vers. 9 18. Matth. 25. vers. 41. & 46. Marci 9 44 Esa 66. ad finem, &c.

Epilogus primi cantici.

Vers. 4. *Et prociderunt 24 seniores.*

Secundus est chorus Deum celebrantium in hac causa, sanctorum scilicet Angelorum, seu doctorum Ecclesiæ, qui superiorum institutum approbant supr. enim cap. 4. viginti illi quatuor expositi sunt doctores veteris & nouæ Ecclesiæ, hoc est, vtriusque testamenti. His accedunt senes, hoc est, vel quatuor Euangelistæ, vel ipse Christus qui aliò respectu & aquila est, & vitulus & leo & homo, vt aliàs est à nobis expositum, adeoque singuli fideles animalia illa quatuor referre debent.

Epiciniũ alterius Chori sanctorum approbantium priorum canticũ.

Deinde *adorant Deum in throno*, competit hoc doctoribus & Euangelistis.

Tertiò *dicunt Amen,* hoc est sanctorum orationem confirmant, quod exprimit vox Amen, demum ad hoc ipsum sæpius præstandum eos exhortantur voce Halleluia.

Vers. 5 *Et vox ex throno.*

Tertius chorus est piorum in his terris adhuc oberrantium, hi non nisi moniti ad laudes Dei procedunt, quo admonemur imperfectionis nostræ, vt contrà sanctorum in cælis, quanta sit præ nobis excellentia: illi semper in officio sunt coram Domino, contrà nos vix admoniti etiam officium facimus. Deinde obseruetur Dei esse mandatum, vt Deum laudemus, huc pertinet vox exhortantis, *laudate Deum nostrum.* Tertiò ad quos pertineat, *ad seruos Dei, & eos, qui timent eum paruos & magnos*, h.e. omnes fideles, nemo hic vt indignus excipitur, sed ab omnib. etiam abiectis laudari vult. Porrò serui hic dicuntur cultores Dei, quos Christus filios Dei, & cohæredes regni cælorum vocat ideo timent illi Deum non seruili metu, sed generoso, & filiali affectu, h.e. ne illum ad iram prouocent, ne in conspectu illius peccent, sed in omnibus sese illi approbare conantur. Secus faciunt mancipia Satanæ, qui dum peccandi est occasio, securè illã amplectũtur, & auidè, postea demum Deum iudicem extimescunt, quasi manũ carnificis. Quartò, quis Deus ille sit laudandus? *nostrum,* inquit vox diuina, h. e. qui sanctis est re & nomine Deus, h. e. boni causa, quemadmodũ homo homini Deus dicitur, h.e. defensor & boni autor, sic Deus verè piis Deus est, impiis est Deus seuerus & vindex.

Quomodo tertius chorus qui est fidelium in terris ad canendum incitetur.

Vers. 6. *Et audiui vt vocem.*

Sequitur piorum obedientia erga diuinum mandatum, quorum cùm cœtus sit innumerabilis, tribus similitudinibus hoc effert, *turbæ multæ, aquarum multarum, & tonitruorum fortium.* Sancti omnibus ætatibus colliguntur ex turba hominũ, & effunduntur, vt aquæ inutiles, fortes tamẽ sunt in certaminib. adeò vt preces illorũ nubila penetrẽt,

Canticũ fidelium in terris.

instar tonitrui. Deinde exordium hymni est superiori simile, imò eadem voce notatur, Halleluia, quæ est excitantium sese mutuò ad diuini nominis laudes. Tertiò, breuis annectitur ratio, *quia regnauit Dominus Deus omnipotens*, quo ostendunt gubernationem Dei post nouissimum iudicium, & in ipso in primis patefaciendam esse mundo. Nunc enim rerum gubernatio videtur esse destructa, magistratus bonam partem habent diuina autoritate: sed inter eos tyranni malè administrant hunc vicariatum, cùm enim in terris dij esse deberent: dæmones potiùs sunt. Deinde Satan regit bona parte mundum suis consiliis & organis, adeò vt Deo relictum vix aliquid videri queat de totius administratione. hoc igitur totum in nouissimo iudicio ab vno & vero Deo pendêre luce clarius patebit.

Quartò infertur illatio, *Gaudeamus igitur & exultemus, & demus illi gloriam*, hoc est, hunc igitur meritò, & solum celebremus inquam, illo iure gaudebimus.

Vita æterna cũ nuptiis collata.

Quintò nouæ afferuntur rationes ad rem præsentem valdè appositæ. Ex quibus prima est, *quia venerunt nuptiæ Agni*, hoc est, vita æterna, quæ toties promissa fuit, iam reipsa possidenda exhibetur nobis. Suauiter nuptiis confertur vita æterna propter ingens & publicum sanctorum gaudium, & quia tanquam ad nuptias omnibus retrò seculis homines sunt inuitati.

Sponsa Christi quæ.

Vox igitur Prophetarum & postea Apostolorum hodie docentium seriò Euangelium nihil aliud est, quàm vox inuitantium ad nuptias illas filij Dei. Porrò quòd iam præsentes sint nuptiæ pij probant, *quia vxor Agni*, hoc est, *sponsa ornauit se*: certum enim est argumentum nuptiarum si sponsa ornata procedat in publicum. quæ illa sit exprimitur. Ephes. 5. ver. 5. Ecclesia scilicet Christi & 2. Corinth. 11. vers. 2. ornatus autem sponsæ mox explicabitur.

Vers. 8. *Et datum est ei.*

Vestis nuptialis sponsæ qualis & vnde. Matt. 22. Ezec. 16. Ecclesia vestitur Christi sponsi sui iustitia & meritis.

De ornatu sponsæ locututus, ostendit vnde illum habeat, nimirum à sponso Christo: datum est ei, hoc est, à Christo datum est, solius enim sponsi est vestire sponsam, & ornamentis donare. Ex quo constat ornatũ eius totum esse gratuitum, sic enim sponsus gratuitò mera dilectione in sponsam suam confert quæuis, vbi igitur meritorum erit ratio? Deinde nominat vestitum, *byssum purum & splendidum*, hoc est, candidum, stola est innocentiæ, bonorũ operum, quibus nihil est splendidius coram Domino, nihil purius, hypocrisi enim carent. Tertiò, exponit vestitum hunc nihil aliud esse, quàm *iustificationes sanctorum*, igitur vestitur sponsa Christi iustificationibus, hoc est, meritis & iustitia sui sponsi. Hoc dixit etiam Apostolus ad Philipp. 3. vers. 9. Comperiar in ipso non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ est ex fide Christi, illam, inquam, quę est ex Deo iustitiam per fidem. Hac iustitia ornatur sponsa, Christus enim propter iustificationem nostram, hoc est, vt & nos iusti redderemur resurrexit Rom. 4. v. 25.

Deinde ex hac prima iustitia, qua nostram tegimus nuditatem oriuntur iustitiæ infinitæ species, & quasi δικαιώματα hoc est fructus bonorum operum, quibus boni mores & tota nostra vita ornatur: renati enim accipiunt Spiritum sanctum qui dictat nouos motus, & inclinationem ad bonorum operum studia. Hic byssinus est vestitus, quo agnoscimur, tanquam de veste homo nuptialis. Matth. 22.

Vers. 9. *Et dicit mihi.*

Beatitas inuitatorum ad nuptias, & qui inuitati dicantur.

Altera est ratio cur piis sit exultandum, quia inquit, *beati qui sunt inuitati ad nuptias Agni.* Porrò ad rei certitudinem iubetur scribere hanc sententiam, scil. vt ad posteros sub certa fide perueniret, scripta enim manent, cùm vox audita pereat. Sententiam autem apparet ingenti exclamatione proferre, Beati inuitati, quasi dicat: O ter quatérue beatos illos inuitatos intellige, qui veniunt ad nuptias, nec aliis occupationibus detenti sese excusant, vt illi apud Lucam 24. vers. 16. Inuitatio illa cœpit iam à primo Adamo, durauítque & durabit deinceps omnibus seculis, veréque sunt fideles, qui voci inuitantium credunt, seséque ad eas nuptias adornant. Cœna autem commodè dicitur, quia ad finem mundi exhibebitur vita æterna piis, tanquam cœna ad diei vesperam, iam laboribus & æstu solis omni superato. Demum iterum confirmat illam auream sententiam autoritate Angelica, adeóque diuina, *sermones isti Dei veri sunt*: credamus igitur his & viuemus in illis. λόγους dixit de vnica illa sententia, Beati vocati ad cœnam nuptiarum Agni: ac duo prænuntiat, primùm quòd veri sint, deinde quòd Dei sint, vnde recurrit demonstratio, Dei sunt pronuntiata, ergò vera esse oportet, item vera sunt illa pronuntiata, ergò Dei sunt.

Vers. 10. *Et cecidi ante pedes.*

Quartus est locus, quem subiicit tribus illis Deum laudantium choris, scilicet de facto Ioannis quodam speciali, quod sub ista contigit, & nobis vtili exemplo literis consig-

consignandum erat. Nam cùm audiret ab Angelo tantas vitæ æternæ commendationes, rei magnitudine perculsus ad pedes illius cecidit adoraturus ipsum. Hoc factum in eo reprehendit Angelus, & adorationem sui prohibet, certis de causis. Simile infrà passus est Ioannes cap. 22. v.8. & 9. Porrò in facto Ioannis notatur finis propter quem factum ipsum sit culpabile: nam per se cadere in terram & ad pedes Angeli non erat vitiosum: suprà enim idem Ioannes passus est capite 1. ver. 17. sed non hoc fine, h.e. vt adoraret, est enim adoratio cultus diuinus, soli Deo debitus. De non adorandis Angelis quod à facto Ioannis probatur, de quo hîc. Angeli reprehensio.

In responsione Angeli obseruetur indignatio personæ Angelicæ hanc exprimit reticentia grauissima, *Vide ne*, qualis illa Virgiliana, Quos ego: affectus enim indignantis non patitur absolui sententiam, sed abrumpit, festinans ad sequentia.

Deinde argumenta Angeli expende. Ex reticentia sumatur propositio indiuidua, Angelus à Ioanne non est adorandus, hinc totius speciem constituit, Nullus Angelus ab hominibus est adorandus, inde & speciei totum ascende. Nulla curatura est ab hominibus adoranda, adde igitur propositioni argumenta, specialia hic sunt. *Quia sum conseruus tuus*, h.e. eiusdem tecum conditionis, qua debeo Deum agnoscere vna tecum herum meum: non autem dignum est, vt seruus conseruum colat herili dignitate, iniuria enim hero fieret. At Ioannes & Angelus conserui sunt, non igitur par est, vt illum herili dignitate colat, illud autem adorando fit adoratio igitur meritò est prohibita.

Deinde addit & *fratrum tuorum, qui habent testimonium Iesu.* quasi dicat, non solùm tuus sum conseruus, sed omnium piorum Christianorum: habet enim speciem præoccupationis, nam ad prius illud argumentum excipi poterat. Ioanni quidem interdicitur adoratio. parcendo illius dignitati, quia est Apostolus, & Christo dilectissimus, ideo non vult illum abiici ad hoc misterium, Sed quid si mihi idiotæ & homini abiectæ sortis hoc fit eò magis faciendum: respondet igitur, omnium piorum eadem est conditio, omni tui sunt fratres, & ego tuus sum conseruus, ergò & illorum: quod igitur tibi prohibeo, sentiant omnes pij sibi prohibitum esse. Duplex huic argumento inest consolatio, prior quòd omnes simus fratres Apostolorum, hoc est, coram Deo nullus sit respectus donorum Apostolicorum, quin fratres omnes maneamus. Deinde quòd Angeli nostri sint conserui, hoc idiota, indoctus & miser agricola sciat Angelorum sese conseruum esse in vno Deo colendo, & quemadmodum illud ministerium studiosè excolunt, sic à nobis vigilanter administrari debet. Tertium argumentum affirmatiuè colligit, *Deum adora*, monstrat enim quis sit illo honore dignus, & habet oratio magnam indignationem, quasi dicat inepte, nescis quis sit adorandus, quid dicat Moses Deut. 6. Dominus Deus tuus vnus est, hunc solum adorabis, quę ergo est dementia, vt hunc cultum ad me velis transferre. Vltimò redit ad prius membrum de testimonio Iesu, quò pertinet illud, Testimonium Iesu est Spiritus Prophetiæ, significans ad Christi gloriam accommodandam esse Scripturæ interpretationem: eius enim testimonium dicuntur habere pij, qui religionem illius profitentur, respiciens ad illud Christi Act. 1. Eritis mihi testes. Hoc testimonium est spiritus Propheticus, h. e. à Prophetis annunciatum: sic Christus ait, Ioannis 5. Scripturas de se loqui, & apud Luc. vlti. exorsus à Mose interpretatur illis Scripturas, vt intelligant, Christum oportuisse sic pati: ideo Apostolus ait Christum secundum Scripturas resurrexisse, hic ille spiritus est Propheticus. Secundũ argum. quo Angeli fidelium sint conserui. Tertiũ argum. quòd Deus solus adorandus sit. Quid sit testim. Iesu.

Hactenus specialis propositio, ex qua vniuersalis construatur, Nulla creatura ab homine est adoranda simpliciter, ratio ex hoc loco, quia Angelus adorandus non est, qui nobilissima est omnium creaturarum, ergò inferiores minus sunt adorandæ: ratio est, quia id quod magis videtur inesse non est, ergò nec id, quod minus videtur inesse, poterit inesse. Et superiorib. infertur nullam creaturã ab homine adorandam.

Deinde sancti Angelis non sunt digniores sed solùm dicuntur æquales Angelis à Christo, ergo adorandi non sunt: idem dici debet de Maria virgine, & cadit hîc discrimen illud duliæ & latriæ, & hyperduliæ, quia Angelus totum Deo reseruat, non igitur vlla distinctione patiamur illud. Et inconsideratè esset visus Angelus loqui, si latria solùm Dei esset, dulia autem sanctis posset impendi, idem non exprimendo: imò contrà hanc distinctionem apertè argumentatur hîc à sua conditione *tuus sum σύνδουλος* ergò me non debes dulia colere, sed de hoc argumento in locis diximus. Vide Epiphanium contra Collyridianos, & videbis quomodo Maria virgo coli debeat.

Vers. 11. *Et vidi cælum apertum.*

Secunda est pars capitis de Christi plena victoria contra omnes suos hostes, quia cum Antichristo contra Christi Ecclesiam militant: similia habes sup. ca. 14. in Ange-

3 Pars de plena Christi victoria. lo messore, & vindemiatore. Estque locus hic quoque quadripartitus: nam primo describitur persona Christi ducis ac imperatoris cum suo exercitu: secũdò prognosticum signum futuri prælij declaratur: Tertiò Christi antimachus breuiter depingitur: Quartò prælij euentus proponitur, pœnas impiorum continens. Ad harum rerum tractationem accedit notatione loci: videt enim iterum apertum cælum, suprà cap. 4. apertum fuit, & propositus consessus cælestis, interea variæ actiones exhibitæ sunt, ac animus abductus per diuersa: nunc se quodammodo colligit, reditque ad principalem scopum, ideo *videt cælum apertum*, h.e. res ipsas quasi coràm geri. Nobis non perinde in his mysteriis apertum est cælum, ideo per speculum illa saltem contuemur.

Postea sequitur Christi Imperatoris descriptio, cuius membra ordine perstringemus.

Descript. personæ Christi ducis ab habitu, titulis, officio, vestitu & aliis adiunctis. Primùm *albo equo vehitur*, more Imperatorum, qui magnos triumphos agunt, illi candidis niueísque vehuntur equis.

Secundò nomen eius est *fidelis, & verus*, illud in conseruandis suis promissionibus, posterius in cohibendis hostibus puniendísque huc pertinet, quod in versu 12. annotat nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, ἀπόρρητον significans nomen naturæ diuinæ: Deus enim per se nomine caret, & Plato etiam affirmat cælestia longè aliis appellanda vocibus, quàm humanis, quod à Iudæis habuit in Ægypto, qui nomen Dei Iehoua ineffabile dicunt esse. Huius naturæ diuinæ respectu dixit Christus Matth. 11. vers. 26. Nemo nouit Filium, nisi Pater, & Patrem nisi Filius, & cui voluerit is reuelare. Sic Matth. 16. dicit Petro, Caro & sanguis tibi non reuelauit. & sanè Angeli obstupescunt ad hanc mirabilem diuinæ & humanæ naturæ consociationem. Tertiò ad nominis notationem etiam pertinet, quod est v. 13. λόγος θεοῦ. Hic vides proprè illum loqui de Christo Domino, qui sermo Dei est, h.e. illius interpres, & legatus Ioan. 1. Quartò v. 16. iterum nominis facit mentionem, vbi dicitur, rex regum, & Dominus dominantium, quo significat Christum verè esse totius mundi monarcham, vnde ad Philip. 2. ver. 9. dicitur, Dedit illi nomen, quod est supra omne nomen. Hos titulos habuimus etiam suprà cap. 17. v. 14. & in 1. ad Tim. c. 6. v. 5. eosdem Deo Patri tribuit. Et hactenus nomen imperatoris nostri est declaratum.

Officiũ Christi. Tertiò officium illius describit, *iudicat iustè*, inde 2. Cor. 5. omnes dicimur ad tribunal illus statuendi: quia autem iustè iudicat æquitas nos reddit securos, deinde bellum gerit etiam iustè, id ad defensionem suorum pertinet.

Quartò facies eius describitur, *in facie enim oculi sunt, quasi stellæ, isti flammei sunt*, h.e. iracundi iudicis habent argumentum, id contra reprobos pertinet, quorum nequitia non latet Christi oculos.

Capitis ornatus. Quintò ornatus capitis, *diademata habet multa*, h.e. infinita potestate & maiestate præditus est: diadema enim regium est ornamentum, multa autem infinitam copiam ostẽdunt. Et fortasse allusit ad Antichristi morem, qui triplex gerit diadema, quasi perfectionis numero ementito: Christus contrà habet multa, quasi dicat, non ficto ternario numero, sed infinita maiestate illam hypocrisin delebit, Caueat igitur sibi illud triplex diadema ab infinitis Christi diadematibus.

Vestitus qualitas. Sextò *vestitus illius sanguinolentus est*, scil. ex hostibus occisis, quod est boni & strenui imperatoris ornamentum: sic apud Esa. 63. ornatur Messias, vel sanguinis proprij effusione, hostia enim pro nobis factus est, & in ara crucis humanum suum corpus, h.e. vestitum verè sanguine proprio tinxit, Huc pertinet locus Gen. 49.

Imperat. maiestas. Septimò imperij maiestas, est, *quòd exercitus cæli sequuntur illum*, h.e. verè est Dominus & Deus Zebaoth, quod Deo æterno verè congruit, & quia hîc Christo tribuitur Deus æternus declaratur. Porrò exercitus illi vel sancti sunt, vel omnia cælestium agmina, quæ pro gloria Christi impugnant Antichristi imperium. *Et sequuntur illum albis equis*, similis suos duci, & ob id cum illo triumphatores, *deinde bysso vestiti* innocentiæ argumento, vid. suprà ver. 8.

Potestas iudiciaria. Octauò potestas est, quia *gladius anceps egreditur ex ore eius*: idem cap. 1. vers. 16. de Christo dixit. Gladius ille explicatur ad Ephes. 6. vers. 17. quòd sit verbum Dei. sic ad Hebr. 4. vers. 12. dicitur viuus Dei sermo penetrantior quouis gladio acuto. Reliqua hîc adiecta desumpta sunt ex Psal. 2. Et ex Esa. 63. de torculari calcato. Et hæc ad personam imperatoris & eius maiestatem pertinent, quibus simul illustratur sociorum eius gloria & dignitas.

Vers. 17. *Et vidi Angelum stantem.*

Secundus locus est de prognostico signo futuri prælij, scopus est, Christum imperatorem cum suis plena victoria omnes impios, cum Satana & Antichristo deleturum

æternis pœnis. Hanc victoriæ certitudinem confirmat præsens narratio, de Angelo congregante auium agmina ad futuram cladem: videtur autem desumpta descriptio illa ex cap 39. Ezech. vbi simili pictura describitur victoria contra Gog & Magog, verba prophetæ sunt. Et tu fili hominis (hoc dicit Dominus Deus) dic omni volucri & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri, concurrite, properate, conuenite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël, vt comedatis carnem & bibatis sanguinem, carnes fortium comederis, & sanguinem principum terræ bibetis, arietum, hircorum, agnorum, taurorum & altilium. Quæ omnia commodè hic accommodauit Angelus, quando Gog & Magog Antichristi, de cuius interitu hic agitur, typus fuit. Cæterum forma descriptionis sumpta est ex communi consuetudine: nam historię tradunt, magnos exercitus, agmina coruorum, vulturum & similium rapacium auium solere interdum comitari. De Angelo adhortante aues ad prælium, quod est prognosticum victoriæ Christi.

Vers. 19. *Et vidi bestiam.*

Tertio loco describit Christi aduersarium cum illius exercitu. Bestiam accipio sedem Imperij Romani, quæ semper Christo sese opponit: vel certè ipsum diabolum, qui est Archidæmon, & verus Antichristus spiritualis, is regit reges terræ, & colligit copias semper contra Christum. Christi aduersarius.

Vers. 20. *Et apprehensa est bestia.*

Quartò sequitur belli euentus, breuiter inquit de illo, *& capta est bestia, & cum illa falsus Propheta.* Summa suauitate infinita complectitur, nec minus eleganter, quàm Virgilius cùm dicit, Et campos vbi Troya fuit, aut ille, Veni, vidi, vici. Ioannes elegantiùs contrahit prolixam narrationem, capta est bestia, vbi igitur magnus ille Spiritus, & animus ferox de conflictu magna somnians? vbi futurorum scientia? vbi astutia Satanæ? vbi auxiliares copiæ? Belli euentus, quo duo præcipui Ecclesiæ hostes capti sint.

Porrò duo capiuntur, *bestia & Propheta* eius, hoc est, Satan & Antichristus incorporatus, præcipuum organum Satanæ, successione perpetua in hac terra regnans.

Memini multos eruditos viros anno D. 1546. hæc interpretatos esse de bello tum præsente: ac bestiam capiendam esse in bello, hoc est, Imper. bello superandum & capiendum à protestantibus, simúlque falsum eius quendam Prophetam. sed euentus docuit falsam esse applicationem. Bestia igitur sit ipse Satan spiritualis Antichristus, & eius falsus Propheta, organum ipsius, incorporatus Antichristus, hi duo capientur à Christo illo nouissimo iudicio. De Propheta indicat *eum fecisse signa coram bestia*, hoc est, iuuante & cooperante Satana, insolita quædam facit, quibus dementat sapientissimos etiam homines, tanta vis est veneni apud illam Circen. Porrò repetit ex cap. 13. & 17. signa iurantium in verba obedientiam Antichristi. Et hoc ipsum crimen est, ob quod Satan, & Papatus in vnum stagnum coniiciuntur ad pœnas æternas. *Palus* seu stagnum indicat locum pœnarum satis esse capacem pro omnibus recipiendis: *ignis* autem seueritatem pœnarum exprimit, & *sulphur* fœtorem & dolorem punitorum indicat. Vid. Esa. 30. Mar. 9. v. 44. Matth. 25. Interpr. quorundam, de hac bestia & Propheta.

Vers. 21. *Et reliqui occisi sunt.*

More historico post victoriam facit pœnarum discrimen: nam dignum est autores defectionis grauiùs puniri, reliquis tamen non impunè ferentibus suum peccatum. Ita inducit Christum seuerissimè animaduersurum in diabolum, & illius Prophetam Antichristum. Sectatores interim illorum non impunè dimittentur, itaque non video quid illos iuuet pœnarum differentia, si quæ sit futura post hanc vitam: nam sensus est omnes illos irremissibiliter puniendos esse, nec iuuat miseros illos, quòd solùm capite aut gladio occiduntur. Et illi duo duces æternis ignibus deputantur, nam gladius hic quoque est æternum supplicium, nec est quod somnies, hos minores ob id priuari sensu dolorum, quòd hic dicantur gladio occisi, nam more historico irremissibile illorum esse peccatum declarat. Quom. Antichr. sectatores puniantur, per gladium sc. hoc est Christi verbum.

Porrò *gladio Christi occiduntur*, hoc est, verbo eius, quod est illa finalis & tristissima sententia, Abite maledicti in ignem æternum, qui vobis paratus est & diabolo, cui plus, quàm Filio Dei credidistis. Hic idem gladius præcipitat Satanam & Antichristum in ima tartara.

Vltimò, ait, *horum carnibus saturatas esse omnes aues*, scilicet quas versu 17. collegit ad hunc finem Angelus. Verùm quæri solet, quænam sint istæ aues, certum est enim impios non ab auibus consumendos post latam sententiam à Christo in nouissimo iudicio: manebunt enim corpora impiorum in æternum, vt semper cum animalibus dent pœnas, Hic alij aliud sequuntur, mea sententia est, aues illas nihil aliud esse, quàm malos Spiritus, qui ad hanc lanienam destinati sunt, sunt illæ immundæ aues & har- De auib. impios deuoraturis variæ interpretat.

pyiæ,quæ cædibus etiam in hoc seculo delectantur, hi carnifices quodammodo erunt impiorum. Nec interim ipsi illi mali Spiritus suis cruciatibus carebunt, adeò vt communis pœna omnes illos,& malos Spiritus & reprobos homines sit implicatura.Sitne autem in his ærumnis aliqua futura differentia,& quasi gradus, Dominus ipse nouerit iudex horum.is præseruet nos ab illo miserando & tetro spectaculo,Amen.

CAPVT XX.

Nexus huius c. cum superiori.

Ὑπόθεσις.



Caput hoc pertinet adhuc ad superiorem sextam visionem, continens Satanæ pœnas per interualla repetitas, tandem sine omni fine continuandas.Porrò magna subest obscuritas, quæ defatigauit omnium ætatum acutissima ingenia, & inter illa quædam non contemnenda in errorem pertraxit: facit enim mentionem mille annorum, sub quibus Christus cum omnibus piis sit regnaturus in his terris, ligato fortiter Satana, vt piis nocere non possit, post quos annos iterum soluendus sit modico tempore, hinc noui motus,bella,cædes, & militares pugnæ, quibus iterum præparatum sit nouum & vniuersale iudicium,sine fine decernens pœnas impiis,& præmia iustis.Tria igitur primaria hîc docentur, tempus mille annorum: alterum tempus illud breue, quo soluendus est Satan elapsis mille annis,ac quis eo tempore sit status futurus in mundo. Tertiò de generali omnium iudicio, ex quibus primum iam membrum explicabimus, de rerum statu sub mille illis annis. Summa est, diabolum ad tempus Christi virtute esse constringendum, vt non possit quantum velit, vt hactenus fecerat hominibus seducendo nocere.

Propositio.

Ordo & partes.

Hæc omnia isto explicantur ordine, primùm indicat pœnarum istarum ministrum, *Angelum* scilicet *de cælo descendentem*:secundò organa pœnarum, *clauem & catenam*:

Tertiò mancipium pœnarum,*diabolum*:

Quartò tempus durationis *mille annos*:

Quintò formam,*abiecit illum in abyssum,clausit & obsignauit:*

Sextò finem addit,*ne seducat amplius gentes:*

Septimò quid post elapso 1000.annos futurum sit,*breui tempore soluetur iterum*.Atque ista omnia ad pœnas spectant, contrà huic membro opponit statum rerum sub illo Saturnino & aureo seculo, quæ sit futura piorum conditio, quæ item impiorum, tandem ardenti epiphonemate exclamat in commendationem piæ vitæ, de quibus ordine agemus.

Vers. 1. *Et vidi Angelum.*

Noua visio de pœnis in diabolũ, & Antic.

Primi loci membra ordine,quemadmodum indicata sunt persequitur, ac sciendum est repeti, quasi in comedia nouo actu ea, quæ ad pœnas diaboli & Antichristi pertinent,idque totum noua quadam visione,nouis etiam adhibitis personis. Nam initio nouus Angelus inducitur,qui supplicium irrogatum exequatur. *Angelus* igitur *de cælo descendit*,h.e.diuina autoritate Satan constringendus est, quia non cedit, nec Angelus, nec hominibus,ideo cælitus mittitur illi quasi carnifex. Quæri hîc solet,quis sit ille Angelus,alij Apostolos hunc faciunt,munus docendi in genere,ad quod qui diuinitus vocantur,cælo rectè dicuntur descendere, habéntque potestatem ligandi & soluendi planè Angelicam à Christo sibi traditam.

Sentent. duplex quis per hunc Angelum intelligatur.

Altera est sententia,quæ & mihi commodior videtur,Christum ipsum hunc Angelum esse:nam quod Apostoli & pij ministri ligant & soluunt, hoc non nisi Christi imperio faciunt:itaque in his etiam Christus ligat, & sine illis, Christus autem descendit de cælo homo factus & incarnatus, à quo tempore verè cœpit iste fortis ligari & spoliari atrium eius,vt est Matth.12. Deinde affert Christus secum organa idoneo & sufficientia ad tantas pœnas,*clauem scilicet & catenam*:clauis potestas est æternorum suppliciorum,quod ius soli etiam competit Christo,nec vllis ministris, nisi limitata potestate:catena verò firmitas est,& infractum robur pœnarum in omnia secula.his instructus venit Christus in hunc mundum natus.

2. Organa pœn.

3 Mancipiũ pœn.

Tertiò exprimitur mancipium pœnarum,*draco*, qui nomen habet ab astutia & circunspectione,quod significat verbum δέρκεσθαι ὄφις in eandem sententiam inclinat,nam ὀπτεῖν etiam videre,quod δέρκομαι significat quoque. *Antiquus* autem *est*, quia antiquissimæ historiæ hunc ipsum exprimunt Genes. 3. Is est diabolus & Satan, de quibus suprà 12. vnde hæc repetita hîc sunt. Hunc hostem hic *capit*, hoc est, incipit illum eiicere, quemadmodum scribitur Ioannis 12. vers. 31. quæ omnia aptissimè Christo tribuuntur.

Quartò

Quartò tempus durationis exprimit, *mille annos*. Hic locus effecit, vt multi putarent hunc librum non Apostolicum esse, sed à Cerintho ipso, vel alio praui dogmatis homine fuisse conscriptum, & Ioannis nominis Ecclesiæ obtrusum: nam Cerinthus hanc ipsam doctrinam Chiliastarum primus in Christianismo videtur sparsisse, de quo videre est apud Euseb. lib. 3. c. 28. & lib. 7. cap. 23. 4. Tempus durationis. Chiliastarum primus fuit circa annum Domini. 88.

Quæ tamen sententia pridem quoque est refutata. itaque dicamus de horum annorum opinionibus, an fortè hac via in veritatis cognitionem perueniamus. Dicti sunt, qui hæc tuentur Chiliastæ, & Latinis Millenarij. Augustinus miliarios tamen maluit appellare. In hoc censu fuerunt ferè omnes ante Hieronymum & Augustinum, quorũ quidem scripta extant. Et ex illis stabant etiam insignes quidam martyres, qualis fuit Iustinus Martyr, qui in dialogo contra Typhonem expressam hanc sequitur sententiam, cuius verba sunt, Ego verò vt si qui sunt alij ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Christiani, & carnis resurrectionem credimus, & mille annos, & Ierusalem ædificatam, ornatam & ampliatam. Mox citat in hanc sententiam cap. 65. de nouo cælo, & noua terra, & paulò infrà hunc locum ex cap. 20. Apocal. de mille annis, post quos tandem vniuersalis, integra omnium futura sit resurrectio in æternum duratura. In eadem sententia fuit Irenæus, vt publicè de illo fertur, quanquam expresse de illo collegi non possit lib. 5. cap. 23. Tertullianus apertius huic opinioni astipulatus est, vt testatur locus libr. 2. contra Marcionem. Luculenter quoque hanc tuetur Lanctantius ille Firmianus libr. 7. cap. 24. citans Sybillina carmina in eandem causam. Atque illi ferè sunt veteres, quorum scripta adhuc extant, vt de his minus dubitari possit, quid senserint. Alij ex vetustate supersunt, quorum scripta non extant, tamen primi hanc opinionem induxerunt, ex quibus in primis meo quidem iudicio fuit Cerinthus homo impurus, tempore Ioannis viuens. Alij minimè mali, & fortè alio etiam sensu idem videntur dixisse, qualis fuit Papias ille apud Euseb. lib. 3. cap. 39. Nepos Ægyptius, & Coration. Euseb. lib. 7. capit. 22. Apollinaris & Victorius Pictauinensis, de quibus scribit Hieronymus, in illorum censu reputantur. qui Chiliastæ dicti sunt, durauítque ferè illa sententia ad tempora Hieronymi & Augustini, quanquam apud veteres semper fuerint, qui illos strenuè oppugnarent, qualis fuit Dionysius & alij. Sed quia illorum scriptis destituimur, ad Hieronymi & Augustini ætatem peruenimus, hi enim acriter eos refutarunt. Hieronymus multis locis, vt fabulam Iudaicam irridet, vt in ca. 54. Esa. & eiusdem Prophetæ capit. 55. 60. in procemio lib. 18. in Esaiam, Item in capitis 66. interpretatione. Et in Ierem. capit. 31. In quæstionibus quoque ad Hedibiam quæstione. 2. item in vita Papiæ, item in capit. 37. Ezech. ad finem & initio cap. 38. eiusdem, item in cap. 36. Ezech. initio statim, & cap. 39. Et in cap. 4. Micheæ Prophetæ. vid. Tom. 6. & cap. 14. Zachar. eiusdem tomi. Idem tamen Hieronymus in explicatione capit. 19. Ierem. ad finem, ait se non audere damnare, quòd multi Ecclesiasticorum virorum & Martyrum hoc dixerint, adeo tribuebat multum vetustati, sed huic metui opponenda est certitudo veritatis. August. lib. 20. capit. 7. 8. 9. alijsque locis eandem opinionem refutat, ac ostendit duplici sententia locum hunc in Apocalypsi accipi posse, prior est quòd in vltimo millenario res sit sic peragenda, hoc est, sexto miliario die, cuius nunc spatia posteriora voluuntur. Altera vt à parte totum intelligatur, hoc est, vt mille anni pro toto spatio mundanæ durationis accipientur, ideo cap. 8. ait, alligandum Satanam toto tempore, soluendum autem tribus annis & dimidio, sub finem mundi, vt omnibus viribus sæuiat. idem sensit capite 19. eiusdem libri scilicet regnum mille annorum esse totius vitæ, in quo tempore martyres regnant, etiam deinceps regnaturi.

Chiliastæ qui & vnde dicantur.

Qui primi Chiliastarũ patres fuerint.

August. sentent. duplex de mille nario numero.

Ex nostri temporis scriptoribus ferè omnes priorem Augustini sententiam sequuntur, hoc est, quòd res vltimis mille annis sic sit peragenda: variant tamen hic quoque, alij enim initium mille annorum capiunt ab ipso visionis tempore, incidúntque in auctum per Otthomanos imperium Turcicum per illos mille annos, hoc est, à scripta visione, vsque ad imperium Turcicum visus fuit ligatus Satan, si priora & posteriora tempora respicias. Alij à resurrectione initium faciunt, à quo tempore per annos 100. Satan, quasi conticuerit, vt non potuerit ita potenter, vt prius & deinceps, gentes seducere. Malim sanè ego ab ipso nato Christo initium constituere, nam narrationi meliùs quadrat: descendit enim Angelus de cælo, & immediatè cœpit ligare Satanam, vt Christus inquit, iam tum se vidisse illum de cælo cadere, tanquam fulgur, ligatus ergò est iam tum ille fortis armatus, durauítque illa robusta ligatura per annos mille, hoc est, vsque ad tempora Otthonis tertij, quando cœperunt imperatores iam coronari à Pontificibus, & confirmari: Inde ite-

Sentẽtia scriptorũ nostri temporis, de mille annis.

Ipsius autoris sententia. de his annis.

rum igitur potenter solutus Satan, nam Scriptura canonica cepit vilescere, & facti sunt authentici patres, sententiarij, scolastici scriptores, & laicis interdicta fuit lectio sacrarum literarum, adeo, vt clerici bona parte ignorarent Scripturam, imò quid Biblia essent ignorarent. Illo modico tempore, hoc est, quingentis annis & circiter, potenter inualuit, adeò vt idololatriam sub specie religionis, & venerationis sanctorum induxerit, & simul omnia vitia, qualia olim in gentilismo viguerant: mox illud μικρὸν etiam est factum, nam nostra ætate iterum proditur Satan & ligatur iterum potentia Christi & doctrina veritatis. Hic mihi sensus in primis arridet, libuit tamen omnia altiùs repetere, vt constaret, quomodo boni viri etiam in hoc loco enodando sudarint, singuli secuti sint probabilia, qualia etiam nostra fortè erunt: viderit lector, quid rei optimè conueniat, & id sequatur, nos vnde digressi sumus reuertamur.

Vers. 3. *Et coniecit illum in abyssum.*

5. Forma & locus supplicij. Quintò loco addit formam explicans locum supplicij. In abyssum abiecit, hoc est, in fœdum locum, & tenebras exteriores, vt Christus vocat. Deinde *ibi conclusit illum*: huc faciebat clauis, ac loquitur more humano, muniti enim carceres claue aperiuntur & clauduntur, præterea sigillo impresso muniuit locum, adeò vt nulla fraus hic possit committi.

6. Finis pœnarũ. Sextò finem etiam addit pœnarum, scil. publico bono fieri, *ne impostor possit amplius seducere gentes*, h.e. quemad. priùs fecerat nondum nato Christo: potenter enim tum regnabat. Sic finitis mille annis iterum modico tempore validè grassabitur, quod factum est in scolastica doctrina & disciplina.

7. Satanæ liberatio quæ tamen breuis erit. Septimò finem malorum indicat & releuationem vinculorum. In millenario Apostolica doctrina fuit solùm authentica, sed hinc mox nobis obtrusi sunt Patres & sententiarij, & scriptura neglecta. Hoc prædicit in præsenti loco, tamen consolatorium est, quia breuis ille furor est, respectu scilicet prioris tyrannidis ante natum Christum, ideo breue est, & hodie videmus iterum Satanam constringi, vt verè modicum fuerit illud.

Vers. 4. *Et vidi thronos.*

Beatus fidelium status post victum Satanam. Hactenus de pœnis impiorum, nominatim de coercendo Satana, ne tam petulanter exerceat tyrannidem: nunc contrà describit statum fidelium sub illo aureo seculo. Primùm martyribus Christi tribuitur iudiciaria potestas, quam exercent illis mille annis, h.e. sana doctrina, quæ de Christo testatur, illa sola est authentica. Nominat autem securi percussos, h.e. omni genere suppliciorum sublatos: nam Apostoli, quorum hoc regnum est, omnes iam erant variis tormentis è medio sublati, isti igitur & similes in eadem causa occisi imperium tenent. Deinde latiùs explicat, qui isti sint testes, *qui bestiam non adorarunt*, hoc est, imperij autoritate non sunt deterriti, *nec imaginem eius*, hoc est,

Quales sint testes Iesu. nec à Pontificibus sunt seducti, qui autoritatem imperij renouarunt, *nec admiserunt characterem eius nec frontibus nec manibus*, hoc est, nec professione externa, nec consensu, *hi*, inquam, *hoc tempore reuixerunt & regnarunt cum Christo*, hoc est, iusta illorum causa deprehensa est, & palàm sancti sunt pronuntiati & habiti. *Reliqui* autem, qui professionem Christi non tenuerunt, *non reuixerunt*, hoc est impij & mortui sunt in sua impietate, sic quoque mali nominis & notæ manserunt toto illo tempore mille annorum, ac deinceps tales mansuri sunt, nam illud ἕως pro nunquam accipio.

Duplex resurrectio. Addit rebus illustrem explicationem, *hæc est prima resurrectio*: duplex igitur est prima, de qua iam dixit, est vera ad Christum conuersio, seriò acta pœnitentia, & est hæc solùm piorum, in hac nihil habent impij commune. Altera est corporum, eritque omni carni, h.e. bonis & malis & communis futura in nouissimo iudicio.

Vers. 6. *Beatus & sanctus.*

1. resurr. descript. & celebratio. Ἐκφώνησις est, qua erumpit in laudes beatæ illius conditionis, quæ pios martyres sequitur post tot tormenta & ærumnas. Fecit autem statum hunc felicitatis communem multis, qui Martyrio quoque non sunt coronati. igitur & alij seriò ad Christum conuersi huc pertinent.

Mors secunda. Mors secunda est illa æterna damnatio, quæ solos impios premit, ab hac immunes sunt illi seriò conuersi ad Christum. Est igitur prima quoque mors, hoc est illa naturalis communis omnibus, cui respondet secunda resurrectio.

Ἀνακεφαλαίωσις. Vers. 7. *Et quum expleti fuerint.*

Hactenus diximus de statu rerum sub imperio mille annorum, tum quod attinet impios, tum pios: ac quod priores attinet pœnas proposuit æternas, in quibus ista explicuit.

explicuit, ministrum pœnarum, Angelum scilicet, deinde organa pœnarum clauem & catenam, tertiò mancipium pœnarum, quartò tempus mille annorum, quintò locum, abyssum, sextò modum, obsignauit, septimò finem, ne seduceret ampliùs gentes, octauò spem solutionis, ad breue tempus iterum soluetur. His statum piorum descripsit, qui per mille annos cum Christo sunt regnaturi, ac præcipua loci huius difficultas posita est in illo annorum regno, ideo contulimus sententias, vt quid probabilis in omnibus esset perspici posset: & Chiliastarum sententiam damnandam censuimus, quamuis pij viri, nec non constantissimi Martyres inter eos fuerint. Et quia multorum scripta hac de re interciderunt, duplicem instituimus ordinem, prioris sunt qui tempora Apostolorum adhuc attigerunt, eisque proximi fuerunt, qualis Papias, Nepos, Corarion, Cerinthus: secundi ordinis sunt, quorum scripta ad nos peruenerunt, vt est Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Lactantius. His omnibus opponimus saniora iudicia Hieronymi, Augustini, Dyonisij & aliorum, qui veritati magis consonam quærunt in his annis interpretationem: variant tamen isti, sed solùm in principio constituendo millenarij, alij enim à tempore visionis, alij ascensione initium sumunt. Nos illis relictis, ab ipsa natiuitate censemus pricipium petendum, & continuandi sunt illi mille anni vsque ad tempora Otthonis tertij, quo toto tempore Satan, non ita potenter ampliùs potuit seducere homines, cùm in Ecclesia Christi solùm valeret Scriptura Canonica. His autem elapsis, contempta Scriptura traditiones inualuerunt, de hoc igitur iam deinceps agitur. Itaque secunda hæc est pars capitis, quis scilicet rerum status futurus sit post mille annos, dixit igitur Ioannes, *Et cùm finiti fuerint mille anni, soluetur Satanas ex carcere suo:* carcer Satanę est quicquid furores illius impedit, h. e. Dei misericordis decretum, quo patefecit mundo Filium suum quo agnito homines desierunt consulere idola gentium. Soluitur igitur Satan ex illo carcere, dum redit mundus ab vnius Christi cultu, & inuocatione ad sanctorum venerationem, id palàm factum est post mille à Christo nato annos: tum enim patres & co[n]cilia Ecclesiæ obtrusa sunt, sententiarij quoque & scholastici scriptores paulatim inu[al]uerunt, & testamenti vtriusque libri in contemptum venerunt, adeò vt magni doctores & Episcopi nescirent, quid essent Biblia. Hinc natus cultus sanctorum, peregrinationes ad diuorum sepulchra, vt olim ad oracula deorum gentilium, adeò vt nulla prouincia, nulla Respubl. nulla ciuitas, nulla quoque domus & familia esset, quæ non haberet in cęlo aliquem patronum pręter Christum omnia etiam elementa, morbi, herbę, animalia, homines singuli suos deputatos deos tutelares haberent, non secus, quàm antè natum Christum Ethnici factitarunt. Hinc simul irrepserunt in Ecclesiam Christi antiqua vitia, idololatria, scortatio, lupanaria publica, Bacchanalia, saltationes, tripudia ad musicam, cantus obscœni, fœdique alij mores: in religione verò mille dogmata à Scriptura aliena, in quibus omnibus potenter iterum regnauit Satan. Sed durant illa, & suprà dixit ad modicum tempus, nam ad quingentos annos ferè durauit illa corruptela, quando mox excitati viri boni, fraudes diaboli & Pontificium detexerunt, vnde iterum in angustum redigitur Satan.

Duo Chiliastarũ ordines

2. Pars c. de statu futuro post mille annos.

Origo superstitionũ & vitiorum.

Vers. 8. *Et exibit vt eripiat.*

Persequitur conatum fallendi, in quo ostendit mirabilem fore successum, & quia suprà eo fine conclusus fuit, ne scilicet amplius ita potenter falleret mundum, ideo nunc solutus ad ingenium redit, abit vt decipiat. Addit autem, quæ ad fœlicitatem conatuum pertinent, *in quatuor plagis terræ*, hoc est nemini parcet, omnes tentabit, & conabitur erroribus suis inficere, quod etiam obtinebit. Deinde erroribus imbutos inflammabit furoribus bellicis, vt sese arment contra veram Christi Ecclesiam, quò facit, quod de *Gog & Magog refert*. Locus desumptus est ex Exech. 39. Iudæi per Gog regem intelligunt, per Magog populos: fuit autem Magog de filiis Iaphet, vt est. Gen. 10. quid ad Septentrionem sunt propagati ad Caspios montes, vnde dilati sunt successu temporum in omnes orbis partes, hinc Scythæ, Tartari, aliique Barbari populi, Hunni, Vandali, Gotthi, qui omnes ex Septentrione effusi, Europam, Africam, & Asiam impleruntsæpe, & hinc inde sedes quæsiuerunt, ideo arenæ maris confert, quòd infinito numero omnia compleuerint, vnde rectè Septentrio officina gentium dicitur. Hinc enim orti sunt Turcæ, qui Sarracenis imperium eripuerunt. Itaque Magog accipio pro Turcica tyrannide, quæ planè defecit à Christi professione: sonat enim Magog detectum, reuelatum, q. d. manifestarium Christi hostem, & omnis pietatis. Gog verò indubie est Pontificia carnificina, quæ adhuc tecta est, h. e. nomen retinet Ecclesiæ Catholicæ, & hypocrisi omnia sua celat.

Satanæ studium fallendi mundi.

Per Gog & Magog qui intelligendi.

Sensus igitur est Turcas & Pontificios furoribus inflammabit contra veram Chri-

sti Ecclesiam, hinc effundentur super latitudinem terræ, hoc est, longè latéque dominabuntur isti duo tyranni, Pontifex, inquam, & Turca, hoc est, occulti & aperti Christi hostes circũdabunt castra sanctorum, hoc est, veram Christi Ecclesiam in angustum redigent, & vrbem dilectam, non Ierosolymam inuisam Deo iam, sed Christi sponsam, cælestem illam Ierusalem, de qua ad Galat. 4.

Vers. 9 *Et descendit ignis à Deo.*

Locus de Ecclesiæ protectione. Dixit de felici successu in spargendis erroribus, iam addit locum de diuina protectione. Deus defendit in summis periculis Ecclesiam suam, itaque ex improuiso franguntur hostium vires, & liberatur Ecclesia à tyrannis illis & harpyis. Ignis igitur de celo descendens est nati Dei vindicta, suos liberantis, & contrà hostes Ecclesiæ mirabiliter delentis peste, fame, subita morte aliisque modis, prout Deo visum fuerit.

Vers. 10. *Et diabolus qui seduxit.*

Diaboli ruina. Ostendit illud breue tempus tristissima catastrophe esse finiendum: nam diabolus solutus mox iterum constringitur, ac præcipitatur in locum pœnarum, quò suprà cap. 19. iam detrusa est bestia & eius falsus propheta, hoc est, maiestas illa externi imperij & splendor hypocriticæ religionis, imperium & Papatus, his tertius accedit Satan suasor illorum.

Vers. 11. *Et vidi thronum.*

Locus de iudicio nouissimo ac primùm Maiestas iudicis. Tertia pars est capitis, de nouissimo iudicio, cuius aduentus terminabit superiora omnia. Initio describit maiestatem iudicis Christi, qualem ferè habes Dan. 7. *Thronum candidum* tribuit illi, eadem ratione, qua suprà cap. 19. cãdidum equum, & cap. 14. candidam nubem. Deinde ad maiestatem pertinet, *quod cælum & terra contremiscunt in conspectu eius*, adeóque fugerent si possent *& locus eorum non reperiretur*, hoc est, non apparerent, nullibi reperirentur, ne ad tribunal sisterentur: nam quorum locus non reperitur, illa latent & occulta manent, non tamen absurdus est sensus, illa fugere ἐκ τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἀφθαρσίαν, sed magis coactum est, superiora magis terrorem elementorum declarant, & animum ad fugam paratum, ne sisterentur tanto iudici.

2. Qui iudicandi. Secundò loquitur de iudicandis hominibus, *Vidi inquit, mortuos paruos & magnos*, hoc est, omnis conditionis, ætatis, & sexus homines, sic 2. Cor. 5. dicitur, omnes sistemur ad tribunal Christi.

3. Quæ sit regula iudicij. Tertiò expressæ sunt leges iudicij, secundum quas sit pronunciaturus iudex, *Aperti sunt*, inquit, *libri*, q.d. ex scripto, hoc est, infallibilis pronuntiabitur sententia: nam in iudicio cùm aperiuntur libri, solet quæri lex & constitutio, secundum quam iudex ferre possit sententiam. Aperiuntur igitur libri, hoc est, conscientiæ patefiunt, secundum quas damnabuntur impij. Ideo mox addit, *& mortui iudicati sunt, secundum scripta in libris secundum opera illorum*, hoc est, propria conscientia damnantur: nam conscientia cuiusque liber est infallibilis, quo conseruantur, & annotantur à Satana omnia delicta, & vtut iam tecta sit, h.e. clausus sit liber iste, tamen aperietur in illo generali iudicio, quod debet facere ad cohibendam peccandi libidinem. His libris infaustis, alius est oppositus boni ominis liber, vitæ scilicet, qui etiam aperitur, & ex illo iudicantur electi: is est infallibilis Dei memoria, & æterna ad vitam electio, de quo supr. cap. 3. v. 5. & alibi diximus, illius fit mentio etiam infrà cap. 21.

Liber vitæ.

Vers. 13. *Et dedit mare.*

Locus de futuro generali iudicio. Quartò loco ostendit generalem fore etiam resurrectionem: *mare enim reddit mortuos suos*, h.e. qui in aquis perierunt restituendi sunt vitæ, & quorum cineres post mortem in aquas abiecti sunt, quales sunt cineres Hussi & aliorum. Deinde *mors suos etiam reddidit*, h.e. quacunq. tandem specie mortis absumptos, quales sunt strangulati, exusti, decollati, discepti à feris & hominibus. Tertiò *infernus suos etiam reddidit*, h.e. iusta morte discedentes, quos cepit sepulchrum, qui humati sunt honestè, eos reddit sepulchrum, *hi omnes* eadem formula, h.e. *secundum opera iudicantur.*

Vers. 14. *Mors & infernus abiecti.*

De reproborũ damnatione. Quintò redit ad damnationem impiorum. Suprà iam tres primarias personas copulauit, in pœnarum qualitate, diabolum, bestiam, & Pseudoprophetam, his iam accumulat mortem & infernum: sunt enim illi vltimi hostes, etiam tandem è medio tollendi, vt est 1. Cor. 15. His aggregabuntur omnes reprobi, quorum nomina non sunt reperta in libro vitæ: orandus igitur sedulo est Christus vt nomina nostra huic libro scribat, vt in illa vniuersali resurrectione ex illo beatissimo libro etiam nostra recitentur nomina, quæ vnica erit salutis via.

CAPVT

CAPVT XXI.


VÆ hactenus dicta sunt, cõtinent variam Ecclesiæ fortunam, in his terris militantis, & quamuis sæpe vincatur & superetur in tot congressibus cum Satana, tamen finalis tandem victoria ipsi debetur, ideo superiora omnia finiuntur æterno impiorum supplicio, ideo primarios hostes in stagnum ignis dixit coniectos, quales sunt, Satan, bestia, pseudopropheta, mors & infernus: cum his tamen ostẽdit damnandum in æternum, reliquos omnes, qui in suis peccatis moriuntur. Nunc tandem ingredimur septimam & vltimam visionem, quæ complectitur superiorum omnium τὰ ἑπόμενα hoc est, descriptionem felicissimi status, quem pij omnes post hanc vitam habituri sunt. Vtitur autem quadam suffiguratione, nam inducit ciuitatem quãdam cęlestem, omnibus numeris absolutissimam, in qua ciues ter beati suauissimè viuunt. Ac distinctæ sunt hoc capite res in tria ferè membra: primò enim proponitur rerum omnium generalis renouatio, quam mox ad Ecclesiam variis nominibus applicat, exprimens conditionem piorum, & contrà conditionem impiorum post hanc vitam. Deinde visione repetita Angelus monstrat Ioanni sponsam Agni: videt autem iterum ciuitatem illam felicissimam, quam per partes præcipuas describit. Ὑπόθεσις. Diuisio & partes.

Tertiò eandem ciuitatem metitur Angelus, in qua dimensione repetuntur priores eius partes, ac illi plures adduntur: quæ omnia felicitate, & puritate incolarum finiuntur. Propositio est tandem aliquando omnia renouanda in sanctorum vtilitatem, vt tandem ad plenum renouati, plena in æternum fruantur felicitate. Propositio.

Vers.1. *Et vidi cælum nouum.*

Primus locus est de rerum omnium innouatione, hanc infert à præcipuarum partium natura, quæ sunt cælum & terra, hinc valet ad totum collectio: si enim cælum & terra, ergo totum hoc renouabitur, quod cælo & terra extremísque continetur partibus. Ad argumenti certitudinem pertinet autoritas Ioannis, qui hæc iam renouata vidit, nos de hoc aliàs copiosius diximus vide locos quoque. Porrò Ioannes addit rationem à contrario, quia inquit, primum cælum, & prima terra abierat, hoc est, alia eius iam videbatur facies, vt diceres verè aliam esse, quo videtur interpretari illud c.20.ver. 11. A facie eius fugit terra, h.e. ἐκ τῆς φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν: nam ἠθοποιΐα est, qua irrationali creaturæ tribuitur pudor & metus, quem ex sui imperfectione & corruptibilitate contraxit. Hunc pudorem plenè deponit in sui renouatione, adeò vt dixeris aliam esse terram & aliud cælum, cùm reuera eadẽ sint, solùm deposita corruptibilitate, vide locum de interitu mundi. Et addit, *mare quoque non amplius fuisse*, quod accipio de rerum confusione & mutabilitate, quæ in primis cernitur in mari: nam certum est, quòd elementum aquæ mansurum sit, vt reliqua, ignis, aër & terra, colliquescent tamen hoc est, vt loquitur Petrus 2. Epistola 3. ver. 10. vbi mox nouos cælos & nouam terram nos expectare dicit, secundùm promissionem, in quibus iustitia habitet, illa desumpta sunt ex Esa. 65. v. 17. & 66. v. 22. Et quia noua erunt nostra habitacula, cælum, inquam, & terra, consequens est, nos quoque esse innouandos: in hæc incumbamus igitur studiosè: vt illa iustitia, quæ cælos nouos inhabitatura est reperiatur in nobis, illa est non nostra, sed Christi nobis applicata. quemad. scribit Apostolus ad Philip. 3. v. 9. De futura rerum omnium innouatione post vltimum iudicium.

Vers.2. *Et ego Ioannes vidi vrbem.*

Secundò loco renouationem iam applicat ad ipsum corpus Ecclesiæ, vt intelligas non solùm hanc rerum machinam in melius restituendam, sed etiam ipsos pios, ad quorum felicitatem illa omnia respiciunt. Hanc etiam muniuit sua autoritate, quod illam scilicet viderit, vt quid non credes tanto testi? Deinde expende hîc nomina Ecclesiæ renouatæ, quibus gloriosè ornatur, primum dicitur ciuitas, scilicet propter iura communia: vt enim in his terris liberæ ciuitates communi vtuntur iure, sic Ecclesia communi fruetur felicitate ac ponitur πόλις pro contento, hoc est, cœtibus ciuilibus. Deinde *sancta est*, hoc est, sanctissima Christi sanguine & repurgata, vt est Ephes. 5. deinde qui à terrenis ad cælestia aspirat. De noua Ierusalẽ restaurationem adumbrante.

Tertiò *Ierusalem*, quia vetus illa Palestinæ Ierusalem Deo fuit coniuncta fœdere, hæc nostra vnita est Christo arctissimo vinculo, & verè continebit populum Dei non mixtum malis. Collatio veteris & nouæ Ierusalem.

Quartò noua erit designans eam Ierusalem ab illa Palestinæ, nam vetus est illa, hæc verò noua. Quintò *descendit de cælo à Deo*, à causa efficiente describit illam: veterem illam Palestinam condiderant Iebusæi, quam illis ereptam Dauid cultui Diuino consecrauit, & Salomon templo ornauit: sed hanc nostram Deus ipse condidit in cælis, ideo

ne sommiemus lapideam vrbem, sed omni donorum Sp.S. varietate ornatum cœtum sanctorum, vide Gal.4.ver.26. Ierusalem; quæ sursum est. Sextò *præparata est* virtutum & donorum Dei multiplici gratia. Septimò, *vt sponsa ornata.* itaque ciuitas sponsa est h.e.Christi Ecclesia, vide Ephes.5.v.27.& suprà c.19.v.7.& 8.

Vers.3. *Et audiui vocem magnam.*

De Angelorũ admiratione ob cõiunctionem Ecclesiæ cũ Deo.

Tertiò subiicitur renouationis Ecclesiæ approbatio per admirationem Angelorum nam vox illa magna de cælo audita indubiè est Angelorum cõgratulatio admirantium tam mirabilem Ecclesiæ & Dei coniunctionem, quam nulla lingua exprimere satis potest. Admirantes Angeli igitur dicunt, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus* Moses Leu.26.tabernaculum præsentiæ diuinæ in suo populo, voluit esse perpetuum symbolum, hinc Ezech.37.ver.27.Dominus inquit, Et erit tabernaculum meum in eis, & ego ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, quæ huc commodè transferunt Angeli. Est autem verum Dei tabernaculum Christus Dei Filius, is erit cum hominibus in illa ciuitate, qui singuli & vniuersi quoque templum Dei sunt 1.Cor.3. ideo in illo templo verum Dei tabernaculum aliquando videbimus, hac ipsa admiratione & cõgratulatione.

Vers.4. *Et absterfurus est Deus.*

Gaudiũ piorũ in felici vltimi dei statu.

Pergunt Angeli beati commemorare felicissimum hunc sanctorum statum, ac faciunt hoc remotione earum rerum, quę in his terris nobis solent esse tristissimę & molestissimæ, ex quarum remotione, facilè animus hominis concipit contraria bona inferri: nam regula illa de contrariorum natura naturæ impressa est, vno sublato, alterum contrariorum ponitur. Primùm inquiunt, *absterfurus est Deus omnem lacrymam ab oculis illorum,* fletus argumenta sunt lachrymæ expressa, his sublatis succedent contrarij effectus 1.animi læti argumenta, qualia sunt, risus frontis & faciei hilaritas. vid.sup.7.v.17. Esa.25.v.8.Deinde mors non erit ampliùs, ergo vita erit, quæ ei est opposita, tolle mortem, dabis vitam: tertiò *neque luctus erit,* erit igitur letitia & gaudium perpetuum: quartò *nec clamor,* igitur quies rerum conseruatio, tranquillitas: clamor enim animi dolentis est expressa tandem vox luctuosa, qualis est in tragœdiis: quintò *neque labor,* erit igitur integritas virium, sine vlla defatigatione & molestia.

Vers.5. *Et dixit is qui sedebat.*

Christi vox omnis renouationis causa.

Quartò renouationis omnium profertur autor: & prima causa: vox est Christi, qui vt creator omnia renouabit, quemad.hîc loquitur. Locus videtur sumi ex Esa 43.cap.v. 19.Ecce ego facio noua, & nunc orientur. Loquitur autem Dominus de totius creaturæ renouatione, in qua principalis habetur ratio Ecclesiæ suæ, ideo eandem sentẽtiam Apostolus 2.Cor.5.v.17. ad nouam creaturam in sanctis applicuit, siquis est in Christo noua est creatura, vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Deinde quòd iubet hæc scribi ad certitudinem rei pertinet, ostendit Christus, quanti faciat posteritatem, cuius bono hæc annotari voluit. Similia habes sup.19.v.9.

Ver.6. *Et dixit mihi.*

Confirmat Christus suis verbis renouationem de qua suprà.

Christus seipsum patefacit Ioanni ad rei certitudinem: nam oratio conuersa ad Ioannem indicat superiora in genere pronuntiata de rerum renouatione: nunc verò instituta apostrophe maiorem efficit certitudinem, quò facit etiam orationis cõcisa breuitas, *factum est,* de quo vide suprà c.16.v.17.Ego sum α & ω, principium & finis, explicata sunt capite 1.v.8.

Promissio Christi de gratuita iustificatione.

Tertio loco subiicitur promissio Christi pertinens ad statum piorum illustrandum *dabo sitienti ex fonte aquæ viuæ,* quod Esaias 55.dixit omnes sitientes, venite ad aquas, & qui non habetis pecuniam, venite, emite, comedite, venite, emite absque argento. Has aquas explicuit Christus Ioan.4.v.14.& c.7.v.37.38.Porrò diligentia obseruanda est addita conditio δωρεὰν, gratis, Esaias dixit absque argento & absque commutatione emere. Hinc conficitur illa propositio nos gratis merito Christi iustificari, sine vlla operum nostrorum dignitate. Quam sentiam studiosè vrget Apostolus ad Rom.3.v.4.c.11.ver.5. 6.Gal.2.v.6.Eph.2.ver.5.8.9.& alibi passim Ioan.3.ver.27.dicitur non potest homo accipere quicquam, nisi datum illi fuerit cælitus. Ac vita æterna præcipuum est ex rebus accipiendis, ergo non potest accipi priuato merito, sed datur cælitus, & id hîc dicitur gratis à Deo.

Ver.8. *Timidis autem & infidelibus.*

Declaratio de pœnis reproborũ per antithesin.

Vltimo loco per antithesin perstringit breuiter conditionem impiorum: nam contrariorum ratio facilior est, si perspicuè opponantur: enumerat autem damnandos per species & gradus peccatorum. Timidi, qui plus externa amant, quàm Deum, adeóque homines magis metuunt, quos nolunt offendere ἄπιστοι, qui suis peccatis moriuntur, fide carent, oblatam veritatem respuunt, impuri vel execrabiles, Deo odiosi, vitiis dediti

si, vitiis dediti, homicidæ, qui vel manu innocentes opprimunt, vel animo, vel lingua occidunt, scortatores, qui quouis genere castitatem corporis fœdant. vt erant olim πόρνοι, qui soluti cum solutis miscebantur, quid ergo fiet de adulteris, de mœchis, de incestuosis, sodomitis, pederastis? *Venefici*, qui venena miscent & propinant, item qui illicitis vtuntur artibus, magicis & incantationibus, vnctionibus, amuletis, consecrationibus, alijsque incantamentis. *Idololatræ*, qui diuinos honores rebus creatis, aut artificialibus deferunt, vt olim Ethnici colentes solem, lunam, canem, anubim, coronam, bouem, arietem, aliaque animalia, vel artificialia idola loco Dei honorantes, qualia erant idola deorum gentilium, Apollinis, Iouis, Martis, Mineruæ: hodie in eorum locum irrepsit sanctorum veneratio. *Mendaces*, qui aliud verbis loquuntur, quàm sentiunt: mendacium è Satana esse dixit Christus, vide locum de mendacio, vbi diximus, an quoduis mendacium prohibitum sit. In his alij omnes peccatores comprehensi sunt, ideo addit, *partem illorum positam esse in stagno ardenti*, hoc est portionem hanc, tanquam pœnas promeritas ad hos pertinere. Sic dixit Christus Matth. 24. versu 51. de seruo nequam, Partem eius ponet cum hypocritis: nos eadem phrasi dicimus, *Daß ist ir theyl*, item *ir theyl vvirt iuen in der hellen vverden. Irtheyl ist noch in hassen.*

Hanc partem dicit esse mortem secundam. Suprà iam diximus duplicem esse mortem, primam communem bonis & malis, secundam ad solos impios pertinere. itaque æterna damnatio hæc ipsa mors est.

Vers. 9. *Et venit ad me vnus.*

Secunda pars capitis, in qua eadem visio repetitur monstrato autore, quo ad illam peruenit, modo quoque, & loco visionis, quæ omnia ad rei certitudinem pertinent, deinde partes quasdam Reipub. illius cælestis explanat. Ad hanc rem illa est παρασκευή, primùm quia Angelo autore in hanc visionem peruenit, ac quis ille sit dilucidè indicat, vnus de illis septem, de quibus suprà 15. dictum est. Ex quo illa sequitur doctrina Angelos etiam bonos pœnarum, & irati Dei esse ministros. Ita ad Sodomitas missi sunt boni Angeli, qui Lothum seruant, Abrahamum edocent de multis, in Sodomitas autem deducuntur ignem: sic hoc loco, idem est Angelus, qui monstrat Ioani sponsam Agni, & qui suprà effudit pœnarum pluuiam, cap. 15. & cap. 17. prodidit meretricem illam magicam. Deinde obseruandus est Angeli sermo, inquit ad Ioannem. *Veni ostendam tibi sponsam Agni*: idem suprà dixerat 17. Veni monstrabo tibi damnationem meretricis magnæ. Itaque Angelus ille studiosus fuit salutis humanæ, monstrat Ecclesiam veram & prodit cœtum Antichristi. Ac sponsa & vxor Agni est ipsa Ecclesia, illa cælestis Ierusalem, de qua toto hoc capite, & sequenti disseritur.

Visio noua Ioanni per Angelũ facta per quam Agni sponsam triũphantem videt.

Quis sit Angelus visionis author.

Angeli sermo ad Ioannem.

Tertiò modum exprimit visionis, *Et sustulit me in Spiritu*, ἐκστάσει, facta esse visionem vult dicere, quod est rapi Spiritu, quasi extra se abduci, corpore suo loco remanente, Spiritus & mens vagatur illustri rerum contemplatione.

Modus visionis.

Quartò locus visionis *in monte magno & alto*, ita sibi visus est Ioannes mutare locum, vt iam in monte consistat, & rectè magno & alto, quia cælestia illa non videntur ab hominibus terrenis & sordida curantibus: sed ab illustri & magno animo contemnente, quasi ex alto res caducas.

Locus.

Ver. 10. *Et ostendit mihi vrbem.*

Iam narrationem visionis persequitur, ac initio nominibus splendidis ornat Ecclesiam de quibus iam diximus suprà v. 2. *Vrbs est magna & sancta Ierusalem & descendens cælitus à Deo.* Illud propter ἰσότητος vocis dicitur, cùm in his terris Ecclesia Christi illam æqualitatem obtinere non possit. Posterius propter fœdus Dei vltimum, ratione causæ efficientis valet.

Narratio visionis in qua primùm de nominibus Ecclesiæ.

Vers. 11. *Habentem gloriam Dei.*

Secundò loco commendat nobis Ecclesiæ cælestis felicitatem ab aëris puritate solent enim vrbes hinc in primis commendari, vt contrà crassus aër & tenebrosus, vitiosus habetur, qualis fertur. Bœotiæ, vnde ingenia etiam crassa, quale est illud, & Bœotum crasso aëre natus. Contrà ciuitas illa sanctorum purissimum habet aërem, habet enim gloriam Dei, quæ illum illuminat, illa est Christus imago Dei patris, vnde addit *luminare eius simile est lapidi pretiosissimo*. φωστῆρα dixit luminare maius, qualia sunt duo illustria apud Mosen, Gen. 1. sol & luna Oroth dicta. significat igitur Christum in illo cœtu esse loco Solis, ideo inf. 23. dicit vrbem illam non egere sole. ad Phi. ca. v. 15. sancti dicuntur φωστῆρες, qui lucent in hoc deprauato seculo. Cæterùm illius luminis in cælo maiestas non potest satis exprimi vocibus humanis, ideo similitudine quadam rem ad-

Splẽdor & felicitas Ecclesiæ cęlestis.

umbrat. *lapidi pretiosißimo similes, Iaspidi* puta, sed crystalli more splendenti. Iaspis sua natura viret, crystallus autem pellucidus est: finge igitur compositam gemmam ex Iaspide & crystallo, hoc est, quę simul viridis sit, & lumine sit perspicua. talem quidem natura non habet, sed rem insignem animo cogitandam relinquit.

Vers. 12. *Et habentem murum.*

Murorũ & portarum cælestis Ierusalem descriptio ex variis ad iunctis.

Tertiò à præstantia mœniorum illam commendat, *murus*, inquit, *magnus est & altus*, infrà 17. idem explicabitur.

Quartò describit portas murorum, quarum sunt 12. de quibus mox plura, nam *his portis inscripta sunt* 12. *filiorum Israel nomina.* Hinc commoditatem dispositionis explicat, *ab Oriente sunt tres, ab Occasu tres, à Meridie tres, à Septentrione tres*, significans ab omnibus orbis partibus venturos incolas commodissima ratione: à quacunque enim parte accedas, directam habes obuiam portam, quod in quibusdam vrbibus non est: quædam vnam saltem habent, aliæ plures quidem portas, sed incommodè dispositas viatori, vt opus sit longis ad illas ambagibus: Ecclesia Christi commodissimè dispositas habet portas. Quod autem *his inscripta sunt nomina filiorum Israel*, ostendit omnes aduenas ad illam religionem Israëlis esse reformandos, hoc est, ad Messiæ filij Dei Israëli promissi cognitionem.

Quintò *istis portis optimi etiam adsunt custodes*, non homines somnolenti, sed Angeli perspicaces & vigilantes, vt hic non sit metuenda vel iniuria, vel fraus.

Fundamentorũ commẽdatio.

Sextò *fundamenta solidißima sunt, duodecim scilicet Apostolorum Agni*: fundamentum per se vnum est, dicente Apostolo, fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est 1. Cor. 3. ver. 11. interim hîc multa dicuntur, in quibus sunt nomina 12. Apostolorum Agni, Hæc est multiplex doctrina Apostolorum superstructa fundamento vnico Christo, ideo ad Ephes. 2. ver. 20. dicitur superstructam esse Ecclesiam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius lapis angularis sit Christus. Itaq; vnum est per se, cui totum ædificium incumbit, & vnus est Dominus Christus mediator Dei & hominum. Plura autem hîc dicuntur esse, quia plures fuerunt primi doctores verę doctrinę, hoc est, duodecim Apostoli, quorum nominibus etiam tota summa religionis in duodecim articulos est contracta.

Vers. 15. *Et qui loquebatur mecum habebat.*

De vrbis dimensione.

Tertia pars capitis de vrbis dimensione, suprà cap. 11. dimensio quædam templi, altaris, & adorantium inducta fuit: verùm hoc loco altiùs ascendit dimensio, totam ciuitatem cælestis Ecclesiæ metitur Angelus, quo modo ferè apud Ezech. fit à cap. 40. & deinceps. quædam etiam apud Zac. 2. & Esa. 54. & alibi.

Mensor & instrumentum mensorium.

Initiò autem mensor Angelus est, is idem, qui priùs hanc ipsam vrbem Ioanni monstrauit, cælestium enim rerum oportet adesse cælestes limitatores, aut metatores.

Deinde *calamum habet aureum*, non scriptorium, sed mensorium: aureus autem est, hoc est purus & solidus, non est Lesbia regula, aut gnomon, qualis est in his terris in rerum dimensionibus & distributionibus frequenter in vsu. Is calamus est verbum Dei, ad cuius regulam, ad amussim administrabitur Ecclesia in cælis. sine omni exceptione, in his terris Ecclesia vt plurimùm Lesbia regula limitatur, hoc est. humanis traditionibus, & constitutionibus, sed illic aureus calamus erit inflexilis, & infallibilis.

Finis calami mẽsorij.

Tertiò finis additur calami illius mensorij, hoc est, in quem vsum Angelus eum habuerit, vt scilicet *metiretur vrbem, portas, & murum eius*: præcipuas partes enumerauit quibus aliæ quædam speciales accedunt in dimensione. habent autem illa verba sequentium πρόθεσιν.

Vers. 16. *Et vrbs quadrata est.*

Commendatio vrbis à prima forma.

Primum membrum descriptionis de forma vrbis, quæ est omnium perfectissima: nam forma eius est cubica, quæ figurarum est solidissima & absolutissima. Initio dixit esse quadratam. τετράγωνον.

Quis & quid quadratum dicatur.

Medici hanc vocem ad corporis bonam constitutionem transferunt, vt sonet idem quod εὔκρατον. Et in Ethicis dicitur τετράγωνος ἀνὴρ vir teres & rotundus, hoc est verè bonus, qui omnium fortunam commode fert: quod dixit Aristoteles ὄγε ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου τὰς τύχας οἴσει κάλλιστα καὶ πάντας πάντως ἐμμελῶς. Verùm sumpsit hoc ex Platone, qui in Protagora sententiam illã Simonidi tribuit, dicenti, virũ verè bonũ fieri per difficile esse, χέρσι τε καὶ ποσί, νόῳ τε τετράγωνον. Itaq; ciuitas illa cęlestis duplici nomine quadrata dicitur, primùm quia immota erit veréque solida, quam nullus deinceps casus lædere possit: deinde quia ciues habebit absolutos χέρσι ποσί καὶ νόῳ τετραγώνους, hoc est, omnibus numeris absolutissimos, ac vt ait Christus ipsis Angelis æquales. Porrò Ioannes exponit nobis vocem hanc, quid intelligat per quadratam

figuram

figuram, scilicet quia vrbis longitudo, & latitudo, adde altitudo pares ferè sunt, itaque cubica fuit forma *fiertig als ein vvurfell*, Singulis lateribus tribuit 12. *millia stadiorum*, portentosa vrbis est magnitudo: nam æquabit ferè 300. milliaria in Germanica, quantam non efficiet, si Romam, Lutetiam, Venetiam, Alexandriam, Alcairum simul iungas, Voluit autem tanta vrbis amplitudine significare, immensum esse numerum sanctorum in vita æterna, adeò vt hic etiam numerus paruus videatur, his tamen rebus subducit cogitationes nostras, in maximarum rerum considerationem.

Vers. 17. *Et mensus est murum.*

Secundum membrum dimensionis, de muri crassitie, nam murus adeo crassus, altus etiam sit oportet, vt solidè subsistat: *crassus* igitur *est* 144. *cubitos.* ac cubitos Angelicos humanis æquales reddit, quia Angelus mensor hominis personam habebat, vel quia sancti Angelis in hac causa pares sunt. Luc. 20. Murorũ crassities

Ver. 18. *Et erat structura.*

Tertio loco commendat vrbem à materiæ præstantia, *tota murorum materia erat ex Iaspide gemma pretiosissima* & semper virente: senium igitur nescit illa beata Resp. sed virent semper, hoc est, integris viribus sunt præditi illius ciues. Ciuitas autem interior tota est aurea, ex puro aureo constituta, quod simul pellucidum est, vt vitrum, quasi dicat aliquid auro nobilius hîc cogitandum est, quod rerum natura non habet, illud erit in illa vrbe: aurum enim solum rutilat, non tamen est pellucidum, vt vitrum, ex hac materia constabat mihi visa beata illa ciuitas. vitrum sanè si ductile esset & malleo tractabile in hac re superaret auri pretium, quia pellucidum est. Tertia commẽdatio vrbis à præstantia materię. Plinius.

Ver. 19. *Et fundamenta.*

Quarto loco commendatur vrbs illa cælestis à præstantia fundamentorum, suprà iam dixerat, hanc vrbem muros suos habere fundatos super 12. fundamenta, quibus essent inscripta totidem nomina Apostolorum Agni: hîc iam singulorum exprimit materiam pretiosissimam, & quæ gemmata planè sit. Apud Ezech. 28. princeps Tyri similibus gemmis ornatus est. Exo. 28. in rationali Aaronis idem sunt lapides pretiosi paucis mutatis. Et Esa. 54. similes gemmæ exprimuntur. de his vide Epiphanium in peculiari opusculo de gemmis, & Franciscum Rurum qui nominatim hos duodecim in Apocalyp. explicuit. Philo etiam scribit libros de vita Mosis, in quorum tertio hæc persequitur, quæ ad λόγιον pertinent. Iosephus etiam lib. 3. Antiquitatum & alij. Nos breuiter persequentur illas gemmas, quantum hodie de illis iudicare possumus: nam si Iudæis Gemmariis, Plinio etiam credendum sit ac lapidariis, tam ἄδοξα nobis persequenda forent, quæ ne lapides ipsi dicerent, si loqui possent. Quartò à Fundamentorũ materia.

Primus lapis seu gemma est Iaspis, apud Mosen dicitur *Iaspech*, & in Aaronis λόγιῳ quarti ordinis vltimus, nostri etiam *Iaspiß* dicunt colore refert Smaragdum, reperitur in ripis Tormedoontis fluminis, & in Ida monte, hodie Misenis fodinis quoque reperitur, viret vt smaragdus, quamuis plura illius sunt discrimina, quæ nihil ad nos. Ex illo constat primum fundamentum cælestis vrbis, Christus certò semper viret, & in illa patria sancti semper florebunt, nescij omnis senectutis. De duodecim fundamẽti gemmis, ac primùm de Iaspido.

Secundum fundamentum constat ex saphiro in logio Mosis gemma hæc secundi ordinis est secunda, olim ex Aethiopia & India colligebatur. In India Bacchi templum, gradus habuit 365. ex saphiro, hoc credat, qui volet: hodie in marem distinguunt & fœminam, mas ceruleus est, fœmina albescit nomen idem retinet in Mose. Saphir. Tertium fundamentum ex chalcedonio, Græcè hîc legimus χαλκηδὼν: quod nomen sanè inter gemmas non reperio, itaque omnino legendum videtur χαρχηδόνιος, quod lapidis est nomen, nos *kazedonier* dicimus: apud Mosen in suo logio non exprimitur, sed illi facilè respondebit carbunculus, qui est secundi ordinis primus dictus, qui propriè est ἄνθραξ carbunculus, cuius diuersæ sunt species, olim in Aphrica repertus, qui carbonis instar arderet. adeo vt noctu. & sub vestibus lucere posset. Ex illis est deterior illa gemma, quam *Branne* nostri vocant, quæ huic Chalcedonio respondere potest: aliàs à loco dicitur Chalcedonius, cùm per se sit onyx, hodie Iudæi quidam Rabinorum interpretantur *nopheg*, sed cæcutiunt in gemmis, vt in toto Mose. Plin. lib. 7. c. 8. 9. Secundo de Saphiro.

Quartum fundamentum est ex Smaragdo, Moses illum in logio suo, primo ordine tertium fecit *Bareceth*, viridis est, adeò vt aërem & res vicinas eo colore imbuat, olim ex India & Æthiopia comparatus. ex Gange etiam, in Scithiæ montibus aiunt Arimaspos cum Gryphonibus certare pro his gemmis. Ex his fuit nobilis illa Gemma Polycratis, quam in mare abiecit, & paulò post recepit in pisce. Iudæi cum carbunculo confundunt malè, vt alia multa. Hodie in Mysenis dicitur Smaragdus acriter virens, *ein Reiner smaragtt*, obscurus autem & non pellucidus, *ein grober smaragtt.* crystallo combina-

tus *ein Meilendischer gruiner dublett.*

Quintò de Sardo niche. Quintum ex Sardynoche, Moses illum non habet, sed illi potest respondere onyx simpliciter qui est in quarto ordine secundus, *schoam* apud Plin. est Sarda, nostri vocant *ein Katmol & onychel*, quæ vox onychen refert, tanquam Dioscorides Alabastricem lapidem etiam vocet onychen. Porrò Sardonix, quasi ex duabus gemmis est compositus: nam vna parte apparet Sarda, altera verò Onyx, quod nostri dicerent *ein halber Karmol vnd halb ein Kalcedonia*, suprà enim iam dixi eandem gemmam à loco dici Chalcedonicum, & proprietate sua Onychen, quæ sic cum Sarda copuletur, fit tertia gemma Sardonyx.

Sextò de Sardio. Sextum ex Sardio, Moses hunc in primo ordine primum facit, vt vocet illum *Oden* quæ vox etiam Adami nomen dedit, vnde colligi potest illum rufæ terræ similem esse, vnde Iudæi rubinum vertunt, sed malè, est enim sui generis gemma, olim Babylone repertus, Latinis & Græcis dictus est Sardius, & Sarda à similitudine piscis eiusdem nominis saliti & inueterati: aut certè ἀπὸ τῆ σαρκὸς, quia carni similis est, *er ist fleisch farb* vnde hodie *Karmol* dicitur à carne, Sardius Indicus, vt pellucidus probatur. *Ein durchsichtiger Karmol der fleisch farb ist.*

Septimò de Chrysolitho. Septimum ex Chrysolitho, in Mosis logio, quasi ordinis est primus *Tareschish* dictus, ac videtur à mori Hebræis dici, aliàs aureus illi color est, videtur chrysoberillus Babylonius, qui reperitur in spelunca Achemenidis. Iudæi perperam hyacintum vertunt, est enim Berillus aurei coloris.

Octauò de Berillo. Pli li. 37.c.4. & l.36.c.5. Octauum ex Berillo, in logio Mosis non habet locum, sed pro illo est Adamas secundi ordinis tertius *iacolom*: Berillus autem nobis etiam *bryllen* dicitur, & Iudæi recentiores *Berilla* dicunt cristallo est similis. in nostris montibus effoditur, & colligitur in glacie indurata, *sint fact Bryllen, dieman von hasse bringtt*, cristallo persimiles, ac si sphærici fiant, ignem emittunt, vt cristallus, & concaua specula. Adamas verò longè alia est gemma *ein diemantt*, qui si sit acuminatus dicitur *ein diemantt punchtt*, sin planus sit dicitur *ein diemantt dasselen*, sed cum illo non debet confundi Berillus.

Nonò de Topazio. Nonum ex Topazio, in logio est primi ordinis secundus *Pitdah* Veteres Iudæi *larchan* vocarunt recentiores malè cum Smaragdo confundunt, olim ex Topaza afferebatur Indiæ vrbe, est tamen Græcis τοπάζειν idem quod ζητεῖν, studiosè perquirere reddit succum lacteum, & rubet magis quàm carbunculus, hodie *ein topaß.*

Decimò de Chrysopraso. Decimum ex Chrysopraso, Moses illum non habet in suo logio, sed pro eo Achaten: sonat autem Chrysoprasus gemmam, quæ auri & porri colorem refert, iam hodie vocant *ein praß*. Iudæi male cum Topaso confundunt, dum vertunt, ein Thophaz, Achatem verò Mosis *scheuo* dictum, qui est in tertio ordine secundus, male cum Turcica gemma miscent, vide Plin. lib. 37. c. 10.

Vndecimò de hyacintho. Vndecimum ex hyacintho, Moses etiam illum non habet: sed pro eo lyncurium qui est tertij ordinis primus *leschen* dictus, sunt tamen distinctæ gemmæ: hyacinthus, enim floris sui nomine colorem refert, qui si excellenter rufus sit dicit *ein Bruncinder hyacinti*, alij pallidiores sunt, & magis ferruginei Lyncurius autem alia est lapidis species Iudæi quidam lynzucer vocant, rectè quidem, & meliùs, quàm illi qui Turkis vertunt sed nec est ille Lyncurius officinarum hodie, qui nihil aliud est, quàm lapis Phrygius, nec est ex vrina Lyncis concretus, vt fabulantur quidam, sed videtur ambra potiùs, vel ex bitumine natus, quod sanè atritus redolet, *geler agstein glessit* Saxonibus olim dictum, & inter gemmas olim relatum testatur Plinius.

Duodecimò de Ametysto. Duodecimum ex Ametysto, in logio est tertij ordinis tertius, *achlamach*. Græcis sanè dictus est, quia ebrietatem arcet, Plinius libro 37. cap. 9. apud Hebr. *chalom* vitellum oui est rubens, cui dolore est similis, vel *chalom* qui in somniis prodesse fingunt. Coloribus autem distinguitur, alij non sunt purpurei, alij violacei, alij rosei, alij albicant, inde Iudæi cum Berillo & cristallo confundunt: hodie à regionibus distinguitur, alius enim est Orientalis, alius Bohemicus, alius Misnicus. Hæc de lapidibus quàm fieri potuit & breuiter & perspicuè. Et quia Moses Ephod illud Aaronis ex similibus ornauit, ideo simul contulimus Mosen & Ioannem, vnde liquet Mosi proprios esse, Carbunculum, Lyncurium, Achaten, Onychinum, & Adamantem: contra apud Ioannem proprij sunt, Chalcedonius, Sardonyx, Chrysoprasus, Hyacinthus & Berillus, qui tamen quibus respondeant commodè est indicatum, ita vt vtrinque sint duodecim lapides. Deinde obseruandum est Ioan. hoc loco simpliciter numerare duodecim fundamenta gemmata, quò exprimeret nobilitatem, perfectionem, & durationem in æterna secula vitæ æternæ, Moses verò Pontificem in his terris exornat rationali quodam gemmato, quod distinguit in quatuor ordines, ac singulis ordinibus assignat tres gemmas, hoc modo

hoc modo. Primus ordo complectitur *odem* sardium, *Pitdah* topazium *Bareceth* smaragdum. Secundus ordo habet *nophec* carbunculum *saphir*, saphirum, *iahalom* adamantem. Tertius ordo constat ex *lechem* Lyncurio, *scheuo* Achate, *achlamah* amethysto. Quartus verò conficitur ex *tharschisch* chrysolito, *schoham* onychino, & *iaspeh* Iaspide.

Fundamenta hæc 12. multiplicem habent doctrinam, in quam nolo iam digredi, ne longior fiat oratio, qui hoc docendi genere delectantur, obseruent commodam proprietatem, alioquin insulsa sit allegoria, & in his parci sint: satis nobis sit duodecim articulos Christianæ fidei his fundamentis adumbrasse, quæ quamuis multa sint, tamen vni Christo vero fundamento innituntur, quò nos deducunt etiam commodè articuli illi Apostolici. Verùm illa relinquamus declamatoribus theatralibus, & amatoribus allegoriarum, nos ad reliqua nos iterum recipiamus.

Vers. 21. *Et duodecim portæ.*

Quinta à Portarū præstanti materia & numero.

Quinta commendatio à numero & prestantia portarum, 12. sunt portæ, inquit, idem ver. 12. dixerat, sed hic præstantiam materiæ addit, sunt singulæ ex singulis margaritis, eas tamen nominibus suis, vt fecit in fundamentis, non exprimit, fortè quia non tanta est dissimilitudo margaritarum, quanta est in gemmis. Itaque similitudo materiæ hic est, illic differens nobilitas.

Sexta à fori descriptione.

Sexta commendatio à forma & materia *fori, quod est ex solido auro, quod pellucidum simul est, vitreum*, idem ver. 18. de tota vrbe dixerat, hîc de præcipua eiusdem parte affirmat, sed aliquid auro præstantius & lucidius nobis cogitandum relinquit.

Ver. 22. *Et templum.*

7. à Religionis perfectione quòd nullum futurum sit templum in cælis.

Septima commendatio à religionis perfectione, templum inquit, illic non vidi, perfecta igitur illic erit religio: nam templa in his terris pro religione instituta sunt, ad quæ, quia in dies confluit populus, argumentum est imperfectam esse inuocationem & adorationem, sacramentorum quoque vsum, & totum Dei cultum: illa omnia illic sic erunt limata, vt templo non sit opus, hoc est, nullo externo symbolo egebit Ecclesia. Ratio est in contextu, *Quia Deus & Agnus templum eius est*, hoc est, coràm de facie ad faciem intuebuntur Deum. Sup. cap. 11. & ver. 5. templum fuit, sed in alia visione, ideo huic loco non obest.

Vers. 23. *Et vrbs non eget sole.*

8. à lucis perfectione.

Octaua commendatio, à perfectione lucis: mundus hic illuminatur sole, sed illo absente, densis tenebris offuscatur, vt videre est noctu turbulento cælo, illa incommoditas illic quoque tolletur, nam vita illa æterna *sole & luna non egebit, sed perfecta luce illustrabitur, gloria scilicet Dei, & Agni*, suprà ver. 11. idem dixit, & cap. sequent. ver. 5.

Vers. 24. *Et gentes seruatorem.*

9. à consensu omnium gentium in religione.

Nona commendatio ab ingenio incolarum, significat enim solos pios illic victuros, adeóque ex omnibus nationibus: tollit enim illa discrimina Iudæi & Ethnici, quasi dicat, vita æterna non ad solos Iudæos pertinet, sed est omnium gentium hæreditas, Dei dono illis collata, verùm non omnium sed τῶν σωζομένων, hoc est, eorum, qui Christi merito salutem consecuti sunt. Deinde *reges terræ deferent gloriam suam illuc*, hoc est, etiam ex Principibus & Magistratibus illic reperientur, seu qui aliis occasionem ad salutem dedêre: *gloriam autem illuc deferent suam*, hoc est, omnia præ vita æterna abiicient, omnibus Christum præferent, aliósque ad illum dirigent. Itaque tanquam in triumpho secum in vitam æternam inducent turbas conuersorum, quos Christo lucrifecerunt. tales reges erunt pij Principes, Magistratus, & boni ac vigilantes doctores in Ecclesia.

Vers. 25. *Et portæ eius.*

10. à libertate & securitate.

Decima commendatio à libertatis securitate, portæ solent claudi propter metum hostilem in cælo non claudentur, h. e. nullus erit metus, sed contrà summa & plena securitas. Beatissima igitur erit illa Resp. additur ratio, *quia nox non erit illic*, noctu solent hostes insidiari vrbibus, ideo noctu in primis muniuntur portę, sed illic cùm non sit futura nox, significat, nullas occasiones aduersario dari posse, quò piis amplius noceat. Repetit hîc, quæ prius dixerat de gloria gentium, quæ desumpta videntur ex cap. 60. Esa. v. 11. vide locum & cum his confer.

Vers. 27. *Et non intrabit in eam.*

11. à puritate & integritate loci.

Vndecima commendatio à puritate loci, *non ingredietur in illam quicquam impurum, aut faciens abominationem, & mendacium.* Remotio est, omnibus modis puros fore illos cœtus: illic igitur quærant eos Anabaptistæ, quos hîc habere non possumus. Ac videtur allusum ad legem templi, Deut. 23. in quod nullus immundus debuit intrare.

Hic semper cœtus mixti sunt, secundùm parabolam de reti Euangelico, & agro Dominico Matth.13. ideo semper expurgandum est vetus fermentum.1.Corinth.5.sed illic perfectio demum obtinebitur, deinde addit θέσιν soli scripti in libro Agni, de quo suprà 3.vers.5.c.20.v.12.Phil.4.v.3.

CAPVT XXII.

Connexio huius capitis cum præcedenti & eius breuis summa.



Rincipium capitis adhuc ad superiora pertinet, habet enim commendationem vltimam cælestis illius Reip.de cibo & potu, totáque sanitatis ratione retinenda. Reliqua deinceps à vers.6. Ad Epilogum totius libri pertinent, in quo fidem omnibus visionibus denuo facit triplici testimoniorum genere:primam Angelus hæc affirmat, demum Ioannes testatur, se oculatum & auritum omnium esse testem, demum Christus ipse Dei Filius idem affirmat, itaq; de hoc Ecclesiæ statu duraturo ad finem vsque mundi nemo dubitare debet. hæc ferè hoc capite vltimo exponuntur.

Vers.1. *Et ostendit mihi.*

De reliqua vrbis cælestis commendatione quod in ea sit cibi & potus copia.

Angelus pergit Ioanni nobilitatem & perfectionem cælestis Reip. declarare, ac potissimam conditionem ad finem conseruauit: nam quid prodesset aurea etiam ciuitas, & gemmata mœnia, si cibus & potus in cælis deesset. Narrant de Myda, quod à Diis inuocasset, illi datum esset, optare quicquid vellet, quod illi ratum facerent Dij, quia Bacchum aliquando hospitio susceperat: optauit igitur stultus rex, vt omnia quæ contingeret in aurum mox conuerterentur, id ita factum est, adeò vt panis & cibi omnes ab eo contacti mox aurum essent, inde fame & inedia enectus est homo stultus, stulti voti pœnas dedit, idem fortè eueniret in gemmata vrbe hominibus, nisi illam rem nobis explicarent, quæ sequuntur. itaque per occupationem addit Angelus, ne de potu & cibo dubitemus: Ac quòd potum attinet, pulchrè prospectum est piis, qui flumen habent in ipsa vrbe, quod aqua scaturit in vitam æternam. Obserua igitur commendationes potus illius, quæ videntur petitæ ex cap. 47. Ezech. vbi similia leguntur

Descriptio fluminis cælestis quo potantur pij.

de flumine renouatæ Ierusalem. Initio *flumen* vocat, quod ad vbertatem facit, flumen enim dicitur, cuius aquæ nunquam deficiunt. Deinde *purum est*, quod ad salubritatem pertinet, nam in aquæ potu hoc in primis salubre est, si pura & limpida sit aqua ad substantiam pertinet aquæ vt pura sit, contrà turbida, insalubris habetur, & multis morbis occasionem dat. Tertiò *aqua est vitæ*, in paradiso arbor vitæ legitur Gen. 2. de qua dictum etiam suprà 2.v.7. dicitur autem aqua vitæ, quia vim habet viuificam, nec bibitur ab aliis, nisi qui hæredes sunt vitæ æternæ. Quartò dicitur *splendidum vt cristallus*, splendor ad qualitatem pertinet, vt puritas ad substantiam, ac sunt coniuncta ferè: aqua enim pura, solet esse lucida, talis est glacialis aqua in montibus, *hel als ein kristall*, idem exprimit similitudine, nam iisdem locis cristallus solet erui. Quintò ab origine, *oritur flumen hoc ex throno Dei & agni*, hoc est, diuinum habet ortum, nec potest esse malum, tali ortum principio, Vid. Ezech. 47. vers. 11. Et hactenus quidem diuinum Nectar.

Vers. 2. *In medio foro eius.*

Descriptio cibi cælestis ex variis adiūctis.

Secundo loco de cibo agit, Ambrosiam dixeris verè diuinam. Initio loci commoditas cibum commendat, qui in *ipso medio foro reperitur, & in vtraque fluminis ripa*, in foro quod est, omnibus videtur expositum, adeò vt non possit latere prætereuntes. Quòd autem in vtraque fluminis ripa, salubritatis est argumentum: nam fructus ad salubres aquas nati, salutares solent esse, secus qui in locis siticulosis, vel ad aquas putridas, aut salsas nascuntur. Deinde quòd *vtramque ripam ornant*, ad amœnitatem pertinet, ornat enim tractus fluminum illa arborum series. Tertiò *arbor vitæ* dicitur eadem ratione, quo dicitur aqua vitæ, vim viuificam habent, ea quæ sit Christus docet, dum indicat se habere aquam viuam Ioan.4. vers. 14. Et Ioan.11. affirmat se vitam esse, Tertiò arbores istæ fertilissimæ sunt, *nam singulis mensibus afferunt fructum*, id nulla quantumuis fœcunda præstat in his terris regio, copiosi fructus sunt, & simul semper recentes, vt qui in omnes menses renouentur. Quartò folia quoque non aspernanda sunt, vt fructus vim habet viuificam vitam prorogandi, sic *folia vim medicam*, Ezech.. 47. versicul. 12. idem habetur. Itaque nihil est. quod possis hîc desiderare contra morbos auxilium præbent folia, contra mortem ipsi fructus arborum, plenè igitur beata est ciuitas illa. Psalm. 1. Beatus vir arbori plantatæ ad riuos aquarum, cuius folia non decidunt, sed præstantior hæc arbor est, vt cuius folium etiam sit medicum. Porrò gentium solùm fit mentio, non quod Iudæi hîc non sint futuri, sed vt confutetur

tur Iudæorum somnium, quòd affirmabant Messiæ regnum ad ipsos solos pertinere: quæ autem sint gentes cap. 21. dictum est ver.24.

Vers. 3. *Et omne maledictum.*

Tertiò loco remouet omnem simul impuritatem ex cælesti Ierusalem. κατάθεμα vocat emphaticè, omne, quod impuram reddere potest vrbem, qualecunque tandem sit, siue in moribus, siue ritibus, siue sermone, qualia in lege erant multa.

A cælesti Ierusalē exulat omnis impuritas.

Quartò *sedem iudicariam illic locat Dei scilicet & Agni.* Faciunt ad maiestatem vrbium subsellia, & iudiciaria tribunalia, tale vnum erit, non terreni magistratus, qui corrumpi sæpius soleret, sed ipsius Dei & Agni. Et quia Deum cum Agno iungit pari honore & autoritate, ideo agnum, h.e. Filium Dei, simul etiam natura Deum esse cōcedendum est: quomodo enim alioquin Ioan. his eosdem honores sine scelere tribueret? Eóq; magis, quòd serui ei promiscuè seruiant, hoc est, tum Agno, tum Deo Patri.

Vers. 4. *Et videbunt.*

Pergit explicare piorum conditiones, prima fuerat, quòd ei seruituri essent, hoc est, Deo Patri & Agno, tanquam eiusdem naturæ, iam alterum addit, *videbunt faciem eius*, hoc est, Dei & Agni. Tertiò *nomen eius in frontibus scriptum habebunt*, hoc est, palàm id quod sunt profitebuntur: nam in his terris sæpe erubescunt etiam pij, vt nomen Christi non in frontibus, sed in pectore solum clausum teneant, sed illic omnis metus aberit. Quartò *nox non erit*, idem suprà cap. 21. dixit vers. 23. reliqua ex Esa. 60. v. 19. repetita sunt, Non erit tibi amplius sol in lucem per diem. & splendor lunæ, non lucebit tibi, sed erit tibi Dominus Deus in lucem perpetuam. Quintò *regnabunt in æternum*, itaque sublata est illic omnis seruitus, quia hîc pij premuntur, deinde omnis in futurum mali metus, cùm regnum eorum sit æternum. Hactenus visio, iam ad Epilogum sese conuertit Angeli oratio.

Functiones & cōditiones piorum in cælis.

Vers. 6. *Et dixit mihi.*

Epilogus est totius libri, quo iterum visionibus sui autoritatem conciliat, idque efficit triplici testimonio, Angeli, ipsius Ioannis & Christi, mox addit generalem obtestationem contra libri corruptiones. Tandem comprecatione totum concludit more Epistolarum, illa ordine videamus.

Summa breuius epilogi totius libri.

Prima pars Epilogi habent confirmationem ipsius Angeli, mens enim est, de his visionibus omnibus in hoc libro scriptis, nulla ratione nobis esse dubitandū. Ad hoc persuadendum facit Angeli iudicium grauissimè asserentis hæc verba esse vera & certa: itaque formam hanc sermonis refert ad totum librum, nam omnibus visionibus fidem vult facere, inde fit, quòd mox repetat principium etiam libri: ostendit enim Angelus Deum esse autorem harum visionum, qui misso Angelo suo, bono publico, quid sit euenturum ad finem vsque mundi suis declarauit: idem dicit cap. 1. v. 1. Habemus igitur aliud argumentum certitudinis, non solùm quia Angelus hoc dixit, sed quia Deus autor est, & denique, quia hoc libro continetur historia Ecclesiæ ad finem vsque mundi sub ærumnis & cruce militantis, itaque nostri interest hæc probè meminisse.

Explicatio primæ partis Epilogi, in qua de huius libri certitudine.

Quartò ab vtilitate, *beatus, qui seruat sermones Prophetiæ libri huius*, quasi dicat vtile erit his studiis inuigilasse: primùm hac via itur ad felicitatem, quam liber hic monstrat, hoc est, per crucem & perpetuas ærumnas, eam viam non aliunde meliùs, quam ex lectione huius libri disces, igitur studiosè est euoluendus, idem cap. 1. vers. 37. Seruantur igitur sermones isti duplici modo, primum memoria, dum his legendis & intelligendis occupantur: deinde moribus, dum secundum hæc ipsa mores & vitam instituimus, vt inter sanctos Dei & Agni milites candidatos reputemur, quod vix fit ab his, qui libro huic autoritatem abrogant.

Vtilitas manans ex libri attenta lectione.

Vers. 8. *Et ego Ioannes.*

Secundum testimonium est de autoritate præsentis libri. Angelus quatuor præcipuè nobis reliquit, quæ vim argumenti habent, ne visiones has contemnamus. Primò suo iudicio pronunciat Angelus de libro, sermones hi veri sunt, & fideles, hoc est, non est dubitandum de certitudine visionum istarum, secundò quia Deus illarum est autor, *tertiò*, quia idem Deus bono publico eosdē patefecit Ecclesiæ suæ per Angelum suum, quartò, quia hi ipsi sermones monstrant viam ad æternam felicitatem, ideo nemini de his est dubitandum. Nunc eadem sua autoritate dicit Ioannes, nam facit se testem fide dignissimum, quia vidit illa, est igitur αὐτόπτης, & audiuit omnia, est igitur ὠτακουστής, auritus & oculatus testis, quid igitur non credes tanto teste instructus?

Testim. Ioannis de huius libri certitudine.

Secundò iterum digreditur in casum suum ostendens iterum, se plus Angelo deferre voluisse, quàm deceret, ideóq; idem Angelus candidè & constanter repudiauit honores sibi oblatos à Ioanne, idem suprà cap. 19. v. 10. expositum est. Porrò quòd eundem

2. Locus in quo hoc libro de Angelorum adoratione agitur.

casum hîc fatetur, hanc mihi videtur habere vim, quòd ad visionum faciat certitudinem, nullum enim aliud fatetur peccatum hoc vno errore excepto, quòd Angelum bis voluerit adorare. Itaque prçoccupatione cauet, quod dici poterat de suo, tanquam hominis, & quidem peccatoris testimonio, quasi dicat, nullum alium in hoc meo scripto fateor errorem, nisi hunc de adoratione Angeli, per cætera indubitata est omnium rerum hîc explicatarum veritas.

Vers. 9. *Et dixit mihi.*

Angeli est sermo superiori similis cap. 19. ver. 10. propositio ponitur per reticentiam, quæ inde etiam vim habet maiorem, reliqua ad rationes pertinent, quæ iam supra sunt expositæ cap. 19. vers. 10.

Vers. 10. *Et dixit mihi, ne obsignes.*

Declaratio faliciatis visionum hoc libro comprehensarum.

Tertius est locus huius membri, de visionum istarum facilitate, & perspicuitate: nā quod iubet non obsignare sermones, est plenos & apertos relinquere: obsignantur enim quæ clausula & latentia esse volumus, sic Dan. 12. vers. 4. iubetur Daniel obsignare visionem, hoc est, tectam relinquere mundo, vt legentium iudicia exerceantur, inde dicit illic variam fore intelligentiam, hoc est, alius sic, alius aliter interpretabitur, nec mirum erat, quum de Christo nascituro differebat. Contrà Ioannes post natum Christum, de cursu Ecclesiæ ad finem mundi differere facilior est, ideo sermones suos non debet obsignare, facilitatem illorum declarans, quando temporum successus omnia semper interpretātur, addita est ratio, *quia tempus est breue*, vel prope est, hoc est, completio visionum ipsis coniuncta est, & intellectus, non aliunde quàm ab experientia petendus sit, ne igitur ampliùs conqueramur de obscuritate huius scripti.

Vers. 11. *Qui iniustus est.*

Improborum pertinacia non resipiscentium ad libri lectioné.

Quartus est locus de hominum pertinacia non emendantium suos mores, ex libri huius lectione, seu admonitione: hoc enim vult dicere, reprobos nihilo fore meliores, contrà pios hinc confirmandos in pietatis cursu. Ac iterum ad Danielem respicit, qui cap. 12. post obsignationem scribit, eligentur, & dealbabuntur, & examinabuntur multi, & impiè agent impij, ac nihil intelligent omnes impij, qui autem præditi sunt prudentia intelligent: quasi dicat, quemad. ad Danielis clausas visiones variè affecti sunt homines, maior pars contempsit, paucis quibusdam intelligentibus: sic ad tuas visiones mi Ioannes non sapient omnes reprobi in peius semper proficient, satis tibi sit, si electi hinc emendatiores fiant.

Vers. 12. *Et ecce venio citò.*

De subito aduentu Domini & plena ipsius iudicandi potestate.

Quintò loco differit de suo aduentu, Ecce venio citò, igitur emendandi sunt mores ad præscriptum harum visionum, ne aduentus Domini nos obruat, vt seruum illum improbum in Euangelio. Deinde *merces mea mecum est*, hoc est, venio cum plena potestate remunerandi pios, & puniendi impios, ac loquitur de se Christus, tanquam de vero Deo: nam sic Esaias cap. 40. ver. 10. loquitur de Deo, Ecce Dominus Deus in fortitudine venit, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, Et c. 62. Dicite filiæ Zion, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo: idem sibi Christus hîc sumit, *merces mea mecum est*, hoc est, pleno iure venio puniendi, & remunerādi pios. Tertiò se explicat, quæ sit illa merces, *reddam cuique quemad. est opus eius*, hoc est, pro cuiúsque pietate, aut impietate singuli saluabuntur. Idem dixit cap. 20. ver. 12. Iudicati sunt mortui secundùm opera illorum, idem dicit Christus Matth. 16. vers. 27. cùm redderet cuique secundùm facta eius, & 2. Cor. 5. ver. 10. dixit Apostolus omnes reportaturos secundum id quod fecerint bonum & malum, 1. Corin. 3. ver. 8. quisque suam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. Matt. 10. vers. 42. Non perdet mercedem suam, qui etiam dederit solùm parum frigidæ aquæ vni ex his paruis. Et Gal. 6. dicitur, quisque onus suum portabit, idem Rom. 2. ver. 6. Psa. 61. ver. 13. & alibi frequenter reperitur. Sextò differit de æternitate sua Christus, quæ ferè iam suprà explicata sunt, vt illud, *Ego sum α & ω* cap. 1. v. 8. & cap. 21. ver. 6. ibidem habetur, principium & finis, primus & vltimus secundùm Prophetas dicitur: & quia solius Dei est, & idem Christus sibi arrogat, Deum esse oportet Esa. 41. & 4. Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum. Et cap. 44. vers. 6. Ego primus & ego nouissimus, & absque me non est Deus, idem cap. 48. ver. 12.

Christi æternitas.

Præmiū piis propositum.

Septimò iterum inuitat ad morum pietatem secundum Dei præcepta, duplici argumento inuitat omnes, primùm, quia sic habituri sumus potestatem in lignum vitæ, de quo sup. ver. 2. *deinde quia sic per portas ingrediemur in vrbem*, hoc est, auream illam gemmatam Ecclesiam sanctorum in cælis, de qua cap. 21. hoc est, ad plenum omnes felicitate fruemur.

Octi-

Octauò reproborum conditionem à contrario depingit, *Foris erunt canes*, foris, locū denotat damnationis, ſtagnum illud ardens igni & ſulphure, & vt ait Chriſtus, vbi fletus eſt, & ſtridor dentium. illud igitur ἔξω omni ſtudio tenendum eſt, carebit autem ſola emendatione morum. Deinde canes iſtuc retrudentur, h.e. indurati, quibus ſanctum non eſt proponendum, ſunt iidem porci & ingrati benefactori, Canes alioquin boni etiam ſunt in Euangelio, de quibus ſpes eſt ſalutis, qui colligunt micas cum pueris ad menſam Domini. Sic in Prophetis boni ſunt canes, qui vigilant pro grege contra lupos. ſed de his hic non agitur. Reprobi ſunt canes, qui ſemper ad vomitum reuertuntur, deinde *magi* cum his copulantur, hoc eſt, qui diabolicis vtuntur artibus, negantes Deum Diabolo ſeſe obligant, ab illo accipiunt, quibus noceant rebus mortalium. Tertiò *ſcortatores* damnatis coniunguntur, ne igitur ſic leuiter de ſcortatione iudicemus, cùm liber cum libera peccat, vix peccati loco reputant noſtræ leges, nec puniunt, niſi leuiter, ſecus pronuntiat hic Spiritus ſanctus in genere, cum damnatis reputat eos: diſcant igitur adoleſcentes corpora ſua pura & caſta conſeruare legitimo matrimonio, ne incidant cum damnatis in illud ἔξω. Impiorū pœnæ & damnatio. Scortatorum pœnæ.

Quartò *homicidæ*, quintò *idololatræ*, ſextò *mendaces*, nec ſimpliciter, ſed qui illud etiam amat, ſ. in aliis, ne dum, ſi ipſe mendax ſit. Fructus illi ſunt carnis, quos Apoſtolus etiam ſegregat à conſortio regni Dei, vt ſuprà 21. ver. 27. dixerat, *non intrabit in illam quicquam pollutum.*

Verſ. 16. *Ego Ieſus miſi.*

Tertium membrum epilogi eſt, in quo Chriſtus ipſe propria perſona, huic ſcripto autoritatem conciliat, ac primum commendat nobis hunc librum ſimpliciter, quia hoc fine *miſit Angelum ſuum vt de his teſtaretur in Eccleſiis*. h.e. vtili fine patefecit. Ac primùm Chriſtus autor hic ſit Apocalypſeωs, vt verſ. 6. Deus: nam vt illic Deus miſit Angelum ſuum, ita hic Chriſtus miſit Angelum ſuum, idem dixit cap. 1. verſ. 1. Deus igitur eſt Chriſtus. Deinde Chriſtus Angelorum Dominus hic ſit, quia mittit eos, tanquam imperium habens in Angelicam naturam, inde iterum Chriſtus Deus eſt, quia inter Deum & Angelicam naturam, nulla eſt media. Tertiò idem Chriſtus prouidus eſt gubernator ſuæ Eccleſiæ, quia bono fine has viſiones ei patefecit, item ad omnes harum viſionum notitia pertinet, quia in Eccleſiis de his teſtari debet Angelus. Secundò loco diſſerit de ſua natura Chriſtus, *Ego ſum radix, & genus Dauid*, h.e. ille Meſſias Dauidi promiſſus. Supra 5. verſ. 5. idem de Chriſto dixit. & Eſa. 11. verſ. 50. dicitur, Radix Iſai ſtabit in ſignum populorum, ipſam gentes adorabunt, & Rom. 15. verſ. 12. idem ex eodem Prophetæ repetitur. Stella autem lucida & matutina dicitur, quia ductor eſt nobis ad vitam æternam: vt enim lucifer diem monſtrat, ſic Chriſtus natus vitam illam beatam nobis patefecit, & ſimul viam ad eam monſtrauit, adeóque præluxit in illam. Confirmatio Chriſti de huius libri certitudine. Locus de Natura & origi. Chriſti.

Tertiò loquitur de ſanctorum deſiderio & voto optantium tandem aduentum beati illius diei. *Spiritus* hoc loco gemitus ſunt ſanctorum, ideo additur etiam *ſponſa*, vt intelligas Eccleſiæ has eſſe voces, mox ad eadem vota nos inuitat, *qui ſitit, veniat, & gratis accipiat aquam vitæ*. Vide Eſa. 55. verſ. 1. Ioan. 7. verſ. 37. de voce gratis iam ſupra dictum eſt. Votum piorum vltimum diem optātium.

Quartò ſequitur grauiſſima obteſtatio contra corruptores ſacrorum codicum, præuidit enim Spiritus ſanctus quod poſtea dedit experientia, temerarios fore impios homines, qui auſint ſacrilegas manus etiam immittere ſacris libris, quos corrumpant in ſuorum dogmatum gratiam, vel addendo, vel demendo, vel mutando, vel falſo gloſſemate, hoc totum hic prohibet in libro etiam Spiritus.

Ex quo intelligis non ſolùm authenticum eſſe hoc ſcriptum & diuinitus inſpiratum: ſed etiam oportere eſſe inuiolabile, vt ſatis perfectum ſit piis. Eadem diligentia Moſes munierat Legem Domini contra Iudæorum ſuperſtitionem, Deut. 4. verſ. 2. non addetis verbo. quod ego præcipio vobis, hoc obſeruabitis & facietis. non addetis quicquam ei, nec adimetis ei. Sed quemadmodum Iudæi neglecta hac obteſtatione Moſis infinitas leges addidere ex deuteroſi: ſic mali Chriſtiani hunc librum corrumpunt, vt alia ſcripta canonica, quidam etiam eo dementia aſcenderunt, vt in totum damnarint, & è manibus piorum excuſſerint. Initio agit contra additionem, deinde contra ſubtractionem, pœnæ vtrique ſceleri commodè reſpondent, *additori addentur plagæ, ſubtractori etiam ſubtrahetur*, ius ciuitatis ſanctorum, liber vitæ, ciuitas ſancta & ſcripti in libro vitæ idem ferè ſunt. in genere dicit delendos tales de ſanctorum catalogo & numero.

Certitudo vltimi aduētus Christi.

Quintò certitudinem sui aduentus repetit, ac videntur verba Christi esse etiam illa; *dicit qui testatur ista*, h.e. qui testimonium dat scripto huic: idem asserit nouissimi iudicij certitudinem: possunt tamen Ioannis quoque esse verba, nam sic loquitur in Euangelio suo cap. 19. v. 35.

Vota piorū Christi aduentum optantium.

Tamen sequens comma Christi est, non Ioannis, *certè venio citò. Amen*, vtrinque confirmat aduentum suum, *ναὶ* Græcis est affirmantis, Amen. Hinc mox accedunt piorum vota, *Certè veni Domine Iesu*, hi gemitus sunt sanctorum, vt videre est in Paulo. Phi. 1. v. 23. Cupio dissolui & esse cum Christo.

Vers. 21. *Gratia Domini nostri Iesu Christi.*

Libri clausula finalis.

Clausula finalis, qua more Epistolari rem totam comprecatione finit, vnde colligimus Epistolam potiùs esse, quàm librum, hoc scriptum. Similis est clausula Apostolo Paulo consueta, vt videre ad finem omnium suarum Epistolarum. Dominus Iesus Christus veniat citò suos liberaturus ex tot ærumnis deprauati Mundi, Amen.

FINIS.

